A

ERU

M

Cum S. Cæsar

atque Ele

Proſtant apud

JOH. F

TH

Typis BERNH

ACTA ERUDITORUM,

ANNO

MDCCXXVI.

publicata.

um S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

prostant apud JOHAN. GROSSII Hæredes,
JOH. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.
ET
THOMAM FRITSCHIUM.

Typis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.
A. MDCCXXVI.

pag. 105. gorii M. quæ Græce hucusque desiderata fuerant; *Willibaldi*,
125. primi Episcopi Aichstadiani, fratrisque, *Wunibaldi*, Sanctorum,
Vitæ, a quibusdam Sanctimonialibus Heidenheimensibus scriptæ;
139. ut & *S. Lamberti*, Trajectensis Episcopi & Martyris *Vita*, cum
145. ejus *Revelatione*, anonymo quidem, συγχρόνῳ tamen Autore.
155. Præter hæc *Collectio Historica Chronographica*, sex Libris, quorum primus *Julio Africano*, secundus & tertius *Idatio*, *Thoromacho* quartus, sextus *Fredegario* ex Cl. Basnagii sententia tribuitur, contradicente Canisio, qui hunc assignat *Thoromacho*, quinto hujus Collectionis Libro, quia sæpe jam editus fuerat, imprimis a Ruinarto ad calcem Gregorii Turonensis, prorsus omisso a primo hujus Thesauri Autore, Canisio, qui saltem ea, quæ in Bibliothecis tenebris obducta delituerant, in lucem prodire voluit. Continentur porro in prima hujus Voluminis parte
232. *de Vita S. Bonifacii*, Martyris, Germanorum Apostoli & Archi-Episcopi Monguntini *Liber*, S. Willibaldo, Episcopo Eichstadiano Autore;
253. *Collectanea* incerti Autoris *contra Severianos & Ace-*
266. *phalos*, Francisco Turriano Interprete; *Epitome Canonum*, quam Adrianus, Sedis Romanæ Episcopus hoc nomine primus, Carolo
297. M. Romæ obtulit; post *Etherii*, Uxamensis Episcopi, & *Beati*,
376. Presbyteri, *adversus Elipandum*, *de Adoptione Christi*, *Filii Dei*, Libri duo; *Supplementum ad Alcuini Librum*, *de Virtutibus &*
384. *octo vitiis principalibus*; *Flacci Alcuini Epistola*, ejusque *in Nata-*
460. *lem S. Willibrordi Homilia*, *& de vita rebusque gestis Willibrordi*
463. *liber*, Carmine conscriptus. Tandem *Carmina* incerti Autoris
474. *de Carolo M. & Leonis Pontificis maximi ad Carolum adventu*; Al-
488. cuini Dialectica & Grammatica una cum duabus ejusdem Episto-
540. lis, *de certo Canticorum loco* altera, altera *de Ceremoniis Baptismi*
543. ad Carolum Imperatorem Augustum. Sunt hæc Veterum Opera, quæ primæ hujus Voluminis parti inserta leguntur. Sequitur Pars secunda, quæ scripta complectitur, quibus in Oriente & Occidente quidam inclaruerunt seculo nono Ecclesiæ Doctores. Et sunt inter illa *S. Nicephori*, Patriarchæ Constantinopolitani, *Opu-*
4. *scula quatuor contra Iconomachos*, quorum I duodecim capita
7. habentur *contra Principes Apostasiæ de Incarnatione Christi*, II *de-*

cem

Hymni Sacri antiquorum Patrum Monasterii S. Galli, cum *Salo-monis*, Episcopi, ad Dadonem, Episcopum, *Carminibus*; qui-
p. 190. bus accesserunt *S. Gregorii M. Papæ*, Autore incerto, & *S. Wal-*
239. *purgis*, Virginis & Abbatissæ Heidenheimensis, Autore Wolf-
256. hardo, Monacho Hasenrietano, *Vitæ*, quæ finem impo-
268. nunt Operi. Atque hæc sunt, quæ in secundo hujus Thesauri Volumine habentur, medii quidem ævi antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta, quæque a Canisio e tenebris in lucem protracta, suo quæque Seculo asserta leguntur a Cl. Basnagio. Neque hic suam desiderari passus fuit industriam Vir doctissimus, cujus unice studio & labori debemus, quod adeo politus & excultus prodeat ille Lectionum Canisii Tomus secundus. Etenim præter Præfationes Historicas, unicuique Autorum notas adjecit & animadversiones Criticas, quæ dum magna ubique doctrina refertæ sunt, non possunt non lucem fœnerare medii ævi Historiæ, in tanta Doctorum paucitate, tanto ingeniorum stupore, interdum obscurissimæ. Quæ peculiares sint Operis hujus virtutes, nuper exposuimus, de reliquis, quæ adhuc supersunt, Voluminibus proxime dicturi.

I CESARI IN METALLO GRANDE DA GIULIO Cesare sino al Elio &c.

i. e.

IMPERATORES IN ÆRE MAGNO A JULIO Cæsare usque ad Ælium collecti in Museo Farnesiano; Tomus VI, Autore PAULO PEDRUSIO, *S. J.*

Parmæ, e Typogr. Ducali, 1714, f.

Alph. 4 pl. 18 Tabb. æn. 40.

I CESARI IN METALLO GRANDE &c.

i. e.

IMPERATORES IN ÆRE MAGNO, AB ANtonino Pio usque ad Gordianum III; Tomus VII, eodem Autore.

Ibidem, 1717, f. Alph. 5 pl. 8 Tabb. æn. 43.

CESARI IN METALLO GRANDE, CON PARte di Cesari in Metallo mezzano &c.

i. e.

IMPERATORES IN ÆRE MAGNO A M. J. Philippo usque ad Posthumum, cum parte Imperatorum in ære mediocri & minimo; Tomus VIII, Opus posthumum ejusdem Autoris.

Ibidem, 1721, f Alph. 2 Tabb. æn. 23.

I CESARI IN METALLO MEZZANO e Piccolo &c.

i. e.

IMPERATORES IN ÆRE MEDIOCRI ET minimo; Tomus IX, qui complectitur nummos Domitiani, Domitillæ & Juliæ Titi; opera PETRI PIOVENE, S. J.

Parmæ, e Typographia Ducali, 1724, f.
Alph. 3 pl. 5 Tabb. æn. maj. 9 cum aliis passim insertis.


Operis præclari, & cum immortali laude Serenissimi Parmensium Ducis, FRANCISCI I, cujus auspiciis id proonjuncti, intermortuam quodammodo, incertum quo casu, Actis nostris memoriam peropportune resuscitavit Tomus s, qui superiori anno Cl. *Petri Piovenii*, S. J. cui partes *Paurusii*, e vivis erepti, mandatæ sunt, cura lucem adspexit. l eum evolvimus, facile patuit, quanto intervallo deces-ı suum Piovenius post se relinquat. Omnia hic splendidiora arent, si externum libri habitum spectes, si interiorem ejus um rationemque, explicationes nummorum eas dedit Vir tissimus, quas harum literarum studiosi, quibus minus juventuti probis moribus imbuendæ scripsisse visus est sius; ceteroqui laude sua minime defraudandus, in prio-Operis hujus Tomis requirebant. Id ei commune cum Pe-, ut omnia omnino numismata, nullo habito discrimine, intellectu difficilia sint, an obvia, pridem vulgata & nullplicationis magnopere indiga, percenseat; pergendum


 enim

enim fuit, qua cœpit ille, ne opus, saltem quod ad Cæsareos nummos attinet, sibi nimis dissimile redderetur. Discedit ab eo, quod non contentus numismata qualicunque luce perfudisse, ut, quo spectent symbola eorum, pateat, Chronologica cumprimis & Geographica sectatur, iisque diutius insistit, quæ difficultatis plena dissensum inter viros doctos pepererunt, & plano omnia perspicuoque stilo exsequitur. Ac postulabat sane Farnesiani Thesauri dignitas & splendor, ut paulo diligentius curatiusque posthac ejus opes exponerentur, imprimis ex quo auctus ille est insigni accessione gazæ Foucaldinæ, quam Sereniss. Parmensium Dux, ne quid antiquariæ suæ penui deesset, ex Gallia comparavit. Neque enim, ut notum, intra mensuram supellectilis, qualem privati sibi vulgo colligunt, illa substitit, sed omnium earum, quæ Galliam ornant, excepta Regia, quæ Versaliis asservatur, facile & amplissima & lectissima fuit, in qua juncta felici sidere spectare licuit, quæ summus Regis Christianissimi, Ludovici XIX, quondam administer, Colbertus, & filius, Marchio Seignelajus, atque, ut Patinum taceamus, Comes Lazara & Abbates eruditissimi, Dronius & Bracesius, separatim magno studio nec minori successu collegerunt. Hæc gaza, in Thesaurum Farnesianum illata, quam describere olim & Gallandus parabat, virum integris viribus, eruditione haud vulgari & sagaci ingenio requirebat, qui ita pertexeret cœptam a Pedrusio telam, ut expectationi hominum doctorum omni ex parte satisfaceret. Eum non tam polliceri in futurum, quam repræsentare nunc videtur Cl. Piovenius: quid præstiterit in primo laboris sui specimine, quod Tomus hujus Operis nonus exhibet, exempla docebunt a nobis afferenda, ubi de præcedentibus tribus Tomis (primos enim quinque Tomos alibi in Actis nostris accurate recensuimus) generatim nonnihil dixerimus.

Sextus nempe seriem nummorum æneorum primi moduli orditur a Julio Cæsare, eamque postea persequitur usque ad L. Ælium. In Præfatione Cl. Pedrusius respondet auctoribus Diarii Italici, qui ad quintum Operis Tomum, quo *Medalliones*, quos appellant, apponuntur, varia monuerant. In *septimo* primum locum occupant nummi Antonini Pii, Gordiani III postremum. Præfatio ejusdem est generis & refellendis iis, quæ contra




Fig. 7.


Fig. 2.
Fig. 4.
Fig. 3.
Fig. 1.

Hymni Sacri antiquorum Patrum Monasterii S. Galli, cum *Salo-*
p. 190. *monis*, Episcopi, ad Dadonem, Episcopum, *Carminibus*; qui-
239. bus accesserunt *S. Gregorii M. Papæ*, Autore incerto, & *S. Wal-*
256. *purgis*, Virginis & Abbatissæ Heidenheimensis, Autore Wolf-
268. hardo, Monacho Hasenrietano, *Vitæ*, quæ finem impo-
nunt Operi. Atque hæc sunt, quæ in secundo hujus Thesauri Volumine habentur, medii quidem ævi antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta, quæque a Canisio e tenebris in lucem protracta, suo quæque Seculo asserta leguntur a Cl. Basnagio. Neque hic suam desiderari passus fuit industriam Vir doctissimus, cujus unice studio & labori debemus, quod adeo politus & excultus prodeat ille Lectionum Canisii Tomus secundus. Etenim præter Præfationes Historicas, unicuique Autorum notas adjecit & animadversiones Criticas, quæ dum magna ubique doctrina refertæ sunt, non possunt non lucem fœnerare medii ævi Historiæ, in tanta Doctorum paucitate, tanto ingeniorum stupore, interdum obscurissimæ. Quæ peculiares sint Operis hujus virtutes, nuper exposuimus, de reliquis, quæ adhuc supersunt, Voluminibus proxime dicturi.

I CESARI IN METALLO GRANDE DA GIULIO Cesare sino al Elio &c.

i. e.

IMPERATORES IN ÆRE MAGNO A JU-lio Cæsare usque ad Ælium collecti in Museo Farnesiano; Tomus VI, Autore PAULO PEDRUSIO, *S. J.*

Parmæ, e Typogr. Ducali, 1714, f.
Alph. 4 pl. 18 Tabb. æn. 40.

I CESARI IN METALLO GRANDE &c.

i. e.

IMPERATORES IN ÆRE MAGNO, AB Antonino Pio usque ad Gordianum III; Tomus VII, eodem Autore.

Ibidem, 1717, f. Alph. 5 pl. 8 Tabb. æn. 43.

I CE-

'ESARI IN METALLO GRANDE, CON PARte di Cesari in Metallo mezzano &c.

i. e.

PERATORES IN ÆRE MAGNO A M. J. hilippo usque ad Posthumum, cum parte Imperatorum in ære mediocri & minimo; Tomus VIII, Opus posthumum ejusdem Autoris.

Ibidem, 1721, f Alph. 2 Tabb. æn. 23.

I CESARI IN METALLO MEZZANO e Piccolo &c.

i. e.

PERATORES IN ÆRE MEDIOCRI ET mo; Tomus IX, qui complectitur nummos Domitiani, Domitillæ & Juliæ Titi; opera PETRI PIOVENE, *S. J.*


Parmæ, e Typographia Ducali, 1724, f.
Alph. 3 pl. 5 Tabb. æn. maj. 9 cum aliis passim insertis.


'eris præclari, & cum immortali laude Serenissimi Parmensium Ducis, FRANCISCI I, cujus auspiciis id proonjuncti, intermortuam quodammodo, incertum quo casu, Actis nostris memoriam peropportune resuscitavit Tomus ', qui superiori anno Cl. *Petri Piovenii*, S. J. cui partes *Paurusii*, e vivis erepti, mandatæ sunt, cura lucem adspexit. l eum evolvimus, facile patuit, quanto intervallo deces- ı suum Piovenius post se relinquat. Omnia hic splendidiora arent, si externum libri habitum spectes, si interiorem ejus ım rationemque, explicationes nummorum eas dedit Vir tissimus, quas harum literarum studiosi, quibus minus juventuti probis moribus imbuendæ scripsisse visus est ısius, ceteroqui laude sua minime defraudandus, in prio- Operis hujus Tomis requirebant. Id ei commune cum Pe- ›, ut omnia omnino numismata, nullo habito discrimine, : intellectu difficilia sint, an obvia, pridem vulgata & nulxplicationis magnopere indiga, percenseat; pergendum

 enim

enim fuit, qua cœpit ille, ne opus, saltem quod ad Cæsareos nummos attinet, sibi nimis dissimile redderetur. Discedit ab eo, quod non contentus numisinata qualicunque luce perfudisse, ut, quo spectent symbola eorum, pateat, Chronologica cumprimis & Geographica sectatur, iisque diutius insistit, quæ difficultatis plena dissensum inter viros doctos pepererunt, & plano omnia perspicuoque stilo exsequitur. Ac postulabat sane Farnesiani Thesauri dignitas & splendor, ut paulo diligentius curatiusque posthac ejus opes exponerentur, imprimis ex quo auctus ille est insigni accessione gazæ Foucaldinæ, quam Serenisf. Parmensium Dux, ne quid antiquariæ suæ penui deesset, ex Gallia comparavit. Neque enim, ut notum, intra mensuram supellectilis, qualem privati sibi vulgo colligunt, illa substitit, sed omnium earum, quæ Galliam ornant, excepta Regia, quæ Versaliis asservatur, facile & amplissima & lectissima fuit, in qua juncta felici sidere spectare licuit, quæ summus Regis Christianissimi, Ludovici XIX, quondam administer, Colbertus, & filius, Marchio Seignelajus, atque, ut Patinum taceamus, Comes Lazara & Abbates eruditissimi, Dronius & Bracesius, separatim magno studio nec minori successu collegerunt. Hæc gaza, in Thesaurum Farnesianum illata, quam describere olim & Gallandus parabat, virum integris viribus, eruditione haud vulgari & sagaci ingenio requirebat, qui ita pertexeret cœptam a Pedrusio telam, ut expectationi hominum doctorum omni ex parte satisfaceret. Eum non tam polliceri in futurum, quam repræsentare nunc videtur Cl. Piovenius: quid præstiterit in primo laboris sui specimine, quod Tomus hujus Operis nonus exhibet, exempla docebunt a nobis afferenda, ubi de præcedentibus tribus Tomis (primos enim quinque Tomos alibi in Actis nostris accurate recensuimus) generatim nonnihil dixerimus.

Sextus nempe seriem nummorum æneorum primi moduli orditur a Julio Cæsare, eamque postea persequitur usque ad L. Ælium. In Præfatione Cl. Pedrusius respondet autoribus Diarii Italici, qui ad quintum Operis Tomum, quo *Medalliones*, quos appellant, apponuntur, varia monuerant. In *septimo* primum locum occupant nummi Antonini Pii, Gordiani III postremum. Præfatio ejusdem est generis & refellendis iis, quæ contra




Fig.2.
Fig.4.
Fig.3.
Fig.1.
Fig.7.

ultra sextum Tomum ...
scriptores, occupatur ...
rum primi moduli suo Po...
modum inchoat, quorum ...
mortuus est C. *Pedrusius*, ...
Pl. Rev. Pionus, cui & To...
missam certis, unde patet, ...
rioris lexi, cum Ranutius ...
maculamerer, gazæ Farnesia...
ram suscepisse. Director Acad...
ab se erectæ, datus jam ante, ...
daretur, pristino muneri non ...
que haud vulgarem ingeni...
Obiit anno hujus seculi vicesim...
simum sextum.

Sed ad Tomum redeund...
Virum, qui in publica commo...
non parum debemus, autor ...
formæ nummos Domitiani, ...
ostendendum nobis exemp...
mandato Vir doctissimus ...
tianus Cæsar COS DES. II. ...
moduli numisma Vespasiani ...
exponeret, quod tum nondu...
termissum. Iconem ejus, ...
tem damus ex thesauro S...
Saxo Gothani, in quo bina ...
reperiuntur. Adversa in pa...
epigraphe: IMP. CAE...
TR. P. P. P. COS. III. ...
dextra hastam tenentes, ...
pacto legenda sit, differ...
legunt: IMP. AVG. ...
AVG. F. DES. Haec ...
voci DES. præmittit CO...
Florentius cum Angelon...

ıtra *fextum* Tomum attulerunt Italicarum ephemeridum
ptores, occupatur. *Octavus* abfolvit nummos æneos Imperato-
ı primi moduli fub Pofthumo, & nummos fecundi & tertii
duli inchoat, quorum poftremi funt Titi. Huic Tomo im-
:tuus eft Cl. *Pedrufius*, cujus iconem proinde & vitam illi a
Rev. *Piovenio*, cui & Tomi hujus editionem debemus, præ-
ām cernas, unde patet, eum ab anno jam octogefimo fupe-
is feculi, cum Ranutius II Parmenfium terrarum guber-
ıla teneret, gazæ Farnefianæ digerendæ defcribendæque cu-
fufcepiffe. Director Academiæ equeftris, in Collegio Ducali
erectæ, datus jam ante, cum nova hæc provincia fibi deman-
tur, priftino muneri non minori diligentia præfuit, & utrin-
haud vulgarem ingenii induftriæque laudem reportavit.
t anno hujus feculi vicefimo, annum ætatis ingreffus feptuage-
m fextum.

Sed ad Tomum redeundum eft *nonum*, qui Cl. *Piovenium*,
m, qui in publica commoda natus videtur, & cui nos quoque
ɔarum debemus, autorem habet. In hoc, qui fecundæ & tertiæ
æ nummos Domitiani, Domitiæ & Juliæ Titi complectitur,
dendum nobis exemplis nonnullis, quo pacto munere fibi
lato Vir doctiffimus fungatur. Occafione nummi, quo Domi-
s Cæfar COS DES. II. dicitur, explicat obiter æneum primi
ıli numifma Vefpafiani, Pedrufio, cum ejus formæ nummos
ıeret, quod tum nondum extabat in gaza Farnefiana, præ-
ffum. Iconem ejus, quæ in opere hoc defideratur, dupli- TAB. I.
damus ex thefauro Sereniffimi FRIDERICI I, Ducis
Gothani, in quo bina ejus exempla, eaque diverfa inter fe, Fig. I.
iuntur. Averfa in parte caput Vefpafiani laureatum, cum
aphe: IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M.
P. P. P. COS. III. In averfa figuræ duæ paludatæ ftantes,
a haftam tenentes, finiftra parazonium. Infcriptio quo
legenda fit, diffentiunt viri docti. Mediobarbus & Valens
t: IMP. AVG. F. COS. DES. IT. CAESAR
. F. DES. Harduinus, eadem lectione retenta, ultimæ
DES. præmittit COS. quod in nummo ipfo defideratur. Cl.
uius cum Angelono legendum cenfet ordine eo, quem alter

typus

typus ex iis, quos delineatos dedimus, manifeste suadet: CAE-
SAR AVG. F. DES. IMP. (quæ quidem verba ad Titum
spectant) AUG. F. COS. DES. IT. (id quod ad Domitia-
num pertinet) eamque legendi rationem argumentis haud unis
p. 29 sqq. verosimillimam reddit. Simili digressione instituta, occasione
nummi Domitiani, in quo templum sex columnarum, differit de
nummis cum epigraphe: ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Α, Β, &
sic porro, sub Vespasiano, Tito, Domitiano & Nerva cusis,
existimatque, eos fuisse didrachmum, quem Judæos Jovi Capito-
lino pendere oportuit; & epigraphen hanc ita interpretatur, ut
seorsim ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ sit *Novi templi* (nempe moneta) &
ΕΤΟΥϹ Α, Β, annos imperii primum, secundum, *reliqua*,
designet. Ceteras interpretationes rejicit propterea, quod sub
Nerva ejusmodi nummi desinant, cujus rei, stante sententia sua,
rationem reddi hanc posse putat, quod Nerva, ut in veteri nummo
est, FISCI JUDAICI CALVMNIAM SUSTULIT,
id quod eo trahit Vir doctissimus, quasi Imperator is didrachmi
TAB. I. tributum remiserit Judæis, quod secus esse, Ill. Spanhemius pri-
Fig. 2. dem evicit. Digna vero est Cl. Piovenii acumine explicatio num-
p. 113. mi, cujus in adversa parte caput Domitiani radiatum cum epigra-
phe: . . . VESP. F. DOMITIAN. AUG. P. M. in aver-
sa Pallas stans, dextra tenens fulmen, sinistra hastam, cum clypeo
ad pedes, adjecta inscriptione: COS. XIII DES. VIIII P. P.
Mirum hic, qua ratione designatus nonum consul appellari
queat, qui consulatum decimum tertium iniit, possitque adeo
credi errore monetarii sculptum ita esse vel pro COS. XIII DES.
XIIII vel pro COS. VIII DES. VIIII. Sed Cl. Piovenius COS.
XIII appellari statuit Domitianum numeratis consulatibus &
suffectis & ordinariis, DES. VIIII vero, ordinariorum tantum
ratione habita, cumque ex consulatibus sex prioribus unum tan-
tum ordinarium gesserit, si quinque illi suffecti demantur, pro-
prie COS. VIII fuisse, cum DES. VIIII scriberetur, additis
vero iisdem, recte COS. XIII appellari. Redarguit hinc Nori-
sium, affirmantem, in lapidibus vetustis nummisque suffectos Do-
mitiani consulatus una cum ordinariis semper connumerari, cum
nummus hic docere contrarium omnino possit. Quæ de nummo
ΙΟΥΔΑΙ-

ΥΑΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ cum epocha p. 167.
P contra Valentem & Norisium disputat Clarissimus Vir,
us minus quam Harduino favet, curatiori examine indi-
, quod instituti præsentis ratio non admittit. Id vero non fa-
equimur, quo pacto in alio simili nummo eum inscriptione
ΑΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΚΛ vel ΧΛ.
ΙΑ, postremas litteras cum Viro doctissimo liceat ΚΟΙΛΗΣ
ΡΙΑΣ ΠΡΟΣ ΛΙΒΑΝΩ interpretari. Inter Domiti-
ummos noti illi, quorum aversa in parte Herodiadæ signati
runt, in quibus explicandis Cl. Piovenius Harduinum du-
equitur, cujus & stemma genealogicum de iis exhibet. Fi- p. 181, 217.
faciat eximii, quo utitur in his monumentis explanandis, coli. 248.
ris singulare exemplum. In nummo Græco Domitiani aversa TAB. I
istit Apin cum litteris: LNA . . . Id Piovenius noster, Fig. 3.
njectarat, erasam esse litteram Π, explicaverat LN. ΑΠ. hoc
NNO NOVI APIDIS, ratus, hunc nummum ad in-
n Apin, cujus rei exemplum Spartianus sub Hadriano me-
, pertinere. Sed post in nummum integriorem incidit, re- Fig. 4.
vidit, legendum esse LENAT. h. e. anno nono, prout
eriori illo inscriptio habet, tametsi in priori illo littera E
sa est, ut vestigia ejus frustra quærantur.

ISTRUM HONORIS DE RICHMOND,
ns Terrarum & Villarum, quæ quondam fuerunt
ini Comitis, infra Richmundshire descriptionem
ex Libro Domesday *in Thesauraria Domini*
Regis &c.

Londini, impensis R. Gosling, 1722, f.
Alph. 5 pl. 4 Tabb. æn. maj. 15.

1 dubitamus, fore lectorum nostrorum nonnullos, qui,
i primas Tituli, cujus initium dedimus, lineas oculis
bunt, taciti secum judicabunt, ipsum opus nihil plane ad
d Anglos fortasse, eosque etiam paucos, unos forte Rich-
enses pertinere, &, ut locum in Annalibus nostris inve-
fecisse raritatem caritatemque libri, a penitus toto divisis

B orbe

orbe Britannis, & quidem ſplendidiſſime impreſſi. Sed hi erunt fere, quibus nondum cognitum eſt atque perſpectum, quam arcta cognatione omnium gentium hiſtoriæ inter ſe junctæ ſint, quam late Germanici mores ſeſe diffuderint, & quantum ex hiſtoriarum morumque illorum etiam apud illos, qui nunc exteri nobis habentur, ſtrenua inquiſitione lucis, utilitatis & ornatus in omnem Jurisprudentiam patriam, maxime autem feudalem, redundet. Faciant periculum in hoc noſtro Honoris Regiſtro, qui ea, quæ diximus, forte nondum habent perſuaſiſſima, & intelligent, hoc ipſo Honoris Regiſtro & Angliæ & Aremoricæ Hiſtoriis lucem affuſam eſſe haud levem, doctiſſima maxime præfatione, qua Autor eruditiſſimus idemque Richmondianarum Antiquitatum ſtudioſiſſimus in illarum gentium Annalibus confuſa multa ordinavit, fabulas expulit, errores correxit, veritatem reſtituit. Delibabimus potiſſima, omiſſis probationibus, conjecturarumque rationibus probatiſſimis, maxime cum libri ea ſit conditio, ut in paucorum manus perventurum credamus.

Galfridus Britanniæ Dux, A. 1008 mortuus, filios reliquit duos Alanum & Eudonem, poſt bella civilia, illum Britanniæ ſeu Aremoricæ Ducem, hunc Comitem. Alano Duci ſucceſſit filius Conanus, ſub Eudonis patrui tutela ſatis diu conſtitutus, cujus tamen ἄπαιδος mortui ditionum potitus eſt Hoelus, Nannetium Comes, nunc, quod Aviciam unicam Conani Ducis Sororem in matrimonio habebat, Britanniæ Dux, pater Alani Ducis, cui Fergant poſtea cognomen fuit. Eudoni A. 1077 defuncto Filii fuerunt, Galfridus, natu maximus, Britannorum Comes, & Alanus Rufus, Alanus Niger, Stephanus, Brianus, Ribaldus, Guilielmi Conquæſtoris in celeberrima expeditione in Angliam ſuſcepta Comites, ubi navatæ ſtrenue operæ etiam nacti ſunt præmia.

Alano Rufo omnia prædia, quibus in agro Eboracenſi fruebatur Edwinus Comes, ſæpius rebellis, quæque in Norfolcienſi, Suffolcienſi aliisque Comitatibus ad eundem Edwinum, Edwinique patrem Algarum pertinuere, ceſſerunt, ita ut Alanus ille aliquando ſe orientalium Anglorum Comitem appellarit, primus ſane Richmondiæ Comes. Succeſſit fratri, ut videtur, cœlibi, Alanus frater cognomento niger, & huic fratrum tertius Stephanus, qui, cum

lium, (quem illius temporis Annales etiam Ni-
, ingenti variis confusionibus aperta fenestra) nu-
Conani III Britannorum Ducis filiæ, Alani Fer-
potitum videret, spem haud imbecillem concepit,
niæ Ducatus Richmondiæque Comitatus in suis
entur. Contigit hoc in Conano IV, Alani Nigri &
tque utinam eidem animus tanta fortuna dignus
nin vero Henrico II. Angliæ Regi prorsus obnoxi-
emum Imperium eidem, pactis inter filium Regis
fridum, & suam quinque annorum filiam Constan-
ermisit, exstinctus A. 1171. Hæ inter Galfridum &
int perfectæ A. 1182, quas A. 1186, Galfridi hominis
patrem rebellis mors est insecuta, relicto ventre,
mo, cujus tutelam varias inter turbas gessit
tia, secundis nuptiis Ranulpho Cestriensi Comiti
mondiæ Honor, seu Comitatus, interea penes
m II, Richardum I, Joannem fuit, qui ex fratre
rum, in Mirabellæ apud Pictavos obsidione A. 1202
A. 1203 inhumana nece sustulisse videtur. Du-
a, nuptiis cum Ranulpho Cestriensi propinquitatis
lutis, ex tertio marito Guidone de Thoarcio dua-
mater, illud facinus in filio unico commissum A.
: prævertit, quo facto Proceres Britanniæ ex istis
abus natu majorem Aliciam Dominam sibi opta-
patri Guidoni de Thoarcio commiserunt, ipsum
Regem apud Philippum Gallum parricidii accusa-
pportunitate usus, cum Joannes in Judicio Parium
inato, licet citatus, non comparuisset, eidem &
: quæ in Normannia & Aquitania Anglis parebant,
mit. Cum in manu & potestate Philippi R. essent
Alicia Britannica Petro de Drocariis sive Malo
in matrimonium collocata, eidemque simul Du-
ssima lege concessus est.
sa, & quod Petrus Regem Philippum arcta cogna-
ret, Britannicæ res Gallicis satis conjunctæ vide-
etri ambitio impotens faciebat, ut & Anglicarum

 par-

partium, licet clam, esset studiosus, eoque pacto Richmondiæ Honore seu Comitatu, regno Joannis exeunte, ineunte vero Henrici III, frueretur. Discedere ab hoc fœdere atque adeo a Comitatu Petrum coegit Ludovicus VIII. Redintegratæ sunt pristinæ pactiones cum Anglis A. 1229. Sed Ludovicus IX tandem dubiæ Petri fidei finem fecit, Ducatu A. 1232 Petro adempto, & filio ejus natu maximo Joanni tradito, qui adulta jam ætate Regis Gallici Clientem se publice Parisiis professus est.

Inde colligere est, Joannem Britannum Honore Richmondiæ caruisse, feudo Anglico, vasallum Gallicum, donec, Regis Henrici III filia Beatrice Joannis filio natu maximo & cognomini nupta multis etiam precibus efficeretur, ut Honor Richmondiæ A. 1268 ad Duces Britanniæ reverteretur, traditus eo nomine Joanni II, qui, patre anno 1286 mortuo, Britanniæ etiam Dux effectus est. In bello inter Eduardum I & Philippum Pulcrum exorto, primum partes Anglicanas secutus est, mox Gallicas, cum Richmondiensis sine dubio Comitatus jactura, sed quem dubio procul recepit pace inter Reges paulo ante funestum suum obitum A. 1354 reconciliata; dum nempe Lugduni, in Clementis V inauguratione, equi, cujus tergo Papa insidebat, habenas moderandi honorario munere fungeretur, muri veteris, magna spectatorum multitudine onerati, ruina oppressus est. In Britanniæ Ducatu successit ei filius Arturus, Honorem Richmundiæ tenuit filius alter Joannes. Hic, cui cum Gallis nihil negotii erat, Eduardo I & II strenuam & fidelem operam navavit, bis Scotiæ Prorex & Custos, bis etiam captivus factus, & quamvis in dissidiis, quæ Regem inter Eduardum II & Reginam Regisque filium Eduardum III oriebantur, honore privaretur, restitutus tamen est ab ipso Eduardo II, donec A. 1330, non 1303, ut in Tabula Genealogica præfationi subjecta per typographicum errorem legitur, & prima fronte turbat, in Britannia moreretur.

Joanni huic successit Joannes III Britanniæ Dux, ex fratre Arturo nepos, qui cum A. 1341 absque sobole moreretur, controversia ingens concitata est inter Joannem Montisfortis Comitem, Arturi Britanniæ Ducis ex secunda conjuge Jolanta filium, Joannis adeo, quem A. 1341 defunctum esse, modo

us, fratrem consanguineum, qui & testamento hunc
em voluerat, & Carolum de Blæsio, qui Joannam,
nthievræ Comitis, fratris germani Joannis, Ducis
functi, filiam, habebat uxorem, cui etiam Ducatum
ex Philippus Valesius adjudicavit; cum Comiti
Eduardus III, ut Gallis inimico, Richmondiensem
liceret. Sed captus est infelix Joannes Montfortensis
aliquot annos carcere liberatus, paulo post mortuus
uo infante tutelæ Eduardi III commendato. Capto
lerat Rex Eduardus Richmundiæ honorem filio Jo-
vo, eoque justiore titulo, ob pactum cum Joanne
initum A. 1341, quo cavebatur, fruiturum Joannem
que dum Rex terras æqualis pretii in Gallia ei assi-
et, quod maxime adimpletum, ubi post prælium ad
quo Carolus de Blæsio A. 1364 ipse occubuit, uni-
æ Ducatus filio illius Joannis Montfortensis, Joanni
t. Recrudescebat inde bellum Anglos inter & Gallos
Joannes Dux post multam dubitationem Anglicas
tulit, Comitatu Richmondiæ recepto, sed magno
enim Britanniæ Ducatu A. 1374 exutus est, per
exul, donec Britones dominatus Gallici pertæsi
it, quorum ope & auxilio Carolum VI ad pacem
dum compulit, A. 1381 homagio Regi præstito
& Montisfortis Comes, felicior, si eo fœdere An-
lisset. Ademtus Comitatus 1385, redditus 1387 at-
(saltim chartæ hoc ita loquuntur) sed anno etiam
mitatum petiit Dux solenni legatione, quem ta-
nnæ, Radulphi Bosset de Drayton Conjugi, con-
. Hæc Richardo II regnante gesta sunt. Henricus
eundem Comitatum primo Regni sui anno, sed
titulo, Radulpho de Neville Comiti Westmorlan-
endum permisit, quo mortuo ad Joannem Bed-
n pervenit, Britanniæ Ducibus ad Annam usque
erpetuum exclusis.

octissimam præfationem ordine sequuntur: Ta-
ca Familiæ Ducalis Britanniæ Comitum Rich-

mondiæ; Sigilla Alani Fergant, Stephani Ducis, Conani IV, Galfridi, Petri de Drocariis, Aliciæ, Petri de Sabaudia, qui A. 1269 obiit, &, dum vixit, Comitatum Richmondiæ per aliquod tempus possedit, Joannis I & II Ducum Britanniæ & Comitum Richmondiæ, Joannis de Britannia Comitis Richmondiæ, Joannis IV, Joannis Gandavensis, Joannis V; Tabula Geographica Richmondiæ Comitatus & Alvertunæ Shiræ; ipsum denique Honoris sive Feudi Richmondiani Registrum sive Catastrum, uti illud in Libro Domesday seu magno libro feudali in Thesauraria domini Regis asservato legitur, excerptum olim ex isto libro venerandæ antiquitatis, codicique, cum aliis ad Richmondiensem Honorem pertinentibus, inscriptum; tempore, ut ex charactere videtur, Radulphi de Neville Comitis Westmorlandiæ, regnante Henrico IV istis regionibus præfecti. Addita est ab doctissimo Editore copiosissima appendix monumentorum CLXVIII, easdem antiquitates mire illustrantium.

In calce denique eruditæ observationes in Registrum honoris & reliqua monumenta annectuntur, ex quibus nonnulla spe-
p. 233. ciminis loco delibabimus. Alani Comitis frater, Eudonis filius,
est Scriptoribus Anglis Ribaldus quidam, quem ignorant Aremorici, Robertum laudantes, de quo tacent Angli. Verisimile est, Roberto illi Ribaldi datum esse cognomen; at enim vero non ob ignaviam, sed fortitudinis causa; annotarunt hoc Pasquierius & Menagius, sed originem vocis ignorarunt; est autem Cambro-Britannis *Rhyvel* bellum & prælium, adeoque *Rhyvallus* homo
237. fortis & bellicosus. Vocabuli *Fines* significatus sunt varii medio
ævo, Spelmanno aliisque Glossariographis observati; reditum quendam annuum supremo Feudi domino solvendum significasse aliquando, ex Extensa sub Henrico II R. facta discimus. Item
248. non injucundum nec inutile est, quod de Maritagio affertur, quod
fuit Jus, Domino Feudi competens, tenenetes de eo per servitium militare in minoritate eorum maritandi, pro quo consensu censum solvebant, secundum valorem terrarum suarum. Gula Augusti est Festum S. Petri ad Vincula Kalendis Augusti. Unde vero hoc nominis? Nostro videtur idem, quod Danis est & Sa-
284. xonibus *Jol, Jul, Jiul*, comessatio, inde Festo natalitio Servatoris

ri nomen, quod isto fere tempore Ethnici convivia & nomen etiam Kalendis Augusti, Festo ad Augusti stituto. In Registro *Gresmannos* legimus, quorum ctores, quos invenerunt in foresta, ducere ad Ca- iondiæ, dicti a gramine, cujus cura & tutela ipsis a, *Grassmanner*; gramen nempe non Anglis modo sed Germanis quibuscunque *Grass* vocatur. Tria corona Regi debuere auxilia, ad primogenitum n militem faciendum, ad primogenitam filiam, & ad se ipsum a captivitate redimendum. es Vasallos tenentes ab inferioribus Dominis his is regiis ad tenentes Joannis de Britannia Comitis atet. Sed tandem & nos manum de libro.

p. 258.

267.

ES ET NEGOCIATIONS ENTRE Mr. Jean de Wit &c.

i. e.

MUTUÆ ATQUE NEGOTIA r JOHANNEM DE WIT, Hollan- arium, & Legatos Statuum Fœderatorum in aulis variis.

Volumina IV.

cd. ap. Jansonio - Waesbergios, 1725, 12.

Alph. 4 plag. 3.

item

UTIONS IMPORTANTES &c.

i e.

QUÆDAM MOMENTOSA STA- atorum Belgii, durante Ministerio JO- IANNIS DE WIT facta.

od. ap. Jansonio-Waesbergios, 1725, 12.

Plag. 21.

ia circumlata sunt hucusque acta Wittiorum, ita , quo longius a tristibus eorum fatis tempora pertius & copiosius defendantur. Eo certe con-

silio

ſilio commercia literaria Johannis Wittii cum quibusdam Reipublicæ nomine ad exteros Principes ablegatis in lucem cœperunt proferri. Partem enim eorum nunc tantum ſiſtimus, ſcripta ſcilicet ab anno 1652 usque ad 1669 inter Wittium Borellumque atque Beuningium & Petrum Grotium, quorum illi in Gallia, hic apud Suecos Batavorum res curabat. Alia deinceps expectare jubemur, atque adeo omnia publico promittuntur, quæ ſibi mutuo Wittius & alii alio miſſi Batavorum Miniſtri nuntiaverunt. Ita quidem illud facillime ſe obtenturos, neque fruſtra, ſperant editores, ut non ex ſola rerum geſtarum ſuperficie, non ex conſiliorum eventibus tantum, non ex rumoribus temere ſparſis, de ſincero viri ſummi Rempublicam adjuvandi ſtudio judicium fiat, ſed ex ipſis animi cogitationibus, ex primis actionum principiis, ex mentis ad verum ſcopum intentionibus, quarum arcana epiſtolæ ejusmodi ſolent pandere. Cum itaque *Baſnagius*, poſt multos alios, in *Reipublicæ Batavæ hiſtoria* Wittium repræſentaſſet, tanquam Gallis, etiam cum diſpendio commodorum patriæ, prorſus addictum, nec negari queat, quod talis in ſpeciem fuerit; documento tamen eſſe debent hæc Volumina, a Batavorum Penſionario formam hanc indutam fuiſſe, non, quod Galliæ faveret, ſed ut ſuis conſuleret. Scilicet, cum difficili bello cum Cronwellio implicita eſſet Reſpublica, illi quantocyus finiendo, ſuſpicio Anglis injicienda fuit de fœdere inter Gallos & Batavos coarctando, quod Monaſterienſis pax aliquantum laxaverat. Propterea miſſus in Galliam *Borellus*, vir de neceſſitate & utilitate conjunctionis cum Gallia penitus perſuaſus. Id in uſum ſuum vertebat Wittius, &, quamvis ipſe tutum cum Gallis fœdus nunquam crediſſet, nec inire unquam ſerio cuperet, prævidens ſcilicet, quod Galli Belgio cum magno Batavorum diſcrimine inhient, diſſimulabat nihilominus rem ad Borellum & ita conſtanter ſcribebat, ac ſi & ipſe arctiorem cum Gallia nexum optaret. Hinc per aliquot annos, quoniam poſt finitum etiam cum Anglis bellum odia tamen ſemper & arma inde oſtentabantur, Borellus nil aliud egit, quam ut de fœdere ineundo apud Ludovicum laboraret & formas ejus atque conditiones varias proponeret vel acciperet, neque tamen, ita volente ſcilicet Wittio, quic-

quicquam perficeret. Rebus autem in Anglia mutatis & Rege restituto, animus a Wittio eo applicandus erat, unde prius abhorrebat, ne, dum infesta omnia metuenda essent a Britannia, cum Gallis etiam infida pax foret. *Beuningius* ergo ad hos cum amplioribus mandatis ablegatur, eoque operam dante fœdus demum initur, in quod adeo invitus Pensionarius pertractus, imo negotium hoc omnino abjecturus fuisse dicitur, si Hispani citius ea proposuissent, quæ aperiebant, cum jam de omnibus convenisset. Verum, non minas tantum Britannorum irritas per hoc fœdus reddi, sed & non adeo liberam fore Gallis arbitrabatur Belgii Hispanici oppressionem, quam dudum metuebant sagaciores. Quam solida spes hæc fuerit, non definiemus, cum manifestum sit, Gallos contra fœderi Batavo manus ideo dedisse, ut arma minus impedita Belgio Hisp. possent inferre. Id saltem ex epistolis, præsertim ad Beuningium, volunt constare editores, nihil hic, vel in Galliæ gratiam, vel ob propria commoda, vel odio cujuscunque, ab eo factum, neque secretiora Reipublicæ cum *Comite d' Estrades*, legato Gallico, communicata fuisse. Multa proin cum illo amicius & quasi Galliæ commoda pro lege suprema habiturum egisse, quin & de Belgii divisione proposuisse, conceditur, tanta cum candoris specie, ut ipse legatus, credens istis coloribus, Regi suo, magis cauto, omnem de Wittio suspicionem eximere laboraverit, unde in literis Estradianis multa occurrant, quæ sinistram opinionem de Wittio alere queant. Ex ipsius autem scriptis patere, Pensionarium Galliæ consilia & vidisse & turbanda censuisse, omnemque istam amicitiæ simulationem eo usurpasse, ut magis magisque in illorum arcana penetrare, & quid objiciendum sit tendentibus ad opprimendam Europam, posset invenire. Id quidem aperte proditum, cum finito bello Britannico, Gallis, qui Belgium paulo ante invaserant, triplex fœdus opponendum curaret, idque tanto cum ardore, ut quinque diebus, insolita Batavis festinatione, cum *Templio*, Britanniæ legato, omnia transigeret. Quod si quis hoc nimis festinatum dicat, observatur, tenacem valde propositi, quod semel utile Reipublicæ judicarit, Wittium fuisse, ita, ut nec ob historicorum iniquitatem, nec ob malevolorum iras, cautiones solitas,

quæ dum curantur, occasiones bene agendi sæpius elabuntur, in istiusmodi negotiis adhibendas judicaverit. Hæc docere & confirmare volumina ista debent. An satis idonee, lecturi judicabunt. Nobis, quibus rebus ibi sit attendendum, exposuisse sufficiat. Id addimus, quod de Wittio apud *Burnetum* talia legisse recordemur, quæ non ab erroribus quidem politicis, ast a dolo & mala fide virum æterna dignum memoria liberant.

ANTIQUITATES PLOCENSES, ET ADjunctarum Prezzin & Elbenau Burggraviatus Magdeburgici, Diœceseos Gomeranæ, quibus earum statum civilem & Ecclesiasticum, inde ab Ottone M. Imp. eruit & illustrat M. JUSTUS CHRISTIANUS THORSCHMIDT, Plocensium & reliqu. Pastor.

Lipsiæ, apud hæredes Lanckisianos, 1725, 4.

Plag. 16.

CL. & Plurimum Rev. Autor, quem varia Academica scripta jam satis commendarunt, quemque sibi litteræ totum vindicaturæ erant, nisi Ecclesiæ magis necessarius a Proceribus habitus fuisset, innocentem hanc Sacerdoti duxit voluptatem, si, quod temporis datur a sacratioribus curis reliquum, consignandæ loci, in quo vivit, rerumque ibi gestarum historiæ consecraret. Ideo & Parochiæ suæ historiam, Saxoniæ S. celeberrimam olim particulam, hoc in Tractatu describendam suscepit. In præfixo Procemio modeste refellit eos, qui Sacerdotem, curato officio adscriptum, debere talia, ad historiam spectantia, tractare argumenta, negant, atque omne illud tempus, quod non in profundiore rerum divinarum contemplatione collocatur, deperditum plane arbitrantur. Tractatus ipse in tres Partes dispescitur.

Pars I Plocenses continet Antiquitates, earumque Sectio I civilem Antiquitatum harum historiam. Caput I hujus Sectionis variam & olim, & adhuc hodie receptam nominis pronuntiationem; Cap. II Personas imperantes recenset. Distinguitur hoc

hoc Caput in certas Periodos v. g. Originum, Carolinam, Saxonum, Anhaltinorum & Misnensium; ubi imprimis inter Anhaltinos Principes de Illustrissimi Alberti Ursi meritis, & de deportatis ab eo e Germania inferiore colonis Flamingicis, nec non de controversiis, quæ passim ex Jure publico hic agitantur, multa notatu digna ex actis istorum temporum depromuntur. Caput III circa rem judiciariam versatur. Obtulit vero se Cl. Autori, in Plocensium Magistratus, Judices ac Jura inquirenti, Codex Speculi Saxonici veteris MSptus, quo quondam usi sunt hujus vici Judex & Scabini, quique manu recentiore ad marginem signatus, & breviusculis, ex Jure Provinciali Saxonico haustis, Observationibus auctus fuit; ut & liber Scabinorum Judicialis (*Sceppen Bock tho Plotzke*) ex Seculo XV, in quo Scribæ oppidani manu relata leguntur, quæ Plocensis Magistratus ordinem ac negotia describunt. Caput IV Personas parentes, & civium quondam Plocensium statum; Caput denique V etiam res antiquitus hic locorum gestas, imprimis varia de Hunnis, de Magdeburgico-Servestano & tricennali bello Germanico memoratu digna enarrat.

Partis I. Sectio II historiam Plocensem sistit Ecclesiasticam, ejusque Cap. I Christianismi horum incolarum initia. Antiqua Bardorum sede indicata, conversionis primordium a Caroli M. tempestate dirivatur, a qua Frisonum colonias in Ducatu Magdeburgico in villis Santersleve superesse, Meibomius observat. Latius sparsere Ottonis tempora lucem Evangelii, quippe quibus Sclavorum gens vel conversa, vel oppressa fuit. Ut res sacræ in Sclavorum terra magis & magis amplificarentur, eleemosynas multi probi legarunt, illorum destinatas usui, qui divinam doctrinam in Sclavia plantarent aut reciperent. Facit etiam Cl. Autor in hoc capite quorundam Diplomatum mentionem, quibus ab Ottone M. tractus Gomeranus, & speciatim Plochwisci, i. e. Plœzke, S. Mauritio Magdeburg. donatus fuit. Cap. II describit templum Parochiale, & simul mensulas illas, altaris lapidibus quondam insertas, atque templa extruendi morem a Flamingis receptum. Cap. III Plocense Monasterium ejusque situm ac modernum statum contemplatur. Cœnobium hoc Virginum Ordi-

orbe Britannis, & quidem splendidissime impressi. Sed hi erunt fere, quibus nondum cognitum est atque perspectum, quam arcta cognatione omnium gentium historiæ inter se junctæ sint, quam late Germanici mores sese diffuderint, & quantum ex historiarum morumque illorum etiam apud illos, qui nunc exteri nobis habentur, strenua inquisitione lucis, utilitatis & ornatus in omnem Jurisprudentiam patriam, maxime autem feudalem, redundet. Faciant periculum in hoc nostro Honoris Registro, qui ea, quæ diximus, forte nondum habent persuasissima, & intelligent, hoc ipso Honoris Registro & Angliæ & Aremoricæ Historiis lucem affusam esse haud levem, doctissima maxime præfatione, qua Autor eruditissimus idemque Richmondianarum Antiquitatum studiosissimus in illarum gentium Annalibus confusa multa ordinavit, fabulas expulit, errores correxit, veritatem restituit. Delibabimus potissima, omissis probationibus, conjecturarumque rationibus probatissimis, maxime cum libri ea sit conditio, ut in paucorum manus perventurum credamus.

Galfridus Britanniæ Dux, A. 1008 mortuus, filios reliquit duos Alanum & Eudonem, post bella civilia, illum Britanniæ seu Aremoricæ Ducem, hunc Comitem. Alano Duci successit filius Conanus, sub Eudonis patrui tutela satis diu constitutus, cujus tamen ἄπαιδος mortui ditionum potitus est Hoelus, Nannetium Comes, nunc, quod Aviciam unicam Conani Ducis Sororem in matrimonio habebat, Britanniæ Dux, pater Alani Ducis, cui Fergant postea cognomen fuit. Eudoni A. 1077 defuncto Filii fuerunt, Galfridus, natu maximus, Britannorum Comes, & Alanus Rufus, Alanus Niger, Stephanus, Brianus, Ribaldus, Guilielmi Conquæstoris in celeberrima expeditione in Angliam suscepta Comites, ubi navatæ strenue operæ etiam nacti sunt præmia.

Alano Rufo omnia prædia, quibus in agro Eboracensi fruebatur Edwinus Comes, sæpius rebellis, quæque in Norfolciensi, Suffolciensi aliisque Comitatibus ad eundem Edwinum, Edwinique patrem Algarum pertinuere, cesserunt, ita ut Alanus ille aliquando se orientalium Anglorum Comitem appellarit, primus sane Richmondiæ Comes. Successit fratri, ut videtur, cœlibi, Alanus frater cognomento niger, & huic fratrum tertius Stephanus, qui,

cum

cum Alanum filium, (quem illius temporis Annales etiam Nigrum appellant, ingenti variis confusionibus aperta fenestra) nuptiis Berthæ, Conani III Britannorum Ducis filiæ, Alani Fergantii, nepotis potitum videret, spem haud imbecillem concepit, fore, ut Britanniæ Ducatus Richmondiæque Comitatus in suis posteris jungerentur. Contigit hoc in Conano IV, Alani Nigri & Berthæ filio; atque utinam eidem animus tanta fortuna dignus contigisset: at enim vero Henrico II. Angliæ Regi prorsus obnoxius, Ducatus supremum Imperium eidem, pactis inter filium Regis octennem, Galfridum, & suam quinque annorum filiam Constantiam nuptiis, permisit, exstinctus A. 1171. Hæ inter Galfridum & Constantiam sunt perfectæ A. 1182, quas A. 1186, Galfridi hominis refractarii & in patrem rebellis mors est insecuta, relicto ventre, Arturo posthumo, cujus tutelam varias inter turbas gessit mater Constantia, secundis nuptiis Ranulpho Cestriensi Comiti copulata. Richmondiæ Honor, seu Comitatus, interea penes Reges Henricum II, Richardum I, Joannem fuit, qui ex fratre nepotem Arturum, in Mirabellæ apud Pictavos obsidione A. 1202 interceptum, A. 1203 inhumana nece sustulisse videtur. Ducissa Constantia, nuptiis cum Ranulpho Cestriensi propinquitatis prætextu dissolutis, ex tertio marito Guidone de Thoarcio duarum filiarum mater, illud facinus in filio unico commissum A. 1201 sua morte prævertit, quo facto Proceres Britanniæ ex istis Constantiæ filiabus natu majorem Aliciam Dominam sibi optarunt, tutelam patri Guidoni de Thoarcio commiserunt, ipsum vero Joannem Regem apud Philippum Gallum parricidii accusarunt, qui hac opportunitate usus, cum Joannes in Judicio Parium a Philippo ordinato, licet citatus, non comparuisset, eidem & Britanniam, & quæ in Normannia & Aquitania Anglis parebant, fere omnia ademit. Cum in manu & potestate Philippi R. essent res Britonum, Alicia Britannica Petro de Drocariis sive Malo Clerico A. 1212 in matrimonium collocata, eidemque simul Ducatus, sed durissima lege concessus est.

Hac de causa, & quod Petrus Regem Philippum arcta cognatione contingeret, Britannicæ res Gallicis satis conjunctæ videbantur. Sed Petri ambitio impotens faciebat, ut & Anglicarum

 par-

partium, licet clam, esset studiosus, eoque pacto Richmondiæ Honore seu Comitatu, regno Joannis exeunte, ineunte vero Henrici III, frueretur. Discedere ab hoc fœdere atque adeo a Comitatu Petrum coegit Ludovicus VIII. Redintegratæ sunt pristinæ pactiones cum Anglis A. 1229. Sed Ludovicus IX tandem dubiæ Petri fidei finem fecit, Ducatu A. 1232 Petro adempto, & filio ejus natu maximo Joanni tradito, qui adulta jam ætate Regis Gallici Clientem se publice Parisiis professus est.

Inde colligere est, Joannem Britannum Honore Richmondiæ caruisse, feudo Anglico, vasallum Gallicum, donec, Regis Henrici III filia Beatrice Joannis filio natu maximo & cognomini nupta multis etiam precibus efficeretur, ut Honor Richmondiæ A. 1268 ad Duces Britanniæ reverteretur, traditus eo nomine Joanni II, qui, patre anno 1286 mortuo, Britanniæ etiam Dux effectus est. In bello inter Eduardum I & Philippum Pulcrum exorto, primum partes Anglicanas secutus est, mox Gallicas, cum Richmondiensis sine dubio Comitatus jactura, sed quem dubio procul recepit pace inter Reges paulo ante funestum suum obitum A. 1354 reconciliata; dum nempe Lugduni, in Clementis V inauguratione, equi, cujus tergo Papa insidebat, habenas moderandi honorario munere fungeretur, muri veteris, magna spectatorum multitudine onerati, ruina oppressus est. In Britanniæ Ducatu successit ei filius Arturus, Honorem Richmundiæ tenuit filius alter Joannes. Hic, cui cum Gallis nihil negotii erat, Eduardo I & II strenuam & fidelem operam navavit, bis Scotiæ Prorex & Custos, bis etiam captivus factus, & quamvis in dissidiis, quæ Regem inter Eduardum II & Reginam Regisque filium Eduardum III oriebantur, honore privaretur, restitutus tamen est ab ipso Eduardo II, donec A. 1330, non 1303, ut in Tabula Genealogica præfationi subjecta per typographicum errorem legitur, & prima fronte turbat, in Britannia moreretur.

Joanni huic successit Joannes III Britanniæ Dux, ex fratre Arturo nepos, qui cum A. 1341 absque sobole moreretur, controversia ingens concitata est inter Joannem Montisfortis Comitem, Arturi Britanniæ Ducis ex secunda conjuge Jolanta filium, Joannis adeo, quem A. 1341 defunctum esse,
modo

modo diximus, fratrem consanguineum, qui & testamento hunc sibi successorem voluerat, & Carolum de Blæsio, qui Joannam, Guidonis Penthievræ Comitis, fratris germani Joannis, Ducis novissime defuncti, filiam, habebat uxorem, cui etiam Ducatum Galliarum Rex Philippus Valesius adjudicavit; cum Comiti Montisfortis Eduardus III, ut Gallis inimico, Richmondiensem honorem addiceret. Sed captus est infelix Joannes Montfortensis a Gallis, & post aliquot annos carcere liberatus, paulo post mortuus est 1345, filio suo infante tutelæ Eduardi III commendato. Capto Joanne, contulerat Rex Eduardus Richmundiæ honorem filio Joanni de Gandavo, eoque justiore titulo, ob pactum cum Joanne Montfortensi initum A. 1341, quo cavebatur, fruiturum Joannem Comitatu, usque dum Rex terras æqualis pretii in Gallia ei assignandas curaret, quod maxime adimpletum, ubi post prælium ad Auracum, in quo Carolus de Blæsio A. 1364 ipse occubuit, universus Britanniæ Ducatus filio illius Joannis Montfortensis, Joanni IV, restitutus est. Recrudescebat inde bellum Anglos inter & Gallos A. 1367, in quo Joannes Dux post multam dubitationem Anglicas res Gallicis prætulit, Comitatu Richmondiæ recepto, sed magno suo malo. Ipso enim Britanniæ Ducatu A. 1374 exutus est, per plures annos exul, donec Britones dominatus Gallici pertæsi eum respicerent, quorum ope & auxilio Carolum VI ad pacem & fœdus petendum compulit, A. 1381 homagio Regi præstito Britanniæ Dux & Montisfortis Comes, felicior, si eo fœdere Anglos non offendisset. Ademtus Comitatus 1385, redditus 1387 atque iterum 1398 (saltim chartæ hoc ita loquuntur) sed anno etiam 1391 eundem Comitatum petiit Dux solenni legatione, quem tamen A. 1398 Joannæ, Radulphi Bosset de Drayton Conjugi, concessum legimus. Hæc Richardo II regnante gesta sunt. Henricus IV Angliæ Rex eundem Comitatum primo Regni sui anno, sed absque Comitis titulo, Radulpho de Neville Comiti Westmorlandiæ in vitam tenendum permisit, quo mortuo ad Joannem Bedfordiæ Comitem pervenit, Britanniæ Ducibus ad Annam usque Britannicam in perpetuum exclusis.

Post hanc doctissimam præfationem ordine sequuntur: Tabula Genealogica Familiæ Ducalis Britanniæ Comitum Richmon-

orbe Britannis, & quidem splendidissime impressi. Sed hi erunt fere, quibus nondum cognitum est atque perspectum, quam arcta cognatione omnium gentium historiæ inter se junctæ sint, quam late Germanici mores sese diffuderint, & quantum ex historiarum morumque illorum etiam apud illos, qui nunc exteri nobis habentur, strenua inquisitione lucis, utilitatis & ornatus in omnem Jurisprudentiam patriam, maxime autem feudalem, redundet. Faciant periculum in hoc nostro Honoris Registro, qui ea, quæ diximus, forte nondum habent persuasissima, & intelligent, hoc ipso Honoris Registro & Angliæ & Aremoricæ Historiis lucem affusam esse haud levem, doctissima maxime præfatione, qua Autor eruditissimus idemque Richmondianarum Antiquitatum studiosissimus in illarum gentium Annalibus confusa multa ordinavit, fabulas expulit, errores correxit, veritatem restituit. Delibabimus potissima, omissis probationibus, conjecturarumque rationibus probatissimis, maxime cum libri ea sit conditio, ut in paucorum manus perventurum credamus.

Galfridus Britanniæ Dux, A. 1008 mortuus, filios reliquit duos Alanum & Eudonem, post bella civilia, illum Britanniæ seu Aremoricæ Ducem, hunc Comitem. Alano Duci successit filius Conanus, sub Eudonis patrui tutela satis diu constitutus, cujus tamen ἄπαιδος mortui ditionum potitus est Hoelus, Nannetium Comes, nunc, quod Aviciam unicam Conani Ducis Sororem in matrimonio habebat, Britanniæ Dux, pater Alani Ducis, cui Fergant postea cognomen fuit. Eudoni A. 1077 defuncto Filii fuerunt, Galfridus, natu maximus, Britannorum Comes, & Alanus Rufus, Alanus Niger, Stephanus, Brianus, Ribaldus, Guilielmi Conquæstoris in celeberrima expeditione in Angliam suscepta Comites, ubi navatæ strenue operæ etiam nacti sunt præmia.

Alano Rufo omnia prædia, quibus in agro Eboracensi fruebatur Edwinus Comes, sæpius rebellis, quæque in Norfolciensi, Suffolciensi aliisque Comitatibus ad eundem Edwinum, Edwinique patrem Algarum pertinuere, cesserunt, ita ut Alanus ille aliquando se orientalium Anglorum Comitem appellarit, primus sane Richmondiæ Comes. Successit fratri, ut videtur, cœlibi, Alanus frater cognomento niger, & huic fratrum tertius Stephanus, qui, cum

cum Alanum filium, (quem illius temporis Annales etiam Nigrum appellant, ingenti variis confusionibus aperta fenestra) nuptiis Berthæ, Conani III Britannorum Ducis filiæ, Alani Fergantii, nepotis potitum videret, spem haud imbecillem concepit, fore, ut Britanniæ Ducatus Richmondiæque Comitatus in suis posteris jungerentur. Contigit hoc in Conano IV, Alani Nigri & Berthæ filio; atque utinam eidem animus tanta fortuna dignus contigisset: at enim vero Henrico II. Angliæ Regi prorsus obnoxius, Ducatus supremum Imperium eidem, pactis inter filium Regis octennem, Galfridum, & suam quinque annorum filiam Constantiam nuptiis, permisit, exstinctus A. 1171. Hæ inter Galfridum & Constantiam sunt perfectæ A. 1182, quas A. 1186, Galfridi hominis refractarii & in patrem rebellis mors est insecuta, relicto ventre, Arturo posthumo, cujus tutelam varias inter turbas gessit mater Constantia, secundis nuptiis Ranulpho Cestriensi Comiti copulata. Richmondiæ Honor, seu Comitatus, interea penes Reges Henricum II, Richardum I, Joannem fuit, qui ex fratre nepotem Arturum, in Mirabellæ apud Pictavos obsidione A. 1202 interceptum, A. 1203 inhumana nece sustulisse videtur. Ducissa Constantia, nuptiis cum Ranulpho Cestriensi propinquitatis prætextu dissolutis, ex tertio marito Guidone de Thoarcio duarum filiarum mater, illud facinus in filio unico commissum A. 1201 sua morte prævertit, quo facto Proceres Britanniæ ex istis Constantiæ filiabus natu majorem Aliciam Dominam sibi optarunt, tutelam patri Guidoni de Thoarcio commiserunt, ipsum vero Joannem Regem apud Philippum Gallum parricidii accusarunt, qui hac opportunitate usus, cum Joannes in Judicio Parium a Philippo ordinato, licet citatus, non comparuisset, eidem & Britanniam, & quæ in Normannia & Aquitania Anglis parebant, fere omnia ademit. Cum in manu & potestate Philippi R. essent res Britonum, Alicia Britannica Petro de Drocariis sive Malo Clerico A. 1212 in matrimonium collocata, eidemque simul Ducatus, sed durissima lege concessus est.

Hac de causa, & quod Petrus Regem Philippum arcta cognatione contingeret, Britannicæ res Gallicis satis conjunctæ videbantur. Sed Petri ambitio impotens faciebat, ut & Anglicarum

 par-

partium,licet clam,esset studiosus, eoque pacto Richmondiæ Honore seu Comitatu, regno Joannis exeunte, ineunte vero Henrici III,frueretur. Discedere ab hoc fœdere atque adeo a Comitatu Petrum coegit Ludovicus VIII.Redintegratæ sunt pristinæ pactiones cum Anglis A. 1229. Sed Ludovicus IX tandem dubiæ Petri fidei finem fecit, Ducatu A. 1232 Petro adempto, & filio ejus natu maximo Joanni tradito, qui adulta jam ætate Regis Gallici Clientem se publice Parisiis professus est.

Inde colligere est, Joannem Britannum Honore Richmondiæ caruisse, feudo Anglico, vasallum Gallicum, donec, Regis Henrici III filia Beatrice Joannis filio natu maximo & cognomini nupta multis etiam precibus efficeretur, ut Honor Richmondiæ A. 1268 ad Duces Britanniæ reverteretur, traditus eo nomine Joanni II, qui, patre anno 1286 mortuo, Britanniæ etiam Dux effectus est. In bello inter Eduardum I & Philippum Pulcrum exorto, primum partes Anglicanas secutus est,mox Gallicas, cum Richmondiensis sine dubio Comitatus jactura, sed quem dubio procul recepit pace inter Reges paulo ante funestum suum obitum A.1354 reconciliata; dum nempe Lugduni, in Clementis V inauguratione, equi, cujus tergo Papa insidebat, habenas moderandi honorario munere fungeretur, muri veteris, magna spectatorum multitudine onerati, ruina oppressus est. In Britanniæ Ducatu successit ei filius Arturus, Honorem Richmundiæ tenuit filius alter Joannes.Hic,cui cum Gallis nihil negotii erat,Eduardo I & II strenuam & fidelem operam navavit, bis Scotiæ Prorex & Custos, bis etiam captivus factus, & quamvis in dissidiis, quæ Regem inter Eduardum II & Reginam Regisque filium Eduardum III oriebantur, honore privaretur, restitutus tamen est ab ipso Eduardo II, donec A. 1330, non 1303, ut in Tabula Genealogica præfationi subjecta per typographicum errorem legitur, & prima fronte turbat, in Britannia moreretur.

Joanni huic successit Joannes III Britanniæ Dux, ex fratre Arturo nepos, qui cum A. 1341 absque sobole moreretur, controversia ingens concitata est inter Joannem Montisfortis Comitem, Arturi Britanniæ Ducis ex secunda conjuge Jolanta filium, Joannis adeo, quem A. 1341 defunctum esse, modo

modo diximus, fratrem consanguineum, qui & testamento hunc sibi successorem voluerat, & Carolum de Blæsio, qui Joannam, Guidonis Penthievræ Comitis, fratris germani Joannis, Ducis novissime defuncti, filiam, habebat uxorem, cui etiam Ducatum Galliarum Rex Philippus Valesius adjudicavit; cum Comiti Montisfortis Eduardus III, ut Gallis inimico, Richmondiensem honorem addiceret. Sed captus est infelix Joannes Montfortensis a Gallis, & post aliquot annos carcere liberatus, paulo post mortuus est 1345, filio suo infante tutelæ Eduardi III commendato. Capto Joanne, contulerat Rex Eduardus Richmundiæ honorem filio Joanni de Gandavo, eoque justiore titulo, ob pactum cum Joanne Montfortensi initum A. 1341, quo cavebatur, fruiturum Joannem Comitatu, usque dum Rex terras æqualis pretii in Gallia ei assignandas curaret, quod maxime adimpletum, ubi post prælium ad Auracum, in quo Carolus de Blæsio A. 1364 ipse occubuit, universus Britanniæ Ducatus filio illius Joannis Montfortensis, Joanni IV, restitutus est. Recrudescebat inde bellum Anglos inter & Gallos A. 1367, in quo Joannes Dux post multam dubitationem Anglicas res Gallicis prætulit, Comitatu Richmondiæ recepto, sed magno suo malo. Ipso enim Britanniæ Ducatu A. 1374 exutus est, per plures annos exul, donec Britones dominatus Gallici pertæsi eum respicerent, quorum ope & auxilio Carolum VI ad pacem & fœdus petendum compulit, A. 1381 homagio Regi præstito Britanniæ Dux & Montisfortis Comes, felicior, si eo fœdere Anglos non offendisset. Ademtus Comitatus 1385, redditus 1387 atque iterum 1398 (saltim chartæ hoc ita loquuntur) sed anno etiam 1391 eundem Comitatum petiit Dux solenni legatione, quem tamen A. 1398 Joannæ, Radulphi Bosset de Drayton Conjugi, concessum legimus. Hæc Richardo II regnante gesta sunt. Henricus IV Angliæ Rex eundem Comitatum primo Regni sui anno, sed absque Comitis titulo, Radulpho de Neville Comiti Westmorlandiæ in vitam tenendum permisit, quo mortuo ad Joannem Bedfordiæ Comitem pervenit, Britanniæ Ducibus ad Annam usque Britannicam in perpetuum exclusis.

Post hanc doctissimam præfationem ordine sequuntur: Tabula Genealogica Familiæ Ducalis Britanniæ Comitum Rich-

mondiæ; Sigilla Alani Fergant, Stephani Ducis, Conani IV, Galfridi, Petri de Drocariis, Aliciæ, Petri de Sabaudia, qui A. 1269 obiit, &, dum vixit, Comitatum Richmondiæ per aliquod tempus possedit, Joannis I & II Ducum Britanniæ & Comitum Richmondiæ, Joannis de Britannia Comitis Richmondiæ, Joannis IV, Joannis Gandavensis, Joannis V; Tabula Geographica Richmondiæ Comitatus & Alvertunæ Shiræ; ipsum denique Honoris sive Feudi Richmondiani Registrum sive Catastrum, uti illud in Libro Domesday seu magno libro feudali in Thesauraria domini Regis asservato legitur, excerptum olim ex isto libro venerandæ antiquitatis, codicique, cum aliis ad Richmondiensem Honorem pertinentibus, inscriptum; tempore, ut ex charactere videtur, Radulphi de Neville Comitis Westmorlandiæ, regnante Henrico IV istis regionibus præfecti. Addita est ab doctissimo Editore copiosissima appendix monumentorum CLXVIII, easdem antiquitates mire illustrantium.

In calce denique eruditæ observationes in Registrum honoris & reliqua monumenta annectuntur, ex quibus nonnulla speciminis loco delibabimus. Alani Comitis frater, Eudonis filius,
p. 233. est Scriptoribus Anglis Ribaldus quidam, quem ignorant Aremorici, Robertum laudantes, de quo tacent Angli. Verisimile est, Roberto illi Ribaldi datum esse cognomen; at enim vero non ob ignaviam, sed fortitudinis causa; annotarunt hoc Pasquierius & Menagius, sed originem vocis ignorarunt; est autem Cambro-Britannis *Rhyvel* bellum & prælium, adeoque *Rhyvallus* homo
237. fortis & bellicosus. Vocabuli *Fines* significatus sunt varii medio ævo, Spelmanno aliisque Glossariographis observati; reditum quendam annuum supremo Feudi domino solvendum significasse aliquando, ex Extensa sub Henrico II R. facta discimus. Item non injucundum nec inutile est, quod de Maritagio affertur, quod
248. fuit Jus, Domino Feudi competens, tenenetes de eo per servitium militare in minoritate eorum maritandi, pro quo consensu censum solvebant, secundum valorem terrarum suarum. Gula Augusti est Festum S. Petri ad Vincula Kalendis Augusti. Unde vero hoc nominis? Nostro videtur idem, quod Danis est & Sa-
284. xonibus *Jol, Jul, Jiul*, comessatio, inde Festo natalitio Servatoris

vatoris nostri nomen, quod isto ferę tempore Ethnici convivia celebrarent, & nomen etiam Kalendis Augusti, Festo ad Augusti Calendas instituto. In Registro *Gresmannos* legimus, quorum fuit, malefactores, quos invenerunt in foresta, ducere ad Castrum Richmondiæ, dicti a gramine, cujus cura & tutela ipsis fuit commissa, *Grasimanner;* gramen nempe non Anglis modo borealibus, sed Germanis quibuscunque *Grass* vocatur. Tria Tenentes de corona Regi debuere auxilia, ad primogenitum nempe filium militem faciendum, ad primogenitam filiam maritandam, & ad se ipsum a captivitate redimendum. Idem inferiores Vasallos tenentes ab inferioribus Dominis his debuisse, literis regiis ad tenentes Joannis de Britannia Comitis Richmundiæ patet. Sed tandem & nos manum de libro.

p. 258.

267.

LETTRES ET NEGOCIATIONS ENTRE Mr. Jean de Wit &c.

i. e.

LITERÆ MUTUÆ ATQUE NEGOTIA peracta inter JOHANNEM DE WIT, Hollandiæ Pensionarium, & Legatos Statuum Fœderatorum in aulis variis.

Volumina IV.

Amstelod. ap. Jansonio-Waesbergios, 1725, 12.

Alph. 4 plag. 3.

item

RESOLUTIONS IMPORTANTES &c.

i. e.

DECRETA QUÆDAM MOMENTOSA STATUUM Fœderatorum Belgii, durante Ministerio JOHANNIS DE WIT facta.

Amstelod. ap. Jansonio-Waesbergios, 1725, 12.

Plag. 21.

AMbigua fama circumlata sunt hucusque acta Wittiorum, ita tamen, ut, quo longius a tristibus eorum fatis tempora recesserunt, eo apertius & copiosius defendantur. Eo certe consilio

ſilio commercia literaria Johannis Wittii cum quibusdam Reipublicæ nomine ad exteros Principes ablegatis in lucem cœperunt proferri. Partem enim eorum nunc tantum ſiſtimus, ſcripta ſcilicet ab anno 1652 usque ad 1669 inter Wittium Borellumque atque Beuningium & Petrum Grotium, quorum illi in Gallia, hic apud Suecos Batavorum res curabat. Alia deinceps expectare jubemur, atque adeo omnia publico promittuntur, quæ ſibi mutuo Wittius & alii alio miſſi Batavorum Miniſtri nuntiaverunt. Ita quidem illud facillime ſe obtenturos, neque fruſtra, ſperant editores, ut non ex ſola rerum geſtarum ſuperficie, non ex conſiliorum eventibus tantum, non ex rumoribus temere ſparſis, de ſincero viri ſummi Rempublicam adjuvandi ſtudio judicium fiat, ſed ex ipſis animi cogitationibus, ex primis actionum principiis, ex mentis ad verum ſcopum intentionibus, quarum arcana epiſtolæ ejusmodi ſolent pandere. Cum itaque *Baſnagius*, poſt multos alios, in *Reipublicæ Batavæ hiſtoria* Wittium repræſentaſſet, tanquam Gallis, etiam cum diſpendio commodorum patriæ, prorſus addictum, nec negari queat, quod talis in ſpeciem fuerit; documento tamen eſſe debent hæc Volumina, a Batavorum Penſionario formam hanc indutam fuiſſe, non, quod Galliæ faveret, ſed ut ſuis conſuleret. Scilicet, cum difficili bello cum Cronwellio implicita eſſet Reſpublica, illi quantocyus finiendo, ſuſpicio Anglis injicienda fuit de fœdere inter Gallos & Batavos coarctando, quod Monaſterienſis pax aliquantum laxaverat. Propterea miſſus in Galliam *Borellus*, vir de neceſſitate & utilitate conjunctionis cum Gallia penitus perſuaſus. Id in uſum ſuum vertebat Wittius, &, quamvis ipſe tutum cum Gallis fœdus nunquam credidiſſet, nec inire unquam ſerio cuperet, prævidens ſcilicet, quod Galli Belgio cum magno Batavorum diſcrimine inhient, diſſimulabat nihilominus rem ad Borellum & ita conſtanter ſcribebat, ac ſi & ipſe arctiorem cum Gallia nexum optaret. Hinc per aliquot annos, quoniam poſt finitum etiam cum Anglis bellum odia tamen ſemper & arma inde oſtentabantur, Borellus nil aliud egit, quam ut de fœdere ineundo apud Ludovicum laboraret & formas ejus atque conditiones varias proponeret vel acciperet, neque tamen, ita volente ſcilicet Wittio, quic-

quicquam perficeret. Rebus autem in Anglia mutatis & Rege restituto, animus a Wittio eo applicandus erat, unde prius abhorrebat, ne, dum infesta omnia metuenda essent a Britannia, cum Gallis etiam infida pax foret. *Beuningius* ergo ad hos cum amplioribus mandatis ablegatur, eoque operam dante fœdus demum initur, in quod adeo invitus Pensionarius pertractus, imo negotium hoc omnino abjecturus fuisse dicitur, si Hispani citius ea proposuissent, quæ aperiebant, cum jam de omnibus convenisset. Verum, non minas tantum Britannorum irritas per hoc fœdus reddi, sed & non adeo liberam fore Gallis arbitrabatur Belgii Hispanici oppressionem, quam dudum metuebant sagaciores. Quam solida spes hæc fuerit, non definiemus, cum manifestum sit, Gallos contra fœderi Batavo manus ideo dedisse, ut arma minus impedita Belgio Hisp. possent inferre. Id saltem ex epistolis, præsertim ad Beuningium, volunt constare editores, nihil hic, vel in Galliæ gratiam, vel ob propria commoda, vel odio cujuscunque, ab eo factum, neque secretiora Reipublicæ cum *Comite d' Estrades*, legato Gallico, communicata fuisse. Multa proin cum illo amicius & quasi Galliæ commoda pro lege suprema habiturum egisse, quin & de Belgii divisione proposuisse, conceditur, tanta cum candoris specie, ut ipse legatus, credens istis coloribus, Regi suo, magis cauto, omnem de Wittio suspicionem eximere laboraverit, unde in literis Estradianis multa occurrant, quæ sinistram opinionem de Wittio alere queant. Ex ipsius autem scriptis patere, Pensionarium Galliæ consilia & vidisse & turbanda censuisse, omnemque istam amicitiæ simulationem eo usurpasse, ut magis magisque in illorum arcana penetrare, & quid objiciendum sit tendentibus ad opprimendam Europam, posset invenire. Id quidem aperte proditum, cum finito bello Britannico, Gallis, qui Belgium paulo ante invaserant, triplex fœdus opponendum curaret, idque tanto cum ardore, ut quinque diebus, insolita Batavis festinatione, cum *Templio*, Britanniæ legato, omnia transigeret. Quod si quis hoc nimis festinatum dicat, observatur, tenacem valde propositi, quod semel utile Reipublicæ judicarit, Wittium fuisse, ita, ut nec ob historicorum iniquitatem, nec ob malevolorum iras, cautiones solitas,

 quæ,

quæ dum curantur, occasiones bene agendi sæpius elabuntur, in istiusmodi negotiis adhibendas judicaverit. Hæc docere & confirmare volumina ista debent. An satis idonee, lecturi judicabunt. Nobis, quibus rebus ibi sit attendendum, exposuisse sufficiat. Id addimus, quod de Wittio apud *Burnetum* talia legisse recordemur, quæ non ab erroribus quidem politicis, ast a dolo & mala fide virum æterna dignum memoria liberant.

ANTIQUITATES PLOCENSES, ET ADjunctarum Prezzin & Elbenau Burggraviatus Magdeburgici, Diœceseos Gomeranæ, quibus earum statum civilem & Ecclesiasticum, inde ab Ottone M. Imp. eruit & illustrat M. JUSTUS CHRISTIANUS THORSCHMIDT, Plocensium & reliqu. Pastor.

Lipsiæ, apud hæredes Lanckisianos, 1725, 4.

Plag. 16.

CL. & Plurimum Rev. Autor, quem varia Academica scripta jam satis commendarunt, quemque sibi litteræ totum vindicaturæ erant, nisi Ecclesiæ magis necessarius a Proceribus habitus fuisset, innocentem hanc Sacerdoti duxit voluptatem, si, quod temporis datur a sacratioribus curis reliquum, consignandæ loci, in quo vivit, rerumque ibi gestarum historiæ consecraret. Ideo & Parochiæ suæ historiam, Saxoniæ S. celeberrimam olim particulam, hoc in Tractatu describendam suscepit. In præfixo Procemio modeste refellit eos, qui Sacerdotem, curato officio adscriptum, debere talia, ad historiam spectantia, tractare argumenta, negant, atque omne illud tempus, quod non in profundiore rerum divinarum contemplatione collocatur, deperditum plane arbitrantur, Tractatus ipse in tres Partes dispescitur.

Pars I Plocenses continet Antiquitates, earumque Sectio I civilem Antiquitatum harum historiam. Caput I hujus Sectionis variam & olim, & adhuc hodie receptam nominis pronuntiationem; Cap. II Personas imperantes recenset. Distinguitur hoc

hoc Caput in certas Periodos v. g. Originum, Carolinam, Saxonum, Anhaltinorum & Misnenfium; ubi imprimis inter Anhaltinos Principes de Illustrissimi Alberti Ursi meritis, & de deportatis ab eo e Germania inferiore colonis Flamingicis, nec non de controversiis, quæ passim ex Jure publico hic agitantur, multa notatn digna ex actis istorum temporum depromuntur. Caput III circa rem judiciariam versatur. Obtulit vero se Cl. Autori, in Plocensium Magistratus, Judices ac Jura inquirenti, Codex Speculi Saxonici veteris MSptus, quo quondam usi sunt hujus vici Judex & Scabini, quique manu recentiore ad marginem signatus, & breviusculis, ex Jure Provinciali Saxonico haustis, Observationibus auctus fuit; ut & liber Scabinorum Judicialis (*Sceppen Bock tho Plotzke*) ex Seculo XV, in quo Scribæ oppidani manu relata leguntur, quæ Plocensis Magistratus ordinem ac negotia describunt. Caput IV Personas parentes, & civium quondam Plocensium statum; Caput denique V etiam res antiquitus hic locorum gestas, imprimis varia de Hunnis, de Magdeburgico-Servestano & tricennali bello Germanico memoratu digna enarrat.

Partis I Sectio II historiam Plocensem sistit Ecclesiasticam, ejusque Cap. I Christianismi horum incolarum initia. Antiqua Bardorum sede indicata, conversionis primordium a Caroli M. tempestate dirivatur, a qua Frisonum colonias in Ducatu Magdeburgico in villis Santersleve superesse, Meibomius observat. Latius sparsere Ottonis tempora lucem Evangelii, quippe quibus Sclavorum gens vel conversa, vel oppressa fuit. Ut res sacræ in Sclavorum terra magis & magis amplificarentur, eleemosynas multi probi legarunt, illorum destinatas usui, qui divinam doctrinam in Sclavia plantarent aut reciperent. Facit etiam Cl. Autor in hoc capite quorundam Diplomatum mentionem, quibus ab Ottone M. tractus Gomeranus, & speciatim Plochwisci, i. e. Plœzke, S. Mauritio Magdeburg. donatus fuit. Cap. II describit templum Parochiale, & simul mensulas illas, altaris lapidibus quondam insertas, atque templa extruendi morem a Flamingis receptum. Cap. III Plocense Monasterium ejusque situm ac modernum statum contemplatur. Cœnobium hoc Virginum Ordi-

nis Cistercienfis, S. Mariæ Magdalenæ dicatum, circa annum MCCLXX ad Albis antiqui ripam inter Lizeke Monasterium & urbem Magdeburg, & inter villas Elbenau & Randau ab altero latere, a Joanne Saxo-Lauenburgicæ lineæ Conditore conditum fuit, & ab hoc fundationis tempore ad usque tempora Joannis Friderici, Elect. Saxon. florem pristinum suum servavit. Prima Abbatissa Mechtildis, ultima Magdalena, gente Hackebornia, fuisse fertur. Plenum Abbatissarum & Claustralium Virginum Catalogum proferre non licet, ideo, quod Virgines, ab Anhaltinis Principibus Dessaviam convocatæ, ut Ducem Saxon. Joannem Monasterii sui Conditorem probatum darent, Albis trajectum adeo infaustum expertæ sunt, ut diplomata & chartas Monasterii cum cistula, qua condebantur, aliquotque hominibus, undarum vi abreptis, amitterent. Joannis Conditoris primogenita filia, Sophia, Priorissa hoc in Monasterio sepulta fuit, habitu ordinis vestita, lapidique monumento superimposito insculpta, cujus effigies libelli hujus fronti præfixa fuit. Reformationis tempus huic etiam Cœnobio prospexit, & Sanctimonialibus satis lautas pensiones annuas ad dies vitæ persolvit, ut ex harum pensionum designatione, sub reformationis initium definita, confirmatur. Tandem notabili Historiæ Eccl. parte absoluta, Catalogus Pastorum, Parochialem Ecclesiam ejusque Filias puriore doctrina pascentium, annectitur.

Sectio tandem III reliquias Antiquitatum Gentilium exponit, cujus quidem C. I lucos Paganorum sacros, eorumque vestigia ac Deos, quibus ibi sacra fecerunt; Cap. II Antiquitates sepulcrales apud terræ hujus incolas recenset. Cl. Autor apud Prezzinenses montem urnis refertum integrum reperit; hinc de antiquitate hac figulina multa multo accuratius, quam quidem ab aliis factum est, observavit. conf. P. III Antiqu. Elbenav. §. 1. Caput III numos Sclavicos, Flamingicos & Saxonicos; & C. IV circulos lapidum antiquos, in agro Gomerano longe lateque in orbem dispositos & prægrandes, perlustrat, quos alii mallos veterum publicos, alii Hunnorum & Sclavorum hic illic cæsorum monumenta habent.

Antiquitate Plocenses excipiunt Parte II Prezzinenses, quæ egre-

egregia multa Diplomata partim recitant, partim illustrant, simulque tum jucunditatem tum utilitatem historiæ multifariam ostendunt. Continent etiam totum sibi insertum Confirmationis Diploma, Monasterio Lizekensi ab Episcopo Diœcesano Brandenburgico, Waldemaro, sub finem Seculi XII datum, quod omnem Præposituræ Lizekensis formam, quæ cum Archi-Diaconatu, seu Chor-Episcopi Brandenburgici ultra Vitebergam protensa dignitate, conjuncta fuit. Ordo in hac II Parte servatur idem ille jucundus, qui Cl. Autori in priore jam recensita placuit.

Tandem in Parte III Præfecturæ Regio-Electoralis Elbenau, quacum hodie Castra Ranis & Gottau conjunguntur, earumque Antiquitates explicantur. Multa in hac parte leguntur præclare dicta de tot veterum Burgis & Castris, it. de veteribus Comitibus Gottau & Ranis, quorum historia ex vetustioribus Diplomatibus ob recentiores controversias illustratur. Notavit hac in Parte Autor rursus lapidem Altaris sepulcralem, de quo jam inter Prezzinenses Antiqnitates p. 94 facta est mentio, quique Henrici I Pinguis, Conditoris Anhaltini Principum stemmatis, vel ejus Filii, Henrici junioris, lapis esse videtur. In Elbenaviensium re judiciaria profert Autor librum antiquum, cujus scriptura lectu admodum difficilis est, & ita fronte prænotatur: Collatio bonorum spectantium ad Castrum Elbenau, anno MCCCCXX. Ex libro hoc, idiomate latino conscripto, & seculi sequentis Protocollo varia excerpta dedit, ad rem suam facientia. Quod ad res Ecclesiam ejusque statum concernentes attinet, varia pertractavit de S. Pancratio, loci Patrono, quemadmodum & de S. Gumaro fecerat inter Plocenses Antiquitates P. I C. II §. 20. His autem diutius immorari nobis non licet, qui nulli dubitamus, quin Tractatus hic magna sane rerum historicarum multitudine refertus, multis etiam lectoribus de nota optima se commendet, quique, ut Plurimum Rev. Autor promissos in Procemio Commentarios uberiores de Diœcesi S. Gomerana propediem typis mandet, nobiscum optabunt.

CASPARI MANZII, JCTI, SERENISSIMI Bavariæ Ducis Electoris quondam Consiliarii & utriusque tam publici, quam privati Juris Professoris in Academia Ingolstad. Tractatus rationalis absolutissimus de Testamento valido, vel invalido.

Editio III.

Ulmæ, impensis Daniel. Bartholomæi, 1726, 4.

Alph. 7 pl. 11.

DE ipso quidem opere non est, quod ad ejus commendationem dicamus. Etenim de præstantia tractatus hujus satis constat, qui, bis ante præsentem editionem *Augustæ Vindelicorum*, primum *anno 1661*, iterumque *anno 1680*, cum subtegminibus *Jac. Ottonis* excusus, assidua diligentique manu versari evolvique consuevit Juris civilis Romani pariter ac Germanici hodierni studiosis. Quid vero idem novi habitus novarumque accessionum referat, id jam indicandum est. Itaque præter industriam in emendando contextu, in evolvendis citandisque legibus, quas *Manzius* adduxerat, præstitam, plerisque in paginis annotationes recens additæ, asterisco signatæ, comparent, quibus præsertim usus modernus atque probatissimorum JCtorum observationes, itemque Præjudicia & Decisiones exhibentur. Nobis certe doctissimæ hæ *Viri Consultissimi*, quisquis ille sit, cujus tamen nomen Bibliopola suppressit, curæ ad isthoc opus apprime utiles videntur: siquidem in eo diffusa juris civilis de testamentorum validitate scientia & subtilior argumentatio ubique regnat. Tanto nunc jucundius est, usum juris testamentarii novissimum ac hodiernum pronuntiandi morem una cum exactiori Juris civilis Justinianei doctrina, uno velut obtutu, cognoscere. Ceterum cum *Manzio* visum olim fuerit hanc instituti rationem tenere, ut saltem de testamentis solemnibus, iisque ab initio validis, aut invalidis, commentaretur; *octo titulis* noviter jam adjectis non solum *de testamentis minus solemnibus & privilegiatis*, sed & *de modis, quibus testamentum ab initio validum ex post facto fit invalidum, vel infirmatur*, tractatio *Manziano operi* satis accommoda subnexa est. Hæc appendix ipsa quidem e diversis præstantium

ſtantium JCtorum commentationibus adornata, diverſas juriſprudentum opiniones ſubinde recenſet atque trutinat, quæſtiones ſpeciales reſolvit, & auctores haud levi numero citat: id quod gratum erit multis, qui vel operoſa multorum librorum evolutione ſuperſedere, vel ad ſcripta ſibi non ſtatim obvia, nec ſatis familiaria remitti amant, atque alterutra cauſa ejusmodi pleniore & undiquaque congeſta ſpecialium juris noſtri capitum illuſtratione haud parum lætantur.

EPISTOLÆ AMOEBÆÆ INTER V. C. E. O. A. C. PAGENSTECHERUM, JC. & Prof. Juris Herbornenſem, & V. C. J. G. HEINECCIUM, JC. & Anteceſſorem Franequeranum, de ſenſu & genuina lectione L. 1 ff. de Curat. furioſ. & L. 28. ff. de probat.

Franequeræ, apud Wibium Bleck, 1724, 8.
Plag. 3.

DE L. 1 ff. de Curat. furioſ. mentem ſuam ita proponit D. Pagenſtecher, pro *moribus* ſubſtituere quosdam *minoribus*. Sed fieri id ait temere. Cujacium recte retinere, *moribus*: id vero de moribus & conſuetudine ſub Regibus adhuc & ante L. XII Tab. introducta perperam intelligere. De illa enim conſuetudine tam antiqua nihil nobis conſtare, & aliunde eam, niſi ex hac ſola lege Ulpiani, non poſſe probari. Adhuc autem ſub judice eſſe quæſtionem, an textum hunc ita exponendum crediderit Ulpianus. Sibi certe videri, JCtum non omnino loqui de aliqua conſuetudine, ſed de moribus prodigorum, quibus introducta ſit interdictio adminiſtrationis bonorum ſuorum. Sic enim loqui Paulum Sentent. Lib. 3 Tit. 4 §. 1: *quando bona paterna avitaque nequitia tua diſperdis, ob eam rem tibi ea re commercioque interdico*, i. e. propter mores tuos pravos. Eosdem hos mores minime ſanos deſcribere Ulpianum, quod *talis homo neque tempus neque finem expenſarum habeat, ſed bona ſua dilacerando & diſſipando profundat*. Neque obſtare ſequentia, *ſed ſolent hodie*. Hæc enim opponi non moribus iſtis peſſimis, ſed verbis

Lege

Lege 12 Tabb. &, *ab initio*, quæ coincidant. Ut sensus sit: ab initio quidem Lege XII Tab. prodigo interdicebatur administratio propter mores ejus. Si vero hodie inveniatur talis prodigus, non tantum ipsius bonis interdicitur, ut olim, sed & Curator ipsi datur. Simili modo malis moribus Macedonis introductum esse SC. Macedonianum. L. 1 pr. ff. de SC. Mac. Aut dici etiam posse, per *mores* hic intellexisse ipsum Naturale Jus. Sic enim §. penut. I. de Attilian. tut. ipse Imperator, naturali juri conveniens esse, ut sub potestate aliorum sit, qui ipse se tueri nequeat. Sic jus patriæ potestatis moribus dicitur receptum *L. 8 ff. de his qui sui vel al.* i. e. jure naturæ & gentium. Ab initio igitur, jure naturali talibus prodigis succurritur. §. 11 I. d. Rer. divis. quanquam enim caveatur id ex Lege XII Tabb. tamen recte dicitur & jure gentium, id est, jure naturali, id effici. §. 41 eod. Hic D. Heineccius, ut defendat Cujacianam expositionem, dicit, Ulpianum hac L. 1 interdictionem bonorum manifesto arcessere a XII tabulis, & Tit. XII §. 2. Sed & l. 18 pr. ff. qui testam. fac. poss. L. 5 §. 1 ff. de acquir. vel om. hered. Gajum etiam L. 13 ff. de Curat. furios. atque Justinianum §. 3 Inst. de Curat. Addere autem Ulpianum, eandem interdictionem *moribus quidem ab initio* introductam esse; eos ergo non posse esse posteriores XII Tabulis, sed utique anteriores, i.e. jam sub Regibus invaluisse & postea migrasse in XII tabulas. Locutio enim ista perpetuo significat jus consuetudine & moribus utentium, vel tacitis populi suffragiis receptum, ut distinguatur ab iis, quæ aliunde ex Græcia adscita sunt. Sic Paulus Lib. 3 Sent. tit. 4 §. 7: *Moribus per Prætorem bonis interdicitur.* Julianus *L 32 §. 1 ff. de LL.* De his ergo tenendam regulam *ἑρμηνευτικήν*: quoties ea, quæ in XII tabulis locum invenerunt, tribuuntur moribus, toties per *mores* leges regiæ vel consuetudines jam sub Regibus receptæ intelliguntur. Ita enim Dionysius Halicarn. Lib. II, in XII tabulis propositos esse omnes mores patrios & leges, *πάντας τὰς πατρικὰς ἐθισμὰς τε καὶ νόμους*, & lib. X, Decemviros promulgasse leges compilatas ex jure Græcorum suisque moribus non scriptis, *καὶ παρὰ τῶν σφίσιν αὐτοῖς ἀγράφων ἐθισμῶν.* Ita Pomponius *L. 2 §. 23 ff. de O. J.* jus vetus, quod legibus regiis & moribus patriis jam erat invectum, translatum esse

esse in XII tabulas. Ita jus patriæ potestatis moribus receptum. *L. 8 ff. de his quæ suis vel alien.* Et tamen inter L. XII tab. locum habuit: & lex regia patri dedit hanc potestatem. Papinianus *L. 10 ff. de jur. codic. II* Et fluit tamen ex lege illa decemvirali tabulæ quintæ; quia ex Legibus regiis vel consuetudine sub Regibus jam ante erat receptum. Adstructa thesi sua respondet D. Heineccius dubiis, contra Cujacium allatis. Ad probandam hanc consuetudinem sufficere vel unici Ulpiani testimonium: multa enim in jure æque ac historiis esse ἅπαξ λεγόμενα. Tum vero tempore Ulpiani extitisse etiam adhuc Jus Papinianum, & allegare Paulum, æqualem Ulpiani, Granii Flacci librum de jure illo Papiniano, *L. 144 ff. de V. S.* Quid igitur Regum temporibus obtinuerit, facilius inde disci potuisse, quam hodie. Nunc etiam ad conjecturas D. Pagenstecheri respondetur. Ingenium quidem sapere eam, quæ τὸ moribus intelligit de moribus ipsorum prodigorum, sed solidam non videri. In arte juris nunquam id, quod moribus & consuetudine introductum est, notare, *propter mores*: quod per inductionem XIII textuum illustratur. Utique dixisse Paulum ob mores prodigi bonis interdici. De eo enim non esse quæstionem, sed, an eum sensum admittant verba Ulpiani secundum artem juris? In *L. 1 pr. ff. de SC. Maced.* non dici, SC. Maced. moribus introductum, sed Macedonem malis moribus materiam peccandi sæpe præstitisse. Conditum ergo id fuisse ob perversos mores filiorum familias, non autem moribus introductum, stylo artis. Ulpianum porro non potuisse duas propositiones ejusdem sensus per adversativam *sed* inepte jungere. Sed mentem illius hanc esse: Lege XII Tab. prodigo interdicitur bonis, *sicut furioso*, & ipso jure excidunt administratione. Atque hoc jam ante XII Tab. quidem moribus patriis sub ipsis Regibus, ab initio receptum erat. Sed & iisdem moribus mutatum est. Solent enim hodie prodigi non amplius ipsa lege administratione privari, sed curatorem, *exemplo furiosi*, a Prætore vel Præside accipere. Et hanc curationem prodigorum perinde ac interdictionem bonorum, ex L. XII tab. esse, probasse verbis legitimis veterum, ac eandem legem restituere Jac. Gothofredum Tab. quinta, p. 97 probationum. Sed nec per mores Jus Naturæ posse

D intel-

intelligi. Nam in *L. 8 de his, qui sui vel.* non dici, jus patriæ potestatis quale apud Romanos, ex jure naturæ esse. Conveniens esse juri naturali, ut sub potestate aliorum sint, qui se tueri ipsi neqeunt. *§. pen. I. de Attil. tut.* Sed prodigi possent, si vellent. Itaque bono magis agnatorum, invectam istorum curationem. Dominis liberam administrationem concedere jus naturæ, jus civile vero excipere prodigos; ne quis re sua male utatur. § *2 I. de his, qui sui vel.* Si quid hic addendum est, Jac. Gothofredus non habuit vestigium prodigi in ipsis LL.XII Tab. sicut furiosi vestigia repperit apud Veteres, imprimis Festum, v. *nec. Sei furiosus existit, ast ei custos nec esit.* & Ciceronem. Neque Paullus. Lib. 3 T. 4 §. 7 loquitur de XII tab. sed de moribus per Prætorem. Lex enim non omnibus prospexerat. Imo nec poterat omnibus ex lege curator dari. Ulp. *Tit 12 §. 3.* Idem *d. L. 18 pr. & L. 5 §. 1* meminit tantum ejus, cui bonis interdictum est. Tum vero in L. 1 ff. de Curat. fur. extendit L. XII tab. de furioso ad prodigum, *exemplo furiosi, πρὸς μίμησιν τȣ̃ μαινομένȣ. L. 6 de V. O.* Ita factum, ut subinde conjungerentur, *L. 13 d. t* & *L. 1 C. eod. §. 3 I. de Curat.* per analogiam Juris. In L. 28 ff. de probat. non sunt æque copiosæ hæ literæ amœbææ. Nam D. Pagenstecher reprehendit diversas emendationes a Roberto & Revardo tentatas, quibus opus non sit, si ἐν πλάτει referamus ad comma sequens: ἐν πλάτει (i. e. non ad liquidum) *enim potest hoc memoria non teneri:* ex duplici autem negativa fieri affirmativam hanc: *potest hoc memoria teneri.* Ingeniose iterum, ait D. Heineccius. Quærit autem, quis tunc erit sensus verborum anteriorum: *num hoc aliquo modo probari possit, quando id opus factum sit, & hoc ita, quod Græci dicere solent.* Nullus utique. Immo in Græco, ἐν πλάτει, nullam proprie inesse negationem. Retenta igitur lectione vulgari non alium exsculpi posse sensum, quam hunc: *late hoc sciri non posse, intra annum aliquid factum esse.* Id vero prorsus adversari scopo Paulli. Quæri, num memoria operis facti aliquo modo probari possit, aut, quando id factum sit? Non ergo quæri, num aliquis meminerit, quo die aut Consule factum sit? Sufficit enim, id aliquo modo tantum probari. Et hoc illud est, quod Græci dicere solent ἐν πλάτει. Versamur enim in antiquis.

Evita-

Evitare autem cupiens D. Heineccius, *τὸ enim* pro *nam*, repetit per geminationem de novo: *Ἐν πλάτει enim potest hoc memoria teneri*, puta, *intra annum aliquid factum esse.* Petrus Colvius, JC. in notis ad *Apuleji lib. 4 Metam. p. 59* recte putabat, Paullum loqui cum priscis, ut Enim inchoet orationem, sicut *enimvero.* Sed nobis magis adhuc istud placuit, quod Noster qualemcunque annum, *trigesimum*, *quadragesimum*, adjecit. Omnino enim tale quid expectabamus, nec dubitamus, excidisse in textu signum alicujus numeri, instar sigli: quod si suppleas, aperta sunt omnia: *intra annum puta XL vel L*, etsi interim nemo sit, qui meminerit, quibus Consulibus id viderit. Levior est animadversio, an *contineri* scribendum pro *teneri*. Addemus potius ultima verba: *Sed cum* (quando) omnium hæc est opinio, nec audisse, nec vidisse, cum id opus fieret, neque ex eis audisse, qui vidissent, aut audissent, & hoc infinite similiter sursum versum accidat, tum (pro *tunc*) memoriam operis facti non exstare. Sufficit autem, si quis sciat, factum, h. e. si factum esse non ambigatur: nec utique necesse est superesse, qui meminerint. Verum etiam, si qui audierint eos, qui memoria tenuerint. Hæc omnia recitat Paullus de Labeone ipso, *L. 2 §. 8 ff. de aqua & aqu. pluv.* neque alter alterius epitomator hic vel scholiastes fuisse videtur, aut censor.

LUDOVICI A RIPA, ASTRONOMIÆ AC Meteorologiæ in Gymnasio Patavino Professoris, Miscellanea.

Venetiis, apud Dominicum Lovisam, 1725, 4 maj. Plag. 11 Tabb. æn. 2.

TRes hoc volumine comprehenduntur Dissertationes: una meteorologica, de meteoro ignito, quod in agro *Tarvisino* apparuit; altera Geometrico-mechanica, de vi vaporum in hygrometris; tertia analytica, demonstrationes Theorematum ad Quadraturas spectantium complectens. Quibus accedit Prolusio habita in Gymnasio Patavino, cum primum Astronomiam & Meteorologiam publice profitendam Nobilissimus Autor aggrederetur. Meteoron ignitum, de quo in prima Dissertatio-

tatione agit, ad hunc modum describit: sunt ignes, qui e terra enati, & huc atque illuc dissiti, lateque vagantes, ab annis nonnullis cernuntur aliquot Venetiæ locis, terrorem hominibus, & terris vastitatem inferentes, quacumque pervadunt. Antequam ipsam phænomenorum historiam recitat, de temporum natura, ac locorum situ aliquid monendum censet. Loca, inquit, ab iis ignibus adhuc infessa, ingenti cultorum damno, sunt *Goticum*, *Ramo*, *Rossanum*, *Galliera*. Tria prima exiguo inter se intervallo *Bassanum* inter atque *Castrum francum* sunt; *Galliera*, quæ propius a *Gotico* abest, in *Civitatellæ* agro. Solum ibi macrum aridumque est, saxosum, glareosum. Aquarum fere nulli fontes, præter fluvium exiguum, qui interfluit, *Musonem* appellatum. Cultoribus putei in promptu sunt altissime effossi, rari tamen; magna enim aquarum copia subtus latet, e proximis montibus fluentium, per occultos terræ meatus. Itaque ubicunque putei eruuntur, aqua existit, quæ ubique ad eandem altitudinem esse solet. Terræ ipsius stratum commixtum multis partibus, limo, lapide, glarea, argilla, sabulo; an salinæ ullæ insint vel sulphureæ fodinæ, nulla indicia. Quod pertinet ad anni tempora, magna siccitas a seculo ineunte tenuit; proximis his superioribus annis mirum in modum aucta ad summum crevit. Hinc terræ facies ubique arida & tantum non exusta; fontes, fluuiique ipsi ac putei propemodum aruere. Ad hæc *Adriæ* ipsius fluxiones & cursus reflui solito depressiores, aerisque item per omnem Europam frequentiores impressiones Meteorologicæ extiterunt. Atque hæc præfatus Cl. Autor de natura tempestatum locorumque, ad ignes ipsos accedit. Hi primum apud *Goticum* visi sunt An. 1706, mense Sextili; quo loco flammis quatuor, consecutis noctibus quatuor, domus combusta est magna colonica, divisa ac distributa in partes plures, easdemque distinctas invicem. Sed postrema flamma, cum jam nihil esset, quo sese applicaret, palearium exustum est. Idque ipsum habitatores animadverterunt, hoc modo factum esse, ut flammæ agerent in palearium; ut omnes, etsi per alias aliasque lineas, eodem tamen collinearent; ut postrema flamma caderet per lineam verticalem ad perpendiculum. Mense item Quinctili superiore

riore boves, quorum erant ſtabula in illa domo, plerique omnes morbo interiere; pauci inde erepti ac translati alio, brevi convaluerunt. Pecudes, quæ fuerunt coloni illius, omnino omnes eo morbo, veluti tabe, periere. His ad me poſt multos annos allatis, *inquit Cl. Autor*, continuo ſuſpicatus ſum, ſolum, cui domus eæ inædificatæ eſſent, veluti centrum quoddam fuiſſe illarum exhalationum, quæ deinde erumpentes, ac ſeſe proferentes circumquaque, ſphæram quandam cônſtituerent, denſiorem parte media, rariorem parte ſumma ad circumferentiam, unde ſulphurea illa effluvia ac bituminoſa agerent. Nam ſi forte fortuna fiat, ut intra circum ſuum ſive ſphæram, in qua volvuntur ſulphureæ illæ exhalationes, offendant aut nanciſcantur aliquod effluvium e. c. ſalinum vel metallicum, ex commixtione rei utriusque ignis aliquis aut phoſphorus gigni poteſt; phoſphorus qui ſplendet, neque vero urit, quoties conjunguntur raræ quædam ac delicatæ particulæ, cujusmodi ſunt cadentes ſtellæ, ignes fatui, ignis lambens &c. contra ea vero, ſi cum craſſiore ſulphurè conjungantur partes denſiores, tunc verus ignis atque activus progignetur, qui ſeſe applicare queat ad ligna, ad paleas &c. Poſt annum 1717 ignes commemorati vi quadam vehementiore apud *Reſſanum* apparuere. Atque illo anno ver quidem fuit aridiſſimum: ſub initium autem menſis Julii ſtramineæ quædam domus conflagrarunt, quæ invicem diſtabant exiguo intervallo; omnique illa æſtate ignes ii egere eodem loco, donec autumnus venit, quo tempore magnæ cœlo pluviæ ceciderunt, quibus flammarum vis reſtincta eſt. Ad decem fere & octo domus ignibus fuere exuſtæ, latiusque etiam calamitas manaſſet, ni incolæ eo conſilio uſi eſſent, ut domorum tecta demolirentur, parietesque omnino haberent nudos, ac ſub dio ſomnum caperent. Animadverſum eſt, per aliquot dies ſecundum illas pluvias ignes non apparuiſſe, neque vero rediiſſe, niſi cum terra rurſus cœpit exareſcere. Cœlo nubilo nunquam viſi ſunt. Interdiu per hæc tempora non offuere; quodque animadverſione dignum eſt, noctu incenderunt nunquam, cum ventorum vis ageret. Initio apparebant fere ſemper ſecunda noctis hora, ſerius deinceps, tertia nimirum, raro ſub noctem medi-

am. Prima phænomena tam late patebant quam lunaris discus. Cœpere autem deinceps minus, sed incerta inconstantique ratione: minima faculam, maxima funale referebant. Undique accedere solebant, atque ex omnibus regionibus ventorum; partem vero maximam ab aquilone, minimam a meridie; cunctaque collineabant ad eundem locum. An. 1720 majore vi apparuere apud *Gallieram*, per autumnum. Rursus summo impetu apparuere An. 1722 apud *Goticum* & *Ramonem*. Cum maximi per æstatem calores fuissent, magni etiam per autumnum, qui fracti deinde sunt extremo Novembri, ob aquarum copiam, quæ cœlo ceciderunt, rursus phænomena extitere ita frequentia, ut agri iis consiti viderentur. Cœlo sudo, cum leniter flaret auster, majore copia apparebant, quam per noctes gelidas. Motus, figuræ, colores, varii. Quædam, ut fulgur solet, ferri & evanescere visa sunt; sed partem maximam animadversum est rotunda esse, & faculam fere exprimere. Ad hæc quædam stare videbantur; nonnulla in unum cogebantur, & unum mox in plura scindebatur. Nonnulla velut subsultabant; quædam motu ferebantur æquabili. Alia lente, alia celerius agebantur; sed hæc ita, ut nequaquam superarent velocitate sua hominem currentem. Illud etiam curiose adnotatum est, si quando fossam aliquam præterirent, si quidem vis aquæ aliqua inesset, transilire consuesse, si nulla, descendere atque ascendere cursu æquabili. Cum propius ad pabulum venirent (agere autem consueverant in casas duntaxat stramineas) celeriori motu ferebantur, ita ut omnis eodem momento fieri videretur. Continuo ex omnibus partibus, incredibili quadam celeritate, in domum irruebant, eodemque momento domus tota conflagrabat, neque ei rei ullo modo resisti poterat. Spatium nullum erat domesticæ supellectilis subducendæ: magno fortunæ beneficio fiebat, si ex acri illo incendio incolumes evaderent homines. Desperatione & ira adducti cœpere ignes eos, tanquam infestissimos hostes, insectari, & vastis fustium ictibus verberare. Pulsi illi, motum persequentes aeris irregularem, sese modo sursum efferentes, modo deorsum, manus ultorum evadebant. Contingebat interdum etiam, ut fustibus percussi scinderentur in partes duas, quæ partes deinceps fere-

ferebantur motu prorsus contrario. Duobus in locis commemoratis, nempe apud *Goticum* & *Ramonem*, incendia contigerunt, ceteris in locis nulla, etsi ignes frequenter apparerent: eaque res mirabilis visa est, illo præsertim tempore, quo tot ignes per illa loca circumquaque vagarentur, ita ut etiam tecta ædium tenerent. Mense Januario nives cecidere copiosiores, quibus restingui ignes visi sunt. Sed primo vere apparuere rursus, minore tamen copia, nullaque vi fere ad urendum; sive hoc inde acciderit, quod exhalationum vis quodammodo consumta esset, sive quod hæ rariores, eoque minus activæ factæ, sive denique, quod circumstantia aliqua deesset, unde effecta illa gignerentur. An. 1723 mense Quinctili ignes redierunt, ac tamdiu perdurarunt, donec pluviis autumnalibus restinguerentur. Semel tantum interdiu incenderunt: ex quo colligitur, eos majore vi ad urendum præditos fuisse, quoniam illorum densitas sustinere potuit Solis vim, neque ab illa aut distrahi aut rarefieri potuere. An. 1724 apud *Gallieram* apparuere. Quoniam vero mensibus Jun. & Jul. magnæ pluviæ cecidere, factum est, ut exhalationibus restinctis, phænomena cessarint. Æstate reliqua illius anni calida & sicca ignes nulli apparuerunt: autumno vero per agros illos minore copia pervagati sunt, nullo tamen uspiam damno illato. Mox Decembri extremo aliquantisper ninxit: sed statim vi ventorum australium, liquatis nivibus, ignes rursus in agro *Gotici* rediere, duoque palearia concremarunt: inde restinxere eos nives, quæ XIII Kal. Febr. An. 1725 cecidere. Quid futurum sit deinceps, *inquit Nobiliss. Autor*, difficile omnino est pronuntiare: fortassis hoc fieri potest, ut terra ipsa effœta, aut rariores fiant exhalationes, aut circumstantiarum aliqua tollatur, aut commutata tempestatum ratione, ignes restinguantur. Sed quoniam soli indoles mutari nequit, ita factu facile est, ut, si rursus circumstantiæ cogantur, ignes redeant & stramineas domus urant. Certe simile aliquid veterum memoria contigisse, obscura apud eas gentes & popularis quædam traditio est. Atque hæc de phænomenis illis, quæ quidem ipse oculis vidit Cl. Autor, & partim a praeclarissimis Viris, Comite Jac. Riccato & Jo. Rizzetto, accepit. Curiosa sane sed & tristia spectacula, quæ nescio attentionem

tionem magis ac ſpeculationem, an opem & conſilium poſtulare videantur. Sed ad alteram Nobiliſſ. Autoris Diſſertationem nunc progrediendum eſt, ex qua ſi nonnulla afferamus, rem utique non ingratam eruditis lectoribus nos facturos arbitramur. Agit hæc diſſertatio de vi vaporum in hygrometris. Simplex ac vulgare hygrometrum ita parari conſuevit: Longior funis cannabinus, aut nervus fidium, juſtæque craſſitudinis, horizonti parallelus conſtituitur, & quantum ſatis videtur, extenditur, ejusque extremitatibus gemino clavo firmiter alligatis, bifariam dividitur; ex medio puncto, ope tenuiſſimi fili, glans plumbea ſuſpenditur, quæ proprio pondere funem ulterius diſtrahit, & deſcendendo in angulum flectit. Horum funium proprietas in hoc conſiſtit, ut longiores fiant ſudo cœlo, humido vero breviores; ita ut pondus appenſum modo extollatur, modo deprimatur, pro diverſa aeris conſtitutione. Porro ad explanandos varios humiditatis gradus, ſagitta ſeu linea recta, quam pondus deſcendens percurrit, in plurimas æquales particulas dividi ſolet, quæ profecto partitio mutationibus aeris minus apte reſpondet. Volvit igitur animo Cl. Autor, quomodo curva deſcribenda eſſet,
TAB. I quæ optime hoc munus impleret. Sed quia difficultas difficulta-
Fig. 5. tem parit, illud etiam occurrit, pondus ſuſpenſum ex puncto O, funem AF bifariam ſecante, deſcendere per rectam OX; at ſi ad alterutram extremitatem propius accedat, & punctum D gravitate ſua ſollicitet, dubitavit, utrum per rectam, an per curvam incederet. Rurſus cum idem pondus poſſit per totam chordæ longitudinem excurrere, atque flexuræ apice H ſpeciem quandam catenariæ deſignare, hujus quoque curvæ naturam inveſtigandam ſibi propoſuit. Hinc tria enata ſunt problemata. Quorum unum hanc habet ſententiam: *Ex puncto quocunque* D *funis*
Fig. 6. AF *ſuſpenſo quovis pondere, quod vi propriæ gravitatis funem extendat, & punctum* D *deorſum trahendo curvam deſcribat, oportet hujus curvæ naturam inveſtigare.* Perveniat punctum D ad locum H, in quo inter ponderis actionem & funis reſiſtentiam æquilibrium conſtituatur, ductisque ex centris A & F arcubus DT, DX, itemque rectis AH, FH, demiſſisque ad AF normalibus KB, HC, GE, & producta CH ad N, ita ut HN onus ſeu potentiam

tiam distrahentem designet, quæ resolvi possit in vires collaterales LH, LN, vocetur AF=2c, AD=AK=a, FD=FG=b, AB=x, FE=z: eritque, propter FD: DA=EC: CB, (nam ratio distentionum GH: HK, componitur ex rationibus virium tendentium HL, LN, & longitudinum chordarum FG: AK, vel FD: AD) $(bxz+2acz-azz).\sqrt{}(aa-xx)=(azx+2bcx-bxx).\sqrt{}(bb-zz)$; quæ formula si more Cartesiano ad coordinatas AC, CH, reducatur, implicatissima evadit. Inventæ igitur æquationis subsidio sequenti modo curvam construit Autor. In arcu DX sumit ad libitum punctum G, ex quo demittit ordinatam GE, deinde, producta FA ad partes Q, fiat FD: DA=EA: AQ, punctoque invento Q insistat normalis QZ, sitque ut rectangulum DFE ad quadratum AF, ita applicata EG ad QZ; determinato puncto Z agantur ZO, OA, parallelæ ipsis AQ, QZ, atque insuper per puncta O, A, rectæ PON, RAS, radio FG parallelæ. Intra asymptotos PQ, PN, descripta intelligatur hyperbola Apolloniana, quæ transeat per punctum A, hæc secabit arcum DΓ in aliquo puncto K. Productis igitur radiis AK, FG, ita ut sibi occurrant in H, demonstrat, punctum H pertinere ad curvam quæsitam. Alterum problema est hujusmodi: *Incedat grave appensum per totam funis longitudinem, & apice flexuræ successive mutato speciem quandam catenariæ AHXF delineet, oportet bujus curvæ naturam investigare.* Pendente onere ex medio puncto O descendat usque ad X, productaque recta FX, sumatur XR æqualis distractioni XQ, & per punctum R acta RZ parallela lineæ AX, erit RZ æqualis alteri distractioni PX. Per constantem XZ exprimatur ponderis magnitudo. Hinc translato pondere a puncto O in aliud quodcunque D, fiat descensus per curvam DH, & virium æquilibrium in puncto H. Consueta instituta præparatione, recta HN, per quam pondus constans designatur, erit =XZ. Describenda modo est curva virium absolutarum, (per vires absolutas intelliguntur pondera arithmetice crescentia, quæ in singulis punctis curvæ DHS cum funis tenacitatibus æquilibrium faciant.) Quoniam igitur vires directe tendentes, per latera XR, HL expositæ, sunt inter se ut distentiones XQ, HG, directe, & ut longitudines chordarum QF, GF, reciproce, & data est tam distra-

TAB. I. Fig. 5.

E ctio

ctio HG, quam longitudo GF, Ergo & vis HL datur positione & magnitudine, ductaque LN parallela rectæ AH, dabitur punctum N, simul cum diagonali NH, vim absolutam exponente. Ordinata itaque HB producta ad partes C, sumatur BC=HN, punctum C erit ad curvam virium absolutarum DCV. Hac descripta statuatur in axe AK abscissa AK æqualis ponderi XZ, & applicata KC secet curvam DV in C, ex quo ad KA agatur parallela CBN, curvæ DHS occurrens in H, erit punctum H ad quæsitam catenariam AHXF. Restat tertium problema, in hæc verba conceptum: *Dato ponderis appensi ascensu vel descensu in Hygrometro, determinare vaporum vim ad contrahendum vel relaxandum funem.*

TAB. I Fig. 7. Sumatur in chorda AF quodlibet punctum E, & sit ELS curva virium absolutarum, relata ad curvam descensus EMQ. Ex diuturnis observationibus notum sit, ad quem locum infimum Q pondus sudo & sereniore cœlo pervenire queat, ductaque recta QCL per ordinatam CL exprimatur gravitas ponderis absoluta, & sit LZ ipsi AF parallela; in qua constitutione supponitur humor per aerem diffusus vel nullam vel certe negligendam actionem in nervi fibras exercere, ita ut tota funis distentio ponderi CL debeatur. Jam nimboso aere corrugetur funis, & grave ad punctum M ascendat, productaque FM versus R sumatur MP=CL, & MN=DG, aganturque ipsi AM parallelæ PR, NO. Manifestum est, quod funis perseverans in suo naturali statu, sub flexione AMF, cum pondere absoluto DG vel MN æquilibrium facit, & pars MF a potentia MO distrahitur, altera vero pars MF a potentia ON. Verum humidus aer funis tenacitatem auget, paremque reddit sustinendo integro oneri MP, & tota potentia RM cum vi elastica chordæ MF in æquilibrio est, sicuti vis chordæ AM cum potentia RP. Est autem RM: OM = RP: ON; Igitur funis tenacitas in omnibus suis partibus proportionaliter crescit, ejusque incrementum non nisi per differentiam rectarum RP, ON, & RM, OM, vel per quantitatem RO exprimi potest. Modo adhibita simpliciori hypothesi, si vaporum actiones eandem actionem servent cum auctis fibrarum tenacitatibus, recta RO vim humoris aerei ad funem contrahendum pariter indicabit. Hinc facta HK=RO, curva quæ transit

tranſit per punctum K & alia infinita ſimiliter inventa, erit ſcala quæ vires creſcentes humidi aeris exponit. Q. E. I. De tribus ſcholiis huic problemati ſubjunctis aliquid adhuc commemorandum videtur. In primo monet Cl. Autor, ſe in ſolutione præmiſſi problematis vim potius vaporum, quam quantitatem dimenſum eſſe, quippe cum didicerit a V. Cl. Jac. Placentino, uberiorem aquæ copiam in opaco, quam in perſpicuo aere, non contineri. At ſi aer, inquit, conſtante ſemper vaporum quantitate refertus eſt, quod ſecluſis aliquibus circumſtantiis, & præcipue ventorum a mari fluentium, verum judico, vis humectandi non ſolum a copia, ſed etiam a magnitudine guttularum petenda eſt. Hinc ex iis, quæ demonſtrata ſunt de vaporum viribus, habita ratione ad diverſas ejusdem funis contractiones, conjecturæ ſumi poſſent, qua proportione augeantur vel minuantur guttarum in aere pendentium diametri: ſed hæc, inquit, ad Phyſicos ableganda. In altero ſcholio oſtendit, quomodo deſcribi poſſit curva, ſeu ſcala vaporum vires determinans, ſi pondus (ut fieri ſolet) ex medio puncto funis in hygrometris ſuſpendatur, ita ut deſcendendo rectam lineam percurrat. Vocentur x ſagittæ creſcentes vel decreſcentes, & vires humidi aeris ſtatuantur $=z$, longitudo funis $=2a$, & pondus appenſum $=b$; curva localis per ſequentem æquationem exprimitur: $b.\sqrt{}\,\frac{(aa+xx)}{2x} + a \pm \sqrt{}\,(aa+xx) = z.$

Scholio denique tertio inveſtigat velocitatem ponderis in ſingulis ſagittæ punctis, dum chorda bifariam diviſa glans plumbea motu verticali per rectam lineam deſcendit. Hoc ut aſſequamur, conſtituenda prius eſt in quolibet ſagittæ puncto vis deorſum ſollicitans. Ex magnitudine, exprimente ponderis gravitatem abſolutam, ea pars ſubducenda eſt, quæ in puncto dato cum tenacitate funis æquilibrium faceret, quod reliquum eſt in producendum motum acceleratum inſumitur. Sit pondus appenſum MP, & ſit MN illud grave, quod ſuſtineretur a vi elaſtica funis, ſub flexione AMF, cum actio ponderis MN a tenacitate funis contraria actione elidatur, nullum edit effectum, remanente tantum vi accelerante NP, a qua mobile deorſum ſollicitatur. His poſitis, vim variabilem NP ſequens æquatio in ſingulis punctis determi- TAB. I Fig. 7.

 nat,

nat, $f = b - 2x + \frac{2ax;}{\surd(aa+xx)}$ & quoniam factum ex vi sollicitante in elementum spatii momento velocitatis æquale est, oritur altera æquatio differentialis $fdx = bdx - 2x\,dx + \frac{2ax\,dx}{\surd(aa+xx)} = udu$, & integrando, non omissa debitæ constantis additione, $uu = 2bx - 2xx + 4a\surd(aa+xx) - 4aa$. Porro scala temporum non nisi per quadraturas exhiberi potest. Atque nunc ad tertiam Cl. Autoris dissertationem perveniendum esset, qua comprehenduntur demonstrationes theorematum ad quadraturas spectantium, a summo Geometra Jo. Bernoullio in Actis nostris An. 1719 expositorum. Verum ne longi simus, hæc ipsa dissertatio, nec non adjuncta prolusio sicco pede prætereunda est.

SPIRITUS ANIMALIS EX FORO MEDICO relegatus. Autore ANDREA OTTOMARO GOELICKE, Medico, Professore atque Physico Provinciali Regio.

Francofurti cis Viadrum, apud Godofredum Conradi, 1725, 4. Plag. 15.

JOHANNIS PHILIPPI BURGGRAVII, JUN. Doctoris Medici Francofurti ad Mœnum, de Existentia Spirituum Nervosorum, eorumque vera origine, indole, motu, effectibus & affectibus in corpore humano vivo sano & ægro Commentatio Medica, Viro Clarissimo, ANDREÆ OTTOMARO GOELICKE inprimis opposita.

Francofurti ad Mœnum, apud Joh. Frieder. Fleischer. 1725, 4. Plag. $12\frac{1}{2}$.

DEcem præterlapsi sunt anni, cum Clariss. *Gœlicke*, publica in Academia Teutoburgensi Cliviæ Professione functus, hæc duo Corollaria calci Dissertationis Academiæ de Medico Cathedrali & Clinico adnecti curaverit: 1) Familiam spirituum „ vitalium, naturalium, & si qui alii supersunt, recte quidem „ explo-

„ axploserunt Recentiores, mirum, cur solis animalibus repu-
„ dium mittere ausi non fuerint; 2) hinc in Concilio Illustrium
„ Medicorum, Præside Apolline, nuper decretum est, Spiritus
„ animales, quod a tot retro seculis Medicos infatuarunt, & ad-
„ huc non paucos infatuant, dignos esse, qui in perpetuum exi-
„ lium relegentur, adjuncta severissima comminatione gravioris
„ pœnæ, si in ditiones Medicorum unquam revertantur. Horum Corollariorum uberior tantum deductio est, quam hoc in Tractatu suscipit Clariss. Autor, & tribus Disquisitionibus exequitur, Fabulas sistens Medicorum, quas de Spirituum animalium I Existentia, II Indole, Natura, Affectionibus & Effectibus, III Diathesi morbosa suis in scholis huc usque recitarunt. In Disquisitione igitur I, non existere Spiritus animales, probat, quia ab Hippocrate nulla eorum fit mentio; Physiologi discordes sunt in imponendo nomine; Medici inter se altercantur, quale sit verum secretionis, collectionis & dispensationis organum; argumenta allata nil probant, quæ sunt: a posteriore per sensum & motum eosdem innotescere, cerebri nervorumque actione intercepta functiones animales evanescere & perire, cerebri & nervorum conformationem & structuram singularem peculiarem eorum actionem & usum commendare, digitis per nervos phrenicos versus diaphragma ductis hujus motum consopitum restaurari, objecta admodum subtilia & tenuia in organa sensoria agere non posse, nisi spiritus in iis hospitentur, per respirationem novos cerebro spiritus communicari, mediante duræ matris tono & motu systaltico per nervos spiritus ad partes propelli, per spititus cerebrum a corruptione præservari, musculis suam actionem constare non posse, nisi influant spiritus, a defectu eorundem, vel insufficiente volatilitate aut nervorum constitutione præternaturali varios oriri morbos, rationem denique dolorum, tremorum & convulsionum reddi non posse, nisi supponantur spiritus intra nervos undulantes. Rectius igitur egisse, pronuntiat Noster, Argenterium, Bidloo & Stahlium, qui de eorundem existentia dubitarunt. In II accusat iterum dissensum Autorum circa nomina spiritibus imponenda, quæ omnia rei, quam exprimere debent, minus sunt adæquata. Si tamen ex mechani-

eorum mente ruditer definitionem adumbrare liceat, ita quidem, ut nihil eorum, quæ ad universum spirituum systema exhauriendum requiruntur, omittatur, talem format: Spiritus animales nihil aliud sunt, quam corpora tenuissima, subtilissima, atque celerrime mota, ex subtiliore & spirituosa chyli, lymphæ & sanguinis, per arterias carotides & cervicales internas ad cerebrum adlati, parte constantia, quæ deinde in corticali cerebri substantia, tanquam genuino secretorio, separata & per medullarem cerebri partem transmissa, inque medulla oblongata, quæ nervorum radix est, collecta, tandem per nervea stamina, eorumque poros & canaliculos ad organa sensuum, imo singulas corporis partes sive ab anima pro arbitrio ablegantur, sivé automatice mediante duræ matris tono aut motu systaltico impulsa influunt, ad sensum, motum, imo & nutritionem præstandam ac perficiendam, tandemque ne insensibiliter evaporando corpora derelinquerent, idque iners & trunci instar immobile redderent, sanguini & lymphæ reaffusa, ut iisdem, quibus antea, usibus denuo subservirent. Cum vero tota hæc descriptio tot ferme principii petitionibus, quot verba sunt, niti videatur Cl. Autori, consultum judicat singula ejus membra ad rationis pariter ac experientiæ cynosuram examinare & refutare. In III ad diathesin morbosam spirituum animalium progreditur, sub qua vel nimia quantitate, vel defectu, vel vitiosa qualitate vel motuum anomaliis laborare & apoplexiæ, paralyseos, tremorum, morborumque soporosorum, catalepseos, lipothymiæ, syncopes, maniæ, vigiliarum nimiarum, epilepsiæ, convulsionum, dolorum & vertiginis autores esse dicuntur. Verum hæc omnia fabulas esse, demonstrat, certioremque morborum horum ætiologiam subministrat, tandemque concludit: Spirituum existentiam neque e priori neque a posteriori hucusque satis demonstratam esse; latere medicos veram atque genuinam eorum indolem in statu sano & integro, ac proinde ignotam quoque esse conditionem illorum in statu morboso ac præternaturali; atque adeo pathologiam spirituum esse chymæricam, id est, nullum morbum vel a vitiosa eorum quantitate, vel qualitate vel motuum anomaliis derivari rite posse, ipsamque therapiam fabulosam esse & imaginariam.

Inju-

Injurias has spiritibus animalibus illatas ægre ferens Clariss. *Burggravius*, vidensque, in toto hoc Processu criminali de spiritibus nervosis revisionem Actorum revelaturam esse Lectori a præjudiciis libero, longe aliam ferendam fuisse sententiam, quam revera factum fuerat; decreverat quidem, hocce revisionis negotium in se suscipere; verum mutato consilio, quod nihil jucundæ utilitatis in studiosam juventutem exin redundaturum credebat, quicquid ad doctrinam de spiritibus nervosis pertinet, sive eorum originem, indolem, motum, sive effectus & affectus in corpore humano vivo, tum sano tum ægro, concernat, in unum systema, ichnographice tamen, fundere, nihilque prorsus admittere, quod non facile dignissimis experimentis & observationibus ad suas ubique revocatum causas, dilucidatum fuerit, constituit. Distribuit igitur præsentem Commentationem in III Sectiones, in membra & articulos iterum divisas, in quarum I structuram cerebri & nervorum tubulosam evincit, & ex habitu materiali corporis humani, potissimum sanguinis, per rationes motuum occurrentium indolem & motum spirituum nervosorum demonstrat. In II usum eorundem pro tensione partium naturali, pro motibus tam automaticis quam voluntariis & mixtis, pro nutrimento, pro sensibus externis, pro operationibus animæ, pro vigiliis & somno, ac pro commercio animæ & corporis præstandis delineat. In III morbos ab aucto vel imminuto tam ab ipso corpore, & rebus corporeis, quam ab anima excitato motu, & a vitiata crasi spirituum nervosorum dependentes examinat. Ubique etiam objectiones Gœlickii jungit & diluit, sicque magis per thesin quam antithesin procedit. In genere vero in Scripto Gœlickiano desiderat, quod 1) statum controversiæ non rite formaverit, 2) discrepantes Autorum sententias plane erroneas cum confusis, imo etiam distinctis, invicem æquiparaverit, omnesque damnaverit, & 3) potissima argumenta vel non omnia, eaque convenienti ordine & connexione allegaverit, vel plurima plane omiserit, sicque indicta causa spiritus hos perpetuo exilio multaverit.

ONT

ONTLEEDKUNDIGE VERHANDELINGEN over de vinding van een Spier in de grond des Baar-mœders.

i. e.

TRACTATUS ANATOMICUS DE MUSCULO, *in fundo uteri recens invento, una cum Instructione de extrahenda Placenta uterina Autore* FRIEDERICO RUYSCHIO, *Professore Anatomiæ & Botanices. Academiæ Naturæ Curiosorum & Societatis Regiæ Anglicanæ Socio.*

Amstelodami, apud Janssonios & Wæsbergios, 1725, 8. Plag. 5, & fig. æn. Tab. 1.

CLarissimus Ruyschius, ut in Studio Anatomico, ita & in Chirurgico, si quis nostra ætate alius, omnium consensu excellit. Nota etiam est ipsius solertia & dexteritas in Arte Obstetricia, quam Junior adhuc in amplissima Amstelodamensium civitate per quatuor integros annos frequentissime exercuit, post quod delapsum spatium a Magistratu officio Collegii Obstetricii quadraginta annorum intervallo præpositus fuit, ut doceret examinaretque omnes, quæ huic se arti exercendæ dedere cupiebant in hac urbe, ut iisdem Anatomicas exhiberet demonstrationes partium muliebrium partui inservientium, ut responsa daret obstetricibus super difficili partu eum consulentibus, ut denique scrutaretur cadavera puerperarum ad detegendas infelicis partus mortisque insecutæ causas. Quare factum est, ut meliora edoctus alia subinde incesserit via, quam qualem ordinario ab obstetricantibus teneri adverterat. Impræsentiarum non possumus ipsius, quam de secundinarum extractione fovet, sententiam non collaudare, quam jam dum in Adversariorum Anatomico-Medico-Chirurgicorum Decade II insinuaverat, a nobis in Actorum Supplem. Tom. IIX Sect. IX p. 371 commendatam, nunc vero hoc in Tractatu in civium suorum gratiam vernaculo idiomate uberius explicat & illustrat. Existimat scilicet, placentam uterinam, fœtu in lucem edito, utero nimis arcte affixam, nulla artis efficacia secure posse educi, consultius ratus, eam ibidem relin-

relinquere; siquidem observatum fuit, istam a natura post secundam tertiamve septimanam sponte ejici. Vanum enim reputat metum, quasi placenta in utero retenta putrescat, ipseque uterus inde cito corrumpatur, inflammetur & gangrænescat; vel quasi fœtus placenta humores inquinet, ut hecticæ febri, inflammationi, similibusque malis fores pandantur; nunquam enim observare potuit, placentam in pus ichoremve abire vel in putridum liquamen redigi; notum etiam est, fœminas carne uteri, intolerabilem mephitim spirante, affectas, per plures annos superstites esse. Fatetur tamen, placentam retentam substantiam suam integram non servare, sed vel in hydatides, vel massam, farinaceæ haud absimilem, abire, & sæpe sub iterato partu cum sano fœtu & secundis excludi. Provocat pariter ad pecudum genus, cui ex retentis placentulis, quas ad triginta vel quadraginta utero gestant, nunquam sinistri quid accidere, dicit. Imo provocat ad experientiam in vulgus notam, qua constet, nullam puerperam, intervallo quinquaginta annorum, postquam suam introduxerat methodum, ex retentis secundinis mortuam esse, quarum copiosa antea numerata fuerant funera, quæ vulgari modo erant tractata. In qua sua sententia magis fuit confirmatus Clarissimus Autor, postquam in cadavere puerperæ invenit musculum in fundo uteri, cui utplurimum placenta adhæret, cujus fibræ orbiculares sunt, cum reliquæ confuso ordine & perplexe uterum transcurrant. Quibus visis judicat, duo excludenda esse in partu, fœtum & placentam uterinam, huicque extrudendæ musculum orbicularem, illi reliquam fibrarum seriem esse dicatam; nec opus esse putat, ut utrique hi actus, cum distinctis peragantur instrumentis, uno eodemque tempore peragantur. Novum hunc musculum in Adversariis III rudi penicillo depingi, in hoc vero Tractatu exactius & nitidius æri incidi curavit, cujus iconem nunc cum L. B. communicamus. TAB. I. Fig. 8.

Explicatio Figuræ 8 Tab. I,

quæ repræsentat puerperæ uterum inversum cum novo musculo orbiculari.

A. Uterus inversus.

B. B. D. D. Fibræ orbiculares musculi novi.

C. Centrum coni uterini.

F EX-

EXCERPTA EX LITERIS D. GEORGII FRIEDERICI FRANCI A FRANCKENAU P. P. Hafnia A. 1725 d. 9 Octobris ad D. MICHAELEM ERNESTUM ETTMULLERUM P. P. datis.

NOvam invenit machinam Johannes Heinricus Hefs, Chirurgus & Lithotomus apud nos famigeratiffimus, pro calculo ex vefica tenaculorum loco extrahendo, quæ nullam veficæ vim infert. Experimentum ejus factum eft die 26 Septembris, me, alioque Medico, & quinque Chirurgis Provincialibus præfentibus, felici cum fucceffu in juvene 28 annorum, qui bene quidem nunc degit, multum tamen materiæ fabulofæ ex renibus defcendentis per veficam quotidie excernit. Mitto hic iconem recens inventæ hujus machinæ, & calculi extracti, ut publico illa innotefcat, & a peritis atque curiofis forfan emendetur & perfectior reddatur.

Explicatio Figurarum.

TAB. I. Figura 9 machinam ipfam exhibet.

Fig. 9. a a. vefica tenuis, quam undique ambit

b b b b fafciola, per cujus

d d d d. medium trajectus eft

c c. bacillus ex fpina ceti fabricatus.

Fig. 10. Figura 10 calculum extractum fiftit.

PROMPTUARIUM RERUM NATURALIum & Artificialium Vratislavienfe, præcipue quas collegit D. JOHANNES CHRISTIANUS KUNDMANN, Medicus Vratislavienfis.

Vratislaviæ, apud Michaelem Hubertum, 1726, 4.
Alphab. 1 plag. 2.

NOta per orbem & clara fuerunt Mufæa, quibus olim Vratislavia fuperbiit, *Kretfchmannianum*, *D. Laureæ*, *Vollgnadiorum*, *D. Scholzii*, *Kalenbergeri*, *Crufii* & *D. Sachfii a Lewenheimb*,

heimb, quorum tamen nullum 26 abhinc annis amplius extitit. Et quanquam ab eo tempore fuerint, qui non minus nummos quam alia tam naturalia quam artificialia, collegerint, quos inter merito laudandi ſunt *Fridericus Maximilianus a Rethel & Hennersdorff*, *Johannes Sigiſmundus ab Haunold*, *Daniel Caſpar a Lohenſtein*, *Georgius Mauritius ab Hoffmanswaldau* & *Daniel a Reuſch*; poſt eorum tamen obitum res collectæ & hæreditatis vel emtionis jure in aliorum venere manus vel diſtractæ ſunt. Cum vero haud pauca eaque ſat egregia collegerit Clariſſ. *Kundmannus*, in Promptuario hoc typis ea exſcribi curavit, ut, quæ bis vel pluries poſſidet, cum amicis communicare, & defectum ſuæ Collectionis ex aliorum apparatu ſupplere poſſet. Inveniet etiam in eo curioſus Lector, quod in aliis Muſæis fruſtra quæſiverit; ſiquidem allegavit ſimul Autor ſumma induſtria Autores, penes quos pleraque aut deſcripta aut ære inciſa reperiuntur. Non ſolummodo autem ea delineat Clariſſ. *Kundmannus*, quæ ipſe poſſidet, ſed & quæ hoc tempore Uratislaviæ partim in locis publicis, partim in multorum Procerum & quorundam privatorum Muſæis aſſervantur. Hinc templa commemorat, cathedrale D. Johannis, ad S. Crucem; ex templis parochialibus, in quibus Evangelicorum Sacra fiunt, D. Eliſabethæ, Mariæ Magdalenæ, S. Barbaræ; in Curia Cæſaris templum Patrum Societatis Jeſu, Virginum ad S. Claram, & ad S. Urſulam; Cœnobium D. Virginis & D. Jacobi; ac deſcribit inſimul Altaria, Picturas, Tabulas, Statuas, Reliquias, Suggeſtus, Sacella, Monumenta, Turres, Campanas, Organa pneumatica, & reliqua, quæ in iisdem aſſervantur. Inter ædificia publica Curiam, Bibliothecas, Eliſabethanam & Magdaleneam, Armamentaria bina, Receptacula ſeu Caſtella aquaria, ſiphones pro extinguendis incendiis, laudat, commendatque Hortum Comitis de Malzan, Palatium Comitis Hazfeldii, inſignem Picturarum aliorumque prorſus excellentium apparatum *Chriſtophori Comitis de Proſkau*, & *Antonii Chriſtophori Comitis & Domini a Proſkau*, Muſæum *Erneſti Benjamin a Lowenſtædt & Ronneburg*, *M. Hanckii* & *M. Liebentanzii* Nummophylacia, D. *Kaltſchmidii* Muſæum Foſſilium & Lapidum figuratorum. Promptuarium rerum curioſarum, quas

F 2 Clariſſ.

Clariss. *Kundmannus* possidet, duas transscendit tertias hujus libri, & dispescitur in IV Sectiones, in certas Classes & Articulos subdivisas, quarum I Regnum animale continet, & animalia integra, partesque ex iis desumtas, aut exsiccata, aut in liquore balsamico conservata, & Testacea exhibet; in II Vegetabilia nominantur; in III ex Regno Minerali Gemmæ & Lapides pretiosi, diversimode figurati, iisque affines, Lapides tam ἄμορφοι quam ἔμμορφοι, Petrefacta, Mineræ metalliferæ, iisque affines, Mineralia, Scoriæ, Salia, Bitumina, Sulphura & Terræ sistuntur; & in IV Artefacta, Instrumenta & Nummi recensentur. De cetero meditatur Clariss. Kundmannus Opus, in quo Fossilia & Lapides figuratos examinaturus est, cui absolvendo ut sanitatem & vires Deus ei concedat, ex animo vovemus.

PETRI ZORNII BIBLIOTHECA ANTIquaria & exegetica in universam Scripturam Sacram.

Tom. I. Pars I, II, III.

Francof. & Lipſ. apud Christoph. Gottl. Nicolai, 1724, 8.
Pl. 18.

CL. Zornius, Rector olim Scholæ Plœnensis in Holsatia, nunc Con-Rector Neo-Sedinensis, cum neminem feliciter in S. Scripturæ interpretatione versari posse existimet, nisi qui omnem antiquitatem profanam probe cognitam habeat, optimos quosque & rarissimos ex Hispanis, Italis, Gallis, Belgis, Germanis, Antiquarios paulo fusius recensere, suisque passim animadversionibus illustrare constituit. Nos omissa Præfatione, in qua acerbius in adversarios quosdam invehitur, indicem hic tantum dabimus librorum, quos his parvis Operis partibus Autor produxit.

p. 1. Parte prima enarratur 1 *Constantii Landi* Comitis in M. Cassii Cacurii & Atiliæ Manduilæ tumulum explicatio, ubi data occasione de pomis agit, quæ amorem denotent; unde & Veneris imago pomum dextra tenentis exstet; simul explicat abusum pomorum in amore excitando. 2 *Octavii Falconerii* dissertatio de

de nummo Apamensi, Deucaleonei diluvii typum exhibente, ubi provocat ad ea, quæ pag. 35 Tom I opuscul. sacrorum dixerat, nimirum nullum argumentum diluvii Noachici depromi posse ex hoc nummo, etiamsi arca in eo appareat, inscriptio arcæ Noe, columba cum ramo oleæ & reliqua. 3 *Funerailles & diverses manieres d'ensevelir des Romains, Grecs &c. descrites par* Claude Guichard. Hic nonnulla habet Autor de apotheosi Romana, observatque, per aquilam, rogo evolantem, mentem Imperatoris in cœlum sublatam designari, hincque ἁρπαγμὸν divinitatis cultum dictum, quo & vocabulo Paulus usus hunc ritum respexit: addit etiam hic quædam de sepultura Judæorum. 4 Numismata ærea Imperatorum, Augustarum & Cæsarum in coloniis & municipiis, autore *Jo. Foy-Vaillant*, recensens, differit de epistola quotannis per mare delata ex Alexandria Byblum Phœniciæ, nullo nauclero navem gubernante, cujus miraculi Lucianus testis est αὐτόπτης. Habet & quædam de Astarte, Dea Tyriorum tutelari; ut & de Neocoris, sacrarum ædium & ludorum publicorum curatoribus, notatque, Ephesios maximo honori sibi habuisse, quum sub Heliogabolo quartum Neocori constituti essent. 5 *Jo. Harduini* nummi antiqui populorum & urbium. Varia hic tractat nomina, qualia: Neocoros, ςρατηγὸς, ἀνθύπατος, Duumvir urbis, Metropolis, ἀπήνη, mulare vehiculum, Chora, χωρα, civitati circumjectus ager, unde Chorepiscopus, Θεοὶ Ἀκραῖοι, Dii custodes arcis, & urbis, Ἀπόλλων Σάγκτος, & Simon Sanctus, Asiarches, Magistratus ludorum Astaroth. 6 Navis ecclesiam referentis symbolum in veteri gemma annulari insculptum, autore *Hieronymo Aleandro*. Multa & hic curiosa reperiuntur de voce, anchora, qua denotatur uncus in trabe sancti sanctorum, super quem trabs minor una cum velo appenso quievit; tum mystica significatio verbi, navis, explicatur.

p. 7. 15. 25. 34 76.

Parte II. exhibetur *Jo. Schefferi* Agrippa liberator, seu dissertatio de novis tabulis. Novæ tabulæ dicebantur leges seu decretum communi consensu factum, quo debita in universum remittuntur, ita ut nec corpora nec bona debitorum amplius retineantur; cui legi statuendæ sæpissime summa pauperies civitatis & exorta seditio ansam dabat. 2 *Raphaelis Tricheti du Fresne* Epistola 97.

 de

p. 106. de Charondæ effigie. Cum Charondas, legislator urbis Cataneæ
patriæ suæ, pingatur cum cornubus, inde Autor erudite ad-
modum de cornuum imagine in capitibus hominum, eorundem-
que significatione disserit. 3 *Nicolai Toinardi* fragmentum histo-
124. riæ Herodiadum. 4 *Philippi a Turre* dissertationes de Beleno, &
128. aliis quibusdam Aquilejensium Diis. Belenum, Baal, Bel, &
Apollinem unum idemque asserit numen, & Bel Een interpreta-
tur Deum fontis & aquarum. 5 Abenephii sequitur liber singularis
133. de servitute Ægyptiaca Israelitarum, a Kirchero millies allega-
tus, quippe in quo omne præsidium ponit antiquitatum Ægyptia-
carum, quem tamen vel ipse finxit, vel ab alio fictum erudito orbi
154. obtrusit, velut arabico idiomate consignatum. 6 *J. Gothofredi*
epistola de interdicta Christianorum cum gentilibus communio-
158. ne. 7 *J. Gothofredi* dissertatio de velandis mulieribus, deque exu-
170. via capitis, ad Pauli locum 1 Cor. XI, 10. 8 *Dionysii Petavii* notæ
ad Themistii orationes 19, ubi inter alia ostendit, acervum lapide-
185. um sepulturæ injectum notam ignominiæ fuisse. 9 *Guiliel. Salde-
ni* de canis pretio ad Deuter. XXIII, 10, ubi evincit, per canem
intelligi adolescentem lascivum, disseritque de pretio meretri-
cum, quas dictas ait *πέζας*, quia per plateas obambulant.

193. Parte III sistitur 1 *Jo. Chifletii* Aqua Virgo, fons Romæ ce-
leberrimus & prisca religione sacer, ubi varia de cultu fontium,
statuisque in ipsa earum scuturigine positis, qualis illa Socratis
210. apud Athenienses. 2 *Otton. Sperlingii* de crepidis veterum Diatribe.
3 *Jacobi Sponii* ignotorum atque obscurorum quorundam Deo-
225. rum aræ. 4 *Famiani Nardini* Roma vetus. Hic demonstrat, *νῆσον* in-
sulam dici ædificia Romana, quæ circumiri poterant, & rectissime
228. applicantur ad Apocal. XVII, 9. 5 *Tanaquilli Fabri* Epistolæ, ubi
quæritur de dubia origine asini, Judæorum Dei, ex figmento Pa-
ganorum, de vocibus *ἄγγελος*, *ἀποθανεῖν*, *ὀρθοποδεῖν*, *ἐπιού-
256. σιος*. 6 *Josephi Nerii* Analecta, ubi pariter voces quædam Græ-
276. cæ explicantur. 7 *Jo. Marii Mattii*, Brixiani, libri tres opinio-
num, ubi *παίζειν* denotare docet gestum amatorium, & saltationis
284. magnum fuisse usum in sacris, probat. 8 *Josephi Castalionis* expli-
catio inscriptionis Augusti, quæ exstat in basi obelisci statuti
ante portam populi. Hic Noster voces, Augustus & *σέβαστος*,

ado-

adorabilis interpretatur. Ceterum optabunt omnes, quibus Cl. Autoris diligentia & sagacitas in indagandis antiquitatibus perspecta est, ut in recensendis ac emendandis Antiquariis pergat, numerumque, quem statuit sibi, millenarium feliciter absolvat.

NOVA LITTERARIA.

Parisiis nuntiatur, Virum Clarissimum, *Franciscum Dionysium Camusat*, qui edito hactenus libro *Bibliotheque Francoise* (quem ipse quidem in Litteris ad Amicos *indigestum lascivientis adolescentiæ fructum* vocare pro modestia consuevit) nuper inclaruit, jam in eo esse, ut edat *novam Ephemeridum Historiam*, cujus Tomus I, quo Diarii Parisiensis sortem accurate descripsit, prelis Batavis subjectus est. Procedet in sequentibus ad exterorum etiam Ephemerides, imprimisque, quoad licebit, id operam dabit, ut Autores earum omnes enarret, horumque vitas ac mores describat, deinde judicia de illis colligat Virorum doctorum, sive æqua sint, sive iniqua, denique recenseat, quos adversarios expertæ fuerint, & quæ hinc inde scripta controversa prodierint.

Dacherius & Mabillonius, quorum judicio facile Eruditi omnes acquiescent, veterem Monachorum Disciplinam non Monasticis modo, sed etiam Ecclesiasticis rebus illustrandis ita necessariam existimabant, ut vetustos autores, qui litterarum monumentis illam commendaverant, colligere & luce publica donare cogitarent. Dolendum sane, quod illos alio avocaverint aliæ occupationes. Ecquis enim id melius præstare potuisset? Consilium vero ab illis relictum exsequi parat Monachus S. Blasii in Nigra Silva, qui typis mandare cœpit Parisiis volumen in Quarto, cui titulus: *Vetus Disciplina Monastica, seu Collectio Autorum Ordinis S. Benedicti, maximam partem ineditorum, qui ante sexcentos annos per Italiam, Galliam atque Germaniam de Monastica disciplina tractarunt. Continet res non modo Monasticas, sed etiam Ecclesiasticas ad Historiam Sacram pertinentes. Prodit nunc primum cura & studio ** Presbyteri & Monachi Benedictini Monasterii S. Blasii in Silva nigra. Cum triplici indice, I Librorum & Capitum, II Vocum exoticarum, III Rerum & verborum. Parisiis, typis Caroli Osmont, Bibliopolæ Parisiensis, via San-Jacobæa, ad insigne*

insigne Olivæ, MDCCXXV. Continebuntur opere hoc sequentia: Petri Diaconi *Disciplina Casinensis ex autographo Mſ. Bibliothecæ Casinensis.* S. Sturmii, *primi Fuldensium Abbatis, Consuetudines, ex Italia circa medium VIII seculi Fuldam illatæ, nunc autori suo restitutæ.* Theodemari *Usus Casinenses, ad Carolum M. sub finem VIII seculi transmissi.* S. Benedicti Anianensis *Capitula de Disciplina Monastica suo autori asserta: quæ ante & post Aquisgranense concilium conscripsit.* Capitula Monachorum *ad Augiam directa ante annum DCCCXVII.* Capitulare Aquisgranense *de vita & conversatione Monachorum.* Capitula Monachorum San-Gallensium, *ad Regimbertum missa.* Luxovienses ritus, *ex vetusto Psalterio Luxoviensis Abbatiæ Mſ. eruti.* Guidonis *Farfensis & Monasterii S. Pauli Romæ Disciplina; ex Mſ. Vaticano num. 6808 & veteri codice Mſ. S. Pauli in urbe.* Bernardi *Cluniacenses consuetudines a mendis purgatæ, & ad fidem Mſ. codicis S. Germani a Pratis castigatæ.* Excerpta *ex* Divionensi *disciplina, quæ cum* Fructuariensi *communis erat, ex Mſſ. Benignianis.* S. Wilhelmi *Constitutiones Hirsaugienses seu Gengenbacenses seculo XI factæ, ac centum & ultra Germaniæ Monasteriis illatæ, ex Mſſ. Einsidlensibus.* His porro accedent Fragmenta Veteris Disciplinæ Monasticæ: *Lectiones coram hospitibus recitari solitæ, juxta præceptum S. Benedicti Reg. cap. LIII ex Mſ. perantiquo Rhinoviensi. Formulæ petitionis & professionis Monasticæ, ex Mſſ. Biblioth. Vindobonensis Aug. Cæsareæ, S. Galli, & Augiensi. Formula offerendi pueros in Monasterio, ex Mſſ. S. Galli seculo IX exaratis. Formula Excommunicationis ex Mſ. Codice Mellicensi. Orationes tres ante Matutinum & Vesperas a Monachis recitari solitæ, ex Mſ. Breviario Casinensi, quod in domo Instit. Parif. D. J. asservatur.*

Ceterum latere nolumus Lectores nostros, Virum Cl. *Jo. Frid. Schannat*, quo rectius *Traditionibus* suis *Fuldensibus*, Lipsiæ 1724 editis & in his Actis Anno superiori M. Jul. p. 296 a nobis recensitis, consuleret, nuper admodum duplicem libri Indicem, hactenus desideratum, alterum rerum ac nominum memorabilium, alterum Topographicum, Fuldæ typis *Jos. Ant. Kæss*, Typographi Aulici, publicasse, quo vix carere poterunt, qui opere jam pridem prostante rite uti cupiant.

No. II

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Februarii Anno M DCC XXVI.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB *anno Æræ Christianæ D ad MD.* LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, *Sereniss. Ducis Mutinæ Bibliothecæ Præfectus, collegit, ordinavit & Præfationibus auxit.*

Tomus VI.

Mediolani, ex Typogr. Societ. Palat. in Regia Curia, 1725, f. Alph. 7 pl. 6 Tabb. æn. 2

STrenuo & incredibili propemodum labore institutum prosequitur Celeb. *Muratorius*, qui & sextum, & nuperrime septimum, ut accepimus, Tomum Scriptorum Italiæ medii ævi in lucem protraxit, proxime etiam editurus octavum & paucos alios, quibus integrum Opus absolvet. Exhibet vero hoc sexto Tomo, quem Eminentissimo *Giberto* S. R. E. Cardinali *Borromæo*, Episcopo Novariensi, magno Mæcenati, sacrum voluere Palatini Socii, interprete *Philippo Argelato*, primo loco *Petri Diaconi* de Viris illustribus Casinensibus opusculum, cum supplemento *Placidi*, Monachi Casinensis, quæ primus cum notis suis, hic repetitis, edidit Jo. Bapt. Marus, Romæ 1655, post in Bibliotheca Patrum Tomo XXI, iterumque Par. 1666, denique a Viro Cl. J. A. Fabricio in Bibl. Ecclesiastica recusa. Succedunt *II Acta translationis Corporis S. Geminiani*, Episcopi & Patroni Mutinensis, ex uno templo in alterum Mutinæ A. 1106 factæ, præsente Mathilde, quam Noster, Comitissam Mutinæ, seu certe magna in urbe autoritate fuisse, arguit: accessere pauca quædam ex eodem Codice, quæ Henricum V Imp. & Mathildem spectant. *III* Quinque *Chronica* brevia *Pisana*, ab

Ugbel-

Ughello Tomo III Italiæ S. mendose satis exscripta, quorum tria quidem e Codice Lucensi emendatiora nunc prodeunt: accedit ex eodem *Ughello* carmen *de expugnatione Majoricæ* a Pisanis facta, autore coævo *Laurentio* Veronensi. Notat hic Cl. *Muratorius* incuriam Ughelli, qui & in designandis annis contra fidem codicum sæpius erravit, & Boreales insulas non uno in loco dixit, quas Baleares dicere debuisset. *IV* Anonymi Venusini, quem Seculo XII vixisse Noster evincit, *Vitæ quatuor priorum Abbatum Cavensium*, *Alpherii*, *Leonis*, *Petri & Constabilis*, nunc primum e Clar. olim Viri Bened. Bacchinii apographo editæ, quibus præmittitur Diploma Guaimariorum Principum de concessione Monasterio Cavensi A. 1025 facta, & subjicitur Historia consecrationis ejusdem monasterii. Prolixi sunt imprimis *V Caffari* ejusque Continuatorum *Annales Genuenses* ab A. 1100 ad A. 1294, quos beneficio *Josephi Malaspinæ* S. R. I. Marchionis, cujus tamen Codicem recentem cum alio, quamvis non integro, non sine fructu contulit, in lucem nunc tandem protraxit Cl. *Muratorius*. Idem multus est in libri commendatione, cum nulla fere Italiæ urbs de Historia sibi gratulari possit, quæ a tot præstantissimis successive autoribus, tanta diligentia, de rebus, quæ sub oculis ipsorum gestæ sunt, publica quidem autoritate ac fide, scripta sit. *Caffarus*, Consul Genuensium, cum ipse cum civibus quibusdam in Palæstinam profectus fuisset, imprimis res illic a Genuensibus ab A. 1100 ad 1163 prospere gestas descripsit: cui succedens in hac scribendi provincia *Obertus* Cancellarius res integri decennii usque ad 1174 attexuit. Inde opem ferre conati sunt *Ottobonus*, *Ogerius Panis*, *Marchisius* & *Bartholomæus*, qui omnes, præter Ogerium, Scribæ h. e. Cancellarii dicti, res ad A. 1263 deduxerunt. Post hos publico decreto ad continuandum laborem adsciti quatuor nobiles, *Lanfrancus Pignolus*, *Guil. de Multedo*, *Marinus Ususmaris & Henricus Marchio Gavii*, rursusque A. 1266 *Nic. Guertius* ac plures alii, e quibus tandem unus *Jacobus de Auria* res ad A. 1294 perduxit, nullum nactus successorem, nisi forte *Jacobus de Voragine & Georgius Stella*, quorum Annales Genuenses alio Volumine se proditurum, pollicetur Cl. Editor, quodammodo hoc opus continuasse dicendi sint. Succedit *VI* brevis *Historia Libera-*

berationis Messanæ a Saracenorum dominatu, factæ per Comitem Rogerium Normannum, ex Steph. *Baluzii* Miscellan. Tomo VI ob insignem, quam sapit, vetustatem decerpta. *VII Ottonis Frisingensis* Episcopi ejusque Continuatoris *Radevici* Libri *de gestis Friderici I Imp.* qui cum Germanis nostris sint satis noti, non est ut plura notemus, quam quod libris his, a Cuspiniano primum 1515, iterumque ab Urstisio inter Scriptores rerum Germ. excusis, novum nunc lumen accessit ex collatione MSptorum Codicum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, quam Celeb. Bibliothecæ Præfectus & Archiater Cæsareus, *Pius Nicolaus Garelius*, antehac Medicinæ in patrio Bononiæ Lycæo Professor, per Nicolaum Forlosiam, Neapol. adornari curavit. Quæ etiam felicitas obtigit *VIII Ottonis de S. Blasio Appendici* ad Ottonem Fris. & Radevicum, ab Urstisio primum vulgatæ, quæ variis Lectionibus multo pluribus ex ejusdem Bibl. Codice exornata est. Accessit *IX* Epistola *Burchardi*, Notarii Imp. *de victoria Friderici Imp. & excidio Mediol.* subjectis e novissima *Freheri* editione notulis Burch. Gotthelf *Struvii*. *X Magistri Boncompagni* liber de obsidione Anconæ, a copiis Friderici I Imp. A. 1172 peracta, ejusque urbis liberatione, e membrana prope coæva, quæ nunc in ipsius *Phil. Argelati*, sæpe jam nobis in recensione hujus operis laudati, manibus est, nunc primum vulgatus. Observat vero Cl. *Muratorius* ex ineditis Sicardi, Romualdi, Andreæ Danduli, & Rolandini Chronicis, quæ omnia se vulgaturum deinceps, promittit, hunc Boncompagnium, de quo Scriptores editi fere omnes tacent, circa A. 1221 Bononiæ primum *Grammatices* magistrum fuisse, hoc est, non Latinæ tantum linguæ rudimenta, sed & Poetas, Oratores aliosque Scriptores explicasse, eundemque fuisse, hariolatur, quem *Benum* vel *Bene* Florentinum vocat Sigonius Lib. V Hist Bonon. ubi Petrum de Vineis, de ejus morte scribentem, testari ait, *Grammaticæ Artis extinctam esse lucernam, ac siccatum esse fontem irriguum*: quod ut crederet Noster, suadet eadem ætas, patria, professio, tum & Bononiense Gymnasium; adeoque censet, aut duplex ipsi nomen fuisse, aut ex abbreviatione nominis *Bonc.* qualis scribis ejus ævi solennis fuit, male lecta, factum *Bonus* aut *Bene*. XI *Ottonis & Acerbi Morenæ*, Patris & Filii, *Historia Lau-*

denfis a Felice Ofio primum, e MSpto non optimæ fidei, cum notis ipfius Ven. 1629 edita, iterumque ibidem 1639 a Nicolao Crasfo, ac demum a J. G. Grævio in Thef. Antiqu. & Hift. Italiæ Tomo III P.II & a G.G. Leibnitio Scriptor. rerum Brunfu. T.I ad Ofii editionem nimis forte religiofe recufa, hic ita repetitur, ut textui Ofiano adjungatur a latere textus integer Codicis vetuftioris Ambrofiani, quippe adeo ab illo diverfi, ut variæ lectiones non fine gravi Lectoris tædio fubjici potuiffent, comparati tamen cum alio recentiori Ambrofiano; & addantur tum Ofii notæ, a Leibnitio omiffæ, tum novæ *Jof. Ant. Saxii*, quibus Ofium, qui vix quartam operis partem, priorem nempe, illuftraverat, non infeliciter fuppleviffe dicendus eft. Tandem adjungitur *Sire Raul* five *Radulphi Mediolanenfis de rebus Geftis Friderici I Imp. in Italia*, ab A. 1154 ad 1177 *Commentarius*, brevis quidem, at curiofus & magna veritatis fpecie, quam Autor fynchronus prodit, confcriptus, fcriptoribus aliis, fi Triftanum Calchum excipias, pene omnibus ignotus, quem nunc Cl. *Muratorius*, ex inftructisfima Collegii Patrum Soc. Jefu Braydenfis, quod Mediolani eft, Bibliotheca depromtum, Morenis commodo loco fubjiciendum putavit, ut Lector utriusque partis Scriptores, Ottonem imprimis Morenam, qui Friderico I Imp. militabat, & Rudulphum hunc, qui Mediolanenfium, civium fuorum, res defcripfit, inter fe rite comparare poffet.

TRAITE DE L'ETUDE DES CONCILES, & de leurs Collections.

i. e

TRACTATUS DE STUDIO CONCILIORUM, eorumque Collectionibus variis.

Parifiis, ap. Andream Cailleau, 1724, 4.
Alph. 3 pl. 17.

TRactatum hunc de Conciliis, cujus Autorem effe doctisfimum *Salmonium*, Doctorem ac Bibliothecarium Sorbonæ Parif. compertum habemus, eo majori cum voluptate perluftravimus, quo magis certum ac evidens eft, in hoc ampliffimo ftudio-

ſtudiorum campo & ingrediendo & emetiendo deſiderari adhuc Criticorum induſtriam. Etenim, quod in Præfatione huic operi præmiſſa monetur, Mabillonius quidem ad ſtudia Monaſtica rite inſtituenda (vid. Actor. Supplem. Tom. II pag. 267) Lamius ad Scripturam ſacram recte intelligendam, (vid. Acta A. 1710 p. 292) & Bonaventura d'Argonne, Vicarius Carthuſianorum S. Juliani Rothomagenſis, ad ſcripta Patrum & Doctorum eccleſiæ juſto ordine & cum fructu legenda, introductiones dederunt; quorum ultimus procul dubio autor eſt tractatus, a nobis Suppl. T. II p. 270 ex Mabillonio citati, qui &, judice Autore noſtro, editores Patrum eadem, qua Simonius editiones & verſiones codicis ſacri examinavit, critica ratione proſequi potuiſſet: in Conciliis vero legendis hactenus vulgaribus tantum eorum collectionibus & compendiis uti licuit, & qui novas Conciliorum Collectiones adornarunt, modo addendo, modo pro lubitu ſuo ſubtrahendo, ſuum ſecuti ſunt genium, & non ſolum plurima intacta reliquerunt, ſed etiam ea, quæ edita ſunt, non ea, qua qudem fieri debuiſſet, ratione illuſtrarunt. Qui hanc vel illam veritatem ſtabiliendam, vel hæreſin aliquam rejiciendam, vel materiam quandam ad hiſtoriam eccleſiaſticam pertinentem excutiendam ſibi ſumſerunt, ea quidem, fatente Autore noſtro in proœmio hujus operis, magno cum ſtudio conquiſiverunt & examinarunt omnia, quæ ad ſcopum ſuum collineare videbantur: omnibus tamen conciliis ſecundum artis criticæ præcepta examinandis, vel quoad ſingula momenta geographica, chronologica & hiſtorica, præſertim Epiſcoporum & Epiſcopatuum, locorumque nomina, quorum in conciliis paſſim mentio injicitur, illuſtrandis, perpauci hactenus ſuam impenderunt operam. Imo in omnibus, quæ haud exiguo numero magnoque ſumptu editæ ſunt, Conciliorum Collectionibus errores & defectus deprehenduntur admodum notabiles, adeo, ut nulla ex iis omnibus numeris abſoluta dici poſſit. Hinc viris, qui in conciliis colligendis deſudarunt, doctiſſimis, nec ſua laude privandis, nullam ſe facturum eſſe injuriam credidit Autor noſter, ſi in hoc ſtudiorum genere ulterius progrediendi viam monſtrare aggrederetur. Atque hac mente *Introductionem criticam in Concilia*

eorumque Collectiones, quo titulo opus hoc, magno cum labore compoſitum, nec minori doctrina refertum, jure meritoque inſigniri poteſt, eruditorum orbi exhibiturus, & difficultatum, quibus Conciliorum lectio & collectio premitur, numerum imminuendo, ad præſtantiorem perfectioremque Conciliorum editionem alios excitaturus, obſervationes & annotationes, quas Mabillonius, Sirmondus, Labbeus, Coſſartius, Alexander, Albaſpinæus, Holſtenius, Tillemontius, Pinius aliique in operibus ſuis, quibus perlegendis vix ætas noſtra par videtur, de Conciliis conſignarunt, in certa capita redegit: nec eorum, qui hæreticorum nomine Pontificiis veniunt, vel certe iſtis omni ex parte non probantur, utut Romano-Catholici nominentur, libros de Conciliis ſcriptos ſupine contemnendos, ſed in ſubſidium ſubinde vocandos eſſe cenſuit, ut de quæſtionibus controverſis eo rectius ferri queat judicium. Qua prætexta cauſſa ſe ipſum excuſare voluit, ne pariter in hæreticæ pravitatis ſuſpicionem incideret; quo tamen metu ſuperſedere potuiſſet, cum placita Romanæ ſedis, ea quidem, qua prudentiores Gallorum ſolent, ratione aſſerere & tueri non dubitet; id quod ex ſequentibus luculenter ſatis apparebit: in quibus ſi quis nos inſolitæ prolixitatis arguat, is ſciat, in unius libri recenſione plurium excerpta contineri.

Argumentum hujus operis, quod *tribus* conſtat *Partibus*, &, quid in illo præſtitum ſit, ut more noſtro ingenue pleneque indicemus, in *prima* Parte exponitur & commendatur utilitas, quam ex Conciliorum ſtudio redundare Autor contendit: in *altera* Collectiones Conciliorum & antiquiores & recentiores, quotquot inveniuntur, non ſolum recenſentur, ſed etiam ad examen criticum revocantur: in *tertia* denique ratio præſcribitur, qua ſtudium Conciliorum ſit inſtituendum.

Utilitatem, quam Conciliorum lectio pariat, univerſim ſpectatam, in Partis primæ Capite primo demonſtraturus Autor, voluntatem Chriſti redemptoris ex ſententia eccleſiæ Romano-Catholicæ cognoſcendam eſſe præfatur ex ſacris literis, ex conſtitutionibus & deciſionibus eccleſiæ, ex ſcriptis Patrum, nec non ex conſuetudinibus ab Apoſtolis, quod vulgo creditur, traditis, atque

atque in hunc usque diem servatis. A Scripturis ergo sacris si discesseris, nulla dari asserit sacratiora monumenta, quam quidem Concilia, cum generalia, tum particularia: momenta vero in conciliis discussa & definita, vel ad doctrinam pertinere & articulos fidei, quos religio Christiana præcipit; vel ad disciplinam & regimen ecclesiasticum; vel ad mores Christiano nomine dignos, sive ad facienda & fugienda. Hinc Concilia magnæ semper autoritatis fuisse, &, quod Josephi Ripamontii verbis affirmatur, *vinculum & frenum antiquitus repertum supremæ potestati,* p. 11.
quotiescunque Pontificis ipsius culpa & vitio Catholica fides detrimenti aliquid accipiat. Hinc Collectiones Conciliorum instructissimum dicit armamentarium, thesaurum incomparabilem, codicem legum sanctissimarum universalem, bibliothecam amplissimam. In ecclesia orientali etiam dies festos celebratos esse com- 12.
memorat in conciliorum priorum œcumenicorum memoriam. Quando autem conciliis divinam tribuit revelationem & infallibilitatem, quam tamen tum demum valere statuit, cum concili- 14.
orum legitime celebratorum canones ab ecclesia fuerint recepti, auctoritatem conciliorum plus justo extolli, facile agnoscent, qui in rebus fidei literarum sacrarum ex divino afflatu conscriptarum sententiam, veluti normam & regulam, unice spectandam esse norunt. Utilitatem Conciliorum Autor in capite secundo per quatuor articulos speciatim deducit, respectu scilicet habito dogmatum & morum, disciplinæ & historiæ, præsertim ecclesiasticæ. Et primum quidem quod ad *dogmata* fidei attinet, in conciliis observat, vel articulos fidei principales esse confirmatos. e. g. de divinitate Christi in concilio Nicæno: vel minus principales, qui ex primis fidei principiis per consequentiam fluunt, atque ad doctrinam fidei pertinent, definitos: e. g. de duplici voluntate Christi in sexto Concilio œcumenio contra Monotheletas habito: vel quæstiones minoris ponderis, quæ in sacris literis non evidenter expositæ sunt, ventilatas esse: e. g. an angeli eodem, quo orbis visibilis, tempore sint creati, in quarto concilio Lateranensi. Ex pluribus, quæ adducuntur, dogmatibus ponderari merentur, quæ de jure Principum circa sacra, de quæstione, utrum 25 & 74.
processio Spiritus S. a Filio ex Basilii M. scriptis probari possit, & 28.
de

p. 28. de confeſſione ſacramentali notantur; ubi Dallæum, de confeſſione ante hæc poſtrema ſæcula controverſiam motam eſſe, perperam negare, ait, cum Aldebertus in Concilio Romano ſub Zacharia P. R. anno 745 habito, ob ſolam negatam neceſſitatem confitendi peccata ad impetrandam abſolutionem in numerum hæreticorum ſit relatus.
34. ticorum ſit relatus. Ad doctrinam *morum* plurimum utilitatis ex conciliis accedere, dum Autor probare conatur, pluribus oſtendit, quomodo a prima ſeveritate & puritate ſucceſſu temporis abierit eccleſia, ingruenti autem malo remedium ſit quæſitum in conciliis. Pari ratione copioſe ſatis adducuntur ea, quæ ad *diſci-*
46. *plinam* eccleſiaſticam ſpectant, & vel diverſis temporibus ac locis ſancita, vel etiam certis de cauſis immutata fuerunt: ex quibus
62. tantum notamus, milites in juſtis tantummodo bellis caſtra ſecu-
78. tos, pœnitentiæ publicæ fuiſſe ſubjectos: & extremam unctionem olim ante acceptam ſacram cœnam adhibitam fuiſſe; ex falſa autem opinione, ac ſi in conjugio viventibus poſt acceptam extremam unctionem copula carnalis non amplius licita ſit, quantumvis ſuperſtitioſa & falſa hæc opinio ab Epiſcopo Sarisburienſi a. 1217, & in concilio Oxonienſi a. 1287 ac Windeſorienſi a. 1308 rejecta fuerit, in omnibus tamen eccleſiis morem increbuiſſe, ut extrema unctio ad ultimum usque vitæ halitum differretur. Atque
61. in hoc articulo Dallæus iterum notatur, qui pœnitentiam publicam Sæculo decimo tertio, vel poſt Innocentium III P. R. prorſus
79. extinctam eſſe, affirmat. Conciliis denique probat cum *hiſtoria* & ſacra & profana arctiſſimum intercedere nexum, eorundemque occaſionem & ſcopum præcipuas eſſe hiſtoriæ eccleſiaſticæ partes; cumque omnis generis facta & acta in conciliis occurrant, ex illis res non ſolum eccleſiaſticas, ſed & politicas, civiles & militares, quarum magnam affert copiam, egregie colluſtrari poſſe, Autori noſtro facile largimur, qui hac de cauſa optimos quosque ſcriptores, Euſebium, Hieronymum, Theodoretum, Cyprianum, & alios conciliorum conſervaſſe memoriam commonſtrat. Cum vero auctoritas conciliorum quinque potiſſimum
106. objectionibus impugnetur: videlicet exemplaribus, quæ hodie exſtant, parum haberi poſſe fidei, & longe aliam eſſe rationem Scripturæ S. per providam Dei curam in integritate ſua conſervatæ,

vitæ, aliam Conciliorum, quæ, Crabbio fatente, magna ex parte deperdita sunt & mutilata: editiones quoque Conciliorum plurimum differre: Papam Romanum canone Concilii Nicæni usum esse suppositito, ad Primatum sibi vindicandum; in canone porro trigesimo quinto Concilii Laodiceni vocem *angelos* substitutam esse pro *angulos*: omitti etiam in conciliis, quæ Pontifici non arrideant: apertas dari in conciliis contradictiones, & partem potentiorem semper triumphasse de adversariis suis, ut modo orthodoxi, modo heterodoxi in conciliis prævaluerint: denique Gregorium Nazianzenum de conciliis parum honorifice sensisse, nec persuaderi cogique potuisse, ut Concilio Constantinopolitano A. 382 interesset; hasce objectiones in Capite tertio diluere conatur Autor noster, & multa erudite satis disputat, quæ in ipso hoc tractatu legant ac dijudicent, quorum interest de conciliorum judicare valore.

p. 118. 123. 128. 141.

Nos, missis hisce, progredimur potius ad alteram Partem hujus operis, quæ Conciliorum Collectiones latius persequitur, & capitum numero, atque observationum criticarum copia, reliquis præstat. Et hic Lectori nostro rem nos facturos esse speramus longe gratissimam, si præstantiora quædam capita paulo copiosius retulerimus. Antiquas conciliorum collectiones Autor noster *Capite primo* hujus partis commemorat, & quatuor principales Collectiones Græcas, totidemque minimum numerari tradit Latinas, Canonum Apostolicorum collectione in hunc numerum non relata. Primum quidem inter collectores conciliorum locum mereri censet Athanasium, qui librum per modum Epistolarum ad amicos conscripsit de Synodis Ariminensi & Seleucidensi: Hilarium quoque rogatu Episcoporum Gallorum librum de Synodis composuisse, & literas Græcorum Synodales collegisse: primam tamen collectionem conciliorum Græcam dicendam esse, quæ circa annum 385, autore Stephano Episcopo Ephesino, vel Sabino Episcopo Heracleensi, vel, quod Autori nostro magis probabile videtur, alio quodam anonymo facta: hunc vero compilatorem circa initium sæculi quinti vixisse, & sectæ Macedonianorum addictum, in odium ecclesiæ orthodoxæ, & imprimis concilii Nicæni ea tantum selegisse, quæ Systemati suo favere 143.

videbantur: Socratem tamen ex hac collectione plurima desumsisse, & in suam transtulisse historiam, ea scilicet quæ l. 2 c. 39 de concilio Seleuciensi refert, nec non l. 3 c. 25 epistolam ab Episcopis orientalibus Imperatori Joviano Antiochiæ oblatam. Alteram collectionem Græcam sub titulo *Codicis canonum ecclesiæ*
p. 144. *universæ*, paulo post concilium Chalcedonense confectam, studio & opera Christophori Justelli conquisitam, & post mortem ipsius a Voello & Henrico Justello Christophori filio una cum aliis esse editam: in hac collectione, cujus autor dicitur Stephanus Episcopus Ephesinus, canones haberi novem conciliorum Græcorum, qui jus canonicum antiquum ecclesiarum orientalium constituunt, nempe canones concilii Nicæni XX, Ancyrani XXV, Neocæsareensis XIV, Gangrensis XX, Antiocheni XXV, Laodiceni LIX (Fabricius in Bibl. Gr. Tom. XI p. 41 ponit LXI) Constantinopolitani primi VII, Ephesini VIII, & Chalcedonensis XXIX. Titulum Codicis ecclesiæ universæ impugnari quidem a Francisco Florente in Dissertatione de origine & auctoritate Juris Canonici, eo potissimum, quod canones Sardicenses in hoc codice non inveniantur; excusari tamen & defendi a Quesnellio in tr. de discipl. eccles. p. 31: hunc ipsum codicem ecclesiæ universalis neutiquam confundendum esse, uti quidem Cardinalis Perronius in respons. ad Reg. M. Brit. fecisse dicitur, cum *Codice ecclesiæ orientalis*, quem Joh. Tilius edidit: denique Constantium in præfatione novæ suæ editionis Epistolarum Pontificum probare, jam ante Concilium Chalcedonense codicem canonum col-
148. lectum fuisse. Ecclesia Romana nullum alium codicem habuisse videtur usque ad Concilium Nicænum, quam traditionem regularum apostolicarum; nec postea ullos admisisse canones usque ad Pontificem Innocentium I, quam qui Niceæ sunt decreti: &, quod Constantius affirmat, nulli canones vim Romæ habuisse
149. dicuntur ante codicem Dionysii Exigui. Primam & antiquissimam collectionem Latinam sexto, uti creditur, sæculo scriptam, in bibliotheca monasterii Corbiensis haberi, Autor noster perhi-
150. bet: alteram vero esse eam, quam Quesnellius ex MSC. Oxoniensi edidit, ejusque defectus ex aliis, quæ in pluribus aliis bibliothecis adhuc habentur, manuscriptis facile suppleri posse: tertiam

tiam collectionem latere in bibliotheca Colbertina: quartam vero esse Dionysii Exigui, qui Abbas fuit monasterii cujusdam p. 151.
Romæ; ubi Autor ostendit, in quo collectio Dionysii a codice ecclesiæ Romanæ, nec non a codice ecclesiæ universalis differat.
Describit porro Codicem ecclesiæ Gallicanæ, Codicem Ha- 154.
driani Pontificis Rom. Carolo M. datum, Collectionem S. Isidori, 155.
Codicem ecclesiæ Hispanicæ ante ipsum Isidorum compilatum, 156.
Collectionem denique Martini Braccarensis: & quanquam diffici- 157.
le sit determinare, cujus in ecclesiæ usum hæc vel illa collectio facta sit, ostendit tamen, canones ecclesiæ Gallicanæ non solum in Gallia, sed & in Hispania legis vim obtinuisse, nec non in An- 159.
glia, in qua quinto demum sæculo primum, quod S. Patritii dicitur, & septimo alterum habitum fuit concilium Herefordiæ. In hoc concilio cum Theodorus, quem Autor noster Episcopum hujus urbis, puta Herefordiæ, dicit, alii vero Archiepiscopum Cantuariensem fuisse affirmant, codicem canonum protulerit, quos Angli quoque observare decreverunt, & ex illis decem capitula pro statu ecclesiæ Anglicanæ præsenti potissimum commendaverit, quæritur, utrum Theodorus auctor illius codicis fuerit, nec ne? Justello affirmante, & Beda tacente, Nostro probabile videtur, codicem Theodori a codice ecclesiæ Romanæ non diversum fuisse; eundem tamen Theodorum codicem canonum, & codicem pœnitentialem composuisse, non diffitetur. In Germa- 161.
niam, serius ad fidem Christianam conversam, circa tempus Riculfi, Episcopi Moguntini, compilationem falsi Isidori delatam esse perhibet. In Africana vero ecclesia quatuor diversos Codices canonum a primordio ejus usque ad octavum sæculum usurpatos fuisse monet, quos Noster ordine describit: qua occasione triplicem Baronii errorem notat, primum quod 162.
collectioni Ferrandi CCC capita tribuat, cum tantum CCXXXII habeat; deinde quod Ferrandi & Crisconii Collectiones confundat, ac si Crisconius suæ collectioni tantum Ferrandi opus adjunxerit; & denique quod de illis loquatur, tanquam coætaneis. Hasce vero duas Collectiones Noster inter se confert, & de utroque codice erudite differit. Ad ecclesiam Græcam dum ite- 164.
rum se convertit Autor, in illa Canones Apostolicos, Synodicon,

originum rerumque Constantinopolitanarum manipulum, editum a Combefisio, collectionem Johannis Antiocheni, Photii,
p. 168. opusculum Johannis Pselli, quem Caveus, Sagittarius, Pinius & alii minus recte dicunt Michaelem, collectionem Harmenopuli, epitomen canonum Alexii Aristeni, collectionem Simeonis, qui Magister & Logotheta dictus, Arsenii, & Nili, collectiones etiam particulares in usu fuisse docet, de singulis lectu
173. non injucunda proferens, & ex codice canonum MScto, qui in Bibliotheca Sorbonica asservatur, accurate descripto, annotationem inserit de decretalibus Apostolorum, nondum impressam, a Papa Silvestro usque ad Gregorium II. Observat etiam, col-
178. lectionem canonum Anselmi Lucensis servari in bibliotheca Barberina: Ivonem Carnuetensem duas fecisse collectiones: Cardina-
179. lem *Deusdedit* duo reliquisse opera in MSto, quæ Pinius male confudit: collectionem Cardinalis Gregorii inscribi *Polycar-*
180. *pum:* in decreto Gratiani, de quo prolixius agit, ex Antonii Augustini, Archiepiscopi Tarraconensis, Dialogis plurima emendari debere: plures alios adhuc passim inveniri codices canonum manuscriptos, quos commemorat, & vel juxta seriem rerum,
187. vel ordine chronologico dispositos esse, testatur. Nec prætermittit versionem canonum Arabicam & Syriacam, collectionem Arabicam Melchitarum, & Jacobitarum, collectionem canonum ecclesiæ Nestorianæ, quorum codices manuscriptos admodum raros esse dicit, & canones ab Abyssinis receptos; & tandem concludit, omnes diversas collectiones ad duas commode referri posse classes, cum aliæ literas Pontificum integras vel decretis Conciliorum intermixtas, vel etiam separatas, aliæ vero excerpta tantum ex literis Pontificum vel ex Conciliorum canonibus exhibeant; multas autem collectiones ex commemoratis nondum impressas esse, monet.

Ad recentiores ergo & jam impressas Conciliorum Collectiones describendas Autor progreditur *Capite secundo* atque in articulo *primo* collectiones universales, *secundo*, particulares, & *tertio* summas atque compendia Conciliorum magno cum studio recenset. Collectionum quidem Conciliorum generalium notitiam B. Ittigius jam in Actis nostris A. 1684 p. 348 dedit, & Cel. Fabricius

eius in bibliotheca Gr. Tom. XI p. 113 variis observationibus ac supplementis auctam exhibuit; operæ tamen pretium esse ducimus eandem ex Autore quoque nostro augere, & missis illis, quæ ll. cc. jam notata sunt, quædam singularia tantum decerpere, vel minimum sententiam ejus candide exponere. Videlicet tredecim Autor noster numerat Collectiones generales, quarum *prima* est Jacobi Merlini, qui Parochi primum, postea Canonici munere functus, A. 1525 ad magni Pœnitentiarii ecclesiæ Parisiensis dignitatem evectus est. Hic ad lites tum temporis circa religionem motas, facilius, uti quidem sperabat, componendas, Conciliorum adornavit collectionem, cujus tres exstant editiones; prima prodiit duobus Tomis in fol. Lutetiæ 1525, altera totidem Tomis in 8 Coloniæ 1530 (quam quidem Fabricius æque ac Parisiensem in fol. in manibus suis esse testatur) & tertia iterum Parisiis 1535 non in fol. uti Labbeus dicit, sed in 8 typis Francisci Regnault. Forsan in Labbeana præfatione, ex qua Noster editionis secundæ mentionem facit, typographi vel calami vitio voces *in 8*, ad alteram editionem positæ, cum verbis *in fol.* tertiæ adscriptis, sunt commutatæ, cum Noster tertiam hanc, veluti a semetipso visam, describat, & epistolæ dedicatoriæ primæ editionis tantum partem aliquam in hac expressam, bullam vero auream Caroli IV, &, quicquid de electione Regis Romani secundæ editioni adjectum, in hac tertia quoque reperiri, testetur, nulla mentione facta bullæ Pii V, de non appellando ad futurum Concilium, quæ in tertia hac editione Parisiensi procul dubio prætermissa. Merlinum autem non Anglum fuisse, sed Gallum e vico S. Victurmuni Lemovicensis diœcesis, contra Miræum & alium quendam Autorem confirmat. *Altera* collectio est Petri Crabbii, Monachi ordinis Franciscani, qui æt. 83 A. C. 1554 d. 30 Aug. pro quo Miræus & qui eum sequuntur annum 1553 perperam ponunt, diem obiit supremum. Hic Coloniæ Agripinæ 1538 in fol. duos edidit Tomos Conciliorum, ex quingentis bibliothecis collectorum, quibus 1551 Tomum tertium addidit. Quare Concilium Viennense in hac collectione omissum, alteri Tomo vero duo indices rerum annexi sint, ex Autore nostro cognosci potest. *Tertium* locum Noster tribuit Francisco Joverio, quem, cum non

p. 197.
199.
201.

tam collectoribus quam epitomatoribus accensendus videatur, Sirmondus & Baluzius in collectorum numerum non retulerunt.
p. 203. *Quartum* locum tenet Laurentius Surius, qui A. 1567 Coloniæ Collectionem Conciliorum edidit quatuor Tomis, ita quidem, ut nonnulla omiserit, quæ in altera editione Crabbiana jam impressa fuerunt; præcedentibus vero Collectionibus octo libros Constitutionum Apostolicarum, codicem encyclium & quintum Concilium generale addiderit. *Quinta* Collectio, quæ Venetiis A. 1585
204. quinque Tomis divulgata fuit, a Labbeo & Cossartio perperam tribuitur anonymo, cum typographus, Dominicus Nicolinus, nomen suum aperte profiteatur, seque eruditorum opera, præsertim Dominici Bollani, usum esse testetur. Hanc totam in gratiam Romani Pontificis compositam, nec ullum fere alium in scopum annotationes margini & contextui adjectas esse, ingenue fatetur Autor noster, quam ut autoritas Papalis extollatur. *Sexto* loco
205. ponitur prima Collectio Binii, quæ notis ex Baronio desumtis illustrata & historica methodo disposita, Coloniæ prodiit A. 1606, Paulo V inscripta. Et huic collectioni perficiendæ non solum inserta sunt Concilia Hispanica a Garsia Loaisa & Valerio Sereno Lovanista collecta; sed etiam quæ Ducæus, Bellarminus, Antonius Possevinus & Serarius suppeditarunt. Collectio Romana,
206. quæ *septima* est, A. 1608 in quatuor Tomos in fol. est distributa, quorum duo posteriores A. 1612 prodierunt. In hac Concilia generalia prima vice Græce edita sunt, & cuivis Concilio historia ejus est præmissa. Observat vero Autor noster, lectiones, a Surio in margine positas, in hac collectione textui insertas, plurima loca ex ingenio correcta, ordinem fere totum inversum, & Concilium Basileense, Bellarmino instigante, tanquam falsum rejectum, & quicquid supremo Pontifici non placuerit, omissum; discursum vero præliminarem in Concilia generalia, teste Labbeo, a Sirmondo esse conscriptum. Secunda Collectio Biniana, quæ A. 1618, & tertia, quæ A. 1636, non 1638, quod Labbeus affirmat,
207. prodiit, *octavo* & *nono* numerantur loco. Binium ab Usserio contaminatorem conciliorum dici, Noster non dissimulat, qui tamen utriusque posterioris editionis incrementa & ele-
209. gantiam collaudat. *Decima* hinc sequitur Collectio, quæ est Regia Pari-

Parisiensis A. 1644, XXXVII splendidis voluminibus exhibita, in qua Binii & Sirmondi Collectiones conjunctim, sed iisdem cum erroribus & sphalmatibus impressæ sunt, ita ut editores ne errata quidem, in Sirmondi collectione notata, consuluerint: quare vero non omnes constitutiones Imperatorum & alia huc pertinentia monumenta huic collectioni inseruerint, se ignorare ait. *Undecima* Collectio est Patrum Labbei & Cossartii, quam Autor non solum pleniorem dicit præcedentibus omnibus, ipsa quoque Regia; sed etiam collectioni Harduini præferre nullus dubitat. Hæc prodiit A. 1672 XVII voluminibus, quorum VIII priora Labbeus ad finem perduxit, operi A. 1667 immortuus; Cossartius vero nonum & decimum a Labbeo inceptum perfecit, & reliqua adornavit, atque sic toti operi ultimam manum imposuit. Potiora momenta, quæ huic collectioni accesserunt, sunt. 1 annotationes Sirmondi ad Concilia Gallicana postumæ, quippe qui in altera eorum editione ornanda multum operæ jam posuerat, morte autem præpeditus fuerat, quo minus eam consummare potuerit; 2 amplissimus conciliorum numerus, nunquam antea impressorum; 3 concilia Annalibus Rainaldi, Spicilegio Lucæ Acherii, operibus Marcæ, Baluzii, & aliorum inserta, atque sic in diversis libris dispersa; 4 emendationes conciliorum jam editorum ex codicibus MSCtis, variis ex bibliothecis conquisitis (ita primum & secundum Concilium Carthaginense, antea imperfecta, ex antiquo MSCto Vaticano hic restituta videre licet; & ex MSCto bibliothecæ Cardinalis Barberini plurima monumenta addita sunt ad Concilium Constantiense pertinentia, quæ antea desiderabantur) 5 Textus Græcus nonnullorum Conciliorum, quæ antea tantum Latine legebantur; 6 plures vitæ & epistolæ Paparum; 7 haud exiguus numerus orationum & epistolarum aliorumque monumentorum ad Concilium Tridentinum spectantium; 8 annotationes variorum Autorum in Concilia antea seorsim editæ, ex. gr. Albaspinæi, Mendozæ &c. & denique 9 ipsius Labbei atque Cossartii notæ in plurima loca difficiliora. Labbeanam hanc collectionem nova excepit Stephani Baluzii, quæ *duodecima* est, & cujus Tomus primus tantum prodiit Parisiis A. 1683, in Actis nostris A. 1684 M. Aug. p. 348 prolixe & accurate descri-

p. 210. 213.

descriptus. Nempe Baluzius acta conciliorum & emendare & augere voluit, hocque consilio multa congessit monumenta, vel antea prorsus incognita, vel nondum impressa, vel minimum Collectionibus Conciliorum nondum inserta, ejusque operam in illustranda collatione inter Catholicos & Donatistas Carthagine habita, in corrigendo codice encyclio, in rebus gestis vel confirmandis vel refutandis, Autor noster maximopere extollit, notatque, Baluzium, Imperatricem Pulcheriam Concilio Chalcedonensi interfuisse, negare; e contrario adversus alios probare, Julium Episcopum Puteolanum, tanquam Legatum Pontificis Leonis I, cum Hilario, Archidiacono ecclesiæ Romanæ, in Concilio Ephesino præsentem fuisse, Renato, Presbytero ejusdem ecclesiæ, in itinere mortuo. *Ultima* tandem Collectio est Harduini, quæ
p. 216. sub titulo *Collectionis maximæ* XII Voluminibus Parisiis A. 1715 typis regiis impressa fuit, & cujus conspectum in Actis nostris ejusdem anni dedimus p. 377. Hæc quidem hactenus prohibita, & propterea paucis visa fuit; nuperrime vero cognovimus, Regia autoritate & venditionem hujus Collectionis esse permissam, & accuratiorem revisionem injunctam. In præsenti, cum Autor noster sententiam suam de hac collectione libere exponat, & quid in ea laudandum, quid desiderandum sit, luculenter enarret, Lectorem quoque nostrum de eo certiorem facere non pigrabimur. Primum Noster vel ex ipso titulo, in quo *Decretalium* expressa mentio fit, apparere judicat, quodnam Harduini institutum fuerit. Quanquam enim in margine ipse annotaverit, eruditos Pontificum Decretales pro suppostitiis habere; in indice tamen suo nonnulla minus certa collocat, ex Decretalibus & aliis ejusdem generis documentis desumta, quæ tanquam genuina extollit. Et ex his eum principia deducere libertati Gallicanæ adversa; notas quoque ejus præjudiciis Transmontanorum esse conformes, in indice rerum nimia cum propensione indicatas, judicat. Nec sibi persuaderi patitur, Clerum Gallicanum, A. 1685 congregatum, provinciam adornandi hanc Collectionem illi commisisse; & quando le Long affirmat, Harduinum ex Conciliis Gallicanis a Labbeo & Pommerajo editis nullum omisisse, & viginti tria Concilia Gallicana nunc prima vice

in

in hac collectione edidisse: utrumque falsum esse confirmat; & non solum Concilia omissa enumeret, sed etiam quibus in operibus Concilia, quæ nunc prima vice edita dicuntur, reperiantur, ostendit. Tum vero accurate recenset, quæ monumenta in secundo, sexto, septimo & nono volumine nunc prima vice exhibeantur, in præcedentibus collectionibus non obvia, vel non tam plene perfecteque expressa. Sed cum de hac Collectione plura alia in sequentibus notanda veniant, Autorem jam sequamur, in articulo hujus capitis secundo particulares Conciliorum, in hac vel illa regione habitorum, Collectiones enarrantem. Concilia *Romana* primo loco notantur, a Luca Holstenio Rom. A. 1662 in 8 edita, tum *Africana*, quæ Garnerius A. 1673 in diss. de Synodis, in causa Pelagianorum habitis, operibus Marii Mercatoris annexa, & Schelstrate in tractatu de ecclesia Africana Antverpiæ A. 1679 in 4to collegerunt. *Gallicana* Concilia in generalia distribuuntur & particularia seu provincialia. Illorum collectionem dederunt Sirmondus, cujus controversia cum Petro Aurelio hac occasione percensetur; Petrus de la Lande, qui supplementa Conciliorum edidit Parisiis 1666 in fol. ex quibus Labbeus XIX monumenta jure Collectioni suæ inserere debuisset, ab Autore nostro relata; Ludovicus Odespun de la Meschinieres, cujus Collectio Coloniæ 1646 impressa; quibus subjunguntur Collectio capitularium Regum Galliæ & Edmundi Martene & Ursini Durand Collectio sub titulo Thesauri novi anecdotorum quinque Tomis Parisiis 1717 fol. edita. Provincialia, quæ in Normannia habita sunt, Godinus collegit & Pommerajus edidit 1677 in 4; quæ in provincia Turonensi, Johannes Maan A. 1667 in fol. quæ in provincia Narbonensi habita, Petrus de Marca, Archiepiscopus Tolosanus, collegit, & Baluzius post mortem ejus edidit Parisiis 1668 in 8. Conciliorum *Hispaniæ* Collectionem dederunt Garsias Loaisa, Cardinalis Josephus Saenz de Aguirre, & Franciscus Haroldus: *Angliæ*, præter Guil. de Lindwood, Henricus Spelman, cujus Conciliorum, 1639 Lond. in fol. editorum (quod obiter monemus) exemplum egregium exstat hic in Bibl. Menckeniana, in quo manu docta, forte ipsius Spelmani, infinita fere loca e

(Margin: p. 227. — 234. — 249. — 257.)

p. 261. Cod. Regio aliisque emendantur, multa supplentur, & novæ versiones e lingua Saxonica adduntur, ut novam editionem paranti magno possit esse præsidio. *Germanorum* Concilia commemoraturus, ad Ottonum usque ætatem, capitulares tantum in usu fuisse, monet, & canonibus veteris ecclesiæ Germanicæ ex Goldasto commemoratis, Leibnitii verba citat, dudum miratos esse doctos, neminem hactenus aggressum edere Concilia Germaniæ, quod jam moliri V.C. Christoph. Matth. Pfaffium e nostris, ex Fabricii bibliotheca Gr. Tom. XI p. 129, e Pontificiis vero Jo. Frid. Schannat, aliunde constat. Nicolai Serarii vero, qui in historia Moguntina A. 1604 edita, & A. 1722 a Clar. Ge. Christiano Joannis denuo divulgata, aucta & illustrata (vid. Act. nostr. A. 1723 p. 434) viginti tria numerat Concilia, dum Noster meminit, institutum quoque Polycarpi Lyseri, statuta provincialia Moguntina anni 1310 in lucem proferendi, & dissertationem sub præsidio S.R. Abbatis, J. A. Schmidii, habitam commemorat,
263. in qua plura citantur Concilia, Serario & Labbeo incognita, & genuina a supposititiis distinguuntur. Quando autem Noster S.R. Schmidio peculiarem de iisdem tribuit dissertationem, ex una jam citata duas facit; quem quidem errorem ipse cognovisse & emendasse videtur, dum in catalogo Scriptorum Lyseri tantum adducit dissertationem. Tandem in articulo tertio *Epitomatores* Conciliorum in quatuor dispertit ordines, & in *primo* quidem eos collocat, qui omnium Conciliorum summas dederunt, nempe Carranzam, Contarinum, Jo. Sagittarium, Franciscum Longum a Coriolano, Angelocratorem, Ludovicum
264. Bailium, Johannem Prideaux, Simonem Strarovolscium, Labbeum, Cabassutium, Marcum Battaglini, tabulas Conciliorum Pinii, historiam Conciliorum Hermantii, & Richerii, tractatum historicum JCti, Van-Espen, de codicibus & collectionibus, delectum Actorum ecclesiæ universalis Poissonii, II Tomis in fol. 1706 editum, & analysin, seu ideam generalem Conciliorum œcumenicorum & particularium Bruxellis editam 1706 duobus Tomis in 8, & de singulis erudite differit, præsertim de duobus recentioribus, in citata analysi nullam adhibitam esse monstrans

ἀκρι-

ἀκρίβειαν, sive in excerpendis, sive in transferendis canonibus. In *altero* exhibet Scriptores, qui aliquot Concilia generalia in compendio exhibuerunt, Augustinum Patritium, Conradum Rittershusium, Abrah. Scultetum, Joach. Camerarium, Gonzales d'Avila & Esprit Andre; in *tertio* vero Epitomatores, qui p. 281.
Concilia generalia & nonnulla particularia in epitomen redegerunt, Franciscum Jo. le Maire, Gesnerum, Christianum Lu- 282.
pum, & anonymum quendam, qui historiam Conciliorum a tempore Apostolorum usque ad Concilium Tridentinum duobus Tomis edidit 1699 in 12 (vid. Acta nostra Supplem. Tom. III pag. 342) & his subjungit Indices Conciliorum Prateoli, Padillæ, Freheri, & Antonii Augustini: in *quarto* denique ponuntur Epitomatores Conciliorum particularium hujus vel illius provinciæ; 290.
Aguirrius, qui Hispaniæ; Scholanus, qui Concilia Valentina; Corius, qui Mediolanensia; Hermantius, qui clavem ecclesia-
sticæ disciplinæ; Laurentius Bouchel, qui decreta ecclesiæ Gal- 294.
licanæ; & Laurentius Brancati, qui epitomen canonum, in Conciliis generalibus ac provincialibus, in decreto Gratiani, in decretalibus epistolis, & constitutionibus Pontificum contentorum, vel potius Dictionarium Juris Canonici edidit Romæ 1659 in fol. De his quidem omnibus varia notari possent, lectu non injucunda; sed ne recensio nostra modum excedat, ad Caput *tertium* nobis deproperandum est, in quo rationem præscribit, perfectiorem Conciliorum Collectionem comparandi, docetque, in tali Collectione & materiam considerari debere & formam. 300.
Materiam, per quam acta intelligit & monumenta ecclesiastica, ex quibus Collectio Conciliorum componitur, in articulo *primo* respiciens, eum, qui in Conciliis colligendis rite ac cum fructu versari velit, primum codices manuscriptos consulere jubet, cum modo textus corruptus sit, modo versio minus accurata: qua occasione de Codicibus MSCtis Conciliorum generalium prolixe differit, & quibus Merlinus, Crabbius, Surius, & reliqui collectores, supra jam memorati, usi sint, refert. Inter alia observat, Baronium versione Latina verborum Athanasii ἔστι τὰ τῶν πατέρων, *supersunt acta Patrum*, seductum, acta Concilii Nicæni

fcriptis mandata effe, affirmare, cum verba Græca potius vertenda fint: *fuperfunt Patrum fcripta.* Acta Concilii Bafileenfis vel tribus tantum verbis refert in variis bibliothecis, in Regia Parifienfi, Colbertina, Sorbonica, & Bafileenfi reperiri, quæ Hardti-
p. 319. um, celeberrimum Actorum Concilii Conftantienfis Editorem, (quem non in ipfo tantum opere, fed etiam in indice Vonderhardt fcribit) ad prelum parata habere, in Actis noftris A. 1718 p. 417 lectores noftros certiores fecimus. Porro collectorem jubet Codices manufcriptos inter fe conferre, & ex variantibus lectionibus
337. optimam eligere: quo nomine ex antiquis Rufticum, Diaconum ecclefiæ Romanæ, qui fexto Sæculo floruit, & plures Codices Græcos & Latinos MSCtos contulit & emendavit, & ex recentioribus Nicolinum & Baluzium commendat. Tertio Concilia etiam diverfis locis & temporibus jam impreffa conferenda, &
346. ea omnia attendenda effe cenfet, quæ in lucem publicam emittuntur, ut ex omnibus operibus conquiratur, quicquid Conciliis illuftrandis infervire poffit. Tum quarto felectum docet inftitu-
348. ere in edendis Conciliis, & fuppofititia diftinguere a veris, & monumenta, quæ defiderantur in præcedentibus Collectionibus, fupplere, vel etiam in editis monumentis fententias & voces corruptas reftituere, lacunas, fi quæ occurrunt, explere atque hac ratione partes critici fufcipere (ubi voces *Concilium*, Βȣλὴ, & id genus alias explicat) & fuppofititiis Conciliis etiam illud annumerat, in quo Sfondratus conceptionem Mariæ immaculatam definitam effe affirmat. Quinto in materiarum felectu recte in-
354. ftituendo de fequentibus difputat quæftionibus: utrum Conciliorum Collectioni inferenda fint Apoftolorum Concilia, quæ Antonius Auguftinus omifit: an Concilium Africanum, in quo error Cypriani de rebaptizandis hæreticis valuit: an conftitutiones apoftolicæ: an literæ decretales Pontificum: an eorundem vitæ & decreta: an tractatus fpeciales, cujufmodi a variis pro lubitu Conciliorum Collectionibus additi funt: an conftitutiones particulares Epifcoporum: an collectorum obfervationes. In quæftione de literis decretalibus Pontificum excutienda, Tomum primum collectionis Epiftolarum Pontificum, a Couftant A. 1721 in
358. fol.

fol. editum, dedita opera recenset, de qua cum in Actis nostris nulla hactenus mentio facta sit, operæ pretium fuerit, nonnulla hic ex Autore commemorare. Præfatio generalis ei præmissa de auctoritate papali, diversisque Epistolarum Pontificum Collectionibus, præsertim de illa, quæ Romæ antehac prodiit, & de αὐθεντίᾳ literarum in nova hac Collectione editarum agit. Deinde tempore, quo quisque Pontifex sedem Romanam occupaverit, paucis notato, dissertationes varii argumenti præmittuntur, quarum potiores & prolixiores sunt de primis Successoribus Petri, de hæreticis tempore Papæ Hygini Romam venientibus, de Aniceti modo procedendi cum Polycarpo, de controversia de Festo Paschali mota, de zelo Zephyrini contra hæresin eorum, qui Jesum tanquam nudum hominem respiciebant, de condemnatione Origenis, de pœnitentia Clericorum tribus prioribus sæculis usitata, de idololatria Marcellini, de Schismate tempore Bonifacii I &c. Ipsæ vero Epistolæ Pontificum, vel in lingua originali exhibentur, cum antiquis nonnullis versionibus, vel, illa deficiente, in Latinam linguam accurate translatæ: quasdam etiam versiones ipse confecit Coustant, & cuivis epistolæ argumentum præmisit, quo tempore & a quo scripta sit, indicans, atque epistolis ordine Chronologico dispositis, incertique temporis ad calcem reliquarum conjunctis, notas subjunxit criticas, in quibus αὐθεντία epistolarum confirmatur; ex quo MSCto epistolæ desumtæ sint, quo tempore MSCtum exaratum, & quomodo ad nostram usque ætatem conservatum sit, indicatur; variæ lectiones conferuntur; & quamplurima argumenta, ad historiam ecclesiasticam pertinentia, ex. gr. errores hæreticorum, & antiqui ritus ecclesiastici, illustrantur. Literis vero Paparum, quæ in hoc Tomo habentur ab anno Christi 67 ad annum 440, illæ quoque adjunctæ sunt epistolæ, quæ ad Pontifices datæ sunt, & ad quas hi responderunt, ut sese mutuo illustrent. Appendicis loco annectuntur epistolæ suppositiæ, quæve ex ignorantia, vel malitia vel propter similitudinem styli, Pontificibus falso sunt attributæ, additis in notis rationibus, quare sint rejectæ. Catalogum quoque epistolarum rejectarum Noster exhibet, & ex eo, quod literæ hæ compositæ sint tempo-

re Symmachi, vel paulo post ipsius ætatem, colligi posse monet, quo tempore, quave occasione certæ nonnullæ opiniones de auctoritate papali primum sint divulgatæ. Hanc Collectionem Coustantii quoque cum Collectione Labbeana confert, & observat, in priore plures reperiri epistolas, in nulla Conciliorum Collectione, vel aliis operibus, impressas, ordinem quoque esse longe alium, cum Labbeus ad Concilia epistolas Pontificum retulerit & ordinaverit. Coustantio autem operi immortuo, Simonem Monipotium Collectionem hanc ad Innocentium III continuaturum, nos certiores facit. Pari ratione Ciampini dissertatio de li-
p. 366. bro pontificali Anastasii bibliothecarii, in Supplementorum nostrorum Tomo primo pag. 271 descripta, prolixe recensetur. In
382. forma vero Collectionis Conciliorum describenda Autor primo methodum generalem, qua Collectores Conciliorum hactenus usi sint, examinat, docetque, Merlinum tantum ea protulisse, quæ ad acta Conciliorum & Pontificum ab Isidoro collecta pertinent: Crabbium vero non solum numerum decretorum & Conciliorum auxisse, sed & versiones, notas, & varias lectiones adjunxisse: Joverium Concilia generalia ac decreta Pontificum in tres classes distinxisse: Surium secundam editionem Crabbianam opinionesque vulgo receptas, & in historia ecclesiastica Nicephorum secutum esse: nec ab ea methodo discessisse Nicolinum, qui in Chronologia Onuphrium secutus sit: Binium & editores Romanæ ac Regiæ Collectionum illas ad usum eruditorum commodius aptasse: & Labbeanam Collectionem esse omnium commodissimam. Secundo observat, Collectores non eundem in actis &
387. decretis retinere ordinem; præsertim decreta Papæ Cornelii ejusque literas, nec non epistolas Cypriani & Cleri Romani ad illum alio ordine a diversis Collectoribus collocari: imprimis,
389. ut tertio differentias collectionum editarum ostendat, qua ratione Concilia generalia in quavis Collectione exposita sint, pluri-
419. bus describit. Capite *quarto* difficultates, quibus perfecta & accurata Conciliorum Collectio sit circumsepta, exponit, & admodum difficile esse judicat, acta & monumenta conquirere, cum plurima MSCta Græca & Latina Conciliorum vel perdita sint, vel depravata & corrupta; difficile, mutila & corrupta MSCta integritati

gritati

gritati suæ restituere; in locis dubiis veram lectionem determinare; ex diversis interpretationibus veram sententiam eruere, cum, nisi summa adhibeatur circumspectio, versionum errores facile adoptentur; difficile, certam ætatem vel epocham cujusvis monumenti perscrutari; difficile, sedes episcopales accurate distinguere, ubi errores Geographici, quos Garnerius commisit, & Holstenius, notantur, & le Quien novum opus sub titulo *Orientis Christiani* moliri perhibetur (qua occasione Noster ea recenset opera, quæ ad Geographiam sacram & ecclesiasticam recte cognoscendam introductionem suppeditant) difficile denique, justum constituere ordinem, & Conciliorum, & monumentorum ad quodvis Concilium pertinentium. Capite *quinto* qualitates necessarias, quibus Collector Conciliorum præditus esse debeat, enumerat, & in illo requirit exactam profundamque linguarum, Græcæ & Latinæ præsertim, cognitionem; notitiam verborum mediæ Græcitatis & vocum ecclesiasticarum, judicium criticum, & notitiam rituum ac consuetudinum populorum; notitiam Paganismi, rerum Judaicarum & Romanarum, religionis Ægyptiorum, ceterarumque nationum; necnon notitiam mythologiæ, autorum sacrorum & profanorum; notitiam Chronologiæ, Geographiæ, historiæ ecclesiasticæ, jurisprudentiæ antiquæ & modernæ; lectionem Patrum, quæ cum lectione Conciliorum conjungenda, ut altera alteram & jucundiorem reddat & utiliorem; denique animum partium studio non abreptum, ubi non solum historiæ, sed etiam dogmatum terminos sibi figere suadet. Ex variis, quas Autor cumulat, observationibus tantum notamus, explicationibus eruditorum non semper calculum adjici posse. Sirmondus enim verba *arma projicere in pace*, quod qui faciunt, abstinere jubentur a communione, explicat per *alterum ferire*, cum tamen nihil aliud significent, quam in pace arma sive militiam deserere. Sic verba in MSCtis ita posita: *Dorotheum VS. comitem* Surius legit *Dorotheum vestrum comitem*: sed editores Romani & Labbeus cum pronomen *Vestrum* non quadrare viderint, omisso illo, simpliciter posuerunt *Dorotheum comitem*: quod si textum Græcum consuluissent, facile cognovissent, legendum esse *Virum spectabilem*.

[Margin: p. 439. / 441. / 462. / 465. / 469. / 471.]

Sic

ſic literæ *unde* vel *undus* in antiquis codicibus ſignificant *virum devotum.* Hinc ubi Labbeus legit T. IV col. 937 *per Branemundum Magiſtrianum*, legendum eſt *per Baranem virum devotum Magi-*
p. 474. *ſtrianum.* Capite *ſexto* Autor ea omnia, quæ hactenus prolixe diſputavit, ad tredecim illas Collectiones ſupra commemoratas applicat, & quid in ſingulis deſiderari poſſit, totidem articulis deſcribit. Nos, miſſis reliquis, ea tantum recenſebimus, quæ in Labbei & Harduini Collectionibus deſiderantur. Labbeum Au-
506. tor notat Binium & Editorem Collectionis Regiæ nimis ſecure ſecutum eſſe, atque adeo eorum errores ſimul deſcripſiſſe; eas quoque notas Binii retinuiſſe, quæ ad monumenta, ab ipſo omiſſa, pertinent: ſæpenumero etiam, de hoc vel illo argumento in notis amplioribus ſeſe dicturum eſſe, promiſiſſe, quas tamen nunquam protulit: inſerere omnino illum debuiſſe, præter alia, juramentum Julii II ante electionem Cardinalibus præſtitum, cum perjurium, cujus poſtea inſimulatus fuit, ex illo ſit dijudicandum; itemque proteſtationem Epiſcoporum Hiſpanorum in Concilio Tridentino, propter quam continuatio hujus Concilii per biennium ſuſpenſa fuit: in ſyllabo etiam monumentorum, ſingulis voluminibus præmiſſo, plurima fruſtra quæri monumenta, quæ tamen in ipſo opere reperiuntur; e. g. in Syllabo Tomi Sexti nulla mentio facta eſt juramenti Roberti Ducis Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ, Gregorio VII præſtiti; & inter varia vitia ty-
510. pographica notandum eſſe illud, quod Harduinus in ſua quoque Collectione retinuit, ſcil. in comment. Gelaſii in acta Concilii Nicæni L. I c. II, ubi agitur de victoria Conſtantini a Licinio deportata, verba Græca, *καὶ ἀνῃρέθη ὁ τȣ̃ Χριςȣ̃ καὶ τȣ̃ αὐτȣ̃ θεράποντος τυράννος* ita translata eſſe: *atque ita Chriſti ſervi ejus opera ſublatus ille tyrannus eſt*; ubi ſublata particula & inter voces Chriſti & ſervi, impium ineptumque hunc ſenſum gigni, ac ſi Licinius providentia Chriſti Servi ſui perierit: ſic in titulo ſermonis Patrum ad Imperatorem Juſtinianum apud Labbeum legi *ἐν τῷ τρȣ́λλῳ βασιλικῷ παλατίῳ*, pro *ἐν τῷ τρȣ́λλῳ τȣ̃ βασιλικȣ̃ παλατίȣ*, vertique *in Trullo palatio imperatorio*, cum verti debuiſſet, *in Trullo*, ſive ex obſervatione Lambecii, in parte *palatii imperatorii*, cujus faſtigium tectum & ornatum fuit trullo, ſive

fornice hemicyclo, qui vulgo Italice dicitur *cupola*: Labbeum quoque confundere capitulare Compendiense Caroli Calvi anni 867 cum alio in Concilio Suessionensi A. 853 composito: nonnulla etiam monumenta non eo, quo quidem poni debuissent ordine, Epistolas item Innocentii IV minus accurate disponere, dum ea, quæ quarto loco habetur, primum tenere debuisset. Et talia quidem plura non in Labbei solum, sed & in Cossartii monumentis observat. Præterea Labbeum partium studio addictum fuisse, haud obscure innuit, dum Basileensi Concilio titulum *œcumenici* negavit, eundem vero Concilio Florentino & Lateranensi, sub Julio II & Leone X celebratis, tribuit: nec excusandum putat, quod Robertum Windringtonum, presbyterum Anglicanum, ob perseverantiam in fide Catholica laudandum, hæreticis annumeraverit. Non minorem curam atque industriam Autor adhibuit in Collectione Harduini examinenda, de qua distinctis quatuor articulis agit; & primum ostendit, quid eadem novi præ ceteris habeat, scilicet, quod plurima monumenta Harduinus reviderit, & ex novis MSCtis emendaverit; quod monumenta quædam meliori ordine disposuerit; quod in temporibus nonnullorum signandis majorem adhibuerit ἀκρίβειαν; ubi ea, quæ Harduino correctionem postulasse visa sunt monumenta, enumerat. Tum vero emendationes non tacet, quas Harduinus in Collectione sua utique notare, atque adeo nonnulla immutare debuisset, notatque, eruditissimum Pagium epochas variorum Conciliorum restituisse, & plurimorum suppositionem demonstrasse, ex. gr. quod ad ordinem Conciliorum, sub Symmacho Pontifice habitorum, in Collectionibus valde perturbatum, attinet, Sirmondum quidem recte observasse, Synodum Palmarem esse quartam; errare vero, quando eam ad annum 501 referat, rectius ad annum 503 referendam: ejusmodi observationes Pagium dedisse plurimas, publico applausu A. 1695 susceptas: Baluzium quoque egregiam in emendandis temporibus præstitisse operam: nec non Monachos ordinis Benedictini in operibus Patrum magno numero editis monumenta nonnulla ad Collectionem Conciliorum pertinentia lectionibus variantibus & notis illustrasse, & in ordinem concinniorem redegisse:

p. 517.

horum omnium observationes Harduinum in usum suum convertere debuisse, vel, iis neglectis, indicare lectoribus rationem, quare illas amplecti noluisset. Porro eum quamplurima omisisse monet, cumque ejus institutum fuerit, unam Isidorianam Collectionem repræsentare, atque hac prætexta causa se excuset, quod literas Cornelii Pontificis ad Fabium Antiochenum, ad Cyprianum, & alios, rejecerit; non solum in titulo eum Collectionis Isidori mentionem facere, sed etiam epistolam, Papæ Melchiadæ falso attributam, cujus Isidorus, teste Labbeo, Autor est, non omittere, nec in epistolis Leonis M. Collectionem Isidorianam, quæ, ipso fatente, plerasque Leonis M. epistolas complectitur, deserere debuisse, non nisi octo ex Collectione Dionysii Exigui editis: eundem plura alia monumenta & Concilia prætermisisse in Collectione sua, quorum tamen mentionem faciat in indice, cuivis Tomo præmisso: plurima quoque ne in indice quidem illo commemorasse, quæ ab Autore enumerantur: omisisse itidem capitula primi Concilii Lugdunensis & Concilium Regiense anni 1429, quæ tamen habentur in Collectione Labbeana: alia Concilia eum implicite allegare, ex. gr. *Africana quædam Concilia: Concilia quædam contra Monotheletas, epistolas Synodicas quatuor &c.* nulla speciali cujusvis, vel Concilii, vel epistolæ mentione facta, uti quidem in tali Collectione fieri debuisset: alia quoque Concilia exhiberi sub titulo Constitutionum Papalium, ex. gr. Concilio Romano A. 761 titulum præponi *Pauli Papæ constitutum:* ex Conciliis porro, quæ ab antiquis autoribus distincta fuerunt, eum facere unum, vel unius Concilii decreta alterius Concilii monumentis inserere: omisisse quoque epistolam Zosimi ad Africanos, in qua Pelagium sibi videri Catholicum scribit, procul dubio nulla alia de causa, quam ne Papam errasse, ex illa evidenter nimis constaret: itemque decretum Zosimi, quod Labbeus ex Gratiano repetit, in quo, sedis Romanæ autoritatem aliquid contra statuta Patrum condere posse, negat, quod pariter Harduini studium placendi Pontifici Romano prodit, cum aliis in decretis colligendis sit solertissimus. Hinc longo catalogo enarrantur, quæ in Collectione Harduini frustra quæsiveris: inter quæ etiam sunt multæ Epistolæ Gregorii M. qua-

M. quarum argumentum Autor exponit, nec non Epistola Regis Sigeberti ad Desiderium, in qua hæc verba leguntur: *sine nostra licentia Synodale Concilium in regno nostro non agitur*: & plurima Concilia Gallicana, quæ Collectio in Gallia facta omnino complecti debuisset. Non solum vero integra monumenta omisit Harduinus, sed etiam in illis, quæ impressa sunt, verba nonnulla vel omisit vel mutavit: ubi Autor errorem notat in omnibus fere Collectionibus obvium, in capite 8 sessionis Concilii Basileensis XXI, ubi omnes Collectores legerunt: *Abusum aliquarum ecclesiarum, in quibus - - - Missa etiam privata sine ministro aut per secretas orationes ita submissa voce dicitur, quod a circumstantibus audiri non potest*, ex manuscriptis authenticis & antiquis editionibus legendum monet *præter secretas orationes*. In indice Geographico plurimum posuisse videtur operæ Harduinus, ut Collectioni suæ insigne conciliaret ornamentum: & vel ex solo hoc indice omnes solvi posse gloriatur difficultates, quæ ex nominibus urbium Episcopalium proficiscuntur. Verum Noster pluribus confirmat exemplis, Harduinum uno eodemque tempore duos posuisse Episcopos in una eademque sede; urbes quoque Episcopales ejusdem quidem nominis, a se invicem vero omnino distinguendas, confudisse; contra Episcopatus, qui pro iisdem habiti sint, perperam distinxisse; certis provinciis attribuisse urbes, quæ ab aliis Geographis aliis in regionibus collocantur; sub titulo certorum Episcopatuum posuisse Prælatos, qui nunquam illis subordinati fuerint; titulum Metropoleos eum omnibus dedisse urbibus, quæ eodem notatæ fuerunt in hoc vel illo monumento, eas vero eodem titulo privasse, quibus Concilia ipsa illum assignarunt; plurimorum quoque Episcoporum nomina omisisse, qui vel Concilils, vel aliis monumentis, in Collectione sua contentis, subscripserunt; ex uno Episcopo quandoque fecisse duos; nomina denique & urbium Episcopalium & Episcoporum, nulla addita ratione, immutasse. Ut ex allatis exemplis pauca attingamus, inter Episcopos Portuenses in patrimonio D. Petri ponit Limpum Balthasarem, qui Concilio Tridentino interfuit, & Episcopus Portuensis fuit in Lusitania: Coloniam Armeniæ confundit cum Colonia Cappadociæ: Larissam aliam ponit in

p. 537.

Macedonia, aliam in Syria, quæ tamen pro una habita fuit: Episcopatum Vabrensem a Johanne XXII A. 1317 demum erectum esse constat; nihilo tamen minus Harduinus A. 1059 sub titulo Vabrensis collocat Dominicum Vabensem pro Vabrensem, qui Episcopus Valvensis fuit: Segovia urbs Hispaniæ in Castella ponitur sub Archiepiscopo Tolosano, cum Toletanum scribi oportuisset &c. Ex quibus omnibus ignotum esse potest nemini, dignam Bibliothecario domus Sorbonicæ operam præstitisse eruditissimum Autorem; quique Cel. Fabricii nostri bibliothecæ Græcæ Tomum XI cum hoc tractatu contulerit, alterum ex altero egregie illustre posse & ab utroque ea fere exhausta esse omnia, deprehendet, quæ de Conciliorum notitia proferri possunt.

Quod superest, *tertiam* hujus operis partem ne prorsus in-
p. 548. tactam prætermittamus, in qua methodum studii, Conciliis impendendi, præscribit, quemlibet in genere memorem esse jubet finis atque scopi, sibi in studiis præfixi; tum vero in capite *pri-*
549. *mo* diversas rationes Concilia legendi & tractandi indicat, & acta ipsa præferenda excerptis sive compendiis statuens, antiqua lecturo Justellum commendat; & alios quidem contentos esse posse, ait, Conciliis quinque vel sex priorum sæculorum perlectis: alios vero Concilia primum generalia, tum particularia, præsertim patriæ suæ, & tum demum decreta Pontificum evolvere jubet. In capite *secundo* generales tradit observationes de no-
551. mine Concilii, & variis Conciliorum generibus; de numero & qualitatibus eorum, qui illis interesse debeant; de occasionibus ordinariis & extraordinariis, itemque de ratione congregandi Concilia, de ordine Episcoporum, de mitra Episcoporum & Abbatum; de loco unicuique in Conciliis assignando; de modo agendi in Conciliis, ferendi suffragia, & decidendi; de nonnullorum Conciliorum clausulis particularibus; de confirmatione Conciliorum; de potestate Principum Concilia & convocandi & confirmandi; de ratione Concilium finiendi; de subscriptionibus, & denique de Hispanorum ratione congregandi & haben-
581. di Concilium. In capite *tertio* Concilia lecturum generalia quædam probe ponderare jubet momenta: fieri enim haud raro confirmat, ut hoc vel illud monumentum alteri falso adscribatur: ut diversa

diversa nomina tribuantur uni Concilio: dari etiam Concilia, quorum codices MSCti vel non amplius inveniantur, vel minimum incogniti sint: ex uno etiam codice MSCto non omnes cognosci posse circumstantias, sed ad unum Concilium recte perspiciendum pluribus opus esse codicibus MSCtis: nec ordinem codicis MSCti semper respiciendum esse &c. Tandem in capite *quarto* regulas particulares præscribit Conciliorum Collectiones cum fructu legendi, & ex hoc studio debitos capiendi profectus, ubi imprimis, Concilia in spiritu Conciliorum legenda esse, monet. p. 587. Sed filum abrumpimus, & hoc unum tantum annotamus, in annexo catalogo Scriptores ad hoc argumentum pertinentes sub undecim enumerari titulis, quorum primus Collectiones antiquas; secundus Collectiones generales omnium Conciliorum; tertius Collectiones Conciliorum particularium; quartus Epitomatores; quintus Autores, qui commentarios vel scholia dederunt in canones & Concilia; sextus, qui historiam omnium vel nonnullorum Conciliorum; septimus, qui notas in Concilia; octavus, qui dissertationes divulgarunt; nonus, qui ad materiam de Conciliis referri possunt; decimus editiones speciales nonnullorum Conciliorum, & undecimus canones pœnitentiales complectitur. Atque in hoc catalogo, quem cujusvis industria & supplere, & facile augere potest, & libri rariores & vulgarium librorum editiones optimæ asterisco a reliquis distinguuntur.

Ceterum cum opus tantæ utilitatis & raro & incredibili pretio apud nos veneat, bene se consulturum Eruditis existimavit Nostratium aliquis, si id non minus quidem accurate, & chartæ scriptoriæ, quam vocamus, optimæ impressum, sed in forma octava, quæ Lectorum commodo magis inservit, & paucis exemplis, quæ tamen Historiæ Ecclesiasticæ in Germania cupidis suffecerint, recudat, intra duos menses prelo absolvendum, quo fiet, ut pretium ad quartam vel quintam partem illius, quo nunc liber venit, reducatur.

MARCI ANNÆI LUCANI PHARSALIA, sive de Bello Civili Libri X, eidemque adscriptum Carmen ad Pisonem. GOTTLIEB CORTIUS recensuit & plurimis locis emendavit.

Lipsiæ, adud Jo. Gottlieb Gleditschium, 1726, 8.
Alph. 1 plag. 1.

QUa de causa Cl. Cortius noster minorem hanc Lucani editionem adornaverit, alio loco in his Actis indicavimus. Quam egregie munere suo functus sit, nostrum non est dicere: ne, quidquid dixerimus, veluti domesticum testimonium, suspectum sit. Hoc saltem tuto proferre possumus, subsidiis eum prorsus eximiis instructum ad emendationem Lucani accessisse. Nam, ut de vetere Scholiaste manu exarato, & doctissimorum Virorum observationibus ineditis nihil dicamus, usus est sexaginta amplius codicibus MSptis, iisque majorem partem vetustissimis, nec non editionibus primis & vetustioribus tantum non omnibus. Adde, quod ante & post Grotii, Viri maximi, operam, nemo fere Criticorum fuerit, qui Lucano medicas manus singulari studio admoverit: ipse etiam Grotius negligentius paullo hanc spartam ornaverit; quo pacto plurima vitia non potuere non irrepere in cultissimum Poetam. Et quemadmodum hi, qui a multis magnis ingeniis jam tractatos scriptores emendandos sibi sumunt, vacua haud raro sese jactant in aula; etiamsi fateamur, nullos propemodum esse, a quibus omnia vitia ita profligata sint, ut non gloriæ novæ locus sit relictus; ita contra in autoribus ab aliis aut neglectis, aut laxiore cura emendatis, largior laudis materia suppeditatur. Dicta subsidia Cl. Cortius, qua decet, religione, non tamen superstitiose adhibuit. Quod si eorum sequi morem voluisset, qui omnia monachorum commenta adorant, profecto ex suis codicibus multo auctiorem Lucanum edere potuisset. Ita, exempli gratia, in notulis ad Libr. VI vers. 442 memorat, quatuor MSptos inter vers. 442 & 443 inserere hos quinque:

Gens invisa Deis maculandi callida cœli,
Numinibus magicis arcanæ conscia linguæ,
Quam genuit natura parens, ut fœdera mundi.

Jura-

Juraque fixarum tentaret vertere rerum,
Legibus adstricto ne quid non posset in orbe.

qui quidem in nullis editionibus, neque in reliquis membranis comparent. Item ad ejusdem Libri verf. 479 citat ex tribus MSS. hos quatuor antea non vulgatos:

Nec secus obseptos, quam si spiramina clausæ
Ventorum rabiem vastum tremefacta per orbem
Oceani tenuere fugam, solitasque reliquit
Unda vices, vento terris adfixa relapsus.

Necnon ad Libr. VII verf. 303 ex uno codice hos protulit, qui eleganter ad rem faciunt:

Ne vos Hispani mitis victoria Martis
Securos habeat, dedimus quod rura, quod urbes,
Et quidquid nobis post Gallica bella negatum.

Neque tamen ullum eorum, aut reliquorum, quos primus in lucem protulit, recepit intra contextum: cum satis apertum sit, quibus autoribus debeantur. Quin potius ita in Annæo suo versatus est, ut Celeberrimus Nic. Heinsus in Ovidio suo, quem magno numero Glossematum liberavit. Et sicuti jam dudum Illustris Grotius Libr. IX post versum 499 hujusmodi male adsutum pannulum autoritate veterum librorum sustulit: quod quidem argumento esse poterat, alibi etiam eundem autorem sciolorum ingenio & liberalitati fuisse obnoxium: ita Noster non modo Libr. I verf. 436-440 condemnavit, quos jam alii, cum in nullis MSS. reperiantur, damnandos esse viderant; sed & Lib. IV verf. 251

Et scelerum turba: rapiuntur colla parentum,

qui non modo omnem elegantiam, sed & sensum corrumpit, volentibus quatuordecim MSS. & edit. vetustissima, ejecit, etsi adhuc nemini fuerit suspectus. Item Libr. VI, verf. 554 ita vulgo legunt:

Nec cessant a cæde manus, si sanguine vivo
Est opus, erumpat jugulo qui primus aperto.
Nec refugit cædes, vivum si sacra cruorem
Extaque funereæ poscunt trepidantia mensæ.

ubi manifesta Battologia occurrit. Sed Noster duos priores versus

sus spurios declaravit, atque id in perveteri MS. adnotatum fuisse dicit. Sic Lib. VII vers. 200

Solis in obscuro pugnam pallore notavit,

ut Glossam præcedentis versus, ubi vulgo legebatur: *Prospexit lumen in æthere mæstum*, ejecit. Rursus Lib. VI vers. 207 ita olim legebant:

Par pelagi monstris. Libycæ sic bellua terræ,
Gætulus densis elephas oppressus ab armis.

quæ lectio cum summam inscitiam, tum & tavtologiam habet conjunctam. Ipse vero priorem versum expungit (atque adsentiuntur cum edit. Lovaniensi tredecim MSS.) posteriorem autem ex MSS. & aliis edd. ita restituit:

Sic Libycus densis &c.

Et hujusmodi quidem ineptias locis permultis castigavit; versus tamen ipsos retinuit, sed aliis litteris exprimi, & præterea uncinis includi curavit: ne scilicet receptus versuum numerus turbaretur. Proderit hoc factum ad delicatulorum quorundam opinionem refutandam, qui nescio quam luxuriam in Lucano deprehendisse volunt. Discent nimirum cautius in posterum vitia librariorum ipsis auctoribus imputare. De reliquis emendationibus si cum cura dicere vellemus, aliquot earum ordines constituendi essent. Pars enim earum solam distinctionem, qua in vulgatis libris Poeta vehementer laborat, concernit: exempla habes Libro statim primo satis multa, ut vers. 8, 100, 284 aliis. Aliæ aut modum scribendi, aut minoris momenti varietates corrigunt; e.g. ubi *ac, tum, at, neque, honos, rursum, priore, puppi, nihil, ni,* pro *nisi, nil, puppe, priori, rursus, honor, nec, sed, tunc,* & substituuntur. Quales emendationes etsi non adeo enitescant, ut omnium oculos præstringant; dudum tamen ad ἀκρίβειαν Criticam relata sunt. Aliæ porro positum vocabulorum mutant, eumque magis Poeticum reddunt: e. g. ubi *Clauso sed fidere vallo*, pro *Sed clauso fidere vallo; Toti qui sanguine manent*, pro *Qui toti sanguine manent; Quem dederat Perses, victi quem præda Philippi*, pro *quem victi; Totis, en! viribus orbis*, pro *En! totis*; item *fesso gelidus de corpore sudor*, pro *gelidus fesso de corpore sudor; Quoque minus siccos possent tolerare vapores*, pro *possent*

siccos;

siccos; *tenebis Ægypton populis*, *genitor*, *superisque fugatis*, pro *genitor*, *populis superisque*, aliaque permulta ad eundem modum emendantur. Esse enim Poetarum, positum naturalem vocabulorum immutare, jam dudum ex Horatii præceptis cognitum, sed nostra maxime ætate in emendatione Poetarum a viris doctis observatum est. Aliæ denique aut Terminationem, Inflexionem & Constructionem Vocabulorum concernunt, aut plane Vocabula quædam mutant, atque iisdem alia substituunt. Sic statim Lib. I vers. 101 levi mutatione elegans sensus effictus est, ubi Noster de Crasso, Cæsaris & Pompeji bellum, dum in vivis esset, impediente, ita scribit:

- - - *Qualiter undas*
Qui secat & geminum gracilis male separat *Isthmos*
Nec patitur conferre fretum.

Ubi omnes editiones habent *mare separat*, turpissima Tavtologia, in *undas*, *mare*, *fretum*; cum contra in emendata hac lectione eleganter Isthmos *geminum fretum male separare* i.e. vix atque difficulter dividere dicatur, quo ipso brevitas Isthmi indicatur. Sic eod. Libro de judicio Miloniano:

- - *gladii cum* triste micantes
Judicium insolita trepidum cinxere corona,

ubi vulgo: *triste minantes*, minus apposite. Item Libr. II vers. 126 de Scævola in templo Vestæ a factione Mariana cæso:

Te quoque, neglectu violatæ, Scævola, Vestæ,
Ante ipsum penetrale Deæ semperque calentes
Mactavere focos.

ubi vulgo, nullo prorsus sensu, propinant: *neglectum violatæ Scævola dextræ*. Libro III vers. 235 Cortius noster exhibet:

Qua feriens *rabidum diviso gurgite* pontum
Vastus Indus aquis mixtum non sentit Hydaspen,

ex perpetuo more Lucani, sed & aliorum Græcorum Latinorumque scriptorum, qui amnes ab influxu suo in mare describere solent. Vulgo legunt: *Quaque ferens rapidum diviso gurgite fontem*, quæ lectio est contra rei veritatem, etiamsi *fontem* pro aquis fluvii sumseris. Eodem Libro vers. 711 de funditore:

- - calido *fregit cava tempora* plumbo,

nunc Lucanus dixit, prout ipse alibi *liquefactum pondus glandis* agnoscit, & ex Virgilio aliisque scriptoribus res ipsa nota est. Vulgares editiones frigidæ nimis præferunt: *solido* fregit cava tempora *plumbo*. Sed desinimus exempla adnotare, cum permulta afferri possent, & ea cuivis lectori statim in oculos incurrent, si ipsam hanc editionem in manus sumserit. Locis difficilioribus passim Conjecturas suas adjecit Cl. Editor. E. g. Lib. IV vers. 446 in descriptione diluculi ex MSS. restituit autori:

\- - - *quo tempore* primas
Impedit *ad noctem jam lux extrema tenebras*,

cum adhuc vulgatum fuerit: *Impulit ad noctem.* Ait tamen in notis, faciliorem intellectum esse, si scribas: *pronas* Impedit *ad noctem.* Sic Lib. II vers. 441 legendum censet:

\- - - *quod non terat hoste* vacantes
Hesperiæ fines viduos*que irrumpat in agros*,

cum omnes edd. habeant *vacuosque i. i. agros*, quod duriuscule tam exiguo intervallo excipit *τὸ vacantes.* In præfatione Cl. Editor lectores rogat, ne nimis proclives sint ad damnandum emendationes, si non statim captui eorum respondeant: promittitque, se in majore Lucani editione, quam vel hoc anno communicabit, omnia clarius multisque exemplis demonstraturum. Interim & nos affirmare possumus, majorem illam Lucani editionem non modo Veteri Scholiaste multorumque Virorum doctorum integris, magnam partem adhuc ineditis, observationibus instructam apparituram esse; sed & Cl. Cortium in locis difficillimis, adstrictius tamen, quam in Sallustio factum est, interpretis officio satisfacturum; ne Criticum tantummodo agendo quibusdam lectoribus labor ejus minus utilis sit.

THESAURUS MONUMENTORUM ECCLEsiasticorum & Historicorum, seu HENRICI CANISII *Lectiones Antiquæ, quibus Præfationes Historicas &c. adjecit* JACOBUS BASNAGE.

Tom. III. Pars I & II.

Ant-

Antverpiæ, apud Rudolph. & Gerhard. Wetstenios, 1725, f.
Alphab. 12. plag. 3.

QUæ in tertio hujus Thesauri Monumentorum Ecclesiasticorum Volumine, olim ab Henrico Canisio e tenebris in lucem protracta, a Cl. autem Basnagio suo quæque Scriptori asserta leguntur nonnullorum, qui X, XI, XII a Christi nativitate seculis vixerunt, doctorum scripta, ea sequentia sunt. Præter *Vitam S. Burchardi*, Herbipolensis Episcopi, autore anonymo, prima p. 5.
hujus Voluminis Parte duæ habentur Synodi, *Engilenbemensis* altera, altera *Augustana*; post *S. Willibaldi*, Episcopi Aichstadia- 9.
ni, *Vita*, scripta ab Autore anonymo; *Hippolyti Thebani Chroni- 11.
con*; *S. Adalberti*, Pragensis Episcopi, Prussorum, Boemorum, 16.
Polonorum & Hungarorum Apostoli, tandem Martyris, *Vita*, 34.
cui accesserunt alia ex variis Codicibus de Vita Adalberti *Fra- 45.
gmenta*; & de *Adalbaide*, Ottonis I Imperatoris conjuge, matre Ottonis II, *Libri duo*, Odilone Cluniacensi, ut videtur, Au- 59.
tore. Sequuntur, qui Seculo XI scriptis inclaruerunt, e quibus 73.
gemini producti *de Emmerammo* Scriptores, *Meginfredus* &, qui ipsi coævus fuit, *Arnolfus*, quorum ille Libro uno, hic duobus 88.
vitam & miracula Emmerammi descripsit. Deinde *Panegyricus* 105.
Wiponis, carmine scriptus ad Heinricum III Imperatorem; *Kili- 164.
ani, Kolomanni & Gotmani*, Martyrum & Sanctorum, *Vitæ*, cum 174.
Vita S. Guntheri, Eremitæ. *Hermanni Contracti Chronicon* ab illis, quæ antea vulgata fuerant, diversissimum & locupletius, ex 185.
Codice MS. hic editum. Sistuntur porro *Humberti contra Græ- 194.
corum calumnias* liber, cum *Nicetæ* cujusdam, quem *Pectoratum* fuisse, affirmat Basnagius, *contra Latinos* libello, cui adjecta est 283.
ejusdem *Humberti ad Nicetam Responsio*; *Vita Henrici a Zwifal- 308.
tach*, & de *S. Bonifacii*, Germanorum Apostoli & Martyris, *Vita*, 314.
Libri duo, Autore *Othlono*, Monacho & Fuldensi Presbytero; *S. 331.
Anshelmi*, Lucensis Episcopi, *contra Guibertum*, Anti-Papam, 337.
pro Defensione Gregorii Septimi, Libri duo, ejusdemque *Collecta- 372.
nea*; tandem *Statuta Canonum de Clericorum Officio*, & Meno- 389.
logium Græcorum, a Cardinale Sirleto Latine redditum, cum 397.
Indice Sanctorum, quorum memoria in hoc Menologio celebra- 412.
tur a Græca Ecclesia. Posteriori hujus Voluminis Parte, quæ non- 501.

p. 6. nullos ex Seculi XII Sriptoribus exhibet, post *Udalscalci de con-*
troversiis inter Hermannum & Eginonem, Abbatem S. Udalrici,
21. *Narrationem*, *Carmenque de Eginonis itinere & obitu*, *Vita &*
27. *res gestæ* leguntur *S. Henrici*, Imperatoris hoc nomine primi,
Autore incerto, quem tamen nonnulli *Adelboldum* fuisse, dicunt;
41. deinde libri tres *de Vita S. Ottonis*, Episcopi & Confessoris Apo-
103. stoli Pomeranorum; *Vita & Passio S. Tyemonis sive Theoda-*
117. *mari*, Archi-Episcopi & Martyris; *Metelli Quirinalia*, in lau-
200. dem *S. Quirini*, Martyris; præter hæc *Fragmentum* aliquod ex
208. Libro contra *Folmarum*; *Officium de S. Carolo M*; brevis *Rela-*
211. *tio*, *de Fundatione Monasterii Windbergensis*, & *Chronicon* incerti
219. Autoris a N. C. usque ad annum 1167. Exhibet porro illud Volu-
men *Monumenta Salisburgensia* novem potissimum partibus, qua-
278. rum 1 *Urbis & Monasterii Salisburgensis Descriptionem* comple-
282. ctitur, ex *Mabillonii Analectorum* Tomo IV; 2 *Vitas* Episcoporum
319. Salisburgensium; 3 *Historiam S. Ludberti*, Salisburgensis Episco-
347. pi; 4 *S. Vitalis*, 5 *S. Virgilii* Vitas; 6 *Catalogum* Episcoporum
396. Salisburgensium; 7 *Arnonis*, ejusdem Ecclesiæ Episcopi, *An-*
430. *notationem seu Indicem* eorum, quæ Ecclesiæ Salisburgensi tradita
452. sunt; 8 factas Ecclesiæ Salisburgensi *Donationes*; 9 *Chronica*
462. *Salisburgensia*. Hæc inde excipiunt Friderici I Imperatoris,
475. cognomento Barbarossæ, *Expeditio Asiatica* ad Sepulchrum Do-
499. mini; *S. Virginis Mechtildis* & *B. Notkeri*, cognomento *Balbuli*,
532. *Vitæ*; tandem *Historia de Guelfis Principibus* cum *Chronico*
554. *Weingartensi* a Christo nato usque ad annum 1197, quod ad calcem
579. hujus Voluminis adjectum est. Singulares operis hujus virtutes
593. laudavimus alibi; quem autem laborem expoliendis duobus pri-
oribus Voluminibus impendit, eundem vel in præsenti desidera-
ri, passus non est, qui illustrandæ antiquitati sedulam, dum vive-
bat, operam navavit, novissimus Editor, Cl. Basnagius. Etenim
præter illud, quod, quæ in hoc Volumine continentur Veterum
scripta, suo disposita ordine, Seculorum probe servata serie,
compareant, unicuique Autorum Præfationes Historicas, Ani-
madversiones Criticas & Notas adjecit, quibus dubias sæpe Do-
ctorum de Autore sententias excutiendas sibi sumsit, suam pro-
posuit, rationibus firmavit, ubique tamen, quæ ejus modestia est,
relin-

relinquendis Lectorum judicio. Lectu dignissima sunt, quæ in *Hippolytum Thebanum* ejusque *Chronicon* commentatus est Vir doctissimus; & eadem doctrina referta esse, videbis, quibus reliqua hujus Voluminis scripta illustravit. Magnæ & diuturnæ fuerunt, quæ inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiam de Azymis, de Jejuniis, de Clericorum cœlibatu, ut reliqua taceamus hujus Græcorum a Latinis dissensus capita, magna animorum acerbitate exortæ fuerunt contentiones, utriusque Ecclesiæ Doctoribus lites moventibus, easque diu reciprocantibus. Et sane multum illustrabunt motuum illorum Historias, quæ in *Humberti contra Græcorum calumnias* & *Nicetæ Pectorati adversus Latinos* Libros observata Viro Cl. quo etiam referas, quæ *Menologio Græcorum*, pretiosæ antiquitatis parti, ab eodem præmissa leguntur, ut adeo vel præsenti hujus Thesauri Volumine Autorem doctissimum, votis eruditorum obsequentem, expectationi eorum satisfecisse, cur dubitemus, causam habeamus plane nullam.

JOAN. FRID. SCHANNAT Samlung ꝛc.

h. e.

SYLLOGE VETERUM MONUMENTORUM historicorum; Autore JO. FRID. SCHANNAT. Pars prima. Accedit vetus Jus Germaniæ.

Fuldæ, sumptibus Autoris, 1725, 4.

Alph. 1 pl. 20.

CLarissimus Autor, cujus jam alibi mentionem fecimus honorificam, magno haud dubie sibi devinciet beneficio cultores & historiæ & linguæ Germanicæ, si, quod hic ingressus est curriculum, strenue decurrerit. Producit scilicet hic e tabulariis, maxime Fuldensi, diplomata nondum edita, ad illustrandam medii ævi historiam Imperii. Quæ nunc quidem exhibentur, Franconiæ & in ea maxime Hennebergicorum Comitum illustrant historiam. Sunt diplomata quadraginta octo, quorum *primo* Carolus IV Imp. Salfeldam facit feudum Bohemicum, eo consilio (quæ Editoris est suspicio haud injusta) ut hoc similibusque factis successorum suorum in Regno Bohemiæ potentiam

in Germania quam maxime amplificet. Quæ *num. II, V, VIII, XXI, XXVII & XXXVIII* exhibentur diplomata, pertinent ad jura & privilegia Ordinis Teutonici, in iisque aliquot adhuc ignoti Magistri Ordinis commemorantur. Cumque turbulenta admodum fuerit illo ævo Germania, hic haud pauca reperiuntur pacta, quibus Principes quidam & Comites Germaniæ inter se paciscuntur de omittendis invasionibus hostilibus, deque controversiis, si quæ exortæ sunt vel exorientur, placide componendis. Pertinent huc *num. IV, XV, XVII, XVIII, XIX, XXIV, XXVI & XXXIV*. Diplomate *XI & XII* Wenceslaus Imp. confirmat pacem & securitatem publicam (*den Land-Friede*) proposita violatoribus pœna gravissima. Idem *num. XX* facit Rupertus Imp. diplomate longiori lectuque dignissimo. Ejusdem Imperatoris duæ literæ *num. XXII & XXIII* occurrunt ad Comites Hennebergiæ de senatu populoque Rotenburgensi ad Tubarim aqua & igne interdicto. *Num. XXX* & tribus subsequentibus docemur, Hermannum, Comitem Hennebergiæ, ab Alberto, Episcopo Bambergensi, electum fuisse Coadjutorem, confirmatumque ab Imp. Sigismundo. *Num. XXXVI* idem Sigismundus A. 1414 Comites Hennebergiæ interesse jubet Comitiis Norimbergensibus, addens, ibi deliberatum iri de rebus in proxime futuro Concilio Constantiæ tractandis. Ejusdem Sigismundi literæ sunt *num. XXXVIII* A. 1415 Constantiæ datæ, quibus meminit, exauctoratum esse Papam Joannem XXIII, seque profitetur nihil non facere ad reddendam Ecclesiæ tranquillitatem. *Num. XXXIII* exstat exemplum pœnitentiæ, civi cuidam impositæ, qui alterum interfecerat. Scilicet coactus is fuit, primo quadraginta quinque libras ceræ solenniter deferre ad sepulcrum occisi, ibique relinquere ad pios usus, deinde eundum ei fuit ad loca sacrata, bis quidem Aquisgranum, semel in urbem Romam; tandem sumtus forenses refundere jussus est, & hoc facto plenissime liberatus. *Num XLI* deprehendimus trium Electorum Ecclesiasticorum cum Electore Palatino pactum de progressibus hæreseos Hussiticæ sufflaminandis. Hi mutuo spondent, se non solum ejus generis hæreticos suis in regionibus non esse toleraturos, verum etiam omnes & urbium & pagorum incolas jurejurando adstricturos esse ad non foven-

fovendos, sed prodendos, si qui irrepserint, Hussiticæ sectæ hæreticos. Cetera diplomata, pacta illustrium personarum dotalia, privilegia Nobilibus viris data, fundationesque religiosas exhibentia, prætermittentes, ad egregium veteris Germaniæ monumentum properamus, quod Cl. Editor ex MS. Ingolstadiensi repræsentat p. 163 usque ad p. 322 adeoque ad finem usque hujus Sylloges. Est hoc Jus Germaniæ publicum pariter ac civile, *das Land-Recht* nominatum, quod confectum fuisse sæculo decimo tertio, ineunte magno illo interregno, suspicatur Cl. Editor, simul docens, in multis id convenire cum *Speculo Suevico*, quod vocant, ordinis vero & orthographiæ ratione diversum & illi præferendum esse. Permittimus id intentius contemplandum veteris Germaniæ juris consultis. Nobis in gratiam eorum, qui patriæ linguæ se præbent studiosiores, nonnulla hinc decerpere libet. Scilicet *Cap. XVI* dicitur Germanicum nomen Principis, *Fürst*, deductum esse a *vordist* sive *vorderst*: id quod confirmat illorum etymologorum sententiam, quibus eadem in mentem venit derivatio, eoque visa est probabilior, quod Romanorum quoque lingua *princeps* proprie *primum* significat. *Cap. 183* pro eo, quod in legibus Imperii vocatur *in die Acht erklæren*, dicitur *veråchten.* Unde facile fuerit suspicari, hoc idem esse, ac *einem seine Achtung benehmen*, sive declarare aliquem infamem. Addimus ex superioribus diplomatibus nomen Germanicum *Zwælfbote*, hoc est, *Apostolus.* Hoc in singulari numero occurrit p. 69, 136, 149 & 154, e. g. *Bartholomæus der heilige Zwælfbote.* Unde discimus, in Germanico *Te Deum laudamus* vulgo perperam scribi *der heiligen zwælf Boten Zahl*, cum scribendum sit uno vocabulo *der heiligen Zwælfboten Zahl.* Verum desinimus & cupide expectamus Cl. Editoris continuationem.

NUOVA PROPOSIZIONE INTORNO ALLA Caruncula dell' Uretra, detta Carnosità.

id est,

PROPOSITIO NOVA DE CARUNCULA URE-thræ, Carnositas dicta, explicata ab ANTONIO BENEVOLO, *Chirurgo Florentino.*

Flo-

Florentiæ, apud Josephum Mannum, 1724, 8.
Plag. 13.

TRactatu hoc octo circumscripto Capitulis de obstaculo illo agitur, quod urethram obturat & urinæ liberum effluxum moratur. Communiter hoc Caruncula seu Carnositas vocatur, & pro excrescentia carnis fungosæ, a continuitate urethræ a quacunque causa soluta, potissimum tamen ab excoriatione in gonorrhœa facta, ortum ducente, habetur. Male carnositatis nomen imponi huic carunculæ, putat Autor, siquidem frequentius tale obstaculum invenit absque ullo excrescentiæ carneæ vestigio; nec tenuis ac nervosa ductus urinarii membrana apta est, quæ possit a quavis excoriatione in carnem fungosam excrescere, cum a transfluente urina parietes ipsius sæpius abstergantur. Ejusmodi effectus potius ab extractione calculi, sæpe satis magni, fuisset metuendus, qui tamen nunquam fuit observatus. Et vagina uterina, quæ in sexu sequiore gonorrhϾ sedes est, & continuo a virulentis humoribus conspurcatur, texturæ suæ ratione citius talibus sarcomatibus esset obnoxia, cujus rei tamen nulla prostat experientia. Præterea ea est cujusvis excrescentiæ carneæ natura, ut vel brevi indurescat, & callum contrahat, nec nisi per fortissima caustica tolli se patiatur, vel in immensam magnitudinem excrescat, quæ tamen phænomena in carunculam urethræ non cadunt. Ad hæc plures sunt Autores, qui in cadaveribus aliquam excrescentiam offendisse se negant, nullus vero est, qui eam vidisse testetur. Quanquam autem Noster non eat inficias, dari casus extraordinarios, ubi per carneam excrescentiam vel recentem vel induratam obex lotio ponitur; constanter tamen negat, carunculam in urethra veneream pro tali excrescentia debere haberi. Postquam enim tria cadavera cultro Anatomico subjicere ei concessum fuit, nihil carnis fungosæ ibidem invenit, sed observavit, quod protuberantia illa urethræ, quæ ab illo granum hordeaceum, a Cowpero bulbus, ab aliis Medicis caput gallinaginis vocatur, vel cicatrice obsessa, vel purulenta materia fuerit repleta. Unde pro certo habet, carunculam illam nihil aliud esse, quam ulcus dictæ protuberantiæ. Virus enim venereum quemadmodum per reliquas, quæ in urethra disseminatæ sunt,

Cap. 1. Cap. 2. Cap. 3. Cap. 4.

ſunt, glandulas promte ſe diſpergit, ita etiam hoc glanduloſum corpus ingreditur; imo humor proſtatarum corruptus, hanc glandulam trajiciens, hujus ſerum ſimul inficiendo excoriationi & exulcerationi anſam præbet. Stante hac hypotheſi clare patet, unde derivanda ſit viſcida illa materia, quæ urinæ ſe admiſcet, tumor perinæi, & partium vicinarum. Ad hæc nec tam cito curari poſſet durities vel excreſcentia carnea, ſi quæ adeſſet, nec olei contactum perferret, nec recidivam pateretur; cum tamen per immiſſionem cereæ oleo imbutæ ſæpe funditus tollatur caruncula. Quanquam igitur ſint, qui multos Autores allegare norunt, carunculam urethræ in excreſcentia quærentes; parum tamen referre putat, ſi quis nulla autoritate ſuffultus ſententiam ſuam roborare poſſit, modo illa rationi & obſervationibus certiſſimis innitatur. Et licet Brunnerus in ſectionibus binis, & Regnerus de Graaff ac Blancardus nullam mentionem fecerint capitis gallinaginis male affecti, ſufficit tamen, eos fateri, quod cicatrices in urethra, vel ulcera offenderint. Imo & læſio in hac protuberantia cum tempore obliterari poteſt. An vero quidam Carunculæ extirpationem per corroſiva tentarint, & abſque noxa peregerint, vehementer dubitat Noſter, imprimis quod reliqua remedia, quæ Autores contra hunc morbum commendarunt, ut ſemen altheæ & malvæ, cerotum de mucilaginibus cum pulvere ſabinæ, oleum ſuccini cum vitello ovi mixtum; ſabina & portulaca; mixtura ex aloe, myrrha, ariſtolochia, tutia & ſtorace liquida; vel ex oſſibus ſepiæ, tutia, cornu cervi uſto, ariſtolochia, alumine uſto, lithargyrio & oleo; cum nihil corroſivitatis in ſe contineant, ſatis teſtantur, quod nullis opus ſit corroſivis pro excreſcentia tollenda. Signa diagnoſtica hujus morbi ſunt filamenta ſanioſa urinæ, ſtimulus frequentior & difficultas lotium reddendi cum æſtus ſenſu, quandoque iſchuria, urina in diverſa, dum mingitur, fila ducta, obſtaculum, in quod impingit candela vel ſyringa, quando in urethram immittitur, quo perforato effluit ſanies; quandoque conjunctæ ſunt cicatrices inſtrumentis totidem obices ponentes; ſubinde etiam in paraſtatis vel veſica urinaria læſiones quædam adſunt, & tum in urina multa viſcida, fœtens, ſæpeque ſanguinea conſpicitur materia; febris

Cap. 5. Cap. 6. Cap. 7.

frequenter accedit cum magno rigore, quem æſtus excipit, cum ſudore abundante. Quodſi igitur ſimplex fuerit Caruncula, per immiſſam ceream materia ſanioſa evacuatur, & liber urinæ tranſitus redditur. Sin combinatæ fuerint cicatrices, difficilius quidem cura procedit, hæ tamen, quia non adeo induratæ nec profundæ ſunt, aliqualem admittunt dilatationem. Ad veſicæ vero vel proſtatarum læſiones delendas nulla cereæ conceditur applicatio, quin præſtat, nihil agere. Denique curam quod attinet, poſt ordinatam congruam diætam, eamque temperantem, prohibitumque vini aromatumque uſum, ſi caruncula fuerit inflammata, nullum invenit locum candela cerea, ſed partes decoctis emollientibus & anodynis fovendæ ſunt, & materia concluſa reſolvenda & ad exitum diſponenda eſt. Illa vero ceſſante candela cerea vel ſtylus plumbeus ter vel quater de die immitti debet per 15 vel 20 dies, partim ut omnis materia contenta exprimatur & evacuetur, partim ut fibræ per repetitam ejusmodi preſſionem magis magisque conſtringantur, ad naturalem magnitudinem redeant, nec novam cumulandi materiam occaſionem habeant. Poteſt etiam candela vel ſtylus oleo amygdalarum dulcium inungi, utpote quod carunculam ad ejiciendam ſaniem diſponit. Nec male agunt, qui ultimis diebus inſtrumenti cuſpidem cerato diapalmæ obvolvunt, ut majorem nactum diametrum eo efficacius operetur. Non debet tamen cerea medicata usque ad veſicæ cavitatem intrudi, ne medicamenti portio in ea relicta calculo generando anſam præbeat. Injectiones interim fieri poſſunt abſtergentes & exſiccantes.

Cap. 8.

De cetero monendus eſt L. B. quod huic libro adjecta ſit Epiſtola ab Autore ad Clariſſ. D. Antonium Mariam Valſalvam 1722 data, de duabus obſervationibus circa cataractas glaucomatoſas a ſe inſtitutis, & a nobis A. 1723 Menſe Januario pag. 43 commendata.

AMOENITATES LITTERARIÆ, QUIBUS variæ obſervationes, ſcripta item quædam anecdota & rariora Opuſcula exhibentur.

Tom. III & IV.

Fran-

Francof. & Lipſ. apud Daniel. Bartholomæi, 1725, 8. Alph. 1 pl. 16.

DUas ſimul amœnitatum ſuarum Partes tradidit nobis Cl. Schelhornius, quæ utilitate & jucunditate prioribus haud cedunt. Quidquid autem decoris & utilitatis in illis apparet, id omne deberi Viro Perilluſtri *Raymundo Krafft de Dellmenſingen*, Reip. Ulmenſis Conſuli, & ex ejus bibliotheca inſtructiſſima depromtum eſſe, grata mente fatetur. Ipſa etiam tractatio incipit cum *Memorabilibus Bibliothecæ* Viri illius perilluſtris (ex qua aliquando integrum Volumen epiſtolarum adhuc ineditarum ſe protracturum in lucem, promittit Cl. Autor) eamque & generatim & ſingulatim, memoratis rarioribus quibusdam libris, deſcribit. In ſingulari hac deſcriptione memorat *primo* loco *Codices Biblicos manuſcriptos* variarum linguarum, in quibus unus & alter antiquiſſimus, maxime inter Latinos. *Secundo* ex *impreſſis codicibus Biblicis* rariores ac præſtantiores indicat. *Tertio* inde a pag. 37 ex reliquis codicibus MSS. *membranaceos* aliquot enumerat *formæ*, quam vocant *in folio*, & *Quarto* ejusdem formæ *chartaceos*, in quibus Libellus *de progenie Soldanorum Ægypti & præſertim de filiis Salahadini*, quem adhuc ineditum eſſe putat, nec non *Sermones in Concilio Conſtantienſi A. 1415 & 1416 habiti*, ex quibus Excerpta quædam inſeruit, faciem Eccleſiæ ejus ævi delineantia. *Quinto* ſequuntur pag. 76 *codices MSS. membranacei formâ quadruplici*, in quibus *Martyrologium Eccleſiæ Germanicæ vetuſtiſſimum*, illud ipſum exemplum, ex quo ſæculo ſuperiore publica editio a V. C. Matth. Frid. Beckio ſuſcepta eſt. Hos *Sexto* loco excipiunt *Chartacei* ejusdem formæ, in quo ordine Anonymi Judæi *Gloſſarium Chaldæo-Ebræo-Teutonicum*, ab eodem Beckio olim editioni paratum: item *Nicephori Gregoræ Oratio in laudem Conſtantini*, quæ non comparet in edit. Pariſienſi, digna tamen eſt, quæ Supplemento Corporis Hiſtoriæ Byzantinæ inſeratur. Concluſionem Orationis ſpeciminis loco exhibet Cl. Schelhornius, cum ſua Verſione, p. 89. *Septimo* enarrantur quidam MSCti *membranacei, forma octuplici*. *Octavo* MSS. *Arabici, Perſici, Turcici*. *Nono* ſeparatim nominantur duo rariores libri, qui nec MSptis, nec impreſſis accenſeri poterant. Nempe *Liber Chinenſis*

M 2 *elegan-*

eleganti typo libro arboris tenerrimo impressus, quinquaginta novem constans foliis, quæ duplicata & ita compacta sunt, ut totus liber unum sit continuum, & ad septuaginta pedes in longitudinem explicari queat. Pagina quælibet novem distinguitur lineolis, deorsum ductis, totidemque continet litterarum series, quarum pars major & crassior, pars vero tenuior, ita ut hæc explicationis vel glossematis, sicut illa textus rationem habere videatur. Titulus peculiaris operi præfixus non est, sed singula folia singulares habent inscriptiones: summam omnia spirant antiquitatem. Tum *Cantiones Malabaricæ, palmæ foliis stylo insculptæ*; quibus denique adnectitur indicium Epistolarum virorum doctorum, quarum autographa, numero circiter 1500, in eadem bibliotheca continentur. *Decimo* apparent *Libri chartæ pergamenæ impressi: Undecimo* illi, qui *sub artis typographicæ primordiis & paullo post a Joanne Fusto & Petro Schæffero vel ab hoc solo excusi; Duodecimo* libri, *ab aliis ad annum usque 1500 typis exscripti*, in quo numero plurimi laudantur, quorum Cl. Maittaire in Annalib. Typogr. haud meminit. *Decimo tertio* libri *alii rariores* ex multis pauci recensentur. Tandem concluduntur Memorabilia illa indicio generali ornamentorum aliorum, quibus bibliotheca Krafftiana superbit. Sequuntur pag. 172 ex iisdem loculis depromti *Catalogi Librorum Arabicorum, Persicorum, Turcicorum, & Hebraicorum Astronomicorum, Medicorum, Historicorum & Philosophicorum in bibliotheca Palatiana Magni Ducis Etruriæ, manu* Antonii Megliabechii *Italico idiomate scripti, nunc primum ex Autographo integri editi*, eosque operi suo singularem splendorem conciliare, non abs re sibi persuasit diligentissimus Schelhornius. III inseritur *Leonardi Aretini in Carolum de Malatestis, propter derogationem statuæ in memoriam Maronis factæ, Invectiva*, quam itidem manu exaratam adhuc servavit Krafftiana, neque nominavit Julius Niger, Ferrariensis, in Historia Scriptorum Florentinorum, ubi cetera Aretini scripta edita & inedita omnia diligenter recensuit; unde non vana suspicio est Cl. Editoris, eam nunquam antea typis esse descriptam. Finem *Tertiæ* huic *parti* imponit *Dodecas Epistolarum ineditarum*, Tezelii, puta, Rami, Velseri, Augusti Ducis Brunsuicensis & Luneburgensis,

gensis, Schotti, Peirescii, Jo. Val. Andreæ, qui litteris suis Disticha duodecim adjecit de symbolo suo SUFFICIT, Ben. Dav. Carpzovii & Mattsbergeri, omni eruditionis genere refertarum: ex quibus desiderium integrum illud Epistolarum videndi Lectori egregie accendetur.

Tomo Quarto I affertur *Notitia rarissimi cujusdam primigeniæ typographiæ monumenti*, cujus primam paginam delineari lignoque incidi curavit Cl. Schelhornius. Liber ipse constat foliis triginta novem, haud opisthographis, ut decoris tamen gratia duæ paginæ semper glutine commissæ cohærescant, charactere Gothico majusculo, rudi & impolito expressus, variis figuris textui immixtis scatens. Sed ex eo forte aliquis suspicetur, sculpturæ potius, quam typographiæ monumentum dici posse: etsi nos cum Cl. Schelhornio facere malimus. II agitur *de artis typographicæ Originibus*, sed paucis: eo, quod admonitus est Autor, Cl. Kœlerum, Altorfinæ Academiæ Professorem, propediem monumenta præstantissima atque antiquissima, Moguntia accepta, publicaturum & Guttenbergium primum artis inventorem esse, clarissime demonstraturum. Inseruit itaque tantummodo Carmen in primorum typographorum laudem ex editione Decretalium Schoifferiana descriptum, quod incipit:

Scema tabernaculi Moises, Salomon quoque templi
Haud preter ingenuos perficiunt Dedalos, &c. &c.

Sequitur III Commentatio *de vita, fatis, meritis, ac scriptis* Francisci Lamberti, Avenionensis, *Theologiæ in Academia Marburgensi Professoris olim primarii*, cujus vitam Autores Relationum novantiquarum de rebus Theologicis & Autor historiæ litterariæ Hassorum breviter perstrinxerunt. Schelhornius vero multa plenius & dilucidius tum ex editis Lamberti libris, tum præcipue e monumentis Anecdotis, quæ bibliotheca Krafftiana suppeditavit, exposuit. IV *Excerpta quædam e Diario Georgii Spalatini MSto*, quod eadem bibliotheca servat. Cumque Spalatinus gravissimis sui temporis negotiis interfuerit, amplissimis functus officiis, & commercio epistolarum cum summis viris usus sit, facile augurari licet, haud pauca memoratu dignissima dicto Diario ipsius magni Viri manu exarato & ab A. 1515 ad A. 1526 producto

contineri. V *Historia editionis Bibliorum versionis Vulgatæ, Sixti V auspiciis Romæ curatæ A. 1590, cum adnotationibus, quibus indiciis genuina illa editio dignosci queat*, lingua Gallica per *Prosperum Marchand*, Librarium, conscripta. VI *Ad illustrissimum Principem Ludovicum Sforciam, Vice-Comitem, Barri Ducem*, Jasonis de Mayno *I. V. Doctoris Præfatiuncula*, cui addita ejusdem *Oratio habita in funere Excellentissimi JCti Hieronymi Torti, tenentis primam Cathedram in felici Gymnasio Ticinensi*, habita Papiæ in Ecclesia fratrum minorum tertio Idus Augusti Anno a natali Christi 1484. Excipiunt ista VII & VIII duo rariora opuscula, olim jam impressa, nempe *Regiæ Maj. Angliæ Mandatorum Epitome, ex præscripto, ad subditos suos, tam Clericos quam Laicos*, ex Anglico sermone in Latinum conversa; & *Epistola Pii Papæ IV ad Danielem Archiepiscopum Moguntinum Electorem*, qua facultatem huic concedit eligendi & deputandi Catholicos Sacerdotes, qui in provincia Germaniæ utramque speciem Catholicis ministrare possint, certis tamen observatis conditionibus, impressa A. 1564; cui IX adhæret *Epistola Joannis Philippi, Archiepiscopi & Electoris Moguntini, ad summum Pontificem, de Communione calicis concedenda uni Principi, Comiti, Civitati, Domino immediato, reditum ad Ecclesiam Catholicam meditanti*, cum certo & evidenti fructu, quæque ad alios non transibit, nisi cum pari fructu; addita consideratione Theologi cujusdam, status præsentis Germaniæ guari. X Conspiciuntur *Epistolæ quædam ineditæ*, ex eodem, unde omnia horum Tomorum, thesauro desumtæ, nempe Danielis Heinsii, C. Dornavii, Joannis Kirchmanni, Jani Gruteri ad Mich. Piccartum, Jo. Fr. Gronovii ad Jo. Heinsium, Gisb. Cuperi ad Jo. Christoph. Wagenseilium, & Jo. Henr. Bœcleri ad Imm. Schorerum. Concludunt opusculum *Additamenta quædam & notamina* ad quatuor partes Amœnitatum, & *Index* in Partes duas posteriores. Notas passim ab Cl. Editore additas esse, supervacnum est admonere, cum & hoc, tamquam perpetuum institutum, & quod nostrum de erudito isto labore sit judicium, alibi pluribus indicaverimus. Hic saltem publico nomine Viro Perillustri, *Raymundo Krafft de Dellmensingen* gratias agimus, quod thesaurum suum aperuerit Cl. Schelhornio, qui tam egregie illo est usus, ut non modo omnes rei litterariæ amatores sibi de-

devinxerit, ſed & eruditos omnes ad plura indies ab ſolida iſtius atque docta induſtria ſperandum, erexerit.

JO. GODOFREDI PILARIK MEDITAtiones Poeticæ in libros Biblicos.

Francofurti & Lipſiæ, apud Ge. Marcum Knochium, 1726, 8. Pl. 16.

PHilologiæ & diſciplinæ ſanctioris ſtudium cum artis poeticæ exercitio haud infeliciter ſe conjunxiſſe, Cl. Autor harum meditationum poeticarum primo hoc conatu orbi eruditorum facile probavit. Voces enim & ſententias Biblicas paucis verſiculis, ad modum Epigrammatum compoſitis, modo explicat illuſtratque, modo ad erroneas nonnullorum ſententias refellendas, vel etiam ad pias in animis lectorum cogitationes excitandas applicat: tum vero in notis, quas verſibus plerisque ſubjungit, ex Theologorum ac Philologorum apparatu controverſias quasdam & quæſtiones vexatas commemorat, &, quos duces ſequatur, ingenue profitetur. Atque hac ratione in præſenti Epigrammata in Geneſin exhibet CCXXXIV, & plura in reliquos libros Biblicos pium lectorem exſpectare jubet. Speciminis loco ut unam alteramve meditationem poeticam adducamus, principium cognitionis theologicæ ſolam Scripturam Sacram eſſe, indicaturus Autor, num. 2 ita canit:

Impia ſint procul hinc oracula, Miſchna, Sibyllæ,
Orco reddat opus perdita Mecca *ſuum!*
Internum lumen, *ſtygius quod provocat ignis*
Lurida cum viſis *ad ſtygis antra volet!*
Traditio *ſileat*, Ratio *gerat ora repreſſa:* p. 3.
Solus *regna DEI monſtrat adire* DEUS.

ubi in notis, quæ prolixitate omnes reliquas ſuperant, paucis delibantur, quæ de Oraculis & Sibyllis, de Miſchna ſeu Judæorum Talmude & Mahammedanorum Alcorano, de lumine interno & viſionibus, de traditione & ratione in ſcholis Theologorum diſputantur. Num. 8 ex voce אלהים Gen. I, 1 Socinum ita refutat:

Jam, Socine, ruis, ſanctam vix miſſus in arcem?
Hoc erit interitus cauſa, ſceleſte, tui.

in nota vero adjecta eos omnes a Calovio refutatos eſſe obſervat, qui myſterium Trinitatis hac voce inſinuari negant: porro Gailardum notat τὸ צל h. l. ſubintelligentem, & verba Moſis ita inter-

interpretantem: *DEus Deorum creavit:* & denique fanaticos de myſterio Trinitatis perperam ſentire, ex Colbergio refert. Num. 13 aquas, quas vocant ſupracœleſtes, ita tuetur:

Non cœlum, nec turba DEI, nec denique nubes,
p. 29. *Sed veræ vera voce notantur aquæ.*
Miraris ſedem? nec aquarum percipis uſum?
Omnia ſi neſcis, rem tamen eſſe, ſcias.

allatisque verbis Cel. Buddei ex hiſt. eccl. V. T. p. 71: *Scholaſticorum, aut, ſi mavis, Patrum quorundam figmento de aquis ſupracæleſtibus hodie in tanta philoſophiæ luce vix quiſquam amplius locum relinquet:* & argumentis, quæ pro ſtabiliendis illis aquis adduci ſolent, repetitis, tenebras piæ ignorantiæ luci philoſophicæ ſe præferre teſtatur. Num. 19 hominem erecta forma conditum contemplatur, & ſequentem profert meditationem moralem:

43. *Conditur erectus, primum meditetur ut ortum,*
Candorique ſtudens ſumma requirat, homo.

Num. 73 ad Gen. IV, 16 de ſigno Caini ita commentatur:

Rabbini cornu præfixum fingere tentant,
Dum ſtatuunt alii, fabula vera! canem.
Non tremor eſſe poteſt, communis nota ſenectæ
Littera nec fronti ſcripta, levamen erat.
Num tremuit ſtanti tellus? ne finge ſtupenda;
Non lepra prodigium, nec coma longa fuit.
Res incerta manet; metuenti namque Caino
Non aliis voluit ponere ſigna DEus.

Et hanc ſententiam in addita nota uberius confirmat. Quamquam vero ex aliis, quos citat, Scriptoribus, Calovio, Pfeiffero, Glaſſio, Deylingio & reliquis ea, quæ in notis afferuntur, & Clerico, Hardtio aliisque paſſim opponuntur, abunde ſatis conſtent: laudamus tamen merito & ingenii promptitudinem, & ſacras literas ſobrie ſolerterque tractandi ſtudium, & operam hanc, quæ ſuo non carebit uſu, ut perſequatur ſtrenue, ſelectasque meditationes luculentis exornet obſervationibus, publice monemus.

)o(

No. III

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno M DCC XXVI.

SACRÆ ANTIQUITATIS MONUMENTA Historica, Dogmatica, Diplomatica, notis illustrata a R. P. ac Domino CAROLO LUDOVICO HUGO, *Abbate Stivagii, & Fontis-Andreæ Doctore Theologo, suæ Celsitudini Regiæ a Consiliis & Historiis, Tractus Stivagiensis Prælato Ordinario &c.*

Tomus I.

Stivagii, literis Jo. Martini Heller, 1725, f. Alph. 7 pl. 12.

PRimum nascentis in Lotharingia typographiæ specimen, quod vocat ipse S. R. Autor, producimus, nec inelegans & luce dignum: quod locum utique in Actis nostris meretur, etsi in tanta librorum, præsertim historicorum, qui quotidie provolant, copia angustiorem forte, quam decebat. Continentur vero hic primo *Gervasii*, Abbatis Præmonstrati & Episcopi Sagiensis in Gallia, sed gente Angli, *Epistolæ CXXXV*, e Steinfeldensium prope Coloniam Præmonstratensium Codice descriptæ, quippe qui locupletior Viconiensi, e quo septuaginta tantum Epistolas Norbertus Cailleu A. 1663 typis Valencenianis vulgaverat. Optime vero de his meritus est Noster, tum quod in præfatione Gervasii res gestas, usus imprimis Vita MS. Viconiensi, satis dilucide explicavit, tum quod illis subinde, æque ac ceteris scriptis hic contentis, subjecit notas eruditas, ad intelligendas epistolas admodum accommodatas. Illud tantum notamus, plura hic occurrere, quæ ad illustrandam Friderici II Imp. & Pontificum Cœlestini III,

N Inno-

Innocentii III & Honorii III, quibus sæpe a consiliis fuit, historiam apprime pertinent. Succedunt his *II Antiquitates sacræ* Archi-Prioratus *Hircevallensis*, vulgo *Herival*, intra Vosagi montium fauces siti, cum Statutis; & *III Joannis Herculani*, Pleinfisini, *Historia de Antiquitatibus Vallis Galileæ*, quam, Decano & Canonicis Sancti Deodati A. 1541 dedicatam, fabulisque quodammodo scatentem, in lucem & simul ad criticum examen, subjectis animadversionibus, satis prolixis, revocavit Cl. *Hugo*, quæ vel solæ de singulari ejus in his studiis eruditione testari abunde possunt. *IV Diarium & medulla veterum Patrum Concilii Tridentini*, autore *Nicolao Psalmæo*, Abbate S. Pauli Ordin. Præmonstr. & Episcopo Virdunensi, ejusdem Concilii Secretario & Canonum Redactore, a Mense Majo 1551 ad 28 Apr. 1552, tum & *Elucidationes* nonnullorum locorum S. Concilii Trident. a S. R. E. Cardinalibus, dicti Concilii interpretibus, factæ. Quanta vero Psalmæi tum in Concilio hoc, tum passim in Gallia atque Lotharingia fuerit autoritas, dilucide Noster tradit in Præfatione, universam ejus vitæ seriem inde ab A. 1538, quo Abbas primum factus, usque ad annum ejus emortualem 1575 prolixe exponens. Hic inter alia observat, eum, *os & mentem Concilii* dictum, cum graviter contra Commendas nuper invectas in Ecclesiam disputaret, & nonnemo subsannando exclamaret: *Audite, quomodo Gallus iste cantat*, protinus regessisse: *O utinam ad Galli cantum Petrus resipisceret!* Memorat & alios ejus libros, ut *Exposition de la Messe*, 1554, *Preservatif contre le Changement de Religion*, 1563, & *Portrait de l'Eglise*, 1574, Virduni editos, qui singularem Viri pro religione zelum produnt. Ceterum in Actis his dignæ lectu sunt tum literæ salvi conductus a Concilio Protestantibus in Sessione
p. 311. habita 25 Jan. 1552 datæ, tum Orationes Legatorum non minus Mauritii, Electoris Saxoniæ, quam Christophori Ducis Würtem-
313. bergensis, nec non Argentinensium, in Concilio eodem anno
318. publice recitatæ, nec non ea, quæ inter Legatos Hispanum &
320. Gallum de præcedentia illic agitata sunt. His Noster subjecit *V*
389. 395 ff. Beati *Emonis & Menconis*, Abbatum Werumensium in Frisia, *Chronica* ab A. 1204 ad A. 1272, eorumque Continuatoris Anonymi Chronicon Floridi Horti ab A. 1276 ad 1279, quæ quidem omnia

omnia ab Antonio Matthæo, JC. Belga (quem Noster minus apte Dominum *Matthieu* vocat, ne opere quidem ejus aut Tomo citato) in Analectis Veteris Ævi, Opere hodie parum obvio, T. III publicata, Noster cum Codicibus contulit, emendavit, supplevit & notis suis instruxit.

CODEX ITALIÆ DIPLOMATICUS: Collegit ac Elencho Indiceque reali instruxit JO. CHRISTIANUS LUNIG.

Francof. & Lipsiæ, impensis Hæredum Lanckis. 1725, f. Alph. 14 pl. 6.

Singularis est Italiæ literatæ hoc Seculo felicitas, quo præter *Novum Italiæ Theatrum* splendidissimum, IV Tomis editum, (v. Acta Er. A. 1725 p. 336) quibus nuperrime Tomos II, *Theatra* nempe *Pedemontii & Sabaudiæ*, additos, hac occasione nuntiamus, duplex *Scriptorum rerum Italicarum collectio* Clarissimorum Virorum, *Muratorii* & *Burmanni*, opera, tot voluminibus, tam exquisito apparatu, vulgata (de quibus sæpe diximus) imo & integra *Historia Literaria Italiæ*, autore *Hyacintho Gimma* (v. Acta Anni cit. p. 56) in lucem prodiere. Sed ne quid ad Historiam & Jura publica Italiæ deesset, opportune jam Cl. *Lünigius* noster, qui & studio indefesso & felicitate colligendi omnis generis monumenta antiqua, ea maxime, quæ Germaniæ res & jura concernunt, nec nunc habet, nec forte habiturus unquam est parem, novi Codicis amplissimi diplomatum Italiæ, quo, ut plenior titulus habet, *non modo multifariæ Investiturarum literæ, ab Augustissimis Romanorum Imperatoribus Italiæ Principibus & Proceribus concessæ atque traditæ; verum etiam alia insignia varii Generis diplomata, tam edita, quam multa anecdota, ipsos concernentia, continentur*, Tomum I concinno ordine prodidit, alterum mox etiam additurus. Continentur hoc Tomo diplomata & monumenta DCXLI, duabus classibus divisa, quarum prima ea complectitur, quæ ad generalia Jura S. Cæs. Maj. & Imperii in Italiam, altera vero ea, quæ speciatim ad Procerum Italiæ cum Imperio nexum clientelarem spectant. Itaque *Sectione I*, facto a Carolo M. initio, Imperatorum Germ. cum Pontificibus Rom. de jure Im-

perii tractata & conventa, usque ad Imperatorem hodie felicissime imperantem Carolum VI, traduntur, in quibus maxime lectu digna sunt, quæ & hunc & Fratrem ejus Josephum, Patremque Leopoldum spectant; quo etiam refertur Tractatus Pacis & Commercii, qui inter modernum Imperatorem & Philippum V Hisp. Regem superiori anno Viennæ feliciter conclusus est. *Sectio I*, tribus Classibus subdivisa, in *prima* Ducum Mediolanensium, Sabaudiæ, Magnæ Etruriæ, Mantuæ & Montisferrati, Mutinæ & Rhegii, in *secunda* Vicorum Mirandulæ, Guastallæ, Gonzagæ, Sablonettæ & Bozuli, ab Auria vulgo Doria, in *tertia* denique, quæ Tomo II latius continuabitur, Comitum & Marchionum ab Auria, Com. Borromæorum, Domin. Cacheranorum, Principum Carpineorum, March. Savonæ e familia Carrettana, Domin. Cazulinorum, Princ. & March. Centurionis, Conradorum ab Austria, Costorum, March. Estensium, Fliscorum, vulgo *Fieschi*, tum & Tergesti civitatis sive Principatus in Histria documenta plurima, nexum cum Imperio testantia, ex. gr. Ducum Sabaudiæ CXXI & M. Etruriæ Ducum LXXIV, exhibet. Horum usum si docere plenius liberet, liber nobis scribendus foret; quare brevitatis memores nihil addimus, nisi quod monemus, Cl. Autorem, quod ipse testatur in Præfatione, prætermisisse in hac Collectione ea monumenta, quæ *Archivo Imperii*, XXIV spissis Voluminibus in fol. absoluto, jam inseruerat, digito tamen, quo loco illic reperiantur, indicasse.

THESAURUS JURIS derer Grafen und Herrn des Heil. Röm. Reichs ꝛc.

i. e.

THESAURUS JURIS COMITUM ET DOMINORUM S. Rom. Imperii, in quo de eorum origine, incrementis, prærogativis & juribus agitur, & multa documentis optimæ fidei, nondum hactenus editis, probantur, editus cura JO. CHRISTIANI LUNIGII.

Francof. & Lipſ. apud Hæredes Frid. Lanckisii, 1725, f. Alph. 12.

Novus

NOvus prodit Cl. *Lünigii* nostri opera Thesaurus, in quo quidem non diffitetur, principem adjutorem se habuisse *Georgium Tobiam Pistorium*, J. V. Lic. Illustriss. Comitibus Hohenloha-Weickersheimensibus a Consiliis & Cancellariæ directione. Postquam enim Vir Cl. D. Johannes Stephanus Burgermeister cum in *Thesauro*, tum in *Bibliotheca Juris Equestris*, magno legentium commodo congessit, quæ de Nobilibus Imperii immediatis sparsim exstabant, operæ pretium existimatum est, si idem fieret de Comitibus Imperii Rom. Germ. Habes itaque hic Scripta CCLXII, quæ vel integra vel excerpta hic exhibentur, tribus Partibus digesta. His præmittitur Introductio in Thesaurum hunc Juris, nec brevis, & oppido erudita ac lectu digna, quam Cl. *Pistorio* deberi, minime dubitamus. Agitur vero hic de origine Comitum & per singula fere sæcula ostenditur, quanta eorum fuerit dignitas & autoritas: qua in re ita versatur Autor, ut non modo Scriptores idoneos afferat, sed præcipue ad diplomata, quæ passim in *Archivo Imperii Lünigiano*, modo laudato, exstant, provocet, ut eo magis de operis hujus immortalis utilitate constaret. Continentur vero prima operis Parte Excerpta e præstantissimis Glossatoribus, Historicis & Juris Publ. Doctoribus, & Parte II integræ Dissertationes Historico-Juridicæ de origine, incrementis, prærogativis & Juribus Comitum Imperii R. G. Parte vero tertia, qua præter Dissertationes, Consilia imprimis & Acta publica continentur, paulo distinctius procedit, & *Capite I* ea scripta exhibet, quæ ad originem & pristinam Comitum dignitatem pertinent, *Cap. II* inscribit de prærogativis & juribus, *Cap. III* de jure præcedentiæ, *Cap. IV* de his, quæ stylum curiæ & ceremonias concernunt, *Cap. V* de Ministerialibus, ubi affert Joach. Ge. de Plœnnies Dissertationem, in Actis A. 1725 p. 258 memoratam, cujus & sententiam suam facit Autor Introductionis, *Cap. VI* de rebus matrimonialibus, *Cap. VII* de rebus ad tutelam spectantibus, *Cap. VIII* de testamentis, *Cap. IX* de jure primogenituræ, statutis familiæ, venia ætatis &c. *Cap. X* de rebus feudalibus & quæ successiones evolvunt, *Cap. XI* de superioritate territoriali & Jurisdictione, *Cap. XII* de Regalibus, *Cap. XIII* de Jure collectandi, *Cap. XIV* de Jure vectigalium & de privilegiis de non evocando

& de non appellando, *Cap. XV* de Austregis, *Cap. XVI* de Jure adlegandi & deputandi, *Cap. XVII* de insignibus & sigillis, *Cap. XVIII* de Juribus, quæ Comitibus competunt ad obtinendum munus Præsidis in Camera Imperiali, *Cap. XIX* de Collegiis Comitum in Comitiis & quatuor eorum Votis, quod prolixissimum scripta continet quinquaginta, *Cap. XX* de gravaminibus Comitum & Imperatoris decisionibus, & Cap. XXI de variis statum Comitum Imp. concernentibus. Miscentur vero hic scripta Latina cum vernaculis, edita cum ineditis, quæ singula hic referre institutum nostrum non patitur. Ceterum operæ pretium utique fecere Clarissimi Editores, quod tot palantes chartas in unum corpus redegere. Etsi enim generatim tantum de Juribus Comitum Imperii egisse videantur, multa tamen passim occurrunt, quæ familias Comitum diversas sigillatim illustrant, quæ ut commodius suo loco evolvi possent, accessit ultimo loco Index rerum utilissimus.

Geschichte der Preußischen Lande, Königl. Pohlnischen Antheils.

i. e.

HISTORIA RERUM IN PRUSSIA POLONICA ab obitu Sigismundi Augusti usque ad Stephani Regis mortem seu A. 1586 gestarum; cuncta ex MSCtis collegit & documentis illustravit GOTHOFREDUS LENGNICH, *D.*

Dantisci, apud Jo. Daniel Stollii Viduam, 1724, fol. Alph. 7 pl. 7.

Exhibemus jam tertiam Partem Operis consummatissimi, cujus Anno 1724 M. Jun. mentionem fecimus, in qua concinnanda Cl. Autor iisdem fontibus, quos in priori Tomo ejusque Præfatione jam indicaverat, usus; si descriptionem interregnorum excipias, quam ex MSCta Historia hausit, cujus Autor adhuc latet. Equidem in exemplo, quo usus fuit Noster, a recentiori quodam adscriptum reperit, *Karnkovium & Cromerum haberi Autores*; quod & ex illius Epistola *Dlugosso edit. Lips. p. 1821* subjecta

jecta patescat. Sed ibi Karnkovius solum memineratFasciculorum, quos vacante Regno usque ad Henrici electionem congestos, in ordinem redigendos ad Cromerum miserat, quem laborem Cromerus senio confectus, labente jam memoria viribusque debilitatis, merito defugiebat, *v. Epist. in Dlugosso p. 1704.* Verum illud opus, quod Noster in usus suos vertit, (cujus etiam exemplum exstat in Bibl. Menckeniana) a morte Sigismundi Augusti ad inaugurationem usque Stephani continuatum ac libris VI divisum, non ex laciniis consarcinatum, sed justa serie, stilo terso, candore summo, a Viro solertissimo, qui rebus ipsis interfuisse videtur, conscriptum, occasionem præbuit, ut plura ab aliis neglecta, vel erronee tradita Noster suppleret, vel emendaret. Præmisit huic Tomo brevem commemorationem scripti a *Stanislao Karnkovio* compositi *de jure provinciali Terrarum, majorumque civitatum Prussiæ.* Karnkovius enim Episcopus Cujaviæ, ut Henrico Valesio Statum Polonici Regiminis notum faceret, Libellum *de situ Poloniæ & Gente Polona* hanc in rem conscribi curaverat, cui ipsemet in vicem supplementi de Borussia quædam adjecerat, quæ 1574 in 4 in publicum sunt emissa. Cum vero Karnkovius illud præcipue animo agitaverit, ut, suppressis scriptis publicis, quorum memoriam hic Autor repetit, Borussorum jura libertatemque convelleret, Noster, annexa hanc in rem *Epistola Casp. Schützii*, ipsemet quoque lubricas Præsulis istius rationes solide confutat. Ut vero ad rem propius accedamus, mortuo Sigismundo Augusto, & libera electione universo Regno restituta, Borussi existimabant, optimam sibi occasionem esse oblatam, ut pacta cum Casimiro A 1454 inita & consuetudines patriæ vetustas a Rege futuro ante susceptum Regimen expressa sanctione confirmari, & jura, sub antecessoribus fere deperdita, hoc modo restaurari possent, quamvis haud immerito suspicarentur, Ordines Regni Polonici jura, quæ ipsis eripere huc usque non fuerant veriti, imposterum quoque acerrime sibi derogaturos. Hinc Civitates majores sub initium Interregni profitebantur, semet intra limites conjunctionis cum Casimiro statutos esse remansuras, quos transiliisse Polonos, plerique ex Consiliariis, Nobilitas inferior & Civitates minores, quarum res hactenus ad incitas fuerant redactæ

Margin notes: p. 99 sq. (beside "solide confutat"); 2. (beside "a Rege futuro"); 28. (beside "veriti, imposterum")

redactæ, injustum pronunciabant. Omnes ergo eo collimabant,
p. 39. libertatem integram esse restituendam, & ne denuo ista violare-
tur, obices undique ponendos. Verum dum de sanis remediis
Doc. N. 6. inter superiores & inferiores ordines Borussicos disceptatur,
Henricum Valesium & electum & coronatum, cernunt, ante-
quam de rebus ad salutem communem pertinentibus amice potu-
issent convenire. Interea Konopatii, aliique Nobiles, bona sibi
p. 40. quondam injuste, ut putabant, erepta, durante interregno, armis
vindicaverant, unde graves querelæ in Polonia excitatæ. In Co-
51 53. mitiis electioni destinatis Ernesto Archi-Duci Austriæ favebant
Borussi, a quo ita abhorrebant Poloni, ut jam copias ad externam
vim propulsandam cogerent. Verum Legatus Gallorum, Religi-
55. onis & privilegiorum securitatem pollicitus, ad Henrici Valesii
p. 64 Doc. N. 78. partes Dantiscanos primum, mox & reliquos Borussos pertraxit.
p. 67. Sed, omnibus paullo post in adventum novi Regis dilatis, dum
Borussi ad inaugurationis solennia accedunt, Henricum per Se-
p. 77 Doc. N. 10 sq. natores Polonicos plane a se alienatum sentiunt, quippe is postu-
lata ipsorum vix ullo responso dignabatur, & Nobiles secundum
p. 86. verba juramenti Polonici, in quo expressa mentio Borussiæ, ut-
pote separati Territorii, non facta, fidem addicere jubebantur.
Mœsti inde domum redeuntes, comperta Regis fuga, dum Polo-
121, 131, 138. ni de novo Rege creando consultarent, ipsi tamen fidem juratam
149. constantissime servarunt, donec bella Gallorum civilia omnem
reditus spem præscinderent. Tunc demum animum in Domum
Austriacam pronum denuo produnt, ac Legatis præcipiunt, ut suis
150 Doc. votis Archi-Ducem Ernestum Regem nuncupent. Verum in Co-
N. 15 sq. mitiis ad eligendum Regem congregatis, præcipui ex Polonis &
p. 154. Lithuanis Maximilianum Austriacum, quibus & Borussorum
158. Legati, mandatis quodammodo satisfacturi, accesserunt, reliqui
Annam, ex stirpe Regia oriundam, & maritum ipsi destinatum,
Stephanum Bathoreum, Transylvaniæ Principem, Reges pro-
159. clamarunt. Hæc discordia Borussiam brevi pervasit, & Cæsari
165. quidem addicti, ut illi in cœpto perstarent, sedulo hortabantur.
170. Verum, Maximiliano cunctante, Stephanus in Poloniam propere
accedit, Lithuanos aliosque hactenus sibi adversos minis par-
184. tim, partim blanditiis ad suas partes trahit, eoque, cum versus
Boruſ-

Borussiam tenderet, hi quoque coacti, ut animo plane mutato, p. 200.
exceptis Dantiscanis, Stephano in finibus obviam facti, eumque 206.
devote Regem venerantes, Thorunium comitarentur. Inde Ordines Borussici omni conatu allaborabant, ut, quod sub Henrico Doc. N. 24
frustra tentaverant, a Stephano tandem obtinerent. Sed quæ 25. p. 212.
Henricum distinuerat, eadem quoque remora Stephano injecta, siquidem Senatores Regni ægre permittebant, ut Rex vigore ju-
ramenti Polonis præstiti, Borussis polliceretur, se in proximis p. 217.
Comitiis querelis eorum medelam allaturum. Interea Dantiscani
suas sibi res habere cœperant, quod nec patriæ communi, nec ci- 220.
vitatis libertati prospectum satis fuisse existimarent, præsertim cum provida cura opus esset ad cohibendos illorum conatus, qui paucos ante annos novam Regiminis formam ipsis obtrudere imperiose tentaverant. Et invisi ipsis erant *Commissarii, Karnkovia-*
ni vulgo nuncupati, ab inimicis regnante Sigismundo Augusto 222.
constituti, qui fundamentis Reipublicæ conquassatis extrema fere minabantur. Ad tanta ergo mala averruncanda, & statum pristinum restaurandum, necessarium censebant Dantiscani, cognitionem ante omnia Judicibus delegatis & Decretis eorum omnem auctoritatem abrogari, atque ante, quam hoc factum esset Stephano Regi fidem jurare, recusabant; unde malevoli, ipsos ad defectionem spectare, criminabantur. Amica quidem transactione
sedare tempestatem imminentem tentabant nonnulli, sed his ad- 221.
versabantur plures, qui, neglecta communis salutis cura, propria commoda ex dissidiis publicis captabant. Eadem res in Comitiis Thoruniensibus denuo agitata, quorsum ablegandi aliquos ex suis civitati libertas data. Verum cum missi a Dantiscanis, in urbem vix
ingressi, carceri manciparentur, & Aulici graviora quotidie postu- 224.
larent, nec Brombergæ postea Tractatus felicius succederet, pa-
cis consilia exulare penitus visa sunt. Hinc ablegati Dantiscani in 230.
arcem Lensiciensem detrudebantur; civitas ob atrocia crimina, 231.
eidem imputata, proscripta, ac merces pecuniæque ipsorum in universo Regno repertæ in fiscum redactæ. Immo urbs ipsa
gravi obsidione cincta: sed Dantiscanis pertinacissime sua defen- 238.
dentibus, eoque fortissimi Regis consiliis penitus eversis, pax 240.
tandem optata conciliantibus exterorum Principum Le-

p. 254. gatis, feliciſſime coiit. Civitas in gratiam Regis recepta, privilegia illius ſumma autoritate roborata, & querelis per *Tractatus*
428 ſq. *Portorii* ſatisfactum. Reddita vix Regno quiete, Stephanus eo
455. intendit animum, ut Livoniam, in quam Polonis ſub Sigiſmun-
259. do Auguſto jura erant legitime quæſita, Ruſſorum dominio armis ſubtraheret. Ad id perficiendum opus erat nervo rerum gerendarum, unde Poloni, quantum cuique pendendum eſſet, con-
276, 339. ſtituerunt, ſimulque allaborarunt, ut Boruſſi oneribus Regni
286, 308 publicis ſubjicerentur. At iſti ex antiqua conſuetudine de pecu-
ſq. 352. niis conferendis in Comitiis Provincialibus potius conſultabant,
337, 391 ac licet hac in re a vetuſta conſtantia recedentes Nobiles, ut civi-
404. tatibus ægre facerent, a Polonis ſtatuta acceptarent, civitates tamen, ne iſta inveterato uſui fraudi eſſent, proteſtatæ ſunt.
277, 281 Nihilominus pati cogebantur Boruſſi, ut vectigalia, de quibus
307, 470. in Comitiis Regni decretum fuerat, in terris ipſorum, imprimis prope Montem Album, per aliquot annos exigerentur. Hinc ut
223 ſq. arctius in Poloniæ ſocietatem venirent Boruſſi, ad omnia Regni
329. Comitia eos evocarunt Poloni & Nobiles Territorii inter Conſiliarios in Senatu, a Nobilitate vero Delegatos inter Nuncios Terreſtres ſedes occupare juſſerunt, quod vigore Decreti Lublinenſis, a Stephano Rege demum autoritate legitima donati, jure
332 ſq. 340 factum fuiſſe perhibebant. Deinde ſenſim id efficere conabantur,
349. ut juri dicundo Comitia Boruſſorum Provincialia tantum vacarent, & Ordines ipſorum de rebus majoris momenti, quoties
Doc. 35. Regi placeret, in communi conventu conſulerent. Mox omne diſcrimen inter utramque gentem tolli cupiebant Poloni, &
341, 345. quamvis Boruſſi, ut animos Polonorum ſibi conciliarent, pro
Doc. 37. indigena admitti paterentur, qui per annos aliquot prædia in Boruſſia poſſediſſet, nullam tamen legem admittere, ſed pleno ju-
309, 396. re uti Poloni volebant, unde factum, ut illis ſumma officia in
Doc. N. 65. Boruſſia fuerint collata, quod patuit primum in Cromero ad Præ-
312, 326. ſulatum Varmienſem evecto, cui & Andreas Batoreus Princeps
410, 433. Coadjutor adjunctus. Neque minus ſecularia judicia inſignem
Doc. N. 49. mutationem tunc paſſa ſunt, cum, regnante Stephano, Tribunalia
52, 66. Polonorum primum conſtituerentur, unde, quibus Poloni eti-
268, 271. am Boruſſos ſubjicere tentabant, donec hi, graviſſimis momentis

Regi

Regi propositis, exemtionem impetrarent. Præterea cum appellationes ad Regem justitiæ procrastinandæ ansam præberent, Borussi devote petierunt, ut Polonorum more ipsis quoque singulare Tribunal erigere liceret Sed obstitit iterum Rex, ipsisque id tantum indulsit, ut vel ad Regem ipsum provocarent, vel a Tribunali Petricoviæ decisionem causarum peterent. Hinc aliquandiu, ut olim moris, ad Regem appellatum, usque dum Nobiles, a Civitatibus discordes, Petricovienses sub certis conditionibus Judices agnoscerent. Gravissimum sane videbatur, causas ex Legum patriarum tenore ab extraneo judicio dijudicari, donec Culmensia jura in ordinem fuissent redacta, cui rei perficiendæ jam Sigismundo I imperante fuerat insudatum. Nec defuere conventus ad utilissimum negotium peragendum destinati sub Stephano; sed in alia omnia ordines discesserunt, cum nonnulli animadverterent, Nobiles, neglectis legibus Culmensibus, peculiari juri condendo intentos, cujus voti etiam sub Regimine proxime sequenti compotes sunt facti. Ceterum octoginta fere *Documenta publica* subnectuntur, quæ veritati lucem insignem accendunt.

p. 261. 448, 451 452 Doc. N. 77 sq. 292, 461. Doc. N. 61. 365 sq. 373. 414, 425. 464 467 sq.

THESAURUS JURIS ROMANI, CONTINENS rariora meliorum Interpretum Opuscula, in quibus Jus Romanum emendatur, explicatur, illustratur, itemque classicis aliisque Autoribus haud raro lumen accenditur, cum Præfatione EVERARDI OTTONIS, *JCti & Antecessoris.*

Tomus I.

Lugduni Batavorum, ap. Jo. van der Linden, juniorem, 1725, f. Alphab. 5 plag. 19.

QUod Belgio, quod Orbi Erudito, quod seculo nostro impense gratulamur, prodiit jam anno superiore in publicam utilitatem atque elegantiam prima & conspicua pars illius, omnium nationum votis pridem exoptati, ac, postquam spes ejus publice facta, anxie a nobis expectati rariorum opusculorum Thesauri. Meritoque prodiit sub tutela Amplissimi supremæ Curiæ Præsidis

p. 254. gatis, feliciſſime coiit. Civitas in gratiam Regis recepta, privilegia illius ſumma autoritate roborata, & querelis per *Tractatus*
428 ſq. *Portorii* ſatisfactum. Reddita vix Regno quiete, Stephanus eo
455. intendit animum, ut Livoniam, in quam Polonis ſub Sigiſmun-
259. do Auguſto jura erant legitime quæſita, Ruſſorum dominio armis ſubtraheret. Ad id perficiendum opus erat nervo rerum gerendarum, unde Poloni, quantum cuique pendendum eſſet, con-
276, 339. ſtituerunt, ſimulque allaborarunt, ut Boruſſi oneribus Regni
286, 308 publicis ſubjicerentur. At iſti ex antiqua conſuetudine de pecu-
ſq. 352. niis conferendis in Comitiis Provincialibus potius conſultabant,
337, 391 ac licet hac in re a vetuſta conſtantia recedentes Nobiles, ut civi-
404. tatibus ægre facerent, a Polonis ſtatuta acceptarent, civitates tamen, ne iſta inveterato uſui fraudi eſſent, proteſtatæ ſunt.
277, 281 Nihilominus pati cogebantur Boruſſi, ut vectigalia, de quibus
307, 470. in Comitiis Regni decretum fuerat, in terris ipſorum, imprimis prope Montem Album, per aliquot annos exigerentur. Hinc ut
223 ſq. arctius in Poloniæ ſocietatem venirent Boruſſi, ad omnia Regni
329. Comitia eos evocarunt Poloni & Nobiles Territorii inter Conſiliarios in Senatu, a Nobilitate vero Delegatos inter Nuncios Terreſtres ſedes occupare juſſerunt, quod vigore Decreti Lublinenſis, a Stephano Rege demum autoritate legitima donati, jure
332 ſq. 340 factum fuiſſe perhibebant. Deinde ſenſim id efficere conabantur,
349. ut juri dicundo Comitia Boruſſorum Provincialia tantum vacarent, & Ordines ipſorum de rebus majoris momenti, quoties
Doc. 35. Regi placeret, in communi conventu conſulerent. Mox omne diſcrimen inter utramque gentem tolli cupiebant Poloni, &
341, 345. quamvis Boruſſi, ut animos Polonorum ſibi conciliarent, pro
Doc. 37. indigena admitti paterentur, qui per annos aliquot prædia in Boruſſia poſſediſſet, nullam tamen legem admittere, ſed pleno ju-
309, 396. re uti Poloni volebant, unde factum, ut illis ſumma officia in
Doc. N. 65. Boruſſia fuerint collata, quod patuit primum in Cromero ad Præ-
312, 326. ſulatum Varmienſem evecto, cui & Andreas Batoreus Princeps
410, 433. Coadjutor adjunctus. Neque minus ſecularia judicia inſignem
Doc. N. 49. mutationem tunc paſſa ſunt, cum, regnante Stephano, Tribunalia
52, 66. Polonorum primum conſtituerentur, unde, quibus Poloni eti-
268, 271. am Boruſſos ſubjicere tentabant, donec hi, graviſſimis momentis

Regi

Regi propositis, exemtionem impetrarent. Præterea cum appellationes ad Regem justitiæ procrastinandæ ansam præberent, Borussi devote petierunt, ut Polonorum more ipsis quoque singulare Tribunal erigere liceret. Sed obstitit iterum Rex, ipsisque id tantum indulsit, ut vel ad Regem ipsum provocarent, vel a Tribunali Petricoviæ decisionem causarum peterent. Hinc aliquandiu, ut olim moris, ad Regem appellatum, usque dum Nobiles, a Civitatibus discordes, Petricovienses sub certis conditionibus Judices agnoscerent. Gravissimum sane videbatur, causas ex Legum patriarum tenore ab extraneo judicio dijudicari, donec Culmensia jura in ordinem fuissent redacta, cui rei perficiendæ jam Sigismundo I imperante fuerat insudatum. Nec defuere conventus ad utilissimum negotium peragendum destinati sub Stephano; sed in alia omnia ordines discesserunt, cum nonnulli animadverterent, Nobiles, neglectis legibus Culmensibus, peculiari juri condendo intentos, cujus voti etiam sub Regimine proxime sequenti compotes sunt facti. Ceterum octoginta fere *Documenta publica* subnectuntur, quæ veritati lucem insignem accendunt.

p. 261. 448, 451 452 Doc. N. 77 sq. 292, 461. Doc. N. 61. 365 sq. 373. 414, 425. 464 467 sq.

THESAURUS JURIS ROMANI, CONTINENS rariora meliorum Interpretum Opuscula, in quibus Jus Romanum emendatur, explicatur, illustratur, itemque classicis aliisque Autoribus haud raro lumen accenditur, cum Præfatione EVERARDI OTTONIS, *JCti & Antecessoris.*

Tomus I.

Lugduni Batavorum, ap. Jo. van der Linden, juniorem, 1725, f. Alphab. 5 plag. 19.

QUod Belgio, quod Orbi Erudito, quod seculo nostro impense gratulamur, prodiit jam anno superiore in publicam utilitatem atque elegantiam prima & conspicua pars illius, omnium nationum votis pridem exoptati, ac, postquam spes ejus publice facta, anxie a nobis expectati rariorum opusculorum Thesauri. Meritoque prodiit sub tutela Amplissimi supremæ Curiæ Præsidis

contineri. V *Historia editionis Bibliorum versionis Vulgatæ, Sixti V auspiciis Romæ curatæ A. 1590, cum adnotationibus, quibus indiciis genuina illa editio dignosci queat*, lingua Gallica per *Prosperum Marchand*, Librarium, conscripta. VI *Ad illustrissimum Principem Ludovicum Sforciam, Vice-Comitem, Barri Ducem*, Jasonis de Mayno *I. V. Doctoris Præfatiuncula*, cui addita ejusdem *Oratio habita in funere Excellentissimi JCti Hieronymi Torti, tenentis primam Cathedram in felici Gymnasio Ticinensi*, habita Papiæ in Ecclesia fratrum minorum tertio Idus Augusti Anno a natali Christi 1484. Excipiunt ista VII & VIII duo rariora opuscula, olim jam impressa, nempe *Regiæ Maj. Angliæ Mandatorum Epitome, ex præscripto, ad subditos suos, tam Clericos quam Laicos*, ex Anglico sermone in Latinum conversa; & *Epistola Pii Papæ IV ad Danielem Archiepiscopum Moguntinum Electorem*, qua facultatem huic concedit eligendi & deputandi Catholicos Sacerdotes, qui in provincia Germaniæ utramque speciem Catholicis ministrare possint, certis tamen observatis conditionibus, impressa A. 1564; cui IX adhæret *Epistola Joannis Philippi, Archiepiscopi & Electoris Moguntini, ad summum Pontificem, de Communione calicis concedenda uni Principi, Comiti, Civitati, Domino immediato, reditum ad Ecclesiam Catholicam meditanti*, cum certo & evidenti fructu, quæque ad alios non transibit, nisi cum pari fructu; addita consideratione Theologi cujusdam, status præsentis Germaniæ gnari. X Conspiciuntur *Epistolæ quædam ineditæ*, ex eodem, unde omnia horum Tomorum, thesauro desumtæ, nempe Danielis Heinsii, C. Dornavii, Joannis Kirchmanni, Jani Gruteri ad Mich. Piccartum, Jo. Fr. Gronovii ad Jo. Heinsium, Gisb. Cuperi ad Jo. Christoph. Wagenseilium, & Jo. Henr. Bœcleri ad Imm. Schorerum. Concludunt opusculum *Additamenta quædam & notamina* ad quatuor partes Amœnitatum, & *Index* in Partes duas posteriores. Notas passim ab Cl. Editore additas esse, supervacuum est admonere, cum & hoc, tanquam perpetuum institutum, & quod nostrum de erudito isto labore sit judicium, alibi pluribus indicaverimus. Hic saltem publico nomine Viro Perillustri, *Raymundo Krafft de Dellmensingen* gratias agimus, quod thesaurum suum aperuerit Cl. Schelhornio, qui tam egregie illo est usus, ut non modo omnes rei litterariæ amatores sibi de-

devinxerit, sed & eruditos omnes ad plura indies ab solida istius atque docta industria sperandum, erexerit.

JO. GODOFREDI PILARIK MEDITAtiones Poeticæ in libros Biblicos.

Francofurti & Lipsiæ, apud Ge. Marcum Knochium, 1726, 8. Pl. 16.

PHilologiæ & disciplinæ sanctioris studium cum artis poeticæ exercitio haud infeliciter se conjunxisse, Cl. Autor harum meditationum poeticarum primo hoc conatu orbi eruditorum facile probavit. Voces enim & sententias Biblicas paucis versiculis, ad modum Epigrammatum compositis, modo explicat illustratque, modo ad erroneas nonnullorum sententias refellendas, vel etiam ad pias in animis lectorum cogitationes excitandas applicat: tum vero in notis, quas versibus plerisque subjungit, ex Theologorum ac Philologorum apparatu controversias quasdam & quæstiones vexatas commemorat, &, quos duces sequatur, ingenue profitetur. Atque hac ratione in præsenti Epigrammata in Genesin exhibet CCXXXIV, & plura in reliquos libros Biblicos pium lectorem exspectare jubet. Speciminis loco ut unam alteramve meditationem poeticam adducamus, principium cognitionis theologicæ solam Scripturam Sacram esse, indicaturus Autor, num. 2 ita canit:

Impia sint procul hinc oracula, Mischna, Sibyllæ,
Orco reddat opus perdita Mecca *suum!*
Internum lumen, *stygius quod provocat ignis*
Lurida cum visis *ad stygis antra volet!*
Traditio *sileat*, Ratio *gerat ora repressa:* p. 3.
Solus *regna DEI monstrat adire* DEUS.

ubi in notis, quæ prolixitate omnes reliquas superant, paucis delibantur, quæ de Oraculis & Sibyllis, de Mischna seu Judæorum Talmude & Mahammedanorum Alcorano, de lumine interno & visionibus, de traditione & ratione in scholis Theologorum disputantur. Num. 8 ex voce אלהים Gen. I, 1 Socinum ita refutat:

Jam, Socine, ruis, sanctam vix missus in arcem?
Hoc erit interitus causa, scelesto, tui.

in nota vero adjecta eos omnes a Calovio refutatos esse observat, qui mysterium Trinitatis hac voce insinuari negant: porro Gailardum notat τὸ צלם h. l. subintelligentem, & verba Mosis ita inter-

interpretantem: *DEus Deorum creavit:* & denique fanaticos de mysterio Trinitatis perperam sentire, ex Colbergio refert. Num. 13 aquas, quas vocant supracœlestes, ita tuetur:

p. 29. *Non cælum, nec turba DEI, nec denique nubes,*
Sed veræ vera voce notantur aquæ.
Miraris sedem? nec aquarum percipis usum?
Omnia si nescis, rem tamen esse, scias.

allatisque verbis Cel. Buddei ex hist. eccl. V. T. p. 71: *Scholasticorum, aut, si mavis, Patrum quorundam figmento de aquis supracælestibus hodie in tanta philosophiæ luce vix quisquam amplius locum relinquet:* & argumentis, quæ pro stabiliendis illis aquis adduci solent, repetitis, tenebras piæ ignorantiæ luci philosophicæ se præferre testatur. Num. 19 hominem erecta forma conditum contemplatur, & sequentem profert meditationem moralem:

43. *Conditur erectus, primum meditetur ut ortum,*
Candorique studens summa requirat, homo.

Num. 73 ad Gen. IV, 16 de signo Caini ita commentatur:

Rabbini cornu præfixum fingere tentant,
Dum statuunt alii, fabula vera! canem.
Non tremor esse potest, communis nota senectæ
Littera nec fronti scripta, levamen erat.
Num tremuit stanti tellus? ne finge stupenda;
Non lepra prodigium, nec coma longa fuit.
Res incerta manet; metuenti namque Caino
Non aliis voluit ponere signa DEus.

Et hanc sententiam in addita nota uberius confirmat. Quamquam vero ex aliis, quos citat, Scriptoribus, Calovio, Pfeiffero, Glassio, Deylingio & reliquis ea, quæ in notis afferuntur, & Clerico, Hardtio aliisque passim opponuntur, abunde satis constent: laudamus tamen merito & ingenii promptitudinem, & sacras literas sobrie solerterque tractandi studium, & operam hanc, quæ suo non carebit usu, ut persequatur strenue, selectasque meditationes luculentis exornet observationibus, publice monemus.

)o(

No. III

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Martii Anno M DCC XXVI.

SACRÆ ANTIQUITATIS MONUMENTA Historica, Dogmatica, Diplomatica, notis illustrata a R. P. ac Domino CAROLO LUDOVICO HUGO, *Abbate Stivagii, & Fontis-Andreæ Doctore Theologo, suæ Celsitudini Regiæ a Consiliis & Historiis, Tractus Stivagiensis Prælato Ordinario &c.*

Tomus I.

Stivagii, literis Jo. Martini Heller, 1725, f.
Alph. 7 pl. 12.

PRimum nascentis in Lotharingia typographiæ specimen, quod vocat ipse S. R. Autor, producimus, nec inelegans & luce dignum; quod locum utique in Actis nostris meretur, etsi in tanta librorum, præsertim historicorum, qui quotidie provolant, copia angustiorem forte, quam decebat. Continentur vero hic primo *Gervasii*, Abbatis Præmonstrati & Episcopi Sagiensis in Gallia, sed gente Angli, *Epistolæ CXXXV*, e Steinfeldensium prope Coloniam Præmonstratensium Codice descriptæ, quippe qui locupletior Viconiensi, e quo septuaginta tantum Epistolas Norbertus Cailleu A. 1663 typis Valencenianis vulgaverat. Optime vero de his meritus est Noster, tum quod in præfatione Gervasii res gestas, usus imprimis Vita MS. Viconiensi, satis dilucide explicavit, tum quod illis subinde, æque ac ceteris scriptis hic contentis, subjecit notas eruditas, ad intelligendas epistolas admodum accommodatas. Illud tantum notamus, plura hic occurrere, quæ ad illustrandam Friderici II Imp. & Pontificum Cœlestini III,

Innocentii III & Honorii III, quibus sæpe a consiliis fuit, historiam apprime pertinent. Succedunt his *II Antiquitates sacræ* Archi-Prioratus *Hireevallensis*, vulgo *Herival*, intra Vosagi montium fauces siti, cum Statutis; & *III Joannis Herculani*, Pleinfisini, *Historia de Antiquitatibus Vallis Galileæ*, quam, Decano & Canonicis Sancti Deodati A. 1541 dedicatam, fabulisque quodammodo scatentem, in lucem & simul ad criticum examen, subjectis animadversionibus, satis prolixis, revocavit Cl. *Hugo*, quæ vel solæ de singulari ejus in his studiis eruditione testari abunde possunt. *IV Diarium & medulla veterum Patrum Concilii Tridentini*, autore *Nicolao Psalmæo*, Abbate S. Pauli Ordin. Præmonstr. & Episcopo Virdunensi, ejusdem Concilii Secretario & Canonum Redactore, a Mense Majo 1551 ad 28 Apr. 1552, tum & *Elucidationes* nonnullorum locorum S. Concilii Trident. a S. R. E. Cardinalibus, dicti Concilii interpretibus, factæ. Quanta vero Psalmæi tum in Concilio hoc, tum passim in Gallia atque Lotharingia fuerit autoritas, dilucide Noster tradit in Præfatione, universam ejus vitæ seriem inde ab A. 1538, quo Abbas primum factus, usque ad annum ejus emortualem 1575 prolixe exponens. Hic inter alia observat, eum, *os & mentem Concilii* dictum, cum graviter contra Commendas nuper invectas in Ecclesiam disputaret, & nonnemo subsannando exclamaret: *Audite, quomodo Gallus iste cantat*, protinus regessisse: *O utinam ad Galli cantum Petrus resipisceret!* Memorat & alios ejus libros, ut *Exposition de la Messe*, 1554, *Preservatif contre le Changement de Religion*, 1563, & *Portrait de l'Eglise*, 1574, Virduni editos, qui singularem Viri pro religione zelum produnt. Ceterum in Actis his dignæ lectu sunt
p. 311. tum literæ salvi conductus a Concilio Protestantibus in Sessione
habita 25 Jan. 1552 datæ, tum Orationes Legatorum non minus
313. Mauritii, Electoris Saxoniæ, quam Christophori Ducis Würtem-
318. bergensis, nec non Argentinensium, in Concilio eodem anno
320. publice recitatæ, nec non ea, quæ inter Legatos Hispanum &
389. 395 ff. Gallum de præcedentia illic agitata sunt. His Noster subjecit *V* Beati *Emonis & Menconis*, Abbatum Werumensium in Frisia, *Chronica* ab A. 1204 ad A. 1272, eorumque Continuatoris Anonymi Chronicon Floridi Horti ab A. 1276 ad 1279, quæ quidem

omnia

omnia ab Antonio Matthæo, JC. Belga (quem Noster minus apte Dominum *Matthieu* vocat, ne opere quidem ejus aut Tomo citato) in Analectis Veteris Ævi, Opere hodie parum obvio, T. III publicata, Noster cum Codicibus contulit, emendavit, supplevit & notis suis instruxit.

CODEX ITALIÆ DIPLOMATICUS: Collegit ac Elencho Indiceque reali instruxit JO. CHRISTIANUS LUNIG.

Francof. & Lipsiæ, impensis Hæredum Lanckis. 1725, f. Alph. 14 pl. 6.

Singularis est Italiæ literatæ hoc Seculo felicitas, quo præter *Novum Italiæ Theatrum* splendidissimum, IV Tomis editum, (v. Acta Er. A. 1725 p. 336) quibus nuperrime Tomos II, *Theatra* nempe *Pedemontii & Sabaudiæ*, additos, hac occasione nuntiamus, duplex *Scriptorum rerum Italicarum collectio* Clarissimorum Virorum, *Muratorii* & *Burmanni*, opera, tot voluminibus, tam exquisito apparatu, vulgata (de quibus sæpe diximus) imo & integra *Historia Literaria Italiæ*, autore *Hyacintho Gimma* (v. Acta Anni cit. p. 56) in lucem prodiere. Sed ne quid ad Historiam & Jura publica Italiæ deesset, opportune jam Cl. *Lünigius* noster, qui & studio indefesso & felicitate colligendi omnis generis monumenta antiqua, ea maxime, quæ Germaniæ res & jura concernunt, nec nunc habet, nec forte habiturus unquam est parem, novi Codicis amplissimi diplomatum Italiæ, quo, ut plenior titulus habet, *non modo multifariæ Investiturarum literæ, ab Augustissimis Romanorum Imperatoribus Italiæ Principibus & Proceribus concessæ atque traditæ; verum etiam alia insignia varii Generis diplomata, tam edita, quam multa anecdota, ipsos concernentia, continentur*, Tomum I concinno ordine prodidit, alterum mox etiam additurus. Continentur hoc Tomo diplomata & monumenta DCXLI, duabus classibus divisa, quarum prima ea complectitur, quæ ad generalia Jura S. Cæs. Maj. & Imperii in Italiam, altera vero ea, quæ speciatim ad Procerum Italiæ cum Imperio nexum clientelarem spectant. Itaque *Sectione I*, facto a Carolo M. initio, Imperatorum Germ. cum Pontificibus Rom. de jure Imperii

 perii

perii tractata & conventa, usque ad Imperatorem hodie felecissime imperantem Carolum VI, traduntur, in quibus maxime lectu digna sunt, quæ & hunc & Fratrem ejus Josephum, Patremque Leopoldum spectant; quo etiam refertur Tractatus Pacis & Commercii, qui inter modernum Imperatorem & Philippum V Hisp. Regem superiori anno Viennæ feliciter conclusus est. *Sectio I*, tribus Classibus subdivisa, in *prima* Ducum Mediolanensium, Sabaudiæ, Magnæ Etruriæ, Mantuæ & Montisferrati, Mutinæ & Rhegii, in *secunda* Vicorum Mirandulæ, Guastallæ, Gonzagæ, Sablonettæ & Bozuli, ab Auria vulgo Doria, in *tertia* denique, quæ Tomo II latius continuabitur, Comitum & Marchionum ab Auria, Com. Borromæorum, Domin. Cacheranorum, Principum Carpineorum, March. Savonæ e familia Carrettana, Domin. Cazulinorum, Princ. & March. Centurionis, Conradorum ab Austria, Costorum, March. Estensium, Fliscorum, vulgo *Fieschi*, tum & Tergesti civitatis sive Principatus in Histria documenta plurima, nexum cum Imperio testantia, ex. gr. Ducum Sabaudiæ CXXI & M. Etruriæ Ducum LXXIV, exhibet. Horum usum si docere plenius liberet, liber nobis scribendus foret; quare brevitatis memores nihil addimus, nisi quod monemus, Cl. Autorem, quod ipse testatur in Præfatione, prætermisisse in hac Collectione ea monumenta, quæ *Archivo Imperii*, XXIV spissis Voluminibus in fol. absoluto, jam inseruerat, digito tamen, quo loco illic reperiantur, indicasse.

THESAURUS JURIS derer Grafen und Herren des Heil. Röm. Reichs 2c.

i. e.

THESAURUS JURIS COMITUM ET DOMINORUM S. Rom. Imperii, in quo de eorum origine, incrementis, prærogativis & juribus agitur, & multa documentis optimæ fidei, nondum hactenus editis, probantur, editus cura JO. CHRISTIANI LUNIGII.

Francof. & Lips. apud Hæredes Frid. Lanckisii, 1725, f. Alph. 12.

Novus

NOvus prodit Cl. *Lünigii* nostri opera Thesaurus, in quo quidem non diffitetur, principem adjutorem se habuisse *Georgium Tobiam Pistorium*, J. V. Lic. Illustriss. Comitibus Hohenloha-Weickersheimensibus a Consiliis & Cancellariæ directione. Postquam enim Vir Cl. D. Johannes Stephanus Burgermeister cum in *Thesauro*, tum in *Bibliotheca Juris Equestris*, magno legentium commodo congessit, quæ de Nobilibus Imperii immediatis sparsim exstabant, operæ pretium existimatum est, si idem fieret de Comitibus Imperii Rom. Germ. Habes itaque hic Scripta CCLXII, quæ vel integra vel excerpta hic exhibentur, tribus Partibus digesta. His præmittitur Introductio in Thesaurum hunc Juris, nec brevis, & oppido erudita ac lectu digna, quam Cl. *Pistorio* deberi, minime dubitamus. Agitur vero hic de origine Comitum & per singula fere sæcula ostenditur, quanta eorum fuerit dignitas & autoritas: qua in re ita versatur Autor, ut non modo Scriptores idoneos afferat, sed præcipue ad diplomata, quæ passim in *Archivo Imperii Lünigiano*, modo laudato, exstant, provocet, ut eo magis de operis hujus immortalis utilitate constaret. Continentur vero prima operis Parte Excerpta e præstantissimis Glossatoribus, Historicis & Juris Publ. Doctoribus, & Parte II integræ Dissertationes Historico-Juridicæ de origine, incrementis, prærogativis & Juribus Comitum Imperii R. G. Parte vero tertia, qua præter Dissertationes, Consilia imprimis & Acta publica continentur, paulo distinctius procedit, & *Capite I* ea scripta exhibet, quæ ad originem & pristinam Comitum dignitatem pertinent, *Cap. II* inscribit de prærogativis & juribus, *Cap. III* de jure præcedentiæ, *Cap. IV* de his, quæ stylum curiæ & ceremonias concernunt, *Cap. V* de Ministerialibus, ubi affert Joach. Ge. de Plœnnies Dissertationem, in Actis A. 1725 p. 258 memoratam, cujus & sententiam suam facit Autor Introductionis, *Cap. VI* de rebus matrimonialibus, *Cap. VII* de rebus ad tutelam spectantibus, *Cap. VIII* de testamentis, *Cap. IX* de jure primogenituræ, statutis familiæ, venia ætatis &c. *Cap. X* de rebus feudalibus & quæ successiones evolvunt, *Cap. XI* de superioritate territoriali & Jurisdictione, *Cap. XII* de Regalibus, *Cap. XIII* de Jure collectandi, *Cap. XIV* de Jure vectigalium & de privilegiis de non evocando

& de non appellando, *Cap. XV* de Auſtregis, *Cap. XVI* de Jure adlegandi & deputandi, *Cap. XVII* de inſignibus & ſigillis, *Cap. XVIII* de Juribus, quæ Comitibus competunt ad obtinendum munus Præſidis in Camera Imperiali, *Cap. XIX* de Collegiis Comitum in Comitiis & quatuor eorum Votis, quod prolixiſſimum ſcripta continet quinquaginta, *Cap. XX* de gravaminibus Comitum & Imperatoris deciſionibus, & Cap. XXI de variis ſtatum Comitum Imp. concernentibus. Miſcentur vero hic ſcripta Latina cum vernaculis, edita cum ineditis, quæ ſingula hic referre inſtitutum noſtrum non patitur. Ceterum operæ pretium utique fecere Clariſſimi Editores, quod tot palantes chartas in unum corpus redegere. Etſi enim generatim tantum de Juribus Comitum Imperii egiſſe videantur, multa tamen paſſim occurrunt, quæ familias Comitum diverſas ſigillatim illuſtrant, quæ ut commodius ſuo loco evolvi poſſent, acceſſit ultimo loco Index rerum utiliſſimus.

Geschichte der Preußischen Lande, Königl. Pohlnischen Antheils.

i. e.

HISTORIA RERUM IN PRUSSIA POLONICA ab obitu Sigiſmundi Auguſti usque ad Stephani Regis mortem ſeu A. 1586 geſtarum; cuncta ex MSCtis collegit & documentis illuſtravit GOTHOFREDUS LENGNICH, D.

Dantiſci, apud Jo. Daniel Stollii Viduam, 1724, fol. Alph. 7 pl. 7.

EXhibemus jam tertiam Partem Operis conſummatiſſimi, cujus Anno 1724 M. Jun. mentionem fecimus, in qua concinnanda Cl. Autor iisdem fontibus, quos in priori Tomo ejusque Præfatione jam indicaverat, uſus; ſi deſcriptionem interregnorum excipias, quam ex MSCta Hiſtoria hauſit, cujus Autor adhuc latet. Equidem in exemplo, quo uſus fuit Noſter, a recentiori quodam adſcriptum reperit, *Karnkovium & Cromerum haberi Autores*; quod & ex illius Epiſtola *Dlugoſſo edit. Lipſ. p. 1821* ſubjecta

jecta patescat. Sed ibi Karnkovius solum meminerat Fasciculorum, quos vacante Regno usque ad Henrici electionem congestos, in ordinem redigendos ad Cromerum miserat, quem laborem Cromerus senio confectus, labente jam memoria viribusque debilitatis, merito defugiebat, *v. Epist. in Dlugosso p. 1704.* Verum illud opus, quod Noster in usus suos vertit, (cujus etiam exemplum exstat in Bibl. Menckeniana) a morte Sigismundi Augusti ad inaugurationem usque Stephani continuatum ac libris VI divisum, non ex laciniis consarcinatum, sed justa serie, stilo terso, candore summo, a Viro solertissimo, qui rebus ipsis interfuisse videtur, conscriptum, occasionem præbuit, ut plura ab aliis neglecta, vel erronee tradita Noster suppleret, vel emendaret. Præmisit huic Tomo brevem commemorationem scripti a *Stanislao Karnkovio* compositi *de jure provinciali Terrarum, majorumque civitatum Prussiæ.* Karnkovius enim Episcopus Cujaviæ, ut Henrico Valesio Statum Polonici Regiminis notum faceret, Libellum *de situ Poloniæ & Gente Polona* hanc in rem conscribi curaverat, cui ipsemet in vicem supplementi de Borussia quædam adjecerat, quæ 1574 in 4 in publicum sunt emissa. Cum vero Karnkovius illud præcipue animo agitaverit, ut, suppressis scriptis publicis, quorum memoriam hic Autor repetit, Borussorum jura libertatemque convelleret, Noster, annexa hanc in rem *Epistola Casp. Schützii*, ipsemet quoque lubricas Præsulis istius rationes solide confutat. Ut vero ad rem propius accedamus, mortuo Sigismundo Augusto, & libera electione universo Regno restituta, p. 99 sq.
Borussi existimabant, optimam sibi occasionem esse oblatam, ut pacta cum Casimiro A 1454 inita & consuetudines patriæ vetustas a Rege futuro ante susceptum Regimen expressa sanctione confirmari, & jura, sub antecessoribus fere deperdita, hoc modo restaurari possent, quamvis haud immerito suspicarentur, Ordines Regni Polonici jura, quæ ipsis eripere huc usque non fuerant veriti, imposterum quoque acerrime sibi derogaturos. Hinc Civitates majores sub initium Interregni profitebantur, semet intra limites conjunctionis cum Casimiro statutos esse remansuras, quos transiliisse Polonos, plerique ex Consiliariis, Nobilitas inferior & Civitates minores, quarum res hactenus ad incitas fuerant

redactæ

p. 39. redactæ, injustum pronunciabant. Omnes ergo eo collimabant,
libertatem integram esse restituendam, & ne denuo ista violare-
Doc. N. 6. tur, obices undique ponendos. Verum dum de sanis remediis
inter superiores & inferiores ordines Borussicos disceptatur,
Henricum Valesium & electum & coronatum, cernunt, ante-
quam de rebus ad salutem communem pertinentibus amice potu-
issent convenire. Interea Konopatii, aliique Nobiles, bona sibi
p. 40. quondam injuste, ut putabant, erepta, durante interregno, armis
51 53. vindicaverant, unde graves querelæ in Polonia excitatæ. In Co-
mitiis electioni destinatis Ernesto Archi-Duci Austriæ favebant
Borussi, a quo ita abhorrebant Poloni, ut jam copias ad externam
55. vim propulsandam cogerent. Verum Legatus Gallorum, Religi-
p. 64 Doc. onis & privilegiorum securitatem pollicitus, ad Henrici Valesii
N. 7 8. partes Dantiscanos primum, mox & reliquos Borussos pertraxit.
p. 67. Sed, omnibus paullo post in adventum novi Regis dilatis, dum
p. 77 Doc. Borussi ad inaugurationis solennia accedunt, Henricum per Se-
N. 10 sq. natores Polonicos plane a se alienatum sentiunt, quippe is postu-
p. 86. lata ipsorum vix ullo responso dignabatur, & Nobiles secundum
verba juramenti Polonici, in quo expressa mentio Borussiæ, ut-
pote separati Territorii, non facta, fidem addicere jubebantur.
Mœsti inde domum redeuntes, comperta Regis fuga, dum Polo-
121, 131, 138. ni de novo Rege creando consultarent, ipsi tamen fidem juratam
149. constantissime servarunt, donec bella Gallorum civilia omnem
reditus spem præscinderent. Tunc demum animum in Domum
Austriacam pronum denuo produnt, ac Legatis præcipiunt, ut suis
150 Doc. votis Archi-Ducem Ernestum Regem nuncupent. Verum in Co-
N. 15 sq. mitiis ad eligendum Regem congregatis, præcipui ex Polonis &
p. 154. Lithuanis Maximilianum Austriacum, quibus & Borussorum
158. Legati, mandatis quodammodo satisfacturi, accesserunt, reliqui
Annam, ex stirpe Regia oriundam, & maritum ipsi destinatum,
Stephanum Bathoreum, Transylvaniæ Principem, Reges pro-
159. clamarunt. Hæc discordia Borussiam brevi pervasit, & Cæsari
165. quidem addicti, ut illi in cœpto perstarent, sedulo hortabantur.
170. Verum, Maximiliano cunctante, Stephanus in Poloniam propere
accedit, Lithuanos aliosque hactenus sibi adversos minis par-
184. tim, partim blanditiis ad suas partes trahit, eoque, cum versus
Boruf-

Borussiam tenderet, hi quoque coacti, ut animo plane mutato, p. 200.
exceptis Dantiscanis, Stephano in finibus obviam facti, eumque 206.
devote Regem venerantes, Thorunium comitarentur. Inde Ordines Borussici omni conatu allaborabant, ut, quod sub Henrico Doc. N. 24
frustra tentaverant, a Stephano tandem obtinerent. Sed quæ 25. p. 212.
Henricum distinuerat, eadem quoque remora Stephano injecta, siquidem Senatores Regni ægre permittebant, ut Rex vigore ju- p. 217.
ramenti Polonis præstiti, Borussis polliceretur, se in proximis Comitiis querelis eorum medelam allaturum. Interea Dantiscani 220.
suas sibi res habere cœperant, quod nec patriæ communi, nec civitatis libertati prospectum satis fuisse existimarent, præsertim cum provida cura opus esset ad cohibendos illorum conatus, qui paucos ante annos novam Regiminis formam ipsis obtrudere imperiose tentaverant. Et invisi ipsis erant *Commissarii Karnkoviani* vulgo nuncupati, ab inimicis regnante Sigismundo Augusto 222.
constituti, qui fundamentis Reipublicæ conquassatis extrema fere minabantur. Ad tanta ergo mala averruncanda, & statum pristinum restaurandum, necessarium censebant Dantiscani, cognitionem ante omnia Judicibus delegatis & Decretis eorum omnem auctoritatem abrogari, atque ante, quam hoc factum esset Stephano Regi fidem jurare, recusabant; unde malevoli, ipsos ad defectionem spectare, criminabantur. Amica quidem transactione 221.
sedare tempestatem imminentem tentabant nonnulli, sed his adversabantur plures, qui, neglecta communis salutis cura, propria commoda ex dissidiis publicis captabant. Eadem res in Comitiis Thorunienfibus denuo agitata, quorsum ablegandi aliquos ex suis civitati libertas data. Verum cum missi a Dantiscanis, in urbem vix 224.
ingressi, carceri manciparentur, & Aulici graviora quotidie postularent, nec Brombergæ postea Tractatus felicius succederet, pa- 230.
cis consilia exulare penitus visa sunt. Hinc ablegati Dantiscani in 231.
arcem Lensiciensem detrudebantur; civitas ob atrocia crimina, eidem imputata, proscripta, ac merces pecuniæque ipsorum in universo Regno repertæ in fiscum redactæ. Immo urbs ipsa 238.
gravi obsidione cincta: sed Dantiscanis pertinacissime sua defen- 240.
dentibus, eoque fortissimi Regis consiliis penitus eversis, pax tandem optata conciliantibus exterorum Principum Le-

p. 254. gatis, felicissime coiit. Civitas in gratiam Regis recepta, privi-
legia illius summa autoritate roborata, & querelis per *Tractatus*
428 sq. *Portorii* satisfactum. Reddita vix Regno quiete, Stephanus eo
455. intendit animum, ut Livoniam, in quam Polonis sub Sigismun-
259. do Augusto jura erant legitime quæsita, Russorum dominio armis
subtraheret. Ad id perficiendum opus erat nervo rerum geren-
darum, unde Poloni, quantum cuique pendendum esset, con-
276, 339. stituerunt, simulque allaborarunt, ut Borussi oneribus Regni
286, 308 publicis subjicerentur. At isti ex antiqua consuetudine de pecu-
sq. 352. niis conferendis in Comitiis Provincialibus potius consultabant,
337, 391 ac licet hac in re a vetusta constantia recedentes Nobiles, ut civi-
404. tatibus ægre facerent, a Polonis statuta acceptarent, civitates
tamen, ne ista inveterato usui fraudi essent, protestatæ sunt.
277, 281 Nihilominus pati cogebantur Borussi, ut vectigalia, de quibus
307, 470. in Comitiis Regni decretum fuerat, in terris ipsorum, imprimis
prope Montem Album, per aliquot annos exigerentur. Hinc ut
223 sq. arctius in Poloniæ societatem venirent Borussi, ad omnia Regni
329. Comitia eos evocarunt Poloni & Nobiles Territorii inter Consili-
arios in Senatu, a Nobilitate vero Delegatos inter Nuncios Ter-
restres sedes occupare jusserunt, quod vigore Decreti Lublinen-
sis, a Stephano Rege demum autoritate legitima donati, jure
332 sq. 340 factum fuisse perhibebant. Deinde sensim id efficere conabantur,
349. ut juri dicundo Comitia Borussorum Provincialia tantum vaca-
rent, & Ordines ipsorum de rebus majoris momenti, quoties
Doc. 35. Regi placeret, in communi conventu consulerent. Mox omne
discrimen inter utramque gentem tolli cupiebant Poloni, &
341, 345. quamvis Borussi, ut animos Polonorum sibi conciliarent, pro
Doc. 37. indigena admitti paterentur, qui per annos aliquot prædia in
Borussia possedisset, nullam tamen legem admittere, sed pleno ju-
309, 396. re uti Poloni volebant, unde factum, ut illis summa officia in
Doc. N. 65. Borussia fuerint collata, quod patuit primum in Cromero ad Præ-
312, 326. sulatum Varmiensem evecto, cui & Andreas Batoreus Princeps
410, 433. Coadjutor adjunctus. Neque minus secularia judicia insignem
Doc. N. 49. mutationem tunc passa sunt, cum, regnante Stephano, Tribunalia
52, 66. Polonorum primum constituerentur, unde, quibus Poloni eti-
268, 271. am Borussos subjicere tentabant, donec hi, gravissimis momentis

Regi

Regi propositis,exemtionem impetrarent. Præterea cum appel-
lationes ad Regem justitiæ procrastinandæ ansam præberent, Bo-
russi devote petierunt, ut Polonorum more ipsis quoque singu- p. 261.
lare Tribunal erigere liceret Sed obstitit iterum Rex, ipsisque
id tantum indulsit, ut vel ad Regem ipsum provocarent, vel a
Tribunali Petricoviæ decisionem causarum peterent. Hinc ali-
quandiu, ut olim moris, ad Regem appellatum, usque dum 448, 451
Nobiles, a Civitatibus discordes, Petricovienses sub certis condi-
tionibus Judices agnoscerent. Gravissimum sane videbatur, 452 Doc.
causas ex Legum patriarum tenore ab extraneo judicio dijudicari, N. 77 sq.
donec Culmensia jura in ordinem fuissent redacta, cui rei
perficiendæ jam Sigismundo I imperante fuerat insudatum. Nec 292, 461.
defuere conventus ad utilissimum negotium peragendum desti- Doc. N. 61.
nati sub Stephano; sed in alia omnia ordines discesserunt, cum 365 sq. 373.
nonnulli animadverterent, Nobiles, neglectis legibus Culmensi- 414, 425.
bus,peculiari juri condendo intentos,cujus voti etiam subRegimi- 464 467 sq.
ne proxime sequenti compotes sunt facti. Ceterum octoginta fere
Documenta publica subnectuntur, quæ veritati lucem insignem
accendunt.

THESAURUS JURIS ROMANI, CONTINENS rariora meliorum Interpretum Opuscula, in quibus Jus Romanum emendatur, explicatur, illustratur, itemque classicis aliisque Autoribus haud raro lumen accenditur, cum Præfatione EVERARDI OTTONIS, *JCti & Antecessoris.*

Tomus I.

Lugduni Batavorum, ap. Jo. van der Linden, juniorem, 1725, f. Alphab. 5 plag. 19.

QUod Belgio, quod Orbi Erudito, quod seculo nostro impense gratulamur, prodiit jam anno superiore in publicam utilitatem atque elegantiam prima & conspicua pars illius, omnium nationum votis pridem exoptati, ac, postquam spes ejus publice facta, anxie a nobis expectati rariorum opusculorum Thesauri. Meritoque prodiit sub tutela Amplissimi supremæ Curiæ Præsidis

Cornelii van Bynkershœk, quem veræ juris civilis ſapientiæ apud Belgas Statorem, hujus vero inſtituti Autorem primarium ipſa hæc ſplendida collectio Patronum ſibi advocandum poſtulavit; quippe cui illa ſuam debet fortunam & pleraque accepta fert ornamenta. Laudabunt Eruditi fidem atque induſtriam ſolertiſſimi Bibliopolæ, qui characterum elegantia chartæque nitore, plane, ut promiſerat, cimelia Jureconſultorum principum conveſtivit; quod vero longe pluris faciendum, doctiſſimorum hominum auſpiciis atque ductu omnia inſtruxit; deinde propria cura operaque providit, ut ad commodiores legentium uſus ſummaque cum accuratione ſingula, quæ hic extant, opuſcula comparerent, & communi omnium plauſu exciperentur. Ipſe hac fini operas typographicas rexit, ipſeque, Latini ſermonis peritia ſatis imbutus, errata, quæcunque animadverti potuere, & ſecus edita removit; legum capitibus, more veteri per verba initialia tantum laudatis, adjecit numerum; Hiſtoricorum & Poetarum teſtimonia, adſcriptis libris, capitibus, verſibus, certiora fecit, atque indices ſingulis opuſculis, eorumque paginis aptavit. Hæc ſolertia impendenda erat, quo dignum tanta expectatione opus exiret, quodque a dotibus externis pariter atque internis ſummopere placeret. Omnis enim cautio fuit adhibita, ut ne aliis in hoc clarorum virorum theatro daretur locus, quam, quos & brevitas, & raritas, & utilitas commendaret. Majora opera mole ſua nimium gravatura fuiſſent hunc Theſaurum, ſed & talia non tam difficilia paratu eſſe conſueverunt. Raritas nullos libros in hunc cenſum admiſit, niſi ſimul multo elegantiæ & eruditionis ſale eſſent perſperſi. Propterea enim nonnulli ſuperiorum ſeculorum tractatus rariſſimi, quod nihil bonæ frugis continent; iique ſuo merito intercidunt. Juvabit ergo in hac collectione comprehenſos accepiſſe libros *plus quadraginta*, nonniſi exquiſitos, & qui antehac ſeparatim magno cum ſumtu vix ac ne vix quidem comparari potuerunt; libros, inquam, multiplici utilitati & oblectationi variæ inſervituros. Habebunt hic JCti, quo poſt ſalebroſas juris quæſtiones, aut poſt fori rixantis murmura animum reficiant: habebunt critici, quo πολυμάθειαν large inſtruant: habebunt humaniorum literarum ſtudioſi, quæ ipſis, tan-

tanquam peregrinis in hortis nata, gratiora videri poterunt, multa ad proprietatem vocum, ad ritus, formulas, mores & Antiquitates Romanorum pertinentia. Hoc pacto tituli præfixi mensuram implebit præsens opus, immensas doctrinarum atque eruditionis variæ gazas complectens. Tanto inferiores jam apparebunt collectiones opusculorum juris olim peractæ, sive illa *Francisci Ziletti* jussu *Gregorii XIII Pontificis* quinque & viginti voluminibus sub titulo, *Tractatus universi Juris*, Venetiis A. MDLXXXIV edita, sive altera a *Pompejo Limpio* octo Voluminibus sub titulo, *Repetitiones Juris Civilis*, Venetiis A. MDCVIII publicata. Pauci enim in vastis istis corporibus Scriptores artibus & literis paulum cultiores reperiuntur; neque discreta satis Divinæ atque humanæ legis, diversorumque jurium, aut solida, & quæ demtis Doctorum plaustris consistere videretur, doctrina in plerisque sese prodit. Enimvero melior jam vivitur ætas, nec beata *Accursii* familia in foro, multo minus in Arte juris, regnum adhuc tenet. At, bone Deus! quanto intervallo priorum syntagmatum Autores ab hujus Thesauri vel Conditoribus, vel adjutoribus distant. Summus humanioris & ingenuæ juris prudentiæ fautor atque arbiter *Ill. van Bynkershœk* consilium & rationem deligendi meliores juris Autores dedit, imo vero ipse instructissimæ etiam Bibliothecæ suæ thesauros liberaliter, & generosa de bono publico merendi voluntate, reclusit, non invisurus omnibus, quod antehac omnino cum paucis commune possederat. Nec nisi felicissime librorum hoc fasce complectendorum dilectus cedere potuit, cum & alii præcipui apud Belgas Antecessores atque Civilis juris cultiorisque literaturæ peritissimi Viri, sæpius repetita deliberatione, re atque judicio suo opus promoverint, inprimis Viri Clarissimi *Alexander Cuningbamus* & *Henricus Brenckmannus*. Graviter ac venuste pro dignitate rei diligentissimus Antecessor *Everardus Otto* singula ista perorat disertissima præfatione, ipse auxiliis producendo huic thesauro præstitis clarus ad posteros futurus, eo majori quidem merito, quo majori modestia proœmii & adscripti in titulo nominis invidiam excusat. Pari moderatione de singulis Autoribus hic exhibitis sententiam dicere, aut, quæ a posterioribus melius tradita esse videntur, e multiplicis

ac variæ ſuæ eruditionis lectionisque penu hic congerere noluit, multo vero magis a cenſorio ſupercilio temperavit, in quo adhibendo atque in perſtringendis aliorum laboribus illi fere proniores eſſe ſolent, qui proprio judicio ſobrie diffidere nondum noverunt. Enimvero ſatis erit Eruditis præſtantiorum JCtorum opuſcula, quæ deſiderabant, ut olim edita fuere, jam bona fide recuſa legere. Quæ enim a recentioribus rectius animadverſa, ea in illis non requiruntur: noverunt meliores literati, *in omnibus poſteriora concludere, & ſequentia antecedentibus prævalere*, quod ait Tertullianus, nec tamen ideo prius dicta contemtim habent, aut inſectantur. Sed de de opuſculis Tomi I dicendum.

Primum locum jure tenet *Anton. Auguſtinus*, initio Allifanus, dein Ilerdenſis Epiſcopus, poſtremo Archiepiſcopus Tarraconenſis, *de Nominibus propriis τȣ Πανδέκτȣ Florentini*, a Viro Ampl. *Adolpho Fiſſcher*, JCto, in publica commoda oblatus. Præter enim dignitatem tanti nominis ipſa temporis ratio atque inſignis raritas operis poſtularunt, ut ſtatim in aditu conſpiceretur liber, qui antehac unus longe pluris fuit emendus, quam univerſus hic theſaurus impoſterum conſtabit. Primus ille juris utriusque Antiſtes maximus Leges, SCta, Gentes, Familias, Numiſmata & Inſcriptiones Romanorum examinavit diligentius & cum juris civilis ſcientia omnem veteris eruditionis apparatum feliciſſime conjunxit. Sed primus idem præſidia ex Pandecte Florentino capienda JCtis indicavit, idque eo majori auſu, quo facilius Præceptoris, *Alciati* ſui, Politianum, Bologninum & Taurellum ob induſtriam exemplari Florentino addictam publice privatimque ridentis, judicio averti ab hoc ſtudio potuiſſet. Enimvero, decurſo ſtudiorum curriculo, Florentiæ una cum Jo. Matalio Metello, Sequano, Digeſtorum libros cum Norica Haloandrina editione ad Codicem illum venerandum contulit: ſuntque aurei *Emendationum & Opinionum* libri ex iſtius collationis obſervationibus enati, quos primum edidit Venetiis annos natus quinque & viginti, non undeviginti, ut male tradit *Schottus Lib. V obſervat. human. cap. 33*, qui ob civilia bella patria profugus, in domeſticam familiaritatem ab Auguſtino receptus, nunquam ab ejus latere diſceſſit, eaque propter accuratiora & plura, quam ceteri omnes, de ipſo

de ipso commemorare poterat. Sed hic de propriis Nominibus Pandectarum liber A. MDLXXIX Tarracone, typis *Philippi Mey* descriptus, exiit, tanquam pars prior ingentis operis, *de Verbis Digestorum*, quod Augustinus jam sexagenarius molitus fuit, quodque *omnium pœnarum faciem habere*, Scaliger judicabat. Ejus utilitatem soli intelligunt meliores Jurisprudentes, quique percipiunt, Jurisconsultorum, Consulum, Prætorum, Imperatorum, Præfectorum Urbi, Prætorio &c. aliaque ad historiam singularum legum pertinentia nomina quantum ad explicationem Digestorum & Codicis sint necessaria, quantum quoque ad detergendas quamplurimis veterum locis maculas, nominaque in iisdem restituenda, Pandectæ conducant. Nec alia mente magnus Cujacius *lib. XII Observat cap. 18*, nominum restituendorum inanem forsitan laborem esse, dixit, quam, ut rei difficultatem innueret, plusquam Cimmeriis tenebris involutæ, nec nisi per suspiciones & conjecturas extricandæ, quam & ipsi veteres, dum per festinationem haud raro cespitarunt, ac diversos nominum similitudine confuderunt, quam & mutata diversis temporibus nominum observatio, quamque demum librariorum oscitantia, magnæ obscuritatis causæ, difficillimam prorsus effecere. Sed has quantascunque obscuritates insigni conatu inter primos removit Antonius, quodque jam in *libro singulari de Familiis Romanorum*, & in *lib. III Emendationum Cap. 8* aggressus erat, in hoc opere perfecit, de cujus meditatione jam ab adolescente suscepta videndum *Emendat. lib. I Cap. 7*. Ipse vero primus omnino legum inscriptiones, ab aliis, Græcis & Latinis, omissas, plene ad *librum* usque *quinquagesimum Pandectarum* descripsit: nam *Haloander* ultra *quartum & vigesimum Librum* eas, quippe a *Politiano* & *Bolognino* hucusque tantum notatas, non produxerat. Et ipse primus divino ingenio præstantes usus ex conjunctione fragmentorum percipiendos animadvertit: in quos postea, editis a *Taurello* ex Pandecte Florentino capitum inscriptionibus, cum altius penetrasset *Cujacius*, atque legum inscriptiones & rubricas titulorum, *velut claves arcanis hujus sapientiæ referandis*, magnopere ac sedulo discipulis commendare plane consuesset; hinc factum, ut multi cum fructu in eadem palæstra sese exercerent.

Jaco-

Jacobus Labittus vero egregiam inprimis ac diligentem operam in *Indice* ſuo conficiendo navaret, autore & ſuaſore *Cujacio*, ut ipſe circa finem Indicis profitetur. Sed hic idem *Labitti* pulcherrimus labor ab *Auguſtino* conſpectus permovit, ut partem majoris operis ſcriniis ſuis elabi pateretur, *multo diligentius*, ut in Præfatione ſcribit, *quam ab eo, qui magna cum laude id cæpit; quid ſinguli JCti ſcripſerint, quibuſvis in locis eorum mentio in Digeſtis fiat*, exhibiturus. Idque ſumma cum gravitate præ ſe tulit. Cum enim *Labittus* ordinem indicis manci, qui Pandectis Florentinis præpoſitus eſt, in ſerie JCtorum ſecutus fuerit; *Auguſtinus* temporis habuit rationem, quo ſinguli JCti floruerunt, quos, multis eorum capitibus & libris ſuppletis, aut emendatis, optimo ordine diſtributos ſiſtit. Deinde ille tantum addidit loca ex Codice Juſtinianeo, & Inſtitutionum libris, Novellisque Conſtitutionibus, quæ ad nomina JCtorum pertinent; hic autem cetera quoque in rem ſuam vocavit Jurisprudentiæ ante-Juſtinianeæ & Hiſtoriæ Romanæ monumenta, quæ JCtorum meminere, Græcosque adhibuit, qui vel Juſtiniano æquales, vel poſt eum Conſtantinopoli vixere, ac libris Juſtiniani nondum depravatis uſi ſunt. Adjecit demum, quod extra *Labitti* inſtitutum erat, nomina propria Regum, Conſulum, Imperatorum, Legum, Virorum, Feminarum, Urbium & Provinciarum, in Pandectis conſcripta; eaque omnia notis eruditis illuſtravit. Sciendum autem, in hac *Auguſtini* editione notas, quæ olim ad calcem libri rejectæ erant, nunc juſtis locis ad finem paginarum extare,&, quæ JCtorum meminerant, utriusque Codicis, Inſtitutionum & Baſilicorum capita, ex eadem appendice, uncinulis incluſa, ſingulis nunc ſubjecta, ceterum nihil mutatum eſſe, ſive in orthographia Pandectarum veteri, ſive in paragraphorum numeris, ex *corpore gloſſato* & *Charondæ* editione deſumtis. Hæc hactenus ex doctiſſima *Ottonis* enarratione excerpenda duximus. Pergit vero Celeberrimus hic Anteceſſor, & ad ſingula capita obſervat, quæ ab *Auguſtino* in notis minus accurate poſita offendit. Optime factum! ne tanti viri autoritas, ut multis accidit, pluribus in futurum imponat, &, quod ſolet, creſcat obſervatio ex uno quondam male erepta, deinde ſecutis tradita temporibus, ſerisque nepo-

nepotibus aucta. Et hujus industriæ nonnulla delibabimus. In *primo capite* Augustinus *nomina JCtorum, tam ex quorum scriptis constant Pandectæ, quam, qui in iisdem laudantur*, recensuit; utrosque rursus in quatuor classes distinxit, ac typum successionis sectarum, *Sabinianorum* & *Proculianorum*, ex *Pomponio* dedit. At in scholis his discordibus describendis, *Emundus Merillius*, in vitis JCtorum *Rutilius*, *Bertrandus* & *Guil. Grotius*, *Menagius*, *Rupertus* & *Bynkershœkius* permulta luculentiora dixerunt, variaque docuerunt, ex quibus hoc opus emendari posset. Quando *pag.* 17 Augustinus notat, *Alfenus* & *Alphenus* in Pandecte Florentino, sed sæpius per *F.* scribi: refellitur commentum *Torrentii*, ad *Horatii lib. I Sat. 3* arbitrantis, *Alfenum patrio nomine primum dictum, postea, cum clarior evasisset*, Alfinium *appellatum esse*. Laudat hic Celeb. *Otto* conjecturas Cl. *Wæchtleri* nostri, in his Actis *A.1711* propositas, easque libro singulari plenius se firmaturum spondet. Quando *pag. 56 Salvii Juliani* scripta enumerantur, quæstio succurrit, utrum a *Salvio* hoc *interdictum Salvianum* nomen acceperit? idque cum Augustinus inferius *pag. 331* affirmet, ipsi aliis consentientibus, negantibus aliis: ea res plane incerta videtur, quia gens Salvia plures Prætores & JCtos produxit: nam *Hadrianus Salvio Caro* rescripsit in *l. 14 ff. ad SC. Turpil.* & *Salvius Aristo Julianum* consuluit *in l. 6 ff. de legat. præst.* Cum *pag. 67* ex *libro LXXXXIV Digestorum Juliani* laudatur *l. 32 de legibus*, cujus inscriptionem ita ediderant *Taurellii:* id a mala manu est; nam in manuscripto Florentino *Julianus lib. LXXXIV* legi, idque se bene vidisse scribit Cl. *Laur. Th. Gronovius*. Ita non opus est libro incerto, qui *nonaginta Digestorum* libris adjiciatur. *Pag. 84 Volusii Mæciani* prænomen ex *Capitolino* addendum *Lucius*. *Lampridio* metachronismi crimen in *vita Alexandri cap. ult.* frustra impingitur: veteres membranæ *Mæciani* nomen ibi non agnoscunt. *Pag. 104* miretur quis professionem ignorantiæ, *Cajum cur Justinianus* nostrum *appellaverit*, *nisi fortasse, quia is Christianus fuerit, aut ejusdem nationis cum Justiniano.* Videatur *lib. I Emendat. c. 5*, ubi recte docetur, *Cajum non multum post Salvii Juliani ætatem vixisse, qua & Sextus Pomponius fuit. Suum* Justiniano dictum, quod Tribonianus ejus operibus in conscribendis Institutionibus familiariter esset usus, verissima videtur

 ratio:

ratio: nam pari causa *Strabo* & *Seneca Zenona suum* vocarunt. *Pag.* 139 *Tertullianum* JCtum non alium esse a Patre & Scriptore Ecclesiastico, traditur. Sed contrarium apparet ex collatione vel unius *l.* 33 *ff. de Testam. milit.* cum stilo tumente & pingui Presbyteri illius Carthaginensis. *Pag.* 191 *Hermogenianus* perperam inter *Alexandri* consiliarios & numerum discipulorum *Papiniani* refertur. Fons erroris interpolatus *Lampridii* locus. *Pag.* 196 *Q. Claudius Venulejus Saturninus* idem cum *Venulejo* videtur Augustino, qui duo rectius separantur in inscriptione *l.* 15 & *l.* 16 *ff. de pœn. Claudius* sub *Pio* & *Divis fratribus*, *Venulejus* sub *Caracalla* & *Alexandro* floruere. *Pag.* 204 *Tarruntenus Paternus* quo tempore vixerit, incertum dicitur. Sed is *Commodo* imperante fuit præfectus prætorio, estque propter malum consilium interemtus, *Lamprid. Commod. cap.* 4. *Pag.* 214 *Augustinus* historiam de *Servio Sulpicio*, ad studium juris Civilis converso per *Mucii* objurgationem, *Pomponio* dubiam reddit, a *Guil. Grotio* ea causa reprehensus. Duobus nititur argumentis: primo, quod & *Tullii* & *Servii* adolescentia non permittat credere, eos vivo *Scævola* primum in causis orandis locum obtinuisse: altero, quod *Servius* demum, postquam Rhodo reversus, ad Jurisprudentiam accesserit, atque in ea primus esse maluerit, quam in eloquentia secundus, *Cic. in Bruto, cap.* 41. Satis liquere videtur, nisi apud *Pomponium* per *obtineret* intelligas *obtinere potuisset*, quod *Grotius* legi jubet, narrationem ejus consistere non posse. Et vel hoc admisso morosior æquo est objurgatio *Scævolæ*, nec in ætatem *Servii*, ad summum viginti quinque annis tum consistentem, quadrare videtur. Sed quod *Augustinus* ab hoc *Servio* JCto nomen *Servianæ Actionis* desumtum putat, secus videtur, propter *Ciceronis* locum *Orat. pro Muræna cap.* 20. qui docet, *Servii* sortem in Prætura non fuisse juris dicendi, quam omnes necessarii ei optarant, sed peculatus. *Pag.* 244 quod *Cujacius* de *Fufidio* a se in lucem protracto dubitanter scripserat, *forsitan* hunc esse eundem, quem *Cicero* in aliquo patronorum numero fuisse ait, id *Augustinus* suum fecit. Ast utrumque in ætate *Fufidii* errasse, eumque toto seculo juniorem sub *Vespasiano* floruisse, *Grotius* ex *l.* 5 *ff. de auro arg. leg.* probavit. *Caput II Regum & Consulum nomina* complectitur, *quibus Romani annos suos ad annum usque*

Chri-

Christi 541 *designarunt*. Et hic quoque e Fastorum commentariis varia aliter constitui possent. Ita *Pighius* monstravit, SCtum, cujus *pag.* 258 mentio fit ex *l.* 1 *ff. de Off. Quæst.* quod factum est *Decimo Druso & Porcina CSS.* referendum esse ad *D. Brutum & Æmilium CSS.* Et sequens ibidem consulatus *Sullæ & Trionis* ex *l.* 12 *pr. ff. de Accusat.* ad *Tiberii* ævum pertinet, *Memmioque Regulo Sullæ Fulcinius Trio* collega assignandus, observante *Cujacio lib. VI c.* 30. *Capite III nomina Imperatorum, a Julio Cæsare ad Alexandrum in Digestis perscripta*, proponuntur: in quibus latius processit *Freymonius*, atque in *Symphonia juris* ex Codice quoque Principum nomina adjecit. Brevis etiam hic & parcus *Augustinus* in notis. *Caput IV* exhibet *nomina Legum, SCtorum, Edictorum, Interdictorum, Decretorum & Actionum*, quæ a propriis nominibus deducuntur, aut aliam habent insignem appellationem. Facile apparet, magnam accessionem, emendationem atque illustrationem variam huic capiti afferri posse, tum ex libris singularibus doctissimorum Virorum, quibus singulas Leges, Plebiscita, SCta explicarunt, tum ex iis, quæ Critici atque JCti inter aliud agendum ad istas species juris Romani notarunt. *Capite V* sistuntur *Nomina propria certarum personarum*, partim *Scriptorum Veterum Græcorum & Latinorum*; partim *Deorum atque Heroum*; partim *Romanorum, atque Provincialium, sive aliorum*; ex quibus *servi* a *liberis*, *viri* a *mulieribus* distinguuntur. *Capite VI* sequuntur *ficta Nomina tam Romanorum civium, quam servorum ab JCtis usurpata*, quorum pars ad *viros*, pars ad *feminas* pertinet. *Caput VII* complectitur *nomina Provinciarum, Urbium, Montium, Fluminum, Oppidorum, Gentium, Familiarum, prædiorum & aliarum rerum*; *Capite VIII aliorum nominum* est *Silva*, eorum, quæ ad superiora commode referri nequivere. Multum post *Petri Fabri* curas *Ægidio Menagio* & Ampliss. *Bynkershœkio* debemus, qui singuli complura Magistratuum aliorumque civium Romanorum nomina magis familiaria cognitaque nobis fecere, permulta quoque restituerunt. *Augustino* subjungitur II *Carolus Selvaghius*, Theologus, in studio olim Neapolitano publicus legum Professor, deinde in Romana cathedra *Mureti* successor. Ejus Autoris solœcismis & barbarismis repleti, succo vero & sanguine destituti, *de origine, ethymo, & præstantia*

tia Pandectarum, in l. 1 & 3 de Justitia & Jurisdictione, recitationes solemnes non inserendæ videbantur huic egregiorum scriptorum corpori, nisi id dandum fuisset multorum desideriis. Et possumus ei tanto æquiori animo locum assignatum non invidere, cum vix octo folia occupaverit, *Augustino* vero solum ob argumenti propinquitatem successor sit datus. Quamvis enim is ordo librorum minime sit observatus, qui perpetua serie easdem materias quovis tomo sisteret, cum singuli per se subsistant: ii tamen ut jungerentur, quos inter cognatio quædam est, ipsa res poposcit. Jam perjucunda vicissitudine sese offerunt III elegantissimi JCti Genevensis, *Jacobi Lectii de vita & scriptis Æmilii Papiniani, seu de officio Prudentum oratio; de vita & scriptis Domitii Ulpiani orationes duæ; ad Æmilium Macrum de publicis Judiciis, liber unus; ad Modestinum de pœnis, liber unus.* IV Sequitur acerrimum illud, quod Juris Conditoribus superiori seculo extitit, par defensorum, *Jo. Chifletius*, JCtus Vesontinus, cujus *Apologetica dissertatio de Juris utriusque Architectis, Justiniano, Triboniano, Gratiano & S. Raymundo*, Antverpiæ 1657 lucem adspexerat; & *Gabriel Trivorius*, J. C. Historiographus Regius, cujus *Observatio apologetica ad Inscriptionem orationis ad Antecessores Digestis Justiniani præpositæ, adversus quosdam JCtos & Procopii Anecdota*, Parisiis 1631 primum exierat. V *Petri Burgii Electorum liber, quo varios juris locos illustrandi, conciliandi, sanandi ratio tentatur.* Fructus hi sunt institutionis *Cujacianæ*, ut ipse profitetur. Huic vero editioni librum a mendis repurgando aptavit opera *Joannis Balk*, J.U.D. & Curiæ Frisiæ Advocati, qui idem & *Perrenonii Animadversionibus* præstitit. VI *Christophori Coleri*, Antecessoris Altorfini, *Parergorum, ad varios Pandectarum & Institutionum Juris locos, liber singularis, in quo obiter etiam varii Scriptores aut emendantur, aut nove explicantur*, satis notus atque commendatus humanitatis cultoribus. VII *Gabrielis Vallii*, Pictaviensis J. C. & in suprema Regni curia Advocati, *libri singulares, ad L. Gallus, 29 ff. de liberis & posth. ad l. un. C. de sentent. quæ pro eo, quod int. profer. ad l. in quartam, 91 ff. ad L. Falcid. & ad l. filium quem, 24 C. famil. hercisc.* VIII *Petri Avellani*, Valesii, JCti, *aliquot loci bonorum Autorum restituti, vel aliter, quam vulgo intelligantur, explicati.* Pluribus quidem scriptorum

ptorum Romanorum locis, quam juris nostri capitibus lux accenditur in his restitutionibus, aut medela affertur. IX *Nicolai Catharini*, JCti Bituricensis, *observationum & conjecturarum liber.* Ad quinquaginta diversos Digestorum & utriusque Codicis textus conjecturas exhibet, quas in naturales & industriales fructus ingeniose dividit. Illos vocat, quicquid ipsi sub manu scribentis enatum est; hos, quicquid observationum nactus est ope librorum MStorum, vel autoritate Græcorum. Rarior hic libellus munus est Cl. *Abrahami Gronovii.* X *Joannis Stekii*, JCti, Commissarii generalis Reip. Bernensis, *Observationes Anticriticæ juris: seu, vindicationes legum a corruptelis Criticorum & neotericorum Interpretum.* Magno ausu hic Anticriticus in divinationes, correctiones *Rævardi*, *Fabrorum*, *Cujacii*, *Gothofredi*, *Pacii*, *Hotomanni* aliorumque inquirit, ac plerumque lectionem consuetam defendit. XI *Detlevi Langebekii*, Hamburgensis JCti, *in leges aliquot perdifficiles & nondum satis intellectas, novæ Annotationes.* Recensuit *Joachimus Cluten.* Fere cum solo *Accursio* ejusque schola res agitur huic observatori. XII *Petri Perrenonii Animadversionum & variarum lectionum Juris Civilis Libri duo*, Autorum rituumque veterum ad illustrandas leges translatione & variis in historia Juris correctionibus insignes. XIII *Georgii Conradi Crusii*, Antecessoris Lugdunensis apud Batavos, *ex variis observationibus, quæ ad Jus Civile pertinent, Diatribe, ex Juliani libro XXX Digestorum, de scriptura & sententia cap.* si paterfamilias, 40 ff. de heredib. instit. *accedit Dissertatio ex Ulpiani libro IV ad Edictum, de Pactis & conventionibus.* XIV *Ludovici Charondæ*, JCti & in supremo Francorum Senatu Advocati, *Πειθανῶν, seu verisimilium, Libri tres.* In quibus multa Juris civilis loca docte explicantur; atque nonnullorum, quæ invicem diffidere videbantur, erudita traditur conciliatio. *Ejusdem ad tit. de Verborum obligatione scholia, & de Jurisdictione & Imperio libellus.* XV *Marquardi Freberi*, JCti, Palatinatus VII viralis olim Consiliarii, ac Dicasterii Aulici Propræsidis, *Παρέργων, seu verisimilium Libri duo.* In quibus varia Juris civilis loca nove explicantur, emendantur, illustrantur. Est hoc opus, quod vivo Frehero sub uno Παρέργων nomine exierat, dein vero posthu-

mum ac ob insignes accessiones ex schediasmatis Autoris adjectas pene novum editum opera *Joannis Bosch*, J. C. Norimbergensis, A. 1622. Tomum alterum futuris nundinis vernalibus præstolamur; eoque expeditius universum corpus poterit ad umbilicum perduci, cum jam in recensito Tomo rariora præ ceteris opuscula, & quæ diu necquicquam requisiverat Bibliopola, exceptis *Const. Landii Enarrationibus & Prætermissis*, sint inserta, cumque Eruditi de promovendo ornandoque opere prorsus inter se contendant.

ECLAIRCISSEMENS SUR L'ANALYSE des infiniment petits.

hoc est,

DILUCIDATIONES ANALYSEOS INFINITE parvorum; Autore VARIGNONIO, Membro Academiarum Regiarum Scientiarum, Parisinæ, Londinensis & Berolinensis, ac Professore Regio.

Parisiis, apud Rollinum, 1725, 4.

Plag. 16 Tabb. æn. 6.

CEl. *Varignonius*, Geometra primi ordinis, qui multum temporis in calculo differentiali consumsit, cum Analysin infinite parvam *Hospitalianum*, da qua alibi diximus in Actis nostris accurata & successiva industria perlustraret, in calamum conjecit, quicquid ad eam ulterius perficiendam facere videbatur, novæ editioni, quam meditabatur, notas adjecturus. Has igitur notas sub Dilucidationum titulo solas in publicum profert editor, cum Analysis *Hospitaliana* iteratis jam vicibus lucem adspexerit. Plurimum autem eædem differunt a Commentario *Crosæ* in eandem Analysin, cujus in his Actis Suppl. Tom. VIII Sect. 6 p. 262 mentionem fecimus. Neque enim solum cum *Crosa* id agit, ut tyronibus calculum magis expeditum reddat; sed plurima addit Geometra tanti nominis digna. Præter explicationes locorum difficiliorum Analyseos ibidem reperies propositiones novas, problemata ab *Hospitalianis* diversa, regulas, constructiones & methodos differentes a *Varignonio* detectas. Imprimis ea demonstrat, quæ ab Autore Analyseos sine demonstratione sumuntur, & quorum

rum demonstrationem supplere non est cujusvis. Addit quoque passim de argumentis, quæ Autor Analyseos pertractat, ab aliis summis Geometris, *Leibnitio* præsertim atque *Bernoulliis*, reperta, quorum pars ex his Actis desumta & uberius illustrata. Presso pede sequitur Autorem Analyseos, ut adeo de argumento operis distinctius quædam recenseri, minime sit opus. Coronidis loco adjicitur dissertatio de calculo exponentiali Latino idiomate conscripta, in qua ea ad faciliorem intelligentiam proponuntur, quæ *Leibnitius* atque *Joannes Bernoulli* de hoc calculo dedere in his Actis, & dubia solvuntur, quæ *Bernhardus Nieuwentjit* contra eundem moverat. Adjicitur præterea scholion idiomate Gallico, quod, quæ *Bernoullius* in his Actis A. 1697 p. 125 & seqq. de hoc calculo dedit, jam ante proprio Marte assecutus fuerit & in Diarium suum retulerit A. 1695, occasione eorum, quæ *Leibnitius* in his Actis A. 1695 *Nieuwentjitio* respondit. Methodus tangentium curvarum exponentialium, qua calculus illustratur, idiomate Gallico conscriptus; cui jungitur methodus altera investigandi exponentes potentiarum incognitos, reducendo nempe æquationes ad Logarithmicas, v. gr. $c^x = ab^{x-1}$ ad alteram $xlc = (x-1)(la+lb)$: quod nihil difficultatis habet.

RECREATIONS MATHEMATIQUES & Physiques &c.

hoc est,

RECREATIONES MATHEMATICÆ ET Physicæ; Autore OZANAMO, Academiæ Regiæ Scientiarum Membro & Matheseos Professore.

Tomi IV.

Parisiis, apud Claudium Jombertum, 1725, 8 maj. Alph. 5 pl. 6 Tabb. æn. 132.

REcreationesMathematicæ & Physicæ *Ozanami*, Cursu & Lexico Mathematico atque Tractatu de lineis primi generis, locis Geometricis & constructione æquationum editis clari, problemata Mathematica & Physica continent, quæ oblectant, qualia

lia in opere Germanico ejusdem rubri olim apud nos dedit *Swenterus*, Matheseos Professor *Altorfinus*, & ejus continuator *Harsdœrfferus*. Editio nova, quam hic sistimus, non modo quarto volumine integro aucta, verum & in Tomis tribus prioribus aliquot accessionibus locupletata. Tomo primo continentur problemata arithmetica, geometrica, musica & optica. In problematibus arithmeticis exponitur modus additionis mercatoribus in designando mercium pretio usitatus, compendiosa multiplicatio & divisio, sed quæ non accedit ad perfectionem *Ludolffina* a *Wolfio* in Elementis Matheseos explicatæ; inventio numerorum perfectorum; & omnium divisorum numeri dati; determinatio trianguli rectanguli in numeris rationalibus integris; usus progressionis geometricæ & arithmeticæ in solvendis variis problematibus particularibus; formatio quadratorum magicorum; usus trianguli arithmetici in combinationibus, permutationibus & in ludis; divinatio numerorum, quos alter mente concepit; ut alia problemata particularia complura silentio prætereamus. Problemata geometrica ad Geometriam practicam in charta exercendam spectant. Eminent inter ea, quæ sunt de circulorum contactu. Pauca quædam geodætica adjiciuntur, eaque vulgaria. Problemata musica perpauca sunt eaque fundamentalia. Optica alia pertinent ad Opticam directam, alia ad Catoptricam, alia denique ad Dioptricam. In illis continentur paralipomena nonnulla ad Tractatum de Perspectiva, quem Cursui Mathematico inseruit: quoniam vero ex eodem exulant Catoptrica & Dioptrica, ideo phænomena speculorum planorum, cylindricorum, sphæricorum, itemque vitrorum convexorum, concavorum & meniscorum hic explicat Autor & machinas quasdam curiosas catoptrico-dioptricas una cum camera obscura, laterna magica, telescopiis & microscopiis describit. Omittit & demonstrationem & passim lectorem ad *Wolfii* Elementa Matheseos universæ ablegat. Colophonem imponit Tomo primo Perspectiva curiosa, in qua anamorphoses imaginum ope speculorum perficiendæ describuntur. Tomus secundus continet problemata gnomonica, cosmographica & mechanica. Inter gnomonica eminent descriptio horologii regularis nonnisi duabus circuli aperturis, immo

nonnisi

nonnisi unica absolvenda constructio quadrantis gnomonici portatilis; descriptio horologiorum horizontalium universalium ellipticorum, hyperbolicorum, parabolicorum; constructio horologii lunaris & machinæ ope Lunæ splendentis horam nocturnam determinandi, horologiorum item catoptricorum & dioptricorum, cylindricorum & sphæricorum, imprimis autem horologii universalis, a quo hora quæcunque diurna atque nocturna indicatur, quod *Eustachius Pecourt* invenit. Demonstrat etiam analemma rectilineum universale *Millieti de Chales*, quod horas & altitudines Solis indicat ejusque usum explanat. Problemata cosmographica vel astronomica sunt, vel geographica, vel chronologica. Explicatur modus inveniendi locorum longitudinem; clima, in quo locus datæ longitudinis situs; quantitatem gradus in parallelo dato; peripheriam, diametrum, superficiem & soliditatem terræ, juxta recentissima Gallorum inventa; distantiam locorum datæ longitudinis & latitudinis una cum modo describendi loxodromiam. Explicantur problemata ad Calendariographiam spectantia, veluti de discernendis annis bissextilibus a communibus, de inveniendis numero aureo atque epactis, ætate Lunæ, pleniluniis & noviluniis eclipticis (ubi quoque describitur constructio instrumenti, quod in hunc usum invenit *Philippus de la Hire*) Cyclo Solis & litera dominicali; de distinguendis feriis hebdomadis, determinando paschate cum festis mobilibus in anno dato, & feria prima cujusvis mensis, investigandis indictione Romana & numero periodi Julianæ pro anno dato, itemque periodi Dionysianæ pro eodem anno, loco etiam Solis atque Lunæ, una cum tempore, quo Luna per noctem splendet. Docetur etiam usus calendarii Romani & modus determinandi tempus fluxus & refluxus maris in dato portu. Solvuntur adhuc alia problemata geographica de illuminatione telluris, quæ ex cursu Mathematico R. P. *de Chales* huc transferuntur. Annotantur nonnulla, quæ de stellis & utroque luminari observata sunt, ubi planetarum magnitudines, distantiæ & periodi definiuntur. Ultimo loco agitur de themate cœlesti erigendo. Problemata mechanica vel sunt statica, vel aerometrica, vel hydrostatica, vel hydraulica. Quoniam mechanicæ disciplinæ multam in vita utilita-

tem habent, utile miſcetur dulci. Docetur inter alia conſtructio libræ portatilis in Germania inventæ ope elateris tenſi pondus determinantis: cui gemina jungitur alterius ſtructuræ ab Architecto militari Gallo *Chapototio* inventa, una cum libra *Caſſiniana* ſtructuræ admodum ſimplicis, quæ non modo quantitatem, ſed & pretium mercis determinat. Deſcribitur ſtructura & uſus barometrorum, tam ſimplicium, quam compoſitorum, atque thermometri *Florentini*; ſipho communis & diabetes; modus navigium ſubmerſum extrahendi, gravitatem unius pedis cubici aquæ determinandi, currum ſine equis promovendi, gravitatem ſpecificam aquarum examinandi, vires vectis ad calculum revocandi, pondus metalli absque libra inveſtigandi, altitudinem aquæ corpore ſolido immerſo aſcendentis inveniendi, machinam conſtruendi, quæ plagam venti in conclavi monſtret, fontes item intermittentes, fontem *Heronis* & ſalientes ceteros, qui in elementis Hydraulicæ explicari ſolent. Deſcribitur quoque horologium valde ſimplex, unico tympano in cellulas intra diviſo & motu aquæ vel alterius liquidi intus concluſi perpendiculariter, ſed lente admodum deſcendente conſtans. Transferuntur denique huc alia curioſa ex Tractatu de viribus motricibus. In Tomo tertio primo loco comparent problemata pyrotechnica de ignibus artificialibus cum feſtivis, tum nocivis. Sequuntur problemata phyſica miſcellanea Matheſi partim agnata, partim nihil cum ea affine habentia. Nullas Autor addit rationes; ſed eas Phyſicis inveſtigandas relinquit. Agit inter alia de teleſcopiis & obſervationibus teleſcopicis planetarum, de tuba ſtentoreophonica, de conglaciatione artificiali, de vitro cauſtico *Tſchirnhuſiano*, cujus diameter pedum trium Rhenanorum, pondus 160 librarum, de Æolipila, de lachrymis vitreis, de metalli lamina tenui aquis innatante, de aqua forti & regia atque oleo vitrioli & oleo Tartari per deliquium, de pulvere & auro fulminante, pulvere & unguento ſympathetico, de origine fontium & rivulorum, de fontibus, metallis & gazis ſub terra deliteſcentibus detegendis, de hygrometris, de phoſphoris, de atramentis ſympatheticis, de magnete, de tranſpiratione inſenſibili corporis humani, de terræ motu artificiali, de generatione plantarum earumque directione ac motu.

tu. Describit etiam novum antliæ genus, quæ continuo aquam evomit, dum embolus agitatur. Sub finem problematum physicorum monet, se dedisse has Recreationes Physicas & Mathematicas, ut sint supplementum Cursus Mathematici. Alteram Tomi tertii partem constituit Tractatus de horologiis elementaribus. Ejus Autor est *Dominicus Martinelli*, Spoletano-Italus, qui eundem idiomate patrio Venetiis A. 1663 edidit. Noster eum in idioma Gallicum transtulit. Describuntur in eodem non modo varia clepsydrarum genera, verum etiam diversi generis horologia, quæ sabulo, aere & igne animantur. Ultimus tandem Tomus continet Tractatum de phosphoris naturalibus & artificialibus, & lucernis inextinguibilibus. Libro primo de phosphoris naturalibus differitur. Postquam varia de igne ex historia tam sacra quam profana gentium fuerunt recensita & luminis pulchritudo atque excellentia commendata, ipsique natura inexplicabilis vindicata, inter phosphoros naturales primus locus tribuitur Soli. Sequuntur meteora ignita, cum fulgure atque tonitru, montes ignivomi & adamas in tenebris lucens. Tandem in hunc censum referuntur plantæ & ligna putrida, quæ in tenebris lucent, lampyrides sive cicindelæ, cuccujus sive musca lucens in America, pisces in tenebris lucentes & mare luminosum, caro animalium in tenebris lucens, aves & homines luminosi. Inter phosphoros artificiales libro secundo comparet lapis *Bononiensis*, phosphorus *Kunckelii*, cujus præparatio docetur juxta methodum *Boylianam* & *Hombergianam*, diversa phosphororum experimenta ab *Hombergio* instituta, novus phosphorus *Hombergii* in Commentariis Acad. Reg. Scient. A. 1693 descriptus, varii phosphori liquidi, novus phosphorus *Lyonnetti* ex fæcibus alvi præparatus, nophtha, phosphorus *Balduini*, phosphorus vitreus *Nugueti*, quem vocat Noster, coincidens cum experimento *Hauksbeji*, Angli, quo lumen affrictu globi evacuati & celeriter rotati atque digiti leniter applicati producitur, phosphorusque Mercurialis *Bernoullii*. Libro denique tertio de lucernis inexstinguibilibus in medium proferuntur, quæ antiquorum historicorum fide nituntur, veluti de lucernis ejus generis templorum, de sepulchralibus, tum de iis quas recte domesticas dixeris, itemque *Cassiodori*.

dori. Recenſentur Autores, qui lucernas ſepulchrales inextinguibiles inter aniles fabulas retulerunt, eorumque objectiones ſub incudem revocantur, nec non illi, qui earundem impoſſibilitatem adſtruxerunt. Noſter tamen poſſibilitatem omnino adſtruit, & de arbeſto prolixe diſſerit. Totus hic tractatus, multa eruditione conſcriptus, multam Autoris in hoc genere lectionem arguit. Deſcribuntur quoque hinc inde varia experimenta chymica & appendicis loco arcana agyrtarum revelantur.

INSTRUMENTA METEOROGNOSIÆ INſervientia, quorum Conſtructio in plurimis correcta & accuratior adornanda, defectus corrigibiles & incorrigibiles, ſitus commodus atque uſus ſuccincte traduntur. Accedunt hyetoſtathmica duo & exatmoſcopium noviter inventa, nec non meditationes de menſura quadam univerſali eruditis propria, quorum examini atque judicio hæc omnia ſubmittit JOH. GEORGIUS LEUTMANNUS, P.D.

Wittenbergæ, ſumtibus B. Godofr. Zimmermanni Vid. 1725, 8. Plag. 13 Tabb. æn. 11.

CUm Cl. Autor in his Actis legiſſet invitationem Cel. *Jurini*, illuſtriſſimæ Societatis Regiæ Britannicæ Secretarii, ad obſervationes meteorologicas communi conſilio inſtituendas, non ingratum fore judicavit, ſi ad eas requiſita inſtrumenta curatius deſcriberet: etenim in mechanica practica hactenus cum laude verſatus eſt, qua de re ſpecimina in his Actis recenſuimus. Deſcribit igitur Noſter thermoſcopium, baroſcopium, hygroſcopium, anemometrum, plagoſcopium, hyetometrum, inſtrumentum hyetoſtathmicum, & exatmoſcopium, quod vocat, ſive evaporatorium. Thermoſcopium *Florentinum* ceteris omnibus præfert, in quo ſphæræ diameter 2 digitorum, canalis altitudo 3 pedum, amplitudo ejuſdem $1\frac{1}{2}$ linearum. Spiritum vini deſtillatione rectificatum cineribus clavellatis dephlegmatizari jubet, addita ſemilibra duabus libris ſpiritus. In uſum obſervationum meteo-

meteorologicarum non opus est baroscopio lucido: docet tamen una Noster, quomodo lucentia conficiantur. Contendit vero, barometrum non lucere, cujus vacuum ab omni aere immune est: illico autem lucidum fieri, si bullula aerea intromittatur, sive Mercurius impurus fuerit, sive purgatus, etsi non diffiteatur, in casu priori lucis minorem esse vividitatem. In usum hygroscopii commendat frustum chordæ maximæ, quæ testudini supertenditur, liquori immersum, qui ex cineribus clavellatis in cella humida exstillavit, vel oleo Tartari per deliquium, per duos tresve dies. Quod A. 1708 hac arte paraverat, anno 1718 adhuc vegetum amico cuidam donavit. Quoniam anemometrum *Wolfianum* a leviori vento non dirigitur adversus ventum; ideo aliud substituit, cujus alæ sunt horizontales a vento impellendæ, ex quacunque tandem plaga veniat. Ejus ideam materialem cum Cl. *Wolfio* communicavit, ipsius de illo judicium exploraturus. Plagoscopium nihil difficultatis habet. Hyetometrum ad mensurandum pondus aquæ pluviæ decidentis ita construi jubet. Fiat infundibulum stanneum quadratum, cujus latera exacte pedem æquent. Orificium inferius desinat in canalem conicum contractum, qui in imo perforatus foraminulo pisi magnitudinem non excedente. Huic applicetur canalis vitreus 2 vel 3 digitos amplus, 2 vel 3 pedes longus, ita ut alterum conicum arcte complectatur. In fine aptetur gracilescenti epistomium, & extremum 3 circiter vel 4 linearum immittatur tubo alteri vitreo 4 vel 5 lineas amplo, 2 vel 3 pedes longo, ac in fine itidem epistomio instructo. Canalis vitreus major experimentali modo dividatur in partes singulis aquæ pluvialis libris, minor autem in partes semunciis respondentes. Totum hyetometrum includitur turri lapideæ, ut hieme calor ope fornacis, quem pigrum Henricum (den faulen Heintzen) chymici appellant, conservari possit nivis liquandæ gratia. Hyetosthathmicum instrumentum idem est cum aræometro, quo in determinanda gravitate specifica fluidorum utimur. Exatmoscopium denique est instrumentum, quo quantitas exhalationis aquarum determinatur. Lancem stanneam pedem vel dimidium quadratum amplam suspendi jubet ad libram *Perraultinam*, quemadmodum spongia in hygrometris appendi solet,

let, infusis quatuor aquæ libris & ad æquilibrium cum pondere ex altera parte appensi reductis. Divisio arcus circularis, in quo lingula monstrat defectus aquæ, modo experimentali absolvitur. Pro mensura universali commendat Noster differentiam altitudinum Mercurii in barometro, quam sumi jubet pro mensura duorum pedum.

Magdeburgisches Jubel-Jahr.

i. e.

MNEMOSYNON JUBILÆI EVANGELici Magdeburgensis secundi.

Magdeburgi, typis Christ. Lebrecht Fabri, 1725. 4. Alph. 3 pl. 1.

PUrioris doctrinæ evangelicæ, sæculo post natum Redemtorem mundi decimo sexto ineunte, feliciter restitutæ, sacrorumque a cultu idololatrico & superstitioso repurgatorum, memoriam sæcularem universa ecclesia Lutherana cum jubilo celebravit anno hujus sæculi decimo septimo, quippe quo duo ante sæcula dudum exoptatæ reformationis opus initium cepit. Quemadmodum vero reformatio non omnibus locis simul, & uno eodemque anno instituta est, sed lumen evangelii, quod subinde clarius effulsit, unam post alteram civitatem illustravit: ita suum quæque civitas in lucis evangelicæ subortæ memoriam, nulla ætate oblivioni tradendam, jubilæum merito celebrat, & hujus beneficii divini magnitudinem læta grataque mente recolit. Quæ in recipiendis purioribus sacris non postrema fuit, eademque varios inter casus & discrimina rerum constanter retinuit, inclyta urbs Magdeburgum aliis jam hujus pietatis exemplum dedit, & permissu Sereniss. ac Potent. Regis Borussiæ & Electoris Brandenburgici, Domini sui clementissimi, jussuque magistratus civilis, præeuntibus omnibus & singulis reverendi Ministerii membris, anni hujus sæculi vicesimi quarti Domin. XX post Trinit. die 5 Novembr. publicas solennesque supremo Numini gratias egit. Cujus festivitatis memoria ut ad posteros transeat, reverendum

dum Ministerium Palæo-Magdeburg. mnemosynon hoc exstare voluit, & conficiendum ac imprimendum curavit, omnibus, qui hodie magistratu in hac civitate funguntur, inscriptum. Primum ergo in hoc opere locum occupat rerum ecclesiasticarum Magdeburgi ab initio Reformationis, A. 1524, ad præsentem usque ætatem gestarum historia, quam Max. Reverendus *M. Jo. Jul. Struvius*, Pastor Joanneus, Ministerii Subsenior, sacri Synedrii, quod Magdeburgi est, Assessor & Scholarcha, duobus ex Collegarum numero, *Bartholdo Dan. Meybringio*, & *M. Fr. Gottlieb Kettnero* opitulantibus, concinnavit. Hanc excipiunt conciones, ab omnibus ministerii membris, die solennibus sacris destinato habitæ, & juxta ordinem templorum dispositæ, excepta Merckii, qui exorari non potuit, ut concionem suam operi huic inseri pateretur. Argumentum hisce concionibus suppeditarunt duo Apostoli Pauli monita Col. I, 12, 13, 14 & Eph. V, 8, 9, quorum illud horis antemeridianis, hoc vero pomeridianis expositum est; ubi notandum, Max. Rev. Struvium concioni suæ jubileæ aliam adjecisse, Dom. VI post Trin. ejusdem anni habitam, in memoriam concionis Lutheri, quam A. 1524 Magdeburgi in æde sacra Joannea habuit de discrimine justitiæ Pharisaicæ & Evangelicæ: porro *M. Sethi Henr. Calvisii* concionem jubileam, seorsim jam typis descriptam, in hoc opere denuo reliquis adjunctam esse: & denique *M. Fr. Gottl. Kettnerum* in concione matutina, quam solus habuit, sibi explicandum sumsisse textum ex cantico Mariæ Luc. I, 48-50. In singulis concionibus veritas evangelica, eandemque agnoscentium officia pro χαρισμάτων, quæ cuivis dedit divina benignitas, ratione & mensura, bene & perspicue demonstrantur ac inculcantur. Conciones sequuntur programmata, tria *M. Godofr. Bergneri*, Gymnasii Magdeb. Rectoris, latino, & duo *Samuelis Waltheri*, Con-Rectoris, vernaculo sermone conscripta, in quibus etiam historia reformationis & anni hujus sæcularis secundi Magdeburgensis collustratur. Agmen tandem claudunt acta hujus Jubilæi publica, ex quibus apparet, qua ratione festivitas hæc sit præcepta, instituta, & hymnis, precibus ac cantilenis musicis celebrata,

Ex historica præfatione de rebus in ecclesia Parthenopolitana gestis,

gestis, non solum Illustris Seckendorfii historia Lutheranismi,
quatenus ad hanc civitatem spectat, illustrari; sed etiam, qualis
in subsequente ætate ecclesiæ Magdeburgicæ, variis motibus externis
internisque, obsidionibus & controversiis agitatæ, facies
fuerit, qualisve hodie sit, haud obscure cognosci potest. Hæc
civitas, quæ ob templorum, cœnobiorum & reliquiarum copiam
p. 14. *parva Roma* dicta fuit, etiam ante reformationem testibus veri-
16. tatis non caruit, inter quos eminent Ernestus Archiepiscopus, qui
Halæ 1513 in sola meriti Christi apprehensione obdormivit, D.
Andreas Proles, Jo. Scheyringius, & M. Andreas Rauxdorffius,
qui, evangelica veritate ex verbo Dei agnita, merita operum &
cultus idololatrici abominationem publice sunt detestati. Opere
vero reformationis a B. Luthero Wittebergæ ore & scriptis feli-
20. citer incepto, Jo. Fritschius (vulgo Fritzhans dictus) monachus
Franciscanorum ordini adscriptus, Melchior Miritius, Theol. D.
& monachus ex ordine Augustinianorum, & Eberhardus Wi-
densee, Theol. D. sua ætate magni nominis, cum aliis nonnullis
Magdeburgi fermento Papistico se opposuerunt, quorum opera
& studio, magistratu publica auctoritate non minus quam consi-
23. liis suppetias ferente, reformatio Magdeburgica A. 1524 cœpta
31. est, quæ, Nicolao Amsdorfio primo Superintendente ecclesia-
32. rum Magdeburgicarum rite constituto, magis magisque est ab-
33. soluta. Tunc Agenda ecclesiastica sunt composita: tunc schola
publica aperta, in qua post Gregorium Wilichium Casparus Cru-
ciger & Georgius Major Rectoratum ornarunt: tunc cœnobia &
templa, illis, qui ab institutis Pontificiorum recedere nolebant,
37. ex urbe emigrantibus, sacris evangelicorum inservierunt. Hoc
nomine accusata civitas, A. 1530 in fœdus Smalcaldicum recepta,
& Archiepiscopo Alberto, a quo A. 1540 liberum religionis Au-
gustanæ Confessionis exercitium redemerat, A. 1545 vivis erepto,
A. 1547 proscripta, & scriptis adversus Interim in ea impressis,
A. 1550 obsidione propter religionem cincta, & A. 1551 Electori
Mauritio sese dedere coacta fuit. Quæ tum temporis inter Con-
siliarios Electorales & Ministerium Palæopolitanum acta fue-
57. runt, prolixe satis recensentur. Libero autem religionis evange-
65. licæ exercitio pace publica sancito, Centuriæ prodierunt Magde-
burgicæ,

burgicæ, quarum historia strictim delibatur. Ortis deinde controversiis adiaphoristicis aliisque, Præsulis munere apud Magdeburgenses functus est Tilemannus Heshusius, qui ultimus fuit Superintendens Magdeburgicus, cujus acta & fata Magdeburgensia an absque partium studio referantur, dum nimius ejus zelus aperte accusatur, magistratus vero & inimicorum ejus facta approbantur, alii judicent; minimum Leuckfeldii historia Heshusiana conferenda fuisset. Sub Sigismundo Archiepiscopo reformatio illustriora cepit incrementa, & sub Joachimo Friderico, e sede Archiepiscopali per XXXII annos ornata ad Electoralem dignitatem evecto, qui merito Josias Magdeburgicus appellatur, est consummata, templo cathedrali etiam sacris purioribus dicato. Eodem tempore Petrus Ulnerus, Abbas Bergensis S. Montis Parthenopolitani eadem adoptavit sacra, & postea Theologis ad Formulam Concordiæ publica autoritate perlustrandam convocatis omnem præstitit operam. A. 1591 monasterium B. M. V. quoque sacris evangelicis initiatum est a D. Sigfr. Sacco, qui festo annunciationis Mariæ primam eamque solennem in illo habuit concionem evangelicam. Quæ sæculo decimo septimo contigerunt, paulo adstrictius enumerantur. Incendii, quod A. 1613 Dom. Misericord. Domini haud exiguam urbis hujus partem in cineres redegit, & in cujus memoriam Reinhardus Backius tres conciones sub titulo: *Tabeera Magdeburgensium*, & Aaron Burchard VI conciones in Ps. CXXI edidit, dum mentio fit, hunc ipsum tractatum incendio ægre ereptum esse, refertur, d. 7 Mart. A. 1725 prope typographi domicilium exorto. Quæ de M. Andreæ Crameri, non, uti Godofredus Arnoldus (cujus fides historica in hac relatione passim in dubium vocatur & infringitur) perhibet, ab officio remoti, sed post desolationem hujus urbis Superintendentis Mulhusini constituti, vita & fatis, præsertim de ejus controversia cum Evenio & aliis de habitu theologiæ, utrum in non renatum cadat, nec ne? cujus memoriam sæcularem D. Jo. Guil. Janus A. 1722 edidit; de scriptis ejus eristicis Jacobo Martini oppositis; de reliquiis S. Norberti; de urbe desolata & restaurata; & denique de controversia inter D. Jo. Bötticherum & M. Hieronymum Sievert aliosque de moderatione theologica mota ac

p. 68. 71. 84. 85. 93. 96. 97. 100. 109. 112. 113. 119. 129.

venti-

ventilata, in medium proferuntur, curioso & harum rerum perito lectori expendenda relinquimus, inclutæ Parthenopoli jubila perennantia apprecantes.

HIEROPHYTICON SIVE COMMENTARIUS in loca Scripturæ Sacræ, quæ plantarum faciunt mentionem, distinctus in duas Partes, quarum prior de arboribus, posterior de herbis dicta complectitur; Autore MATTHÆO HILLERO, *Sereniss. Wirt. Ducis Consiliario, & Abbate Regiofontano. Accedit Præfatio* SALOM. PFISTERI, *continens Autoris Vitam, merita & libros.*

Trajecti ad Rhenum, apud Jac. Brœdelet, 1725, 4.
Alph. 4. pl. 12½.

MAgnum est *Hilleri* nomen inter sacros Philologos, ac merito magnum. Ex quo enim illustre illud opus edidit *de Ketbib & Keri*, quod *A. 1693 p. 425* recensuimus, nihil magis curæ ipsi fuit, quam ut gloriam isto opere collectam conservaret augeretque. Id effecit aliorum librorum summa diligentia elaboratorum editione, e quibus in *Acta* hæc retulimus *librum de XII gemmis in pectorali Pontificis* A. 1699 p. 278, *Onomasticum sacrum* A. 1707 p. 262 & *Institutiones linguæ Hebr.* A. 1711 p. 453. Laudabilem proinde operam navasse censendus est Cl. *Pfisterus*, Cœnobii Bebenhusani Professor, *Hilleri* gener, dum de vita ejus & scriptis præmisit Præfationem, e qua repetemus potiora. Natus est *Hillerus* Stutgardiæ, quæ metropolis est Wirtembergiæ, A. 1646 d. 15 Febr. familia nobilissima. In Acad. Tubing. A. 1669 Magisterii Philosophici insignibus decoratus, totum se dedidit sacræ Philologiæ, ac primum *Sciagraphiam Grammaticæ Hebrææ* A. 1674 edidit. Postquam pluribus in Ecclesiis concionatoris munere laudabiliter functus erat, A. 1685 Musis fuit redditus, constitutusque Bebenhusani Cœnobii Præceptor Professorque. Hic præter *librum hymnorum sacrorum Germanicorum*, notis auctum, edidit *Lexicon Latino-Hebraicum* A. 1685.

Postea

Postea vero, quam in Acad. Tubing. A. 1692 Professor factus est Logicæ, Metaphysicæ & Hebr. linguæ, ac deinceps Theologiæ; multo acriori concitatus stimulo tantum operæ navavit sacris literis, ut non solum libros supra laudatos emitteret, sed etiam *Syntagmata Hermeneutica A. 1711* ac multas Dissertationes Academicas. A. 1716 factus est Abbas Regiofontanus, quo in secessu non solum *Hierophyticon*, quod in manibus habemus, composuit, sed etiam *Ισοδύναμα Scripturæ sacræ*, & *Commentarium in Hieronymum de locis Hebraicis*: quorum operum posterius nondum ad umbilicum perductum est, alterum prorsus perfectum, ut prelum subire paratum sit, proditurum proxime sub titulo *Thesauri linguæ sanctæ Hermenevt*. Tertio die Februarii A. 1725 admodum senex e vita discessit, non intra templum, quippe quod fieri vetuit, sed juxta parietem ejus sepultus.

Accedimus nunc ad *Hierophyticon* nostrum, quo ipso titulo Autor imitationem Bocharti professus est. Priori igitur ejus libro, postquam haud perfunctorie præfatus est de arborum natura & partibus, singulas in sacro codice commemoratas persequitur. Nostrum est, speciminis loco insigniora excerpere. *Cap. XIII* per *Almuggim*, quorum mentio fit *2 Paralip. II, 8*, in tanto Philologorum dissensu, generatim capiendas censet arbores gummiferas & resiniferas ex Libano & India allatas. *Cap. XV* de *palma* disputat, & quicquid huc pertinet, etiam allegoricos sensus, copiose exponit. *Cap. XVII* commemorans ficum a Christo maledictam *Matth. XXI, 19 & Marci XI, 13*, ad Judæorum quæstionem, cur Christus exsecratus sit arborem eo tempore non ferentem fructus, quo nondum erat tempus ficuum, respondens, Lightfooti & Cocceji subscribit sententiæ. Ibidem *p. 168* occasione loci *Jesaiæ XXXIV, 4*, ubi in vaticinio de Edomi interitu cœli dicuntur casuri esse tanquam fructus e ficu, per Edomum capiens Antichristum Apocalypticum, numerum bestiæ 666 *Apoc. XIII, 18* nova ratione interpretatur. Antichristus, inquit, est *Edom* sive *Rufus Gen. XXV, 25, 30*, ארום ארמי, *quæ literæ per gematriam numerum bestiæ complectuntur.* ם *enim finale 600 denotat, reliquæ in summam collectæ literæ 66. Jotb est paragogicum. Nimirum rubet Antichristus a sanctorum sanguine,*

Apoc.

Apoc. VII, 6, XIII, 7, XVIII, 24. De olea agens *Cap. XIX*, delatus ad locum *Judic. XV, 4, 5*, ubi Simson memoratur succendisse oliveta Philistæorum facibus inter caudas vulpium ligatis, Observatorem Halensem, qui locum istum de trecentis straminis manipulis interpretatus est, accuratissime confutat. *Cap. XX* oleum sacrum ejusque confectionem considerat, illamque quæstionem, quomodo cum libris duodecim olei possit ex libris 62 semis oleum seu unguentum fieri liquidum, resolvit, duce Wedelio. *Cap. XXIV p. 244 sqq.* eruditissimum exhibet de vino myrrhato Servatori oblato commentarium, ac Matthæum cum Marco conciliat, universa tamen mutuatus, ût ingenue *p. 249* fatetur, ex Henr. Mulleri, Theologi Rostochiensis, *Jesu patienti. Cap. XXVII* toto *Dudaim* suæ subjicit contemplationi, allatisque ac pariter confutatis tot aliorum opinionibus, docet, per vocabulum illud signari *cerasa*, idque mathematica methodo demonstrat per propositiones & conclusiones. *Cap. LXI p. 479 sqq.* difficillimum illum locum *Psalmi LVIII, 10*, rejectis aliorum, quas adducit, versionibus, hunc in modum interpretatur: *Antequam funesta consilia sua coxerint malefici, ut tardius seriusque, ita temporius ac celerius nociturum alterum cum altero in ipso scelerum conatu ex improviso velut turbine dissipabit ac disjiciet Deus.* Sufficiant hæc ex libro priore hujus *Hierophytici* ad intelligendum, quot quamque obscuris locis sacri codicis in eo lux inferatur liquidissima. Nobis enim non licet esse longioribus, alias libenter commemoraturis, quam docte hic disputetur de cedro, balsamo, casia, spinarum generibus, *kikajon* Jonæ, ebeno, aliisque quamplurimis.

Ad posteriorem librum descendimus, *Herbarum* in sacro codice commemoratarum contemplationi dicatum. Quantum & in hoc insit boni, hinc discas licet. *Cap. III* de *lilio* agens, *Schoschannim*, quæ vox in titulo *Psalmi XLV* exstat, reddit *lilia*, putatque cum Abenesra, *Schoschannim* fuisse initium poematis cujusdam, ad cujus melodiam ille psalmus canendus erat. *Cap. VIII* de *hyssopo* differens, initio ejus vocabuli etymologiam considerat, rejectaque παραδόξως eorum sententia, qui ab Hebr. אזוב deducunt Græcum ὕσσωπον, aliam substituit. Hinc locum pro-

profert *1 Reg. IV, 43: Elocutus est Salomo de plantis, a cedro Libani usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete.* Jam, hyssopum ex muro vel pariete nasci, nemini unquam observatum est. Hinc Cl. Autor, recordans Hebræorum ב sæpius etiam *AD* significare, locum istum tot hactenus vexatum dubiis hoc modo interpretatur: *Disseruit Salomo de plantis a cedro Libani usque ad hyssopum, quæ progreditur ad vicinum murum.* Addit hæc verba: *Primus hoc observasse videor in hyssopo candidi floris. Plantaveram eam a muro cubiti distantia. Verum ipsa annuo spatio, relicta, quam natalem habuit, terra, sensim versus murum progressa, tandem ad murum, deficiente ulterius terra, substitit.* Ibidem loca Evangelistarum, *Marci XV, 36, Matth. XXVII 48, Joan. XIX, 29,* de spongia hyssopo & calamo circumdata exponit & inter se conciliat. *Cap. XIV* illustrat verba Christi, *Matth. XIII, 13* dicentis, *granum Sinapis esse minimum omnium seminum, & tamen excrescere in altitudinem omnium maximam.* Scilicet Christum putat in hacce comparatione de planta loqui indigena, & ea, quæ vulgaris ac solitæ proceritatis; neque tam ad altitudinem Sinapis, quam ad illius in adolescendo velocitatem respicere, qua tantillum granum tam paucis mensibus in eam proceritatem & amplitudinem assurgit, ut magnitudinem æmuletur justarum arborum. *Cap. XVI* agit Autor de *Borith,* cujus mentio *Jerem. II, 22* & *Mal. III, 4.* Existimat, hoc aut commune esse saponum & lomentorum nomen, aut eo describi lanariam vel Alcali. *Cap. XVII, p. 76 sq.* acute agit de nomine πολυθρυλλήτῳ *Carmel*, ejusque cum etymologiam tractat, tum veram ac propriam notionem. *Capite XVIII de satione* differens, præcipua sacri codicis loca expendit, quibus de ea agitur. Inter hæc locum illum *Eccles. XI, 1: Projice panem tuum in aquas,* ita interpretatur: *Projice semen juxta aquas,* hoc est, in locis irriguis. *Cap. XXIV* de *bysso*, ejusque natura & usu, breviter quidem, sed eleganter commentatur. *Cap. XXVI* de messe Hebræorum profert haud proletaria. *Cap. XXVIII*, quod de *pane* inscriptum est, non solum varias notiones τȣ̃ לחם explicat, verum etiam diversissima panis genera exhibet, simulque præcipua sacræ Scripturæ loca huc pertinentia illustrat. De *panibus* vero *faciei* separatim disputat *C. XXIX*, & de pane ἐπιουσίῳ

 Matth.

Matth. VI, 11 Cap. XXX, verbaque Christi sic reddit: *Panem nostrum convenientem*, hoc est, congruum & accommodatum vel corpori nostro alendo, vel bonis & facultatibus nostris, vel conditioni & statui nostro, *da nobis quotidie. Cap. XXXVI* copiose agit de *calamo aromatico*. De *papyri* natali solo atque prisco usu agit *Cap. XXXVIII*. De *fungis* dum agit *Cap. XXXIX*, illustrandum sibi sumit locum *2 Reg. IV, 39, 40*, ubi *mors esse* dicitur *in olla*. Vocem Hebr. *pekuboth* plerique interpretantur *colocynthides*. At Noster cum Kimchio censet, *fungos* innui, idque illustrat ex monumentis scriptorum veteris Græciæ. *Cap. XL* earum plantarum Palæstinæ catalogum alphabeticum exhibet, quas in sacro codice haud obvias alii scriptores commemorant. Pari ordine *Cap. XLI, XLII & XLIII* Talmudicarum plantarum nomina exhibet, & suam de compluribus conjecturam producit. *Cap. XLIV* ex veterum scriptis collecta Syriacarum stirpium herbarumque nomina proponit, & hic alphabeti incedens ordine. Ultimum Caput Autor inscripsit *Hodegum homileticum*, eoque concionatoribus ex hac sua Phytologia sacra suppeditavit materias per totius anni spatium utiliter tractandas in sacrarum concionum exordiis.

DILUCIDATIONES PHILOSOPHICÆ DE Deo, anima humana, mundo & generalibus rerum affectionibus, opera GEORGII BERNHARDI BULFFINGERI, Moral. & Math. P.O.

Tubingæ, sumtibus Jo. Georgii & Christ. Godofr. Cottæ, 1725, 4.
Alph. 4 plag. 6.

CL. Autor in præfatione recenset, quænam fuerit scribendi occasio, quinam modus. Nimirum cum *Philosophia Wolfiana*, de qua abunde dictum est passim in his Actis, variis scriptis impugnaretur, Vir ingenii acutissimi & judicii limatissimi, qui ejus & innocentiam, & utilitatem se deprehendisse testatur, intellecto variorum judicio, suam Auditoribus sententiam in Collegio privato exposuit; sed ne disjectis scopis similia loqueretur, quæ controversa non sunt, interseruit. Admonitus, non sine multiplici usu fore, si publice extaret scriptum; publico idem invidere

videre noluit: censuræ tamen Ordinis Philosophorum subjecit, antequam luci publicæ exponeret. Cum scripta thetica maxime amet, apologetica necessitati tribuat, ab eristicis plane abhorreat, omnes equidem objectiones & imputationes Cl. *Wolfio* factas discussit & quam sint a veritate alienæ ex principiis & dogmatibus *Wolfianis* commonstravit; ea tamen ratione scribendi usus, ut scriptum theticum confecisse videri possit, cum fructu ab illis legendum, qui de rebus arduis metaphysicis erudiri gestiunt, de controversia *Wolfiana* parum cogitant. Atque hæc est ratio, cur idem in his Actis recenseamus, in quibus scriptis eristicis nonnisi ægerrime locum concedimus. Cum cura Noster distinguit theseos veritatem vel falsitatem a momento, quod in Theologia & scientia morum habet, atque summa modestia usus, quæ ab antagonistis opponuntur, resolvit sine opprobrio autorum, sine vocabulis ex obliquo pungentibus, sine decollatione argumentorum, sine deliberata momentorum quorumcunque occultatione, sæpe tanquam in transitu, ut nescias, te legere responsionem, sed cautelam tantum utilem & sponte positam: id quod tanto majori laudi ducitur, cum nunquam tanta animorum acerbitate ulla agitata fuerit controversia, quanta antagonistæ utuntur. Monet autem, de animo hostili judicium non sumendum esse ex vocabulis; sed ex fonte illorum & scopo, quos passim translucere, invitis sæpe scriptoribus, jam olim admonuerit *Bælius*. Quando incidit in sententias antagonistarum, a recepta licet & demonstrata veritate alienas, operam dedit, ut ne argumentis uteretur odiosis. Præcipue autem abstinuit ab imputandis consequentiis, licet in iis omne præsidium collocent Antagonistæ, sive simpliciter absurdis, sive etiam detestabilibus, probans monitum *Langii*, Theologi nuper *Altorfini*, contra judices consequentiarios, quos in dissertatione de appellatione conscientiæ *Jobæa* cum amicis *Jobi* comparat. Tandem nec hoc negligi debet, quod ad Theologiæ Christianæ consensum una attenderit, ostendens, quam amice *Wolfiana* revelatis subserviant. Quoniam cum *Wolfio* censet, Metaphysicam non esse perfectam, nisi quæ *Ontologia*, *Cosmologia*, *Psychologia* & *Theologia naturali* absolvatur; ideo opus hoc metaphysicum dividit in sectio-

ſectionem *ontologicam*, *coſmologicam*, *pſychologicam* & *theologicam:* qua uſum quoque eſſe Cl. *Thümmigium* in Inſtitutionibus philoſophiæ *Wolfianæ*, in Actis Anni ſuperioris p. 230 & ſeqq. diximus. In ſectione *ontologica* de poſſibili & impoſſibili, neceſſario & contingente, de principio contradictionis & rationis ſufficientis, determinato & indeterminato, ſimplici & compoſito, perfecto & imperfecto agit. In ſectione *coſmologica* tractat de definitione mundi, nexu rerum univerſali, legibus motus & neceſſitate phyſica, origine mundi & miraculis. In ſectione *pſychologica* diſſerit de natura Pſychologiæ, de facultatibus animæ theoreticis & practicis, de commercio animæ & corporis ac immortalitate animæ. In ſectione denique *theologica* methodum tractandi Theologiam naturalem ſcientificam exponit, exiſtentiam Dei plene demonſtrat, de perfectionibus & attributis, operibus & cultu divino plura tradit, quam in aliis Theologiæ naturalis ſyſtematibus reperiuntur. Adverſariorum nominibus plerumque parcit, ne affectuum intemperie præcipitata ipſis ſint moleſta: quod idem fecerat *Wolfius* in Annotationibus ad Metaphyſicam, de quibus diximus in Actis A. 1724 p. 310. Monſtrat nimirum, quod ſæpiſſime Sophiſmata ſint ex vulgaribus ſyllogiſmorum regulis primo ſtatim intuitu refellenda, quæ tanquam difficultates inſolubiles & omnem philoſophiam *Wolfianam* evertentes ab adverſariis urgentur, & quam peccent contra communes Logicæ regulas, quæ argumenta maximi roboris cenſentur: qua in re ſibi conſentientem habet Cl. *Holmannum*, idem in Obſervationibus elencticis in cauſa *Wolfiana* ex inſtituto demonſtrantem. Quoniam autem *Wolfio* inſultant adverſarii ob theſes præſertim *Leibnitianas*, quas ipſius ſyſtemati innexas damnant; ideo Noſter *Leibnitium* quoque vindicat ab objectionibus, quæ contra ipſum proferuntur. Unde etiam confutavit objectiones *Weiſmanni* in Schediaſmatis Academicis, de quibus diximus Anno ſuperiore p. 503 & ſeqq. Thetica pleraque cum eadem ſint cum *Wolfianis*, de quibus ſatis dictum eſt alibi in his Actis; non opus eſſe videtur, ut ad ſpecialia deſcendamus. Noſtri inſtitutum eſt, *Wolfianam* philoſophiam vindicare & tueri, adeoque inſuper habet demonſtrativæ methodi leges, quas ſecutus eſt *Wolfius* in Metaphyſica,

fica, & ea potissimum capita, quæ dissidiis obnoxia fuerunt, illisque proxime connexa explicaturus, sententiam, quam tuetur, probaturus, contradictoriam remoturus, assertam ab objectionibus vindicaturus & controversiæ momentum indicaturus, in unum locum congerit, quæ ad unamquamque materiam pertinent.

Appendicis loco adjicitur Oratio de reductione Philosophiæ, speciatim Logicæ, Metaphysicæ & moralium disciplinarum recitata in collegio illustri, præsentibus, Legato Serenissimi Nutritii, Viro perillustri, *Christophoro Petro a Færstner in Dambenoy*, Consiliario Status intimo & supremi Appellationum tribunalis Præside, Rectore Academiæ Magnifico & Senatu Academico. De Logica præcepta sequentia inculcat: 1 Logicam ipsam esse debere exemplum regularum suarum, 2 ostendere etiam ipsam artificia demonstrandi, 3 exhibere capita practica, quæ primus intulerit *Wolfius*, 4 adhibere commodas juventutis exercitationes; quas inter commendat 1 exercitium eruendi notiones distinctas ex factis complicatis, 2 examinandi & supplendi demonstrationes, 3 controvertendi secundum regulas, 4 inveniendi jam inventa. De Metaphysica traduntur præcepta sequentia: 1 quod docere debeat pietatem philosophicam, quam vocat *Wolfius*, ut scilicet motiva actionum sumantur ab attributis divinis; 2 cognitionem mentis humanæ; 3 notiones generales & usibus fœcundas; 4 commoda exercitia 1 in anatomia cogitationum humanarum, 2 observationibus metaphysicis. Denique de disciplinis moralibus præcipit, ut 1 descendatur ad casus & regulas specialiores, 2 addantur motiva & media, 3 suppleantur capita neglecta, 4 adhibeantur commoda exercitia, veluti 1 ferendi leges, 2 applicandi leges, 3 consultandi. His quidem valedixit Cl. *Bülffingerus* Musis Tubingensibus anno superiori, ad Professionem Logicæ, Metaphysicæ & Moralium ordinariam Petropolin evocatus, Academiæ Scientiarum nunc Petropolitanæ, antea Tubingensis ornamentum. Addidit orationem alteram de methodo docendi in scholis illustribus disciplinas Morales & Mathematicas, qua Moralium & Mathematum Professionem ordinariam d. 5 Jan. 1724 in illustri collegio Tubingensi auspicatus, Professor antea Philosophiæ extraordinarius in Academia Tubingensi.

ARTICULI GENERALES DE VERIS ET *falsis Philosophis, conspectum integri Tractatus exhibentes; Autore* JACOBO FRIDERICO MULLERO.

Francofurti & Lipsiæ, 1725, 8.
Plag. 6½.

CL. Autor sub initium Tractatus, quem Cel. *Wolffii* nomini inscripsit, monet, ansam scribendi dedisse vehementissimam de Pseudophilosophis vociferationem, quæ hodie in Germania resonat. Dedit autem criteria generalia, non hypothetica, sed ex ipsissimis Philosophiæ penetralibus desumta, Philosophos reales a verbalibus discernendi. Fundamenti loco præsternit definitionem Philosophiæ *Wolfianam*, quod sit scientia possibilium qua talium, A. 1709 in præfatione ad Aerometriam primum publici juris factam: unde fluit discrimen cognitionis philosophicæ a mathematica & historica sive vulgari, dudum a *Wolfio* inculcatum, a Nostro approbatum & vindicatum. Inde statim ducit primum veri Philosophi criterium, quod omnem industriam in eo ponat, ut notiones rerum tales possideat, quæ *archetiporum* essentiam partialiumque in illis nexum intime perspectum indicent. Et porro hinc infert, philosophiam id ambire, ut radices tenues rationis nostræ & stamina exsurgere faciat. Quoniam cognitio philosophica a vulgari sive historica non materialiter differt, *VVolfio* judice, sed formaliter; ideo Noster ex indole trium mentis operationum, notione, judicio & discursu, differentiam Philosophi veri & falsi derivat, cum *VVolfius* in Annotationibus ad Metaphysicam suam ostenderit, omnem nostram cognitionem a tribus mentis operationibus manare. Nascuntur ex eo Cl. Autori tria criteria generalia, ad quæ cetera tanquam species ad sua genera reducuntur, quod Philosophus verus habeat ideas rebus convenientes, determinatas, claras, distinctas & completas, proscriptis terminis inanibus, ambiguis & vagis; quod nec admittat, nec ipse struat sine ratione legitima & sufficiente propositiones; quod ratiocinationes ex certis & evidentibus principiis recte deducat, omnemque conclusionem demon-

demonſtrative probet. Notionum differentiam, a *Leibnitio* in Actis noſtris A. 1684 traditam, & a *Wolfio* in Logica tantiſper emendatam, Noſtroque judice, cum ſucceſſu ubique admirando adhibitam, ſupponit, atque ex ea criterium ſuum primum uberius explicat: ubi imprimis de definitionibus diſſerit vero Philoſopho dignis. Circa ſecundam mentis operationem judicia potiſſimum intuitiva, quæ vocat *Wolfius*, expendit, & quid in axiomatis, quid in poſtulatis, quid in obſervationibus & experimentis vero incumbat Philoſopho, docet. In tertia mentis operatione judicia diſcurſiva, quæ *Wolfius* appellat, conſiderat & Syllogiſmum, præcipuum, immo neceſſarium cognitionis noſtræ inſtrumentum, commendat. Jubet autem verum Philoſophum ſyllogiſmos in forma legitimos extendere usque ad definitiones & axiomata, probans *Wolfianum* effatum, quod illa demum analyſis perfecta ſit, quæ demonſtrationem non ante finit, quam ad tales ſyllogiſmos perveniatur, quorum præmiſſæ ſolis definitionibus & propoſitionibus identicis conſtant. Monet, verum Philoſophum tres iſtos characteres habere conjunctos, atque adeo poſſibilitatem veri Philoſophi in hoc conſtituit, ſi in meditatione, ſcriptione & locutione ſua rigoroſe exactas methodi logicæ, quæ cum mathematica eadem eſt, obſervet leges. Rejicit enim methodum logicam ſpuriam, quæ medicam imitata morbos & imbecillitates mentis prolixe ediſſerit, poſtea mentem ſanitati reſtituentia præſcribit, propria Cel. *Buddei*, eam licet ſequentis, confeſſione niſus, quod ad veritatem nondum ſatis præparatus ſit, qui omnia illa præcepta obſervaverit. Docet contra eum, ipſo facto demonſtraſſe *Wolfium*, methodum mathematicam ad omnes diſciplinas extendi debere, cum uberrime oſtenderit, quod ſine illa nec quicquam ſcire poſſis. Provocat ad *Wolfii* Meditationes Logicas, Metaphyſicas, Morales atque Politicas, de quibus, cum prodirent, diximus in his Actis. Ipſe promittit, aliquando in Theologia ſe præſtiturum, quod in Philoſophia præſtitit *Wolfius*. Reſpondet ad dubia, quæ contra hanc methodum propoſuit Autor Artis cogitandi. Oſtendit, ſectarios eſſe non poſſe, quotquot eadem ſua tradant dogmata. Reſpondet præterea ad difficultates alias, quæ ab oſoribus methodi mathematicæ contra eam profe-

 runtur,

runtur, veluti, quod *Sturmius* junior, in praxi magis, quam theoria mathematica versatus, affirmavit, methodum mathematicam non omnibus convenire ingeniis, 2 quod melancholici ab eadem abhorreant; 3 quod methodum istam observare nondum possit, qui tantum regulas novit, sed ad applicationem diuturnus requiratur usus; 4 quod, si sine illa nec scribi quicquam, nec ex cathedra proferri debeat, ampliori longe temporis spatio ad disciplinas Philosophiæ pertractandas opus foret, quam hodie opus sit, ut quis Doctor superiorum facultatum evadat; 5 quod scientiæ non mathematicæ versentur circa res a sensibus remotas, abstrusas ac multa maxime involuta continentes; 6 quod in disciplinis misceantur nota ignotis, incertis certa, omnia decidenda sumantur, etsi decidi plurima non possint; 7 quod destituamur in Philosophia principiis ab omnibus agnitis & communi suffragio stabilitis; 8 quod in Physica locum habere nequeat methodus mathematica, quoniam a simplicibus ad minus simplicia, a minus compositis ad magis composita progreditur, & quod ipse *Wolfius* contra characterem suum, qui ordo sit & esse debeat, in Physica omnia analytice peregerit, ubi Noster ostendit, analyticam quoque methodum juxta regulas methodi mathematicæ procedere, si vim earum teneas, ex *Wolfii* Metaphysica perspiciendam; 9 quod præsens orbis literarii status non ferat, ut eadem methodus ad ceteras disciplinas transferatur: unumquemque enim suos docere auditores, quo modo ipse didicerit. Dubia hæc Cl. Autor privatim sibi proposita accurate discussit, ut præjudiciorum nebulas dispelleret, solidæ doctrinæ progressum remorantes. Plurima continet libellus lectu digna singulis, quibus cum fructu philosophandi fuerit animus, a Cl. Autore modo perspicuo & facili proposita.

ULRICI HUBERI, JCTI, SUPREMÆ FRIsiorum Curiæ Ex-Senatoris, Prælectionum Juris Civilis Tomi III. Accedunt CHRISTIANI THOMASII, JCti, Additiones, & LUDERI MENCKENII, JCti, Remissiones ad Jus Saxonicum. Editio in Germania altera. Recensuit magnam partem, annotavit passim, & pa-

& paratitla e Jure Judiciar. noviss. Elect. Saxon. adjecit GEORGIUS CHRISTIANUS GEBAUERUS, D.

Lipsiæ, sumtibus Jo. Fridrici Gleditschii B. filii, 1725, 4. Alph. 10 pl. 8.

MAgnam a Juris studiosis gratiam inierit nobilissimus Bibliopola nostras, cujus industria atque sumtibus iterum apud nos recusæ sunt hæ Prælectiones Juris Civilis. De ipso opere illis annis, quibus singulæ ejus partes Franecqueræ prodierunt, in Actis nostris pro instituti ratione diximus. Editionem quoque priorem cum Illustr. Virorum *Christiani Thomasii additionibus*, & *Luderi Menckenii* nostri *differentiis Juris communis & Saxonici* heic Lipsiæ adornatam, Anno 1706 p. 529 laudavimus. Jamque ergo editionis iteratæ solum dotes indicandæ sunt. Omnem vero curam habuit Bibliopola, non solum, ut nitido charactere opus Huberianum exscriberetur, qua fini textum omnem percenseri atque emendari curavit; sed ut novis etiam utilissimisque accessionibus locupletatum exiret. Quæ igitur Huberum foris Saxonicis apprime commodum jam effecerant, remissiones ad Jus Saxonicum Menckenianæ suis ubique locis subjectæ, nunc, ubi spicilegii quidquam post largam messem relictum erat, novis annotationibus auctæ comparent. Equidem quicquid emendando augendoque nove præstitum videbitur, id omne debetur Autoribus viris Clarissimis duobus, collegis nostris, *B. D. Georgio Adolpho Schuberto*, Institutionum Imperialium in Academia Lipsiensi Professori Publico, & *D. Georgio Christiano Gebauero*. Ille annis abhinc fere duobus, gravi studiosæ legum juventutis luctu, immatura morte huic labori ereptus, ultra partem Prælectionum priorem & secundæ portionem, quæ τὰ πρῶτα appellatur, curas suas producere nequivit. Hic autem, pro suo in Jurisprudentiæ interioris studium amore singulari, telæ pertexendæ oblatum sibi negotium, alacri animo susceptum, strenue perfecit. Interea, ferventibus operis, & majore libri parte jam prelo liberata, Jurisprudentia Saxonica mutationem subiit haud levem, quam providentia *Augusti*, Domini nostri longe Clementissimi, promulgando ***Legem Judiciariam novissimam***, induxit. Itaque, cum sane multa

& ab Ill. *Menckenio* olim observata, & recens addita, nunc aliter constituta noscerentur, eoque usibus annotationum haud parum derogatum esset: optimo consilio Cl. *Gebauerus* ex isto jure recentissimo *paratitla* ad Huberum conscripsit, eaque instar indicis, secundum Prælectionum seriem confecti, in calce adjecit. Quæ cum ita sint, nihil profecto in hac editione prætermissum esse fateberis, quod Prælectiones Huberianas, sive studiosæ legum juventuti, sive in foro apud nos versantibus, magis utiles acceptasque præstare possit.

Joh. Friedr. Kätzlers, Teutsche- und Lateinische-Gedichte. i. e.

JOANN. FRIDERICI KÆTZLERI, URBIS Brunsvicensis Consulis & Syndici, Poemata Latina & Germanica.

Brunsvici, apud Frid. Wilh. Meyer, 1725, 8.
Plag. 22.

QUæ superiori sæculo per Poeseos Germanicæ Parentem, Martinum Opitzium a Boberfeld, primum inclaruit, hodie quoque vatum ferax esse nondum desiit Silesia. Florere adhuc, qui gentis suæ gloriam tuentur, Poetas, inter alios Cl. *Kätzlerus* noster monstravit, cujus Poemata varii generis nunc prodierunt. Silesia se oriundum esse, in operis præfatione haud obscure innuit, simul addens, se in Lignicensi Vratislaviensique Gymnasiis studiorum, ut reliquorum, ita poeseos quoque prima jecisse fundamenta. Non defuisse ipsi ingenium & uberrimum & elegans, carmina ejus tantum non omnia satis loquuntur; licet fateatur ipse, se in eo colendo parum operæ collocasse. Neminem vel Latinorum vel vernaculorum Poetarum integrum a se lectum esse adseverat, nec ad scribendum facile, nisi aliis instigantibus, accessisse. Hinc omnibus, qui, quantum lectio antiquorum ad ingenii culturam conferat, intelligunt, abunde liquebit, politiora multo, multoque elegantiora nobis daturum fuisse carmina Poetam nostrum, nisi seria, quibus maxime incubuit, studia ludicris præferre maluisset. Non tamen, quod nunc demum prodeunt Cl. Kätzleri poemata, omnibus, qui hactenus inclaruerunt, vatibus Silesiacis recen-

recentior est Noster: *Neukirchium* quippe, *Schmolckium* & *Güntherum* ætate multum superans, inter hos & *Hoffmannswaldavium, Lobensteinium, Gryphiosque* intermedius censendus est. Hoc eo dicimus, ne crebriores in constructione naturali negligenda licentias, metrumque, pro delicato sæculi hujus palato, non ubique satis limatum, vitio ipsi vertas: siquidem ante quinquaginta annos, quo tempore jam non pauca nostri Carmina composita fuere, nondum invaluerat illa prosaicam elegantiam in ligata servandi regula. Tantum interim abest, ut id in Viri Cl. præjudicium dictum velimus, ut potius eos, qui hodie poesi operam navant, eo ipso moneamus, ne sibi quoque licere credant, quæ superioris sæculi Poetis facile condonamus. Nam

nostri Proavi Plautinos & numeros &
laudavere sales.

In quatuor sectiones divisum est opus, quorum prima exhibet poemata Gratulatoria XLV, magna ex parte divo Imper. Leopoldo, item Carolo VI, jam feliciter imperanti, nec non Electori Brand. divo Frider. Guilielmo, variisque Ducibus Lüneburgensibus, dicata. Secunda sectio XXI Nuptialia complectitur, inter quas heroides quædam epistolæ, Serenissimis Sponsis quibusdam affictæ, eminent. Tertia Lugubribus XXXIX destinata est, & in Josephum Rom. Imp. Wiesnowizkium Pol. R. Charlottam Christianam, Alexio Principi Russiæ nuptam, Elisabetham Henriettam, primam primi Regis Boruss. conjugem &c. epicedia exhibet. Inter Miscellanea tandem, quæ quartam sectionem absolvunt, ea conjecta sunt, quæ ad priores classes referri vix poterant, numero XIX, quorum primum in expugnatum a Germanis sub Josepho Landavium conscriptum est. Ubique Latina quædam inspersa videas varii generis carmina. Inter quæ oda Sapphica de militia spirituali assurgere paullo altius videtur, cujus initium:

Fex senescentis scelerata Mundi p. 254.
Vexat indignis truculenter armis
Imperatori sacra præpotenti
Pectora Christo.

Addita tandem est Epigrammatum Germanicorum Centuria una cum Latinis nonnullis, sale satirico ingeniose condita.

NOVA

NOVA LITTERARIA.

LUtetiæ *Parisiorum* prodiit nova editio *Quinctiliani de Institutione Oratoria*, splendida satis atque emendata, cura *Capperonerii*, Theologi & Græcæ Linguæ Professoris, de qua propediem plura dicturi sumus. Illud statim lectores advertit, quod Theologus ille Celeberrimi Viri Petri Burmanni merita in Quinctilianum non modo non agnoscit & digna laude prosequitur, sed etiam in Præfatione & passim in notis Virum doctissimum paullo incivilius tractat. Accusationis autem capita ea fere sunt. I Culpat, quod lectiones depravatas & interpungendi notulas reliquerit Burmannus, neque de iis monuerit in notis. Sed vix Burmannum sibi fingere poterit talem, qui nemini spicilegium superesse voluerit: & meminisse debebat accusator, diligentissimi etiam & curatissimi hominis perspicaciam quædam effugere posse, quando aut perpetua meditatione fatigatur, aut pluribus curis distrahitur. II Culpat, quod non ipsi contextui inseruerit emendationes satis probabiles. Quæ vero injusta est criminatio. Nam quod Capperonerio satis probabile videtur, Criticis fortasse minus probabile erit: & si vel his fit, minus incommodum literæ patiuntur, si emendationes ex conjectura desumtæ in adnotationibus tantum proponuntur, quam si quidlibet in textum intruditur. Denique liberum hac in re editoris esse arbitrium, dudum eruditi consensere. III Taxat, quod inter varias lectiones retulerit aperte falsas, quæ librariorum secordiæ sint adscribendæ. At ignorasse videtur Capperonerius, etiam ex ludibriis scribarum veras lectiones erui posse, & notum est omnibus, quam viri docti optarint, Camerarius ex Plauto suo, alii ex aliis suis membranis omnes varietates adnotassent. Laudare itaque, non reprehendere debemus industriam, quæ votis doctorum respondet. IV Accusat Burmannum, nec sine specie, quod in notas retulerit, quæ ad rem non pertinent, quæ mentem autoris obscurant, quæ erroribus scatent: sed specimina non videmus, quibus hanc accusationem confirmaret. Pleraque recidunt in Turnebum aliosque, quorum notas adjecit Burmannus: sed eorum vitia redarguere, aut emendare contra institutum eorum, qui variorum notas edunt, adhuc fuit. V Denique in Cl. Burmanno reprehendit, quod terminos artis, quibus passim & varie utitur Fabius, non explicuerit, & ex Græcis Latinisque Rhetoribus non illustraverit. At distinctæ sunt istæ partes illustrare scriptorem, & emendare. Posterius maxime respexit Cl. Burmannus, prius si alius quis in se recipiat, eo minus alios reprehendere debet, quo magis eandem veniam exspectat, quando ipse emendatoris officio non satis fecerit. Et jam satis se muniverat contra tales reprehensiones optimus Burmannus Præfatione in Quinctilianum suum, quam & legere, & vacuo animo accipere debuisset nuperus Editor. Qui rem ex æquo æstimant, nihil famæ Burmannianæ derogare posse, quidquid contra eam ausus sit Capperonerius, facile videbunt.

(o)

No. IV.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anno M DCC XXVI.

THESAURUS MONUMENTORUM ECCLEsiasticorum & Historicorum, seu HENRICI CANISII Lectiones Antiquæ, quibus Præfationes Historicas, Animadversiones Criticas &c. adjecit JACOBUS BASNAGE.

Tomus IV.

Antverpiæ, apud Rudolph. & Gerhardum Wetstenios, 1725, fol. Alphab. 9. plag. 21½.

QUartum & ultimum, quod nobis sistitur, hujus Thesauri Volumen XIII, XIV, XV & XVI Seculi antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta exhibet, quæ ex Europæ Bibliothecis, in quibus delituerant, celebrioribus olim ab Henrico Canisio protracta, post insigni Cl. Basnagii opera Præfationibus Historicis Criticisque animadversionibus aucta & illustrata ad nos pervenerunt. Et ex eorum, qui decimo tertio a Christi nativitate Seculo vixerunt, scriptis post *Guntheri*, Monachi, *Historiam Constantinopolitanam* sub Balduino, habetur *Terræ Sanctæ Descriptio*, *Burchardo* de Monte Sion autore; *Tractatus* contra p. 9.
Græcorum errores, *de Processione Spiritus Sancti*, *de animabus* 33.
defunctorum, *de azymis & fermentato*, *de obedientia Romanæ* 82.
Ecclesiæ; *Viennensis*, anni 1267, & *Salisburgensis*, anni 1274, Con- 87.
ciliorum Constitutiones; tum de *Vita & miraculis S. Erminoldi*, 93.
Abbatis Pruseningensis, Libri duo, cum *Theodorici Turingi* Libris octo *de S. Elizabetha*, Regis Hungarorum, Andreæ, 116.
filia; & *Actis S. Albani*, Martyris, aliisque *Actis* ejusdem *S. Albani*, 158.

p. 172. incertis Autoribus; poſt hæc *Annales Henrici Steronis*, Monachi, *ab anno 1152.* qui eſt Friderici, Imperatoris, primus, usque ad Rudol-
216. phum Habſpurgium & deinceps *ad annum 1300* cum *Annalibus*
Eberhardi, Altahenſis, ab Imperatore, Rudolpho Habſpurgio, ſive *ab anno 1273 usque ad annum 1305.* Ex ſeculi decimi quarti nonnullorum lucubrationibus Actisque publicis huic Volumini
238. inſerta leguntur *Vita S. Walpurgis*, Virginis & Abbatiſſæ Heidenheimenſis, ſcripta a *Philippo*, Præſule Aichſtadiano; *Con-*
253. *cilia bina Salisburgenſia anno 1310* habita; *Andronici* Conſtanti-
261. nopolitani *contra Judæos Dialogus*; *Guilielmi de Baldenſel Ho-*
335. *dœporicon ad Terram Sanctam anno 1336*, una cum *Epiſtola ad*
358. *Petrum*, Abbatem Aulæ Regiæ, & *Itinerarium Rudolphi de Frameynſperg* in Palæſtinam, ad Montem Sinai & in Ægyptum *anno*
369. *1346*; tandem *Barlaami de Seminaria*, Gyracenſis Epiſcopi, ad Græcos *de Unione cum Romana Eccleſia & Proceſſione Spiritus*
405. *S. Epiſtolæ*; ejusdemque *Ethica ſecundum Stoicos.* Sequuntur ſcripta, quibus nonnulli decimi quinti ſeculi inclaruerunt Docto-
426. res; ſunt inter illa præter *Epitomen bellorum*, quæ a chriſtianis Principibus pro Terræ Sanctæ recuperatione ſuſcepta ſunt, in qua etiam *deſcriptio Palæſtinæ & multa de Mahomete*, autore incerto, nonnulla *Huſſitica*, in quibus continentur variorum
467. orationes, quarum I) *Johannis Raguſini* in Concilio Baſileenſi
566. *de Communione ſub utraque ſpecie;* II) *Ægidii Carlerii de corrigendis peccatis publicis*, dicta in eodem Concilio; III) *Henrici*
628. *Kalteiſen*, Dominicani, *de libera prædicatione verbi Dei*; IV)
709. *Johannis de Polemar*, Barcinonenſis Archi-Diaconi, *de civili*
751. *Clericorum Dominio*; cui acceſſit *Fundatio Eccleſiæ Illminenſis & Tegernſeenſis cum translatione S. Arſacii & Fragmento Chronico Thadæi Scotorum*, Abbatis Ratisbonæ, *de Kiliano*, *Virgilio &*
753. *Lullo*, Sanctis; V) *Diſputatio Capituli Eccleſiæ Pragenſis cum Rokyzana de Huſſiticis Controverſiis*, anno 1465 habita. Opus tandem claudunt nonnulla ſeculi decimi ſexti ſcriptorum opu-
779. ſcula, e quibus *Terræ Sanctæ Deſcriptio*, Autore Anshelmo;
796. *Actus ſeu Proceſſus Canonizationis B. Notkeri* anno 1514. *Catalo-*
816. *gus Scriptorum*, *qui contra Judæos ſcripſerunt*, & *de Vita S. Gebbardi*,

bardi, Conſtantienſis Epiſcopi, Libri duo *per Felicem Manilium.* p. 823.
Acceſſerunt huic Volumini duo Indices, Autorum, Tractatuum & opuſculorum, quæ unumquodque Volumen complectitur, altero, altero rerum, verborum, perſonarum aliorumque memorabilium in univerſum hujus Theſauri opus. Neque hic quidem debita laude deſtituendus eſt, qui in expoliendo ultimo hoc Volumine eadem, qua antea, verſatus fuit induſtria, noviſſimus illius Editor totque utiliſſimis Reipublicæ Literariæ operibus commendatiſſimus, Cl. Baſnagius. Etenim non ad Seculorum ſolum ordinem digeſta comparent, quæ in hoc continentur, antiquitatis Eccleſiaſticæ monumenta, verum etiam unicuique Autorum adjectæ animadverſiones Criticæ, Præfationes Hiſtoricæ, quibus lucem accendit obſcuris, &, quæ ſparſim apud Scriptores de Autore habentur, magno collecta labore, uno quaſi faſce complexus eſt. Dici deinde non poteſt, quantum juvent antiquitatis Eccleſiaſticæ inveſtigatores, qui ad purganda a ſuperſtitioſis narrationibus veterum ſcripta & ad corrigendos eorum errores animos convertunt, quod ſane opus quanto laborioſius, tanto utilius ſemper exiſtimatum habitumque eſt ab intelligentibus hujus rei æſtimatoribus. Hoc utique obſervatum Viro doctiſſimo & in ultimo hujus operis volumine imprimis in notis, quibus illuſtravit *Terræ ſanctæ Deſcriptionem,* p. 3.
Burchardo de Monte Sion Autore; fabuloſis illum ſuperſtionibus nimis addictum eſſe, ſtatim apparebit legentibus; reſecatæ illarum plurimæ fuerunt in nova Operis Editione, quam poſt Caniſium emendatam Amſtelodami vulgavit Cl. Clericus. Quare, ut nihil detraheretur iſtis antiquis Lectionibus, Caniſianam quidem Editionem hic denuo juris publici fecit Baſnagius, probe tamen collatam cum illa Amſtelodamenſi, ubique animadvertente Viro docto, quæ in hac deſunt, hinc inter nugas & fabulas referenda; cujus etiam generis ſunt illa, quæ *in Actis* habentur *S. Albani* Martyris: quam imperitus enim fuerit, qui 158.
hæc Acta conſarcinavit, quam levis hinc fides illorum, clare docent, quæ obſervata in hunc ſcriptorem Autori Cl. Sed & pari diligentia reliqua excuſſit Vir doctus, ut mirari ſubeat, in Opere tam vaſto perpetuis animadverſionibus illuſtrando nunquam

quam defatigatum fuisse illius animum, quo etiam nomine obstrictos sibi reddidit, quorum quidem veterum scripta, quantum fieri posset, purgata ab erroribus suoque nitori restituta ad se pervenire, intererat. Ceterum ne ignores, quis fuerit, cui Opus debes tanto labore excultum, æquum utique justumque existimamus, breve addere Viri Celeberrimi Elogium. Natus is erat Rotomagi anno LIII superioris Seculi, patre Henrico Basnagio, JCto & causarum Patrono in eadem urbe, in qua sibi famam, opes & amicos paravit vel inter Pontificios, quamvis Reformatæ Religioni addictissimus. Jacobus noster, filius ejus natu maximus, consecratus a Patre tenera adhuc ætate studiis Theologicis, in iis ita profecit cum in Gallia, tum Genevæ, quo missus a Patre fuerat, ut anno ejusdem Seculi LXXVI, suæ ætatis XXIII, ab Ecclesia Rotomagensi vocatus dignusque habitus sit, qui Stephano Monachio, Viro doctissimo, qui ad Theologiæ Professionem Lugdunum Batavorum vocatus Rotomago fuerat, succederet. Et quamvis Concionum cœterarumque, quæ Pastorem tenent, curarum in Ecclesia numerosa occupationibus distineretur, diligentem tamen studio Historiæ Ecclesiasticæ Patrumque lectioni dedit operam, progressuumque suorum postea in iis specimina in lucem emisit, & pene solus inter Gallos Reformatos in iis eminuit. Post Galliarum Rege, Ludovico XIV, Nannetense Edictum anno MDCLXXXV abrogante, e Gallia Roterodamum in Hollandia sedem Noster transtulit, ubi Pastor Gallicæ ejus urbis Ecclesiæ constitutus, pluribus annis illi ædificandæ operam dedit. Amicitiam imprimis hic coluit cum Viro celebri, Petro Bælio, quamvis in multis non exigui momenti capitibus dissentirent. Hagam deinde vocatus est anno MDCCVII, ubi eodem Pastoris munere non sine plausu ad mortem usque functus est & cohonestatus munere Historiographi P P. Hollandiæ Ordinum. Quam spartam ut ornaret, emisit in lucem anno MDCCXIX initium Historiæ Fœderatarum Provinciarum ab anno MDCXLVI usque ad Pacem Ultrajectinam, si diutius vixisset, detexendæ. Verum præclaros ejus conatus mors interrupit anno MDCCXXIII die Decembris XXI cum jam alterum Historiæ Volumen inchoasset. Vir fuit indefessæ dili-

diligentiæ & summæ in scribendo facilitatis longo usu acquisitæ, præsertim lingua vernacula. Interim nullam muneris sui Ecclesiastici partem negligebat, concionando, Ecclesiastico Synedrio vacando, atque invisendis ægris, ad quos vocabatur. Temporis præterea sui non exiguam partem tribuebat popularibus suis, qui ad eum multis de causis confugiebant & concurrebant, seu humanitatis gratia, seu etiam auxilii ejus implorandi causa apud eos, qui Reipublicæ præsunt, quibus auxilii indigos pro ea, qua in gentem suam comitate & benevolentia ferebatur, commendare solebat. Qua de causa quotidie a libris scriptionibusque suis avellebatur, non invitus quidem, nihil enim libentius faciebat, quam quod humanitatis munera spectabat. Erat etiam notissimus pluribus Principum Legatis, qui, dum Hagæ eo tempore versabantur, ejus sermonibus allecti non infrequentes ejus ædes adibant, quos summa comitate excipiebat, & a quibus similiter admittebatur, si quando eos adiret. Non paucis quoque epistolis ad amicos Gallos aliosque scribendis simili urbanitate provocatus atque interpellatus distinebatur. Quot & quanta hæc erant, impediri tamen iis non potuit, quo minus scriptis editisque operibus bene multis inclaruerit, quibus etiam non minimam ab eruditis reportavit nominis sui celebritatem. Et notiora sunt illa, quam ut hic ea commemorare necesse sit: satis esto, hunc nominasse Thesaurum, ultimum præclari adeo ingenii fœtum, qui parentis, a quo editus est, vel ad posteritatem propagabit memoriam.

SIGEBERTI HAVERCAMPI DISSERTATIONES de Alexandri M. Numismate, quo quatuor summa Orbis terrarum Imperia continentur: ut & de Nummis contorniatis.

Lugduni Batavor. apud Janssonios van der Aa, 1722, 4.
Alph. 1 Tabb. æn. 22.

Non dubitamus has dissertationes, qua argumenti dignitate, qua externo nitore, tabularumque insertarum artificio commendabiles, licet aliquando serius, in scenam producere,

quippe ad id genus literarum ſpectantes, quod novitatis gratiam haud cito, amœnitatem vero vix unquam ſolet perdere. Excitavit diligentiſſimum Virum munificentia Illuſtriſſimorum Academiæ Lugduno-Batavæ Curatorum, ut propter luculentam honorarii acceſſionem, in grati animi monumentum ederet doctas has lucubrationes. *Prior* explicat numiſma illud abſtruſum, quod præſtantiſſimus antiquitatum & nummorum interpres *Carolus Patinus* ipſe olim pro ænigmate agnovit, ejusque explicationem tanta aviditate exoptavit, ut ipſis antiquis nummis, quamvis maximi pretii, eandem fuerit compenſaturus, id quod profitetur in *Theſauro Numiſmatum*, *p. 10? edit. Amſtelod.* Nos illud numiſma, quod *A. 1684* in Actis noſtris *p. 37* jam conſpiciendum dedimus, cum diſquiſitionem ſuper eodem per epiſtolas inter Celeb. *Patinum* & Cl. *Egg lingium* agitatam, recenſeremus, nunc iterum repræſentamus, divinationes doctiſſimi *Havercampi*, ſingula nummi myſteria aperta planaque ſiſtentis, enarraturi. Toto igitur ſchemate ænigma exhibetur, ſummi iſtius in terris Imperii, per rapaces homines in quatuor illis decantatis Monarchiis violentiſſime quondam exerciti. *Nullum*, ait Noſter, *in hoc Numiſmate vel punctum eſt, quod non examuſſim in formidabilem iſtam quadret poteſtatem.* Ecce! in adverſa nummi facie duo capita plane inſolito habitu cum quatuor conjunctis pone cornibus, immanique oris hiatu, ad horrorem compoſita, Imperia duplicis orbis deſignant: Orientis quidem, caput dextro, velut honoratiore loco, poſitum, cum Chaldæorum & Perſarum imperium ſit antiquius: Occidentis vero & Europæorum Imperiorum ſymbolum eſt caput ſiniſtro loco conſpicuum, nudo capillo & ad frontem denſo utrumque Græcæ & Romanæ Monarchiæ autorem referens: hac enim capilli forma & Alexander & Pompejus obveniunt. Similiter pileus iſte, quo prius caput exornatum eſt, barbaricus, vetuſtiſſimum Aſiæ populorum geſtamen, Attidis & Ganymedis Phrygiorum, Regumque Parthicorum inſigne noſcitur. Diſtenti belluarum in morem prædam appetentium rictus docent, cuncta ab his Imperiis abſorpta ac devorata fuiſſe: quatuor cornua vero ecquid aliud ſignificant, quam quatuor ſumma Imperia ſub tali ſpecie

TAB. II. Fig. 1.

jam

TAB II ad A. 1726 M. Ap



quam defatigatum fuisse illius animum, quo etiam nomine obstrictos sibi reddidit, quorum quidem veterum scripta, quantum fieri posset, purgata ab erroribus suoque nitori restituta ad se pervenire, intererat. Ceterum ne ignores, quis fuerit, cui Opus debes tanto labore excultum, æquum utique justumque existimamus, breve addere Viri Celeberrimi Elogium. Natus is erat Rotomagi anno LIII superioris Seculi, patre Henrico Basnagio, JCto & causarum Patrono in eadem urbe, in qua sibi famam, opes & amicos paravit vel inter Pontificios, quamvis Reformatæ Religioni addictissimus. Jacobus noster, filius ejus natu maximus, consecratus a Patre tenera adhuc ætate studiis Theologicis, in iis ita profecit cum in Gallia, tum Genevæ, quo missus a Patre fuerat, ut anno ejusdem Seculi LXXVI, suæ ætatis XXIII, ab Ecclesia Rotomagensi vocatus dignusque habitus sit, qui Stephano Monachio, Viro doctissimo, qui ad Theologiæ Professionem Lugdunum Batavorum vocatus Rotomago fuerat, succederet. Et quamvis Concionum cœterarumque, quæ Pastorem tenent, curarum in Ecclesia numerosa occupationibus distineretur, diligentem tamen studio Historiæ Ecclesiasticæ Patrumque lectioni dedit operam, progressuumque suorum postea in iis specimina in lucem emisit, & pene solus inter Gallos Reformatos in iis eminuit. Post Galliarum Rege, Ludovico XIV, Nannetense Edictum anno MDCLXXXV abrogante, e Gallia Roterodamum in Hollandia sedem Noster transtulit, ubi Pastor Gallicæ ejus urbis Ecclesiæ constitutus, pluribus annis illi ædificandæ operam dedit. Amicitiam imprimis hic coluit cum Viro celebri, Petro Bælio, quamvis in multis non exigui momenti capitibus dissentirent. Hagam deinde vocatus est anno MDCCVII, ubi eodem Pastoris munere non sine plausu ad mortem usque functus est & cohonestatus munere Historiographi PP. Hollandiæ Ordinum. Quam spartam ut ornaret, emisit in lucem anno MDCCXIX initium Historiæ Fœderatarum Provinciarum ab anno MDCXLVI usque ad Pacem Ultrajectinam, si diutius vixisset, detexendæ. Verum præclaros ejus conatus mors interrupit anno MDCCXXIII die Decembris XXI cum jam alterum Historiæ Volumen inchoasset. Vir fuit indefessæ dili-

diligentiæ & summæ in scribendo facilitatis longo usu acquisitæ, præsertim lingua vernacula. Interim nullam muneris sui Ecclesiastici partem negligebat, concionando, Ecclesiastico Synedrio vacando, atque invisendis ægris, ad quos vocabatur. Temporis præterea sui non exiguam partem tribuebat popularibus suis, qui ad eum multis de causis confugiebant & concurrebant, seu humanitatis gratia, seu etiam auxilii ejus implorandi causa apud eos, qui Reipublicæ præsunt, quibus auxilii indigos pro ea, qua in gentem suam comitate & benevolentia ferebatur, commendare solebat. Qua de causa quotidie a libris scriptionibusque suis avellebatur, non invitus quidem, nihil enim libentius faciebat, quam quod humanitatis munera spectabat. Erat etiam notissimus pluribus Principum Legatis, qui, dum Hagæ eo tempore versabantur, ejus sermonibus allecti non infrequentes ejus ædes adibant, quos summa comitate excipiebat, & a quibus similiter admittebatur, si quando eos adiret. Non paucis quoque epistolis ad amicos Gallos aliosque scribendis simili urbanitate provocatus atque interpellatus distinebatur. Quot & quanta hæc erant, impediri tamen iis non potuit, quo minus scriptis editisque operibus bene multis inclaruerit, quibus etiam non minimam ab eruditis reportavit nominis sui celebritatem. Et notiora sunt illa, quam ut hic ea commemorare necesse sit: satis esto, hunc nominasse Thesaurum, ultimum præclari adeo ingenii fœtum, qui parentis, a quo editus est, vel ad posteritatem propagabit memoriam.

SIGEBERTI HAVERCAMPI DISSERTATIONES de Alexandri M. Numismate, quo quatuor summa Orbis terrarum Imperia continentur: ut & de Nummis contorniatis.

Lugduni Batavor. apud Janssonios van der Aa, 1722, 4.
Alph. 1 Tabb. æn. 22.

NOn dubitamus has dissertationes, qua argumenti dignitate, qua externo nitore, tabularumque insertarum artificio commendabiles, licet aliquando serius, in scenam producere,

quippe ad id genus literarum ſpectantes, quod novitatis gratiam haud cito, amœnitatem vero vix unquam ſolet perdere. Excitavit diligentiſſimum Virum munificentia Illuſtriſſimorum Academiæ Lugduno-Batavæ Curatorum, ut propter luculentam honorarii acceſſionem, in grati animi monumentum ederet doctas has lucubrationes. *Prior* explicat numiſma illud abſtruſum, quod præſtantiſſimus antiquitatum & nummorum interpres *Carolus Patinus* ipſe olim pro ænigmate agnovit, ejusque explicationem tanta aviditate exoptavit, ut ipſis antiquis nummis, quamvis maximi pretii, eandem fuerit compenſaturus, id quod profitetur in *Theſauro Numiſmatum, p. 107 edit. Amſtelod.* Nos illud numiſma, quod *A. 1684* in Actis noſtris *p. 37* jam conſpiciendum dedimus, cum diſquiſitionem ſuper eodem per epiſtolas inter Celeb. *Patinum* & Cl. *Egglingium* agitatam, recenſeremus, nunc iterum repræſentamus, divinationes doctiſſimi *Havercampi*, ſingula nummi myſteria aperta planaque ſiſtentis, enarraturi. Toto igitur ſchemate ænigma exhibetur, ſummi iſtius in terris Imperii, per rapaces homines in quatuor illis decantatis Monarchiis violentiſſime quondam exerciti. *Nullum*, ait Noſter, *in hoc Numiſmate vel punctum eſt, quod non examuſſim in formidabilem iſtam quadret poteſtatem.* Ecce! in adverſa nummi facie duo capita plane inſolito habitu cum quatuor conjunctis pone cornibus, immanique oris hiatu, ad horrorem compoſita, Imperia duplicis orbis deſignant: Orientis quidem, caput dextro, velut honoratiore loco, poſitum, cum Chaldæorum & Perſarum imperium ſit antiquius: Occidentis vero & Europæorum Imperiorum ſymbolum eſt caput ſiniſtro loco conſpicuum, nudo capillo & ad frontem denſo utrumque Græcæ & Romanæ Monarchiæ autorem referens: hac enim capilli forma & Alexander & Pompejus obveniunt. Similiter pileus iſte, quo prius caput exornatum eſt, barbaricus, vetuſtiſſimum Aſiæ populorum geſtamen, Attidis & Ganymedis Phrygiorum, Regumque Parthicorum inſigne noſcitur. Diſtenti belluarum in morem prædam appetentium rictus docent, cuncta ab his Imperiis abſorpta ac devorata fuiſſe: quatuor cornua vero ecquid aliud ſignificant, quam quatuor ſumma Imperia ſub tali ſpecie

TAB. II. Fig. 1.

jam

TAB II ad A. 1726 M. Ap



jam olim Prophetæ Danieli per visionem divinitus ostensa? In aversa numismatis parte IV Monarchiæ adhuc manifestius portendi Nostro videntur, maxime propter quatuor animalia; cum totidem monstra, & alis instructa, & Monarchias pariter referentia, in Ezechielis atque Danielis vaticiniis describantur, quamvis hæc ipsa vultuum & corporum specie diversa fuerint. Etenim nec sine magna ratione sculptor hic singulis animalibus eandem Sphingis formam dedit, primo, ut ænigma hoc tractantium spectantiumque exerceret ingenia, deinde, ut indicaretur, Monarchias istas cuncta viribus suis inferiora comminuisse, haud secus ac Sphingis crudele monstrum infelices, ad ænigmata qui accesserint, conjectores unguibus dilaniasse fertur. Porro fluvii duo in alga procumbentes violentam regnorum, velut vi fluminis abreptorum, occupationem ab utriusque orbis potestate factam; aræ utrinque positæ divinos honores a Monarchis quæsitos indicant. Figura virilis, conspicua paludamento, lorica, clypeo, bipenni, ac potissimum galea pellicea, lupinum rictum (qui tamen apud Patinum in typo nummi haud extat) præferente, galea quidem iterum designat rapacitatem Monarcharum, toto vero habitu suo belli artes, robur laboremque exprimit; dum e contra muliebris figura stans, ac præter hastæ insigne prorsus inermis, lauream sedentis mulieris capiti imponens, Constantiam & pacis artes denotat, quibus præsertim Roma sibi Orbis terrarum imperium armis partum retinuit. Denique in ipsa figura muliebri sedente, qualis subinde Roma, atque imprimis Nova, in nummis exhibetur, summi Imperii summæque potestatis perfecta imago conspicitur. Hasta enim potentiæ, imo & divinitatis symbolum, paludamentum Imperii, modius in capite (quem Patinus pro turri ignoverat) Serapidis ornamentum, abundantiæ rerum omnium, gemmæ atque uniones in pectore & balteo, gloriæ divitiarumque insigne, quæ omnia ac singula in ista summa orbis imperia confluxere. Simillimum ad unguem huic numismati est alterum, quantum ad partem aversam; namque in adversa caput Alexandri M. visitur. Idque ad quatuor Monarchias itidem pertinere, autumat Noster & vultum Alexandri, tanquam inter

omnes

omnes orbis Monarchas longe illustrissimi, merito præferre. In hoc nummo signum illud  quod in nummis contorniatis compluribus occurrit, atque in hoc juxta frontem Alexandri est, explicatu alias difficillimum, promtius explicari non posse, ait, quam si pro inclito Constantini M. Monogrammate ☧ accipiatur, ut designetur regnum Christi, quod omnes istas Monarchias loco deturbavit. Verum non dissimulat, interpretationi tali obesse, quod constans ubique numismatum delineatio & rei nummariæ peritorum testimonium aliam dant Monogrammatis formam: quare potius judicat, eo aut exprimi faustam illam & solemnem Populi Romani acclamationem, præcipue theatris & ludis consuetam: FELICITER & ΕΙΣ ΑΙΩΝΑΣ, quæ exprimatur in his nummis voce PERPETUO, cujus literæ initiales sint in isto Monogrammate; aut artificis notam esse, conjectatur. Subjicit his quinque adhuc numismata, in quorum priori antica caput Alexandrinum cum diademate, postica raptum Sabinarum; in secundo, pars una Alexandri caput exuviis leonis indutum, altera Alexandri Bucephalum domantis, & Philippi Macedonis ac Olympiadis, parentum admirantium, figuras; in tertio aversa solis quadrigas, cum inscriptione: SOLI INVICTO; in quarto adversa faciem Alexandri, aversa STEPHANUM, seu STEPHANAM Athletam victrici in curru stantem cum laurea palmaque nobili, exhibent. In quinto demum Noster iterum se Oedipum præstat. Conspicitur juvenis alatus rupi insidens, dextra uvam tenens, læva colligens vestem, quæ pectus tegit, sed post nates expansa est, inferioribus corporis omnino denudatis. Scilicet uva, & sublata, detecto inguine, vestis duo insigniora Alexandri M. vitia, ebrietatem & amoris intemperantiam, alæ vero, *Alexandrum volare potuisse*, (v. Curt. *lib. VII cap. 11*) commonstrant, estque hæc effigies vel, ut Imperatores de magna fortuna æquabiliter ferenda, vel, ut Athletæ de fugienda ebrietate & Venere admonerentur, exsculpta. Aut etiam ab Alexandro Severo, Macedonis æmulo, in ære perenni expressum est, quod idem, teste *Lampridio*, in Alexandro condemnare fuit solitus. Cum vero omnia ista Alexandri Magni Numismata

sint

ſint ex genere contorniatorum, hinc ſubnata Noſtro *de nummis contorniatis* differendi occaſio. Docet vero, non a civitate *Crotone*, ut quibusdam videtur, ſed a circulo artificioſo circuitum ambiente, appellatos eſſe; eum enim *tornum* eſſe dictum poſterioribus temporibus, quemadmodum hodie *Contorno* Itali, *contour* Galli vocant. (vid. *Patin. Introduct. ad hiſtor. numiſm. cap.18.*) Recte Cl. *Morellius* in *ſpecim. univ. rei nummar. ant.* maximi moduli nummos, qui additum habent circulum, plerumque ex metallo flavo a contorniatis diſcernendos eſſe. Hi tortilem atque contractiorem circulum, illi latiſſimum habent atque planum, ex diverſo quandoque metallo. Contorniatis omnibus, poſtquam percuſſi eſſent, demum circulus eſt additus; & ſuperſunt nonnulli, quibus deeſt tornus. Tempus & cauſam percuſſorum hujus generis nummorum, ſilentibus vetuſtis Scriptoribus, per conjecturas ſolum aſſequi licet. Videntur maximam partem ſub iisdem Imperatoribus percuſſi, quorum vultus referunt. In uſum Athleticum inventos fuiſſe, typi plerorumque, nomina & imagines Athletarum & equorum fere comprobant. Peculiaris eorum eſt fabrica; neque in ullo S. C. nota comparet. Barbaram quodammodo fabricam *Morellius* haud merito dixit, cum in quibusdam perfectius artificium noſcatur. Idem, ob magnam omnium ſimilitudinem, putat uno tempore conflatos omnes: male: dantur enim quam plurimi in poſtica nummi vix inter ſe diſcernendi, quos tamen diverſo tempore percuſſos nemo dubitat. Nota iſta ℞ ac ejus loco quandoque ramuſculus, aut aliud ſignum, argenteis laminulis artificioſe repleta, in plerisque occurrunt, eaque ſigna poſtea in memoriam Victoriæ ab ipſis Athletis impreſſa eo credideris, quod ſatis multi ſunt, in quibus nihil ejusmodi peculiaris notæ cernitur. Operæ pretium duxit Noſter, *Patini* maxime judicio commotus, in unum faſcem colligere omnes contorniatos a præſtantioribus rei nummariæ Autoribus evulgatos, ſimul etiam nondum editos, qui ipſi obvenerunt, eorumque ænigmata ſingulari commentario illuſtrare, quem complectitur *Diſſertatio altera*. Incipit a contorniatis *Neronis Imp.* cujus ævo primum nata videntur ejus generis numiſmata, ut qui Princeps ludorum feſtivitati &

aurigandi ſtudio ad inſaniam deditus fuiſſe traditur. Et complures ſequentium Imperatorum contorniati typos Neronianis exacte reſpondentes habent. Inter *octodecim* iſtius Imperatoris contorniatos Noſter exhibet *tres* ad ipſa archetypa diligenter delineatos, quos tamen ob rudius artificium Conſtantini M. tempore cuſos & revocatos judicat, cum olim ſub Nerone ſimiles eſſent percuſſi. *Veſpaſiani* contorniatus *unus* cum venatione ſiſtitur inter *Neronianos*, ob ſimilitudinem cum alio nummo ibi repræſentato. Sequuntur contorniati *Trajani viginti atque unus*, ex quibus notabiles imprimis, qui inſcriptionem habent: DIVO NERVÆ TRAJANO. Videntur enim in ſpectaculorum eorum memoriam cuſi, quæ teſte *Xiphilino lib. XV p. 256, Parthica nominabantur, & Trajani oſſibus in columna ipſius ſepultis, per multos annos, quaſi ſpectante eo, celebrata ſunt. Antonini Baſſiani ſex* numiſmata excipiunt *tria Alexandri Severi*, leonis ſpoliis Herculis in morem in nummis conſpicui: is enim ornatus Principi famæ & virtutum Alexandri Macedonis æmulo convenire videbatur, cum & Herculem Alexander generis ſui autorem ſecutus eſſet. Jam *Conſtantini M. duo, Honorii tres* contorniati producuntur, ac demum *Placidii Valentiniani duo*, quorum *alter* qua magnitudine, qua figuris, qua inſcriptionibus longe ſingularis atque eximius apparet. In adverſa parte eſt caput *Placidii Valentiniani*, peculiari diademate cinctum, ad pectus cum ſtola; a ſiniſtris palmæ ramus, cum inſcriptione: DN. PLA. VALENTINIANUS SPE. AVG. *Spectabilem Auguſtum* ſignari putat Noſter, niſi forte literæ SPE. male pro conſueto illo P.E expreſſæ ſint. Averſa pars ſiſtit organum hydraulicum majus, in cujus uſum aquam hauriunt miniſtri duo, hinc inde ſtantes; a ſiniſtris Terminum Solis radiatum appoſitum dixit Cl. *Bandurius*, ſed Noſter follem exiſtimat, qui arculæ organi ventum immittat; inſcriptio: PLACEA S. PETRI, ipſi ſuſpecta videtur, & conjicit legendum eſſe: PETRONI PLACEAS, prout in alio numiſmate *Salluſtii*, organum hydraulicum referente, inſcriptum eſt. Sed poſt recenſitos Imperatorum nummos *ſpicilegium* facit Noſter additque numiſmata *Neronis quatuor* alia, ut videtur, *reno-*

TAB. II. Fig. 2.

Fig. 3.

renovata; *Severi duo*; *Alexandri Severi unum*; *Trajani quinque*; *Gordiani, Magnentii, Desiderii*, singulorum *unum*. Agmen claudunt nummi contorniati, in quibus *memoriæ & effigies Virorum doctorum*, *sive Autorum veterum* exstant. Repræsentantur hic, Princeps Poetarum, *Homerus*, 2 *Socrates*, 3 *Sallustius*, 4 *Terentius*, 5 iterum *Sallustius* satis barbare barbatus, cujus nummi aversa præfert personas togatas tres, quarum media organon, ut videtur, hydraulicum tenet, ad dextram stante tibicina, ad lævam viro se comiter inclinante. Putat ergo Noster, aut Clarissimum *Petronium Maximum* exprimi, qui *Placidio Valentiniano Aug.* offerat insigne hoc munus, aut esse artificem, qui *Petronio* inventum suum dedicet, tibicina artem suam damnante. Inscriptio est: PETRONI PLACEAS. 6 *Horatius* vultu juvenili decorus addito palmæ ramusculo & floris, seu stellæ signo, e Museo Nostri prodit. 7 *Idem Poeta* ætate provectior, nec sine ruga senili, 8 *Apulejus*, 9 *Apollonius Tyaneus* delineati visuntur. Denique Noster de usu contorniatorum numismatum & de tempore, quo percussa sunt, paucis addit, ea, non in usum monetæ, sed in memoriam ludorum Circensium facta esse. Circulum seu tornum, qui pleraque ambit, ad circum alludere, temporibus vero Constantinorum maximam partem illa, quæ hodie supersunt, procusa, vel revocata existimat. Conjecturas has diversis quidem nummis confirmat, de quibus plura dicere supersedemus. Enimvero, quæ supra e Dissertatione priori de IV Monarchiarum ænigmate, adeo ingeniose detecto, indicavimus, ad judicium de insolita prorsus doctissimi *Havercampi* vi divinatrice formandum, affatim sufficere lectoribus nostris poterunt.

TAB. II. Fig. 4.

Fig. 5.

D. F. C. C. ANNOTATA QUÆDAM AD easdem Cl. HAVERCAMPI Dissertationes, ac de numismate Alexandrino abstrusiore & de nummis quibusdam contorniatis aliis. Conjecturæ.

NOn equidem invideo, miror magis divinationes a Cl. *Haver-*

vercampo, tum de abſtruſo illo Alexandri numiſmate, tum de aliis nummis contorniatis, adeo ingenioſe prolatas. Nolim ego me explicandis his ænigmatibus Oedipum offerre, nec tamen facile inducar ad credendum, quantumvis perplexa ſint iſta antiquitatis monumenta, latere in ipſis ejus generis myſteria, qualia quidem Vir doctus credidit. Sunt enim, ſi quid judico, a Romanorum ingeniis moreque, quem in nummorum figuris tenuere, prorſus aliena. Symbola quidem Romanis nummis familiaria & hieroglyphica nonnulla ſatis novi, eaque maximam partem in præſtantiſſimo opere *de uſu & præſtantia numiſmatum* excellentiſſimus harum rerum interpres & judex, *Ezech. Spanhemius*, ſigillatim enarravit: ſed ænigmata vero adeo recondita, &, quod maximum, res ipſis Romanis olim ignoratas, velut quatuor orbis terrarum Monarchias earumque ſymbola ſacra, figuris parum convenientibus obvolventia, nunquam ego auſim nummis Romanis affingere. Pleraque in nummis & inſcriptionibus antiquis ænigmata nobis videntur, quæ ſuo quidem ævo aperta planaque fuerunt omnibus, nobis vero propter defectum hiſtoriæ, rituumque quorundam veterum cognitionem nondum ſatis excultam, admodum difficilia explicatu ſunt atque exercendis conjectando ingeniis materiam præbent. Verum in conjecturis capiendis ſectari oportet ingenium Romanis proprium moremque populi, quem in momentis rerum ſuarum publicis ſervavit, illam gravitatem priſcam, & ſingularem antiquitatis obſervantiam, quæ figuras, formas, ſymbola, formulas, inſcriptiones ſive patriis, ſive peregrinis ſacris, magiſtratibus, officiis, rebus geſtis, virtutibus, artibus, fœderibus, paci, bello, ſingulis denique rebus æterna celebritate dignis antiquitus aſſignatas cuſtodite retinuit, nec Ægyptiacam rationem, ea, quæ ad doctrinam morum humanorum, aut ad artium diſciplinas, vel ad hiſtoriam mundi ſpectant, hieroglyphicis exprimendi, maxime in nummis, unquam adſcivit. Et quamvis nummorum, quos *contorniatos* vocant, ea ſit conditio, ut maximam partem ſeculo in barbariem jam inclinato cuſi, aut revocati, & ignobilius artificium & inſolitas præ aliis Romanorum figuras multi referant: ego tamen & in his

his imitationem moris prisci ac sæpenumero publicorum nummorum repetitos typos invenio, ac in plerisque nihil abstrusi esse, nisi studio quæratur. In obscuris veterum monumentorum igitur multa circumspectione, varia sedulaque contemplatione opus est, atque figuræ, vel inscriptiones revocandæ sunt prius & examinandæ ad ritus nobis cognitos, ex quibus aliquid luminis nancisci posse videntur, antequam ad incognita provolemus, ipsique divinemus animo, quæ veteribus in mentem unquam venisse, posthac aliis ægre persuadere valeamus. Quodsi nulla antiquitatis cognitio ad monumentum aliquod lucem præstare videatur, desperato successu, satius crediderim divinationes antiquitatum & historiæ suffragio destitutas supprimere, suamque in conjectando tenuitatem profiteri, quod nec *Patinus* erubuit, quam harum literarum intelligentibus sese deridendum dare. Jam olim clarissimus reique nummariæ peritus Vir, *Joh. Henr. Eggelingius*, ad explicanda numismata illa Alexandri M. ut *Havercampus* vocat, *Patini* desiderio excitatus accesserat, datisque ad summum hunc Antiquarium literis nummos eos retulerat ad Neronem Imperatorem, cujus & figuram, & mores, & quævis huic Principi apprime familiaria obscuris istis adeo formis expressa credidit: quas quidem suspiciones a *Patino* erudite solicitatas alia epistola tueri ac ulterius adstruere, & omnem disquisitionem per epistolas agitatam postea evulgare nullus dubitavit. Et fateor sane quantumcunque dubiorum *Eggelingianis* suspicionibus obstet, ac licet numismatibus illis rectius inspectis parum conveniant, eas tamen ex antiquitate ac historia Romana depromtas eoque nomine non omnino improbandas esse. Luculenter de iisdem dictum est in Actis his *A. 1684 p. 38*, adjectis Celeberrimi *Felleri* olim nostri doctissimis conjecturis, quas hic loci repetere non vacat. Id e re erit memorasse, numismata hæc Alexandrina jam a B. *Fellero* tributa esse vel Caracallæ, vel Alexandro Severo, inclytis apud Historiæ Augustæ scriptores Magni Macedonis imitatoribus. Credo enim, ad alterutrum optima ratione hæc numismata referri. Alexandrum Severum *Lampridius* diserte testatur, *Alexandri figura nummos plurimos figurasse, & quidem electreos aliquantos, plurimos vero*

 aureos.

aureos. Et quid vetat ſuſpiciones, poſt variam antiquitatis Romanæ penſitationem horumque numiſmatum cum aliis collationem, meo ingenio ſubnatas exponere? etſi nolim tam arrogans videri, ut meliora ſim doctiorum virorum conjectationibus in medium allaturus. En! *patet ingeniis campus.* Et quod *Havercampo* licuit, mihi quoque integrum fore, puto. In nummi Alexandrini prioris adverſa parte certo ſatis mihi videor perſonas duas Scenicas (quales & *Eggelingius*, licet admodum dubitanter, agnovit,) conſpicari, unam virilem, alteram muliebrem. Nihil certe in his figuris, quod non perſonis Scenicorum Romanis exacte reſpondeat. Ora dum adſpicis hiantia, recordare notiſſimi loci, quo *Lucianus* Tragœdum deſcribit: *Tragœdus eſt homo, altis calceis, ſeu cothurnis incedens, larva ſuper caput, vel frontem extante, ore hiante, non ſecus, ac ſi ſpectatores devorare vellet.* Hinc apud *Juvenalem:*

- - - - - - perſonæ pallentis hiatum
In gremio matris palleſcit ruſticus infans.

Et *Martialis* de perſona Germanica:

Sum figuli luſus, Rufi perſona Batavi,
Quæ tu derides, hæc timet ora puer.

Cumque frontem animadvertis gibberam & prominentem, præſertim in perſona virili, memineris apud *Nonium* extare verba *Varronis: Item, Tragici prodeunt capite gibbero, cum antiqua lege ad frontis ſuperficies.* Quo reſpiciens & *Lucianus* larvam *ſuper frontem* in Tragœdo *extare* dixit. In perſona muliebri maxime conſpicuus eſt ille capillamenti ornatus, altius ſuper caput eminens, quem *ὄγκον* appellatum, & literæ Λ figuram habuiſſe, *Julius Pollux* ſcribit: *ὄγκος δὲ ἐςι τὸ ὑπὲρ τὸ πρόσωπον ἀνέχον εἰς ὕψος Λαμβδοειδὲς τῷ σχήματι.* Certe figura iſtius faſtigii clarius, quam in hoc nummo, exprimi vix potuiſſet, cui prorſus ſimilem in inclyto marmore Apotheoſeos Homericæ Tragœdia ſuſtinet. Sed & ſpiras crinium contortas atque in altum exſtructas ſatis diſtinctim licet agnoſcere; nec magis obſcuræ ſunt quatuor plectæ, pone larvam muliebrem prominentes, itemque coma infra genas diffluens. Is vero perſonæ muliebris ornatus non a theatro ſolum, ſed e conſueta

prorſus

prorsus feminarum comam in sublime struentium consuetudine apud Romanos desumtus est, qua de *Juvenalis*:

- - - - tot adhuc compagibus altum
Aedificat caput.

Alibi *suggestum comae* vocat. De eodem more *Apulejus* Met. II: *Quid cum frequenti subole cumulat verticem, vel prolixa serie porrectus dorsa permanat?* Et *Tertullianus* de cultu feminar. *cap. 7: Affigitis nescio quas enormitates sutilium capillamentorum, nunc in* galeri *modum, quasi in* vaginam capitis & operculum verticis, *nunc in cervicem retro suggestum.* Quodsi personas *Terentianas* a literatissima Daceria e vetustis membranis repraesentatas cum hoc numismate comparare velis, dic sodes, quid est in figuris adversae partis, quod non exacte larvis istis theatralibus respondeat? invenies ibi & capillos fronti personae virilis, assutos, & oculos factitios, & reliqua, quae modo descripsi. Apage igitur cum aenigmatibus horribilium Manducorum, Orientalis illius atque Occidentalis; apage cum quatuor cornibus, cum pileo Orientalium populorum gestamine! Vides enim genuinum personarum Romanis usitatarum habitum ornatumque. Sed, inquis, personae quid in numismate? Et sane miror, praeclarissimam *Spankemii* industriam fugisse nummos, in quibus apparent personae, qui licet numero sint exigui, observationem tamen & lucem merebantur. Sit impraesentiarum satis adduxisse nummum Neronis, in quo adversa caput Imperatoris laureatum, aversa hominem praefert, qui personam barbatam, mole satis enormem, ambabus manibus in altum extollit, quam Panos larvam esse, ac in nummo propter Lupercalia huic Deo sacra, Nerone praeside celebrata, extare conjectat *Pedrusius* Talis & Sileni persona cornuta barbataque in Catinensium nummis apud *Parutam*. Item nummus Pansae a *Fulvio Ursino* & *Laur. Begero* aliisque exhibetur, in quo persona est, significans ludos scenicos a Pansa datos. Multiplex personarum apud Romanos usus, quo de satis constat, in triumphis, in ludis solemnibus, facit, ut neque in aliis nummis, neque in contorniatis, ludorum memoriae causa percussis, signatas larvas demirer. Quid vero si peculiarem causam personarum

in

in hoc numiſmate comparentium forte inveniamus? Contemplemur modo averſam nummi faciem. Eam vero vix quiſquam antiquitatum peritus paulo diligentius inſpexerit, quin illico in figura media ſedente muliebri agnoſcat Reginam Iſin. Eſt in capite modius, ſolitum ejus Deæ ornamentum, abundantiæ & fœcunditatis ſymbolum; habitu comparet ſtolata, ipſi certe proprio, quo ejus, tanquam Lunæ, quacum idem credebatur Numen, occultatio, dum Solem ſequeretur, indicata fuit; ſceptrum, quod læva gerit, ſublataque dextra imperium ejus in ſidera reſque ſublunares denotat. Idem plane habitus Iſidis noſcitur in nummo Smyrnæorum, qui ad hunc Menſem Tab. II fig. 10 ſpectantium oculis ſubjicitur, excepto, quod in hoc ſtans dextraque ſceptrum gerens exhibetur. Sphinges autem quid quæſo inſoliti præferant, Deam origine Aegyptiam ſuſtinentes, & quæ ſub ſtatua Iſidis ſedentis quoque viſuntur apud *Boiſſardum* T. III n. 57? Et Iſidem curru vectam a Sphingibus duabus nummus Juliani Imp. repræſentat apud *Patinum* Numm. Imp. ær. med. *pag.* 482. Ad ſiniſtram Reginæ cernitur figura muliebris capite turrito, haſtam læva tenens, dextra lauream imponens capiti Deæ. Optime quidem laurea convenit Numini DOMINÆ VICTRICIS, ISIDIS VICTRICIS & TRIUMPHALIS, qualis in marmoribus antiquis paſſim celebratur. In Smyrnæorum nummo ei lauream porrigit Victoria. Sed noſtro in numiſmate Victoriam e muliere turrigera auguſtioris formæ ego non effingam. Magis probabile, Deam Romam, aut Genium Urbis eſſe, Reginæ Iſidi honores conſecrantem. Ad dextram adſtat figura virilis bipennem, Smyrnæorum inſigne, quod & Patinus, & alii agnovere, & de quo tot ex nummis res certa eſt, gerens, eoque ſatis manifeſto Iſidis apud Smyrnæos cultum deſignans. Facile jam de aris utrinque poſitis affirmaverim, iis Romanum & Smyrnenſem Deæ cultum indicari, & fluviorum in alga inferius procumbentium ſimulacra, alterum ad Tyberim, alterum vero ad Meletem fluvium Smyrnæorum, variis nummis, ut Homeri, apud *Patin.* Num. Imp. ær. med. *pag.* 9, & Neronis, ap. *eund. pag.* 119, percelebrem, referri debere. De ſacris vero Iſidis Romam deportatis res notiſſima eſt,

TAB. II. Fig. 10.

eaque

eaque & præcedentibus Imperatoribus Romanis, teste *Suetonio* in Domit. *c. 12*, & *Lampridio* in Commodo, *c. 9*, & maxime omnium Caracallæ cordi fuerunt, quem majori longe celebritate, quam antea factum erat, & reverentia Deæ cultus auxisse, adeo quidem, ut sacra Isidis prorsus Romam detulisse & videretur, & diceretur, *Spartianus* scribit in Caracalla, *c. 9*. Quid ergo mirum, in hoc Alexandri Severi, aut fortasse ipsius Caracallæ numismate communia Romanis cum Smyrnæis facta Isidis sacra conspici? cujus communicationis & honoris eo nomine Smyrnæis in publico monumento designati causa, præter alia ejus urbis in populum Romanum officia, insigne meritum fuit Smyrnæorum, qui primi inter Asiæ populos templum *Urbis Romæ* erexerant, ideoque omnibus Asiæ civitatibus prælati templum Tiberii statuendum olim impetraverant: *Tacitus* Ann. *IV*, *56*. Jam id memoria repetendum, in honorem Isidis primos ludos scenicos, celebres illos Megalenses, factos semperque continuatos esse, imo vero posteris temporibus pompam tanta schematum & personarum diversitate institui solitam fuisse, ut vix alia in solemni festivitate plura simulacra & commenta larvarum conspecta sint. Meretur hanc in rem scriptor ejusdem ætatis, cujus forte hic nummus, exaudiri, *Apulejus*, Met. *XI*. *Ecce*, inquit, *pompæ magnæ paullatim procedunt anteludia, votivis cujusque studiis exornata pulcherrime. Hic incinctus balthëo militem gerebat; illum succinctum chlamyde copides & venabula venatorem fecerant; alius soccis subauratis, indutus serica veste, mundoque pretioso, & adtextis capiti crinibus, incessu perfluo feminam mentiebatur: porro alium ocreis, scuto, galea, ferroque insignem e ludo putares gladiatorio procedere. Nec ille deerat, qui magistratum fascibus purpuraque luderet: nec qui pallio, baculoque, & baxeis, & hircino barbitio philosophum fingeret: nec qui diversis arundinibus alter aucupem cum visco, alter piscatorem cum hamo induceret*. Ex his probabilem satis personarum in hactenus descripto numismate expressarum occasionem dilucere puto: quorum vero hominum vultus iisdem repræsententur, ut ego definiam, exigi nullo jure potest. Quodsi tamen personas Alexandri & Olympiadis, quo-

rum capita simili positu in gemmis obveniunt, & quos in scenicis ludorum apparatibus isti Principes Alexandri Macedonis æmuli dubio procul non sine oblectamento singulari produxerunt, velis agnoscere, non intercedo. Neque obest deformitas illa & truculentia quædam in larvis his conspicua, cum ea vultuum forma in personis scenicis omnino usitata ac propter morem scenicum plane adhibenda fuerit. In altero numismate adverso personarum loco extat caput Alexandri, in quo Princeps ejus admirator fortassis ipse suos vultus effigurari voluit. Signum autem illud ℞, & huic alteri nummo Alexandrino & aliis contorniatis adjectum, interpretor notam RESTITUTIONIS, ex literis R & E more artificum ita conjunctam, ut superior linea transversa literæ E fulcrum posterius in litera R omissum suppleat. Renovatos enim plerosque contorniatos esse, qui hodie supersunt, & artificium, quo procusi sunt, recentius satis manifesto prodit, & nummariæ rei periti testantur omnes, qui & *revocatos* fere eosdem appellare solent, quos alias *contorniatos* vocant. Novi quidem, aliam esse restitutionis notam in nummis per Trajanum aliosque Principes restitutis: sed in recentiori hoc numismatum genere eoque singulari facile novi quidquam & inusitati vel in hac etiam nota factum esse potuit. Nunc pergam, cum pace doctissimi *Havercampi*, ad alias ejus de nummis quibusdam contorniatis obscurioribus conjecturas, nec tamen omnes attingam, sed extantiores, & de quibus monere operæ pretium erit. Quam ob causam malit Vir Cl. *pag. 39* in nummo septimo Alexandrino, qui aversus juvenem alatum rupi insidentem, uvam tenentem manu, veste ad pectus reducta, exhibet, ænigma quærere & symbolum vitiorum, quibus Macedo gloriam rerum gestarum obscuravit, tandem ibi deprehendere, quam Daciæ Genium in rupibus suis sedentem atque insigne alterum DACIÆ FRUGIFERÆ uvam dextra præferentem agnoscere, ego quidem non perspicio: alæ enim & vestis pectori juvenis addita, quæ in aliis Daciæ Genio signatis nummis haud observantur, formam Genii habitumque parum immutant. Inter numismata Neronis occurrit unum, in quo serpens est in gyros suos arrectus juxta arborem ad aram incen-

sam

ſam accedens, cui prorſus ſimilia duo inter Neronis & Trajani numiſmata ſunt, niſi quod in ara ignis loco noſcuntur in his poſtremis fruges. Neque in ullo eorum aliud mihi ſuſpicari licet ſymbolum, præterquam Æſculapii, cujus ſacra hic repræſentantur, addita lauru, qua & ipſe coronatus effingi ſolebat, & quæ ipſum, tanquam ejus Patri ſacra, optime decet: laurus vero in ſecundo Neroniano ſatis diſtincte expreſſa eſt. Quid quæſo horum numiſmatum figuris cum angue Neronis fabuloſo, ad quem *Havercampus* applicat? & quid, ſi hoc foret, idem typus in contorniato Trajani ac in nummo alio Alexandri Severi, ubi ſerpenti addita inſcriptio: ΕΠΙΔΑΥΡΙΟΝ, quem illuſtrat *Spanhemius*, Diſſert. III. *oper. min. pag.* 183. Inter nummos Trajani eſt, in cujus averſa Trajanum deſignari credit ſpecie Numinis marini, tanquam Neptunum Regem, indicio ſceptri, quod geſtet, & Delphini ad latus ei ludentis, itemque Tritonum, quos nudas iſtas figuras ſemiexſtantes ex aquis eſſe exiſtimat. Videtur ipſi Princeps Romanæ Reip. puppim, referentem ſe in mare, a ſcopulis longe impellere; treſque viros, qui in ipſa conſpiciuntur navi, putat indicare triplicem Reip. ordinem, Senatorium, Militarem, Plebejum, qui omnes Trajanum ut Deum venerentur, maxime unus ad pronam navis ſeſe devote inclinans. Hem! ego quidem virorum in navi renitentium geſtus & vim a figura proram arripienti intentatam repellere conantium habitum facilius, (quippe & medius telum attollit,) quam venerabundorum geſtus poſſum animadvertere. Equidem & ipſe Vir doctus mutavit ſententiam, poſtquam integriorem iſtius typi delineationem opportune nactus fuit, in *addendis* exhibitam, ubi expreſſiſſima imago Scyllæ, extante utero fœdatæ, *latrantibus inguina monſtris*, navim manu trahentis, cui egregie aptatur deſcriptio *Virgiliana* Æneid. III v. 424:

TAB. II. Fig. 7.

TAB. II. Fig. 2.

At Scyllam cæcis cohibet ſpelunca latebris,
Ora exertantem & naves in ſaxa trahentem,
Prima hominis facies & pulchro corpore virgo,
Pube tenus, poſtrema immani corpore Piſtrix,
Delphinum caudas utero commiſſa luporum.

In hoc typo nemo non deprehendet manifesta naufragii imminentis indicia, tabulas hominesque navi excussos in fluctibus jam natantes, viros autem in puppi proraque adhuc stantes, avertendo fatali discrimini totis viribus intentos atque occupatos. Adversa alium Principem præfert, Alexandrum Severum. Quid vero sentiendum de ratione hujus typi ad ludos Circenses spectantis reddita: *sicut periti nautæ esset flectere & circumagitare ratem, ne scopulis Scyllæ & Charybdis illideretur, ita & aurigæ exercitati fuisse bene flectere, ne metam impingeret currus & ipse volveretur cum maximo periculo in terram, præmio, & quandoque membris & ipsa vita orbatus?* Certe figura Scyllæ non in solis contorniatis, sed & in aliis Romanorum nummis obvia est, ut in illo Sexti Pompeji, in quo *Maronianæ* descriptioni adeo consentanea visitur, ut illius nummi circa eadem tempora percussi interpres divinus Poeta extitisse videatur *Spanhemio* Diss. III *op. min. pag.* 228. Et *Tristanus* quoque singularem nummum Tarsensium eodem monstro signatum evulgavit.

TAB. II. Fig. 6. Elegans & spectabilis est nummus, in cujus aversa Bacchi triumphum, tot veterum monumentis inclytum, dilucidiorem spectare licet, quam in aliis contorniatis Trajani & Neronis. Quæ in area nummi inferiore sunt capita, quorum in medio uvæ botrus, se respicientia, *Havercampo* designant aut Orientem & Occidentem, ob uvarum nobile inventum a Baccho utrique Orbi subministratum, aut æternitatem Imperii Romani, aut ludos scenicos, ut larvæ dicendæ sint, non capita. Verum Occidens & Oriens non se adspicerent, quin occipitium potius obverterent; magis probabile, larvas esse, quæ ad Bacchi sacra & insignia pertinent, atque hinc uvæ rectissime apponuntur. Notum enim, in Bacchi celebritate larvas esse gestatas, quæ Penthei stragem significarent, & Baccho a scenicis jam emeritis suspensas fuisse personas. Omnino hic nummus comparari meretur cum elegantissimo sarcophago Hortano, in quo & personæ illæ, & alia in Orgiis Bacchicis celebria visuntur, cujus figuras & illustrationem dedimus in Actis Anni superioris *pag.* 63, ex Celeb. *Fontanini* Antiquitatibus Hortanis.

TAB. II. Fig. 3. Maximi moduli numisma Placidii Valentiniani dignum est longiori commentatione,

tione, quam qualem hæ paginæ admittunt. Bene se habet ad illam *Havercampi* suspicio, fortassis male scriptum esse in titulo Augusti: SPE pro consueto P. F. id est, *Placidiæ Filius*: sed & nomen *spectabilis* recte convenit Valentiniano, ut forma speciosa & venusto membrorum habitu imprimis *spectabili* dicto. In aversa posses legere: PLATEA S. PETRI, ut *Camelus* exhibet in nummis Reginæ Christinæ. Constat, quam frequens sit in nummis & marmoribus literarum C & T permutatio. Nec organon hydraulicum tam accurate expressum est, ut puteus cancellis munitus, jussu Valentiniani Romæ fortassis in illa platea erectus, non possit videri. Certe non tibiæ, sed cancelli videntur puteo circumdati, & aqua prosiliens melius puteo convenit, quam instrumento hydraulico, & homines cum perticis utrinque adstantes magis aquam exantlantibus, quam organon agitantibus similes apparent. In antlias publicas condemnatorum mentio fit apud *Suetonium* Tiber. *c. 51*, & apud *Artemidorum I, c. 50.* Terminus cum capite radiato vel Solis terminus, vel statua alicujus Sancti probabilius dicetur, quam follis: ecquid enim hydraulicæ machinæ, cui ventum aquæ ministrant, cum follibus? Sallustii nummus vultum Crispi barbatum typo prorsus absurdo exprimit, tristi morientium literarum indicio: aversa ejus pars adeo quidem abstrusa est, ut *Patinus*, qui ipsum olim possidebat, *explicare hunc, quam emisse durius esse*, fassus sit, Thes. numism. Ill. *Mauroceni pag. 89*, quo loco similem prorsus Crispi effigiem barbaram in contorniato sistit cum aversa, in qua SOL ORIENS in quadriga veluti triumphans cernitur. Minus hic ausim ego, quam in superioribus. Quodsi tamen libere profitendum sit, quid suspicer, vix puto, quidquam hujus nummi ad Petronium Maximum spectare. Neque enim ulla, præterquam ex nomine Petronii, conjectura est, ea ætate cusum fuisse, nec aliquid isti viro Consulari aptum ex epigraphe possis exsculpere, nisi *Havercampianam* explicationem velis amplecti & Imperatori, eximium munus, organon hydraulicon, acceptanti, affingere verba: PETRONI PLACEAS, quasi dicat: *Jucundus mihi sis, meritoque placeas, Petroni, muneris oblati nomine*: Du magst mir ein Ehren-Mann seyn 2c. Bellulam, bellatulam

TAB. II. Fig. 4.

tulam inventionem! Mihi videtur inſcriptio hæc plane ſimilis eſſe illis: URSE VINCAS, EUTYMI VINCAS, quæ in Conſtantini M. & in Honorii contorniatis leguntur: & credo, fuiſſe Athletam quendam nobilem, nomine Petronium, quem voto & gratulatione proſequitur nummus, ut propter obtentam victoriam & in præſens & in poſterum placeat. Quicquid illud rei eſt, quod figura media tenet, id autumo præmium eſſe, victori deſtinatum, atque tibicinem Circenſem adſtare laudes honorati ebuccinaturum, quem etiam in Trajani nummo agnoſco velut gratulantem Athletæ, qui ibi nudus laurea palmaque nobili geſtiens, ſeque magnifice efferens, comitatus alia perſona togata, plane ut in Salluſtiano nummo, exprimitur. (Vid. apud *Havercampum* in *addendis pag.* 142 indigna ſatis ejus interpretatio.) Verum temperandum eſt ingenio calamoque, ne, dum ad duas annoto, tertia de contorniatis diſſertatio evadat, cui certe non ſpicilegium, ſed meſſem relictam ſentio. Permulta enim elegantia & interpretem provocantia ejus generis numiſmata *Patinus* protulit in Theſauro Numiſm. Ill. *Mauroceni*, quorum ibi parca illuſtratione & brevi perſunctus eſt, quem librum certe *Havercampus* non inſpexit. Et quam præſtantes eosque numero haud paucos conturniatos aſſervat Sereniſſimi Ducis Saxo-Gothani FRIDERICI I nummophilacium incomparabile! quos theſauros auſpiciis Sapientiſſimi Principis ſibi recludendos incredibili aviditate pridem exoptat orbis literatus. Ceterum de origine & uſu numiſmatum contorniatorum eorumque forma diverſa mallem dicta eſſe a Cl. *Havercampo*, non vulgaria iſta, ſed propiora magisque luculenta, qualia *Patinus* paſſim annotavit, quæque ſtimulum addunt, ut ipſi fortaſſis aliquando periclitemur ingenii vires, ſi Deus ad hæc magis otia fecerit.

RICHARDI MEAD, MED. DOCT. COLL. Medicorum Londin. & Reg. Societ. Socii, Oratio Anniverſaria Harvejana. Adjecta eſt Differt. de Nummis a Smyrnæis in Medicorum honorem percuſſis.

Ex

(Lugduni Batav.) ex officina Boutesteiniana, 1725, 8 maj. Pl. 5½ 3 tabb. æneis.

UT pietate, qua erga bene quondam de se meritos sese teneri senserat Londinense Medicorum Collegium, rite defungeretur Autor Celeberrimus, aptius nullum poterat invenire dicendi argumentum, quam si artis ejus, quam favore atque munificentia illi sua dignam censuerant, honores, per omnem terrarum orbem certatim exhibitos, anniversaria commemoraret oratione. Neque vero difficile esse poterat maxime conspicua de amplissimis arti medicæ plurimas apud gentes ex merito tributis honoribus deprehendere testimonia. Quod enim altius apud Ægyptios conscendere potuit fastigium, cum ne Reges quidem ipsi medicinam facere, infra dignitatem suam existimaverint? Quanta vero apud Græcos ejus fuerit reverentia, præter illam Atheniensium legem, qua, ne quis servus neve qua fœmina medicinam disceret, cautum fuerat, florentissimæ Medicorum scholæ, quas inter Rhodia, Crotoniensis, Cnidia, Smyrnæa & Coa imprimis, ab Hippocrate, qui ex eadem prodiit, præ ceteris nobilitata, eminent, poterunt evincere.

Neque nullius argumentum est momenti solicitum Medicorum per nummos in eorum honorem cusos memoriam conservandi studium, quod nummus æque ex Regis Galliarum thesauro depromptus, & in fronte libelli conspicuus, Divi senis imagine a Cois signatus, ac Smyrnæenses potissimum nummi, magno in Dissert. adjecta studio Medicis ab Autore vindicati, testantur. Sed elatos tantis honorum monumentis animos facile retundere posse videbatur insignis adeo Medicinæ Romanam apud gentem contemptus, ut mancipiis illam exercendam reliquerint. Quam tamen malevolorum fabulam ita confutat, ut & parum arti salutari, si a gente bellicosa & rudi serius exculta fuerit, dedecoris attulisse ostendat, & prolata ab adversariis argumenta robore suo destitui evincat. Fatetur equidem, inter multos, qui illo tempore e Græcia Romam quæstus causa transmigrabant, nonnullos fortuna & ingenio tenues, quo facilius, quæ obstare solent peregrinis, superarent, in Patrum se clientelam contulisse, & quamvis manu potius quam medicamentis curarent,

rent, Medici nihilominus nomine assumto, donec civitatem assequerentur, servos egisse; unde postea hanc, quod servis tantum & libertis relicta sit ars salutaris, fabulam contexendi ansam nonnulli arripuerint. Quorum in censum Autor quoque Musam Augusti Medicum præter meritum forte refert, cum & facta ejus & honores, quibus a Principe, Senatu & plebe non ipse modo, sed propter ipsum reliqui omnes Medici mactati sunt, alia quæque de ejusdem indole & conditione suadere videantur. At vero Romanos quoque illam sectatos esse, Cassiorum, Calpetanorum, Arruntiorum, Albutiorum & imprimis Rubriorum exemplo docet, quorum in nummis anguem, Deæ Salutis signum, monumentum, ut videtur Autori, familiæ sibi Medicinæ laudem vindicantis, conspicimus, quod Patinum & Vaillant, inter alias hujus signi causas longius petitas, non advertisse miratur. A Romanis ad Arabes defertur, quos apud solos fere, inter fœdam reliquarum gentium barbariem, ut ceterarum, ita hujus quoque artis scientia permansit, tanti ab illis habita, ut consiliarii, imo affines Regum essent Medici, & quindecies centena millia drachmarum, docente MS. Arab. Osaibeæ de vitis Medicorum, Imperatoris Medico annuo stipendio fuerint. Ad recentiora, quibus litteræ & studia efflorescere denuo per Europam cœpere, tempora dum oratione sua properat, multis equidem in terris varios artem medicam honores obtinuisse, varia itidem Collegia ejus promovisse incrementa, largitur; nusquam tamen honoratiorem, quam apud Anglos, extitisse, nullumque Collegium (quorum ipse tamen verborum invidiam deprecatur) Virorum ingenio & doctrina excellentium Londinensi Medicorum Collegio fuisse feracius, arbitratur. Inde cujus rei causa hæc præfatus erat, in Harveji & reliquorum, quibus fundum, privilegia & reditus suos debent, laudes exsurgit, posterisque illorum munificientiam, & pro conservanda Collegii gloria curam imitandam commendat. Ne vero gratis in oratione sua asseruisse videatur Cl. Autor, nummos quondam in honorem Medicorum esse percussos, in adjecta Dissert. varios Smyrnæ circa Æsculapii templum erutos, & secum a Rev. Edmundo Chishull, qui eosdem ad Medicos spectare statim suspicatus fuerat, communicatos

nicatos exhibet, & cum hactenus, si qui forte illis similes in rei nummariæ peritorum manus inciderint, expressa in illis nomina magistratuum, quod Smyrnæ pariter ac aliis in Græciæ civitatibus non infrequens erat, esse existimaverint, non infelici illos conatu Medicis vindicat. Primus illorum in adversa area, caput muliebre laureatum sistit, quod, rejecta aliorum, Apollinem hic agnoscentium, sententia, Hygiæ Æsculapii filiæ caput Autori esse videtur. Etsi enim non male Apollo, & ipse Medicinæ Deus, ad vindicandos hos Medicis nummos, inserviret, huic tamen sententiæ & lauream, qua non Medicus sed Musagetes Apollo ornabatur, & caput imprimis muliebre obstare censet. Nunquam enim muliebrem Apollinem a quoquam Poetarum esse descriptum, meminit, licet non raro lyram tractanti muliebris habitus tribuatur. Rejicit igitur illud antiquariorum figmentum, quo Apollinem semper juvenem pro Apolline muliebri, aut caput ignotum pro Apollineo venditant, & Hygiæ caput esse eo magis sibi persuadet, quod Æsculapio, cum quo communem illa Smyrnæ cultum nacta erat, juncta est. Siquidem aversa area: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΖΕΥΞΙΣ: quod Medici Herophilei Smyrnæ degentis nomen interpretatur, inscripta, simulacrum Jovis Æsculapii, sedentis, caput strophio revincti, palliati, smilam, seu gladiolum chirurgicum, manu sinistra tenentis, dextram labio admoventis conspicitur. Cujus a dextro latere baculi protensi apex, ante pectus astrum eminet. Eadem & reliqui eum nummi figura exhibent, præterquam quod astrum, in hoc Zeuxidis, Iatrodori item & Athenagoræ nummis conspicuum, in Hicesii, Metrodori & omnibus, quos nactus est, Erasistrateorum nummis deficiat; unde peculiare Herophileæ forsan scholæ signum hoc fuisse astrum suspicatur. In aliis, iidem caput muliebre, altera vero ex parte Isidis sacra, palmæ scil. ramus, & ex cavo ære manus sinistra deformata, porrecta palmula comparent. Tertium denique genus nummorum in adversa caput turritum matris Deorum Sipylenæ, tutelaris Smyrnæorum Numinis, & in aversa simulacrum Reginæ Isidis, ejusdem cum Æsculapio in arte medica peritiæ, exhibet. Hos itaque nummos a sacerdotibus Æsculapii & Isidis iisdemque urbis Medicis, finitis horum numinum ludis solemnibus, cusos, suisque

TAB. II. Fig. 8.

Fig. 9.

Fig. 10.

isque nominibus, ad conſervandam dignitatis ſuæ memoriam, ſignatos eſſe, ex Deorum, Medicinæ præſidum, ſimulacris & inſignibus arguit. Horum denique ectypis varios ad Æſculapium, Hygiam, Teleſphorum & Apollinem Medicum ſpectantes, qui ulla ratione uberiorem ſuis lucem fœnerari poterant, adjecit, & in notis multifario antiquitatis apparatu refertis uberius explicavit.

JOHANNIS MARCKII FASCICULUS DISſertationum philologico-exegeticarum ad ſelectos textus Veteris Teſtamenti.

Lugduni Batavorum, apud Abr. Kallewier, 1725, 4. Alph. 5 plag. 3.

QUi quamplurimas jam emiſit Diſſertationes exegeticas, certa collectas in Volumina, quorum ultimum A. 1721 p. 237 recenſuimus, is, nonniſi una cum corpore depoſiturus interpretandi ſacri codicis ſtudium, novum earum volumen nunc inſerit bibliothecis Theologorum. More ſuo etiam hic exhibet Diſputationes viginti quinque, quarum *prima*, ad *Geneſ. XI*, veterem *de confuſione labii Babelica* ſententiam ſtrenue tuetur, diverſumque ſentientes, Clericum, Heideggerum, Perizonium, Hardtium, & Vitringam refellit, ac potiſſimum Vitringæ dicta rigidum vocat ſub examen. *Secunda*, ad *Geneſ. XIX, 24, 25*, *de excidio Sodomæ* diſſerit, totamque hiſtoriam doctiſſimo commentario perſequens, illud tamen præcipue agit, ut uxoris Loti metamorphoſin vindicet ab exceptionibus Clerici atque Hardtii. *Tertia*, ad *Numer. XIX*, legem de aquis luſtrationis, ſimulque totum illud Moſis caput, ſumma induſtria illuſtrat, ac refutata Spenceri de origine iſtius legis conjectura, copioſam exhibet interpretationem hujus divini inſtituti typicam, ad Chriſtum Spiritumque Sanctum applicans univerſa. *Quarta* Hierichuntis captæ hiſtoriam ex *Joſuæ VI* exponit Cl. Autor, eaque occaſione cum Pontificios notat, petentes inde præſidium ſuperſtitioſis ſuis proceſſionibus, tum etiam Vitringam, cujus collationem viſionis Apocalypticæ cum hac Hierichuntis captæ hiſtoria fundamento carere oſtendit. Simul generatim monet, ſe prorſus diſſentire ab iis, qui

p. 170.

qui historias veteris Testamenti ita interpretantur, ut designent ex fata Ecclesiæ Novi Testamenti. *Quinta* totam *Simsonis* historiam persequitur, miraculaque ibi occurrentia tuetur contra audaciores quorundam conjecturas. Adjicit, quo sensu Simson haberi possit pro typo Messiæ, improbans tamen Vitringæ opinionem, qui longis ambagibus Simsonem fecerat typum Pauli Apostoli. *Sexta*, ex *1 Sam. II*, canticum Hannæ illustratur, iique, qui id ad fata ecclesiæ Novi Testamenti repræsentanda trahunt, erroris convincuntur aliquot argumentis. *Septima*, ex *2 Sam. VII*, promissio Davidi per Nathanem facta uberius exponitur, &, quomodo ea ad Messiam spectet, disputatur haud perfunctorie. *Octava* ultima Davidis verba *2 Sam. XXIII* lucem accipiunt. *Nona* ex *2 Sam. XXIII, 15*, Davidis votum pertractatur de bibendis aquis de puteo Bethlehemi, rejectisque mysticis multorum interpretationibus, censetur, votum illud Davidis non omnino carere peccato. *Decima* exhibetur totius *Psalmi XLI* analysis exegetica, cumque pulchre omnia, quæ hic dicuntur, in Davidem conveniant, statuitur, non totum hunc Psalmum de Messia agere, sed illam ejus partem, quæ *Johan. XIII, 18* inde adducitur, applicari ad Messiam, cujus quippe typus fuerit Rex sanctissimus. *Undecima* totus *Psalmus LXXXIX* eadem pertractatur methodo, & *duodecima Psalmus XXXII*. *Dissertatione XIII* analysis exhibetur exegetica *Jesaiæ IV, 2-6*, in cujus *Cap. VI, 1-7* commentarius proponitur *Diss. XIV*. Ac hic quidem de *Seraphim* luculenter disseritur, relatisque iis inter angelos, cum eorum sententia rejicitur, qui per Seraphim intelligunt Spiritum Sanctum, tum ii refelluntur, qui crediderunt, Apostolos aliosve Novi Testamenti doctores per Seraphim isto loco descriptos esse. *Diss. XV* vaticinium Jesaiæ *Cap. VII* de Immanuele ex virgine nascituro illustratur, idque in Jesu impletum esse, magna argumentorum vi contenditur. Cum vero hic potissimum Judæos habeamus antagonistas, horum objectiones copiose producuntur, nec minus studiose confutantur. *Diss. XVI* alterum Jesaiæ vaticinium, *Cap. IX, 5, 6, 7*, simili modo vindicatur a Judæorum contradictionibus. Pari industria *Diss. XVII* tractantur *Capita XI & XII* ejusdem Prophetæ, &, postquam contra Grotium demonstratum fuit, omnino de

Messiæ persona ac temporibus hic agi, mystici illi interpretes refelluntur, qui isto vaticinio exhiberi putant fata distincta successivorum temporum Novi Testamenti, quibus ducem se præbuit Coccejus. *Diss. XVIII* totum *Caput XXV Jesaiæ* illustratur, simulque miræ Cocceji interpretationes diluuntur. *Diss. XIX* & sequentibus Capita XXVI, XXVII & XXXV tota elucidantur ejusdem Prophetæ. *Diss. XXII* Cl. Autor perlustrat ex *Jesaiæ Capite LXIII* sex priores versus, quos jam ante quinquaginta annos, quo tempore Doctoratus Theologici insignibus cohonestabatur, se publice interpretatum esse, refert. Agi hic docet de Messia, simulque diversas Grotii aliorumque complurium exegeses accurate confutat ac diluit. *Diss. XXIII* Jeremiæ vaticinium *Cap. XXIII, 5, 6* in Messiam convenire, docet: rursusque perversissimam Grotii glossam, quam vocat, conterendam suscipit. *Diss. XXIV* ad *Ezech X*, de *Cherubim* disseritur, defenditurque, eos esse Angelos, ac simul Vitringæ & Hulsii opiniones de iis subjiciuntur examini. Denique *Diss. XXV*, ad *Danielis XII, 1 & VIII, 16*, disputatur de *Michaele & Gabriele*, quorum illum esse Angelum increatum, Christum, hunc vero Angelum creatum, ostenditur erudite, labefactatis secus sentientium opinionibus.

VITRIARII INSTITUTIONUM IURIS PUblici, novis Notis a JOHANNE FRIDERICO PFEFFINGERO, Argentoratensi, Equestris Academiæ Luneb. Inspectore & Prof. Publ. illustratarum, Tomus III, Libri III Titulos priores exhibens.

Gothæ, sumptibus Jacobi Mevii (1725) 4.
Alph. $8\frac{1}{2}$.

ETsi titulus hujus Tomi, æque ac Primi, qui A. 1712, & Secundi, qui A. 1718 prodiit, annum impressionis non præferat, patet tamen e subscriptione Dedicationis ad Potentissimum M. Britanniæ Regem, GEORGIUM, eum superiori anno eo ipso tempore, quo Rex Hannoveræ commorabatur, lucem adspexisse. Cum vero de Tomo I in Supplem. Actor. Tomo VI p. III, ubi de

de instituto operis uberius diximus, actum sit, nunc de tertio dicemus, secundum Supplem. Tom. IX Sect. II reservantes. Non repetemus Dedicationis prolixæ contenta, in qua ex omni historia ea repetit, quæ unquam Anglicæ genti gloriosa exstiterunt, adductis ubique testibus idoneis, & Rege moderno cum veterum Regum optimis apte composito. Convertimur potius ad ipsum librum, quo dum Vitriariani operis Libri III Tituli priores XVIII illustrantur, Imperatoris & Regis Romanorum, Imperiique Vicariorum, Electorum, Principum ac Statuum reliquorum, nec non ex parte immediatæ per Franconiam, Sueviam & Rheni oras Nobilitatis, jura, privilegia, consuetudines, honores &c. ita exponuntur, ut imprimis in controversiis illustribus argumenta utriusque partis sincere recenseantur, diplomata integra addantur, & in rei diplomaticæ emolumentum, tituli, nomina, loquendi formulæ in iis obviæ accurate explicentur. His inseruntur subinde etiam alia data occasione, multo labore a Nostro digesta, quæ vel digito indicasse nobis suffecerit. Ita dum jura Eccle- p. 5-47.
siastica Imperatoris memorantur, de Juribus Principum Sæcularium circa sacra accurate agitur, & tum Concilia omnia ab Impp. & Regibus convocata, vel sub eorum præsidio & tutela habita, tum decreta a Magistratu politico de rebus sacris promulgata fuse recensentur. 54-74. Porro cum Vitriarius asserat, jus civitatis tribuendæ soli Imperatori competere, Noster ex omnibus sere Germaniæ Provinciis urbes producit longe plurimas, quæ a 146-164
Principibus, inconsulto Imperatore, fuere conditæ. Aliter sentit de jure nundinarum, eoque prolixum producit Imperatorum catalogum, qui diversis Germaniæ urbibus mercatus jura concessere. 167-192. De Academiis agens, quas erigendi jus penes Status, privilegiis vero, conferendi honores, comitiva Palatina Rectoribus prospiciendi, & reliquis, muniendi, penes Cæsarem esse, probat, non solum Germaniæ Academias omnes, quibus & addita a Nostro Lugdunensis Batavorum, verum & Gymnasia & 227-245.
scholas illustriores accurate describit. Acta deinde noni Electoratus pleraque inseruntur. 274-282. De fœderibus Statuum Imperii cum exteris ubi agit Noster, exempla inde ab Ottonis M. temporibus 400-433.
studiose conquisita producit longe plurima. Pariter quibus jus

 cuden-

p. 459-477. cudendæ monetæ in Imperio concessum fuerit, tum quæ vectigalia
486-508. & quibus locis instituta, quique a vectigalibus Imperatorum gratia
509-516. exempti, tum qui banno Imperii subjecti fuerint, longa exemplo-
518-552. rum serie docetur. Quæ ratione directorii inter Evangelicos inde
935-956. ab A. 1523 usque ad 1718 gesta sunt in Germania, insertis ubiq; Actis
publicis, non minus copiose traduntur: quibus succedunt, quæ de
957-970. prærogativa & munere vexilliferi, inde ab A. 1040 in Germania
1010-1027. illustri, notanda sunt. Elegans quoque est tractatio de insignibus in
sigillis maxime Regum ac Principum Germaniæ conspicuis; &
1054-1119. ubi de superioritate territoriali agitur, vastus nectitur eorum ca-
talogus, qui eam Principibus, urbibus, monasteriis solenni for-
1160-1175. mula concesserunt. Simili ratione exhibetur Catalogus eorum
1176-1193. Imperii Statuum, qui jure de non evocando, vel de non appellan-
conf. p. 670-677. do gaudent. Lectu denique jucunda sunt, quæ Cl. Autor de jure
venationum clero & laicis inde a Caroli M. temporibus usque ad
1363-1388. Sigismundi Imp. ætatem concesso collegit; ut cetera taceamus,
quæ imprimis de salis & argenti fodinis subjiciuntur.

Quodsi singularia passim obvia commemorare luberet, non deessent longe plurima. Legi merentur, quæ de Jure Stapulæ Lipsiæ nostræ concesso p. 205, de tempore, quo prænomen *Nos* Diplomatibus præfigere consuevere Proceres Germaniæ, a p. 989 ad 997, de titulo Excellentiæ p. 1006 sq. de Archivo Imperii p. 1199-1205, de Ducatis eorumque valore in Imperio p. 1228 observavit Cl. Autor. At hæc aliaque longe plura prolixius edisserere, in tanta novorum librorum copia, non licet. Ceterum restare adhuc videtur operis utilissimi Tomus unicus, quem ut pari felicitate absolvat Celeb. Autor, etiam atque etiam & vel eo nomine optamus, quod illi accessurum speramus indicem, qui in hoc quidem Tomo III, in nimiam molem excurrente, adhuc desideratur.

Schauplatz der Hebzeuge ꝛc.

hoc est:

THEATRUM MACHINARIUM, AUTORE JACOBO LEUPOLDO, Mathematico & Mechanico

nico, Potent. Regis Polon. & Elector. Saxon. Consiliario & Commissario rei metallicæ, diversarum Societatum Scientiarum Membro.

Lipsiæ, sumtibus Autoris, 1725, fol. Alph. 2 Tabb. æn. 56.

CL. Autor in hoc Volumine illas machinas delineat, quarum ad onera elevanda & deportanda usus. Præmittit versionem Germanicam Discursus eruditi, quem A. 1580 Argentorati in 4 edidit *Conradus Dasypodius*, sub titulo *Heronis Mechanici*. C. 1.
Ipsam tractationem orditur a descriptione variorum modorum, quibus cum homines, tum bruta onera ex loco uno in alterum 2.
transferre solent. Quoniam vero hic etiam usus est vulgo sic di- 3.
ctarum potentiarum mechanicarum. vectis scilicet, trochlearum, axis in peritrochio, plani inclinati atque cochleæ, breviter quoque repetit principia statica, quæ in libellis de Mechanica conscriptis vulgo traduntur, & a Nostro in Theatro Machinarum generali variis experimentis confirmata fuerunt. Progreditur inde ad cylindros eorumque usum in transvehendis one- 4.
ribus. Describit ex Vitruvio machinam *Ctesiphontis*, qua is columnas ad templum Dianæ Ephesinum adduxit. Eidem jungit machinas alias agnatas, quibus saxa prægrandia ex lapicidinis aliorsum promoventur. Agit hic etiam de curribus, & quid in eis sit emendandum, nec non qua ratione viæ publicæ reparandæ, docet: ubi etiam *Gærtnerianas* de emendandis curribus meditationes communicat, & quid sibi de iisdem videatur, candide exponit. Describit varia curruum genera diversis usibus destinata, una cum trahis, &, ultimo loco machinas *Perraltii* ex ipsius opere posthumo de pluribus machinis noviter inventis repræsentat, quibus absque frictione pondera elevantur, quartam tribus jungens ex Notis ad *Vitruvii* versionem Gallicam. Multiplicem tradit vectis usum in ponderibus loco movendis, quem Noster ob frictionis defectum commendat. A vecte progredi- 5.
tur ad suculam, cujus multus in metallifodinis usus est. Va- 6.
rias describit machinæ hujus species, & inter alia docet, quomodo saxa 700 vel 800 librarum & amplius ex lapidicina in urbem

Parisio

Parisiorum ope hujus machinæ fuere traducta, ibique in altum
elevata, ex *Perraltiana* versione *Vitruvii* Gallica. Docet etiam
ejusdem machinæ usum in navibus submersis ex fundo maris ad
ejus superficiem adducendis & tormentis submersis ex aqua edu-
C. 7. cendis. Inde ad geranium sese confert, cujus in ædificatione
ad elevanda pondera & in mercibus ex navibus onustis depor-
8. tandis multiplex describitur usus. Geranio succedit polyspastus,
qui egregium prorsus in attollendis ponderibus præstat usum,
& cujus vires juncta sucula augentur. Hactenus descriptæ m
chinæ sunt pleræque simplicis admodum constructionis,
quod subinde fulcra non adeo simplicem requirant appara ,
9. ut convenientem nanciscantur firmitatem. Sequuntur varia ma-
chinarum genera ex rotis dentatis constructa & varia virium mo-
tricium applicatione agitanda. Etsi enim omnes machinæ ita
sint comparatæ, ut ab hominibus agitari queant, constat tamen,
non unum eundemque esse modum, quo id vel manibus, vel pe-
10. dibus, vel totius corporis pondere fieri possit. Explicatur porro
cochlearum pro attollendis ponderibus maximis, sed ad exiguam
altitudinem usus, quem cum communes, tum etiam perpetuæ ex-
11. erunt. Et cum in obeliscis erigendis emineat artificium, quo usus
est *Dominicus Fontana*, obeliscum *Vaticanum* erecturus, igitur
Noster idem accurate describit, nec minus accurata delineatio-
ne illustrat. Subjungit descriptionem machinæ alterius, cujus
ope *Franciscus Cavall. Fontana* columnam *Antoninianam* A. 1705
12. Romæ erigi curavit. Varias quoque delineat machinas, quibus
homo semet ipsum ex loco humili in altum elevare, vel etiam
13. vice versa ex alto in humilem demittere valet. Addit machinam
vesicariam admodum curiosam, quæ sufficit ad 300 vel 400 li-
brarum pondus solo aeris flatu a duobus hominibus elevandum;
machinam aliam valde simplicem, qua pondus aere attollitur, em-
bolum in cylindro evacuato deprimente; machinas denique non-
14. nullas miscellas antea descriptis agnatas. Et quoniam in ponde-
ribus elevandis humana utimur opera ad machinas agitandas,
Noster colophonis loco disquirit, quantæ sint vires unius homi-
nis in ponderibus attollendis. Ait itaque, sese reperisse, hominem
robustum intervallo unius minuti absque ullius machinæ ope pon-
dus

dus 100 librarum ad 60 pedum altitudinem elevare posse. Quamobrem cum virium compendium cum temporis dispendio conjungatur, inde infert, eundem intervallo unius minuti pondus 202 librarum nonnisi ad altitudinem 30 pedum attollere valere & ita porro.

Johann Christian Schulenburgs unvorgreifflicher Vorschlag zur Vereinigung der Fest-Zeit 2c.

h. e.

JOH. CHRISTIANI SCHULENBURGII Consilium de conciliatione diversorum celebrandi Paschatis institutorum.

Francof. & Lipsiæ, apud hæredes Wolfg. Maur. Endteri, 1724, 4. Alph. 1 plag. 4, cum variis tabulis chronologicis.

AUtor doctissimus, in celebri Gymnasio Bremensi quondam juventuti instituendæ præfectus, post vero Wildeshusensis ac nunc Zuakenbrugensis Pastor & Ecclesiæ minister, tractatum hunc occasione Festi Paschalis anni 1724, diversimode a Protestantibus Germaniæ ac Pontificiis celebrati, concinnavit; ea methodo usus, ut sententiam suam brevioribus positionibus proponat, ejusdemque illustrationes atque explicationes prolixiores jungat, quibus ipsis & notæ alicubi locorum novæ & prolixæ subjectæ existunt. Atque in his quidem quamvis, interjectis satis multis digressionibus, crebrisque parenthesibus & minutissimarum quandoque circumstantiarum evolutione, multiplicem lectionem atque eruditionem non minus Mathematicam quam Rabbinicam demonstrare conatus sit; nos tamen de stylo atque methodo Autoris judicium nostrum non interponentes, omissis etiam illis, quæ cum aliis circa negotium chronologicum communia habet, brevi saltem ac nervosa recensione exhibere conabimur, quo scopus & consilium ejusdem præcipuum spectet. Exhibetur vero illud thesi VII, estque duplex atque alternativum. Primo enim suadet, loco diei variabilis atque mutabilis, quem hactenus secundum Nicænorum Patrum decreta observamus, & multis difficultatibus esse obnoxium, multisque controversiis occasionem

nem dedisse deprehendimus, certus aliquis & fixus dies nempe vel 1 vel 5 Aprilis dies (ex rationibus ibi allatis) vel aliquis alius ex iis, qui jam veteribus quibusdam placuerint, præfigatur atque determinetur celebrationi Paschalis Festi. Ad quod institutum commendandum non solum affert Protestantium quorundam Virorum celeberrimorum, & Romano-Catholici, Thomæ Pii Maphæi, consensum, verum & imprimis urget ex celeberrimi. Wideburgii Prof. Jenens. Dissertatione repetita 4 incommoda insignia, ex sola differentia meridianorum & temporis inde fluentis orta, quæ impediunt, quo minus quibusdam in casibus omnibus requisitis, quibus Nicæni Patres hujus Festi celebrationem circumscribere in animum induxerunt, satisfieri possit. Quod si vero hoc consilium non placeat, aliud subministrat: scilicet, cum prius dubitasset, utrum, cum Judæi nullum plane respectum habeant ad rationem Christianorum celebrandi Paschatis, bene faciant Christiani, ad celebrationem Paschatis Judaici respicientes; observassetque ulterius, nullo modo evitari posse, quin concurrat sæpius celebratio Festi hujus Judaico & Christiano ritu facta, quod ipsum ex intimis recessibus traditionum Judæo-Rabbinicarum circa hoc Festum observatarum probat; autor est suasorque, ut Protestantes in simili casu, qualis anno 1724 fuerat, potius Catholicis cedant, & cum protestatione quidem, se nullo modo adoptare cyclicum morem determinandi Paschatis, tamen ritu Catholicorum Pascha 8 diebus tardius, quam Astronomicæ regulæ & Canones Nicæni Concilii stricte observati permittant, celebretur: saltem ut confusiones in vita communi & Dicasteriis ex diversa celebratione dierum oriundæ hoc modo tollantur. Ostendit tamen, immerito objectum a quibusdam fuisse Protestantibus, ipsos nuperrimo elapso anno 1724 Pascha suum una cum Judæis (qui semper, cum Plenilunium horis pomeridianis contingit, non ipsum diem, quo idem observatur, sed proxime sequentem feriatum habeant) celebrasse, quoniam idem sæpissime a Gregorianis quoque factum atque imposterum fieri necesse sit, nec evitari possit, quin ipsi primarii dies feriati Judæorum & Christianorum subinde concurrant. Nisi forte & hæc regula introduci queat, ut etiam in Veneris atque Saturni diem inci-

incidente Plenilunio, Paschatis celebratio differatur in Dominicam, quæ octiduo a proxime sequenti removetur, quia Iudæi duos semper dies pro primariis festivitatis celebrandæ habeant, atque adeo, plenilunio incidente in pomeridianum tempus diei Veneris, ipsi Saturni diem sequentem & Dominicam tanquam verum Paschatis diem observent. Quod quidem Nostri consilium quomodo se Protestantium Principibus sit commendaturum, nostrum non est definire. Illud vel obiter notamus, Cl. Autorem passim nonnulla lectu non injucunda interserere, ut de anni tempore, quo mundus creatus sit (scilicet respectu nostri hemisphærii borealis) ubi Autori placet vernum; de generali Judæorum conversione ad fidem Christianam, quæ admodum probabilis & fere demonstrata ipsi creditur, & quæ sunt alia. Hoc dissimulare non possumus, præcipuum operi decus accessisse a binis epistolis Leibnitii ad doctissimum Autorem scriptis, & in fine annexis; in quibus non tantum de Arithmetica sua dyadica ejusque præstantia & usibus, sed & de aliis physicis, de natura substantiæ, temporis, spatii, item motu elegantissime more suo philosophatur.

Anatomische Tabellen rc.

hoc est,

TABULÆ ANATOMICÆ CUM ANNOTAtionibus & Figuris æri incisis, in usum tyronum Anatomiæ editæ a IOHANNE ADAMO KULMUS, Med. Doct. ejusd. & Phys. Prof. Publ. Ord. ac Imper. Acad. Nat. Cur. Sodalis.

Gedani, apud Cornelium von Berghem, 1725, 4.
Plag. 12 Tabb. æn. 10.

CL. Autor in usum auditorum suorum A. 1722 edidit Compendium Anatomicum, in quo omnem corporis humani anatomiam in 28 tabulas succinctas digessit, ut diffusum hoc studium magno memoriæ subsidio tractari, brevique temporis spatio idea structuræ corporis humani distincta &, quantum ha-

ctenus datur, adæquata acquiri possit. Scripsit idiomate patrio, ut Chirurgorum quoque usui esse possit. Quamobrem cum multo applausu fuerit exceptum Manuale Anatomicum adeo utile, ut intra triennium altera editione fuerit opus; in usum potissimum Chirurgorum exterorum annotationes addidit, quibus ea explicantur, quæ in Tabulis brevitatis gratia omitti debuere. Præmisit non modo recensionem celebrium in re anatomica scriptorum; verum etiam inventores passim laudat & eorum scripta citat. Tabulæ, quæ nonnisi tribus plagulis constant, una cum titulo libri ac præfatione, charta augusta sunt excusæ; annotationes autem ordinaria, ut nonnisi octo columnæ plagulam adimpleant. In Tabulis æneis operam dedit, ut omnia probe distingui possint, servata similitudine cum suo prototypo. *Verheyeni* Anatomiam tyronum captui parum respondere existimat ob prolixitatem; Cel. *Heisteri* compendium vero ob figurarum defectum. Cl. Autor non modo prolixitati & figurarum defectui mederi studuit, verum etiam Tabulas suas ea ratione adornavit, ut formandis notionibus distinctis singularum partium corporis humani atque totius corporis ex iisdem compositi optime inserviant.

DESCRIPTIO ANATOMICA PHYSIOLOGICA alicujus fœtus monstrosi; cui adjicitur observatio viri cujusdam aqua suffocati; quorum cadaverum singulas partes præternaturaliter constitutas debito modo exponit atque ulteriori eruditorum disquisitioni submittit IOANNES ADAMUS KULMUS, Med. Doct. atque Imperial. Acad. Nat. Curios. Sodalis.

Gedani, typis Viduæ B. Ioh. Danielis Stollii, 1724, 4.
Plag. 6½ Tabb. æn. 3.

MOnstrorum descriptiones anatomicæ multam lucem affundere possunt doctrinæ physiologicæ arduæ ac difficillimæ de generatione hominis. Quamobrem optandum foret, ut tot

tot proſtarent, quot paſſim monſtrorum quoad formam externam deſcriptiones occurrunt. Utilitatis hujus non ignarus Cl. *Kulmuſius*, Medicus Gedanenſis, Anatomicus induſtrius, nuper ad Profeſſionem Medicam & Phyſicam in Athenæo Gedanenſi admotus, cum anno 1724 d. 15 Febr. obſtetrix quædam in ſuburbio Gedanenſi monſtrum bicorporeum ſexus fœminini ex matre mortua reſecuiſſet, a Magnifico Præconſule Dn. *Ioanne Godofredo a Dieſſeldorf* obtinuit, ut idem cultro anatomico ſubjicere liceret. Erat iſtud ſimplicibus ſecundinis obvolutum & ab humeris umbilicotenus invicem coalitum, ab umbilici autem termino utriusque gemelli abdomen usque ad pubem diſtinguebatur ſeparatum. Capita erant duo, quatuor brachia, totidemque pedes, & locis conſuetis duo ani geminaque genitalia muliebria appoſita. Singulæ partes optime erant efformatæ & magnitudo binas natas 4 vel 5 menſes adultas mentiebatur. Criſpi capilli, colore fuſci, prolixi pollicem latum multo excedebant. Alterum caput collo perquam flaccido nectebatur & proprio pondere facile ad humerum ſiniſtrum reclinabat. Cuticula in variis corporis & artuum regionibus admodum erat dilacerata. Duæ in utroque monſtri latere mammillarum papillulæ, in uno remotiores a ſe invicem, in altero ſibi propinquiores, ut duo gemellorum corpora ſibi mutuo prope pectora coaluiſſe viderentur. Aperto abdomine in conſpectum prodibant vaſa umbilicalia ſimplicia, at inſignia: vena umbilicalis, ubi ſinum formaverat amplum, convenienter ab umbilico ad hepatis fiſſuram mediam excurrebat, geminis ad latera arteriis ſtipata: urachi gemini clauſi binis veſicis urinariis & duæ arteriæ umbilicales ramis iliacis utriusque individui vicinis jungebantur juſto loco ad veſicarum latera interna, ita, ut dextra arteria ex iliaca ſiniſtra & ſiniſtra ex iliaca dextra emanaret. Hepar erat unicum, quantitate tamen continua duorum disjunctorum molem reſarciens. Veſicnlas felleas duas ſeparatas & duas pariter recepit venas in ſinum ſuum hac vice duplicatum, qui *Porta* appellatur. Duplices hæ venæ portæ unicam ſaltem formabant ſinuoſam cavitatem in hepate variis ramis ſubſtantiæ hepatis annexam, cujus bini ductus venoſi ſangui-

guinem ex vena umbilicali allatum duabus venis cavis infundebant: his transitum concedebat hepar, unicuique in quolibet latere, quibus æque ac tribus ligamentis suspensoriis diaphragmati alligabatur, uno anteriori ordinario, reliquis duobus lateralibus peculiaribus. Ligamentum ordinarium ab umbilico exortum usque ad ultimum ventris terminum excurrebat & septum quoddam unicuique abdomini intermedium constituebat, quo cuncta eorum viscera suo limite coercerentur. Ventriculi erant duo, sed admodum parvi, quorum œsophagi justo longiores utrumque hepatis latus sub diaphragmate ambibant parum reflexi. Duplicia quoque intestina, septo ligamenti hepatis intermedio separata. Tenuia juxta ac crassa mesenteriis suis propriis annectebantur, quorum diametrum diversam appendix vermiformis debito loco distinguebat. Reliqua abdominum viscera pariter duplicia debito loco, situ & figura conspiciebantur. Simplex saltem observabatur diaphragma satis robustum, utrumque abdomen a thorace dirimens. Ambitus ejus quaquaversum musculosus utriusque puellæ costis spuriis adhærebat, centrum vero tendinosum hepar sustentabat ea parte, qua abdomen respiciebat; altera, quæ thoracem spectabat, pericardio juncta, mediantibus quatuor tendinibus lumborum vertebris annectebatur, per quorum divaricationes transitus patebat duabus in primis arteriis aortis; uterque œsophagus & ambæ venæ cavæ quatuor in locis septum hoc transversum perforabant. Receptaculorum chyli, ductuum thoracis aliorumque vasorum chyliferorum vestigium sollicite perscrutanti patebat nullum. Cor erat unicum, latum ac depressum, vasculis coronariis ornatum & valido pericardio inclusum. Quatuor adjectæ erant auriculæ: superius post cordis basin duarum eminebant auricularum apices; reliquæ duæ in aversa cordis parte conspiciebantur integræ, quarum dextra etiam in anteriori parte sub venæ cavæ dextræ trunco parum prominebat. Vasa cordis communia pariter duplicia. Duæ arteriæ magnæ ad cordis latera & utriusque puellæ spinam dorsi reflexæ; duæ venæ cavæ sub cordis utroque latere prorepentes sese occultabant; duæ arteriæ pulmonales, binis aortis per canales arteriosos junctæ, tot-

totidemque venæ hujus nominis sub venarum cavarum truncis superioribus ad pulmonum substantiam lateraliter incurvatæ glandulis thymi arcto nexu adhærebant. In corde transversim dissecto reperiebantur duo septa intermedia, longo intervallo a se invicem dissita. Dextrum erat integrum; sinistrum vero uno amplo foramine ovali, quod pennam anserinam majorem facile admittebat, pervium. Tres distinguebant ventriculos. In dextrum hiabat uno foramine vena cava dextra, alterum orificium dabat principium arteriæ pulmonali dextræ. In medio ventriculo erat egressus aortæ dextræ & sinistræ una cum insertione venæ cavæ dextræ & sinistræ. Ex tertio denique nonnisi arteria pulmonalis sinistra egrediebatur. Utraque vena pulmonalis tantum in auriculas superiores hiabat, et hæ rursus in inferiores. Utraque aorta ac vena cava ad monstri utramque partem sursum ac deorsum solitis ramificationibus extendebatur. Mediastinum quadruplici constabat membrana, quarum duæ breviores, ast validiores, cor cum incurvato sterno in anteriori & posteriori corporis parte nectebant; reliquæ duæ latiores idem viscus spinis dorsorum alligabant & utrosque pulmones in duas partes æquales dividebant, ita ut anteriores solummodo in primum conspectum venirent, posterioribus sub mediastinis prædictis lateralibus occultatis. Utrique pulmones in 6 lobos minores justo profundius fissos dividebantur, quorum portiunculæ abscissæ in aqua subito fundum petebant. Duæ erant glandulæ thymi insignes, duæ tracheæ. Cerebrorum partes optime erant formatæ. Plurimi musculi naturaliter erant conformati, in utroque autem abdomine deficiebant omnino musculi recti, pyramidales & ipsa linea alba, tam antrorsum, quam retrorsum, quorum tamen vicibus fungebatur novus quidam musculus triangularis, reliquorum trium abdominis musculorum tendinibus ab umbilico ad ossa pubis firmiter annexus: in collo musculi sternohyoidei ac sternothyroidei aliam sortiebantur insertionem, non in utroque, ut assolent, sed in uno saltem sterni latere proxime ad claviculas proprias. Denique musculus digitorum pedis flexor profundus nullibi perforabat sublimem, quales tamen perforationes in flexoribus manuum com-

completæ videbantur. Sternum maxime erat difforme, in continua ſerie ad utrumque latus incurvatum. Tota fere ejus ſubſtantia adhuc cartilaginea continebat quinque oſſicula; 4 in parte anteriori, unicum in poſteriori. In omnibus cranii ſuturis plura quam 30 oſſicula triquetra reperiebantur, & in oſſe frontis diviſo ac oſſibus ſincipitis atque occipitis fibroſæ ſtriæ radiorum inſtar quaquaverſum excurrentes. Ceterum notatu dignum, quod in lingua ductum ſalivalem novum a Cl. *Vatero* inventum perquiſiturus Autor, incidit in ductum ſalivalem, quem eodem die 18 Febr. quo primum cultrum anatomicum monſtro admovit, peculiari ſcripto Halæ publicavit Cl. *Coſchwitz*, cum aliqua tamen differentia. Abſoluta deſcriptione anatomica exacta, Noſter digreditur ad diſquiſitionem phyſiologicam de generatione hujus monſtri; ſed nonniſi in conjecturis acquieſcit, quas nemini obtrudit. Diſſerit deinde de ejusdem nutritione & circulatione ſanguinis, tandemque de vita ipſius. Miſſis iſtis annotamus memoratu digna, quæ in altera obſervatione de viro quodam aqua ſuffocato occurrunt.

Ventriculus erat omnino flaccidus & clauſus, ſpiritum vini aduſtum vilioris notæ paulo ante mortem hauſtum redolens. Apertus pauciſſimum tantum liquoris reddebat. Aperto thorace pulmones aere quidem, aſt nulla plane aqua diſtendebantur, contra vulgarem ſententiam. Cor erat prægrande, inferius depreſſum, non coni- ſed cunei-forme, cordibus phocarum ſimile: aortæ diameter duplo major quam alterius hominis, craſſitie ſua venam cavam facile ſuperans. In ventriculo cordis ſiniſtro ſub valvulis venæ pulmonalis infixus erat ſubſtantiæ carnoſæ calculus, transverſum pollicem longus hujusque quartam partem latus. In capite ſinus frontalis unicus & cranii oſſa craſſisſima, adeo ut cavitas cerebri vix libram unam & ſemis caperet, quam alias 4 libras capere deprehendit. Suturæ cranii fere obliteratæ videbantur & in bregmate juxta ſuturam ſagittalem multa foraminula ſuturarum vices gerebant. Cerebri ſubſtantia molliſſima a ſero ibidem copioſo ſtagnante fere diffluebat: in anterioribus ventriculis videbantur ſtriatorum corporum tractus, juſto craſſiores, minus tamen diſtincti; in tertio ven-

ventriculo primo adſpectu glandula pinealis nulla, neque nates, nec teſtes reperiebantur, ſed craſſa ſaltem membrana per ventriculi fundum extenſa, ſub qua glandula iſta latebat, verum tam exiguæ molis, ut quartam juſtæ dimenſionis partem haud æquaret. Vulva erat ampliſſima, pari membrana obducta. Nates & teſtes nec ſub membrana occurrebant. In utraque oculorum orbita duplex cernebatur muſculus trochlearis diverſi principii per duplicatam trochleam; duplex quoque muſculus Zygomaticus, geminus muſculus patientiæ, ratione inſertionis & magnitudinis diſtinctus, & peculiaris quidam novus inter muſculum ſplenium & complexum, capite gracilis, ventre largus, longo autem tendine duplicato primis vertebrarum dorſi ſpinis infixus. Ramus quidam venarum lumbarium ſiniſtræ venæ ſpermaticæ ſeſe aſſociabat, quod nullibi adhuc ſe legiſſe, obſervat Autor. Sterni medium largo foramine erat perfoſſum, cum duplice cartilagine enſiformi; tres ultimæ coſtæ ſpuriæ cujusvis lateris in abdominis muſculis relictæ; cuncti ſuperiores dentes molares deficiebant, nullo veſtigio apparente, quod adfuerint; proceſſus pterygoideus ſiniſtri lateris internus ſtyloidis in modum prominebat; bina erant oſſa ſeſamoïdea in ultimo pollicis pedum articulo atque exiguum aliquod in carpi oſſe cotyloide.

LETTRES DE MR. DE ST. ANDRE A QUELques uns de ſes Amis au ſujet dela Magie, des Malefices & des Sorciers.

h. e.

DN. DE S. ANDREA, CONSILIARII ET Medici Ordinarii Regii, Epiſtolæ ad amicos quosdam datæ, de Magia, Maleficiis & Incantatoribus.

Lutetiæ Pariſiorum, apud Robert-Marc Deſpilly, 1725, 12. plag. 19.

UT præſentes literas publici juris faceret Clariſſ. Autor, non ſolum ſuaſerunt amici, ad quos exaratæ ſunt, ſed & ipſe

ipſe neceſſarium judicavit; ſiquidem ex his homines, qui prompte nimis diabolo adſcribunt, ſi quid contingere videant, cujus cauſam pro intellectus imbecillitate aſſequi non valent, meliora edoceri, & perſonæ Eccleſiaſticæ pariter ac Judices, & Medici diſcere poſſunt, ut data occaſione ſeſe gerere debeant. Religioni etiam intereſſe putat, erroribus popularibus ſeſe opponere in rebus, quæ eam eſſentialiter concernunt, & tacite ad ſuperſtitionem, impietatem, vel idololatriam ducunt. Divinitati enim inſultari, ſi diabolo concedatur abſolutum imperium in elementa, vel tempeſtates pro lubitu mutandas, potentia tonitrua excitandi, terræ motus, inundationes, incendia patrandi, fruges corrumpendi, homines æque ac animalia interficiendi, regna evertendi, quæ omnia non niſi Deo tribuenda. Ad idololatriam populo viam aperiri, ſi præ metu, quo percutiuntur, cultu intelligentias has venerentur, qui ipſis non competit. Religioni vim inferri, ſi dicantur incantatores in conventibus ſuis ſabbathicis cacodæmonem adorare, ſacrum chriſma & baptismum ejurare, ac Ieſu Chriſto ipſiusque eccleſiæ renuntiare. Naturæ etiam angelorum contrariari, ſi usque adeo deprimatur diabolus, ut jumenti loco inſerviat maleficis, pro vehendis illis per aera, ex una provincia in alteram, ſuper maria tranſportandis, ut ſervorum inſtar mandatis mancipiorum ſuorum ſint obedientes, resque ineptas & viliſſimas quandoque peragant. In his igitur Epiſtolis, quarum XII numerantur, inquirit in cauſas effectuum extraordinariorum; demonſtratque, nihil ſæpe commercii ipſis intercedere cum cacodæmone, & omnia, quæ huic adſcribuntur, eſſe vel naturalia, vel ficta, niſi in veteri aut novo Teſtamento aſſerta, & per eccleſiam confirmata fuerint. Expoſita itaque Magiæ veteris ſeu ſapientiæ differentia & magiæ illicitæ, in ſpecie agit de pacto, conjuratione, maleficiis per figuras cereas, philtra, ligaturas, injecta, de obſeſſionibus, incubis, ſuccubis, modo detegendi autores maleficos, de conventibus ſabbaticis, aliisque, & in his omnibus diabolum non concurrere, ſed dependere effectus vel ab arte, vel a natura; ſubeſſe ignorantiam, vel præconceptam opinionem; concurrere caſum, & imaginationem tam incantatoris, quam incan-

incantati, tradit. Ut ex tanta farragine unicum tantum exemplum allegemus, figuras cereas frequentius adhiberi dicit a maleficis, hominibus noxam illaturis, & plenos esse Poetarum & Historicorum libros talismodi relationibus. Allegat ex Hectoris Boethi Historia Scotiæ Duffum, Regem, qui incognito morbo affectus, febre lenta detentus, sudoribus emaciatus & tantum non moribundus visus fuit, refertque, binas fœminas maleficii suspectas & carceri traditas, crimen fassas, sepositisque figuris, quibus illæ abusæ erant, in loco temperato, Regem a sudoribus liberum, sensim refocillatum, & ex orci faucibus ereptum fuisse. Provocat insimul ad Campanellam, qui dolores acutos hominibus concitari posse, pro certo habet, per easdem ceremonias & imprecationes circa certa vegetabilia & animalia factas, quæ cum figuris cereis fieri solent. Existimat autem Clariss. Autor, effectus, qui verbis, characteribus, & ceremoniis maleficorum adscribuntur, supponi tantum, non vero revera tales esse, alias nullum hominem de vita securum, & si qui alii, certe Principes, eorumque Ministros & Judices vindictæ expositos esse illorum, quibus favere vel nollent vel non possent. Historiam Duffi, Regis Scotiæ, apocrypham videri, utpote quam Boethus vel ex communi rumore recensuerit, vel ex documentis, parum fidei merentibus, probaverit; nullumque præter eum alium extitisse autorem, qui ejus mentionem fecerit; immo eum sibimet ipsi contrariari; si enim fœminæ illæ Regem occidendi animum habuissent, imaginem igni potius commisissent, quam permisissent, ut a magistratu tolleretur: nec Campanellam ipsum credere, effectum semper intentioni respondere. Posito autem, noxas inferri hominibus tali modo a maleficis, diabolum tamen ad hunc actum concurrere, negat, & sequenti potius modo rem succedere posse, credit. Spiritus, inquit, qui exhalant ex corpore incantatoris eo tempore, quo nocere homini intendit, a phantasia circa ideam interimendi hominem & vindictæ cupiditatem occupata, adeo maligni & deleterii evadunt, ut propter turbas in sanguine, spiritibus & humoribus motas & propter actionem suam efficacem, quam in partibus, quibus adhærent, nobilibus exerunt, morti trade-

re queant homines. Exhalationes enim hæ cum effluviis a cera prodeuntibus & ab igne calefactis unitæ si ad hominem perveniunt, dolores & cruciatus excitant, plus minus atroces, quo propius adstat vel remotior est homo ab incantatore, quo deteriores sunt vapores vel benigniores exhalantes, vel quo majori minorive præditus est sensibilitate æger. Imaginatio etiam ipsius ægri sæpe multum operatur circa hoc negotium, qui, quando semel incantatum se esse credit, raro hanc deponit opinionem, nec vel validissimis remediis curari potest. Ex quibus concludit, omnia naturaliter & sine ope diaboli procedere.

JO FRID. WUCHERER, PHYS. DOGM. IN Acad. Jen. P. P. Institutiones Philosophiæ Naturalis eclecticæ.

Jenæ, litteris & impensis Christ. Fr. Buchii, 1725, 8. Alphab. 1

EDidit iam ante aliquot annos Compendium Philosophiæ naturalis Clarissimus Autor, quod *Delineationem Physicæ divinæ* inscripsit. Sed tum quidem in Parte generali substitit. Nunc pro Parte speciali novum plane Tractatum in lucem emisit, quo *Philosophiæ naturalis lineas ea ratione consignatas tradit, ut vix quidquam omisisse* sibi videatur *eorum, quæ ad illius exhibendam faciem pertinere* possint. Præmissis enim principiis, ad præparandum intellectum necessariis, *Cosmologiam, Uranologiam, Geologiam, Meteorologiam, Minerologiam, Phytologiam, Zoologiam & Anthropologiam* exponit, multumque in hoc operæ a se consumtum memorat, *ut rerum a varietate, numero, viribusque commendabilium essentiam, proprietates, & quæ sunt alia, qua posset, perspicuitate declararet, multaque suppleret, quæ opinione anticipata occupati Scriptores plerique omiserunt;* quanquam circulos quidem & lineas Mathematicas plane negligit, quibus nonnulli autores replere omnia consueverunt, in iis etiam doctrinis, ubi forte carere his subtilitatibus (juxta Cl. Wuchereri sententiam) potuissent. Divisit totum tractatum in Partes duas, generalem alteram, alteram specia-

cialem. In parte generali docet, mundi machinam incomparabilem neque æternam esse, nec casui, nec viribus mechanicis originem debere, sed causæ primæ, id est, Deo; simulque monet, ipsam illam mundi productionem elementa requirere, e quibus prodierit. Elementorum horum expositionem admodum esse arduam ait; ceterum *ad monades, quas finxere recentiores*, se recipere non vult. Explicatis deinde principiis Aristotelicis, de materia, forma, & privatione, itemque mechanicis, quæ non adeo alto supercilio contemnenda judicat, de particularum figura, motu, situ, de Epicureis porro, Cartesianis, & Chemicis, ita tandem concludit: *Plures dantur hypotheses circa rerum naturalium principia; quarum recensionem uberiorem compendii nostri ratio non permittit. Sufficit, corporum naturam ita comparatam esse, prouti scopus, qui per illa obtinendus, videbatur exigere. Quilibet certe, qui recte perpendit, quæcunque velit, corpora, eorumque qualitates atque vires, non potest non videre oculis, manibusque quasi palpare, quod talis adsit corporum constructio, qualem requirit effectus, inde nexu sperandus naturali. Scopum istum ut adsequeretur creator rerum omnium corporearum, his vires quasdam & qualitates impressit, ad fines suos pertinentes. Sunt illæ generis duplicis, quædam nempe ita comparatæ, ut omnibus in universum corporibus; quædam autem, ut certæ tantum rerum creatarum speciei insint. Priores* communes, *posteriores* speciales *appellari solent.* Communes numerat Clariss. Autor *extensionem, figurabilitatem, divisibilitatem, mobilitatem, quiescibilitatem.* Hisque explicatis, ad speciales, id est, ad qualitates *tactiles, odorabiles, gustabiles, audibiles, visibiles;* tandemque etiam ad *insensiles*, sive *occultas*, progreditur. Partem specialem iterum in duas dividit sectiones doctissimus Wuchererus, quarum altera de cœlo & corporibus illius, altera de terra ejusque corporibus agit. In sectione hac secunda primo quidem loco de quatuor elementis vulgaribus differit. Etsi enim probe novit, multa in ista elementorum recensione Aristotelica reprehendi posse, nihilo tamen minus de iis agere constituit; *quod partim hæc elementa receptissima sint, partim negari nequeat, quod in multis corporibus detur aer, ignis, aqua,*

& terra. Aerem putat esse congeriem particularum elasticarum, fluidarum, spirabilium, & rararum, eundemque effluviis diversis esse refertum, gravem, & cum æthere permixtum. De *terra* ita agit, ut primo quidem geogoniam Cartesii proponat, deinde, hac rejecta, terræ rotunditatem, inæqualitatem, & motum in æthere attingat. Mox ad *aquam* progreditur, ubi de ejus proprietatibus, itemque de acidulis, de thermis, de aquis medicatis & venenatis, de putredine, cui obnoxia est aqua, de origine fontium (*ad quam & aquæ marinæ, per modum vaporum, ascensum, & aquarum pluviatilium, nivis, roris, nebularum, descensum conferre aliquid* arbitratur) de salsedine & motu maris disputat. In explananda ignis ratione formali, non subsistendum censet in materia subtili & agitatissima, sed adjiciendas cum aliis autoribus particulas sulphureas, salinas, terreas; id quod ex phænomenorum consideratione patere dicit. Ab elementis transit ad meteora; eorumque denominatione & divisione exposita, primum de vaporibus & exhalationibus generatim spectatis, deinde de meteoris aeriis, aqueis, igneis, emphaticis, disquirit. De ascensu exhalationum hæc ejus est sententia: *Solem suo calore agitare particulas aqueas, terrestres, sulphureas, diversimode inter se implicatas & in terra quasi hospitantes, easdemque a se invicem separare atque leviores reddere, ut massa aerea, sua ponderositate, evehere eas atque attollere in altum possit.* Sequuntur fossilia & metalla, deinde vegetabilia & plantæ, postremo animalia. Sub finem Clariss. Autor insignem suarum meditationum usum, in diæta litteratorum, exempli loco, ostendere conatur, allatis in eam rem regulis quibusdam atque monitis; tandemque brevi quadam applicatione ad Deum, sive ad causam primam, independentem, omnipotentem, benignum, sapientem, cultuque cum interno tum externo prosequendum, libellum suum finit. Præmisit etiam programma, quo exercitationes publice in Institutiones suas Philosophiæ naturalis habendas indicavit. In hoc programmate quæstionem tractat curiosam, *an circumspectio hominis, fulminis ictui evitando, sufficiat?* Optimum autem atque omnium tutissimum, adversus fulminis ictum, remedium hoc esse pronuntiat

pronuntiat: *Age, quæ ratio præcipit, nec metue, quæ fata expectanda jubent.* Atque hæc sufficere videntur, ut Lector intelligens statuere de usu ac valore novi hujus Compendii Physici possit.

NOVA LITERARIA.

PRodiit Venetiis titulus iste novi operis proxime prodituri: *Ludorum Scientia publico beneficio illustrata. Opus* Iohannis Rizzetti, *Eminentissimo Principi S. Rom. Eccl. Cardinali* de Polignac *&c. dicatum. Ven. ap. Aloysium Pavinum* 1725, in 4: accessit eidem titulo operis argumentum sequens: *Demonstratur in prima Parte, Fortunam in ludis jus non habere, quemadmodum a vulgo censetur; nam in illis, qui omnino fortuiti putantur, si Aleatores pari conditione colludunt, diu ludendo nil possunt inde sperare; ac si quis alterum prærogativa antecellit, diuturno ludendi exercitio certus est ille lucri, & iste damni. In illis autem qui fortuiti dicuntur ex parte, industria quoque in iisdem locum habente, quamvis Aleatores pari conditione decertent, diu decertantes afficiuntur lucro vel damno, prout majori vel minori sagacitate donantur. Quod autem curiosius est, in ludis fortuitis ars conjectandi eo perducitur, ut indubitato calculo determinetur, quid infallibiliter aleatores longa ludendi opera acquirere vel amittere possint. Et hæc omnia præcipue exhibentur in Corollariis, quæ, ut facilius inveniantur, ab antecedenti Theoria litteris majusculis distinguuntur. In secunda Parte dirimitur Controversia cum Clariss. Daniele Bernoullio habita, in qua, sublatis erroribus, Methodus conjectandi perficitur, ut de singulis ludis in specie veram ac distinctam Ideam consequamur. Desiderandum esset, ut ista Ludorum Scientia omnibus nota foret; nam publico præjudicio detecto tanta ludendi libido reprimeretur non sine bonorum conservatione, & Scientiarum emolumento, quod scopus præcipuus operis est.*

Mediolani prodiit jam Scriptorum rerum Italicarum Tomus in ordine septimus, sed numero octavus, quo Chronica maximam partem inedita, quæ ad sæc. XIII imprimis spectant,

ctant, continentur. Nec diu desiderari patientur Cl. Editores Tomos quatuor sequentes, ex MSS. Codicibus fere omnes compositos, sperantque, se non modo fidem datam liberaturos sed & exspectationem publicam superaturos. Imprimis vero gaudent, quod ad ea tempora pevenerint, in quibus major floruit Scriptorum copia, quos stylus etiam concinnior commendat.

Antverpia *Io. Bapt. Sollerius*, e Soc. Jesu, qui Autoribus Actorum Sanctorum solus nunc praeest, Epistolam Kal. Sept. superioris anni dedit ad V. C. Io. Fridericum Schannat, typis etiam impressam, in qua graviter conqueritur, quod Vir Ill. J. P. Ludevvig in Praefatione Reliquiis omnis aevi MSS. & diplom. praemissa novum sibi bellum finxerit diplomaticum inter Benedictinos & Jesuitas, & hos omnes accusaverit, quod exemplo Germonii & Harduini omni vetustati bellum indixerint, & eo consilio describere coeperint Acta Sanctorum, ut in hoc argumento campum haberent omnia convellendi, exaggerandi literarias imposturas &c. Ostendit vero, haec sibi Sociisque gratis imputari, cum nihil aliud egerit Papebrochius in *Propylaeo*, quod ille pestilentissimum conatum, improbum & maleferiatum vocat, quam ut opera amici sui Mabillonii id consequeretur, unice, ut regulae demum aliquae reperirentur, quo falsa diplomata a veris discerni possent; & ipsi Adversario fatendum fuerit, in Actis illis immanem asservari diplomatum & plenae fidei documentorum apparatum.

Prodiit & ibidem superiori anno vergente *Petri Boschii* S. J. Tractatus historico-chronologicus de Patriarchis Antiochenis, in forma quarta, partim proximo Mense Majo, partim Supplem. T. IX Sect. II, quae cum eodem Mense prodibit, a nobis recensendus. Eundem Autor ceu praeliminarem Tomo IV de Actis Sanctorum Junii, eodem tempore, Autoribus *J. B Sollerio*, *Jo. Pinio*, *Guil. Cupero* & eodem *Boschio*, edito, praemisit, cujus Tomi Synopsin, ab Autoribus seorsim editam, Sectioni II Tomi IX Supplem. pariter inseremus.

(o)

No. V.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Maji Anno M DCC XXVI.

ARSACIDARUM IMPERIUM, SIVE Regum Parthorum Historia ad fidem Numismatum accommodata per JO. FOY VAILLANT, Bellov. D.M. & Regis Antiquarium, ac Sereniss. Cenomanensium Ducis Gazæ Præfectum.

Tomus I.

Parisiis, sumtibus Caroli Moette, Bibliopolæ, 1725, 4.
Alph. 2 plag. 19.

Item

ACHÆMENIDARUM IMPERIUM, SIVE Regum Ponti, Bosphori & Bithyniæ Historia ad fidem Numismatum accommodata per Eundem.

Tomus II.

Ibidem, sumtibus Ejusdem, 1725, 4.
Alph. 2 plag. 11.

PArtem illam veteris Historiæ, quam ex scriptoribus Latinis Græcisque, maxime vero ex nummis digerendam atque illustrandam sibi sumsit Cl. *Jo. Vaillantius*, multis difficultatibus involutam esse, vulgo constat. Eas tamen omnes ita superavit eruditus Autor, ut conatibus ejus omnino favere, & singularem industriam laudare æquum sit. Periisset vero hoc, quicquid est, docti laboris, nisi Bibliopola Parisiensis Carolus Moette opportune incidisset in has Historias manu Cl. Vaillantii exaratas, easque suo ære a possessore redemisset: neque tam elegantes nunc legeremus, nisi Cl. *Carolus Valesius*, Ha-

Hadriani fil. Arſacidarum Hiſtoriam ad limam revocaſſet, & ab innumeris mendis repurgaſſet; alteram vero partem, nempe Achæmenidarum Hiſtoriam, alius Vir doctus emendaſſet. Horum itaque ope effectum eſt, ut puriori habitu opus hoc Vaillantii poſthumum appareat: bibliopola autem operam dedit, ut in pura ſatis charta, aptisque litterarum formis imprimeretur, inſertis ſuo loco nummis neceſſariis. Singulatim enumerabimus omnia, quæ utroque Tomo continentur, poſtremo adjicientes, quæ jure meritoque in iſto ſcripto lector deſiderare poſſet. Et *Tomo* quidem *Primo* poſt Præfationem, cujus autor haud dubie eſt Cl. *Carolus Valeſius*, primo loco legitur *Canon Chronologicus* Regum Parthorum, per annos ante & poſt Chriſtum natum, Urbis Conditæ, Imperii Seleucidarum Syriæ Regum, Arſacidarum, & ſingulorum Regum Parthiæ, digeſtus. Sequuntur duo *ſtemmata* prioris & poſterioris familiæ Arſacidarum, & *Index* Parthorum Regum, una cum *titulis* eorum. Mox incipiunt *Annales Arſacidarum*; quibus perpetua ſerie origo, progreſſus & interitus Regni Parthici enarratur. Excipit deinde primaria libri tractatio, nempe ipſi Arſacidæ XXIX, nummis omnes (ſi quinque excipias, quorum nummi ad nos non pervenerunt, nempe *Phriapatium*, qui aliis *Pampacius* eſt, *Phraatem I*, *Artabanum II*, *Phraatacem* & *Orodem II*) illuſtrati. Ipſa numiſmata ex celeberrimis theſauris, Auguſtiſſimi Imperatoris, Regis Galliæ, Magni Ducis Etruriæ, aliorumque Principum aut eruditorum virorum deſumta ſunt. Multa ſuppeditavit inſtructiſſimum ipſius Vaillantii muſeum; multa etiam collectio Celeberrimi *Andreæ Morellii*, qui uſibus ſuis multos nummos Parthicos delineaverat, ut meminit in *Specimine* ſuo; quam delineatam collectionem poſtea dono dedit Cl. Vaillantio. Ita factum, ut vulgati jam pridem, & nunc primum editi nummi hic conſpicerentur. Nempe hunc commentandi ſervat modum. Primo loco ponitur figura Regis cujusque, nummi modulo augmentato, ut oris, barbæ, oculorumque habitus, item inſignia melius pernoſcantur. Sequitur deinde hiſtoria Regis, quæ, ubi opus aut commodum fuit, aliis etiam numiſmatibus confirmatur & declaratur. Concludit denique vitam cujusque Regis, producendo ut plurimum eun-

eundem nummum, unde effigies Regis desumta erat, vera forma veroque modulo & aversa simul parte expressa: additis rationibus, quibus inductus sit, ut illi Regi adscriberet. Sit pro exemplo *Arsaces XXIII* sive *Vologeses I*, quem vide pag. 249 ex nummo argenteo tetradrachmali collectionis Morellianæ majore forma delineatum. Multis deinde res gestæ hujus Regis ex Tacito maxime & Dione Cassio enumerantur: & cum pag. 279 pacis, quam Corbulo cum Vologese sanxerat, quaque Romani Armeniam recuperabant, mentio incidisset, produxit Cl. Vaillantius p. 280 nummum argenteum ab Nerone in ejus rei memoriam cusum, quem jam dudum Patinus ad Suetonii Neronem produxit. Denique pag. 293 vides ipsum nummum, cum aversa parte & integra inscriptione, ex quo facies hujus Vologesis desumta erat; quem usque ad pag. 295 breviter explicat Regique suo vindicat. Hoc fere modo omnium Regum vitam resque gestas exsequitur & illustrat. Cui tractationi pag. 389 superaddidit *Appendicem de Persarum Regum* post Artabanum *Nummis*, & pag. 398 *Elenchum Regum Armeniæ majoris*. Finem huic Tomo imponunt tres Indices, Autorum nempe, Nominum rerumque, atque Geographicus.

Tomus II, sive Historia Achæmenidarum paullo negligentius est habita ab eo, cui emaculandi provinciam obtulit Bibliopola. Habetur tamen & illic *Canon Chronologicus*, sed desiderantur *Annales*, desideratur etiam notatio cujusque anni, quæ in Historia Arsacidarum margini est adjecta. In reliquis eodem modo, quem supra indicavimus, proceditur. Recensentur autem primo *Reges Ponti* ab Artabaze usque ad Mithridatem, notissimum illum Romanorum hostem. In qua recensione solius Mithridatis historia centum & viginti tres paginas occupavit: quod, cum ea sit notissima & in probatis scriptoribus satis obvia, vix fuerat necessarium. Et tamen ex iis scriptoribus, qui obiter Mithridatis mentionem faciunt, vix unam alteramve observationem allatam videbis. Sequitur pag. 187 *Regum Bosphori* Historia a Pharnace & *Asandro* usque ad *Rhescyporin III*. Siquidem ad eum censum post Polemonem II etiam Mithridatem VIII, Cotym, Ininthimæum, Rhescyporin I (quod nomen apud alios

ſcriptores vitioſe vulgo circumfertur, quod & illuſtr. Spanhemius olim obſervavit) Rhemetalcen, Cotym II, Rheſcyporin II, III, & varios Anonymos retulit. Pag. 295 incipit Hiſtoria *Regum Bithyniæ* inde a Dydalſo primo rege usque ad Nicomedem III; quæ pars paucioribus nummis eſt ornata. Pag. 357 deſcribitur ſtatus Bithyniæ, cum eſſet Romanorum provincia, & quomodo tunc temporis Nicomedienſes, Nicæenſes, Pruſæi aliique Romanos Imperatores nummis ſuis decorarint, docetur. Quibus pag. 402 ſubjunguntur *Bithyniæ urbes claræ*, quarumque memoria nummis conſervata eſt. Tandem & hic Tomus finitur tribus Indicibus, quales ex Tomo I ſupra memoravimus. Multum igitur debet res litteraria Cl. Vaillantio, quod obſcuriores illos Reges aliqua luce perfuderit: maxime, quod bene multos Parthicos nummos collegerit, eosque ſimul expoſuerit luci, qui antea diſperſim quærendi, & tamen rariores inventu erant. Dolendum vero, quod ipſe Cl. Autor ultimam manum operi imponere nequiverit, cum is forte multa melius conſtituiſſet, & infirmiora quæ nunc videntur, pluribus argumentis adſtruxiſſet. Videmus enim, paſſim non ea, qua decet, religione conſultos eſſe ſcriptores potiſſimum Græcos: & jam Cl. Valeſius aliquot hujus generis errores detexit ac emendavit. Videmus etiam, nummos quosdam ſuis Regibus ex leviſſimis indiciis aſſignatos, e. g. ex habitu barbæ, naſi, oculorum: cum tamen nullus ſcriptorum prodiderit, quem naſum, quam barbam habuerit Polemo, Phraates, alii; ut merito Cl. Vaillantius aut quo indicio iſta compererit, aut alias rationes addere debuiſſet. Reliqua tamen probe ſatis confirmat, & nullibi eo vecordiæ procedit, quo cum indignatione orbis eruditi proceſſit famoſus quidam ejus popularis. Ceterum cum jam pridem Hiſtoriam Parthorum per nummos deſideraverint eruditi, non eſt nobis hoc loco diſſimulandum, ſimilem apud nos Hiſtoriam paraſſe quondam Virum vel de his ipſis Actis immortaliter meritum, *Chriſtianum Wagnerum*, Lipſienſem, qui tamen immatura morte A. 1693 die 26 Jul. præreptus, non ſine maxima Litterati Orbis jactura, opus affectum, quod hodieque in Bibliotheca noſtra Senatoria theſauri inſtar aſſervatur, relinquere coactus eſt.

TRA-

TRACTATUS HISTORICO-CHRONOLOGICUS de Patriarchis Antiochenis tam Græcis quam Latinis, imo & Jacobitis, usque ad sedem a Saracenis eversam; Autore PETRO BOSCHIO, Societatis Jesu Theologo.

Antwerpiæ, apud Jacobum du Moulin, 1725, 4.
Alph. 3 plag. 9.

Mirantur multi, qui fuerit factum, ut, quum Ecclesiæ regimen inter tot Patriarchas fuerit divisum, soli tamen Romano Præsuli id contigerit, ut eorundem veluti Princeps haberetur. Huic enim soli contigit, ut, quum reliquorum gloria quasi emarcesceret, hic celebraretur, & quicquid faceret diceretque, Oraculi instar observaretur. Neminem certe inter Græcos scimus, qui conjunctim vel Alexandrinos, vel Antiochenos, vel Hierosolymitanos, vel Constantinopolitanos Præsules descripserit, manifestæ fraudi obnoxiis, qui in Byzantinis sub larvato nomine illud factitarunt. Tanta fuit segnities, ut vix nomina sola, eaque anxie requisita, supersint. Quum ex adverso eorum qui Romanorum vitas dedere, tot surgant, ut magnam ex iis solis Bibliothecam constituere queas. Quod nisi occulto cuidam fato adscribere velis, certe vel divinæ illud tribuendum curæ, vel insigni Pontificum artificio, illique tantum valido, ut omnes mortalium calamos sd suas laudes provocarent. Quid igitur mirum, si Antiocheni Præsules iis tenebris hactenus fuerint contecti, quæ a Romanis pulsæ reliquis ad usque nostra tempora incubuerunt. Hæc vero tandem ætas gratam erga majores sobolem protulit, quæ nominis & memoriæ & meritorum studiosa summos remoti orbis Præsules & Patriarchas in ordinem collegit, & quicquid sparsum cernebatur, in uno veluti theatro conspiciendum dedit. Constantinopolitanorum facta præter catalogos Bandurianos & Fabricianos apud Georgium Cyprium Hilarianis notis illustratum habemus, ut taceamus, quæ sacrorum annalium Conditores, quasi ex beneficio in ipsos contulerunt. Præsulum Hierosolymitanorum seriem eruditissime Antverpienses, & sua & Pauli Theodorici opera exhibuerunt. Alexandrinos Eu-

ſebius Renaudotius & Jo. Bapt. Solerius Act. Sanct. T. V Junii, nobili beneficio dederunt. Antiochenſium nomina, quæ magnam partem hactenus latuerunt, nunc tandem Cl. Joſephus Simonius Aſſemanus in ſplendida Bibliotheca Orientali Romæ 1719 & ſeq. edita, & hic Noſter, additis etiam geſtis & accurata Chronologia conſpicua, ſiſtunt. Non negamus, eorum quædam monumenta ſparſim eſſe exhibita a ſcriptoribus Byzantinis aliisque Hiſt. Eccl. ſcriptoribus, qui tamen ferme circa Seculum VII ſubſtiterunt, quos apud Sam. Basnagium videas. Ipſe Cl. Boſchius aliquoties Blaſium Terzum, Syriæ S. editorem, citat, licet minus accuratum, cenſurisque ſuis ſæpius obnoxium, attamen opitulatorem, cujus, ſicut & Aſſemani Bibliotheca ſæpiſſime uſus fuerit. Dedicavit hunc Tractatum Illuſtriſſ. Yprenſium Epiſcopo, Dn. Jo. Bapt. de Smet, ſeque illud non tam ex more facere profitetur, quam ex Præſulis merito, quo omnis eruditionis promptuarium exiſtimari queat. In alloquio agnoſcit, Tractatum hunc odioſum eſſe ac tetricum, quod propter difficultates Chronologicas dictum cenſemus, quum alias nil magis gratum nilque magis utile quam tale ſcripturæ genus cenſeri queat. Et ſane jucundius illud, atque expeditius Lectori futurum erat, niſi is, qui Boſchio præerat, jubendique facultatem habebat, ab hiſtoria abſtinere, ſolisque temporum notis extricandis ipſum inſudare juſſiſſet. Quæ licet ipſe ſponte fuerit profeſſus, non tamen adeo aridum illud monimentum, quo minus perito Lectori magnam delectationem afferre queat. §. II. Progreſſus igitur ad ipſum Antiochenæ Eccleſiæ fundamentum, illud quidem in Apoſtolo Petro conſtituit, ex conſtanti veterum traditione, quam quum aliquantulum modo movere viſus fuerit Tillemontius, acriter ipſum aggreſſus, ait, imprudentiſſimæ
p. 3 & 4. temeritatis notam Eccleſiæ inuri, ſi falſa aſſeruiſſe arguatur, modo aſſertionem Tillemontianam Catholico Viro indignam, hæreticisque patrocinantem ſtatuit, pauloque poſt Batavum quendam, Tillemontio ſuffragantem, multo atrocius vexat, atque hæreticum turpiſſime cæcutientem, ideoque Romæ obtrectatorem ſacrilegum & ineptum vocat. Inde progreſſus, ſedem Antiochenam a Petro A. Chriſti XXXIII conſtitutam putat, præeuntesque

tesque

tesque Henschenium & Janningium sequens, VII annos sedisse ex communi Catalogorum consensu tradit, quibus finitis sedem Romanam erexerit, quod ex Eusebio, Gregorio, Adriano II, Nicolaoque Archimandrita se probaturum putat. Inde vero etiam difficultates Apollonianas de mora Apostolorum Hierosolymitana duodecennali, quæ septennalem Antiochiæ sedem restrictura erat, facile solvit, quod non necessarium existimet, illam integro duodecennio concludi. Nempe ita sibi indulgent in Chronologia Præsulum, ut annos integros & lustra deglutiant, absorbeantque, modo Petrus ubique regnet, quemadmodum Hispani in suo Jacobo faciunt, cujus gratia omnes rationes Chronologicas subvertunt. De gestis Petri Antiochenis nihil ob causam jam memoratam tradit, Basilium Seleuciensem adiri cupit, tum Theodoricum Pauli, Vice-Decanum Gorcomensem, Chronici universalis, sed nondum editi, Autorem; quos tamen veri aliquid allaturos, quomodo speres, quum non Entis nulla sint Accidentia. Hinc Evodium sistit, cujus Acta etiam ex Menæis & Martyrologiis depromta jejuna censet ideo, quod non definiant, Ignatius, an vero Evodius Petro successerit. Boschius Evodium tenet, Eusebio duce, ipsoque Ignatio in epistola, quam tamen melior pars falsam spuriamque censet, tuentibus illam nihilominus Hagiographis T. I Febr. ad Acta Ignatii p. 42. Inde conciliationem Baronianam, quasi simul Evodius a Petro, Ignatius autem a Paulo creati sint, eamque gratam Halloixio, respuit, sicut & alteram Henschenio excogitatam, quod Evodius ordinatus, Ignatius tantum designatus fuerit, quem tamen Hieronymus expresse ordinatum statuit, quod per τὸ καθίςαται in Græco expressum erat. Ita juxta Boschium successit Evodius A. Christi XL VI. Maji, sedit annos XXVII, obiit martyr sub Nerone. Succedit Ignatius cognomento proprio Theophorus, non ob laudem dato, gente Syrus, A. LXVIII. Ætas incerta, dubiique plena, quæ de pueritia illius simplicitateque Servatori grata Nicephorus protulit, quum alii id ignorent. Vix sine temeritate anni XLIII illi assignantur; sedit ad A. CVII, quo die XX Dec. Romam martyr abiit. Sequitur S. Heros, Ignatii discipulus, cui succedit A. CVIII. Sedit usque ad A. CXXIIX, XVII Octobr.

teste

teste Catalogo Græco Harlemiano MSto, quo Papebrochius feliciter usus est. Excipit ipsum Cornelius A. CXXIIX, quem Blasius Terzi di Laurea in Syria S. ut operibus exemplisque raræ virtutis inclytum laudat, Boschio ad hæc incredulo, nec alicubi id a se lectum professo. Eadem de Erote, ignobili & a Theodorico Pauli sine teste laudato, dixit, nisi virtus illius inter persecutionum ruinas lateat. Sedit ille ab A. CXLII usque LXIIX spatio longo, quo adversus Marcionitas & Tatianitas multa fortiter facere poterat. Hinc Theophilus, Vir sine dubio magnus, profanis hæreticisque metuendus. Ille sibi, more tum inter Præsules persecutionis tempore recepto, Maximinum successorem legit, quanquam dubitet Tillemont. Defunctus Episcopatu & vita, succedente Maximino usque ad an. CLXXXIX. Hic acerbe invehitur Boschius in Theodoricum Pauli, qui hunc Præsulem doctum, Catholicum & Thaumaturgum constituit, quum harum virtutum memoria apud veteres non extet. Nos licet de Theodorico concedamus, quod quædam confinxerit: putamus tamen, Maximinum defendi posse, siquidem scripserit de Quæstione tum inter Christianos agitata: πόθεν ἡ κακία; tum de altera: περὶ τοῦ, γεννητὴν εἶναι τὴν ὕλην. Etiamsi enim alicubi Maximo hæc adscribantur, attamen sub eo nonnisi Maximinus latet, quum proclivis sit ad syllabæ unius incrementum discessus. Ceterum hunc Maximum laudavit Eusebius, interque τοὺς παλαιοὺς retulit, quorum ipse monumenta legerit: πλεῖστα σώζεται ἀνδρῶν παλαιῶν ἐκκλησιαστικῶν ἐναρέτου σπουδῆς ὑπομνήματα, ὧν γε μὴν αὐτῇ διέγνωμεν, ἢ τὰ Μαξίμου &c. Quibus quidem verbis nonnisi Maximinum hunc Antiochensem intellexit, cui Præsulis nomen non addidit, quia ipse non ut Præsul, sed Philosophus scripsit. Multa ex ejus libris depromsit Origenes, teste Wetstenio in Præf. ad Dial. Origenis. Aliter censente Huetio, cujus opinio cadet, si nostra suscipiatur. Hunc excipit Serapion A. CLXXXIX. Trithemius Anachoretam fuisse statuit, negat Boschius, quum ex Ἀσκητοῦ λογῶν Anachoretam sibi fingere nonnisi delirum capitis somnium esse queat. Benigne tamen accipiet Boschius, si Serapionis patria a nobis queat designari. Hanc notat Ælius Lampridius in Alexandro Severo, nempe urbem Arcenam

cenam in Phœnicia, quæ Græcis ἄρκη & Arca Cæsarea. Hic ante sacerdotium Rhetorem egit, unde & Eusebius ἀσκητὴν λόγων dixit. Inde Alexandri Severi teneram juventutem rexit, Matris Mammeæ consilio, unde & Christiani moris amor in pectus illius influxit. Consentit temporum ratio, licet ea Halloixius, Boschio oculatissimus Scrutator, non viderit, quod huic Argo condonandum. Post Serapionem Asclepiades A. CCXI, sive, ut Boschius, A. CCXVII, quem Martyrem aliqui dicunt, licet non consummatum. De ejus exaltatione summopere gavisus Alexander Hierosolymitanus, gaudium litteris communionem testantibus expressit, apud Euseb. L. VI C. VI. Post hunc Philetus ab A. CCXVII usque CCXXVIII, non ad CCXXIX, quod Pagius voluit: excipiente ipsum Zebenno usque ad A. CCXXXVII, cujus nomen varie detortum fuit. Erat enim Syris familiare, nec Regibus spretum, docente Vaillantio de Regibus Syriæ p. 316 A. 334. Mox Babylas ab A. CCXXXVII usque CCL. Qua occasione πάρεργον de Actis Babylæ insertum legas, quo Tillemontius potissimum petitur, quippe in quo fictionem χείλαις sua parum dignam deprehendit, compuncto simul Chrysostomo, cui copiosam Rhetoricam, sed pondere vacuam, tribuit. Huic παρέργῳ alterum jungitur, an duo fuerint Babylæ, disquirens, opinionemque Doctorum ita sentientium destruens. Sequitur Fabius, A. Chr. CCL usque CCLII, in Novatianismum propensus, teste Eusebio L. VI C. XLIV, sed ad correctionem pronus. Epistolæ Cornelianæ ad ipsum pars apud Eusebium, Syncellum, Labbeum, & nuperum epistolarum Pontificiarum Editorem Constantium reperitur. Successit *Demetrianus* ab A. CCLII usque ad LX, qui antecessorem zelo superans acrem se Novatianis exhibuit, fervidus religionis defensor, sique Theodorico Pauli & Blasio Terzo credendum L. I Syriæ C. XXXIII, etiam Martyr. Martyrium illi adscriptum solidis rationibus Boschius destruit. Poterant tamen in illam opinionem deduci recordatione cladis, quæ illo sedente per Regem Persarum urbi illata, deletis innumeris civibus, teste Ammiano Marcellino L. XXIII C. V, quibus ipsum interfuisse Episcopum putarunt. Post eum *Paulus Samosatenus*, infamis ille gloriæ Servatori debitæ

defraudator, inceſſit A. CCLX menſe Majo. Is humili loco
natus ingenium ſuperbum habuit, gloriæque cupidum, nec a de-
litiis vanis fœdisque alienum, qui corrigentes ſeſe Præſules in-
tegrasque Synodos ſpernens, contumax A. CCLXX ἀποκηρύττε-
ται, ut ſicut pœnæ Boſchius hanc vocem interpretatus eſt. Quo
loco Euſebii error, Synodum ſub Aureliano collocantis, refelli-
p. 108. tur, quippe qui in temporum rationibus ineundis parum ſe ac-
curatum exhibuit. Etiamſi vero Epiſcopatu Paulus non cede-
ret, attamen ſuccedere juſſus eſt Domnus in confinio anni
CCLXIX & CCLXX, ſeditque usque ad CCLXXIII, ἅπασι τοῖς
πρέπουσιν Ἐπισκόπῳ καλοῖς κεκοσμημένος, Euſebius L. VII C.
30. Reliquit ſedem Timæo A. CCLXXIII usque CCLXXX, ut a-
deo temere a nonnullis expungatur. Ait Boſchius, nil aliud de
Timæo notatum eſſe a ſcriptoribus, quod gratis dicitur. Mul-
ta enim dicta ſunt de virtutibus illius, deque turbis a Luciano,
Pauli aſſecla ſuſcitatis, quæ per trium Epiſcoporum ſucceſſio-
nem durarunt. Timæo inſiſtit Cyrillus A. CCLXXX usque
CCC, Vir communi omnium laude mactatus. Martyrium non
liquet, cujus locum vexationes Lucianeæ implent; attamen S.
Præſul oppoſuit Dorotheum felici niſu, quum, ut cuneus cune-
um trudit, ſic ejus virtute & doctrina Lucianus ad meliora com-
pulſus dicitur, de quo v. Acta Sanctorum T. I. Defuncto ſuc-
ceſſit Tyrannus A. Chr. CCC usque CCCXIII, quo intervallo
perſecutiones Diocletianeæ fervebant, multum evagante Hiero-
nymo, qui circa annum CCCXXXIIX ipſum collocavit. Ma-
gnus tum Martyrum numerus ex Martyrologiis ſiſtitur, quibus
tamen ille non interfuit, niſi vel fugam vel occultationem ejus
Martyrii laude cohoneſtes, aut graviora Martyrio perpeſſum
dicas, dum gregem lacerari vidit. Ferat æquo animo Cl. Bo-
ſchius, ſi divinemus, ipſum inter carbonarios forte Sipyli mon-
tis latuiſſe, quod magnos tum feciſſe Viros, exemplum Alexan-
dri Epiſcopi Comageni prodit. V. Acta Sanct. d. XVI Mart.
p. 420. Quo videtur reſpexiſſe Libanius Oratione ad Julianum,
qua Chriſtianis illudens dixit, ſe repulſam patiendo ad carbona-
rios abiturum. Extrema Tyranni pacem A. CCCXIII datam
viderunt. Eo defuncto ſedem vacuam implet Vitalis A. CCCXIII
us-

usque CCCXVIII, quod omnes censent. Conciliis Ancyrano & Neo-Cæsareensi interfuit inter A. CCCXIV & CCCXVIII celebratis, nobile nomen fecit Ecclesiarum instauratione, quæ persecutionum tempore ad incitas redactæ fuerant, nec tamen opus est, ut has Ecclesias cum Henrico Valesio in Basilicas commutemus, quod ipse μεγαλοςήμων ubicunque Ecclesiæ vocabulum reperit, subjecit. Bonum habuit Successorem in Philogenio, causarum Patrono, & uxorato, quod ab Eutychio Alexandrino negatum p. 450. Boschius non advertit. Arius ipsum ἀκατάχηςον habuit, sed absit, ut hæretico adstipulemur, laudemque doctrinæ dubiam faciamus, quam Boschius ex Chrysostomi testimonio tantopere stabilivit. Hunc excipit Paulinus aliquis, sed nube veluti quadam involutus, quum, quod Pagius ante Boschium monuit, uno tempore tres fuerint, unus, qui Synodo Sardicensi depositus, alter Tyri Episcopus, & tertius Eustathianus, id quod miram utique difficultatem Valesio, Hanckio, Montacutio, peperit, ipsique Boschio, qui tres Paulinos Antiochiæ præfuisse dicit, notato Theodoreto, cui, unum modo Paulinum memoranti, crimen falsi impingit, quasi Paulini nomen e diptychis Antiochenis erasisset, quod tamen ipsi necessarium non erat, quum Paulinus in Synodo Sardicensi depositus, ad Antiochiam plane non spectet, sed Dacus fuerit, ut ex fragmentis Hilarianis constat. Quibus a Boschio non consideratis, aut fragmento immutato, hunc tanquam primum collocat, eumque ab Arrianis falso calumniis proscissum ait, sedisse autem ab A. Chr. CCCXXIII usque ad XXIV. Inde πάρεργον subnectit, de Romano, eumque sibi eundem videri censet ac Paulinum, ideoque binominem fuisse, ac suffragari sibi Godofredum, notis in Philostorgium & Pagium; ubi tamen forte rectius facturus erat, si illi Paulino Daco Romani cognomentum tribuat. Rogaremus hoc loco Boschium, ut seposito paulisper suo in hæreticos odio consideraret, Olai Wormii, eruditi Viri & deinceps in Regia Danorum Episcopi, opinionem in historia Sabellianismi expositam, fortiterque stabilitam, Paulinum Tyrium nunquam Episcopum Antiochenum esse factum, quippe cui Eusebius ipsius Concilii Nicæni tempore libros Hi-

ſtoriæ Eccleſiaſticæ, ut Tyriorum Præſuli, dedicavit, aliter locuturus, ſi in Antiochena cathedra ipſum conſpexiſſet. Atque id ipſum poſt mortem Paulini confirmaſſe videtur lib. adv. Marcellum II p. 19, ubi quidem ait ipſum fuiſſe *τιμηθέντα τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας*: veruntamen *πρεσβείῳ τε διαπρεπῶς τοῖς Τυρίων ἐπισκοπήσαντα, ἔτω δὲ ἐν τῇ ἐπισκοπῇ διαλάμψαντα, ὡς τὴν Ἀντιοχείαν Ἐκκλησίαν ὡς οἰκίαν ἀγαθȣ̃ μεταποιηθῆναι αὐτȣ̃*, quæ verba Zenobius Acciajolus male vertit: Paulinum PRIUS dignitati Tyri Eccleſiæ præſuiſſe, quum tamen illud PRIUS in textu non extet. Unde Euſebii verba ſic interpretanda: Paulinum in Eccleſia Antiochenā maxime honoratum extitiſſe, vel ad regimen quoque illius expetitum, ſicut ipſi Eugenio contigit: tamen ipſum actu Eccleſiam Tyriorum Epiſcopaliter rexiſſe, Eccleſiam vero Antiochenam, licet ibi non ſederet, tanquam peculium proprium dilexiſſe. Inde ad Euſtathium deſcendit, eumque ad A. CCCXXV refert, aque Concilio Nicæno electum ſolenni ſuffragio dixit, ſecus cenſente Theodoreto, cui plus credendum, quippe in ſinu Eccleſiæ Antiochenæ innutrito. Sede pulſum, vivente adhuc Conſtantino A. CCCXXXI epiſtola Athanaſii ad Solitarios commonſtrat. Poſt commemoratas Euſtathii laudes parergon de S. Agroetio inſerit, validisque rationibus oſtendit, eum ineptiſſime Antiochena mitra exornari, diploma Sylveſtri turpiter confingi, atque ne hoc quidem dici poſſe, quod tantum fuerit deſignatus. Euſtathio Paulinum II ſubdit, eumque Arrianis impenſe faventem, & tamen fatetur, altum de eo ſilentium apud hos, qui ſeriem Præſulum Antiochenſium ediderunt. Neque tamen ſe adeo moveri ait propter Euſebium, Philoſtorgium, Suidam, quorum examinare ſententiam longum fuerit. Sediſſe ait eum ſex menſes ab anno CCCXXX non adulto; huic ſuffectum eſſe Eulalium A CCCXXXI usque CCCXXXII, cujus unicum pene factum refert, quod Aetium urbe pepulerit. Sequitur parergon de Euſebio, Antiochenum Præſulatum ſpernente, hacque modeſtia tumultus jam concitatos feliciter compeſcente. Quo abſoluto Euphronium exhibet ab A. CCCXXXII usque ad XXXIII Eccleſiam gubernantem; mox Flacillum, qui ad A. CCCXLV habenas

benas sacras gessit, magno pretio habitus, Synodique Tyriæ Præses, etsi Eusebio Nicomediensi & Cæsariensi hunc honorem Epiphanius & Athanasius tribuant. Ejus multa inique gesta Theodoretus exposuit H. E. Lib. II Cap. XIX. Illum excepit Stephanus I A. CCCXLV, præseditque Synodo Sardicensi A. CCCXLVII, a qua excommunicatus A. CCCXLIIX, ob meretriculam Euphradæ Episcopo suppositam, facinore tanto homini maxime dedecoro. Illius successor Leontius, mentula Castor, lupus animo, Athanasio infestus, defunctus sub finem anni CCCLVII, ordinato in illius vicem Eudoxio, Germaniciæ primum Episcopo, & Arrianismum dudum professo, Constantii amico, cujus dum gratia ad scelus abutitur, exilio mulctatur, atque inde deponitur, non sine suo commodo, quum Constantinopoli Episcopatum postea adipisceretur A. LIX, LX. Cui licet surrogaretur Annianus, Ecclesiam tamen Antiochenam non vidit, quo felicior Meletius per Synodum A. CCCLXI electus, nec tamen diuturnus, quum post mensem pulsus iterumque repetitus, ac denuo profligatus rursusque restitutus, tandem post celebratum Antiochense Concilium Constantinopoli expiraret. Meletii relegati locum occupat Euzojus A. CCCLXI, Arii familiaris, autor formulæ fidei Arrianorum secundæ: carus Constantio, Aetii fautor, (cujus asseclæ, connivente Euzojo, Episcopum accipiunt Theophilum) Juliano invisus, colaphisque affectus, Valenti Imperatori acceptior, cujus ope Alexandriæ Patriarcham Arrianum constituit. Eo sedente partes Eustathianæ ex machinationibus Luciferi Calaritani Paulinum Episcopum accipiunt, hominem turbulentum, hujus nominis tertium, qui & Arrianis & Meletianis æque infensus erat, quasi vero hominum, non salutis aut Christi causa in religionis negotio ageretur. Acerbum sese præstitit, omnesque concordiæ ineundæ rationes sprevit, donec sensim partes contentionum pertæsæ, flaccescentesque a mutuis odiis aliquid remitterent, idque eo usque, quoad Paulinus occumberet, A. CCCLXXXIIIX. Eodem intervallo Apollinaristæ Episcopum habuere Vitalem, de quo Epiphanius & Tillemontius T. IX, qui tamen Patriarchæ nomen nunquam obtinuit. Ita sequitur Euzojum Theodorus Heracleensis Thrax, qui omnibus

bus Antiochensium Ecclesiis præfuit, exceptis duntaxat una Paulini Eustathiani & altera Meletianorum, quæ Palæa dicebatur. A. CCCLXXXI, teste Theodoreto, in Thraciam abire jussus, quem excipit Flavianus in Synodo Antiochena adulto anno CCCLXXXI, consecratus a Diodoro Tarsensi, & Acacio Berrhoensi mense Augusto, confirmatus in Synodo Constantinopolitana A. CCCXCIIX, solis Meletianis præfuit usque ad pacem factam cum Eustathianis A. CCCXCIIX. Obiit A. CCCCIV. Paulino in suis partibus successit Eungrius A. CCCLXXXIIX, & obiit A. CCCXCII, nemine succedente, Vir probus ac Hieronymo unice carus. Sed hæc hactenus; quæ plura de sequentium sæculorum Patriarchis recensenda supersunt, Supplem. T. IX Sectioni II, quæ sub prelo est, inseremus.

IMPERATORUM IMPERII QUE PRINCIpum ac Procerum totiusque Nationis Germanicæ Gravamina adversus Sedem Romanam totumque Ecclesiasticum Ordinem, inde a translata ad Germanos Imperatoris dignitate usque ad tempora Caroli V adornata, necessariis illustrata Observationibus a JACOBO FRIDERICO GEORGII.

Francofurti & Lipsiæ, 1725, 4.
Alph. 3 plag. 9.

OPus eximium & lectu oppido dignum Cl. *Georgii* exhibemus, qui cum quendam ejus prodromum A. 1719 Jenæ sub præsidio Viri de Ecclesia & Rep. Litteraria immortaliter meriti, *Jo. Franc. Buddei*, Eruditorum examini subjecisset, ex eo tempore justum Commentarium concinnavit, quo non modo Gravamina omnia inde a Carolo M. ad Carolum V (seu potius ipsum Ferdinandum I) contra Papam & universum ordinem Ecclesiasticum publice proposita ex optimæ fidei scriptoribus (quorum fere ducenti in fine numerantur) produxit, notisque admodum appositis illustravit, verum & litium, quæ Imperatoribus cum Pontificibus intercessere, luculentam simul historiam exposuit. Nos pau-

pauca a Cl. Autore bene monita pro more nostro hinc inde delibabimus. Religionem Lutheranam ad pacem Reip. & felicitatem procurandam multo aptiorem esse Catholica, contra Pallavicinum evincit. p.12-19. Ab Henrico IV Imp. graviter erratum observat, quod de perfidia Saxonum conquestus fuerit apud Pontificem, qui exinde judicis sibi inter Imperatorem & subditos partes sumpserit. 29. Cumque huic injunctum esset a Cæsare, ut se ipsum abdicaret, neutiquam id probat indicio esse, quasi Pontifex a nemine judicari posset, verum id factum esse ex more Romanorum, quo receptum, ut quibus Imperium certa de causa abrogandum esset, hi dignitati & existimationi suæ consulentes, per se & quasi sua sponte magistratum deponerent. 38. De Paschali II notat, quod primus, omisso in publicis documentis anno Imperatoris, sui tantum regiminis annum apposuerit, eoque & hanc subjectionis notam deleverit. 80. Innocentium IV Bulla illa, qua Fridericum absque ulla fere ratione in Concilio Lugdensi excommunicavit, ab ipso Harduino Concil. Tomo VII p. 381 publicata, proprium jugulum petiisse docet. 145. Nam cum ille inter alia diserte scribat: *quod si Ecclesia eum in aliquo læserat (quod non credebat) parata erat corrigere, ac in statum debitum reformare. Et si diceret ipse, quod in nullo contra justitiam læserat Ecclesiam, vel quod nos eum contra justitiam læsissemus: parati eramus vocare Reges, Prælatos & Principes, tam ecclesf. quam seculares ad aliquem tutum locum, ubi per se vel per solennes Nuntios convenirent; eratque parata Ecclesia de consilio Concilii sibi satisfacere, si eum læsisset in aliquo, ac revocare sententiam, si quam contra ipsum injuste tulisset &c.* ipsum fateri patet, 1 Ecclesiam ipsumque Pontificem aliquem contra justitiam lædere adeoque errare posse; 2 a jure Conciliorum non excludendos esse Principes seculares; 3 Concilio subesse Pontificem, ejusque nutu revocare debere injustas a se latas sententias. Cum e Ludovici IV Imp. gravaminibus notat, quod inter alia accusaverit Pontificem, quod pedes sibi osculari more Diocletiani & Alexandri, crudelissimorum tyrannorum, permittat, de ritu hoc hodienum solenni, quem primus admisse creditur Valentinus Pontifex, non proletaria refert. 170. Calixtum III observat in Epistola ad 250.

Fride-

Fridericum III expressis verbis fateri; *possumus & nos ut homines aliquando labi atque errare, in his maxime, quae facti sunt.*
252. Æneam Sylvium notat decreta Basileensis Concilii antea contra Pontifices tuentem, mox cum Pontifex factus esset, annatas, ab illo damnatas, exegisse a Diethero Archi-Ep. Moguntino, cui, cum pallium 20650 aureis Rhenensibus redimere nollet, adver-
297-327. sarium excitavit Adolphum Nassovium. De sanctione Gallo-
327-520. rum pragmatica docte quoque & accurate agit Autor. Imprimis vero prolixe de gravaminibus Norribergæ post Reformationem motis commentatur, ubi inter alia legi merentur, quæ de Festis diebus paulatim in Ecclesia multiplicatis accurate colle-
430 sq. git. Quibus denique appendicis loco tum gravamina a Georgio Saxoniæ Duce in Comitiis Wormatiensibus A. 1521 proposita, tum articuli, secundum quos Ferdinandus I Imp. reformationem instituti desiderabat, subnectuntur.

COMMENTARII PRO HISTORIA ALBERTI II Ducis Austriæ, cognomento Sapientis, scripti ab ANTONIO STEYERER, Societatis Jesu Sacerdote.

Lipsiæ, apud Th. Fritschium, 1725, fol.
Alph. 4 plag. 4 æn.

FIdem suam librasse videntur Scriptores, qui ea, quæ Titulus spondet, in ipso opere reapse præstant, efficiuntque sua industria, ut, quod JCtorum filiis familiare verbum est, rubro cum nigro apte conveniat; ex quo facile colligere est, Autores, qui non admodum prolixe in fronte promittentes, ipsa scriptura, & ea, qua sunt polliciti, & longe plura & ampliora exhibent, non modo singularis modestiæ laudem ferre, sed & præter id, in quo fecerunt officium, liberales in reliquo & in libros suos munificos dici posse. Hoc elogio mactandus est Rev. Steyererus, Societat. Jesu Sacerdos, cui librum res Austriacas mirifice illustrantem *Commentarios pro Historia Alberti II* inscribere placuit; quos qui putabit illius Ducis sapientiæ fama inclyti res gestas unice explicare, næ ille perlecto capite I, quod Albertum

tum II exponit, jucundissime falsus erit; offendet enim c. 2 res Joannæ, Comitis Ferretarum, uxoris Alberti II c. 3 res Rudolphi IV Fundatoris, Ducis Austriaci, quem filium genuere Albertus & Joanna; c. 4 res Catharinæ, quam Carolo IV tunc Moraviæ Marchione, postea Augusto & Bohemorum Rege, & Margaretha Valesia prognatam, Rudolphus Fundator sibi matrimonio junxit; c. 5 res Friderici V Alberti II Filii natu secundi, in ipsa adolescentia fatis functi; c. 6 & 7 res Filiarum Alberti II, Catharinæ & Margaritæ, quarum illa ante annum 1363 principem exuta, in D. Claræ cœnobio intra muros Viennenses sacrum velamen induit, hæc primum Mainhardo, Ludovici Bojariæ Ducis, & Margaritæ Maultaschiæ Tyrolensis Comitis, Filio, postea vero, Mainhardo anno 1363 defuncto, Joanni Henrico, Moravici limitis Præfecto, Joannis Lucemburgici, Bohemiæ Regis filio, Caroli IV Augusti fratri, nupsit; offendet, inquimus, horum Principum omnium res, brevi narratione expositas, sed ita ubique chartarum historiarumque veterum, maximam partem ineditarum, autoritatibus in Additionibus munitas firmatasque, ut nihil desiderari diligentiæ possit. Ut autem constet Tituli, qui nonnullis forte præter modum angustus videbitur, ratio, sciendum est, Reverendo Autori olim placuisse, omnem Historiam Austriacam, qua ampliori luce egere videtur, id est, initio facto a Rudolphi I Cæsaris natalibus ad obitum usque Imperatoris Friderici vulgo III, agnomine Pacifici, describere, & in justos Commentarios redigere, ita quidem, ut cuilibet Tomo præfigatur nomen Principis unius ex illis, quos stirpis hujus Serenissimæ propagatores veneramur, insertis gestis Uxorum, Prolium, Nepotum, qui aut improles decessere, aut licet fæcundo matrimonio gavisi sint, ante hæc tamen tempora cum posteris suis defecere. Tribus illis seculis nomina occurrunt sex, quorum fœcunditate domus inclyta perstitit: Rudolphus I videlicet, Albertus I Albertus II, Leopoldus Probus, Ernestus Ferreus, Fridericus III Cæsar: sex adeo Tomis erant adornandi a Doctissimo Steyerero Commentarii, quod opus ingens sane & laboriosum, quanta industria, constantia animi, sedulitate, judicio & felicitate aggressus sit, satis loquitur Tomus hic Commentariorum, tertius ordine,

ut opinamur, ſed cui primo tam felici eſſe licuit, ut elucubratus in lucem publicam prodierit. Perſuadet nobis laboris, quem Clariſſimus Autor rebus Alberti impendit, ratio, quæ ad reliquos Satores Auſtriacos pertinent, maximam partem jam eſſe congeſta, ut adeo dulcis nos foveat ſpes, fore, ut reliqui quoque Tomi in dias luminis auras producantur, licet animi dubii haud obſcura veſtigia alicubi deprehendiſſe nobis videamur; ſane illis, quæ excellens opus morari poſſent, aut generoſo contemtu ſpretis, aut invicto animo ſuperatis, debet hanc operam Noſter Genti, qua non eſt excelſior ulla, debet hoc ſibi præmium, ſuæque diligentiæ, enaſcituram inde ex merito gloriam, debet hoc ſocietati ſuæ, de aliis bonis literis præclare meritæ, tam inſigni exemplo ad hæc etiam ſtudia excitandæ, debet denique idem communi patriæ, cujus hiſtoriam condere, & emendare non omnibus datum eſt, ſed iis, quibus illa veneranda veteris memoriæ ſacraria tam feliciter reſerare licet, uti eidem Clariſſimo Viro, Autori noſtro, contigit.

Si ſpeciminis loco, ut fert noſtri inſtituti ratio, nonnulla adducenda ſunt, ſalivam ut moveamus palato harum deliciarum appetenti, copia & ubertate premimur; ita ubique documenta inedita probatiſſima, veriſſimæ probationes, doctiſſimæque conjecturæ & clariſſimorum ſcriptorum emendationes occurrunt, & quod proprie dicimus, utramque paginam faciunt; obſequendum tamen eſt mori, & exemplis, ut in manus veniunt, utendum. Alberti II annus natalis in nullis monumentis, quæ Noſtro fuere ad manus copioſiſſime, legitur. Quid noſter Reverendus Autor? oſtendit ex idoneis autoribus, Albertum fratribus Rudolpho, Friderico, Leopoldo poſtponi, præferri
P. 4. autem Henrico Mainhardo & Ottoni; ex diplomate Anni 1310 12 Cal. Maji monſtrat, iſta tempeſtate Albertum nondum ad annos legitimos perveniſſe, id eſt, annos quatuordecim vivendo non exegiſſe, ex quo ſequitur, ante annum 1296, 12 Cal. Decemb. non fuiſſe natum; exeunte anno 1295 Albertus Pater veneno hauſto graviter decumbere coepit & ægre, oculo etiam uno amiſſo, ſanitatem recuperavit, minus idoneus interea ad augendam ſobolem; anno autem 1297 filia edita eſt ab uxore Alberti

ti Elisabetha; denique anno 1298 XI Cal. Decembris Tabulæ editæ sunt, qua Albertus, cæso Adolpho, Imperator, filiis suis Rudolpho, Friderico, & Leopoldo, ditiones Austriacas concessit in feudum, nulla iterum mentione facta Alberti II: ex quo colligitur anno eodem, mense Decembri progenitum esse Albertum, in posteriorem enim aliquem annum rejicere Alberti natales vetat, quod generandis fratribus tribus junioribus, Henrico, Mainhardo & Ottoni, quos anno 1301 vivos fuisse constat, tempus naturæ legibus præscriptum non superesset. Nulli dubitamus, fore, ut aliquando doctissimæ diligentissimæque conjecturæ idoneo testimonio corroborentur. Albertum ante nuptias ad regimen Ecclesiæ Passaviensis, majori tamen suffragiorum parte in Gerhardum a Walse inclinante, esse electum, antiqui affirmant pariter atque recentiores, atque inter hos Viri longe gravissimi, Cuspinianus, Lazius, Hundius, Pontus Heuterus, Gansius, Schönleben, alii. Noster falsitatis hoc arguit ex ætate Alberti immatura, Chronologiæ ratione, & ipsa Walseanorum procerum in Duces Austriacos observantia; & quæ de Ecclesiastica dignitate referuntur, Alberto Saxoni tribuenda esse, scriptoribus synchronis firmat. Carinthiæ Ducatus, quem Rudolphus Cæsar an. 1282 filiis Alberto & Rudolpho, ab his deinde abdicatum A. 1286 Mainhardo Tyrolensium Comiti contulerat, ad Albertum nostrum & fratrem Ottonem rediit, Henrico Carinthorum Duce, nullo relicto filio, defuncto anno 1331, si audiamus Megiserum, Lazium, Fuggerum ac Valvasorium, at quanta in ista Historia nomina, sin Nostrum, Necrologiorum & Chronicorum Manuscriptorum fide suffultum, anno 1335. Carinthia ab Austriacis occupata, Margaretham Maultaschiam gravissimum bellum molitam esse, narrat Megiserus, commisisse prælia, cepisse urbes, diruisse castra nonnulla, alia obsedisse, donec a socero pacem amp ... cti juberetur. Et quidni narret hæc bonus Vir? Nicolai Claudiani farrago Rerum Carinthiacarum eadem tradit, sed & chartæ veteres idem testantur, nempe mandatum Alberti II Ducis, quo Conradum Krayg Carinthiæ Prætorem nominat A. 1339 5 Cal. Julii. Sed lætissimam errorum a Megisero commissorum seriem collectam in unum exhibet Clarissimus Steyererus, & do-

P. 9.

82.

99.

ctissime, cum istud Alberti Ducis diploma confictum, tum expeditionem Maultaschiæ, recentioribus celebratam, ementitam esse ostendit, ex quo apparet, neque vetustorum monumentorum apparatu rem confici, nisi ea etiam mentis acie quis polleat, ut, quid distent æra lupinis, acutum videns discernere possit. Eadem ἀκρι-
p. 141. βεία utitur Noster in examinando diplomate Caroli IV Imperatoris, quo aliud Ricardi Regis, Ottocaro Regi Bohemiæ olim datum, confirmasse dicitur, & quod Goldastus in Commentario de Regno Bohemiæ in Appendice documentorum edidit, multisque argumentis demonstrat, hoc idem aliis, quæ dubia aut nulla fide edidit Goldastus, esse annumerandum. Vetus fabula est,
247. Joannam, Alberti II Uxorem, Ludovicum Bavarum Imperatorem, propinato toxico, peremisse, quam ab Andreæ Presbyteri Argentinensis autoritate, licet Joannam nominetenus haud designet, originem accepisse, verisimile est; sed mirifice dissidere Autores, & labi omnes, egregie demonstratum dedit noster Au-
256. tor. Rudolphus Dux natus est Anno 1339, quod non argumentis historicis, aut testimonio privato, sed publico, propriaque in sigillo confessione, modo prorsus singulari probatur; ubi tamen monendi sunt Lectores, sphalma typographicum irrepsisse, & loco Anni MCCCXXXIX legi MCCCCXXXXI, quod & ipsa res loquitur, & ipsum sigillum n. XII æri incisum satis testatur.
683. Natali principis Austriaci jungamus alterius Austriacæ Principis emortualem diem nemini memoratum, Margarethæ puta, filiæ Alberti II: est ille XIX Calend. Febr. Anni 1366, ex Monumentis Gemnicensibus præclare erutus. Magna fuit Alberti Ducis in fundatam a se Cartusiam Gemnicensem munificentia, cujus historiam ex monumentis præclarissimis secundum temporis or-
40. dinem digestam hic vix ac ne vix quidem expectaveris. Sed & catalogus venerabilum Antistitum illius Cartusiæ, ab humanissimo doctissimoque Viro, Leopoldo Widemanno, Patre Gemni-
71. cense, communicatus, paulo post legere est. Ferretanorum & Montisbellicardensium Comitum stirpem longe accuratius, quam
204. Guillimannus in Historia Austriaca manuscripta fecerat, tradi-
244. tam alio in loco reperies. Quæ de Academiæ Viennensis antiqui-
429. tate & origine traduntur, Haselbachium, Lazium, Ederum, er-

roris

roris negligentiæque convincunt. Pretium suum merentur Catalogi Rectorum Viennensium ab Alberto de Riggenstorf seu de Saxonia, qui primus A. 1363 laudatissimæ Vniversitati præfuit, ad Joannem usque Cuspinianum, qui A. 1500 fasces tenuit, Præpositorum Cathedralis Ecclesiæ Viennensis, nec non Decanorum ejusdem Ecclesiæ & quæ alia non ad Austriacorum sed Viennensium res pertinentia afferri possent. Nolumus esse prolixiores, cum movere salivam, non sitim studiosorum rei patriæ restinguere fuerit animus.

p. 451.
527.
543.

MISCELLA HISTORIÆ PALATINÆ, CUM maxime vero Bipontinæ, inservientia: GEORGIUS CHRISTIANUS JOANNIS publici juris fecit.

Francofurti ad Mœnum, sumtu Frid. Wilh. Færsteri, 1725, 4. Alph. 2 plag. 2.

CUm Celeb. Editor *Danielis Parei* Historiam Palatinam, cum notis suis A. 1717 editam & ad eundem Annum productam, nova rerum inde usque ad annum superiorem gestarum appendice augere constituisset, non modo curas posteriores in editionem illam, verum & alia quædam, Historiæ maxime Bipontinæ (quam ab eo tempore, quo Bipontum a Carolo XII, qui Lyceum illic aperire decreverat, ad docendam Historiam vocatus fuit Autor, singulari studio coluit,) inservientia, præmittere operæ pretium duxit. Exstant itaque hoc volumine primum Animadversionum in *C. L. Tolneri* Historiam Palatinam specimina duo, quorum primo res Historicas, secundo Genealogicas Ducum Bipontinorum examinat, & multa industria, prolatis subinde diplomatibus, emendat. Cum vero non diffiteatur, plura etiam paroramata sibi in opere illo, alias laudatissimo, animadversa, optamus, ut cetera quoque non invideat eruditis, & stemma imprimis Bipontinum, quod accuratius se evoluturum promittit, in lucem edat, sperantes, id hoc minus ægre laturum Celeb. *Tolnerum*, quod ipse idem jus in alios Scriptores, quos frequenter corrigit, statuendum censuit. Quanti vero momenti sint Nostri observa-

p. 132. ſervationes, vel ex ultima liquet, in qua, dum Tolnerum aſſeruiſſe refert, Jo. Caſimirum C. P. in Cleburg A. 1652 d. 25 Dec. occiſum in Polonia, demonſtrat, eundem potius Menſe Junio ejusdem anni in Suecia vitam placida tranquillaque morte finiviſſe. Succedunt ***Balthaſaris Venatoris***, Viri literatiſſimi, ſed in turbis Palatinis infinitas ærumnas perpeſſi, poſtea Conſiliarii aulici Bipontini (cujus vitam a Noſtro luculenter deſcriptam legere juvabit) Apoſpasmatia, Epiſtola nempe de miſero Germaniæ, præcipue vero Ducatus Bipontini, tempore belli tricennalis ſtatu, anno primum 1637, & Civitatis Bipontinæ Querimonia de debito non debito adverſus Pallantii Moriamæi iniquiſſimas exactiones, A. 1649 vulgata, ſed inventu rariſſima, quibus illorum temporum facies graphice depingitur; ſubjuncta ex MSto Adlocutione ad Collegas Conſiliarios, plena bonæ frugis. His demum ab Autore noſtro tum ejus curæ poſteriores ad ***Pareum***, quibus ea, quæ ad illum de ſcriptis res Palatinas illuſtrantibus præfatus erat, ſupplet, inter alia Conſ. *Frid. Ben. Oertelii* noſtri Diſſertationem de Ruperto commendans; tum ea, quæ ab A. 1717 in Palatinatu religionis, imprimis cauſa geſta ſunt, fideliter ac diſerte deſcripta, ſubjiciuntur.

MEMOIRES DU REGNE DE PIERRE LE Grand, Empereur de Ruſſie, Pere de la Patrie.

i. e.

COMMENTARII HISTORICI REGIMINIS Petri M. Ruſſorum Imperatoris ac Patriæ Patris; Autore JOANNE NESTESURANOJO, Barone.

Tomi II.

Hagæ Com. ap. R. C. Albertum, & Amſtel. ap. Henr. Uytwerf, 1725, 12 maj.
Alph. 2 plag. 3.

DUm Petri, & factis & virtutibus vere Magni, Ruſſorum Imperatoris, morte præmatura extincti, mirandam rerum geſtarum

rum seriem opere digno descriptam exspectamus, offerunt se nobis Commentarii a Russo quodam, ut traditur, scripti, a veritate quidem ut plurimum haud alieni, publicis tamen documentis, si obvia ubivis demas, & interiore factorum causarumque cognitione destituti, ut adeo tanti Herois imaginem ex rebus ipsis elucescentem vix tenui penicillo adumbratam conspiciamus. Tomus I complectitur Historiam eorum, quæ ab origine Russorum usque ad Petri M. tempora obtigerunt; II res gestas, Petro M. imperante, usque ad annum 1706, quas Tomo III, mox typis vulgando, se ad mortem ejus deducturum, Tomo IV autem rei Nummariæ notitiam, & Tomo V exactam terrarum Russicarum descriptionem, rejectis erroribus vulgaribus, expositurum, Autor pollicetur. Ceterum cum pluribus, sat aliunde notis, immixta quædam deprehenderimus scitu non injucunda, ne cuncta insuper habuisse videamur, nonnulla hinc seligere haud abs re fore putamus. Gentes Septentrioni proximas diluvio universali haud correptas, opinatur Autor, unde factum, ut a reliquarum moribus alieniores deprehendantur. T.I. p. 2. Wlodimirus II solennia inaugurationis primus introduxit, unde *Czari* titulo a Clero decorabatur. 14. Cum Daniel, *Magni Ducis* nomine primum insignis, circa annum 1300, sedem suam transtulisset Moscuam, exteri ex eo universum populum Moscovitas vocare cœperunt. 20. Basilius, Demetrii filius testamento Gregorium fratrem, filio Basilio præterito, & Gregorius iste, filiis duobus exclusis, istum Basilium, testamento successores nominarunt. 25. Jo. Basilides quoque id dedit precibus uxoris Sophiæ, ut filium Gabrielem, præterito nepote Demetrio, ex Joanne primogenito prognato, hæredem nuncuparet. 31. Feodor sive Fridericus Alexiades, morti proximus, multis frustra dissuadentibus, salutem populi supremam legem existimans, seposito fratre Joanne, minorem natu, Petrum I Regnis successorem destinavit. 469. Fœderis formula, qua Romanorum Jmperator Maximilianus I axiomate *Imperatoris & Dominatoris omnium Russorum* decoravit Basilium, heic sistitur. 40. Basilius, Joanne satus, uxorem priorem, sterilitatis insimulatam, reluctantem licet, monasterio inclusit. 63. Joannem Basilidem tyrannidis falso accusatum, Noster censet, *Justi* potius & *Boni* nomine dignum, cum artes manuarias, nauticam & commercia curæ cor- 67. 180.

dique

dique habuerit, quæ vero sævitiam redolere videantur, ex genio populorum, cum quibus ipsi bellandum, quosve Imperio regebat, dijudicari debeant.
p. 181. Principi jus summum circa sacra competere, nec Russorum moribus illud fuisse inauditum, demonstravit Basilides, dum sacra munia in monasterio Alexandrino
294. sæpius obiret. Patriarcharum inter Russos autoritas ad summum evecta est, imperante Michaele Fedrovizio, qui parentem, summa hac dignitate Clericali pollentem, cui debebat Imperium, de rebus gravissimis consultare, ipsique in solennibus publicis primum semper locum concedere consuevit. Alexii Legatus ad Clementem X Pont. Romanum, quamvis Romanensium sacris
422. ipsemet esset addictus, pedes tamen Pontificis deosculari recusavit, indignum illud Majestate Domini sui fore dictitans. Nunc
T. II. ad Petri M. tempora delabimur. Cubanskius, Prætorianorum
p. 10 sq. (*Strelizen*) præfectus, Regno inhians, ut filium jungeret Catharinæ, Petri M. sorori, annitebatur; sed Sophia, soror altera, scelus subodorata, ipsum filiumque, ad epulas solennes invitatos, ac in itinere captos, truncari capite curavit. Galliczynius, violenta
45. Sophiæ consilia haud probans, Autor ipsi fuit, ut Joannem fratrem germanum, quem sterilem putaverant, ad matrimonium ineundum induceret. Hoc enim modo Petrum, spe successionis delusum, vitam Ecclesiasticam amplexurum, Joannis autem liberos olim, velut ex adulterio prognatos, regno minus habiles futuros, sibi persuaserat; verum Petro paullo post connubium ine-
64. unte, Galliczynii consilia successu destituta sunt. Ipse Galliczynius,
68. ob atrociorem conjurationem postea detectam, Kargam in exilium abire jussus; ac Sophia, ex fuga in Poloniam retracta, cœno-
100. bio, ipsiusmet sumtibus exstructo, est inclusa. Ceterum causas,
164. cur Petrus divortium fecerit ab uxore prima, frustra in Commen-
183. tariis hisce quæsiveris: injurium vero Autorem pæne deprehendimus in Batavos & Germanos, quos nimiæ curiositatis incusa-
332. re haud veretur. Petrum non timor, quod vulgo jactitabant Sueci, sed rumor, hostes cum valido 50000 exercitu Archangelopoli appropinquare, permovit, ut paucis diebus ante prælium prope Narvam commissum, ad hostes a finibus arcendos festinans, i-
342. tineri se daret. Victores hoc in prælio Suecos Russorum Clerus

rus sortilegii criminis accusabant, unde precibus ardentissimis, hunc in finem compositis, S. Nicolaum armis suis propitium reddere conabantur. Quam alienus fuerit a sanguinis humani profusione Petrus M. vel exinde patet, quod sæpius illustres Viros, p. 419. gravioris criminis reos, velut homines judicio destitutos, saltim ad scurræ aulici officium obeundum damnaverit. Sueci ipsa Ducum Curlandiæ sepulchra rapinis violaverant, unde Russi, ne suis id 563. olim imputaretur, Mitavia occupata, curarunt, ut inventarium de statu, qualis tum erat, Suecis præsentibus, conficeretur. Mardefeldius, dux belli inter Suecos, a Potentissimo Rege *AUGUSTO* clam 601. monitus, ut pace jam conclusa pedem referret prope Kalisium, nescius quippe hactenus illorum, quæ a Rege suo fuerant conventa, artem suspicatus bellicam, bono consilio aures præbere recusabat, unde ipse quodammodo cladis suæ autor exstitit.

ANNOTATIONES IN SUETONIUM DOctissimi D. JACOBI PERIZONII, Professoris Lugduni Bat. celeberrimi, exhibet M. CHRISTIANUS PHILIPPUS KOELNERUS.

Wratislaviæ, apud Mich. Hubertum, 1725, 8.
Alph. 1 plag. 9.

Quæ rationes Editorem harum Annotationum impulerint, ut Perizonii curas luci publicæ exponeret, cum ipse aperire noluerit, nos quidem divinare non possumus. Hoc tamen scimus, si ipse Celeb. Perizonius hujusmodi scriptis orbem onerare voluisset, potuisse illum singulis septimanis in singulos autores observationes bibliopolis tradere. At is reverentius habebat famam suam; neque illam unquam hujusmodi tumultuaria scriptione læsisset. Nihil enim aliud continent hæ Annotationes, nisi breves quasdam explicationes verborum, antiquitatum quarundam, & si quæ sunt alia, quæ prima statim fronte produnt, esse ex Scholis sive lectionibus Perizonianis totum hoc opus constipatum. Circumferuntur nempe hodieque similes Annotationes Gronoviorum, Cuperi, Schultingii aliorumque in varios

Scriptores, quas ipsi Autores nunquam eo consilio effuderunt, ut aliquando eo habitu cum orbe erudito communicarentur; sed tantum privato discipulorum suorum usui destinarunt. Multæ etiam ex iisdem Annotationibus a male feriatis hominibus suppositæ sunt. Quas si quis post fata autorum typis describere jubet, næ iste injurius est in manes Virorum eruditorum, & exemplum posteris prodit optimi cujusque famam lacerandi. Quis enim ex eruditis schedarum suarum securus esse poterit, aut quis eas omnes ita conscripsit, ut ab alio quovis, sine lima nostra, cum aliis communicari possint? Viderit itaque Cl. Editor, quam gratiam apud eruditos initurus est, cum Viri doctissimi non satis limatas adnotationes edidit. Maxima enim pars non nisi vulgaria continet, & quæ vel Pitiscus ille dudum docuit. Pauca, quæ luce digna videri possent, non nisi tironibus proderunt, qui ne ipsi quidem inopia talium observationum laborant. Accedit denique, quod omnia valde negligenter tractata & innumeris mendis conspurcata sunt. V. gr. pag. 431 citatur monumentum *Anegranum*, cum haud dubie Ancyranum esset scribendum. Pag. 481 pro *exsilio* scribendum esse *exilio* docetur; ubi pro *exordio* scribendum esse *exodio* exprimere debuerunt. Et talia quidem infinita occurrunt.

CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI *Pœcile, sive Epistolæ miscellaneæ.* *Tomi II Liber I.*

Halæ, in officina Rengeriana, 1726, 8.
Plag. 10.

NOvum nuper exorsus est Clarissimus *Heumannus*, Collega noster perindustrius, *Pœciles* suæ Tomum, cujus en Librum primum! Hujus *prima* Epistola illustrat quatuor Græcorum librorum titulos, quorum Latina versio in usu est falsissima. Docet igitur ex ipso Xenophonte, ejus opus de Κύρȣ παιδεία perperam nominari *de institutione Cyri*, cum παιδεία ibi designet *vitam, virtutes atque instituta Cyri*. Hac occasione etiam profitetur, se opus illud Xenophontis contra, ac Cicero olim indicavit,

cavit, habere pro historia verissima. Deinde eos docet errare, qui Aristotelis libro περὶ ἑρμηνείας Latinum præscripserunt titulum *de interpretatione*, cum ibi ἑρμηνεία nihil sit aliud, quam *elocutio Logica*. Tum Luciani librum, Βίων πρᾶσις inscriptum, hoc Latino titulo insigniri jubet: *Sectarum Philosophicarum auctio*, demonstratque, Sectas Philosophorum Græcis appellatas fuisse βίους. Denique multis contendit, M. Antonini Imp. libros εἰς ἑαυτὸν verti Latine debere: *ad se ipsum* sive *Soliloquia*: qua occasione pluribus exemplis probat, τὸ εἰς sæpe poni pro πρὸς, & τὸ *in* sæpe pro *ad*. *Secunda* Epistola judicia Autoris exhibet de aliquot libris Theologicis, eaque cum severa, tum libera, & quidem de *Lutheri Colloquiis mensalibus*, de *Seckendorfii Historia Lutheranismi*, de *Dallæi* opere *de usu Patrum*, deque ejus libro *adversus Latinorum de cultus religiosi objecto traditionem*, de *Chemnitii Examine Concilii Tridentini*, de *Alex. Mori Notis ad N. T.* de *Sarpii Historia Concilii Tridentini*, de *Joan. la Placette* libro *de Scepticismo Rom. Ecclesiæ*, de *Philastrii libro de hæresibus*, de *Witsii Oeconomia fœderum*, de *Elswichii* libro *de reliquiis Papatus*, de *Conringii Concussione fidei Pontificiæ*, denique de *Schuzii Vita Chytræi*. *Tertia* Epistola observantur duo veterum Poetarum fragmenta in Cicerone & Seneca, quæ adhuc fugerunt Criticorum oculos, simulque & Gellii & Senecæ loca aliquot emendantur. *Quarta* exhibetur emendatum & illustratum carmen Petri Apollonii Collatini *de duello Davidis & Goliathi*, cujus primam editionem nos in his Actis commemoravimus A. 1692 p. 558. *Quinta* multis argumentis contenditur, relationem Eusebii de cruce cœlesti a Constantino M. conspecta falsam prorsus esse, atque Imperatorem illum summæ Eusebii simplicitati ea narratione suaviter illusisse. *Sexta* catalogus repræsentatur clarorum hominum, qui ex variis nationibus vel nomen vel cognomen gesserunt *Bonorum*. Occasione hac illustratur locus *Joan. I*, 47: *An potest a Nazareth esse aliquod BONI?* doceturque, ἀγαθὸν hic loci idem esse, quod *excellens & eximium*: cujus notionis exempla producuntur e Xenophonte, Æschine, & Aristotele. *Septima* investigatur etymologia nominis *Pedantæ*, ostenditurque, ei nomini originem dedisse *Pedanum*

 quen-

dique habuerit, quæ vero ſævitiam redolere videantur, ex genio
populorum, cum quibus ipſi bellandum, quosve Imperio rege-
p. 181. bat, dijudicari debeant. Principi jus ſummum circa ſacra com-
petere, nec Ruſſorum moribus illud fuiſſe inauditum, demon-
ſtravit Baſilides, dum ſacra munia in monaſterio Alexandrino
294. ſæpius obiret. Patriarcharum inter Ruſſos autoritas ad ſummum
evecta eſt, imperante Michaele Fedrovizio, qui parentem, ſum-
ma hac dignitate Clericali pollentem, cui debebat Imperium, de
rebus graviſſimis conſultare, ipſique in ſolennibus publicis pri-
mum ſemper locum concedere conſuevit. Alexii Legatus ad
Clementem X Pont. Romanum, quamvis Romanenſium ſacris
422. ipſemet eſſet addictus, pedes tamen Pontificis deoſculari recu-
ſavit, indignum illud Majeſtate Domini ſui fore dictitans. Nunc
T. II. ad Petri M. tempora delabimur. Cubanskius, Prætorianorum
p. 10 ſq. (*Strelizen*) præfectus, Regno inhians, ut filium jungeret Catha-
rinæ, Petri M. ſorori, annitebatur; ſed Sophia, ſoror altera, ſce-
lus ſubodorata, ipſum filiumque, ad epulas ſolennes invitatos, ac
in itinere captos, truncari capite curavit. Galliczynius, violenta
45. Sophiæ conſilia haud probans, Autor ipſi fuit, ut Joannem fra-
trem germanum, quem ſterilem putaverant, ad matrimonium
ineundum induceret. Hoc enim modo Petrum, ſpe ſucceſſionis
deluſum, vitam Eccleſiaſticam amplexurum, Joannis autem li-
beros olim, velut ex adulterio prognatos, regno minus habiles
futuros, ſibi perſuaſerat; verum Petro paullo poſt connubium ine-
64. unte, Galliczynii conſilia ſucceſſu deſtituta ſunt. Ipſe Galliczynius,
68. ob atrociorem conjurationem poſtea detectam, Kargam in exili-
um abire juſſus; ac Sophia, ex fuga in Poloniam retracta, cœno-
100. bio, ipſiusmet ſumtibus exſtructo, eſt incluſa. Ceterum cauſas,
164. cur Petrus divortium fecerit ab uxore prima, fruſtra in Commen-
183. tariis hiſce quæſiveris: injurium vero Autorem pæne deprehen-
dimus in Batavos & Germanos, quos nimiæ curioſitatis incuſa-
332. re haud veretur. Petrum non timor, quod vulgo jactitabant Sueci,
ſed rumor, hoſtes cum valido 50000 exercitu Archangelopoli
appropinquare, permovit, ut paucis diebus ante prælium pro-
pe Narvam commiſſum, ad hoſtes a finibus arcendos feſtinans, i-
348. tineri ſe daret. Victores hoc in prælio Suecos Ruſſorum Cle-
rus

rus sortilegii criminis accusabant, unde precibus ardentissimis, hunc in finem compositis, S. Nicolaum armis suis propitium reddere conabantur. Quam alienus fuerit a sanguinis humani profusione Petrus M. vel exinde patet, quod sæpius illustres Viros, gravioris criminis reos, velut homines judicio destitutos, saltim ad scurræ aulici officium obeundum damnaverit. Sueci ipsa Ducum Curlandiæ sepulchra rapinis violaverant, unde Russi, ne suis id olim imputaretur, Mitavia occupata, curarunt, ut inventarium de statu, qualis tum erat, Suecis præsentibus, conficeretur. Mardefeldius, dux belli inter Suecos, a Potentissimo Rege *AUGUSTO* clam monitus, ut pace jam conclusa pedem referret prope Kalisium, nescius quippe hactenus illorum, quæ a Rege suo fuerant conventa, artem suspicatus bellicam, bono consilio aures præbere recusabat, unde ipse quodammodo cladis suæ autor exstitit.

p. 419.
563.
601.

ANNOTATIONES IN SUETONIUM DOctissimi D. JACOBI PERIZONII, Professoris Lugduni Bat. celeberrimi, exhibet M. CHRISTIANUS PHILIPPUS KOELNERUS.

Wratislaviæ, apud Mich. Hubertum, 1725, 8.
Alph. 1 plag. 9.

QUæ rationes Editorem harum Annotationum impulerint, ut Perizonii curas luci publicæ exponeret, cum ipse aperire noluerit, nos quidem divinare non possumus. Hoc tamen scimus, si ipse Celeb. Perizonius hujusmodi scriptis orbem onerare voluisset, potuisse illum singulis septimanis in singulos autores observationes bibliopolis tradere. At is reverentius habebat famam suam; neque illam unquam hujusmodi tumultuaria scriptione læsisset. Nihil enim aliud continent hæ Annotationes, nisi breves quasdam explicationes verborum, antiquitatum quarundam, & si quæ sunt alia, quæ prima statim fronte produnt, esse ex Scholis sive lectionibus Perizonianis totum hoc opus constipatum. Circumferuntur nempe hodieque similes Annotationes Gronoviorum, Cuperi, Schultingii aliorumque in varios

Scriptores, quas ipſi Autores nunquam eo conſilio effuderunt, ut aliquando eo habitu cum orbe erudito communicarentur; ſed tantum privato diſcipulorum ſuorum uſui deſtinarunt. Multæ etiam ex iisdem Annotationibus a male feriatis hominibus ſuppoſitæ ſunt. Quas ſi quis poſt fata autorum typis deſcribere jubet, næ iſte injurius eſt in manes Virorum eruditorum, & exemplum poſteris prodit optimi cujusque famam lacerandi. Quis enim ex eruditis ſchedarum ſuarum ſecurus eſſe poterit, aut quis eas omnes ita conſcripſit, ut ab alio quovis, ſine lima noſtra, cum aliis communicari poſſint? Viderit itaque Cl. Editor, quam gratiam apud eruditos initurus eſt, cum Viri doctiſſimi non ſatis limatas adnotationes edidit. Maxima enim pars non niſi vulgaria continet, & quæ vel Pitiscus ille dudum docuit. Pauca, quæ luce digna videri poſſent, non niſi tironibus proderunt, qui ne ipſi quidem inopia talium obſervationum laborant. Accedit denique, quod omnia valde negligenter tractata & innumeris mendis conſpurcata ſunt. V. gr. pag. 431 citatur monumentum *Anegranum*, cum haud dubie Ancyranum eſſet ſcribendum. Pag. 481 pro *exſilio* ſcribendum eſſe *exilio* docetur; ubi pro *exordio* ſcribendum eſſe *exodio* exprimere debuerunt. Et talia quidem infinita occurrunt.

CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI *Pœcile, ſive Epiſtolæ miſcellaneæ.* Tomi II Liber I.

Halæ, in officina Rengeriana, 1726, 8.
Plag. 10.

NOvum nuper exorſus eſt Clariſſimus *Heumannus*, Collega noſter perinduſtrius, *Pœciles* ſuæ Tomum, cujus en Librum primum! Hujus *prima* Epiſtola illuſtrat quatuor Græcorum librorum titulos, quorum Latina verſio in uſu eſt falſiſſima. Docet igitur ex ipſo Xenophonte, ejus opus de Κύρȣ παιδείᾳ perperam nominari *de inſtitutione Cyri*, cum παιδεία ibi deſignet *vitam, virtutes atque inſtituta Cyri*. Hac occaſione etiam profitetur, ſe opus illud Xenophontis contra, ac Cicero olim indicavit,

cavit, habere pro historia verissima. Deinde eos docet errare, qui Aristotelis libro *περὶ ἑρμηνείας* Latinum præscripserunt titulum *de interpretatione*, cum ibi ἑρμηνεία nihil sit aliud, quam *elocutio Logica*. Tum Luciani librum, Βίων πρᾶσις inscriptum, hoc Latino titulo insigniri jubet: *Sectarum Philosophicarum auctio*, demonstratque, Sectas Philosophorum Græcis appellatas fuisse βίους. Denique multis contendit, M. Antonini Imp. libros *εἰς ἑαυτὸν* verti Latine debere: *ad se ipsum* sive *Soliloquia*: qua occasione pluribus exemplis probat, *τὸ εἰς* sæpe poni pro *πρὸς*, & *τὸ in* sæpe pro *ad*. *Secunda* Epistola judicia Autoris exhibet de aliquot libris Theologicis, eaque cum severa, tum libera, & quidem de *Lutheri Colloquiis mensalibus*, de *Seckendorfii Historia Lutheranismi*, de *Dallæi* opere *de usu Patrum*, deque ejus libro *adversus Latinorum de cultus religiosi objecto traditionem*, de *Chemnitii Examine Concilii Tridentini*, de *Alex. Mori Notis ad N. T.* de *Sarpii Historia Concilii Tridentini*, de *Joan. la Placette* libro *de Scepticismo Rom. Ecclesiæ*, de *Philastrii libro de heresibus*, de *Witsii Oeconomia fœderum*, de *Elswichii* libro *de reliquiis Papatus*, de *Conringii Concussione fidei Pontificiæ*, denique de *Schuzii Vita Chytræi*. *Tertia* Epistola observantur duo veterum Poetarum fragmenta in Cicerone & Seneca, quæ adhuc fugerunt Criticorum oculos, simulque & Gellii & Senecæ loca aliquot emendantur. *Quarta* exhibetur emendatum & illustratum carmen Petri Apollonii Collatini *de duello Davidis & Goliathi*, cujus primam editionem nos in his Actis commemoravimus A. 1692 p. 558. *Quinta* multis argumentis contenditur, relationem Eusebii de cruce cœlesti a Constantino M. conspecta falsam prorsus esse, atque Imperatorem illum summæ Eusebii simplicitati ea narratione suaviter illusisse. *Sexta* catalogus repræsentatur clarorum hominum, qui ex variis nationibus vel nomen vel cognomen gesserunt *Bonorum*. Occasione hac illustratur locus *Joan. I*, 47: *An potest a Nazareth esse aliquod BONI?* doceturque, ἀγαθὸν hic loci idem esse, quod *excellens & eximium*: cujus notionis exempla producuntur e Xenophonte, Æschine, & Aristotele. *Septima* investigatur etymologia nominis *Pedantæ*, ostenditurque, ei nomini originem dedisse *Pedanum*

 quen-

quendam, Italiæ Sæculo XV Grammaticum: unde rectius dici *Pedanum* & *Pedanismum*, quam *Pedantam* & *Pedantismum*. *Octava* refellitur primo argumentum Pontificiorum, a prudentia ecclesiastica petitum, quo recte vetari Laicis judicant lectionem S. Scripturæ: deinde docetur, autoritatem Papæ decidendi controversias fidei niti fundamento infirmissimo, ex quo facilius probetur, Petrum, Russorum Monarcham, esse caput Ecclesiæ. *Nona* & subsequentibus duabus e codice M S. optimæ notæ emendantur *Poggii Florentini libri de varietate fortunæ*, nuper Lutetiæ mendosius publicati ac minus perfecte. *Duodecima* recensetur *Symposii Lactantiani* editio, quæ A. 1607 Romæ prodiit cura Iosephi Castalionis, ac simul Italica illius *Symposii* versio, ibidem A. 1603 prelo subjecta a Jacobo Castalione, Josephi patre. Sequitur decimo tertio loco Dissertatio *de stella Magis prælucenti*, in qua nova plane proponitur istius historiæ interpretatio. Scilicet postquam ostendit, Magos illos e vaticinio Danielis cognovisse, illo ipso tempore nasciturum esse Iudæorum Messiam; eosque orta nova stella per somnium a Deo edoctos esse, stellam hanc esse indicem ac veluti præconem novi Judæorum Regis, simulque Judæam petere jussos; judicat, eos & Hierosolymam & deinde Bethlehemum petiisse, atque huc noctu delatos, cum domui, in qua Maria Deipara erat, proximi starent, subito eandem stellam, quam in Persia viderant, in cœlo observasse, justoque ob id perfusos gaudio statim intrasse illam domum, ac ibi reperisse sanctissimum infantulum. Negat enim, stellam Magorum ducem fuisse itineris, cumque Matthæus refert, *stellam præcessisse Magos*, id interpretandum censet sensu plusquam perfecto. *Stella*, inquit, *quam viderant in Oriente, præcesserat eos*. Confirmat hanc suam sententiam alio Matthæi loco *Cap. XXVIII*, 7, ubi Christus dicitur discipulos suos *præcessisse* in Galilæam, non quod is itineris ducem se iis præbuerit, sed quod ante eos illuc venerit. Simul refellit sententiam
p. 137 seq. non neminis, qui arbitratus erat, Magos illos fuisse viros literatos, a Judæorum Archisynagogis aut præsidibus ex illorum gente & Synagoga, e regionibus transjordanensibus, e Syria præcipue, in Judæam ablegatos ad quærendum suum diu desideratum

tum Messiam. Vltimum locum tenet dissertatio *de sanctitate Regum*, in qua postquam ex antiquis monumentis docuit, Reges appellari solitos fuisse *sanctissimos*, naturam ac partes *sanctitatis regiæ* investigat. Consistere igitur in eo censet Regum sanctitatem, ut (1) tanta prosequendi sint reverentia, qua majorem erga ullum hominem concipere non possimus: quia nimirum non solum sint patres ac domini suorum civium, sed ab ipso Deo civitatibus præfecti, adeoque summi Numinis sint vicarii; (2) prorsus sint inviolabiles; (3) singulari Dei providentia & serventur & defendantur.


EVERHARDI FEITHII ANTIQUITATUM Homericarum Libri IV.

Amstelodami, apud Sal. Schouten, 1726, 8.
Alph. 1 plag. 6.

IAmdudum desiderata fuit nova hujus libri, cujus auctorem Bælius *Dictionario* suo inserere dignatus est, editio. Cum igitur primæ editionis, A. 1677 factæ, nullum bibliopolis superesset exemplar, & altera editio, in *Thesauro Antiq. Græc.* Gronoviano *T. VI* facta, paucorum reperiatur in bibliothecis; laudem profecto & gratias meretur novus Editor, tam utile opus reducens in scenam literatam. Est autem nova hæc editio prioribus accuratior. Sublata enim sunt, ut Præfatio docet, menda typographica: locis Homeri additus est & librorum & versuum numerus: imo addita sunt nonnulla, quæ diversa typorum forma exprimuntur: ac denique Index accessit cum rerum, tum verborum. Ad ipsum opus quod attinet, quicquid de prisca religione, priscisque ritibus ac moribus, sive publicis sive privatis, scriptum reliquit rex poetarum, hic admodum concinne suos redactum sub titulos reperitur, magno lectorum commodo. Ac libro quidem *primo* exhibentur Antiquitates sacræ, *secundo* politicæ, *tertio* domesticæ, *quarto* militares, adjunctis de agricultura, de venatione, de musica, de saltatione, deque variis ludorum generibus commentationibus accuratis. Reperies itaque hic, quæ tradidit Homerus de Diis Græcorum, de locis & ministris sacris, de

de precibus ac votis, de ſacrificiis, de ſepultura, de luſtrationibus, de divinationibus. Occurrunt deinceps Homerica loca de Regibus, eorumque inſignibus, judiciis & pœnis: de contractibus civilibus, de hæreditatibus, de nuptiis, de liberis ac ſervis. Tum offendes convivia veterum, veſtitum, ornatum, domicilia. Postremo de armis, navibus, obſidionibus, præliis, pace ac fœderibus, duce Homero, diſſeritur. Hæc commemoraſſe ſufficiat. Non eſt enim noſtri moris, libros veteres uberiori recenſione perſequi, maxime illos, quos jamdudum excepit applauſus eruditorum communis.

PARELII DUO CUM PARTE HALONIS Iridem *inverſam repræſentantis*, *die* 7 *Febr. Gieſſæ Haſſorum obſervati a* D. *JO*. MELCHIORE VERDRIES, *Med. & Phyſic.* P. P. O.



Die

Die septimo Februarii, hujus anni, acerrimum frigus, quod ante aliquot dies cœperat, magno rigore perdurabat: cœlum mane, oriente Sole, erat, ad sensum, serenum & illime, ventus borealis, mercurius in barometro eo altitudinis constitutus, ut cœlum serenum significaret & promitteret. Post horam nonam, cum negotiis gravioribus districtus mutatum aliquo modo cœli statum non perciperem, ab amico nuntium accipio, conspici in cœlo iridem. Mirabar nuntium & vix possibile credebam, eo cœli statu, qui adhuc videbatur serenus, in conspectum venire iridem. Interea actutum in locum me confero, ubi liberius prospicere cœlumque tueri possem, accurrit simul dictus modo amicus, & statim oculis nostris se sistit segmentum quoddam halonis iridis coloribus elegantibus atque satis distinctis conspicuum: crura versus regionem verticalem protendebantur, ut iris inversa videretur. Cœlum ea parte erat serenum, rariori tamen vapore albicante pellucido, ut videbatur, obductum. Cum vero eo loci processissem, ubi orientalem cœli plagam Solemque ipsum conspicere dabatur, elegantissimum oculis occurrebat phænomenon. Sol jam ad 17 gradus supra horizontem positus extraordinario & admirando fulgore mirum in modum exsplendescebat, magnaque & pulchre ex flavo albicante corona cinctus comparebat. Ad latera Solis, in ipsa illa corona, apparebat utrinque Parelius pulchre albicans & radians, ita ut corona in illo loco, ubi Parelii conspiciebantur, ab alia quasi secari videretur, quamvis circulum magnum horizonti parallelum, qui alias cum ejusmodi phænomenis observari solet, licet solicite & studiose quæsitum, observare non potuerim. Cœlum utcunque adhuc erat serenum, magnoque splendore oculorum aciem præstringente illisque officiente repletum, vapor tamen aut nebula rarior per aerem universum dispersa videbatur, quæ sub ipsa observatione, in forma lamellarum aut foliorum oblongorum, instar nivis, confestim decidebat, ut terra quasi nive vel pruina contegeretur, urgente simul frigore penetrantissimo. Cumque Solis radii liberius adhuc transirent & omnia collustrarent, totus aeris tractus, pulcherrimo spectaculo, non tantum mirum in modum illuminatus, sed innumeris radiantibus quasi speculis refertus

tus

rus lumen intendebat & diſpergebat. Cum poſtea locum altiorem conſcenderem, ipſa phænomena adhuc conſtanter comparebant: obſervabam tamen vapores & nebulas per ventum Euro-Notum, qui vento Boreali, mane adhuc flanti, ſucceſſerat, magna copia advehi totumque hemiſphærium iisdem, inprimis circa horizontem, jam repletum, ut omnia circumcirca optica denſitate valde obſcurata apparerent: ſicut & mercurius in Barometro jam ad decem fere lineas deſcenderat. Cum per aliquod temporis ſpatium phænomena intuerer, aerem, advectis ſucceſſive denſioribus vaporibus & nebulis, magis obſcurari videbam, ita ut & Soles ſpurii, cumprimis circa limbum, rubicundum colorem exhiberent, corona vero & ſegmentum halonis magis magisque diluerentur, donec poſt horam decimam, cœlo jam albicante nubium tractu obducto, omnia diſparerent.

Ipſa phænomena, prout illa cum amicis aliisque pluribus concurrentibus hominibus conſpexi atque delineavi, adjecta figura exhibet. Diametrum coronæ Solem cingentis 45 grad. deprehendi, unde Sole 17 grad. ſupra horizontem elevato, pars hujus coronæ inferior ſub horizonte ortivo latebat. Supra coronam, ut figura commonſtrat, halonis ſegmentum, iridis coloribus pulchre radians, in oculos incurrebat, ea plane tum magnitudinis tum diſtantiæ proportione, quam figura oſtendit, ſicut & ordo colorum iridis primariæ colorum ordinem imitabatur. Interior erat purpureo-cœruleus, hunc ſequebatur viridis & hunc flavo-rubicundus.

Ex enarratis hisce, quæ hæc phænomena circumſtabant, conditionibus ſatis ſuperque perſpicitur, aerem tum temporis vaporibus & particulis glacialibus fuiſſe refertum; cum lamellæ & foliola glaciei per aerem volitantia & decidentia potuerint conſpici. Illos vapores fuiſſe rariores, quamdiu ſcilicet phænomena conſpici poterant, neque alte ſuper invicem coacervatos; cum lucem copioſe & abundanter transmiſerint, ſerenitatem non interceperint & cœli colorem oculis non eripuerint. Fuiſſe quoque terræ propiores, cum nebulæ inſtar deciderint atque horizontem obſcuraverint. De modo, quo ſecundum leges opticas illa phænomena fuerint producta, cuilibet judicium liberum eſto.

PRO-

PROBLEMA ARITHMO-TECHNICUM, Arithmophilis ad dijudicandum, utrum illud pro possibili aut impossibili solutu habendum sit, propositum a JOH. WILHELMO THEOD. LEICHNERO, Erffurtensi, Ph. M. & Dicast. Electoral. Erffurtens. Adv. Ord.

SEx invenire numeros tales, ut si eorundem primo quicunque numerus integer pro lubitu assumitur; secundo autem dicti numeri pro lubitu assumti quadratum; tertio ejusdem cubus; quarto ejusdem biquadratum; quinto ejusdem surde-solidus & sexto tandem ejusdem Quadrati-Cubus multiplicetur, bisque productis in unam summam collectis illius pro lubitu assumti numeri Bisurdesolidus addatur, hæc posterior summa semper per 5040 sit divisibilis. Seu: *Invenire sex coefficientes numeros, qui in sequenti quantitate Algebraica:* $x^7 + ax^6 + bx^5 + cx^4 + dx^3 + ex^2 + fx$ *pro a, b, c, d, e, f substituti producant semper numerum per 5040 divisibilem, quemcunque numerum (ubique tamen eundem) pro x substituas.*

Cum nullus dubitem, plerosque & tantum non omnes, ipsos etiam Arithmo-technites hoc problema pro impossibili solutu esse habituros, operæ pretium duxi, idem publice proponere, certioresque Arithmophilos insuper facere, esse quendam qui non solum pro solutu possibili reputat, sed & ipsam solutionem intra non longum temporis spatium invenire spondet, si ii qui ejus impossibilitatem sibi nimium persuadent, præmium centum nummorum uncialium vicissim spondeant, quemadmodum reciproce ipse centum aureos Hungaricos iisdem se soluturum sancte promittit, si dictum problema stipulandum intra tempus solutum dare nequiverit. Rogatos igitur vult Arithmo-Dædalos, ut quam proxime mentem suam hoc super problemate declarare haud dedignentur, quod vel per literas privatas, enata occasione ad me supra nominatum deferendas, vel etiam, si ita lubet, publicas his Actis inserendas, fieri poterit. Si autem forteam etiam alii nonnulli solutionem dare in se suscepturi sint, eos &

dicti præmii ex æquo participes redditurum promittit, hac tamen conditione, ut si in solvendo problemate deficiat aliquis eorum, tantam mulctam, inter solventes ex æquo itidem dividendam, solvat, quantam pecuniæ partem alioquin accepturus fuisset. Quod si etiam impossibilitatis persuasi plus pecuniæ in casum solutionis offerant, semper duplum oblatæ pecuniæ in casu succumbentiæ rependendum in se recipit. Poterunt autem sat commode quamplures, qui impossibilitatis sunt persuasi, conjunctim ad solvendum in casu soluti problematis prædictum præmium se obstringere; uni enim vel duobus, tribus &c. nimium procul dubio id videbitur.

C. A. HAUSEN MATH. P. P. SOLUTIO *problematis modo propositi.*

In casu proposito est $a=21$, $b=175$, $c=735$, $d=1624$, $e=1764$, $f=720$; sit $x=2$, & x^7+ax^6 &c. sit $40320=5040 \times 8$. Sed etiam generaliter $x^m+ax^{m-1}+bx^{m-2}+cx^{m-3}\ldots\ldots+qx$ admittit coefficientes ejusmodi, ut summa dividi possit per $1\times2\times3\times4\ldots.x^m$; Sit enim $m-1=A$, $m-2=B$, $m-3=C$, $m-4=D$. &c. & erit

$a=A+B+C+D$ &c.

$b=AB+AC+AD+BC+BD+CD$ &c.

$c=ABC+ABD+ACD+BCD$ &c.

$d=ABCD+$ &c. &c.

Quibus valoribus substitutis divisio procedet. Sed hujusmodi problemata hodie nihil habent difficultatis, unde & demonstrationem omitto.

JO. FRIDERICI WEIDLERI INSTITUTIONES *Geometriæ subterraneæ.*

Vitembergæ, apud viduam Gerdesiam, 1726, 4. Plag. 10 Figur. 1 plag.

CL. Weidlerus, Mathematum superiorum in Academia Vitembergensi celeberrimus, qui nuper iter ad Belgas, Anglos Gal-

Gallosque ingressus est, explicat hoc libello artificia fodinas metiendi, hactenus fere solum a pragmaticis tractata, eademque ex genuinis puræ Matheseos principiis demonstrare nititur. Quem in finem, præmissa Geometriæ subterraneæ & partium ejusdem descriptione, postea terminos technicos, & instrumenta finitorum, & eadem componendi rationem illustrat. p. 1-24. Et cum magneticæ acus adminiculis inprimis juventur specuum mensores, de eadem & ejus virtutibus & vitiis, horumque remediis, copiose p. 16 disquirit. Hinc de triangulo rectangulo, tanquam primario artis fundamento, & perpendiculorum & basium tabulis, divisioni mensurarum fossoribus usitatarum aptatis, agit, ipsasque tabulas p. 33 sq. exhibet. Dimensionem autem fodinarum, compasso pensili & jacente, item absque magnete in ferrifodinis instituendam, p. 51, nec non resolutionem numerorum in cavernis repertorum p. 58, & ichnographiam mensionum sub terra factarum p. 60 uberius exponit. Similiter de mensione subdiali p. 63, & ejus pictura p. 64 ex instituto disserit. Atque ex his derivantur tandem subsidia pro investiganda distantia punctorum subterraneorum, ab aliis intra & extra terram datis, p. 66, & monstrando proximo ad specus accessu, p. 73. Reliqua opusculi pars destinata est vexatissimo difficillimoque de venis & fibris metallicis argumento, p. 75, & explicandis legibus ortographicæ & scenographicæ fodinarum picturæ distinctius ob oculos ponendæ, p. 79 sq.

SATURNILABIUM, ID EST, INSTRUMENTUM Astronomicum, quo in Systemate Saturnio positiones Saturni & Satellitum ejus inter sese, ut & eclipses eorum atque occultationes mutuæ ad quodvis tempus sine aut concurrente calculo facile, exacte ac prompte exhibentur & producuntur. Opera ac studio LOTHARII ZUMBACH DE KOESFELD, Med. Doct. illustr. Carolinæ Cassellis Mathemat. Prof. Ordin. Regiæ Scient. Societ. Boruss. Membri.

Amſtelodami, ſumtibus Gerardi Valck, Chalcographi, 1726, 4.
Plag. 9 Tabb. æn 2.

PLura jam elapſa ſunt luſtra, ex quo Cl. Autor, rei Aſtronomicæ peritiſſimus, inſtrumentum excogitavit, cujus ope absque calculo methodo facillima planetarum loca ad datum quodcunque tempus determinari poſſunt, & cui *Planetolabii* nomen indidit. Edidit ejus deſcriptionem A. 1696 Lugd. Bat. in 4 (plag. 14½ Tabb. æn 4) qui Tractatus, inſtrumenti & conſtructionem & uſum continens, ad nos non pervenit, adeoque in his Actis non comparuit. Quoniam poſtea *Gerardus Valck* hoc inſtrumentum in uſum aſtrophilorum parare cœpit; ideo Cl. Autor A 1700 Amſtelodami in 4 aliam dedit *Planetolabii* editionem (6½ plag. 2. Tabb.) quæ ſolum inſtrumenti uſum declarat. Acceſſit A. 1716 *Jovilabium*, de quo diximus in Actis ejusdem anni, & nunc demum *Saturnilabium*, ut aſtrophilis ex aſſe ſatisfieret. Quoniam ſyſtema Saturnium oculo armato pene plura phænomena ſiſtit, quam ſeptem illi veteres planetæ nudo oculo viſibiles; ideo Noſter non modo docet, quomodo ea per inſtrumentum quoddam, verum etiam quomodo per tabulas in hunc finem a ſe ſupputatas facile determinari poſſint, præſertim cum ſpem non vanam eſſe ſibi affirmet, fore, ut tubi breviores & commodiores iis detegendis ſufficiant, quæ nunc non patent, niſi oculo tubo optico longiori & excellentiori armato. Dubio procul per tubos hosce breviores intelligit *Newtonianos* catoptricodioptricos, quos ipſe inventor *Newtonus* in Optica & ex eadem *Wolfius* in Elementis Dioptricæ deſcribit. Hactenus Satellites Saturni nemo mortalium vidit, excepto *Hugeniano*, præter Gallos atque Anglos Aſtronomos. His igitur ſeſe debere obſervationes & hypotheſes ac menſuras Syſtematis Saturnii ſponte profitetur Autor. Sibi nihil vindicat, quam quæ ex iis deduxit plurima conſectaria atque fabricam inſtrumenti & ſupputationem Tabularum. Ob raritatem obſervationum adeo difficilium, quæ in pauciſſimorum poteſtate ſunt, jure poſtulat, ne imperfectionem in praxi *Saturnilabii* animadverſam ſoli inſtrumento aut Tabulis magno labore ſupputatis tribuas. Brevis eſt inſtrumenti admodum ſimplicis deſcriptio: maximam ſibi partem uſus ejusdem

dem & Tabularum vindicat. Docet itaque, quomodo inventa longitudine *Saturnii Satellitis* media, & adhibita, si ita visum fuerit, æquatione luminis reflexi *Ræmeriana* vulgo in Satellitibus Jovis admissa, distantia apparens ab orbita Saturni inveniatur & typus positionis Satellitum ad Saturnum, tum inter sese designetur. Decem mox proponit regulas, juxta quas phases *annuli Saturnii* determinentur hoc ævo, quando vel rotundus apparet, vel latissimis ansis instructus, & ulterius progressus monstrat, quomodo phases intermediæ in diversa annuli dilatatione & expansione, ac in varia inclinatione apparente diametri majores ellipseos tam ad orbitam Saturni, quam ad Eclipticam delineentur ad datum quodcunque tempus. Docet tandem, quomodo Satellitis cujuscunque proxime futura conjunctio prope vera cum Saturno post datum tempus reperiatur, repertum una cum loco Saturni heliocentrico exactius determinetur, eclipses prædicantur eorumque momenta describantur. Quatuor primos Satellites per umbram quoque annuli eclipsari posse ostendit: etsi autem istæ eclipses rarissime contingant, eas tamen præcognoscere docet, propterea quod sint curiosissimæ. Et quoniam non omnes Satellitum Saturniorum eclipses terricolis visibiles, ideo quoque monstrat, quomodo distinguatur, num sint futuræ visibiles, necne. Ultimo denique loco aperit, quomodo umbra tam annuli, quam globi Saturnii situs & positio versus dextram vel sinistram Saturni tempore, quo Satelles in umbram immergitur, aut emergit, optice in plano chartæ delineetur. Quoniam Planetolabium suum juxta hypotheses & mensuras *Bullialdi* construxit & circulo æquante usus; coronidis loco monet, idem posse construi juxta hypotheses & mensuras quascunque alias, cujus rei specimen extat in Cl. *Doppelmayeri* parte tertia Scholæ mechanicæ *Bionis*, & præterea docet, quomodo anomalia media ex arearum æqualitate *Kepleriana* corrigatur, ut locus verus adhuc in Planetolabio indicetur verus.

TRIAS DISSERTATIONUM PHYSICO-MEDicarum, Chorographiam Medicam potissimum spectantium

tium, *Autore* CHRISTIANO MICHAELE ADOLPHI, *Phil. & Med. Doctore, Facult. Med. Assessore, S. R. I. Academ. Natur. Curios. Collega, & B. M. V. Collegii Collegiato.*

Lipsiæ, apud Joh. Christ. Martini, 1725, 4.
Plag. 10.

Merito inter desiderata Medica refertur a Georgio Hieron. Velschio in Somnio Vindiciani & Joh. Antonide van der Linden in Manuductione ad Medicinam Aerologia & Chorographia Medica. Interest enim Medico, certo in loco medicinam facienti, secundum ipsius Hippocratis ductum exacte considerare aerem, & quæ ejus sunt affectiones pro urbium & locorum situ, telluris & aquarum indole, atque pro diverso Solis & ventorum accessu & recessu, ut de salubritate & insalubritate loci judicare, morborum, epidemiorum maxime & endemiorum, causas expiscari, & de præsidiis, quæ his opponenda sunt, in tempore cogitare possit. Hæc secum perpendens Clarissimus Autor, ad Chorographiam Medicam perficiendam animum applicuit & tres Dissertationes conscripsit, quas in Academia nostra olim defendit, in præsentem fasciculum collectas, quarum I de Aere, Aquis, & Locis Lipsiensibus, II de salubritate Silesiæ, & III de Incolatus montani salubritate agit. Ut de I Dissertatione speciminis loco quædam dicamus, interiora Lipsiæ pariter ac exteriora, circumjacentia scilicet loca, ad examen vocat Clariss. Autor, regionem, situm, ventos, aquam, tellurem, campos, prata, sylvas, hortos describit, soli fœcunditatem, cœlique clementiam laudat, & quæ commoda ex iis in incolas redundent, recenset. Aeris bonitatem inter alia ex effectibus probat, dum laudabilem Lipsiensium temperiem, utplurimum sanguineam, notabili sæpius, maxime in fœminis, phlegmate permixtam, cutem bene coloratam & floridam satis, non rubicundam nimium, nec adeo pallidam, flavam vel luridam, vocis claritatem, mulierum fœcunditatem, acuta incolarum & festiva ingenia ad studia & artes aptissima, suaves mores & elegantes, ac animi vim cum prudentia conjunctam. Liceat quædam Autoris verba huc transscribere, qui-

quibus in laudem Lipsiæ assurgit: „Tacemus jam, inquit, amœnum atque gratissimum vivendi genus atque conditionem ingenuam, qua vivitur hic, gentis genium ad omnem humanitatem compositum, festivitatem ac urbanitatem, ingenuam libertatem, cultum bonarum artium, propensionem erga omnia honesta, abundantiam omnium eorum, quæ ad victum cultumque pertinent, & quæ in commendationem commoditatis & suavitatis venire queant; multa enim, quæ in delitiis haberi solent, & multis aliis negata, indulgentia almæ naturæ indulsit, quæque forte non sunt hujus regionis, importantur ubertim, ut frui cujuscunque fere regionis commodis bonisque Lipsienses possint, iis communibus factis. Nihil alibi usquam tam rarum carumque invenitur quicquam, quod Lipsiensibus non domesticum etiam esse possit. Eximia est varietas, voluptatum rerumque omnium condimentum. Notum apud nos atque notabile est, percelebrem illum summæque existimationis atque autoritatis Lipsiensem JCtum, J. B. Carpzovium, ex quo ex aula Dresdensi, relicto splendidissimo ibi officio, rediit, albis studiosorum eum accedentibus adscripsisse: *Extra Lipsiam non est vita, & si est vita, non est ita*; aut: *Extra Lipsiam vivere est misere vivere.*" Quemadmodum autem nulla est plaga, cujus felicitatem nulla flagellet calamitas, ita nec reticet Autor Clarissimus ea, quæ in opprobrium Lipsiæ objiciuntur, effluviorum puta & exhalationum ex adeo diversis corporibus copiam, fossarum squalorem, atque putredinem, solum uliginosum & pingue, declivem urbis situm, aquarum indolem minus laudandam, ventos humidos admodum familiares, frequentes nebulas atque nebulosas tempestates, inundationes, &c. quæ aerem humidiorem & putridum, adeoque minus salubrem indicant; remedia tamen simul allegat, quibus, quæ metuendæ inde sunt noxæ, facili negotio præcaveri possunt & solent, dum nempe fossæ, quæ urbem cingunt, repurgantur, putei & canales exterguntur, plateæ ab omnibus quisquiliis mundantur, medicamenta spiritus excitantia & in majorem motum conjicientia, ac humores quietos, lentos, viscidos, & vappescentes incidentia assumuntur, victus laudabilis eligitur, aquæ potabiles colantur & decoquuntur,

exer-

exercitationes corporis non negliguntur, & aer matutinus, vespertinus & nocturnus evitatur, urbanus vero cum rustico frequentius mutatur. Unde concludit, aerem Lipsiensem non adeo esse insalubrem, ut a plurimis habetur & creditur.

CHRISTIANI WOLFII, CONSIL. AULICI Hassiaci, Mathem. ac Phil. Prof. primarii in Acad. Marburg. Prof. honorarii in Acad. scient. Petropol. Societ. Reg. Brit. & Bor. Sodalis, Oratio de Sinarum Philosophia practica, in solemni panegyri recitata, cum in ipso Academiæ Halensis natali 28 d. 12 Julii A. O. R. 1721 fasces Prorectorales successori traderet, Notis uberioribus illustrata.

Francof. ad Mœnum, apud Joh. B. Andr. & Henr. Hort, 1726, 4. Plag. 15.

ETsi vulgo credatur, Philosophiam practicam *Sinarum* parum singulare & minus sublime continere; aliter tamen videtur Cl. *Wolfio*, qui ea fini cum in Oratione, tum in notis uberrime adspersis interiorem *Philosophiæ practicæ Sinensis* rationem delineavit, & cum sua consensum commonstravit. Nos non attento ordine, quo ab Autore singula proferuntur, ea exhibemus, quæ lectori harum rerum curioso non ingrata futura speramus. *Confucius* A. 551 ante Christum patre *Xo leam he*, Præfecto ditionis *Ceu*, viro septuagenario, natus jam sexto ætatis anno a puerilibus abstinuit lusibus & decimo quinto lectioni librorum ac meditationi se totum dedit. Legit autem imprimis annales antiquissimorum imperatorum, scientiæ morali atque civili inservientes, quod factorum & eventuum nexus inde luculenter perspiciatur. Historiographi enim, antiquissimo gentis more ab ipso Imperatore electi, res omnes eodem, quo geruntur, tempore in annales referunt, qui, ne affectui aliquid detur, in publicam lucem non proferuntur, nisi familia imperante extincta. *Confucius* cum de iis, quæ legebat, per rationes statuere non posset, experimentum eorum in se ipso sumsit, nec scripto verbove præ-

præcepit, nisi quod primus ipse moribus & vita expresserat: immo ne experimenta politica sumendi occasio deesset, magistratum aliquoties gessit. Atque hanc studiorum rationem continuavit usque ad extremum vitæ halitum, quem anno ætatis 73 lethargo 7 dierum extinctus reddidit. Sensit autem continuo in studio virtutis profectus, quos ipse discipulis candidus exposuit. Anno ætatis trigesimo id erat consecutus, ut in suscepto virtutum sapientiæque studio firmiter persistens, nulla re externa animum inde suum avocari pateretur. Anno quadragesimo honestatem intrinsecam in quolibet casu obvio absque hæsitatione discernere poterat, & quinquagesimo rationes illius in naturis rerum obvias perspexit. Sexagesimo rationi obtemperabat facile, quamvis adhuc reluctante appetitu sensitivo, tandemque septuagenarius longæ meditationis & victoriæ sui ipsius fructum percepit, consensum appetitus sensitivi cum rationali. Singularia circa theoriam moralem atque civilem, quæ suis conformia agnoscit Cl. *Wolfius*, hæc fere sunt, ipso interprete. Principium ultimum honestatis intrinsecæ *Confucio* atque *Sinis* antiquissimis Noster vindicat consensum microcosmi cum macrocosmo in libera actionum determinatione, idem omnino cum suo. Obtinetur autem iste consensus, secundum Nostrum, si actiones liberæ per easdem rationes finales determinantur, per quas determinatæ sunt naturales. Atque in hoc consensu actionum liberarum cum naturalibus consistit perfectio naturæ humanæ, ad quam perinde juxta *Confucium* atque *Wolfium* tendere debent omnes nostræ actiones. Actiones naturales cum macrocosmo consentiunt; quamobrem si quoque liberæ ad consensum cum naturalibus redigantur, integer microcosmus cum macrocosmo consentit. Agnoscit *Confucius* perinde ac *Wolfius*, hominem esse partem universi, atque adeo hunc consensum esse & naturæ rerum, & hominis præsertim naturæ, & ipsi rationi conformem. Quamobrem idem urget convenientiam cum natura rationali, actionum humanarum normam. Perspexit etiam *Confucius* veritatem principii rationis sufficientis, ejusque usum ad moralia extendit. Notioni perfectionis a *Wolfio* evolutæ conforme est, quod non modo actionis internæ cum externa, verum

etiam spontaneum appetitus sensitivi cum rationali consensum ad virtutem requisiverit, atque adeo porro a virtute abhorrere judicaverit, quod metu superioris vel spe præmii extorquetur. Immo non sufficere visum est *Confucio*, ut legi naturali conformia agamus, propterea quod intrinsecam eorum moralitatem perspicimus, & ut virtutem amemus aut voluptatem ex ea percipiamus, sed id omnino requisivit, ut læti agamus, quod est officii nostri, gaudio elati super occasione virtutem exercendi. Atque adeo *Confucius* perspexit, quæ tantopere urgent libri nostri Symbolici, formula præsertim Concordiæ. Ceterum ab hactenus dictis alienum non est, quod perinde atque *Wolfius* continuum esse jubet ad majores indies perfectiones progressum, & *Yaonis* atque *Xunnii*, Imperatorum legislatorum, quorum dicta & facta sibi potissimum imitanda proposuit *Confucius*, exemplis in regulam versis, urget in ipsis imperantibus modum obligandi optimum per metum filialem, a nexu individuo inter Regis exemplum & populi imitationem pendentem. Immo Noster contendit, quod jam Imperatores antiquissimi *Yao* atque *Xun* ante *Confucium* differentiam inter partem animæ superiorem & inferiorem, cujus adeo ingens momentum facit *Wolfius* in Philosophia practica omni, instar magni principii morum fuerit inculcatum, modo ipsorum terminos intelligas. Monet nimirum, Sinas appetitum vocare *cor* & appetitum quidem sensitivum *cor hominis*, rationalem vero *cor rationis*. Probat etiam, quod *Sinæ* probaverint passionum cum ratione concentum, qui ipsa reductione appetitus sensitivi cum rationali continetur, & cujus pars est lætitia virtutis socia. Quemadmodum itaque hactenus *Confucius* cum *Wolfio* in theoria morali atque civili consentit, ita non minor reperitur consensus in praxi, quam uterque tuetur, & quæ principiis theoreticis modo recensitis consentanea. Urgebat *Confucius*, ut primo omnium loco ratio probe excolatur, cum ad distinctam boni malique cognitionem pervenire debeat absque metu superioris ac sine spe præmii virtuti operam daturus. Metus nempe hic intelligitur servilis, qui metu pœnæ extorquetur, minime autem filialis ex amore profectus, quem ubi præmium accendit, ipsum illæsa virtute, *Wolfio* judice, in actionem bonam influit. Incul-

culcabat vero *Confucius*, boni malique notionem perfectam neminem assequi posse, nisi rerum naturis ac rationibus perscrutatis, & culturam rationis continuam præcipiebat, quod appetitus in ordinem redigi posse negaret, nisi homo in vero boni amore, vero mali odio stabiliatur, verum boni amorem autem verumque mali odium locum non habere agnosceret, nisi perfectam boni malique notitiam assequatur mentis ratiocinio, rerum naturis ac rationibus perscrutatis. Cognito boni malique discrimine, intentionem esse rectificandam urgebat; mox appetitum, boni amore, mali odio contracto, corrigendum esse præcipiebat. Animo composito, corpus quoque esse perficiendum. Ubi quis se ipsum emendaverit, tum ad familiam gubernandam eundem admitti debere. Tandem denique eum, qui familiam recte instituere norit, ad regni administrationem adspirare posse docebat, nisus exemplis priscorum Regum atque Imperatorum, qui iidem erant *Sinarum* Philosophi. Motivo utebantur *Sinæ* gloria, quam diversam esse ab ambitione, Cl. *Wolfius* probat non modo ex notionibus, sed Dei quoque exemplo. Ducit nempe gloria voluptatem ex eo perceptam, quod a nobis bene facta ab aliis agnoscantur. Plurimum *Confucius*, sicuti *Wolfius*, in praxi morum tribuit exemplis, quæ *Sinæ* singulari quadam ratione proposuere. Nimirum de personis, quorum merita in pretio erant, paradoxa narrabant discipulis, ut attoniti mirarentur, quid ipsas impulerit ad tale quid faciendum: ubi diu multumque in quærenda ratione, ast frustra, desudassent, quid ejusdem subesset, tandem exponentes ad imitationem in casibus similibus calcar addiderunt. Convenit quoque *Confucius* cum *Wolfio* in methodo conjectandi aliorum mores. Jubet enim, ut 1 observentur actiones, examinata earundem cum lege conformitate, 2 ut inquiratur finis operis, ac inde judicetur, quo animo quove consilio agatur, quod justum atque honestum est, 3 ut tandem sciscitemur, in quo acquiescat, qui bona intentione legi conformia facit, num forte parum volens & quasi per vim coactus faciat, an vero ex ipsa virtute & honestate operis voluptatem capiat. Immo quam *Wolfius* possibilem judicavit methodum sinceritatem animi a simulatione discernendi, eam a *Sinis* multis retro seculis in praxin fuisse de-

ductam probat per regulas judicibus ad explorandam litium ſinceritatem præſcriptas. Cum enim nullus penes *Sinas*, Dei cognitione diſtincta deſtitutos, eſſet juramenti uſus, judices obſervare jubebantur, 1 verborum compoſitionem ac loquendi morem in actore litem movente, 2 oris totiusque vultus compoſitionem, 3 modum reſpirandi, dum litem actor proponeret, 4 quam expeditæ ſint actoris aures, an ſcilicet a judice interrogatus perplexe perturbateque, vel aliena & ambigua reſponderet, num incerti ſint oculorum motus nictusque, ſi quid in his ſubdoli minusve ſinceri appareret. Imprimis autem *Wolfius* extollit duplicis *Scholæ, parvulorum* nempe atque *adultorum* inſtitutum. In ſchola parvulorum, quæ parte animæ inferiori nitebatur, pueri promiſcue omnes ab octavo ætatis anno usque ad decimum quintum, rationis uſu carentes, ſenſuum miniſterio ducebantur flectebanturque, ut conſuetudinem in bono contraherent. In ſchola adultorum annum decimum quintum egreſſi, qui vel olim alios regere debebant, nullius imperio ipſimet ſubjecti, vel ſub imperio alterius ſponte facere debebant a ſuperiore præcepta vel præcipienda, docebantur, quomodo unusquisque ſe ipſum regere debeat, ut ſponte faciat, quod laudem meretur, ſponte fugiat, quod turpitudinis labe notatur. Qui igitur natura ſtupidi ex ſchola adultorum arcebantur, exemplo imperantium & obſequio intelligentium ad obedientiam adducebantur, ut ſic ipſorum quoque actiones non ſolo pœnarum metu extorquerentur, ſed ad virtutem propius accederent. Ad eundem ſcopum tendebat reverentia erga ſuperiores & ſapientes, ſtudioſe inculcata, & ſuperiorum & ſapientum ſtudium indefeſſum, quo ſe redderent reverentia dignos. Praxin cum theoria conjungendam eſſe, *Confucius* ſedulo inculcabat, perſuaſiſſimus, meditationi exercitationem minime jungentem errori & confuſioni fieri obnoxium, nihilque aſſequi præter umbras rerum & inanes ac ſæpe falſas imagines. Quamobrem Philoſophi nomine non dignabatur niſi eum, qui praxin cum theoria conjunxiſſet, ut eo præſtantior haberetur, quo virtute anteiret alios. Utebantur autem *Sinæ* iisdem principiis hevriſticis, quæ a *Wolfio* commendantur. Nam 1 notiones rerum moralium & politicarum a factis derivarunt &, ne notiones eſſent incompletæ, in

in factis alienis minime acquievere, sed ipsi suis moribus expressere ea, quorum notionem expetebant, eodem modo de ejus possibilitate convincendi. 2 Ex iisdem factis judicia, quæ *Wolfius* vocat, intuitiva deduxerunt: quæ ut certa consequerentur, ad facta aliena principium rationis sufficientis applicarunt, non modo judicantes, quænam ex actionibus consequantur, verum etiam in rationem inquirentes, cur fuerint secuta, quænam sequantur semper, quænam nonnisi sub certis conditionibus, utque judiciorum certitudinem assequerentur, experimenta eorum in se ipsis sumserunt, quæ attentione ad casus alienos fuerant consecuti. 3 Imprimis etiam magno, quod *Wolfius* tantopere in arte inveniendi commendat, principio reductionis summo ingenii acumine usi, notionem imperii ad notionem familiæ & notionem ordinis in imperio ad notionem ordinis cœli reduxerunt. Etenim jam *Fohius*, imperii conditor, ex cœli terræque contemplatione sibi normam præscripsit ad populi & Reip. rectam administrationem, & cœli terræque ordinem atque constantiam admiratus, illum perquam sollicite imitari studuit. Statuit autem hanc legem supremam, ut inter superiores & inferiores, seniores & juniores, imperantes & parentes, supremum monarcham atque imperium eadem censeatur relatio, quæ inter parentes atque liberos intercedit. Ex hac relatione deducta sunt præcepta moralia atque leges *Sinarum*. Cum Cl. *Wolfius* universalem urgeat omnium actionum consensum, vultus quoque, oris, gestuum, totiusque corporis compositio una cum actionibus, quæ principalem accidentaliter comitantur, cum principali consentire debent, atque inde decorum deducit. Consensum istum quoniam *Confucius* quoque urget, *Confuciana* autem, quamvis a posteriori derivata, perinde ac *Wolfiana*, inter se cohæreant; quivis per se intelligit, quod eundem quoque fontem decori statuere debeat. Ob universalitatem consensus actionum omnium *Wolfius* maximam vel in minimis infimisque rebus curam prædicat maximum ad veritatem & sinceritatem in studio virtutis adjumentum: eadem vero multis in *Confucio* exemplis confirmatur a discipulis, qui maxima sollicitudine dicta factaque *Confucii* collegerunt. Et quemadmodum

 Wol-

Wolfius ad virtutis culturam requirit, ut boni propositi ad conspectum cujuscunque objecti obvii recorderis; ita *Confucius* eidem regulæ satisfecit, magna ingenii felicitate a rebus quibuscunque obviis ansam de virtutis studio cogitandi arripiens. *Sinæ* ab antiquissimis temporibus ritibus valde delectati, eosque in schola parvulorum docuere. Immo integer extat apud ipsos liber Rituum, qui inter classicos sapientum refertur. Cum *Wolfius* in moralibus notionem ceremoniæ seu ritus evolveret, singularem earum in promovenda virtute usum reperit, atque adeo dolet, quod interpres librorum classicorum *Sinensium*, R. P. *Franciscus Noel*, ab eo vertendo abstinuerit. Latere autem in ritibus *Sinarum* sapientiæ ac prudentiæ sublimis principia, exemplo probat. *Sinæ* nimirum, ut infans ingenio præstans nasceretur, referente *Lieu Hiam* in libro de mulierum instructione, felici successu curabant, ne mulier prægnans objecta turpia adspiceret vocesque lascivas audiret; ut autem e contrario vespere Musicæ Præfectus, qui erat cœcus, quo sonos rectius dignosceret, duas libri carminum odas de recta rei domesticæ disciplina, ipsa auscultante, decantaret ac res honestas narraret. Cur eventus respondere debuerit votis, *Wolfius* ex principiis physicis atque metaphysicis prolixe adstruit. Quodsi quæsiveris, unde sit, quod non modo interpretes nihil singulare in scriptis *Confucii* ejusque dictis & factis sibi visi fuerint deprehendere, verum etiam autores, qui de rebus moralibus non nisi maxime vulgaria & male cohærentia memoriæ prodiderunt, quasi ex tripode pronunciarint, non eam esse *Sinarum* sapientiam, cujus gratia *China* sit adeunda; Noster monet, anno ante Christum 212 Imperatorem *Xi Honan ti*, infensissimum literatorum hostem, quorum multos vivos sepeliri jusserit, libros omnes præter medicos & judiciarios Vulcano consecrasse. Integro fere seculo post, anno scilicet 139 ante Christum, demum Imperatorem *Vu ti*, bello & litteris clarum, fragmenta & reliquias incendii librorum colligi jussisse. Prolatos itaque fuisse libros semiustos, parietibus item & sepulchris abditos, quamvis semiesos, & præterea grandes natu fuisse consul-

tos,

tos, si qui forte, quæ memoriæ quondam mandaverant pueri, etiamnum tenerent. Ex his igitur fragmentis confectos esse libros imperii *Sinensis* hodie classicos. Quemadmodum itaque ex ruderibus de opere architectonico judicium ferre nequit, nisi architectus consummatus, attentione adhibita, quæ ad tam arduum molimen sufficit; ita quoque de Systemate Philosophiæ moralis ac civilis *Sinarum* judicium ferre minime valere, nisi qui scientiæ moralis atque civilis interiora intimius perspexerit, nec in examine suam desiderari patiatur aciem atque industriam. Quod vero ipsi licuerit esse tam felici, ut abditam Sinarum sapientiam in apricum proferret, rationem hanc reddit; Sinas habuisse nonnisi notiones claras, quas cum altero verbis communicare non licet, nisi easdem jam habuerit: quem in finem *Confucius* jusserit meditationi exercitationem jungi. Se autem philosophiæ practicæ perficiendæ operam daturum distinctis studuisse actionibus, atque multa a priori ex notionibus generalibus deduxisse, quæ *Confucius* cum suis a posteriori assecutus fuerit, & nexum inprimis veritatum moralium, antea non attentum, monstrasse. Etsi autem hac ratione minori temporis spatio veritates morales perspicere detur, methodum tamen experimentalem *Confucii* conjungendam esse monet, cum ad notiones confirmandas, tum ad ampliandas, tum denique ad fundamentales quasdam venandas. Quoniam *Sinæ* distincta Dei cognitione fuere destituti, adeo ut motiva nonnisi a moralitate actionum intrinseca derivaverint; ipsorum facta dictaque probare contendit Autor, quantum valeat natura in studio justitiæ civilis, quam Theologi vocant, vel virtutis philosophicæ, quam Autor appellat. Ut vero de arduo inter naturam & gratiam discrimine demonstrativa ratione decidere liceat, Noster distinguit inter virtutem philosophicam, pietatem philosophicam & virtutem christianam. Discrimen petitur a motivis, quibus voluntas determinatur. Virtuti philosophicæ conveniunt motiva ab intrinseca actionum moralitate derivata; pietati philosophicæ, quæ ab attributis divinis beneficio luminis naturalis agnitis petuntur; virtuti denique christianæ,

stianæ, quæ ab attributis divinis, de quibus supernaturali Spiritus S. operatione convicti sumus, & ab opere redemtionis regni gratiæ desumuntur. Unde liquet, pietatem philosophicam esse gradum quendam intermedium inter virtutem philosophicam atque christianam. Hinc etiam deducit *Wolfius*, quod, cum Christianus Dei gratia regenitus fide divina teneat, quæ homo extra cœtum Christi degens lumine naturali assequitur, magna inter utrumque sit differentia, etsi iisdem utantur motivis, cum assensus illius sit firmior, motivum firmius, consequenter & propositum firmius gignens, nec tam facilem sub circumstantiis singularibus locum relinquat exceptionibus. Fieri tamen non posse observat, ut regenitus non constanter jungat motivis, a moralitate objectiva actionum & providentia Dei in regno naturæ petitis, ea quæ ab opere redemtionis & providentia in regno gratiæ petuntur. Quamobrem etsi actus externus hominis regeniti atque irregeniti idem sit, adeoque eandem cum lege divina conformitatem habeat; quoniam tamen ad actiones humanas non motus corporis, verum etiam mentis actus interni referuntur, actionem externa specie eandem in immensum differre posse. Atque sic tandem concludit, naturam gratia insigniter perfici & vires animæ ad gradum majorem evehi, ut jam gratiæ viribus fieri possint, quæ naturæ viribus superiora erant.

NOVA LITTERARIA.

Vir doctissimus, *Johannes Fridericus Schannat*, qui in eruendis veterum monumentis, iis imprimis, quæ res Fuldenses concernunt, singularem hactenus operam posuit, nuper admodum novum opus prodidit, quod, sive rerum reconditissimarum selectum, sive etiam typorum & figurarum elegantiam spectes, curiosis Lectoribus apprime se commendabit. En titulum: ***Fuldischer Lehn-Hof, sive de Clientela Fuldensi beneficiaria, nobili & equestri, Tractatus Historico-Juridicus, cum elencho Vasallorum primi & secundi ordinis. Francof. ad Mœnum 1726. fol.***

No. VI.

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Junii Anno MDCC XXVI.

HISTOIRE PHYSIQUE DE LA MER.

i. e.

HISTORIA PHYSICA MARIS, AUTORE LUDOVICO FERDINANDO Comite MARSILIO.

Amstelod. sumptibus Societatis librariæ, 1725, fol. Alph. 2 Tabb. æn. 40.

A Longo jam tempore locum inter eruditos primi ordinis sibi vindicavit Illustrissimus atque Excellentissimus *Marsilius* Comes, hinc ab anno MDCLXXXII non rara ejus in Actis hisce, ubi varias ejus lucubrationes non sine plausu nostro percensuimus, mentio facta est. Sed cum totum replere illius pectus credidimus vastum opus, quo Istrum omnem complexus est, ecce novo conatu in maris abyssum descendere totumque expiscari non gravatus est rerum altius conditarum strenuus sectator; inde opus natum est, quod plurium annorum labore indefesso, & ingeniosa industria, pluribus experimentis factis, ita absolutum est, ut deesse nihil videri queat, premendum tamen ab Autore, nisi Regiæ Parisiensis Academiæ approbatione, & celeberrimi Boerhavii (cui, quod & operis edendi curam in se suscepit, plurimæ debentur grates) monitis incitatus tandem in lucem protrahi permisisset. Occasionem industriæ præbuit doctissimi Comitis institutum emetiendi terraquei globi, quo intimam ejus formam & organicam, qua factum esse credit, fabricam retexeret, quod certo non posse fieri intellexit, si non ante maris rationem propriam,

 &

& formam constituisset. Occupari in opere jam cœpit ab anno MDCLXXX, quando in regia Constantinopoli agens, angustum urbis canalem sedulo perscrutatus est, quem laborem inde anno MDCLXXXXI, ubi iterum eo divertere jussus est, repetiit, quæ tentamina tunc quidem facta, partim typis evulgavit, partim scripta domi asservat, olim forte edenda. Nemo ante doctissimum heroem nostrum idem, quod hoc opere præstitum est, moliri sustinuit, si eos excipias, qui, quæ in usum vitæ ex mari petuntur, sectati sunt, & ipse Boyleus, doctus homo, in diversa maris altitudine definienda substitit. Et experimenta quidem plurima fecit in fluminibus Provinciæ Gallicæ, unde postea ipsum mare ingressus est. In quinque partes opus omne dispescuit, ita ut in prima maris fundum exquireret, & pelvim formaret, in qua aqua fluctuat; in secunda de ipsa aqua mixta agitur; tertia varios aquæ marinæ motus & fluctus examinat; quarta plantas marinas, earumque vegetationis negotium evolvit; quinta vero, quæ adhuc desideratur, maris vivarium & animalium marinorum historiam pertexere constituerat. De his omnibus quæcunque dicta sunt, propria scriptoris experientia subnixa reperies: suspectum enim judicavit cum recte sapientibus, in re dubia aliena fide stare; quicquid ergo apparatus ad penitus singula noscenda pertinet, in partes vocavit, nunc Chymicis operationibus, nunc microscopiis aliisve instrumentis felicissime usus. Priorum quatuor partium sibi propositam ita pertexuit telam, ut maris fundi rationem ex ipso terræ modo & forma, proportione rite constituta, reddat, atque vel gibbis variis, montium more, exsurgere, vel cavis deprimi & inæquale reddi, supponat, quemadmodum in tabulis pictam ejus superficiem exhibet. Inter alia in secundo Libro aquam maris non salsa modo acredine invisam docet, quod vulgo traditur; sed amaro bitumine, ex carbonum fossilium venis manante impuratam, quod mari infunditur, postquam per cuniculos terræ cum aqua ab igne concitatum, actum est, quodque nulla arte ab aqua secernendum, nec colando, nec distillando, nec præcipitando, sanitati hominis noxam infert, & sapore ingratum, nauseantem facit stomachum, diversis tamen maris profunditatibus diversa

diversa quantitate admixtum, quod innumeris factis experimentis tentatum & confirmatum est, ita ut nihil prætermissum sit a philosopho, chymico, mechanico. Ipsis vero Chymicæ artis alumnis luculenta suggessit argumenta, quibus hactenus multis modis perplexam doctrinam de marina aqua planiorem & magis distinctam reddit. Motum omnem maris, variasque ejus undas, ex tribus Autor repetit causis, ex inæqualitate fundi, vel marinæ pelvis, & in eandem effusis torrentibus, in se illisis, unde aqua varie fluctuat & jactatur; ex pressione aeris varie ventis agitati, qua undis factis vi varia resistit & urget; & demum ex fluxu & refluxu aquæ marinæ, quem ad Lunæ vices mutatas Autor refert. Quarta pars operis plantarum marinarum naturam & varias species exhibet: in earum vero historia mera videtur nova pandere sagacissimus Autor. Cum terra natis plantis componuntur marinæ, nec quicquam fere in illis esse docetur, quo hæ destituantur; cortex, pulpa, medulla, redduntur marinis omnia & vindicantur, nec flores, quibus ornentur, desunt, qui a Nostro depicti intuentium oculos voluptate non perfunctoria perfundunt; imo nec seminibus carere, quibus, in cavernis marinis satis, germinent, solerti industria repertis, novo ausu Autor statuit, eaque profert, de quibus nemini ante conjicere datum est. Sed e tam præclaro opere pauca vel leviter attigisse suffecerit: quod si enim, quæ in illo curiosa singulis fere paginis obveniunt, commemorare velimus, veremur, ne novus nobis contexendus liber esset. Ex his vero intelligitur, quantum sibi promittere Lector posset, si quintum quoque Librum, qui historiam animalium marinorum complecti debebat, argumentum amplissimum nec satis hactenus exhaustum, absolvere dignetur Illustrissimus Autor, nunc quidem in magno illo opere Danubiali, cujus nuper primus Tomus prodiit, occupatissimus. Nos certe cum bonis omnibus optamus, ut Deus O. M. Viro incomparabili, in vergente jam ætate constituto, annos viresque largiatur, quo, quæcunque parat in commodum rei litterariæ, felicissime tandem ad finem perducat.

JO. POLENI AD REVERENDISS. ABBA- *tem* D. GUIDONEM GRANDUM *Epistolæ duæ; in quarum altera proponuntur nonnulla de telluris forma: in altera vero quædam de causa motus musculorum.*

Patavii 1724, 4.

Plag. 4 tabb. æn. 2.

CUm de figura telluris hodieque discrepent doctissimorum Virorum sententiæ, aliis formam sphæræ, si montes & valles neglexeris, satis exactæ, aliis figuram sphæroidis tantillum versus polos oblongatæ, aliis denique figuram sphæroidis circa polos paululum depressæ, telluri attribuentibus, id egit in priori Epistola Clarissimus Autor, iterum ac sæpius in Actis nostris laudatus, partim ut doceret, inter argumenta, quæ afferri pro diversis illis sententiis solent, nulla esse, quibus vis convincendi insit, partim ut novam ostenderet viam, qua fortasse propius accedere ad veritatem liceat. Fatetur, argumentum de telluris forma proxime ad sphæricam accedente haud quaquam spernendum a Lunæ defectibus duci, in quibus telluris umbra in lunarem discum incidens forma circulari apparet; sed negat, pusillum telluris a sphærica figura defectum ex isto phænomeno percipi posse, neque id obstare judicat, quo minus sphæroidis, sive oblongatæ aliquantulnm, sive depressæ figura competere telluri queat. Et licet Childræus, in *Britannia* sua *Baconica*, testimonia Tychonis Brahe & Keppleri adducat, animadvertentium, phænomena alicujus defectus Lunæ visa fuisse indicare, telluris figuram oblongatam, sive ovi similem esse, parum tamen huic observationi tribuendum censet: *namque sectio*, inquit, *transversa coni umbrosi telluris (quod recte animadvertit Jo. Casp. Eisenschmidius) in regione lunari longe major ipso lunari disco cum sit, & propterea margo umbræ in luna deficiente cum non nisi partem exiguam integræ, quæ fieri posset, sectionis exhibeat, cumque gibbosa sit lunæ superficies, frustra perfectus absolutusque (vel si nullæ essent in lucis confiniis spuriæ umbræ) termi-*

terminus transversæ sectionis coni umbrosi telluris in obumbrata lunæ facie inquiratur. Neque vero plus roboris inesse judicat causæ physicæ, quam idem Childræus ad sententiam suam comprobandam affert; puta quod ad utrumque polum nix hyeme cadat magna copia, quæ conglacietur, neque æstivo tempore tota liquescat, unde a mundi origine ad hæc tempora magnos cumulos accessisse regionibus illis necesse sit. At gravius argumentum adversus sphæricam telluris formam illud numerat, quod suppeditant vires gravitatis, atque observationes nonnullæ, quibus constare dicitur, horologiorum pendula in torrida Zona paullo tardius, quam Lutetiæ Parisiorum, moveri. Hinc enim sequi videtur, gravia sub æquatore minus gravia, atque ideo a centro remotiora esse, quam sub polis, hoc est, figuram sphæroidis depressæ competere telluri nostræ. Cum tamen alii sint, qui varias illas pendulorum velocitates, non a varia gravitate ponderum appensorum, sed a virgarum longitudine varia, pro varietate caloris, deducant, (observarunt enim, æstivo tempore ferreas virgas longitudine sua extendi, hyemali vero tempestate fieri breviores) non ita facile sphæricam telluris figuram ob phænomenon illud in aliam mutandam arbitratur. Similiter de illis observationibus judicat, quibus videtur ostendi, meridianorum in telluris superficie mensorum gradus, a meridie versus Septentriones tendendo, minores inveniri. Alii enim, contraria prorsus ratione, gradus illos augeri ab æquatore ad polos volunt; nec male a quibusdam asseritur, exiguam illam graduum differentiam in mensurandis gradibus non admodum distantibus detegi non posse; quia error ex fabrica & usu instrumentorum differentiam hanc superat. Unum restat adversus sphæricam telluris figuram argumentum, a motu terræ atque hinc orta vi centrifuga desumtum; quo magis enim a polis æquatorem versus acceditur, eo major fit vis centrifuga, propter majorem celerioremque motum; hinc necesse videtur, ut marium summa superficies (cui solidarum terræ partium superficiem quam proxime respondere non ambigitur) circa æquatorem utique tumidior reddatur, hoc est, ut ipsa terra figuram sphæroidis depressæ induat. Ad hæc ita respodet Cl. Autor,

ut doceat, cum ſtrata telluris inæquali denſitate prædita ſint, poſſe illam denſitatem atque ab ea dependentem vim centripetam ad vim centrifugam ita ubivis eſſe attemperatam, ut, vel poſita vis centrifugæ cauſa, ſphærica telluri figura conſervetur; id quod etiam geometrice, adhibito ſchematiſmo, demonſtrat. Jam ut rationem quoque illam paucis attingamus, quam propoſitæ liti dirimendæ conducibilem Vir doctiſſimus exiſtimat, perſuaſum ipſi eſt, poſſe in gradibus circulorum ad æquatorem parallelorum explorari differentias multis quidem partibus majores, quam ſint illæ, quæ dicuntur varios inter meridianorum gradus intercedere. Primo igitur poſuit, telluris figuram eam eſſe, quæ ex rotatione ellipſis circa majorem axem progignitur; aſſumtisque iis menſuris, quæ in commentariis de magnitudine ac figura terræ a Caſſino & Maraldo definiuntur, invenit, uni gradui circuli paralleli ad latitudinem graduum 48 deberi exapedas Pariſ. 37769. Deinde poſuit telluris formam genitam ex Ellipſis circa minorem axem rotatione, adhibitisque menſuris, quibus utitur Graveſandius in Phyſices elementis mathem. reperit, uni gradui ejusdem paralleli (ſc. ad lat. grad. 48) convenire exapedas 38546. Quod ſi ergo duo loca ſub eodem parallelo, quorum alter ab altero diſtet gradibus 5 aut 6 illius paralleli, ſumma diligentia determinentur, eorumque intervallum in exapedis quam accuratiſſime inquiratur, putat conſtare debere, *num ambitus illius paralleli minor ſit, quemadmodum fert prima hypotheſis; an vero major, ut poſtulat ſecunda; an denique intermediæ cujusdam quantitatis, ſphæricæ telluris formæ faventis.* Hæc de priori Epiſtola Cl. Poleni, ſub cujus finem addita eſt Obſervatio defectus lunæ, qui contigit prid. Kalend. Novemb. 1724. In altera Epiſtola hoc ipſi propoſitum eſt, ut experimentis atque ratiociniis mechanicis ea confirmet, quæ circa muſculorum motus, ope analytici calculi, elegantiſſime ſoluta dedit Jo. Bernoullius in ſua *de muſculorum motu* Diſſertatione. Ad quod efficiendum, quo machinarum apparatu fuerit uſus, quomodo conjunctis, ope teretium clavi-culorum, 16 regulis orichalceis, catenam conſtruxerit, quomodo illam ſuper lignea menſa, plana & rotunda, extenderit & firma-

firmaverit, quomodo pondera applicuerit, quomodo curvaturam catenæ invenerit, atque ita porro, cum longum esset hoc loco sufficienter docere, ex ipso doctissimo Autore curiosum lectorem addiscere malumus.

THE LIFE OF LEOLINE JENKINS &c.

i. e.

LEOLINI JENKINSII, ADMIRALITATIS Angliæ, ut & Curiæ prærogativæ Cantuariensis Judicis, Caroli II Regis Angliæ Secretarii Status & Legati ad Pacem Colon. & Neomagensem &c. Vita, Epistolæ & alia monumenta; Autore WILHELMO WYNNE, Equite.

Tomi II.

Londini, apud Josephum Downing, W. Taylor, W. & J. Innys & reliquos, 1724, fol.
Alph. 16 plag. 4.

QUo rariores Virorum inter Anglos Illustrium de publicis rebus, quas moderati sunt, Commentarii & Epistolæ prostant (neque enim præter *Templii* & *Arlingtonii* Epistolas multas invenias alicujus momenti); eo majores debentur gratiæ Cl. *Editori*, quod has Illustris *Leolini Jenkinsii* schedas, ab iis, quos ubique fere comites habuit, sibi liberaliter communicatas, ab interitu vindicavit, iisque luculentam Autoris vitam præmisit. Quam ut breviter exponamus hoc loco, natus fuit *Leolinus*
noster Patre cognomine, viro mediocris fortunæ, sed integro p. 1.
vitæ scelerisque puro, A. 1625, juvenisque admodum delatus in Academiam Oxoniensem, paucis post annis ad exemplum commilitonum arma capere pro Regia causa, nondum tamen studiis 2.
desertis, tandemque, mutata prorsus rerum facie A. 1648, solum vertere coactus est. Iter inde ingressus cum Anglis quibusdam, 3.
quorum studia moresque moderabatur, in Gallia, Belgio & 6.
Germania celebriores Academias lustravit, rursusque post triemium

ennium in Angliam, tandem restituto feliciter Rege Carolo II,
p. 8. A. 1660 Oxonium rediit, ibidemque mox Collegio Jesu, cujus
10. antehac alumnus fuerat, præpositus, Doctoris Juris honores
impetravit, legesque publice aliquandiu magna cum laude ex-
plicavit. Inde ut se practicæ magis vitæ pararet, suasu veteris
amici, Sheldoni Archiep. Cantuar. cujus Theatro Oxonii ex-
citando condendæque Typographiæ assidue invigilaverat, Lon-
12. dinum se contulit 1663, atque in numerum Advocatorum de Ar-
cubus receptus, mox Judicis Curiæ rei navalis seu Admiralitatis
14. Angliæ munus consecutus est 1664, in quo ita se gessit, ut ora-
culi loco, dignusque haberetur, qui A. 1668 Curiæ prærogativæ
18. Cantuariensi pariter Judex præficeretur. Missus sequenti anno
a Rege in Galliam, ut matris Regiæ hæreditatem, quam Hen-
rietta filia, Duci Andegavensi nupta, sola sibi ex lege Gallorum
asserebat, Regis nomine cerneret, & mox re feliciter gesta re-
versus, in unienda Anglia & Scotia jussu Regis multam operam,
20. sed, Scotis obnitentibus, nequicquam posuit. Orto deinde inter
Belgas atque Anglos Gallosque, gentes fœderatas, bello, Noster
principe loco ablegatus est Coloniam ad tractatus pacis A. 1673,
ac pacem cum Belgis, separatim Templii opera sancitam, stabili-
vit, iterumque 1675 Neomagi in pace illa universali conci-
24. lianda pars maxima fuit, prout ex Epistolis ejus abunde patet.
28-40. Non lubet hic cum Autore in ea excurrere, quæ pro Jenkinsio,
cujus in præjudicium tum Burnetus, quem & alibi refutat
Noster, tum ipse Templius (qui res Angliæ eodem tempore
curabat Hagæ Com. unde Neomagum subinde excurrens, com-
munem cum Jenkensio causam egit) nonnulla protulisse visi sunt,
29. magna veritatis specie edisserit. Suffecerit illud animadvertere,
quod Templius fassus fuerit, nullas facile compotationes aut
choreas celebratas fuisse, quibus non interfuerit ipse, cum raro
contra illic comparuerit Leolinus; se sero cubitum ivisse &
surrexisse, illum vero hora octava vespertina lectum petiisse,
reliquisse quarta matutina, unde dictum invaluerit, mediatores
omni momento ad agendum alacres ac vigiles (*that the Medi-
ation was always on Foot, to go on with its Bussines*); memorat-
36. que præterea Noster, Templium munera a belligerantibus ejus
opera

opera conciliatis oblata prompte accepisse, Leolinum & Gallo- p. 54.
rum aliorumque munera, quæ obtrudebantur. generoso animo
repudiasse omnia, nec adduci ullo modo potuisse, ut utensilia
& apparatum aureum & argenteum, finita legatione liberaliter
a Rege suo oblatum, aliorum exemplo legatorum, acciperet.
Lectu imprimis dignæ sunt regulæ, Mediatori Legatoque &
Ministro status observandæ, quas passim Epistolis Leolini inter- 38. 39.
sertas, huic vitæ eodem conspectu inseruit Cl. Biographus. Re-
vocatus inde in Angliam 1679, & Consiliarii & Secretarii Status
intimi anno sequenti provinciam adeptus, eam difficillimis
temporibus sustinuit, donec aulæ pertæsus, 1684 missionem im-
petraret, invito quidem Rege. Et quamvis a Jacobo II rursus
in aulam e secessu evocaretur, pariterque pristino officio ad- 51.
moveretur, valetudinem tamen mox adversam, ut sæpe antea,
expertus, Cal. Septembris 1685 diem obiit supremum Hammer-
smithi, unde deductus, prout jusserat, Oxonium & in templo
Collegii Jesu, cui & maximam partem hæreditatis cum Biblio-
theca reliquit, honorifice sepultus est. Etsi vero nec uxorem,
nec liberos haberet, & præterea bonus esset pater familias,
perque complures annos summis muneribus præfectus, neuti-
quam tamen immensas opes reliquit, quod &, ut supra dictum,
in accipiendis donariis scrupulosior, & in Legatione, prout
decebat, splendidus, & in pauperes fuisset effusissimus. Fuit præ-
terea insigni pietate, ita quippe in fidei dogmatibus confirma-
tus, ut Courtinus, Gallicus in tractatibus Coloniensibus legatus,
aliquando affirmaret, *se, nisi sciret, Leolinum rei gerendæ satis* 60.
*aptum, multisque aliis doctrinæ præsidiis instructum, facile per-
suaderi posse, ut crederet, eum tota vita nihil aliud egisse, quam
ut Patrum scripta legeret*. Itaque fide in Deum atque Regem
erat incorrupta, præterea justus, gravis, moderatus, affabilis,
ad promovenda amicorum commoda promtissimus.

Post vitam hanc, interjectis quibusdam Jenkinsii Dissertati-
unculis, quæ maximam partem Jurisdictionem Admiralitatis An-
gliæ spectant, succedunt Epistolæ, quæ ab A. 1673, quo cœptus
est Tractatus Coloniensis, usque ad Mensem Majum anni sequen-
tis, quo Noster in Angliam reversus, rursusque ab initio anni

 1676,

1676, quo pax Noviomagi tentari cœpit, ad Mensem Augustum anni 1679 justo ordine dispositæ, partem maximam Voluminis I & alterum totum occupant, integram negotiorum seriem exhibentes. Multum illæ prodesse poterunt publicis rerum administris, tum quod tractandi rationem omnem, Mediatoris imprimis officium ac prærogativam, aperte produnt, tum quod magnam partem ceremonias & stylum curiæ concernunt, quo pertinent literæ plenæ potentiæ, & salvi conductus, in quibus tituli Principum, sigilla, verba denique omnia sollicite examinari
T. I p. 433. T. II p. 189. sueverunt, tum Legatorum compellationes (ut *Excellentiæ*, quæ non nisi Regum & Electorum legatis primi ordinis concessa, ceteris Germaniæ Principum Legatis, ut & secundariis Electorum, negata constanter fuit) salutationes item ac resalutationes, ordo sessionis, præcedentiæ, imprimis Mediatorum, primæ propositionis in tractatibus, subscriptionis in ipsa conclusione pacis & reliqua. Jam pauca, quæ nobis, obiter librum volutantibus, notatu digna visa sunt, memorabimus. De Arlingtonio
T. I. p. 275 sq. refertur, eum ineunte anno 1675 in Regni Senatu Papismi, dilapidationis ærarii & proditionis a Gilberto Gerhardo, sed Buckinghamii suggestione, accusatum, tanta gravitate, prudentia, moderatione animique minime perturbati constantia integro horæ spatio pro se orasse, ut multo majorem ex hac una oratione famam & existimationem, quam rebus per integrum decennium bene pro Rege & Republ. gestis sibi pepererit. Raptum
280. Fürstenbergii Principis, quem conventus Coloniensis pro Legato Electoris rite agnoverat, Colonia Bonnam ac inde Viennam abstracti, accurate & graphice describit Autor, vimque factam detestatur; quæ res pluribus deinde Epistolis materiam præbuit. Hanc injuriam cum ægerrime ferrent Galli, quorum
296. ille causam pro virili tuebatur, accessit paucis post septimanis nova offensa, eo quod 48000 coronatorum, quos Galli Colonia Vesaliam ad stipendia præsidiariis solvenda destinaverant, in ipsa
482. porta Colon. a Kielmanseckio, Cæsareo ductore, detinerentur: quod damnum ipsi denique Colonienses, qui indemnitatem legatis promiserant, resarcire coacti sunt. Uti vero Fürstenbergium
320. ideo maxime hæc fata expertum putat Noster, quod illi arcanum

fuisset

fuisset cum rebellibus Hungaris Zerinio & Tettenbachio com-
mercium; ita observat, cum Legati ceteri fere omnes causam p. 369.
ejus agerent apud Cæsarem, solas Belgas adduci non potuisse, ut
pro illo intercederent, obtendentes, fassum illum inter ferven-
tiores sermones fuisse Odykio Coloniæ, se a quindecim annis la-
borasse, ut hanc Rempublicam pessundaret. Quantum Gallia T. II.
inhiaverit semper Belgio Hispanico, ex eo liquet, quod jam A. 1635 p. 278.
inter Gallos Belgasque Fœderatos de illo partiendo conventum
esset (cujus quidem pacti mox pœnituit Belgas); & ex instructio-
ne Mazarini patet, idem tentasse Gallos in pace Monasteriensi;
imo in ipsa pace Neomagensi rursus id agebant Galli, ut Belgis
hoc consilium persuaderent. De Civitatibus Imperialibus obser- 308.
vatur, quod ad Electores literas scribentes, membrana, ad cete-
ros vero Germaniæ Principes, charta utantur: Cellensem tamen
Ducem Noribergensium literas, in charta exaratas, repudiasse.
A. 1678 die 4 Aprilis Legati Gallici Mediatoribus Anglis condi- 326.
tiones satis arroganter nomine Regis sui proponebant, quibus
vel ante diem 10 Maji acceptis, pacem, vel rejectis, bellum
optare Gallorum hostes possent; & quamvis terminus fuisset
productus, observatur tamen in sequentibus Autoris Epistolis,
Gallos constanter illis inhæsisse, & oppido paucis mutatis,
pacem demum Fœderatis extorsisse. Nec unum hic extat
Gallici fastus exemplum, quo pertinet, quod, cum Galli, cum 538.
Cæsareis de pace tractaturi, proposuissent, ut conventus
apud Mediatores institueretur, Cæsarei vero, ut se ipsos potius
convenirent Galli cum Mediatoribus, modeste poscerent, Col-
bertus indignabundus responderet: *nunquam se in hoc negotio
requisituros Cæsareos, nec Regem suum obviam iturum Cæsari,
nisi centum millia militum ducentem.* Quantum Brandenburgi- 610.
cum Electorem Fridericum Wilhelmum afflixerit jactura pro-
vinciarum Suecicarum, ex eo intelligitur, quod Consiliarios
suos, instituta ea de re consultatione, his denique verbis com-
pellasse fertur: *quod si pereundem est tandem, operam ad mini-
mum date, ne quid existimatio mea damni patiatur;* quibus
dictis, in gravissimum deliquium incidit. His Epistolis, quæ Colo-
nienses tantum & Neomagenses Tractatus spectant, subjiciuntur 643-792.

postremo aliæ quædam, quæ maximam partem tum varia Angliæ jura civilia & ecclesiastica, tum imprimis jus Albinagii, quale vel in Gallia vel Anglia obtinet, occasione hæreditatis a Matre Regia relictæ, de qua supra, concernunt. Sunt tamen & in his litterariæ
p. 645. nonnullæ, e quibus duas tantum memorabimus. Altera *Athanasio Davies* inscripta est, quem, ut exemplo D. Athanasii veritatem strenue inter maximas persecutiones tueatur, nec se dimoveri a fide Ecclesiæ Anglicanæ patiatur, hortatus, inter alia narrat, Hugonem Grotium, Belgam licet, ita tamen Ecclesiæ Anglicanæ addictum fuisse, ut eam ceteris omnibus prætulerit, amicisque commendaverit, uxori imprimis, quæ Parisiis constanter frequentaverit cultum privatum exulantis Regis Caroli II. Altera
674. Latine exarata dirigitur ad *Cl. Boscium Professorem in Academia Janensi* (i. e. Jo. Andr. *Bosium* in Acad. *Jenensi* Professorem) qua eum rogat, ut, quoniam Josephi Opera mox prelo subjicienda sint in theatro Sheldoniano Oxonii, eas, quas cum pluribus probatæ notæ Codicibus MS instituisse feratur, collationes, impensis prius omnibus, quas fecerit, ipso sponsore Spanhemio, restitutis, ad se mittere Coloniam dignetur.

P. TERENTII AFRI COMOEDIAE SEX, *ad fidem duodecim amplius MStorum Codicum & pluscularum optimæ notæ editionum recensitæ, & Commentario perpetuo illustratæ. Accedunt interpretes vetustiores,* AEL. DONATUS, EUGRAPHIUS, CALPHURNIUS, *quorum iste maxime e duobus manu exaratis libris, ille itidem e binis MSS. nunc primum integer, hic e codice MS. & veteri editione integrius quam antehac eduntur; additis observationibus, quibus loca obscuriora & depravata vel tentantur, vel restituuntur. Porro* FR. LINDENBRUCHII *observationes in P. Terentii Fabulas & Donati Commentarium emendatius quam in superioribus edd. exhibentur, demum Indices locupletissimi. Curavit* ARN. HENR. WESTERHOVIUS.

Tomi

Tomi II.

Hagæ-Comitum, apud Petrum Goſſe, 1726, 4.
Alph. 12 plag. 8.

QUantopere olim doctiſſimis viris *P. Terentius* placuerit, Varronis, Ciceronis, Plinii, multorumque præterea teſtimonia demonſtrant. Erant jam illis temporibus, qui ab homine Afro tam eruditas Comœdias conſcribi poſſe, vix ſibi perſuadebant, ſed earum auctorem aut C. Lælium, aut Scipionem Africanum faciebant. Quæ opinio, licet falſa fuerit, abunde teſtatur, veneres & facetias Romanas Terentio non minus, quam Græcas Menandro cognitas fuiſſe. Atque hæc auctoritas Comici & gloria non niſi cum communi litterarum interitu, quem barbaræ gentes afferebant, intercidit. Reſtauratis litteris, novum etiam Afri noſtri decus enituit: adeo, ut ex heroibus illis, quibus conſervationem Græcæ Romanæque eruditionis debemus, nullus ſit, qui eum in deliciis non habuerit. Unde accidit, ut eo tempore viri elegantioribus Muſis dediti ſolenni elogio *Terentianorum* ornarentur. Et qui in Academiis humanitatis ſtudia docebant, ii Terentium explicare publicis legibus tenebantur. Sed hoc demum & ſuperiore ſæculo, ut multos alios bonos ſcriptores, ita & hunc optimum Latinitatis autorem inepti quidam homines a faſtigio ſuo detrahere cœperunt. Non, quod probæ ejus editiones deeſſent (facile enim octoginta editiones numerabis, quæ vel noſtra & patrum memoria prodierunt) ſed quod prava partim religio quædam, partim optimæ cujusque artis faſtidium animos occupaverat. Si qui tamen fuerunt, quos minus culta facies Comici, aut defectus perſpicuarum adnotationum deterruit, iis jam nunc bene conſultum videmus per Cl. *Weſterbovium*, qui hanc nitidam & charta typisque abunde conſpicuam editionem adornavit. Ad eam rem impulſus eſt jam olim autoritate Celeb. Perizonii, & auxilio fuerunt viri Clariſſimi, Car. Andreas Duckerus, Abr. Gronovius aliique permulti. Adhibuit tredecim circiter codices MSS. Donatum etiam ceterosque vetuſtos interpretes ad ſimilia documenta aut editiones obſoletas recenſuit. In promtu fuerunt tam libri plures im-

impressi, quam notæ ineditæ Gerhardi Falckenburgii, Isaaci Vossii (ut videre est pag. 106 & 108) Jani Gruteri, Th. Pulmanni & aliorum. Consuluit de locis dubiis viros doctissimos, in quibus etiam Amplissimus Vir Cornelius van Bynckershoeck. Et, quod peculiare est huic libro, Cl. Abrahamus de Rouw singulari diligentia laudatorum scriptorum loca, ne vitiose, quod facile accidit, citarentur, denuo autoribus evolutis examinavit, verosque librorum capitumque numeros, ubi forte peccatum erat, restituit. Porro, beneficio Amplissimi Mœringii novum Indicem nactus est, qui jure suo Lexicon Terentianum nominari potest, quem Cl. Editor cum affine suo, laudato Abr. de Rouw, a capite ad calcem recensuerunt, multisque locis aut emendarunt, aut locupletarunt. Denique in Donato emaculando usus est haud infelici opera Cl. Abrahami Wielingii, qui luxata multa restituit, & obscuriora loca egregie emendavit atque illustravit. Ut ergo paucis & ex veritate mentem nostram super hac editione exponamus, ita censemus. Homines elegantes, qui veteres scriptores cum voluptate perlegere volunt, habent hic nitidam editionem, quæ vel invitos ad legendum incitare, hæsitantibus etiam, dum ex multorum notis in unum Commentarium conjectas observationes exhibet, passim succurrere possit: at qui altius in litteras interiores penetrare, & Criticam suam, ut ita loquamur, cupiditatem exsatiare cupiunt, iis, ni fallimur, aptior erit ea, quam Celeb. Bentlejus cum maxime adornat, editio. Hæc vere a nobis dici, rem ipsam dabimus autorem: indeque non temere conjicias, idem, quod diximus, Cl. Editoris fuisse propositum. Sed ne latius evagemur, ea saltem, quæ ad primam Comœdiam (ubi intentio & studium nondum fuere defatigata) Andriam videlicet præstita sunt, perlustrabimus. Act. I Sc. II vers. ult. ubi nunc editur: *neque tu hoc dicas, tibi non prædictum*, malebat cum Donato: *neque tu haud dicas*, atque duas negationes negare etiam apud Latinos, exemplis ex nota Ach. Statii ad Tibull. IV eleg. VII, Broukhusii ad Ejusdem IV eleg. I vers. 127 & Grævii ad Cic. III ad Attic. epist. VII repetitis demonstrat. Act. IV Sc. III vers. 5 ex MSS. & edd. aliquot prætulit: *verum ex ea nunc misera quem capit Laborem*, ubi alii *Dolo-*

Dolorem ediderunt, quæ vox alterius solennis Glossa est. Act. V Sc. IV vers. 32 distinctionem mutat, scribens: *Is hinc, bellum fugiens, meque in Asiam persequens, proficiscitur*; cum alii sine distinctione, *Is hinc bellum fugiens* conjungant. Et propter verbum *proficiscitur* verissima est distinctio Cl. Westerhovii: quod ni adesset, recte *hinc bellum fugiens* diceretur, ut apud Plaut. Menæchm. Act. V Sc. II vs. 117: *Sed quis hic est, qui me capillo* hinc de curru *deripit*, & apud Livium II cap. XXI: *mortuus est Cumis*, quo *se post fractas opes Latinorum* ad Aristodemum *contulerat*, & apud Sallust. B. Jug. cap. LXI n. 4: *qui Romæ fuerat, & inde Massivæ de nece* judicium fugerat. Sed ut bene distinguit, ita nihil admonet de verbo *persequens*, quod sine dubio in *prosequens* mutandum est. Aliter judicabunt, qui in Prologo vers. 25 ex MSS. rescriptum vident: *Ut pernoscatis, &* quid *spei sit reliquum*, cum alii habeant, *ecquid*. Sane sensus respuit τὰ *& quid*, & exempla producta prorsus aliena sunt: MStis autem solis in his minutiis obsequi, valde periculosum est, eo magis, quod perpetuo hæc, *Ecquis*, *Ecquid* atque *Et quis Et quid* confundant. Fortasse hujus confusionis exemplum in ipsa hac Andria reperire licuisset Act. V Sc. II extr. ubi editur: *ecquid te pudet*. Certe in eximiis Terentii membranis, quas Ampliss. noster Baudisius ex bibliotheca Senatus hujus urbis depromtas nobiscum communicavit, utrumque, more consueto, exhibetur: *ecquid & quid te pudet*. Similiter judicabunt de mutata distinctione Act. II Sc. V vers. 17: *Ego illam vidi virginem, forma! bona Memini videre*, cum alii simplicius: *forma bona memini videre*. Nec multo magis placebit Act. V Sc. II vers. 23 sollicitari receptam lectionem, mutando *Tamen*, quo recte Simo τῷ Davi *Tamen etsi* respondet, in *Tantum*. Sed hæc de Emendationibus. Addimus, in membranis illis, quas consuluimus, Act. III Sc. II vers. 27 pro his: *sed nihilo secius mox deferent puerum huc ante ostium*, legi: *Sed nihilo minus mox referetur huc puer ante ostium*. Act. III Sc. III vers. 17 membranæ: *Quasi si illa sit tua*, ut Comici solent; vulgo: *Quasi illa tua sit*. Act. IV Sc. IV vers. 45 idem codex: *ah! needum omnia*; vulgo: *anne tu omnia?* Taubmannus & Lindenbruchius corrigebant: *ah, ne tu omnia*. Ex-

cum

cum in eo simus, tentabimus ex Conjectura alium locum in Act. II, Sc. VI, ubi vers. 7 Simo: *Quid Davus narrat?* Respondet Davus: *Æque quidquam nunc quidem*, nullo sensu; neque probabile quidquam eruit Perizonius, & Glossa est, quod ex Palatino MS. laudant. Forte scribendum: *Æque quidquam, nec* (*ac non*) *quidquam*, hoc esset *nihil*, aut saltem *neque bona, neque mala*, commodissimo sensu. Act. III Sc. V vers. 9 vix latinum circumfertur: *aliquid jam inventurum, ut huic malo aliquam producam moram*, quod significare deberet, ut hoc malum differam. Minima mutatione scriberemus: *ut huic malo aliquam prædùcam moram*: sic erit *prædùcere moram* idem, quod alibi *prætendere moram bello*. Verum in viam redeundum & de Expositionibus Cl. Westerhovii etiam dicendum est. Nimirum p. 34 probe explicat, cum Weitzio, quid sit *percutere animum*: pag. 36 cum eodem ostendit, quid sit, *Rejecit se in eum*. Pag. 68 evolvit notiones vocabuli *momentum*, & pag. 94 verbi *succensere*, & pag. 101 sq. verbi *differre*: quæ omnia illis, quibus hæ adnotationes conscriptæ sunt, grata erunt atque accepta. Doctiores enim statim videbunt, non sibi dictum pag. 20, *quidam* de ignotis & humilibus dici; pag. 44, *miror, si* elegantiam esse, quam Kockertus abunde illustravit; pag. 137 *fidem habere* esse credere: neque sua causa ad eandem Andriam existimabunt bis dici, nempe pag. 15 & 66, *Nam* transitioni inservire; pag. 38 & 71, *pro* in similitudine, pro *quasi*, adhiberi; aut ter proponi, nimirum pag. 64, 66 & 106, infinitivum in admiratione locum habere. De aliis observationibus alii forsitan alia monenda habebunt. Nam ubi Prologo vers. 15 in verbis: *atque* in eo *disputant contaminari non decere fabulas*, Editor *in eo disputant* conjungit veluti formulam; aliis magis placebit, ut *in eo contaminari* uniatur, pro in eo facto, *per id* contaminari, ut in Panegyrico: *premere* in osculis *terram*, qui modus loquendi familiarissimus est Hieronymo, ut in Epist. ad Augustinum: *State præcincti lumbos vestros in veritate.* ad Vitalem: *qui lustravit filios suos* in igne, *secundum morem gentium*. Et si cui durum hoc in Terentio videatur, placebit certe, si autoritate veterrimi MS. apud D. Hieronymum in Interpretatione Origenis Homil. in Cantic. Canticorum hunc loquendi

loquendi modum revocemus: *agente pœnitentiam peccatrice, & sancta caput Jesu* in *unguenti* odoribus *perfundente*. Nec multum abit Manilius Lib. V vers. 260, ut quidem in MS. Paullinæ nostræ scribitur:

Cæruleum foliis viridemve in gramine *collem*
Conseret; & veris depinget prata figuris.

Scaliger edidit: *viridi quin gramine*. In expositione verborum in fine Prologi: Comœdiæ *spectandæ, an exigendæ sint vobis prius*, nos nihil novamus; at Scholia membranarum ita habent: Exigendæ, *sc. a Comico exposcendæ. tantæ dulcedinis sunt ejus fabulæ, ut non solum admirandæ, verum etiam ultro exigendæ sint ab eo.* Quæ pag. 43 & 88 de particula *jam* leguntur, ea clariora erunt, si cum Donato hanc particulam præcise & accurate tempus notare dicamus, sive illud sit præsens, sive præteritum aut futurum. Mittimus, quæ pag. 61 ad vers. 2; pag. 122 & 123 ad vers. 9 & 14 proferuntur. Illa, quæ pag. 17 & 47 de formulis *canes ad venandum, tempus ad rem*, bene docentur, confirmant morem Latinorum, quo Adjectiva, per Genitivum aut Dativum, & hos per Accusativum cum Præpositione efferre solent. Ita *linteum tersui & ad tergendum; tempus ad rem & tempus rei: canes ad venandum & canes venatorii* fere eadem sunt. Hac observatione subnixi posteriores non modo ita locuti sunt, ut Spartian. Adriano cap. III: *in quo magistratu* ad *perpetuam tribuniciam potestatem* omen *sibi factum adserit;* & Gennadius cap. LXXXIII: ad *eloquendum artifex*; & P. Latro Declam. cap. VIII: *vitæ pravissimæ* consuetudo ad *omne facinus;* & Hieron. de benedict. Isaac: *qui* ad benedictionem *fratris* præreptor *adstiterat*; Sed etiam paullo audacius eum Casum, qui haud raro pro secundo & tertio, aut etiam pro Adjectivo ponitur, eodem modo per quartum cum Præpositione extulerunt. Hæc de observationibus in Terentium. Quam bene de *Donato* Cl. Editor promeritus sit, vel uno exemplo declarabimus. Ad Prologi vers. 3 ita in vulgatis: *Utimur fructibus rei*, quæ ab amantibus usu nobis subministrantur: *Abutimur, quando deperdimus & rem, &* fructum. Vitium in illis: *quæ ab amant.* cet. latere & MSS. codices, & Lindenbruchius testatur. Noster ex eleganti Wielingii sui conjectura

 ita

ita emendat: *cujus jure apud alium manente solus usus nobis subministratur*, quasi per siglas hæc verba scripta fuissent, quæ postea in vulgatam lectionem coaluissent. Loca veterum a Donato producta studiose indicat per libros, capita & versus: qua occasione monere libet, Sallustii locum, quem pag. 66 legere non meminit, desumtum esse ex I Histor. Orat. Lepidi n. 7, ubi ita: *Agendum atque obviam eundum est, Quirites, ne spolia vestra penes illum sint*. Sed quando pag. 189 ad vers. 7 adeo invehitur in Donatum, quod scripserit: *Bene sane*] i. *valide*: *quia qui sanus est, idem & validus*, mentem Interpretis Cl. Editor non cepisse videtur. Recte *sane* interpretatur *valide*, hoc est, *valde*: & formula *bene sane* nihil aliud significat, quam *valde bene*, *bene omnino*. Atque hæc sufficere possunt, ad cognoscendum naturam & conditionem tam Emendationum, quam Expositionum Cl. Westerhovii. Ne tamen quid deesse videatur, narramus præterea, aliorum etiam autorum loca, ubi res tulit, emendata, vel tentata esse. Sic pag. 16 & 60 Plautum; pag. 23 Ovidium; pag. 135 Ciceronem emaculavit, & ne plura addamus, otium nobis fecit Index autorum emendatorum atque tentatorum, quem Editor adjecit. Verum ubi ad Act. I Sc. III vers. 19 in Sallustio pro *accepi*, *excepi*; & ad Phorm. Act. II Sc. I vers. 4 pro *&* substituit *sed*, emendare quidem, sed non ad usum & consuetudinem veterum, multo minus ad morem Crispi respicere voluit. Denique nemo miretur, si in Observationibus Westerhovii & in Addendis ad easdem plerumque talia adscripta videt, quæ dudum ab aliis collecta sunt. Non minus enim Farnabium, Weitzium, & eum, qui Plautum cum Terentio contulit, quam Parei Lexicon Plautinum, Schefferi, Grævii aliorumque notas exscribere, sui juris esse existimavit. Sane pag. 14 non modo Lipsium ad Senecam, Grævium ad Ciceronem, sed etiam Weitzium, Lindenbruchium & Kockertum ad Terentium compilavit. Pag. 75 Scheffero ad Phædrum unum atque alterum exemplum debetur. Pag. 216 eadem leges de somniis, quæ Lambinus ad Cic. Somn. Scip. cap. I attulit. In Addendis pag. 232 ad Phorm. Act. I Sc. II vers. 18; & ad Act. II, Sc. I, vers. 4 & 79 videbis notas Cortii nostri ad Sallust. Cat. cap. 23 n. 3; cap. 40 n. 1 & ad Jug. cap. 85

n. 10,

n. 10, in compendium redactas. Quod cum aliis vitio verti posset, qui alienum laborem hoc pacto suam gloriam facerent; Noster ingenue factum profitetur, & Præfatione sua omnibus fere debitam laudem tribuit. Ita facile patet, quo loco interpretum sit habendus. Et quisquis specimina a nobis pro'ata vel leviter consideraverit, de industria & incepto Cl. Westerhovii recte ipse statuet, neque ut plura, quam supra scripsimus, addamus, jure desiderabit.

HISTOIRE DU SOCINIANISME.

hoc est,

HISTORIA SOCINIANISMI.

Parisiis, apud Franc. Barois, 1723, 4.

Alph. 3 plag. 14.

NOndum exstare singularem eamque pleniorem Historiam de Socinianis eorumque doctrinis, cum animadverteret Autor, in animum induxit labore hoc defungi, opusque suum duas divisum in Partes nunc exhibet, quarum priore ortum, progressum atque interitum Socinianismi describit, posteriori & vitas & scripta celebriorum Socinianorum lectoribus ponit ob oculos. Elaboravit quidem & tertiam partem, qua dogmata persequitur eorum: sed cum videret, lectoribus simul opus esse accuratissima ipsorum confutatione, copiosius illam Partem exornare, & tum demum in publicum emittere constituit.

Parte igitur *prima*, postquam *Cap. I* docuit, primis jam Ecclesiæ Christianæ temporibus exstitisse impugnatores Deitatis Christi & Trinitatis divinæ; *Cap. II* diversa nomina persequitur, quibus insigniri solent Sociniani, vocati quippe Trinitarii, Unitarii, Antitrinitarii, Fratres Poloni, Monarchici, Latitudinarii, &c. Disquirens vero, e quo fonte per tot sæcula sepulta hæresis in orbem Christianum redierit, docet *Cap. III*, Reformationem Lutheri occasionem præbuisse, hosque hæreticos, cum nondum omnes errores a Luthero & Zwinglio sublatos crederent, specie amplioris reformationis in tam horrendos incidisse errores. Atque hinc intelligere jubet Autor Protestantes, quantum mali

ſequatur doctrinam de Scriptura S. ſola controverſiarum judice: imo perſuadere ſibi non poteſt, a Lutheranis Calvinianisve rite refelli poſſe errores Socinianos. Verum hic quidem in transverſum rapuit doctiſſimum Autorem immoderatum ſectæ ſuæ ſtudium, facile alias cogniturum, eum, qui aliunde, quam e ſacro codice, refellere aggrediatur Socinianos, non poſſe non in circulum relabi ſophiſticum, ſive, ut Scholaſtici loquuntur, in turpem petitionem principii. *Cap. IV* & ſequentibus prima Socinianiſmi incunabula demonſtrat, & hinc incrementa hujus ſectæ per Italiam, Poloniam, Tranſſylvaniam, aliasque terras, deſcribens initio Synodos in diverſis Poloniæ urbibus a Socinianis habitos, deinde progreſſum Socinianiſmi in Hungaria & Tranſylvania, accuſans ſimul Imperatores Ferdinandum I & Maximilianum II nimiæ erga hæreticos propenſionis. Cum vero Anabaptiſtas in Germania & Belgio feneſtram latius aperuiſſe credat Socinianis erroribus, tribus Capitibus (XVII, XIX, XX) hiſtoriam tradit ſectæ Anabaptiſticæ. Hinc pluribus exponit, quam ſtabiles ſedes in Polonia nacti ſint Sociniani, faventibus ipſis Regibus ac Procerum haud paucis, enumerans ipſorum in Polonia pariter ac Lithuania Eccleſias, Scholas & typographias. Ultimo loco enarrat ejectionem Socinianorum e terris Polonicis vi edicti A. 1658 publicati. E Polonia digreditur in Angliam atque Hollandiam, &, quam altas ibi radices egerit Socinianiſmus, quamque multos adhuc habeat ſectatores, ediſſerit, ac ſimul in libertatem conſcientiarum, quæ & gignat & alat hanc hæreſin, invehitur. Cumque Arminianorum ſectam Socinianis favere ſibi perſuadeat, duo Capita (XXXIII & XXIV) implevit hiſtoria Arminianiſmi. Denique ne eorum error latius diſſeminetur, qui Socinianorum dogmatum accuſant clariſſimos aliquot Gallos, poſtremis duobus Capitibus ſtudioſe hunc rumorem refellit, & maxime doctores Portus Regii ab adverſariorum ſuorum objectionibus defendit.

p. 201. *Parte ſecunda* chronologicum exhibet Catalogum Socinianorum, cujusque & vitam deſcribens & errores pariter ac libros enumerans. Hic admodum copioſa occurrit narratio de *Serveto*, *Ochino*, *Lælio* & *Fauſto Socinis*, *Val. Gentile*, *Liſmanino*, *Palæo-*

golo

-*logo*, *Duditbio*, *Blandrata*, *Schmalzio*, *Crellio*, *Schlichtingio*, *Wolzogenio*, *Vorstio*, *Sandio*: satis quoque luculenta de ceteris Socinianæ doctrinæ professoribus, itemque de primariis politici ordinis viris, qui in Polonia ad hancce sectam sese adjunxerunt. Nonnullos vero injuste retulisse censebitur in hunc censum, maxime *Capitonem*, *Flacium*, *Wicelium*, & *Coccejum*. Permittimus etiam aliis arbitrandum, an recte socios huic sectæ adscripser t *Cap. XIX* Anabaptistas, & postea Arminianorum primipilos, *Episcopium* & *Curcellæum*. Occasione hac oblata etiam *Grotii* vitam *Cap. XLII* enarrat, Bossuetique profert & aliorum argumenta, quibus probatum eunt, Grotium fuisse Socinianum, additis ad ea responsionibus Joannis Clerici. Ipse quidem nihil hic definit, sed ultimo loco scribit, Grotii nomen adhuc permagno esse in pretio doctis omnibus omnium religionum. *Cap. XLIII* *Burignoniam* Sociniano gregi adjungit, & sequenti producit Juriæi argumenta, quibus efficere conatus est, *Eliam Saurinum* inter Socinianos esse referendum. Vicissim *Cap. XLV* ipsum *Juriæum*, quem fœdissimis depingit coloribus, docet iis ipsis argumentis reum agi posse Socinianismi, quibus ipse usus est ad alios in classem Socinianorum adscribendos. Nec vero sibi propositum esse ait, ut Juriæum faciat Socinianum, sed tantum, ut ostendat, quam imbecillibus ille sit usus argumentis ad alios hujus hæreseos convincendos. Hinc tribus Capitibus agit de *Joanne Clerico*, initio ejus virtutes ingenii & vitia morum describens, tum vitam ejus exponens, & responsiones Clerici, quas iis opposuit, qui Socinianismum ipsi objecerunt. Jure vero Clericum inter Socinianos referri, demonstrari clare posse putat hoc argumento: qui omnia S. Scripturæ loca, e quibus probari solet æterna Christi Deitas, alio sensu interpretatur, nec unquam clare profitetur, se credere, tres esse in Deo personas, Jesumque esse verum Deum, ac denique persecutiones Socinianorum habet pro injustis & barbaris, is est verissimi nominis Socinianus. Assumtionem probare studet ex scriptis Clerici, quorum recensito Catalogo ultimum Caput, quod est quadragesimum nonum, aperit, in eoque *Maldonatum* & *Petavium*, Jesuitas, quorum & vitas describit, argui a quibusdam docet Socinianismi, sed eosdem ab

p. 581.

aliis

aliis luculenter defendi. Absoluto jam operi accedunt Notæ quinque fere plagularum, in quibus id partim supplet, partim corrigit atque emendat. Hic & eos commemorat, qui *Erasmum* Arianismi accusarunt & Socinianorum prodromum vocarunt. Ipse vero injustam statuit esse hanc accusationem. Longus hinc est de vita & doctrinis *Stancari*. Copiosissime vero illustrat historiam *Serveti* & *Ochini*, simul agens de libro, cujus autor Ochinus a nonnullis fuit habitus, *de tribus impostoribus*, quem quidem librum ipse negat unquam fuisse scriptum editumque. Illud ultimo loco monere liceat, nomina virorum & urbium passim exhiberi admodum corrupta, quod quidem in Gallorum historicis libris sæpius in his *Actis* observavimus.

p. 2. 3.

4. sqq.

R. P. BERNARDI PEZII, BENEDICTINI *& Bibliothecarii Mellicensis, Bibliotheca Ascetica antiquo-nova.*

Tomus V & VI.

Ratisbonæ, sumtibus Jo. Conr. Peezii, 1724, 8.
Alph. 2 pl. 7½.

EN continuationem *Bibliothecæ Asceticæ* Pezianæ, cujus superiores Tomos A. 1723 p 518, & A. 1724 p. 483 exhibuimus. Quinto igitur Tomo trium superioris sæculi Cartusianorum monumenta proferuntur in medium, eaque, ut Editor in Præfatione observat, *genuinum monasticum spiritum redolentia.* Primus, *Antonius Volmarus*, Cartusiæ Astheimensis in Franconia Prior, defunctus A. 1633, plura scripsit, quæ a Petreis memorantur in *Bibliotheca Carthusiana.* Alter, *Matthias Mittnerus*, Pruelensis prope Ratisbonam Cartusianus, vita excessit A. 1632. Tertius, *Laurentius Wartenbergerus*, Magdeburgi natus parentibus Lutheranis, & A. 1667 mortuus, plures composuit libros, omnes ἀνεκδότους, quorum titulos Editor noster in Præfatione repræsentat.

Sed jam ad ipsos horum libros hic editos accedamus. *Volmari* quidem liber totus est mysticus & ex antiquiore autore excer-

cerptus. Inscriptus est *de spirituali perfectione*, ac duabus constat partibus, in quarum priore agitur *de dulcedine mentali seu gustu suavitatis interno & sentimentis Spiritus, deque disponentibus ad hujusmodi gustum, & ipsum comitantibus ac sequentibus*; in posteriore *de vera spirituali perfectione, & de quatuor viis hominem ad summam perfectionem & divinæ veritatis limpidam contemplationem ducentibus.* Libet hinc excerpere sequentia. *Lib. I cap. 1* visionem Dei mysticam ita describit: *Quemadmodum in intellectu cognitio seu visio est specularis & intuitiva, sic pariformiter in affectu cognitio seu visio experimentalis, mystica & gustativa, in qua hominis in statu vitæ præsentis, si ad eam admittitur, consistit spiritualis perfectionis finis & summa.* Ibidem tres constituit partes hominis, corpus, animam, & spiritum, visionem mysticam non animæ tribuens, sed spiritui: addens, ad illam visionem requiri divisionem spiritus ab anima: de qua divisione pluribus disputat. Illustrat hoc in sequentibus Capitibus dictis & veterum Ecclesiæ doctorum & ipsius S. Scripturæ. *Lib. II cap. 6* differit de discretione spirituum, docens, a quatuor spiritibus hominem agitari, Spiritu maligno sive diabolico, cujus quidem tentationes præclare describit; spiritu naturali, a quo proficiscuntur veritates philosophicæ; spiritu angelico, qui homini virtutes inspirat, eumque ad sancta opera incitat; Spiritu denique divino, qui divinam veritatem clare homini ostendit, ut is extra se raptus ac supra se, in nudam divinæ claritatis essentiam elevetur. Hi quatuor spiritus quomodo inter se discernantur, duce mystica theologia exponit. *Cap. 18* & sequentibus exhibet quatuor vias ad summam perfectionem perveniendi & ad contemplationem limpidam veritatis divinæ. Prima est, ipsius judicio, ut homo habeat perfectam voluntatem perfecte omnibus renuntiandi, quæ sunt contra Deum, & quæ non sunt ipse Deus. Altera, ut vitam Christi imitetur, & in passionis Christi sedula meditatione versetur. Tertia, ut perpetuo mortificeet propriam sensualem naturam, facile perferens aliorum contemtum & injurias & adversa quævis. Quarta, ut assidue & diligenter omnes sensus custodiat intus & extra, ac jugiter persistat in puritate

p. 1-408.

14.

16.

tate simplici. Quæ quidem singula eum in modum explanat, ut legi mereantur a Christianæ virtutis studiosis.

p. 409-452. Sequitur *Mittneri Enchiridion Cartusianum.* In hoc ad instar Enchiridii Epictetici quinquaginta sistuntur aphorismi ad conservandam animi pacem utiles, subjecta singulis Paraphrasi. Ac priores triginta quinque aphorismi sive regulæ sunt ex illo Epicteti Enchiridio ad verbum descriptæ, mutatis paucis insertisque, prout commodum Autori videbatur ad commendandam sanctitatem Cartusianam.

453-463. Accedit ejusdem *Mittneri Paraphrasis in formulam professionis Cartusianæ.* En, quam perpetua paraphrasi illustrat, formulam: *Ego frater N. promitto stabilitatem, obedientiam, & conversionem morum meorum coram Deo, coram Sanctis ejus, coram Reliquiis istius eremi, quæ constructa est ad honorem tuum & beatæ semper virginis Mariæ in præsentia Domini N. Prioris.*

Sexto Tomo præter *Wartenbergeri Contemplationes in vitam Christi & præcipua fidei mysteria*, quem librum superior Tomus,

1-28. cui destinatus fuerat, non capiebat; leguntur *Dominici Passionei*, Archiepiscopi Ephesini, & Apostolicæ Sedis ad Helvetios Legati, (cujus etiam epistolam ad se scriptam Editor exhibet, ex qua discimus, Passioneum bibliothecam sedecies mille voluminum, MSS. etiam Græcis refertam, possidere,) *Sermones duo A. 1723 habiti de Abbatis electione rite instituenda;* Anonymi Be-

29. nedictini, qui sæculo XII vixisse videtur, *libellus de conscientia;*

49. *Engelberti*, Abbatis Admontensis, (de quo Cl. Editor jam egit in præfatione Tomi tertii,) liber *de providentia Dei*; *Henrici Arnaldi*, Cartusiæ Basileensis Prioris, A. 1487 mortui, *Dialogus de modo perveniendi ad perfectam Dei & proximi dilectionem*, quem Trithemius inscripsit *de commentatione charitatis.* Ex Anonymi libello *de conscientia* memores eorum, quæ superius attulimus de quatuor spiritibus mentem humanam agitantibus,

47. depromere libet, quæ *Cap. 7* habentur *de quatuor spiritibus, qui homini assidue loquuntur*, Spiritu mundi, Spiritu carnis, Spiritu Diaboli, Spiritu Dei. *Spiritus mundi*, inquit, *suggerit vana, & ipse tunc loquitur cordi nostro, cum vanitatem diligimus, de vanitate lætamur, in vanitate delectamur. Spiritus carnis loquitur,* cum

cum ejus curam in desideriis perficimus & voluptate. Spiritus Diaboli loquitur, quando amara cogitamus & aspera proferimus, tristes in nobis, aliis irascentes, ingrati & invidi, sine affectione, sine fœdere. Spiritus Dei loquitur, quando dulcia & meditamur & loquimur, hilares nobis & proximis in omni dulcedine & bonitate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Ex *Engelberti* opere *de providentia Dei*, quem autorem A. 1724 p. 483 ab ἀκριβείᾳ Scholastica laudavimus, observamus, libro primo & potentiam & bonitatem Dei pulcre ostendi ex contemplatione mundi & totius naturæ, adeoque dignissimam lectu esse hanc tractationem. Ex *Henrici Arnoldi* opere notatu dignissima sunt ultima verba hunc in modum profluentia: *O mater Salvatoris, o mater gratiæ, quoniam iste verus filius tuus, etiam verus Dei filius, dictus est vere nomine & re per mysterium* Jesus *a salvando,* Christus *ab unctionis dono, fac materno interventu tuo, ut nos tui pauperculi, quorum etiam mater dici non verecundaris, sicut a Christo* Christiani, *id est, uncti, vocati sumus; ita quoque a Jesu* Jesuitæ, *id est, salvati, vocari veraciter mereamur,* cetera. Unde apparet, non esse Ignatium Lojolam primum istius nominis repertorem. *Wartenbergeri* denique liber vitam Christi & præcipua fidei Catholicæ dogmata persequitur stylo arguto, quali utuntur hodie Inscriptionum artifices. Unde hunc librum non minus accommodatum dixeris ad exercendum ingenium, quam ad exercendam pietatem. p. 215.

INSTITUTIONES PHILOSOPHIÆ WOLFIANÆ, in usus Academicos adornatæ, opera LUDOVICI PHILIPPI THUMMIGII, Professoris Phil. Ordinarii & Reg. Soc. Scient. Boruss. Sodalis.

Tomus posterior.

Francof. & Lipsiæ, in Officina libraria Rengeriana, 1726, 8.
Alph. 1 plag. 7.

Ecce tibi Tomum posteriorem Institutionum *Philosophiæ Wolfianæ,*

fianæ, quam a Cl. *Thümmigio* prelo parari monuimus in Actis anni superioris p. 234. Complectitur is Philosophiam practicam universam, quam in Meditationibus Moralibus atque Politicis proposuit Philosophus. Nimirum primo loco comparet *Philosophia practica universalis*, quam novo consilio condidit Philosophus, cum primum animum ad philosophiam practicam perficiendam appelleret. Succedit secundo *Jus naturæ*, quod cum praxi morali atque politica idem conjunxerat, Cl. autem *Thümmigius* separatim exhibere maluit, morem scholæ modernum secutus. Tertium locum occupat *Ethica*, sive philosophia moralis & ultimus denique cedit *Politica* seu philosophiæ civili. *Philosophiam practicam* in duas dividit partes, theoreticam atque practicam. In theoretica theoria Philosophiæ practicæ generalis, in practica autem praxis itidem generalis traditur. In theoria actionum humanarum differentia explanatur, unde earum intrinseca honestas atque turpitudo elucet; 2 obligatio & lex naturalis stabilitur; 3 Deum esse legis naturalis autorem, demonstratur; 4 pœnarum & præmiorum notio evolvitur; 5 virtutis atque vitii ratio exponitur; 6 beatitudo & felicitas hominis expenditur, tandemque 7 conscientia & ejus diversi status explicantur. In praxi monstratur modus perveniendi ad summum bonum philosophicum seu felicitatem terrestrem, 2 custodia conscientiæ ad certas regulas alligatur, 3 methodus conjectandi hominum mores certioribus fundamentis superstruitur. *Jus naturæ* itidem in duas abit partes, ethicam & politicam. In parte ethica jus naturæ ethicum demonstratur, quod absolvitur legibus naturalibus, statui naturali convenientibus. In parte politica jus naturæ politicum occurrit, quo continentur leges naturales, status civilis norma. Jus naturæ ethicum tradit officia hominis 1 erga Deum, 2 erga se ipsum, 3 erga alios in genere, 4 erga amicos & inimicos in specie, 5 circa sermonem, 6 circa pacta, 7 circa dominia rerum, & 8 circa contractus. Jus naturæ politicum exhibet leges societatis 1 in genere, 2 nuptialis, 3 paternæ, 4 herilis, 5 domus in specie, 6. Reip. in genere, 7 Reip. constituendæ, & 8 legibus civilibus muniendæ, 9 potestatis & potentiæ summorum imperantium, 10 Reip. administrandæ, tandemque 11 belli atque

pacis.

pacis. *Ethica* seu philosophia moralis in quatuor sectiones dividitur. Prima de virtutis studio in genere affectuumque regimine; secunda de virtutibus intellectualibus; tertia de moralibus, & quarta de pietate philosophica agit. Virtutes intellectuales vulgo recensentur quinque, intelligentia, sapientia, scientia, prudentia, ars; sed Philosophia Wolfiana numerum eorundem adauget: quamobrem Cl. *Thümmigius* decem numerat, acumen scilicet, profunditatem, intelligentiam, scientiam, soliditatem, artem inveniendi, culturam ingenii, sapientiam, prudentiam atque artem. Singularum theoriam atque praxin singularibus capitibus comprehendit. Inter virtutes morales comparent notitia sui, temperantia, cura corporis, castitas, liberalitas, modestia, diligentia, patientia, fortitudo, amor universalis omnium hominum, mansuetudo, amicitia, veracitas, taciturnitas, justitia. De singulis peculiari capite egit & passim virtutes agnatas iisdem jungit. E. gr. Temperantiæ jungit sobrietatem, liberalitati continentiam, parsimoniam, officiositatem, beneficentiam; modestiæ humilitatem, magnanimitatem. Ita autem in virtutibus cum intellectualibus, tum moralibus tradendis versatur, ut non modo earum definitiones accuratas tradat, verum etiam actiones ipsis proprias per legem naturæ determinet, eaque demonstret, quæ mediorum, impedimentorum, remediorum, motivorum atque signorum rationem habent, etsi a tædiosa terminorum generalium repetitione abstineat. Per *pietatem philosophicam*, quam Philosophus primus in Philosophiam introduxit, intelligitur virtus dirigens actiones hominum attributis divinis convenienter, aut ad gloriam Numinis, utendo scilicet istis tanquam illarum motivis. Maximum in ea momentum ponit, quod omnes virtutes ceteras ad eminentiorem gradum elevat, atque hinc deducit, hypothesin athei, etsi jus naturæ non evertat, esse tamen virtuti adversam. Eandem medium gradum constituit inter virtutem naturalem & Christianam, pietatemque christianam antecellere philosophicam ostendit. Pietas philosophica sub se comprehendit studium agnoscendi Deum, amorem Dei, timorem & reverentiam Numinis, fiduciam erga ipsum & acquiescentiam in voluntate ipsius, invocationem Numinis gratiarum-

que actionem atque cultum Dei externum. De singulis eadem methodo tractat Autor, qua eundem in virtutibus intellectualibus & moralibus usum fuisse modo diximus. *Politica* in duas dividitur partes, œconomicam atque politicam. Parte prima sive œconomica agitur de salute Societatum simplicium promovenda; parte autem secunda sive politica de salute totius Reip. curanda. Quoniam societates simplices sunt nuptialis, paterna, herilis & minus composita domus; peculiaribus capitibus explicatur, quomodo salus societatis nuptialis, paternæ, herilis & domus obtineatur. Ostenditur nimirum, quo pacto efficias, ut in singulis societatibus unusquisque satisfaciat officio suo. Tota enim tractatio practica est. Pars secunda sive politica in duas subdividitur sectiones. Prima est de Rep. constituenda; secunda de eadem administranda. In illa agitur de forma Reip. eligenda, & cura imperantis circa numerum civium, virtutes intellectuales, virtutes morales & cultum divinum, circa honestatem externam conservandam, religionem, justitiam, injurias, vitæ necessitatem, morbos, præsertim contagiosos, vitæ jucunditatem, honores explicatur. In hac tractatur de summæ potestatis & potentiæ collatione, de regimine in genere, de justitiæ administratione, de salute subditorum ubivis locorum promovenda, de opibus civium conservandis augendisque, de consiliariis, de oneribus publicis, & de tuenda Rep. adversus insultus hostiles. Etsi autem Cl. Autor, perinde ac in Tomo priori disciplinas theoreticas, in hoc posteriori practicas secundum methodum demonstrativam elaboraverit; omnes tamen theses eo ordine collocavit, qui in scholis in consuetudinem abiit, atque hinc contigit, quod non singulis in catena idem obtigerit locus, quem in operibus *Wolfianis* tuentur, ac sæpissime alia concatenatione fuerit opus. Ceterum eædem ipsi fuere rationes Tomi institutionum posterioris conscribendi, quas prioris fuisse, in Actis anni superioris p. 234 commemoravimus, scilicet ut juventutis Academicæ utilitati consuleret, & ut inanes osorum *Wolfianorum* vociferationes de periculosis dogmatis *Wolfianis* retunderentur. Cum enim toties ingeminare non erubescant, Philosophia *Wolfiana* omnem virtutem, omnem religionem, immo omnem morum honestatem

tolli,

tolli, ita ut ne quidem religio pagana, nec ulla Resp. subsistere queat; ad refellendos clamores, non alia re opus esse censet, quam ut alterum hunc Tomum Philosophiæ *Wolfianæ* attenta mente percurras. Atque ita omnem falsissimarum consequentiarum molem, quasi systema harmoniæ præstabilitæ philosophiæ practicæ inimicissimum sit, collapsuram, confidenter sperat. Patere nimirum, quod philosophiæ practicæ cum isto systemate nihil sit commune. Quoniam in eodem supponitur, animam & corpus ita agere, ac si in se mutuo influeret; non invito systemate harmoniæ præstabilitæ morum doctorem sumere influxum physicum, qui fatente harmonista apparet, tanquam realem, perinde ac Astronomus non invito systemate terræ motæ in parte sphærica Astronomiæ motum primi mobilis supponit tanquam realem, propterea quod motus vertiginis telluris ita concipi debeat, ut in determinandis phænomenis idem sit, ac si cœlum moveatur circa tellurem. Postquam Celeb. *Wolfius* toties ursit, ut theses disertis verbis prolatas indicent adversarii, quibus tantum periculi insit, ut propterea omnis philosophia *Wolfiana* sit damnanda & supprimenda; illud tandem ab electione mundi optimi, a *Wolfio* asserta, derivare malunt: ea enim admissa tolli libertatem in Deo & cuncta fato subjici &, si mundus hic statuatur optimus, omnia in absolutissimum recidere. Constat ex parte prima Institutionum, in philosophia *Wolfiana* mundum optimum dici, qui fini, ob quem a Deo factus, convenientissimus, & mundi nomine designari omnem rerum per omne ævum sibi mutuo succedentium seriem. Quamobrem Cl. *Thümmigius* objectionem hanc amoliturus, quærit, quis ideo dixerit, violari libertatem nostram, si in moralibus atque politicis media proferimus, quæ scopo magis satisfaciunt ceteris, & cur decretum censeri debeat absolutum, si ratio objectiva fuerit major objecti perfectio, immo cur executio mediorum fini optime servientium fatalem rebus necessitatem imponere debeat? Provocat ad Autorem pseudonymum in Bibliotheca Bremensi class. 8 fascic. 1 p. 47, qui contra obtrectatores *Wolfiani* nominis demonstrarit, ideam electi mundi optimi a Deo salva ejus sapientia & libertate removeri non posse.

Kieß-Historie,

hoc est,

PYRITOLOGIA, AUTORE D. JOANNE FRIDERICO HENCKELIO, *Potent. Regis Poloniarum & Electoris Saxoniæ Physico Provinciali, nec non Physico Freybergensi.*

Lipsiæ, apud Joannem Christianum Martini, 1725, 8.
Alph. 2 plag. 22 Tabb. æn. 12.

NOn contemnendam historiæ naturalis partem hoc Tractatu complexus est Cl. *Henckelius*, rei metallicæ & artis chemicæ peritissimus. Non compilatorem egit in argumento minus trito; sed propria experientia ac experimentis domesticis acquisita fideliter exposuit, historiæ naturalis incrementum pro virili promoturus. Animum enim ad pyritem, minerale præcipuum, cum cura describendum appulit, quod Autores celebratissimi *Capenarius* atque *Agricola* de hoc argumento non tradiderint nisi confusa atque incerta, ipsum autem minerale in fodinis maxima copia ubivis locorum sese offerat, usumque in re metallica amplissimum habeat. Experimenta cum institueret, non elementa Chymicorum inde elicere intendit; sed naturæ reliquit, quænam in solutione offerret. Nec descripta ab aliis experimenta imitatus, sed quæ ratio & tentamen fortuitum suggereret, ea instituere allaboravit. Singula experimenta aliquoties iteravit, ne minus explorata in lucem publicam proferret. Omnem quoque adhibuit curam, ne peregrina pyriti admixta experimenti eventum dubium redderent; & ne instrumenta & vasa minus pura eidem officerent: id quod imprimis in coloribus immutandis facillime accidit, tum etiam in ipsa mixtione ac fermentatione nocuum existit. Neque ipsum piguit singulas experimentorum circumstantias diario suo inserere, & vasis, quibus producta asservabantur, schedulas affigere, unde appareret, ad quodnam experimentum pertinerent. Sumsit experimenta in sexaginta, immo pluribus pyritæ speciebus, quas magno labore ac sumtu cum ipse ex fodinis patriis collegit, tum ex peregrinis oris ad se deferri

deferri curavit. Postquam institutum suum exposuit, de diversis nominibus disserit, quibus pyrites appellatur. Pyritæ nomen antiquissimum a Græcis ad nos venisse & Germanice reddendum per vocem *Kiess*: multa enim ratione *Agricolam* inter *pyriten* & *chisum* distinguere. Ab Arabibus hoc minerale appellari *marcasitam*, a nonnullis Chymiæ secretioris cultoribus *magnesiam*, ab aliis *igniarium*, *lapidem luminis*, *sideritem*, *pyropum*, *pyrobolum*, *pyrimachum*, *othonnam*, *corallum &c.* Germanice *Büchsenstein*, *Martstein*, *quasi lapidem Martis*, *Atrament-Stein.* Ostendit autem, quanta in denominando hoc minerali confusio sit apud Autores, & quam ambiguæ sint interpretationis nomina adducta penes diversos: ubi multam lectionem probat. Non minor confusio quoad rem ipsam occurrit: id quod prolixe adstruit Noster. Certiora igitur traditurus, observat, primariam pyritæ materiam esse terram martialem, eique vel sulphur, vel arsenicum, vel subinde utrumque admixtum. Nonnunquam etiam admisceri cuprum: argenti vero atque auri nonnisi contemnendam portionem adesse. Unde notat, *pyriten aurei coloris* nomen hoc tantummodo promeruisse a colore externo, cum auro quasi tinctus appareat. Idem ipsius judicium est de *pyrite coloris argentei*. Nec probat, pyritas distingui a sulphure & vitriolo, cum ipsius judicio ex omni pyrite elici possit vitriolum, ex quo sulphur extrahitur, & contra. Majori ratione discrimen peti a sulphure & arsenico, cum non perinde nostri arbitrii sit, num arsenicum, an sulphur extrahi debeat, quemadmodum ex omni pyrite, qui vitriolum dat, sulphur elici potest. Etsi enim sæpissime arsenicum sulphuri sit admixtum, neque tamen ex sulphure arsenicum vel ex arsenico sulphur paratur. Distinguuntur quoque pyritæ a figura externa, e. gr. in rotundos & angulosos. Sunt autem cum rotundorum, tum angulosorum variæ species. Inter rotundos occurrunt sphæricus, hemisphæricus, ovalis, botrytes, cristatus; inter angulosos tetraëdros, sexaëdros, octaëdros &c. Tandem ratione coloris Noster eos dividit in albos, subflavos & flavos. Album esse pyriten arsenicalem; subflavum, in quo Mars cum sulphure prædominatur; flavum denique, in quo Venus sulphuri sociatur. Discrimen a colore petitum in historia naturali potissimum esse attendendum censet. Pyriten subflavum in

omni

omni lapidum genere reperiri, nec non in argilla ac in terra quavis metallica, observat: flavum vero & album alicubi non occurrere, ubi sedem suam figit subflavus. Non omnem a prima creatione originem suam deducere, sed eum hodienum generari arbitratur, atque posterius multiplici experientia confirmat. Nam stalactiten hodienum generari, nemo rerum naturalium curiosus ignorat; deprehendit autem Noster etiam iis in locis, ubi stalactitæ recentior ætas minime dubia, pyriten ejus superficiei adhærentem, immo particulas metallicas intus aggregatas. Probe monet, non partes pyritæ majores ab aquis aliunde advectas cum stalactite coaluisse, sed particulas valde exiles instar vaporis tenuis superficiei successive adhæsisse: quod ipsa autopsia manifesto prodit. Mittimus argumenta alia, quæ apud ipsum autorem legi merentur. Silentio tamen prætereundum non est experimentum Autoris, quo lapidis crystallini productionem illustrat. Vitrum rotundum majus urina recenti pueri dimidia parte repletum, vesica obducto colli longioris orificio, in loco temperate calido, veluti in hypocausto, per tres quatuorve annos immotum conservetur, ut vapores subtiles ascendentes & in superficie cava superiori collecti rursus defluant. Videbis enim non sine jucunditate, tandem margini vitri accrescere lapillos candidos, avenæ grana æmulantes, qui vitro adeo firmiter adhærent, ut ab urina effundenda loco minime dimoveantur. Figuram habent prismaticam, nihil saporis salsi produnt, nec in aqua fervente solvuntur. Veteres ignorarunt, Martem dominari in pyrite, qui nonnisi Venerem in eodem agnovere; etsi in plurimis pyritis rarissimam. *Listerum* primum fuisse fatetur Autor, qui in tractatu de fontibus medicatis Angliæ asseruerit, pyriten purum putum ferri metallum esse, quamvis id universaliter statuisse non videatur. Cel. *Bergerum* in Commentario de thermis Carolinis idem agnovisse. Etsi autem Noster multum tribuerit virorum doctissimorum autoritati, haudquaquam tamen diffitetur, quod asserti universalitatem ægre admiserit, cum hoc minerale jam diu multumque tractasset. Nunc vero multis argumentis eandem adstruit, quæ inter primo loco comparet attentio materiæ pyritæ a magnete, ubi a sulphure fuerit purificata. Probat ulterius, pyriten

Marte

Marte non destitui, etsi Venus non exiguam sibi partem vendicet, cum e contrario Veneris sæpissime nullum vestigium appareat. Rationes quoque reddit, cur Venus cum Marte in pyrite copuletur. Præter Martem & Venerem, tanquam partes fixas pyritæ, ostendit etiam adesse terram crudam minime metallicam, quæ particulis Martis, Veneris, sulphuris atque arsenici intime permixta, ut nullo microscopio distingui possint: sed qualis eadem sit, hactenus ipsi detegere non licuit. Sulphur in pyrite flavo & subflavo facile detexit; ast in albo iteratis experimentis vix ullum ejus vestigium reperire licuit. In pyrite venereo, quamvis maxime arsenicali, magna copia idem obvium, maxima vero in martiali. Notatu admodum dignum censet, quod in sulphure crudo terra martialis contineatur: quod inde probat, quia scoriæ sulphuris in testa concrematæ relinquunt terram ciner iciam, quam magnes trahit, in regulum martialem mutabilem. Arsenicum non eadem constanter forma apparere monet, ut adeo difficile sit idem detegere. Ne igitur labor frustretur, diversas ejus formas describit. Reperitur autem potissimum in pyrite albo. Cum nimis exigua argenti & auri portio in pyrite contineatur, pauca quoque de ea re verba facit, atque inter ea refert aurum & argentum, quæ accidentaliter pyritæ admiscentur. Vitriolum in pyrite non contineri censet, tanquam partem constitutivam, sed ex eodem produci, nempe coadunitis particulis aliis per pyriten dispersis, acidi nempe, sulphuris & terræ metallicæ. Multus est in describendo modo vitriolum ex pyrite producendi. Quoniam vero Noster salse ridet eos, qui omnia mixta in sal, sulphur atque Mercurium resolvere nituntur, cum in resolutione compositorum, nedum decompositorum non per saltum progrediendum sit ad prima quædam principia tanquam elementa; ideo hic quoque eadem observans, pyriten tanquam decompositum tantum resolvit in suas partes constitutivas, quæ in compositorum numero habentur, in ferrum, cuprum, sulphur atque arsenicum, neque curæ ipsi est ulterior ferri, cupri, sulphuris atque arsenici analysis, etsi ultro largiatur, naturam decomposita non demum ex compositis formare, verum in ipsa compositione mixta producere. Varia instituit experimenta

de reductione metallorum ad æs minerale. Ipsius judicio æs minerale consistit ex terra metallica, sulphure & arsenico, ita ut sulphur & arsenicum vel simul insint, vel alterutrum tantum insit, atque nonnunquam ex terra cruda non metallica. Genesin pyritis atque mineralium ceterorum deducit a vaporibus mineralibus, quorum adeo pariter genesin explicare studet. Usum denique pyritis declarat in parando sulphure, vitriolo, arsenico & fundendo metallo, atque appendicis loco varia notatu digna adjicit a præsenti argumento non prorsus aliena, veluti *Rosini* relationem historicam de terra Martis Hassiaca, *Meuderi* experimenta de gravitate specifica pyritis aliorumque mineralium & variorum fluidorum cum naturalium, tum artificialium, & observationes quasdam miscellaneas curiosas ad regnum minerale spectantes. Quamvis vero tantum de pyrite agat Cl. *Henckelius*, universam tamen metallurgiam plurimum illustrat, de regno minerali præclare meritus.

Astronomische Tabellen des Herrn de la Hire &c.

hoc est.

TABULÆ ASTRONOMICÆ PHILIPPI DE LA HIRE, cum nova, completa & accurata descriptione omnis calculi Astronomici; Autore JOANNE ALBERTO KLIMMIO.

Norimbergæ, apud Jo. Christoph. Weigelium, 1725, 4.

CL. Autori propositum est calculum Astronomicum, cujus difficultas plurimos ab eo deterret, reddere magis expeditum. Quamobrem cum Tabulæ *Philippi de la Hire* nostro ævo celebratissimæ sint, præcepta autem breviora adjecta sint, quam ut ad omnem calculum Astronomicum feliciter tractandum satisfaciant, iis præsertim, qui parum adhuc sunt exercitati; ideo Tabulas quidem retinuit, juxta exemplar, in quo Cel. Autor propria manu nonnulla correxit, a Cl. *Rostio* revisas, sed præceptis omissis novam ad calculum Astronomicum introductionem adjecit. Docet c. 1, quænam sint præcognita ad intelligentiam tabularum

rum astronomicarum necessaria, c. 2 arithmeticam sexagesimalem, c. 3 Trigonometriam planam, c. 4 Trigonometriam sphæricam, c. 5 divisionem temporis in genere, c. 6 divisionem anni in specie, cum problematis in calculo necessariis, c. 7 calculum Solis, c. 8 calculum Lunæ, c. 9 calculum planetarum, c. 10 calculum eclipsium lunarium, c. 11 calculum eclipsium Solis ac telluris, c. 12 calculum occultationis fixarum & planetarum, quæ a Luna fiunt. Palmarium, quod Autor dedit, consistit in eo, quod docuerit modum geometricum computandarum eclipsium, & methodum imprimis *Keplerianam* explanaverit, qua eclipses solares instar eclipsium telluris considerantur, quodque projectiones geometricas occultationis planetarum & fixarum a Luna admodum perspicue declaraverit. In præfatione commendat Elementa Matheseos *Wolfiana*, quorum in addiscenda Mathesi usum insignem, propria experientia confisus, grata mente prædicat.

DE LUMINIS REFRACTIONE DISSERTATIO Anti-Bernoulliana, qua luminis refracti Natura explicatur; Autore JOH. RIZZETTO.

CUm docuisset experientia, quod in transitu luminis ex uno in aliud diversæ resistentiæ medium sinus angulorum incidentiæ & refractionis sibi invicem in ratione constante respondeat, hunc Naturæ effectum plures Mathematici explicare ac demonstrare conati sunt. Nimirum ex una parte Cartesius, Herigonius & P. de Chales, ac ex altera Robervalius, Hugenius ac Newtonus. At summus Geometra, Joh. Bernoullius, singulorum explicationibus impugnatis, in Actis Lipf. Anni 1701 confidenter asseruit, ***neminem illorum universalem applausum obtinuisse.*** His accessere Fermatius, Snellius ac Leibnitius, qui positis finibus dictorum angulorum inverse ut resistentiis mediorum, radium invenerunt ex puncto radiante ad punctum illustrandum via facillima pervenire. At vitio causarum finalium in hac quoque explicatione notato, denique Bernoullius


conclusit, *nullum adhuc existere, qui demonstrationem dederit puram ac nullis objectionibus obnoxiam.* Causa finali facillime agendi rejecta, is tamen Canonem sumpsit, quo dicebatur ipsorum angulorum sinus esse reciproce inter se ut resistentias mediorum, & hunc utique demonstraturus, *nostram*, inquit, *dabimus explicationem, qua rigido Physico non minus quam accurato Mathematico satisfactum iri speramus.*

Cum autem notassem, quod in transitu luminis ex aere in aquam sinus angulorum incidentiæ & refractionis, juxta observationes vulgo receptas, sunt inter se ut 4, 3, & per consequens resistentiæ aeris & aquæ, juxta Canonem Bernoullianum, ut 3, 4; fastidium faciebat, quod pendulis in aere & aqua oscillantibus Newtonus elicuit in Princ. Math. resistentias aeris & aquæ esse inter se ut 1 ad 800 vel 900. Quare nesciebam, quomodo posset (ut Autor speravit) rigido Physico satisfacere, quod esset proportio inter resistentias aeris & aquæ, ut 3, 4, tam diversa nimirum ab illa, quæ ex Newtonianis experimentis eliciebatur. Hinc suspicatus sum, Clariss. Autorem errasse; & quoniam is dicitur Canon principio Mechanico demonstratus, rem accuratius examinavi; cumque invenirem difficultatem, hanc in medium fero, ut, si confirmanda est, alia explicatio, quæ melius ad intentum faciat, sublato præjudicio, innotescat.

Sint duo media (ita Bernoullius ait) *diversæ consistentiæ ADC, BCD* (Fig. 1), *punctum radians A, punctum illustrandum B, ad quod radius Ae pervenire debet per refractum e B. Quandoquidem radius e B tanta vi (ob legem actionis & reactionis) a resistentia medii BCD repellitur a B versus e, quanta radius resistentiam eandem superare conatur; Similiter radius Ae pari vi a resistentia medii ABC retunditur ab e versus A, quanta ipsi opus est ad eandem resistentiam superandam, scilicet ab A versus e; Hinc in puncto e fit conflictus secundum directiones Be, Ae duarum virium inæqualium & mediorum resistentiis proportionalium.*

Cum autem constet, duas vires inæquales in se mutuo libere agentes ad eum situm se componere, in quo earum momenta fiant æqualia,

æqualia, ut hoc modo provocetur æquilibrium; hoc itaque punctum e ita situm esse debet, ut vires illæ inæquales ad æqualitatem momentorum, nempe ad æquilibrium reducantur.



Concipit ergo CD ut virgam rigidam, quæ instar axis admittat verticillum e, sed ita tamen, ut lubricissime fluat: huic verticillo duos fingit funiculos alligatos e A m, e B n trochleas A, B superamlientes, inque suis extremitatibus suspensa sustinentes duo pond a m, n, ut ita verticillus e simul sollicitetur a du us potentiis secundum directiones e A, e B, eodem plane mod , quo radios opticos punctum incidentiæ e viribus inæqualibus urgere dicit: hoc tantum discrimine, quod ibi potentiæ agant secundum directiones A e, B e premendo, hic vero secundum contrarias e A, e B trahendo.

Patet autem, perinde esse, sive prematur, sive trahatur, nam semper verum est, si duæ potentiæ æquilibrium inter se constituentes,

 tes,

tes, singulæ prioribus suis directionibus in contrarias partes dirigantur, eas etiam postea equilibrium servare. Dicit itaque, verticillum e ad eum locum pertractum iri in virga C D, in quo ducta normali I R sinus anguli A e R repræsentantis angulum incidentiæ sit ad sinum anguli B e I, referentis angulum refractionis, in reciproca ratione potentiarum trahentium, quæ diaphanorum resistentias exprimunt.

Si duæ potentiæ sollicitant verticillum *e* secundum directiones e A, e B trahendo, vel secundum contrarias A e, B e premendo; quod verticillus *e* in virga C D (ut æquilibrium procuretur) ad eum locum pertrahendus sit, in quo sinus anguli A e R sit ad sinum anguli B e I in reciproca ratione potentiarum trahentium, vel prementium, hoc utique veritati consentire percepi; quare didici, quærendam non esse in principio mechanico, sed in ejus applicatione, difficultatem.

Ut hæc e latebris eruatur, propagetur radius in æthere, & ingressus in aerem, ex hoc transeat in aquam, ex medio nempe rariore in densius, & in hoc transitu refractionem subeat. Quum transit radius A e per medium rarius A D C, ab hujus resistentia retunditur ab *e* versus A: perspicuum est autem, quod is agitur transitus, quia inest radio vis f, quæ impenditur in superanda ipsius medii resistentia, ac etiam perspicuum est, quod hæc vis f dirigitur ab A versus e, & ob legem actionis & reactionis æquatur resistentiæ ipsius medii A D C. Quare colligitur, hanc vim f illam esse, quæ ab Autore indicatur his verbis: *similiter radius A e pari vi a resistentia medii A D C retunditur ab* e *versus A, quanta ipsi opus est ad eandem resistentiam superandam, scilicet ab A versus* e.

Quum radius pervenit ad punctum e, aliam invenit vim, quæ magis repellit illam a B versus e, majorem nempe resistentiam medii densioris D C B. Ut igitur radius hanc majorem resistentiam superet, opus est illi vim majorem impendere, quæ proinde vocari potest f + F. Hoc posito patet hanc dirigi ab *e* versus B, & ob legem actionis & reactionis ipsam æquari resistentiæ ejus medii densioris, D C B, referri scilicet vim f ad illam partem resistentiæ ejus medii densioris, quæ æqualis est resistentiæ medii rarioris, & vim F ad excessum, quo resistentia medii densioris superat

ſuperat illam rarioris. Cum igitur manifeſtum ſit, eam agere in ſenſu quoque contrario, ſcilicet a B verſus e, concluditur itaque, eandem vim f + F illam eſſe, quæ ab Autore ſignificatur his aliis verbis: *Quandoquidem radius e B tanta vi a reſiſtentia medii B C D repellitur a B verſus e, quanta radius reſiſtentiam eandem ſuperare conatur.*

His præmiſſis quærendum eſt, an vera conſequentia ſit, quam elicit Autor dicendo: *Hinc in puncto e fit conflictus ſecundum directiones A e, B e, duarum virium inæqualium & mediorum reſiſtentiis proportionalium.* Vires inæquales, & mediorum reſiſtentiis proportionales, juxta mentem Autoris, procul dubio ſunt f, f + F; videndum eſt igitur, an iſtæ ſint, quarum conflictus fiat in puncto *e*, ſecundum directiones A e, B e. Si vis f, quæ impenditur in ſuperanda reſiſtentia medii rarioris A D C, eſſet tota illa vis *a*, qua radius propagatur in æthere, propagatio fieret in medio rariore usque ad punctum e, non autem in denſiore ultra ipſum punctum e. Nam vis, cui propagatio tribuenda foret, inveniretur in caſu medii rarioris, non autem in caſu denſioris. Si igitur radius in hoc etiam medio denſiore propagatur, oportet, ut ſuperata reſiſtentia medii rarioris, pars tanta ſuperſit ex vi *a*, quanta ſaltem ſufficiat pro ſuperanda quoque reſiſtentia medii denſioris. Hinc ſequitur, quod illa vis (qua radio obnitendum eſt in puncto e, ut ſuperet reſiſtentiam hujus medii denſioris) non eſt vis f, hoc enim illi opus eſt ad reſiſtentiam medii rarioris ſuperandam, ſed vis a - f, ea nempe reſidua, quæ ſupereſt illi poſt reſiſtentiam ipſius medii rarioris ſuperatam. Quoniam hæc igitur vis a - f agit ea quoque ab A verſus e; ex duabus igitur viribus, quarum conflictus fit in puncto *e*, ſecundum directiones A e, B e, illa, quæ agit ab A verſus e, videtur eſſe non vis f, ſed vis a - f. Iterum cauſa, qua refrangitur radius in tranſitu ex medio rariore in denſius, procul dubio eſt exceſſus, quo reſiſtentia medii denſioris ſuperat reſiſtentiam rarioris, nam ea refractio eſt major, vel minor, vel nulla; prout major, vel minor, vel nullus eſt quoque hujusmodi exceſſus. Hinc ſequitur, quod illa vis, qua medio denſiori obnitendum eſt in puncto e contra vim a - f,

non

non est tota vis f+F, quæ refertur ad totam ipsius medii densioris resistentiam; sed sola vis F relata ad excessum, quo resistentia medii densioris superat resistentiam rarioris. Quoniam igitur hæc ipsa vis F agit a B versus e, ex duabus igitur viribus, quarum conflictus fit in puncto e secundum directiones A e, B e, altera, quæ agit a B versus e, videtur non esse tota vis f+F, sed sola vis F.

Si igitur in refractione, quam patitur radius transiens ex aere in aquam, elicitur ex Canone Bernoulliano proportio inter resistentias aeris & aquæ ut 3, 4, tam diversa nimirum ab illa (ut 1 ad 800 vel 900,) quam Newtonus docet, hujus diversitatis ratio videtur manifestari. Nam in transitu radii ex aere in aquam Autor ex lege actionis & reactionis elicuit resistentias aeris & aquæ esse directe proportionales viribus, quibus radio opus est ad eas resistentias superandas. Et quoniam statuit, has vires in puncto incidentiæ obniti, ex suo mechanico principio collegit, easdem vires, & per consequens resistentias aeris & aquæ sinibus angulorum incidentiæ ac refractionis reciproce respondere. At quia videntur in puncto incidentiæ obniti ex una parte illa vis, quæ superest radio post aeris resistentiam superatam, & ex altera parte illa vis, quæ refertur ad excessum, quo resistentia aquæ superat resistentiam aeris; non autem obniti vires, quibus radio opus est ad superandas resistentias aeris & aquæ; has vires & per consequens horum mediorum resistentias sinibus illorum angulorum reciproce respondere, perperam Autor (ni fallor) ex mechanico suo principio collegit.

Explicatione refractionis Bernoulliana nutante, illæ quoque Fermatii, Snellii, & Leibnitii laborant; nam ex omnibus sequitur, sinus angulorum incidentiæ & refractionis resistentiis mediorum reciproce respondere; quod experientiæ adversatur, cum in transitu radii ex aere in aquam ratio inversa inter sinus angulorum incidentiæ & refractionis sit ut 3, 4, diversa nimirum ab illa (ut 1 ad 800 vel 900) in qua sunt resistentiæ mediorum. Reliquas omnes explicationes Bernoullius arguit falsitatis vel dubii, nec immerito illas Cartesii, Herigonii, ac Robervallii; elicitur enim ex duabus primis, refractionem in transitu

radii

radii ex rariore in densius faciendam esse non ad perpendicularem, sed a perpendiculari, & ex tertia colligitur esse in ratione constante non Sinus, sed Tangentes angulorum incidentiæ & refractionis, quæ omnia reperientiæ repugnant. Nec arguit immerito illas etiam Hugenii & Newtoni; nam prima displicet illis, qui lumen in instanti propagari contendunt, ac secunda innititur vi attractivæ, quæ non exponitur, sed supponitur. Quod autem is omnia quoque condemnet, quæ leguntur in Mundo Mathematico P. de Chales, *quia videntur unice experientiæ accommodata, ita ut si de ea nondum constaret, pariter nihil certi ex illis a priori concludere liceret*, hoc nequeo quidem subscribere, nam potius aliqua ex iis ad propositum nostrum arbitror esse excolenda. Demonstrante laudato Autore, vel potius ea referente, quæ demonstrata fuerunt a P. Maignan, nempe in transitu radii ex uno in aliud medium sinus angulorum incidentiæ & refractionis esse inter se ut velocitates radii in mediis inæqualiter resistentibus, aliquid utique in demonstratione desideratur, at ex illa tamen explicatio refractionis videtur esse petenda.

Ut omnia recte procedant, ab omni Hypothesi in primis abstinendum esse, & illud tantum, quod pro certo habetur, assumendum puto. Si corpus opacum corpori luminoso propius vel longius objicitur, lumen in objecto corpore apparet; quare patet, undique propagari luminosi corporis lumen, quo totum circumfusum spatium impletur. Si rursus fila Amiantina in foco Lentis Sereniss. Ducis Aurelianensis verticali positione solaribus radiis exposita a luminis ictu dejiciuntur (Regia Academia Parisiorum in Historia Anni 1708 testante) inde colligitur, vim lumini in actu propagationis inesse. Si denique lumen transiens ex medio rariore in densius in actu propagationis eam subit, quam appellamus refractionem, certum est illud in hoc transitu pati, medio densiore majorem difficultatem faciente, quam rariore: nisi enim hæc difficultas in causa foret, ratio non esset, qua foret ipsum de recto tramite deflectendum. Licet igitur ignoramus, qua lumen vi propagetur, an emanationis, an impulsus, an aliusmodi, pro certo tamen habemus, luminis propagationem fieri in mediis rarioribus faciliorem, & in


densioribus difficiliorem. Quare, si nomen displicet velocitatis, qua dicitur lumen per media resistentia ferri, illud utique repudiari non potest facilitatis, qua lumen per eadem media dicatur propagari. His positis Lex, quæ sequitur, demonstranda est, ex hac enim omnes refracti luminis proprietates fluere videntur.

Lumine ex medio variore in aliud densius transeunte, sinus angulorum incidentiæ & refractionis sibi invicem directe respondent, ut facilitates, quibus lumen in iisdem mediis propagatur.

DEMONSTRATIO.

Ponatur (Fig. 2) radii cujuscunque sectio per Axem A B C D,

Fig. 2.



ejus

cujus extrema linea B C: manifestum est, puncta extrema B, C pari facilitate propagari in medio rariore per rectas A B, D C. Dum autem ipsa linea B C incidit oblique ex rariore in superficiem C G medii densioris, huic primum occurrit, ac primum insinuatur punctum C, dum adhuc punctum B per medium rarius propagatur. Cum igitur majorem difficultatem offendat punctum C, quam punctum B, necesse est, ut ea puncta B, C propagentur per curvas B G, C F; dum enim punctum B propagatur facilius in medio rariore per arcum majorem B G, oportet, ut punctum C propagetur ægrius in medio densiore per arcum minorem C F. Cum tandem tota linea B C medium densius penetraverit, & acquisiverit positionem G F, manifeste patet, iterum pari facilitate propagari puncta extrema G, F per alias rectas G M, F O. His positis arcus B G, C F circulares esse P. de Chales affirmat, non autem demonstrat, & ideo, quæ deest, demonstratio adjungenda est.

Tempore infinitesimo acquirat linea B C positionem *a b*: si producatur recta B C ad partes *e*, hæc est normalis utrique curvæ, B a, C b; nam puncta extrema B, C propagantur in medio rariore per rectas A B, D C, quæ tangunt arcus B a, C b in punctis B, C, & quæ proinde normaliter insistunt rectæ B e. Iterum linea *a b* ea pariter producta ad partes *e* perpendicularis est ipsis curvis B a, C b; nam si medium rarius in spatio a f G, sicut alterum densius, resisteret, puncta extrema *a*, *b* per rectas propagarentur, quæ tangerent arcus B a, C b in punctis *a*, *b*, & quæ proinde normaliter insisterent rectæ *a e*; quare patet, rectas e B, *e a* radios esse osculatores arcuum B a, C b.

Si altero tempore infinitesimo, quod sit primo tempori æquale, acquirit linea *a b* positionem G F, hanc quoque rectam G F productam ad partes *e* simili modo ostendetur esse radium osculatorem arcuum a G, b F, quorum alter radius osculator est pariter ipsa recta *a e*.

Huic rectæ *a e* ulterius productæ ad partes *e* occurrat, si possibile est, recta G F (ipsa quoque producta) in altero puncto g: quoniam lumen propagatur tempore æquali in medio rariore per arcus B a, a G, & in densiore per arcus C b, b F, erit ita-

 que

que Ba, Cb:: a G, bF. Sed *ag*, *bg* :: a G, b F, ob similitudinem sectorum gaG, gbF; ergo Ba, Cb:: ag, bg. Sed itetum Ba, *cb* :: *ae*, *be*, ob similitudinem aliorum sectorum eBa, ecb; ergo ag, bg:: ae, be; & per consequens ag-bg (ab), bg :: ae-be(ab), be. Ex quo patet, esse *bg*, *be* inter se æquales. Cum igitur tres rectæ BC, *ab*, GF ulterius productæ concurrant in unum & idem punctum *e*, Mathematicis patet, esse BG, CF arcus circulorum, quorum semidiametri eB, eC.

Ut his cognitis reliqua expediantur, satis est, demonstrationem P. de Chales ad simplicitatem excolere. Centro C, intervallo CG, descripto arcu GK, ac centro G, eodem intervallo GC, descripto arcu CL, sint rectæ GH, CI sinus ipsorum arcuum GK, CL, vel angulorum KCG, CGL. At ex punctis C, G ductis CN, GO perpendicularibus superficiei refringenti CG, cum anguli NCG, KCD sint recti, dempto communi angulo NCK, residuus angulus KCG est æqualis alteri NCD, qui est angulus incidentiæ: Et cum anguli MGL, OGC sint pariter recti, dempto communi angulo OGL, remanet angulus CGL æqualis alteri MGO, qui est angulus refractionis; quare rectæ GH, CI sinus angulorum incidentiæ & refractionis exponunt. At istæ rectæ inter se sunt, ut semidiametri eG(eB), eC ob similitudinem triangulorum eGH, eCI; ac istæ semidiametri eB, eC sunt inter se ut arcus GB, CF, ob similitudinem sectorum eBG, eCF; & tandem se habent isti arcus GB, CF ut facilitates, quibus lumen in mediis inæqualiter resistentibus propagatur; his itaque facilitatibus proportionales sunt illi sinus. Quod erat demonstrandum.

Dum radii extrema linea BC in transitu ex medio rariore in densius propagatur intra circulares arcus BG, CF, quamvis mutetur ipsa linea BC, hoc est, diameter radii, constans attamen est ratio ipsorum arcuum BG, CF, nam ipsi sunt ut facilitates, quibus lumen in mediis inæqualiter resistentibus propagatur. At sinus angulorum incidentiæ & refractionis in eadem proportione sunt; quamvis igitur diameter radii cujuscunque magnitudinis sit, finitæ vel infinitesimæ, in transitu tamen ex rariore

rariore in densius eidem angulo incidentiæ semper idem debet refractionis angulus convenire. Si quis igitur suspicatur, legem propositam (lumine ex uno in aliud medium transeunte) alterari a tremitu, vel a quolibet alio elemento, quod in collisionibus locum invenit; is consideret, esse talem diametrum radii, ut tanquam infinite parva, nisi mathematice, saltem physice sumi queat; & tamen ea omnia, quæ superius demonstrata sunt, constanter manere; non autem idem contingere aliis elementis, quæ in collisionibus locum inveniunt, facile enim percipiet, hæc omnia elementa in quantitatibus infinitesimis evanescere. Quare suspicione remota eam legem intelliget in casu proposito confirmari.

Denique addendum est, quod si in transitu ex medio rariore in densius mutatur facilitas, qua lumen propagatur in rariore; ob legem actionis & reactionis in eadem proportione mutatur etiam medii densioris resistentia, ac ita quoque mutatur facilitas, quam in superando medio densiore lumen amittit. Sumantur itaque datæ facilitates, nimirum F, qua propagatur lumen in rariore, & G qua propagatio fit in densiore: si facilitas F mutatur in quamlibet aliam f, ac quæratur eventus alterius facilitatis G, fingatur, hanc aliam mutari in alteram g. Quibus positis erit F, f :: F - G, f - g; ex qua deducitur F, G :: f, g, constans nimirum ratio, quam habet facilitas propagationis in densiore ad alteram facilitatem propagationis in rariore. Quælibet igitur sit finita vel infinita facilitas, qua propagatur lumen in rariore, sequitur, hanc semper esse diversam ab illa, qua propagatur in densiore, & huic diversitati sinus angulorum incidentiæ & refractionis juxta legem propositam respondere.

Cum igitur Bernoullius doceat, quod in transitu luminis ex uno in aliud medium sinus angulorum incidentiæ & refractionis sint reciproce inter se ut resistentiæ mediorum; nos autem, quod ipsorum angulorum sinus sint inter se directe ut facilitates, quibus lumen in mediis inæqualiter resistentibus propagatur; si demonstrationes consideramus, videtur illa Canonis Bernoulliani deficere, illa nostri inconcussa manere. Si vero in explicandis Phænomenis periculum facimus, videtur etiam Bernoullianus Canon ita a proposito discrepare, ut nullibi admitti

 possit,

possit, noster autem ita ad intentum facere, ut nil ultra desiderandum ipse relinquat.

Quæ his subjecit Ill. Autor Phænomena, latius explicata, Suplem. T. IX Sect. III inseremus.

D. MARTINI SCHURIGII, PHYSICI *Dresdensis, Chylologia Historico-Medica, h. e. Chyli humani sive succi nutritii Consideratio Physico-Medico-Forensis.*

Dresdæ, sumptibus Johannis Christophori Zimmermanni, & Johannis Nicolai Gerlachii, 1725, 4.
Alphab. 5 plag. 6.

POst Spermatologiam & Sialologiam ad Chylologiam pergit in Collectaneis suis edendis Autor Clarissimus, in XV capita distributam, in quorum I de Appetitu tam naturali quam præternaturali, in II de Pica & Malacia, in III de Nausea & Fastidio certorum ciborum ac Antipathia animalium, in IV de diuturna a cibo & potu abstinentia, in V de œsophago & deglutitione tam integra quam læsa, ut & de variis rebus deglutitis, in VI de ventriculo & chylificatione, illiusque affectibus præternaturalibus, in VII de vomitu, in VIII de intestinis eorumque morbis, ac de chylo ejusque motu, in IX de fæcibus, alvi fluxu, adstrictione ac procidentia ani agit; in X res varias præternaturales in intestinis repertas, vel per alvum excretas aut extractas, commemorat, in XI stercoris Analysin Chymicam instituit, & præparata recenset, ac qualia ista præbeant signa, quemque usum medicum habeant, in XII, XIII, & XIV docet. In ultimo aliquot quæstiones Medico-Forenses dirimit, scilicet 1) an fœminis excrementa alvina per vaginam uteri ejicientibus matrimonium sit concedendum, aut semel contractum iterum dissolvendum? 2) an ex meconio per parturientis vaginam uterinam prodeunte certum defuncti fœtus signum desumi queat? 3) an herniosi ad matrimonium sobolisque procreationem apti sint? 4) an herniosi torqueri queant? 5) an ex intestino recto vel ano constuprati pueri signum peti possit?

Quas proprias observationes Autor huic operi interspersit, brevi-

brevibus jam de more enumerabimus. Pag. 28 de Gulone, animali voracissimo, Germanis *Vielfrass*, agit; cujus voracitatis causam licet plerique Autores ex eo deducant, quod ductus cholodochus in ventriculum ejusque fundum implantetur, & intestinum tantum unicum, aut tam parvum sit, ut ab orificio ventriculi inferiore absque gyrationibus recta ad anum tendat; Noster tamen ex sectione hujus animalis, quam anno 1715 die 3 Aprilis instituere contigit, didicit, ductum cholodochum æque ac in aliis animalibus in intestinum duodenum insertum, & reliqua intestina gyrata & anfractuosa fuisse. P. 53 Virginis picam ad arenam scriptoriam atramento impraegnatam, p. 59 alius, summe cachecticæ, ad salcadinare, & p. 95 iterum alius, ad libros situ corruptos, straminis mucidi, sebique veteris fætorem describit, p. 111. De coqua refert, eam ad recentis & frigidi butyri esum nullis persuasionibus adigi potuisse, liquatum vero, tam cibis admixtum, quam intincto pane, vel etiam cochleatim calide assumtum in summis delitiis habuisse, p. 114 Sic recenset, facetum quendam sodalem suum, caseum aversantem, ad lanionem duxisse, huncque jussisse bovis mactandi ori & naribus caseum admovere, cum verbis: ede, aut occideris; altero die eidem sodali caseum iisdem cum verbis obtulisse; quo factum, ut hic non solum tum temporis caseum absque ullo symptomate gustaverit, sed postmodum etiam ad ejus esum assuefactus fuerit. De Antipathia ubi loquitur, pag. 120 sqq. exempla adducit eorum, qui ad odoratum & visum pomorum Stetinensium, ad capparides, flores violarum & cheiri, ad sambuci aquam, vinum, cerevisiam, nicotianæ odorem, & felem pessime se habuerunt. Militis etiam voracissimi p. 185 mentionem facit, & p. 225 sqq. eorum, qui inediam diuturnam revera tolerarunt. P. 249 personas allegat, qui immoto gutture magnam vini vel cerevisiæ quantitatem in se ingurgitarunt. Deglutitionem etiam impeditam p. 249 & 257 vidit ex tumore in colli latere sinistro circa laryngem curato, & ex epiglottitis immilite, lue venerea laborante, erosione. Polyporum narium aliquot pag. 275 allegat exempla. Merentur etiam legi observationes, quas p. 334 & 344 describit de iis, qui cultros, lapides duros siliceos, stupam cannabinam, canes, feles, arse-

arsenicum & alia venena devorarunt, & p. 359 de puero a faba in glottide hærente suffocato. Inter ventriculi vitia observavit p. 372 in Comite de Callemberg pravum ejus situm, quo in hypochondrio sinistro deorsum versus propendebat, p. 375 nimiam amplitudinem in helluone, octodecim aquæ libras capientem, p. 397 perforationem & sphacelum post ambustionem in laconico; & p. 401 vulnus cum diaphragmatis læsione non lethale. Vomitus extraordinarii leguntur, p. 437, lactucæ & cerasorum nigrorum post sextum vel septimum demum mensem rejectorum, p. 455 ab unguibus non propriis concitati, & p. 475 materiæ nigerrimæ, dolorem ventriculi mordentem & rodentem inferentis. Intestina observavit p. 548 in infante extra abdomen propendentia, p. 549 in gemellis ad labia vaginæ uterinæ prolapsa, p. 560 consumta, & p. 576 ileum tribus in locis intrusum. Virginem allegat p. 623, quæ post largiorem prunorum una cum lapillis esum diuturnam passa fuit alvi obstructionem, ita ut ipsa filo ferreo (*Strick-Nadel*) eos non sine summo dolore effodere fuerit coacta; similem p. 628 observavit ab ira & terrore concitatam, & ad duas & sex fere septimanas durantem. Ani clausuram p. 668 in duabus puellis conspexit curatam, per quarum genitalia excrementa prodierant. Sic p. 675 fæcum alvinarum per genitalia, & urinæ per anum rejectionem in uxore capillamentarii observavit. Denique p. 688 rustici mentionem facit, qui post nimis avidam uvarum integrarum cum arillis deglutitionem contumacem alvi obstructionem & inde ingentem in inguine dextro tumorem passus fuit, ex quo disrupto non solum fæces alvinæ, sed etiam uvæ integræ in magna copia fuerunt excretæ.

NOVA LITTERARIA.

Dum adhuc in Belgio prela exercentur imprimendo *Corpore Diplomatico* maximo, seu collectione Tractatuum Pacis, XII Tomos complexuro, quorum nuper octo prodiisse feruntur; prodeunt interim non exigui momenti Opera duo, quæ, cum in Opere illo locum non inveniant, apprime tamen ad illustrandos Pacis Tractatus pertinent. Primum sub titulo: *Histoire des Traités de Paix & autres Negotiations du XVII Siecle depuis la Paix de Vervins jusqu'à la Paix de Nimegue, qui peut servir d'Introduction au Corps diplomatique ou Recueil des Traités de Paix*, Amstelodami & Hagæ Com. 1725, duobus Tomis in fol. alterum sub tit. *Negotiations secretes touchant la Paix de Munster & d'Osnabrug, tirés des Manuscrits les plus authentiques*, Hagæ Com. 1725 & 1726 quatuor Tomis in fol. prostat.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii Anno MDCC XXVI.

ISTORICI DELLE COSE VENEZIANE, i quali hanno scritto per publico Decreto.

h. e.

SCRIPTORES RERUM VENETARUM, qui publica autoritate scripserunt, nempe M. A. SABELLICUS, PETR. BEMBUS, PAUL. PARUTA, ANDR. MAUROCENUS, BAPT. NANI & MICH. FOSCARINI.

Tomi X.

Venetiis, apud Lovisam, 1718-1722, 4 maj. Alph. 34 Tabb. æn. 8.

QUanta sit doctrina, quam exquisitum rei literariæ promovendæ studium, quanta denique modestia Viri illustris ac celeberrimi, *Apostoli Zeni*, Veneti, Nobilis Cretensis, qui hodie Historici & Poetæ in Aula Cæsarea munere fungitur, nisi aliunde jam satis constaret, vel e splendidissimi hujus operis editione, quam, quamvis nec in titulo, nec in præfatione operis doctissima, & alibi quoque rarius, ejus nomen præferat, ipsius tamen consiliis & industriæ unice fere deberi, res ipsa loquitur. Juvabit vero Præfationem vel strictim perlustrasse, in qua de Venetis scriptoribus tum vetustioribus, Latinis maxime, tum de illis, qui publica autoritate postremis his sæculis historiam descripserunt, diserte agit Cel. *Zenus*,

qui & alibi, ut in *Diario Veneto*, tum moderno, tum altero illo, quod *Galleria di Minerva* inscriptum est, de Historicis Venetorum accurate egit, & fusius edisseret in opere, cujus spem facit, *de Scriptoribus Venetis*. Præmissis Anonymis tribus, *Gradensi*, p. 13. Seculi X, *Veneto*, Seculi XI, & *Attinate*, Seculi XIII, Scriptoribus, memorat ipsum Venetiarum Principem, *Andream Dandolum*, qui Seculo XIV & Mare magnum Historicum, quod temporis injuria periit, & *Annales* atque *Chronica*, nondum edita, exaravit. Eodem tempore vixit *Benintendus*, qui pariter Chronicon Venetiarum ad Orseolum I usque conscripsit, quod æque ac *Anonymi*, qui Dandoli Annales ab A. 1280 ad 1342 produxit, & *Raphaini de Carisinis* Chronica, quibus hic ipse ab A. 1342 ad 1388 continuatur, adhuc in scriniis latet. Seculo XV primus inclaruit *Laurentius de Monacis*, cujus Chronicorum Libri XIV, in quibus & sequitur Dandolum Autor, & passim auget, nondum lucem adspexerunt, si ea excipias, quæ ex libro XIII de Ezelino cum *Albertini Mussati* Historia Henrici VII edidit Felix Osius. Spectat huc porro *Blondus Flavius*, civis Venetus, cujus de origine & gestis Venetorum liber inter alia ejus Opera exstat. *Antonii Donati* Vitæ Principum Venetorum, quæ ad A. 1473 procedunt, apud Autorem manu descriptæ exstant, qui & *Pauli Mauroceni* opuscula quædam Latina ad Historiam Venetam spectantia possidet. Huc porro pertinet *Jacobi Zeni* de vita, moribus, rebusque Caroli Zeni, Veneti, opus elegans, quod Latine nondum prodiit; Italice vero versum edidit Franc. Quirinus Venet. 1544, 8. Imprimis vero de Venetorum rebus bene meruit illo tempore *Bernhardus Justinianus*, qui & scripsit vitam Laurentii Justiniani, primi Patriarchæ Veneti, ediditqne Ven. 1475, 4, & A. 1489 d. 10 Mart. exstinctus, prelo paratam reliquit de origine urbis Venetiarum rebusque ejus gestis Historiam, Ven. 1492 editam & 1534 recusam. *Coriolanus Cippicus* Petri Mocenici gestorum Libros III, culto satis stylo scriptos, primum vulgavit Ven. 1478 4, iterum Basileæ 1544, ac tertio sub tit. *de bello Asiatico* recusos Ven. 1594, 8. His addit Noster *Marinum Sanutum*, cujus libros de origine urbis, de Magistratibus Venetis, de Familiis Venetis, de vitis Principum & de bello Gallico rarius exstare, duodecim vero

vero ampla volumina historica in archivo publico asservari, testatur. Et hactenus veteres produxit editos ineditosque; ad recentiores paulo delapsus, ut modum sibi poneret, eos tantum recensuit, qui publica voluntate Historiam scribere aggressi sunt. In his primo loco numerat *M. Ant. Sabellicum*, qui etsi non videatur scripsisse jussu Reipublicæ, ita tamen eidem probavit suas Enneades, ad A. 1486 productas, ut, illo A. 1506 mortuo, cum Historici munere provinciam continuandæ Historiæ, ubi desierat Sabellicus, demandaverit *Andreæ Naugerio* seu *Navagario*, de cujus dictione eleganti & digna Augusti Seculo satis testari possunt Opera ejus, Patavii 1718, 4 a Vulpiis fratribus primum edita. At is historici argumenti, quod ad Rempubl. pertineret, nihil reliquit, &, quæ collegerat, in Gallica legatione morbo decumbens, eodem die, quo decessit, 8 Maj. 1529 suis manibus in ignem projecta concremavit. Successit huic *Petrus Bembus*, qui pariter Sabellicum continuare jussus, eum usque ad A. 1513 opere eleganti produxit, quod post illius mortem (quæ teste Ludov. Beccatello in vita Bembi, quam in MS. servat Noster, in d. 20 Jan. 1547 incidit) ab Aldo primum in lucem proditum Venet. 1551, fol. cum præfatione Joannis Casæ, qui tamen nomen suum non apposuit. Bembo huic in Historici munere successit *Daniel. Barbarus*, qui nomen sibi ex Aurea in L Psalmos Doctorum Græcorum Catena, Venet. 1569, fol. edita, peperit, sed A. 1570 d. 13 Apr. mortuus, nihil reliquit argumenti historici. Inde *Paulum Ramnusium*, Reipubl. a Secretis, inserit Noster, quod is, a Decemviris jussus, Gottfridi Villaharduini de bello Constantinopolitano & Impp. Comnenis per Gallos & *Venetos* restitutis Historiam, Seculo XIII Gallice scriptam, luculento sermone Latino traduxit, & Venet. 1573, fol. primum vulgavit, anno demum 1600 d. 20 Dec. mortuus. Ipsi vero *Barbaro* in officio Historiographi suffectus *Petrus Justinianus*, qui, illo adhuc vivo, Historiam Venetam inde a primordiis XIII libris vulgaverat Venet. 1560, post mortem ejus XVI libris usque ad A. 1575 productam editamque ib. 1576; ut adeo hæc ipsa Historia publica autoritate scripta dici nequeat, nullumque in hac Collectione locum invenerit. Qui hunc secutus est A. 1577, *Aloysius Justinia-*

stinianus, præmatura morte biennio post præreptus, spartam ornare haud potuit. Hunc vero in eo munere excepit A. 1579 *Paulus Paruta*, qui id egit, ut Bembum continuaret, Latino eoque Sallustiano stilo; mutavit tamen in eo consilium, quod usus est postea sermone Italico, quo maxime excellebat, & quamvis ipse A. 1598 M. Dec. exstinctus fuerit, prodiit tamen opus Venet. 1605, 4, duabus Partibus, quarum prima res ab A. 1513, ubi desiit Bembus, ad A. 1552, secunda vero, interrupto quodammodo filo, bellum Cyprium ab A. 1569 ad 1572 describitur. Successit publicis suffragiis *Andreas Maurocenus*, qui cum lacunam illam in Paruta observasset, novam quodammodo Historiam ab A. 1521 ad 1615 XVIII Libris reconcinnavit, stilo prorsus ad Livianum composito, quæ, autore A. 1618. M. Junio mortuo, Venetiis 1623, fol. prodiit, hactenus non ubivis obvia. Qui secutus est *Nicolaus Contarenus*, etsi a Musis ad Martem deflectere & operam gloriosam Reip. in castris, ubi summo cum imperio Præfectum egit, præstare cogeretur, tandemque Principatum Reip. obtineret, non tamen immemor fuit officii, reliquitque hæredibus duo spissa volumina, quibus Historiam ab 1597 condere patrio sermone aggressus est: quæ utinam in publicam tandem lucem prodire jubeant; neque enim dubium, a Viro, tantis negotiis adhibito, non proletaria fuisse annotata. Hoc vero A. 1630 ad fasces vocato, sublectus est *Paulus Maurocenus* (Morosini), qui & de fratris sui Andreæ scriptis bene meritus fuit, & A. 1637 paulo ante mortem, quæ d. 20 Dec. ejusdem anni secuta, Historiam urbis & Reip. Venetæ Italice edidit Venetiis libris XXVIII, res ab origine urbis ad A. 1486, quo Sabellicus desierat, deducens: quæ licet & ipsa jussu Reip. edita non videatur, eoque pariter in nostram Collectionem relata non sit, ob multa tamen veterum scripta inedita, quibus usus est Autor, in pretio esse meruit. Huic mox quidem successit *Jacobus Marcellus*, Senatorio munere illustris; enimvero nihil eorum, quæ elucubravit, ad nos pervenit, siquidem exemplo Naugerii, scripta sua, quæ huc pertinent, moribundus tradidit Vulcano, vitamque finivit A. 1650 d. 26 Dec. Sed omnes fere antecessores suos superavit *Baptista Nani*, A. 1651 ad publicum

cum Historici munus evocatus, qui Historiam Reip. ab A. 1613 ad 1671 Etrusco sermone non ineleganti exposuit duabus Partibus, quarum prima, ipso superstite, A. 1662, 4, altera post mortem ejus A. 1679 lucem adspexit. *Michael Foscarinus*, Senator, successor ejus, etsi limare omnia morte præventus non posset, reliquit tamen VIII libros, historiam ab A. 1669 ad 1690 complexos, & Ven. 1696, 4 editos. Denique, qui hodie superest, *Petrus Garzonus*, Senator urbis, memoratur, qui duas hactenus Partes dedit Historiæ Venetæ, primam A. 1705, qua res paulo altius, scilicet ab A. 1682, repetere operæ pretium duxit, ut totum bellum Turcicum in Morea gestum Parte illa absolveret, alteram vero A. 1716, qua, quæ post mortem Caroli II Regis Hispaniæ bello gesta sunt ab A. 1700 ad 1714, accurate ac luculenter descripsit.

De ipsis scriptis, hic uno corpore productis, non est, ut multa dicamus. *Tomum I* complet Historia *M. A. Coccii Sabellici*, cui dignam lectu vitam Latinam præposuit Celeb. *Apostolus Zenus*, in qua Jovium, Nic. Toppium aliosque frequenter corrigit, & varia immiscet admodum jucunda. Ut unicam ejus excursionem describamus, dum de nomine Sabellici notat, id a Coccio ideo assumtum, quod patriam suam Vicovarum in Sabinis poneret; Sabinus vero, Sabellus & Sabellicus sint synonyma; alia quoque Scriptorum ejus temporis exempla producit, qui ex locis Venetæ ditioni subjectis nova nomina adsciverunt. „*Nardinus Maniensis*, inquit, nuncupavit se *Nardinum Celinen-* P. 34.
„*sem*, eo, quod Celina, cujus Plinius meminit, illa in regione sita „sit. *Jo. Baptista* & *Barthol. Cæloti*, a Brugnara, quod castellum „in Forojulio est, sub ditione Comitum Purliliarum, *Uranios* „se, derivato a Græcis nomine, vocarunt; *Uranius* enim Græ„ce fere idem sonat ac *Cælotus* Italice. *Cynthius Cenetensis* dici „voluit *Cynthius Acedinus*, quia censebat, *Acedum*, cujus me„minit Ptolemæus, esse id oppidum, quod Latinis *Ceneta* vel „*Cenita* erat, utut aliis placeat, Ptolemæi *Acedum* esse id, quod „in agro Tarvisino vulgo *Asulum* dicunt. *Lodovicus a Ponte*, Bel„lunensis, latere maluit sub nomine *Pontici Virunii*, namque ipse „& Jo. Petrus Valerianus, itidem Bellunensis, falso credidere, an-

 „tiquo-

„tiquorum *Virunum* nihil esse aliud, quam Bellunum, cum ta-
„men Virunum situm esset in Noricis mediterraneis, ultra
„Carnicas Alpes, ad fluvium Dravum. *Augustus Utinensis* ap-
„pellavit se *Hunniensem*, quoniam & ipse & vitæ ipsius Autor,
„quæ Odis ejus Latinis præmissa est, sicuti etiam Sabellicus &
„Ponticus, arbitrati sunt, *Utinum* ab Attila Hunnorum Rege
„conditum, ac propterea *Hunnium* esse dicendum. Quæ Latinis
„nominata est *Vicetia*, *Jo. Steph. Æmilianus*, cum falso crede-
„ret a Cimbris conditam, *Cimbriam* illam nominavit, seque non
„Vicetinum sed *Cimbriacum* dixit, rejectoque priore nomine Jo.
„Stephani, *Quintii* prænomen accepit. *Palladius Niger*, Patavi-
„nus, audire Latine voluit *Palladius Fuscus*. Nec Venetorum
„exempla desunt. Insignis *Nicolaus Thomeus* scribebat se *Leonicum*
„*Thomeum*. Quam celebre sit *Baptistæ Egnatii* nomen, nemo ne-
„scit; at pauci norunt, gentilitium ei nomen fuisse *Jo. Bapt. a*
„*Cipellis*. In *Dominico Mario Nigro* agnoscendus est *Dominicus*
p. 45 sq. „*Maria Niger*.„ Nec lectu injucunda est excursio altera Ill. Au-
toris de Bibliotheca Divi Marci, cui primus jussu Reip. præfe-
ctus fuit Sabellicus; ubi inter alia observat, neutiquam in ea, sed
alio potius loco asservari Codices a Petrarcha legatos; illam vero
initia sua debere Card. Bessarioni, Græco, sed qui nobilitatis Ve-
netæ jura consecutus erat, & nongenta Volumina Græca & Latina
vivus Reipublicæ dono misit, tradiditque per amicum, quadrin-
48. gentis ideo aureis a Rep. donatum. Unde evincit Noster, falso
Freherum & Bælium tradere, quasi Sabellicus ab ipso Bessarione
suæ Bibliothecæ præfectus fuerit. Accessit & huic vitæ testamen-
tum Sabellici, nunc primum in lucem editum. *Tomus II* dica-
tus est *Petri* Card. *Bembi* Historiæ Venetæ Libris XII, quibus
præmittitur *Jo. Casæ*, qui familiaris ipsius fuit, Vita Bembi, sed
ab Ill. *Apostolo Zeno* ex aliis coævis scriptoribus, qui vitam tanti
viri scriptis consignarunt, Carolo Gualterutio, Ben. Varchio &
Sperone Speronio, ut & aliis literarum adjumentis, notis & ob-
servationibus quamplurimis illustrata. Huic vitæ aliam Italico
idiomate scriptam, autore *Ludovico Beccatello*, adjunxit Noster,
primusque ex avtographo Autoris in lucem protraxit, unde
cum plura alia, Casæ non animadversa, tum id quoque patet, Hie-
rony-

ronymum Quirinum suis sumptibus publicam Bembo statuam marmoream posuisse Paravii. Historias has, Latina oratione compositas, sequitur vernacula *Pauli Parutæ*, quæ *Tomum III* & *IV* occupat, præmissa eodem idiomate Autoris vita admodum luculenta, autore itidem Viro celeb. *Apost. Zeno*; quam legisse tanto magis juvabit, quanto majoribus rebus domi forisque tractandis fuit adhibitus Paruta, natus Venetiis 1540 d. 14 Maj. & cum per summa munia ad Procuratoris D. Marci dignitatem ascendisset, exstinctus A. 1598 d. 6 Dec. Qua occasione corrigendus Thuanus, qui mortem ejus in diem 17 Febr. A. 1599 conjecerat. Succedit Historia Latina *Andreæ Mauroceni* Senatoris, *Tomis V*, *VI* & *VII* comprehensa, cui præmissa est Vita illius a *Nic. Crasso* edita Venet. 1621 in fol. quam *Petrus Catharinus Zenus*, Venetus, e Clericor. Regular. Congregatione Somaschensi, *Apostoli* Germanus, notis illustravit & auxit. Ex his unicum notamus, ubi observat, Tomasinum tradere, quod *Italiæ Lipsius* appellatus fuerit Maurocenus, quem non tam imitatorem quam adversarium ejus fuisse, probat Noster, siquidem opere *Variarum Lectionum* neminem frequentius quam Lipsium impugnaverit, & libros *de frumentaria Romanorum largitione* & *de militari Rom. stipendio*, ut Bembum, civem suum, contra Lipsium ulcisceretur, ediderit, quin & contra ipsum paraverit librum *de Romanorum re nummaria*, adhuc in Bibliotheca Maurocena exstantem, luceque dignissimum. Ne vero quicquam desideretur, subjuncta quoque *Aloysii Lollini* Vita elegantissima Mauroceni, quæ jam olim cum Historia ipsius Venet. 1623. fol. prodierat. *Tomo VIII* & *IX Baptistæ Nani*, Procuratoris D. Marci, Historia vernacula exhibetur, præmissa ab eodem *P. C. Zeno* luculenta ejus Vita, e qua tantum notamus, *Nanium* A. 1616 d. 30 Aug. natum, multisque in vita muneribus gravissimis, Legationibus imprimis, cum laude defunctum, diem obiisse A. 1678 d. 5 Oct. His denique *Tomo X* adjungitur *Michaelis Foscarini*, Senatoris Veneti, Historia pariter vernacula, quem autorem natum fuisse ex antiqua stirpe Veneta A. 1632 die 29 Martii, ac subita morte præreptum A. 1692 die ultima Maji, e Vita, a laudato *P. C. Zeno* præmissa, intelligitur. Jam qui longius productam historiam cupiunt, illis, quæ ab Ill. *Garzo*-

no

p. 50 sq.

22.

no duobus Tomis, eadem, qua hæc scripta, forma edita, supra indicavimus, uti poterunt. Ceterum non dissimulamus, Typographum, ut ex operis Præfatione patet, in eo esse, ut novam collectionem instruat Scriptorum Venetorum, qui in hac nostra locum invenire non potuerunt.

p. 18.

JO. JOACHIMI DE RUSDORFF, CONSIliarii quondam Palatini Electoralis & Ablegati in Anglia, Consilia & negotia Politica; cum Epistolarum Familiarium ipsius Autoris ad Viros Illustres & Amicos scriptarum Collectione. Ex Bibliotheca Loëniana.

Francofurti ad Mœnum, apud Jo. Maximil. a Sande, 1725, fol. Alphab. 6 plag. 6.

QUam perniciosum Genti Septemvirali Palatinæ, Protestantium Sacris addictæ, fuerit Seculo superiori bellum in Bohemia exortum & totam deinde Germaniam pervagatum, ex compluribus variorum Autorum voluminibus, quæ vel negotiorum publicorum Commentarios, vel casuum privatorum seriem continent, abunde constat: & deploranda magis quam delineanda videntur illius incendii ac subsequentis exitii feralis opprobria, quæ potentissimos totius Europæ populos in mutuas cædes & funestas provinciarum florentissimarum devastationes, specioso tutandæ Religionis prætextu, re vera explendæ ambitionis & privati odii causa, invicem stimulabant. Actum igitur agere nonnullis censebitur is, qui sexcenties dicta repetere, & *infandum renovare dolorem* voluerit. Nihilo tamen secius laudandi sunt illi, qui ardentissimo asserendæ veritatis studio ducti ea, quæ ad sinceram istius ætatis imaginem adumbrandam faciunt, in Schedis rariorum Bibliothecarum bono quodam rei litterariæ fato inventa, candide communicant, eum in finem, ut & Orbis eruditus de fide historica certior fiat, & infelicium prædecessorum posteri cautius aliquando mercari discant. Hujus momenti sunt hæc *Rusdorfii Consilia & negotia Politica*, nec non *Epistolæ familiares*, in quibus Illustris Autor, rerum a se scriptarum testis oculatus, eam Seculi,

culi, quo vixit, exulceratissimi delineationem dedit, quæ legentes in stuporem abripit, & arcanos quosdam tam conversionum civilium, quam eventuum militarium nexus evolvit. Magnum ubique in Consiliis animum, pertinacem erga Principem fidem & libertatem in recensendis gestorum rationibus prodit Autor, adeo ut summo in Imperio Romano-Germanico capiti vix pepercisse videatur: id quod in notulis passim, imprimis p.231, subjectis agnovit & deprecatus est nobilissimus Bibliothecæ Rusdorfianæ possessor & operis hujus Editor, *Lœntius*, Potent. Regi Borussiæ a consiliis Aulæ. Et ipse quidem Autor in præfatiunculis, cuique opusculo præmissis, Consiliarii atque Ablegati Palatini munere se tuetur, ea in chartam conjecisse fassus, quæ officii sibi demandati religio & infucata tractationum, quarum pars magna fuit, veritas pro causa Principis sui scribenda suaserint. Cum vero nostrum non sit, alienæ causæ patrocinium in nos suscipere, procul omni partium studio, quæ in hoc opere potissimum cotinenantur, breviter memorabimus.

Primum locum obtinet *Consilium Politicum Suasorium*, quo multis rationibus demonstratur, quam consultum ac pene necessarium sit, ut a Cæsare victorioso reconciliatio petatur, antequam Proscriptio contra Fridericum V Electorem Palatinum, post infelix prælium Pragense e Bohemia exulem, publicetur, & Principes Protestantium a Fœdere & defensione Palatinatus, per Hispanos aliosque oppugnandi, discedant; ubi Autor omnium vel Sociorum vel Vicinorum, in quorum auxiliis vanam spem collocaverat Palatinus, vires & studia secretiora examinavit, Heidelbergæ 1620. Sequitur II *Specimen Patrocinii* pro Friderico V Electore Palatino, Rege (prout tunc audiebat) Bohemiæ, contra Sententiam Proscriptionis Cæsareæ: ubi deducuntur nullitates, errores & defectus, quibus illa laborabat; quod ipsum opusculum jam A.1622, Autore adhuc vivente, fuit evulgatum; nunc vero multis annotationibus auctum, & secundum ipsius Autoris autographum emendatum, & Prologo galeato instructum apparet. III *Rationum & Argumentorum Collectio*, qua probatur, matrimonium inter Carolum I, Angliæ Principem, & Infantem Hispaniæ nunquam

fummatum iri. Qua occafione examinatur, quid judicandum fit de animo Regis Hifpaniæ Philippi III, quod ad promiffam reftitutionem Palatinatus; & paucis differitur de novo illo in medium allato remedio reftaurandæ pacis & recuperandi Palatinatus per matrimonium inter Imperatoris Ferdinandi II filiam & Friderici Regis filium contrahendum. Ifti fcripto A. 1623 anfam dederat Epifcopus Lincolnienfis, Cuftos magni figilli in Anglia, qui, cum Nofter Londini rem gereret Palatini, quo tempore Digbyi ad firmandum matrimonium Legati in Hifpaniam proficifcebantur, autor ei exftitit, ut quid ipfi ea de re videretur, in publicum ederet. IV *Rationum aliquot comprehenfio*, qua intereffe probatur, ut Jacobus Rex, amicabili compofitione prorfus rejecta, arma in Hifpanos protinus convertat, Londini 1626. V *Confilium Politicum*, quo tres modi demonftrantur, quibus Angli res in Europa collapfas reftituere, & Palatinatum recuperare poffint: quod eodem fere tempore, poft Caroli Principis Regii ex Hifpania reditum, Londini publicavit. VI *Ratiocinativa Quæftio de Bello inter Hifpanos & Anglos fufcipiendo*, qua inquiritur, utrum magis expediat, Anglos Hifpanos aperto bello, an vero clam & per latus petere. Teftatur vero in præfatiuncula, fe ad rationes has confignandas ab Anglis quibusdam poft irrita A. 1625 Comitia regni Oxonienfia adductum, cum *Bukinghamius*, qui vindicta ardens contra Hifpanos, imprimis Comitem *Olivarium* (a quo delufus fuerat, cum in Hifpania effet, fubftituto pro fœmina illuftri exoleto & morbofo fcorto) Ordinum Batavorum auxilio & autoritate, ad privatos affectus fub prætextu belli jufti exercendos, abuti tentabat, claffemque Anglicam contra Hifpanos emittendam, urgebat: quæ tamen, ut aliunde notum eft, re infecta, infigni Anglorum dedecore ac damno, rediit. VII *Conjecturæ* de imminente univerfali Imperiorum in Europa mutatione, in rufticatione quadam Anglicana A. 1624 confcriptæ, in quibus tamen nimio in Principem fuum ftudio ad falfa præfagia fuiffe abreptum Autorem, Editor p. 130 in notula fobrie indicavit. VIII *Confultatio Politica* de mediis reftituendi res in Europa collapfas, qua præfcribuntur & examinantur ea, quæ confideranda, obfervanda & exequenda funt, ut bellum pro reftitutione collapfarum in Europa rerum felici-

feliciter suscipiatur, geratur & finiatur; simul etiam modernus Europæ status & rerum, qualis tum erat, facies depingitur, quæ Salisburii in Anglia scripta A. 1625, & Anglice postea ex Latino conversa, ut Regi Jacobo & Carolo ipsius filio exhiberetur. Sequuntur postea tres aliæ commentatiunculæ. Quum enim, *Bukinghamio* vindictam anhelante, & Legatis Batavorum ad Hispaniam terrendam conspirantibus, classis Anglo-Belgica multis sumtibus, ad Portum aliquem in mari mediterraneo occupandum, adornaretur, eodem autem tempore, anno scilicet 1625, Danus pro communi Germanorum Protestantium causa expeditionem in Saxonia inferiori meditaretur, *Rusdorfius* noster peculiari scripto, quod est IX, tum *Corvao* Angliæ Secretario pridie Calend. Septemb. Suthamptonii exhibito, tum Palatino etiam in Belgium transmisso, consultum & Reipublicæ Christianæ perutile fore ostendit, si Rex Magnæ Britanniæ classem suam potius in auxilium Regis Daniæ mittat, & ad aliquod experimentum bellicum in Germania impendat. Quumque anno sequenti præpostera Danorum, summam totius novi belli præ Suecis ambientium, æmulatione, consilia minus prospere succederent, publicavit Autor X *Examinationem Politicam* de eo, quid de expeditione Regis Daniæ, ac de Fœdere inter ipsum & Regem Magnæ Britanniæ Ordinesque Batavos concluso possit sperari, & an Rex Sueciæ & Elector Brandenburgicus illi accedere teneantur. Immo cum eodem anno 1626 in Comitiis Anglicanis ingens inter Regem & Ordines, propter *Bukinghamium* a Ministerio aulico deturbandum, lis exoriretur, eumque Rex, Parliamento acerrime contranitente, in officio retineret, Danis autem subsidia promissa neutiquam solverentur, scripsit Noster XI *Classicum imminentis communis discriminis*, quo exaggeratur, quantum periculum immineat Angliæ, Galliæ, & reliquis regnis ac provinciis Europæ, subjugata Germania & victo Dano; & quantum expediat, Dano & Germaniæ periclitanti absque mora succurrere. Cumque pleraque contingerent, quæ præsagierat *Rusdorfius*, tandem ultimo Decembris A. 1627 non sine insigni mœrore animi, XII *Metamorphosin Europæ* seu *Speculum* elaboravit, in quo demonstratur, quam certa & propinqua conversio omnibus in Europa Imperiis, Regnis &

Rebuspublicis immineat, & quam verisimile sit, Austriacæ Domui fato quodam sponderi monarchiam Europæ. Quo *Speculo*, postquam rerum faciem, qualis tum erat singulorum Europæ Regum ac Principum, accurate repræsentasset, quæque Austriam ad obtinendum Europæ Principatum excitare possint, & quantum ceterorum Principum res attritæ sint, non omissis sinistris ominibus, demonstrasset, audacius paulo, quam deceret, in Austriacos invehitur, ideo ab Editore quoque in notula subjecta notatus, qui lectorem rogat, ut condonet Autori acerbas contra Hispanicam domum invectivas, quæ eum non tam fidi Historici quam ferventis zelo adversarii partes egisse indicant. Ad Palatinum inde exulem in Belgium reversus, cum probe animadverteret, vanas in aliena ope spes collocari, Hagæ XIII *Consilium Paræneticum* Principi ac Consiliariis reliquis A. 1628 obtulit, quo variis rationibus evincit, consultum utique & necessarium esse, ut Fridericus Rex Cæsari, antequam vincatur Danus, & Anglus Gallico bello distrahatur, utcunque durissimis conditionibus reconcilietur. Ceterum, quum in Anglia viveret, nomine *Jacobi* & *Caroli* Regum sæpius *Litteras* ad præcipuos rei communis hostes vel fautores exarare jussus fuit, quas loco XIV, peculiari *Fasciculo* comprehensas, p. 321-340 legimus. Subjungitur XV *Relatio de Statu rerum, consiliorum & rationum apud Britannos*, ad Aulam sui Principis scripta A. 1627, quæ lectu dignissima vaticinium quoddam exhibet de horrenda strage, quam augusta Stuartorum familia paulo post passa est. Sequuntur XVI *Varia Consilia, res Caroli Ludovici Electoris Palatini concernentia*, sermone Latino-Germanico concepta, quæ statum publicum annorum 1634, 1635, 1636 satis illustrant. XVII *Acta & Negotia Johannis Tayleri & Comitis Arundeliæ, Ablegatorum Regis Angliæ ad Imperatorem in causa Palatina, pro restitutione Electoris Palatini Caroli Ludovici &c.* ex quibus, cum & *Responsa Cæsarea* simul compareant, multa discimus, quæ ad novum Electoratum Bavaricum pertinent. XVIII *Epistolæ* nonnullæ *Gallicæ*, quas ad Elisabetham Anglo-Palatinam, viduam Reginam exulem, nomine Consilii sanctioris, de tristissima rerum Palatinarum facie anno 1634 & sequentibus exaravit. Denique XIX exstant 133 *Epistolæ Rusdorfianæ* ad Ludovicum Camerarium

rium præsertim & Viros illius ævi amplissimos alios inde ab anno
1623 ad 1637 scriptæ, in quibus cum multa occurrant alia memoratu digna, nonnulla nunc tantum, quæ ad Jacobum imprimis Angliæ Regem, in cujus aula diu Friderici V R. Boh. causam egit Noster, spectant. Nimirum, cum alibi monuisset, Jacobum ita a
bello pro Genero suscipiendo abhorruisse, ut ne nomen quidem p. 45.
Bohemiæ audire potuerit, inter alia observat, eum Legato suo 8
præscripsisse, ut primum omnibus persuasionibus Fridericum adducat ad signandam armorum cessationem, deinde, his non proficientibus, minis aggrediatur & dicat ac declaret, Socerum revocare omnia, omnino deserturum esse, & pensionem, quam ipsi & Reginæ det, auferre velle; imo Bruxellas scripsisse ad Hispanos & petiisse, ut eo casu, quo Gener non sit ratificaturus suspensionem & tractatum, liceat ipsi tractare pro Nepotibus, excluso
Genero. At quam exitiosum fuerit illud consilium, Noster Galli- 7
ci Legati autoritate probat, qui e Nostro, quid futurum sit, percunctatus, *si Palatinus*, inquit, *signat cessationem*, *perditus est etiam apud omnes amicos*, *& hoc Hispanus quæris; etiam tum Rex meus omnem curam negotiorum Germanicorum abjiciet*. De con-
jugio Filii cum Hispana etsi omnibus persuadere conaretur Jaco- 12
bus, ut crederent, illud in vado esse & jam concessam a Pontifice dispensationem, nimirum ne frustra tam diu laborasse videretur, simul tamen simulabat, quasi hæc fierent se invito. Itaque Architectum aliquando, præsentibus aulicis, advocabat, hisque eum verbis publice compellabat: *ædificavi domum pro me*, *domum pro canibus*, *jam oportet ut ædificem domum pro diabolo*, innuens his dictis, quibus blande arrisit, sacellum in usum sponsæ exstruendum. Nec potuit tamen, etsi se delusum cerneret, amorem in Hispa-
nos deponere: nam cum ipse Bukinghamius eum serio admone- 29
ret, ut honori & securitati suæ Regnique incolumitati prospiceret, & tractatibus cum Hispanis ruptis, Marte rem gereret, & mature quidem, antequam ab hoste præveniretur, apparatus bellicos instrueret, tum Rex præ indignatione, cum nihil aliud respondere posset, tanquam infans illacrymatus fertur, & conquestus, quod se quasi solio deturbare, & in bellum præcipitem agere intentent. Dum raro Regem ex venatione reversum, Lon-

dinum

p. 48 49. dinum, Regni sedem, premere testatur Autor, hæc subnectit: *To-
ta ipsius vita desultoria est, imago continuæ peregrinationis, & mo-
tus irrequietus: ex una in aliam domum progreditur, mutatque
sedes imperii pro lubitu, & videtur in solo motu quietem invenire.
Negotia vero ardua uno tempore æque amat, ac altero, id est, nun-
quam.* Jam quod ad matrimonium filii cum sponsa Gallica attinet,
de quo paulo ante Jacobi mortem tractatum est, non est nobis
prætermittendum, quod Jacobus, cum relatum accepisset, quan-
62 ta humanitate & comitate Sponsa ipsius & filii litteras accepisset,
quod nempe litteras Patris, postquam impetrata a Regina Matre
venia illas legerat, subter pulvillum lecti posuisset, Sponsi vero
litteras in sinum recondidisset, non illepide dixerit: *quam pru-
dens puella, litteras meas subter pulvillum collocando, me sibi so-
latium & quietem fore, filium vero meum in cordis scrinio repositum
esse, significans.* Cum paulo post Regem e vita excessisse refert
64 Noster, *quotusquisque*, ait, *vel lacrymas ejus morte nuntiata edi-
dit? omnes pumiceos oculos habuisse, dixisses: quasi nunquam vi-
xisset, ita ejus obliti fuerunt.* Non minus jucunda in sequentibus
Epistolis offendas, in quibus lectu omnino digna est XLII, qua,
quantum inter Residentem, quem vocant, & Legatum ordinari-
um intersit, tum rationibus tum exemplis exquisitissimis Autor
declarat. Ceterum idem miram ubique de rebus futuris e præsen-
tibus judicandi facultatem (ut cum primo statim anno regiminis
Caroli I R. Angl. sinistra omnia præsagit, quæ aliquot post annis
eventus comprobavit) tum in moderandis rebus, quæ publice ge-
runtur, sagacitatem, sententiarum item & regularum politica-
rum loco idoneo immixtarum, e quibus vel integrum libellum
colligere posses, ubertatem, veteraque exempla ex Historicis &
Poetis, quos omnes devorasse videtur, cum novis apte compo-
nendi studium singulare prodit. Id unum denique mone-
mus, Virum Cl. Georgium Christianum Johannis Vitam
Rusdorffii, quæ operi huic præmitti non potuit, proxime se-
orsim editurum.

HISTOIRE DE LA PEINTURE
ancienne &c.

h. e.

HISTORIA PICTURÆ VETERIS, E PLINII Hist. Natur. Libro XXXV decerpta: accessit Textus Latinus ex MStis Vossii & ad Editionem primam Venetam correctus, novisque Notis illustratus.

Londini, apud Wilhelmum Bowyer, 1725, f.
Alph. 3 pl. 15.

Liber hic ex illis est, qui eleganti typo & charta, sed paucis exemplis excusi, ob subscriptionis legem, raro ad nos perferuntur. Etsi vero Autor eruditus nuspiam nomen prodiderit, quippe qui in subscriptione Dedicationis, quam ad Regem M. Britanniæ GEORGIUM satis prolixo ac eleganti carmine Gallico, quod justi Panegyrici instar esse poterit, dedit, solas litteras D. D. subscripsit, & p. 160 innuit, se Collegam fuisse Johannis Lombardi, V. D. Ministri ad D. Martini Londini, & lares suos paucis passibus abesse a Bibliotheca Collegii Sionis, cujus Catalogus brevi sit proditurus; constat tamen aliunde, eum *Durandum* vocari. Præmisit vero operi, suasu amicorum, sigillatim versionem Gallicam, quam textui adjungere antea constituerat, eamque, ubi opus videretur, breviusculis notis illustravit. In Latino vero textu emendando explicandoque in notis vernaculis, quibus & veteres & nostræ ætatis scriptores, Poetas imprimis, testes apte producit, eorumque nævos corrigit, operosius versatus est. Et quamvis, quantum ad textum, Harduinum primo solum sequi decrevisset, admonitus tamen a Cl. Gibsono, primam omnium editionem, Venetiis 1468 ab homine parum, ut videtur, Critices perito, at prorsus ad membranas veteres curatam, & hactenus quidem, quod a sequentibus editionibus, Romana nempe A. 1469 & Veneta 1472, elegantia superaretur, neglectam ab Editoribus plerisque omnibus, diligenter consuluit, ejusque ope loca plurima, hactenus corrupta, emendavit. Nec alia subsidia neglexit, imprimis doctas Jo. Frid. Gronovii in ultimos Plinii libros notas, quem quatuor MSptis & imprimis Codice Vossiano annorum 1200 usum fuisse constat. In quibus accurate dijudicandis nulli se

labori

labori pepercisse fatetur Cl. *Durandus*, integro sæpe septiduo in statuenda unica lectione occupatus. Ut paucas e multis emendationes textus Harduiniani afferamus, legit Harduinus p. 145 *agnascentiumque iis*, Noster ope Codd. & Edit. 1 *ac nascentium in cis*; Hard. p. 161 *insertis voluminum suorum fœcunditati non nominibus tantum*, Noster *insertis voluminibus suarum fœcunditatum non*; Hard. p. 220 *optimusque est, qui maxime vicinus est*, Noster *optimumque est, quod maxime viride*; Hard. p. 224 *publicas porticus investivit pictura*, Noster ex ed. 1 *occupavit*, vel ex Vossio & Gronovio, *decoravit pictura*; Hard. p. 253 *in omnibus ejus operibus*, Noster *in unius hujus operibus*; Hard. p. 260 *nam cedebat Amphioni de dispositione*; *Asclepiodoro de mensuris, hoc est, quanto quid a quo distare deberet*, Noster *nam Echioni de positione cedebat*; *Asclepiodoro de mensuris: id est, quanto quid a quoque distare deberet*; Hard. p. 266 *tantum erat auctoritati juris in Regem alioqui iracundum*, Noster *tantum erat autoritatis viro in Regem*; Hard. p. 283 *Hujus fuerat ætatis Aristides, Thebani discipulus. Fuerunt & filii Niceros & Ariston, cujus est - - - Discipuli*, Noster *Aristidæ Thebani discipuli & filii Niceros & Ariston; cujus est Satyrus cum scypho coronatus. Discipuli*; Hard. p. 306 *fictilibus foliis*, Noster *fictilibus doliis*. Et has quidem similesque lectiones Noster magno eruditionis apparatu in notis tuetur. Sunt & alia passim in notis, quæ legi merentur. Ita cum pictura dicitur
p. 146 nobilitare illos, quos esset dignata posteris tradere, observat, non solum inter veteres *Arellium* Romanarum meretricum facies picturis etiam gravissimis intulisse, & *Pausiam* Glycerium suum tanta arte depinxisse, ut tabula illa 1200 thaleris venderetur, sed & e recentioribus *Raphaelem* amasiam suam sæpius, *Rembrantum* ancillam suam depinxisse, *Mignardum* filiam; *Albanum* uxorem & liberos in omnibus fere picturis suis grandioribus repræsentasse. Occasione *Pacuvii*, Pictoris & Poetæ, e recentioribus pro-
174 ducit *Du Fresnoy*, qui de Poeseos & Picturæ cognatione eleganti carmine cecinit; *Annam Schurmanniam*, quæ & versus scripsit Latinos, & in iconibus minuti operis pingendis excelluit; *Elisabetham Cheron*, celebris in Anglia Pictoris sororem, quæ ut excellit penicillo, ita poemata in publicum prodidit; *Coypel* juniorem,

Patre

Patre in re pictoria non inferiorem, qui Comœdias scripsit publico omnium plausu exceptas. Carpit hic simul duumviros Gallos, de Piles, qui Ennium, & Felibienum, qui graviori errore L. Mummium, Corinthi destructorem, inter Pictores retulit. Sed & hic manum de tabula.

VETUS DISCIPLINA MONASTICA SEU Collectio Autorum Ordinis S. Benedicti maximam partem ineditorum, qui ante sexcentos fere annos per Italiam, Galliam atque Germaniam de Monastica disciplina tractarunt; opera & studio - - Presbyteri & Monachi Benedictini e Congregatione S. Blasii in Silva nigra.

Paris. apud Car. Osmont, 1726, 4.
Alph. 3 plag. 20.

OPus hoc de Veteri Disciplina Monastica, quod supra Mense Januario pag. 47 annuntiavimus, *Blasio*, Ill. Congregationis S. Blasii Abbati Reverendissimo, a Prioribus & Conventu istius Congregationis eloquenti præfatione inscriptum, (in qua, & Effigie & Insignibus Præsulis, excellentis artificis manu sculptis, exornata, illius laudes & imprimis præclara in Ecclesias suas & bonas literas merita celebrantur,) debemus diligentiæ unius ex ista Congregatione, quem, licet nomen suum reticuerit, Virum tamen doctum, diligentem & ingenuum esse, ex hoc ipso Opere satis constat. Hominem esse Germanum, & Congregatio innuere videtur, & ipse haud obscure indicat, Germanos appellando suos; decus adeo simul patriæ & ordinis sui, cujus si plures Præf. exsisterent similes, non esset, cur Congregationes & Monasteria p. 21. patria Galliæ suos Maurianos, celebratissimos Viros, inviderent. Scripsit autem in Francia, ut in eadem præfatione testatur, & si 13 alium ejusdem præfationis locum recte cepimus, in celebri 25 S. Germani a Pratis Cœnobio, quod qui factum, quamvis nos fugiat, ex hoc tamen mutuæ amicitiæ nexu, inter Congregationem Germanicam S. Blasii & S. Mauri Gallicam intercedente, pro bonis literis lætum augurium capimus. Viri duo ex hac posteriori Congregatione nunquam, ut recte Noster ait, sine laude

memorandi, Dacherius & Mabillonius, jam in animo habuerunt,
mandare typis, quicquid de veteri Diſciplina Monaſtica ſupereſ-
ſet, ſed alter juſto apparatu deſtitutus, alter morte præventus,
promiſſis ſtare nequivere, quod inſtitutum, ad Monaſticas non
modo res, ſed Eccleſiaſticas quoque intelligendas inſigne auxili-
um allaturum, ne intercidat, efficiendum a ſe eſſe putavit Noſter,
maxime cum ſpe plura, dum in alio opere, *Catena Commentari-
orum in Regulam S. Benedicti*, texendo verſabatur, ad opus præſens
facientia nanciſceretur. Dedit adeo:

1 *Petri Diaconi Diſciplinam Caſinenſem*, depromtam ex MSto
AutographoCaſinenſi Commentationum ejusdem Diaconi ad Re-
gulam S. Benedicti, quod ante annos aliquot Archangelus Bran-
caccius, Caſinenſium Abbas, cum Noſtro communicavit. Sunt ve-
tuſtiſſimæ conſuetudines aut ab ipſo Benedicto, aut paulo poſt eum
inter Caſinenſes introductæ, quæ adeo, etſi ſeculo primum XII
a Petro conſcriptæ ſint, primum ſacræ vetuſtatis cauſa locum ſibi
vindicant p. 1. 2 *S. Sturmii*, Fuldenſis Abbatis, *Conſuetudines*. Hunc
enim S. Bonifacium conſuetudinum S. Benedicti monaſteriorum,
inprimisque Caſinenſis, explorandarum cauſa in Italiam miſiſſe, ut
Fuldenſes Fratres ad eas componerentur, ex Eigile Abbate con-
ſtat. Editæ jam ſunt a Mabillonio Analectorum Tomo IV, ſed hic
paulo accuratius repetitæ p. 4. 3 *Theodemari*, Abbatis Caſinenſis,
Uſus Caſinenſes, ad Carolum M. circa A. 790, informandæ Benedi-
ctinæ familiæ in Galliis cauſa id petentem, tranſmiſſi, p. 9. 4 *S. Be-
nedicti*, Abbatis Anianenſis, *Capitula* ante Synodum Aquiſgra-
nenſem conſcripta, ſed quæ poſtea a Cluniacenſibus & multis aliis
Galliæ, Italiæ & Germaniæ Monaſteriis fuerunt acceptæ, editi a
Mabillonio IV Analectorum, huc relati p. 14. 5 *Capitula Mona-
chorum ad Augiam directa* ante A. 817. Cum enim S. Benedictus
Anianenſis totus in eo eſſet, ut diſciplina per Galliarum monaſte-
ria collapſa reſtitueretur, veriti Augienſes Monachi, ne Mona-
chi Regulares, illi nempe, qui poſt Synodum Aquiſgranenſem a
Ludovico Pio in omnia monaſteria ad inſtituendum Regulæ Be-
nedictinæ uniformem ritum directi ſunt, eos imparatiores offen-
derent, e ſuis quoſdam miſerunt in Galliam, explorandæ illius
regularis diſciplinæ cauſa, a quibus literas & XII Capitula acce-
perunt,

perunt, hæc ipſa nempe, quæ hic p. 18 e Tomo II Capitularium Baluzianorum repetuntur. 6 *Capitulare Aquiſgranenſe* de Vita & Converſatione Monachorum, in Synodo a Ludovico Pio A. 817 habita confectum, ex Baluzii editione, p. 22. 7 *Capitula Monachorum Sangallenſium ad Regimbertum*, Magiſtrum Scholæ, A. 846 mortuum miſſa, p. 33. 8 *Guidonis diſciplina Farfenſis & Monaſterii S. Pauli Romæ.* Farfenſe Monaſterium eſt in Sabinis in Ducatu Spoletano. Eduntur hæ conſuetudines p. 36 ex MS. Vaticano & alio veteri codice S. Pauli in Urbe, unde eas Jo. Mabillonius deſcribi curavit olim, Vincentius Thuillerius autem Noſtro ex Mabillonii muſeo conceſſit. 9 *Ordo Cluniacenſis per Bernardum Monachum* illius Monaſterii Benedictinum, Seculi XI Scriptorem. Hæ Cluniacenſium Conſuetudines, uti a Bernardo ſunt traditæ, a nemine juris publici hactenus fuerunt factæ: ſed ad uſus privatos tantum a Cluniacenſibus exactum eſt ante aliquot annos earum exemplar, quod ab infinitis mendis purgatum & ad fidem MS. codicis S. Germani a Pratis caſtigatum hic p. 133 exhibetur. 10 *Excerpta ex Divionenſi diſciplina*, quæ cum Fructuarienſi communis erat, ex MSS. Benignianis Seculi XI, p. 365. Eſt nempe S. Benigni Monaſterium Divione, in quod Cluniacenſis diſciplina undecimo Seculo allata, & inde in Italiam & Germaniam, ipſumque S. Blaſii in nigra ſylva monaſterium propagata eſt. 11 *S. Wilhelmi Conſtitutiones Hirſaugienſes, ſeu Gengenbacenſes*, ex MSS. Einſidlenſibus p. 371 editæ. S. Wilhelmus, in Cœnobio S. Emmerammi Ratisbonæ Monachus ob ſanctitatis & doctrinæ famam a Monachis Hirſaugienſibus poſt medium Seculi XI in Monaſterio S. Aurelii Abbas conſtitutus eſt, qui cum Monaſticæ diſciplinæ reſtaurandæ ſingulari ſtudio teneretur, primum ab Udalrico, Cluniacenſis Eccleſiæ monacho, Cluniacenſium Conſuetudines duobus libris conſcriptas accepit, inde ab Hugone, Cluniacenſium Abbate, precibus obtinuit, ut ſex e ſuis Monachis Hirſaugia Cluniacum dirigere ſibi liceret, qui celeberrima illa inſtituta præſentes accuratiſſime addiſcerent. Horum conſilio ſelegit, quæ ad morem patriæ, loci ſitum & aeris temperiem eſſent accommodata, & ea addidit, quæ a puero in S. Emmerammo Monaſterio didicerat, hasque adeo conſuetudines confecit, eo ſucceſſu, ut,

Trithemio teste, plus quam centum monasteria tam per se quam per suos ad pristinam regularis disciplinæ observantiam revocarit. 12 *Ritus Luxovienses.* Est hoc Monasterium sub finem Seculi VI a S. Columbano in Vosagi montis saltu conditum, cujus Ritus hic p. 571 editos Cl. D. Edmundus Martene e MS. erutos Nostro concessit. 13 *Fragmenta disciplinæ Monasticæ*, quæ sunt p. 586 *Lectiones coram hospitibus recitari solitæ ex præcepto Regulæ S. Benedicti*, ex perantiquo Monasterii Rhinoviensis MS. p. 589 *Formulæ professionis Monasticæ*, ex MSS. Vindobonensi Cæsareo, Sangallensibus, & Necrologii Augiæ divitiis; p. 592 *Formula offerendi pueros in Monasterio*, e MSS. Sangallensibus; p. 593 *Formula excommunicationis*, e MS. Mellicensi, *Orationesque tres ante Matutinum & Vesperas a Monachis recitatæ*, ex MS. Breviario Casinensi.

His veterum rituum monasticorum monumentis non modo docte præfatus est Clarissimus Autor, sed addidit quoque passim notulas ad meliorem vocum ecclesiasticarum & monasticarum intellectum perquam idoneas. Frontem operis exornavit docta præfatione, in qua primum de veteri Monastica Disciplina nonnihil præmittit, inde celebrem de Volatilibus controversiam, an a S. Benedicto in Regula sua vetita sint, accurate peragit, confutatisque illorum, qui austeri nimis istorum esu Benedictinis interdictum esse opinantur, argumentis, promiscuum Avium usum Regula ipsa, praxi usuque ordinis & scriptorum auctoritate niti demonstrat. His disputatis de officio divino secundum Regulam S. Benedicti sermonem instituit Noster, quale illud a S. Benedicto sit institutum, quæ in eo mutationes ante Seculum X contigerint, qui Psalmorum distributio in Breviario Cluniacensi sit instituta, quæ mutationes & additamenta a decimo Christi Seculo in eodem officio sint facta, & quid de iisdem sit sentiendum, quo maxime in loco demonstratum ingenuum animi candorem non possumus non laudare. Ita differt officium S. Benedicti vetus ab officio Benedictinæ familiæ noviori, ut illud vix quatuor horas adæquet, huic persolvendo humanæ vires vix ac ne vix quidem sufficiant, cujus prolixitatis enormis & causas & incommoda affert, inter illas nimium cultus divini studium, monasteriorum

in

in recipiendis augendisque precibus imprudentem æmulationem, laboris intermiſſionem, quem non rectius quam Dei laudibus decantandis compenſari poſſe credidere, Laicorum avaritiam, qui pecunias & latifundia Monachis non gratis, aut, ut antiquiores, pro remedio animæ, ſed pro anniverſariis precibus concedere maluerunt, eorundem ambitionem, ut, qui vitam ingloriam duxerant, morte ſaltim nomen ſibi immortale facerent, immo & Monachorum avaritiam, Abbatumque & qui clauſtralia officia adminiſtrabant, ex fundis ſibi aſſignatis, quæ ita veluti ſibi propria habebant, inſtituendi anniverſarii inverecundos auſus. Notatu digna ſunt ingenua Noſtri verba p. 52: *Laici tamen non videntur ita accuſandi, quin culpæ aliquid penes Monachos reſideat. Si pretii minus fuiſſent cupidi, non ita facile Laicorum voluntati morem geſſiſſent. Sed quo non irrepit & penetrat divitiarum cupiditas. Perrumpere amat clauſtra, nec adverſus eam ſatis munit vel ipſa paupertatis profeſſio.* Ex incommodis, quæ pari candore memorat optimus Autor, potiſſima ſunt, nulla mentis cum voce concordia, ſummum ex diuturna pſalmodia faſtidium, Muſicæ amor, ut choro addictis levamen afferat, ſtudiorum denique intermiſſio. Nos Benedictinis omnibus eandem mentem, aut ſi hoc ſupra humana vota videbitur, optimo noſtro Autori, veræ vitæ monaſticæ tam intelligenti, infulam vel dignius quid ſuorum cauſa apprecamur. Ultimo loco dictæ præfationis Obſervationes nonnullæ cum Eccleſiaſticæ tum Hiſtoricæ ex his ipſis monumentis decerptæ leguntur, quas legiſſe non pœnitebit. Nos ex hoc ipſo loco, doctiſſimum Anonymum noſtrum veterrimum MStum Codicem Liturgicum typis paraturum obſervamus. In fine operis ſunt indices additi plures, quos inter eminet Index onomaſticus vocum barbararum & exoticarum, quem quanti vis pretii eſſe norunt, qui has literas norunt.

NOUVELLE MECANIQUE OU STATIQUE &c.

hoc eſt,

NOVA MECHANICA SIVE STATICA, CUJUS IDEA A. 1687 fuit data; Opus poſthumum PETRI VARIGNONII,

Academiarum scientiarum in Gallia, Anglia & Borussia Sodali, Lectore Regio Philosophiæ in Collegio Regio & Professore Matheseos in Collegio Mazariniano.

Tomi II.

Parisiis, apud Claudium Jombertum, 1725, 4.
Alph. 4 plag. 21 Tabb. æn. 64.

CUm primum Idea novæ Mechanicæ *Varignonianæ* in lucem publicam prodiisset, eandem in his Actis recensuimus: unde constat, celeberrimum Autorem explicationem machinarum simplicium, seu vulgo sic dictarum potentiarum mechanicarum ex notione motus compositi instituisse, de quo jam olim locutus est *Aristoteles* in Quæstionibus mechanicis, & quo usi sunt *Archimedes*, *Nicomedes*, *Dinostrates*, *Diocles* in descriptione spiralis, conchoidis, quadratricis, cissoidis, itemque *Cartesius* in explicanda reflexione & refractione luminis, immo omnes hodie utuntur Geometræ in curvarum descriptione & Physici in determinandis percussionibus obliquis. In Idea ista non nisi primas operis lineas duxit, quod nunc 30 & amplius annorum studio atque labore consummatum post morem demum Autoris prodiit. Ultimam ipse manum addere non potuit, neque enim problemata in ordinem fuerant digesta, cum rebus humanis eximeretur Geometra primi ordinis. Cel. *Fontenellius* itaque, hæres MSC. *Varignonianorum*, editionis curam commisit Viro in his studiis versato Cl. *de Beaufort*, Academiæ Regiæ Scientiarum Membro, qui una cum *Camo* Abbate eandem nobis dedit. Dividitur opus in hoc genere absolutissimum & hactenus sine pari in duos Tomos, quorum prior *Sect.* 1 lemmata quædam præmittit, quibus tanquam principiis utitur Autor in demonstrationibus sequentibus; *Sect.* 2 de ponderibus funium ope solummodo suspensis; *Sect.* 3 de trochleis & polyspasto; *Sect.* 4 de axe in peritrochio & machinis agnatis; *Sect.* 5 de vecte: posterior autem *Sect.* 6 de plano inclinato; *Sect.* 7 de cochlea; *Sect.* 8 de cuneo, *Sect.* 9 de corollario generali ex theoria præcedente deducto; *Sect.* 10 de æquilibrio fluidorum agit. Tomo posteriori sub titulo novæ Mechanicæ partis secundæ adjicitur

citur 1 Tractatus problematum, in quo nova Mechanica ad resolutionem multorum problematum transfertur: 2 Tractatus de machinis absque affrictu ex principiis novæ Mechanicæ demonstratis: 3 Examen opinionis *Borelli* de proprietatibus ponderum ope funium suspensorum. Lemmatis præmittit definitiones quasdam generales machinæ, potentiæ, vis absolutæ & relativæ, gravitatis, ponderis, lineæ directionis, momenti, æquilibrii, hypomochlii, motus compositi &c. atque axiomata, seu propositiones, quas sine demonstratione sumit. In axiomatum numero est, quod effectus semper sint suis causis seu viribus productricibus proportionales & quod celeritates corporum æqualium massarum sint ut vires motrices. Lemmata tria priora cum multo coralliorum apparatu motum compositum explicant, cui omnis nova Mechanica superstruitur. Non tædet Autorem prolixitatis, cum fundamenta ædificii tam magnifici firma & inconcussa esse velit & operam dederit, ut nec tyronibus occurrat, circa quæ in principiis hæreant. Lemmata cetera pleraque geometrica sunt, quæ applicando motui composito ad potentias mechanicas in variis casibus serviunt, paucis exceptis, quæ potentias ad varios funes communi nodo junctos applicatas concernunt. In horum lemmatum numero illud etiam occurrit, quod A. 1693 in Diario Eruditorum Parisino p. 417 absque demonstratione proposuit *Leibnitius*, sed cujus demonstrationem invenit *Varignonius*. Non ignotum est Geometris, *Varignonio* in more positum fuisse, ut theorias redderet quam maxime generales. Idem quoque præsens institutum loquitur. In singulis machinis simplicibus universalitati theoriæ studet. Potentiis mechanicis vulgo receptis novam superaddit, quam *funiculariam* appellat, ubi scilicet pondus aliquod in æquilibrio suspenditur ope funium tantummodo. Et hanc primo loco considerat. Universalitatis gratia plurimos distinguit casus, in quibus ratio habetur cum multitudinis funium, quibus pondus suspenditur, tum angulorum omnium possibilium, quos inter se efficiunt. Similiter in trochleis centra nunc fixa ponit, nunc mobilia, & omnes directiones potentiarum atque ponderum applicatorum possibiles expendit, cum hactenus Autores nonnisi parallelas attenderint, quæ tamen in praxi rarissimæ sint. Jure autem

Sect. I.

2

3

tem reprehendit illos, qui, quæ de trochleis in hypothesi directi-
onum parallelarum demonstrata sunt, ad ceteros casus promiscue
omnes extendunt. Observat etiam, trochleas mobiles virium
compendium facere; fixas e contrario facilitare earundem usum,
& docet, quomodo mobiles atque fixæ combinari debeant, ut
utroque commodo simul fruamur. Neque vero omnem solum
diversitatem expendit, quæ circa trochleas simplices sese offert,
verum non minori sollicitudine eandem quoque circa polyspastos
scrutatur. Passim in hoc argumento notat lapsus Autorum, qui
ante ipsum de hoc argumento commentati sunt, etsi veritatis stu-
Sect.4. diosus modestiæ gratia nullius nomen exprimat. Axis in peritro-
chio, quamvis potentiarum mechanicarum fertilissima sit & a
Nostro universalissima ratione pertractetur, pauciores tamen ca-
5 sus suppeditat quam potentiæ ceteræ. Ab eo Autor digreditur ad
vectem, quem multiplici ratione tum quoad figuram, tum quoad
situm distinguit, ne in theoria completa quicquam desiderari pos-
sit, ita nimirum ejus universalitas rectius patet. Hypomochlio
substituit potentiam, in casu æquilibrii ceteris æqualem, ne ve-
ctem a situ hypomochlii distingui opus sit, nec a directione po-
tentiarum parallelarum progreditur ad obliquas; sed ipsas obli-
quas sumit in propositione fundamentali. Probat *Fermatii* judi-
cium, quod directio parallela, utut propter magnam a centro
terræ distantiam ad veritatem proxime accedat, veritatem inti-
mam & accuratam tamen quærentibus non satisfaciat, adeoque
generalis vectium natura in quolibet mundi loco videatur conside-
randa & adstruenda, novaque in mechanicis fundamenta e veris
& proximis principiis sint accersenda. Vulgo theorema *Archime-
deum* de æquilibrio potentiarum directionis parallelæ rationem
distantiarum reciprocam habentium primum Mechanicæ princi-
pium appellant, præter *Cartesium*, qui idem supposuit, quo No-
ster *Varronem* JCtum Genevensem in Tractatu de motu Genevæ
A. 1585 impresso p. 23 jam usum fuisse monet, tantum nimirum
esse, libram unam quatuor spatiis moveri, quantum libras quatuor
uno spatio eodem tempore.

6 Hactenus recensita præbent argumentum Tomo priori. In
posteriori primo loco occurrit planum inclinatum. Communiter
Mecha-

Mechanici non considerant nisi directiones vel longitudini, vel
basi parallelas; sed Noster theoriam extendit ad directiones quas-
cunque. Resolvit quoque superficies curvas in plana inclinata
infinite parva, quæ utrinque continuata in tangentes degenerant.
Corrigit lapsus nonnullorum Autorum circa planum inclinatum,
quamvis nomina dissimulet. In eorum numero est, quod gravi-
tatio in planum horizontale sit ad gravitationem in planum incli-
natum ut secans anguli inclinationis plani ad excessum secantis su-
pra radium. Reprehendit nonnulla in modo demonstrandi ordi-
nario ex principio vectis. Ceterum Noster præter pondera sphæ-
rica etiam alia figuræ cujuscunque considerat, ne quicquam desit
universalitati theoriæ. Plano inclinato succedit cochlea, cum Sect. 7.
communis, tum perpetua. Quamvis vero Autor huic theoriæ
omnem amplitudinem tribuit, quæ eidem convenit; multo ta-
men arctioribus limitibus coercetur, quam præcedentes, cum
tanta hic casuum varietas non offeratur. Applicat etiam principi- 8
um motus compositi, quo in præcedentibus potentiis adeo felici-
ter usus est, ad cuneum, ne quicquam in opere adeo completo
desiderari possit, etsi cuneus proprie non mereatur locum inter
machinas simplices, quibus motus solidorum facilitatur. Corri-
git lapsus *Borelli*, *Vannii* aliorumque, quorum nominibus par-
cit. Corollarium generale, quod vocat & Sect. 9 integra demon- 9
strat atque applicat, est theorema generale, quod Geometra
eminens *Joannes Bernoulli* d. 26 Jan. A. 1717 cum Autore communi-
cavit, sed absque demonstratione. Theorema hoc est: *In omni
æquilibrio virium quarumcunque, quomodocunque sibi mutuo ap-
plicatarum & juxta quascunque directiones sive mediate, sive im-
mediate in se mutuo agentes, summa energiarum affirmativarum
est æqualis summæ energiarum negativarum affirmative sumta-
rum.* Ut intelligatur theorema longe pulcherrimum, terminus
energiæ explicari debet. Sit itaque P punctum quodcunque in Sy-
stemate virium, quæ inter se æquilibrium tuentur, F una istarum
virium, quæ urget aut trahit punctum P secundum directionem
FP aut PF, Pp lineola recta, quam describit punctum P motu exi-
guo, quo tendentia FP transfertur in situm fp, quæ ipsi FP vel
exacte parallela, si motus exiguus Systematis in omnibus punctis

 fit



sit parallele lineæ rectæ positione datæ, vel prolongata cum FP efficit angulum infinite parvum, motus exiguus Systematis fit circa punctum fixum. Demittatur ex P recta PC ad fp perpendicularis: erit Cp celeritas virtualis vis F, & F. Cp illud, quod *Energia* appellatur. Quodsi punctum P vi F urgetur, vel ab eadem impellitur, erit energia affirmativa, ubi angulus FPp fuerit obtusus; negativa, ubi idem fuerit acutus. Contra si punctum P a vi F trahatur, energia negativa est in hypothesi anguli FPp obtusi; sed affirmativa in hypothesi acuti. Noster theorema non modo demonstrat ex principio motus compositi; verum etiam ad singulas potentias mechanicas, de quibus in antecedentibus sectionibus egit, applicat. Theoriam de æquilibrio fluidorum adjecit Autor, quod ipsi nonnemo objecerat principium motus compositi, quo in demonstrationibus mechanicis æquilibrii solidorum usus est, non posse applicari ad demonstrandum æquilibrium fluidorum. Reprehendit autem demonstrationem hactenus receptam, quæ ipsi parum genuina videtur.

Sect. 10.

De tribus exiguis Tractatibus, quorum argumenta in superioribus indicavimus, pauca annotasse sufficiat. Problemata mechanica, quæ ex theoriis præcedentibus solvuntur, sunt numero 24, quæ singula recensere nimis prolixum foret. Concernunt eadem æquilibrium plurium potentiarum diversimode chordis atque vecti applicatarum. Machinas absque affrictu dedit *Perraltius* in Notis ad versionem *Vitruvii* Gallicam & in Tractatu de machinis noviter inventis, de quo alibi diximus in his Actis. Machinas *Perraltianas* nuper quoque descripsit in Theatro Machinario, quod vocat, Cl. *Leupoldus*. Theoriam harum machinarum septem theorematis comprehendit Autor, quæ ex theoria sua generali mechanicæ demonstrat. Mox eadem ad integram istiusmodi machinam examinandam applicat. *Borellus* in Tractatu de motu animalium Tom. I c. 13 longa digressione facta contendit, *Stevinum*, *Herigonium* & alios plures falli in theoremate de pondere a duobus aliis juxta directiones obliquas suspenso. Defendunt

dunt nimirum, si CI sit linea directionis ponderis T & MH duca-




Fig. 2.

tur alterius potentiæ R directioni CR parallela, fore pondus T ad potentiam S ut HC ad MC &, si HN sit directioni CS parallela, idem pondus T fore ad potentiam R ut HC ad CN. Impugnat theorematis universalitem *Borellus*. Enimvero cum *Varignonius* sua methodo in theorema inquireret, veritatem ejus reperit. Necessarium itaque visum fuit, opinionem *Borelli* ad examen revocari. Examen hoc in duo capita dividit. Primo ostendit, quod theorema *Stevini* non repugnet propositioni 68 Tomi primi de motu animalium, quemadmodum ipsi videtur, sed potius necessaria consequentia inde sequatur, notatis aliquot paralogismis, quos commisit, dum sibi in aliorum ratiociniis paralogismos videre

 dere

dere visus est. Altero theorematis impugnati veritatem aliquot demonstrationibus munit, prorsus diversis ab iis, quas reprehendit Borellus. Sua etiam methodo lemmata multo generaliora demonstrat, quam sunt Borelliana, unde omnis theoria virium musculorum pendet. Etsi autem Borellum erroris redarguat, non tamen diffitetur, extraordinaria omnino esse ejus in scientiam merita.

II.

PHYSICES ELEMENTA MATHEMATICA experimentis confirmata, sive Introductio ad philosophiam Newtonianam, Autore GUILIELMO JACOBO s' GRAVESANDE, L.M. Jur. Utr. & Phil. Doctore, Regiæ Societ. Lond. Socio, Astron. & Math. in Acad. Lugd. Bat. Prof. Ordinario,

Tomus I.

Editio secunda, auctior & emendatior.

Lugduni Batavorum, apud Petrum van der Aa, 1725. 4.

Alph. 2 Tabb. æn. 47.

SUPPLEMENTUM PHYSICUM, SIVE ADdenda & corrigenda in prima editione Tomi primi libri editi Lugd. Bat. A. 1721, cui titulus: Physices elementa Mathematica &c. Autore eodem.

Alph. 1 Tabb. æn. 15.

INstitutum Cel. Autoris exposuimus in his Actis, cum prima libri utilissimi editio prodiret. Nunc igitur indicasse suffecerit, quam mutationem editio secunda subierit. Cum tyronibus præcipue scriberet Cl. Gravesandius, quibus ideam Philosophiæ Naturalis methodo mathematica pertractatæ exhibere constituerat, difficiliora omnia intacta reliquit & Geometrarum propositiones sæpius tantummodo indicavit. Enimvero ut provectioribus quoque utilis esset liber, in altera editione demonstrationes adjecit per modum scholiorum capitibus subjunctorum & peculiari charactere expressorum, ut opus quasi separatum constituant, nec lecto-

lectorem turbent. Iisdem scholiis alia quoque inserta sunt, quæ in ipso opere commode tractari non potuere. Machinas præterea, quibus ad experimentandum usus, emendavit novasque adjecit, quæ ratio fuit, cur plures tabulæ æneæ mutationem subierint. Experimenta ipsa accuratius descripsit & eventum eorum clarius exposuit. Postquam mensuram virium *Leibnitianam* suam quoque fecit, percussionis theoriam eidem superstruxit & uberius explicatam variis experimentis novis fulcivit. Quamvis autem in multis, quæ virium, percussionum, resistentiarum, retardationum corporum in fluidis motorum theorias spectant, a *Newtoniana* sententia recesserit, titulum tamen Introductionis ad philosophiam *Newtonianam* retinuit, propterea, quod multa illustret a summo Geometra tradita & pleraque ab Autore explicata ad facilius intelligenda scripta *Newtoniana* conducant, præterea ipso judice *Newtonianam* philosophiam sectari dicendus sit, qui omni ficta rejecta hypothesi tantum ex phænomenis in physicis ratiocinetur, non autem qui in verba magistri juret. Plurima præterea in ipso contextu passim fuere immutata novaque inserta. Quoniam itaque novam prorsus faciem induit altera editio, in eorum gratiam, qui primam jam possident, supplementum edidit. In hoc dedit omnium machinarum novarum descriptiones, additamenta omnia & propositiones mutatas omnes: fieri tamen haud quaquam potuit, ut eidem insereret machinarum seu instrumentorum correctiones, eaque singula, quæ in prima editione posita clarius & accuratius enuntiantur atque illustrantur. Alias enim supplementum excrevisset in molem ipsi operi tantum non æqualem, cujus nunc partem dimidiam adæquat. Altiora Cl. Autor per modum scholiorum minuto charactere impressorum adjecit, ut opus quasi peculiare constituant. Videamus, quænam sint illa, ut de utilitate operis statuere liceat.

Circa materiæ divisibilitatem in infinitum progressione geometrica decrescente $\frac{1}{2}+\frac{1}{4}+\frac{1}{8}+\frac{1}{16}$ &c. quam in infinitum continuatam unitati æqualem esse constat, probat infinitum finito contineri. Innumera circa materiæ divisibilitatem captum nostrum superantia evidentissime demonstrari, exemplo logarithmicæ spiralis evincit. Huc refert porro infinitorum inæqualitatem

tem variasque classes argumentis geometricis adstructas. Partium subtilitatem evicturus, accurato calculo definit, in deaurando filo argenteo millesimam partem pollicis in bis mille partes actu dividi. Expansionem guttæ in vitro plano una cum ascensu aquæ spontaneo in tubis capillaribus & inter vitra plana effectum attractionis vitri agnoscit & in hypothesi attractionis theoriam motus istius condens geometricam, inter alia contendit, in tubis capillaribus altitudines esse inverse ut diametros. Quod corpus unumquodque habeat centrum gravitatis, idque unicum, demonstraturus, supponit theorema nobilissimum de æquilibrio solidorum, quod scilicet gravia linea inflexi juncta æquilibrentur, si distantiæ a puncto suspensionis fuerint ponderibus reciproce proportionales. Tradit modum centrum gravitatis investigandi & algorithmum numerorum vulgarem ope libræ absolvendi. De ligno findendo theoriam geometricam condens, machinam rejicit ad demonstrandum vim cunei in priore editione adhibitam. Motum in cycloide modumque determinandi centrum oscillationis explicans, varias cycloidis proprietates, quodque cyclois inversa sit linea celerrimi descensus, demonstrat. Præmissis generalibus de viribus centralibus, easdem in specie in circulo atque ellipsi & in orbita agitata cum in genere, tum in ellipsi agitata in specie expendit, addita computatione motuum apsidum in curvis a circulo parum differentibus. Regulas conflictus corporum una cum regulis percussionis corporum lineis rigidis inter se cohærentium & circa centra agitatorum algebraice demonstrat. Experimentum corporum in lancem aut brachium libræ impingentium examinans, bilancem describit, qua altitudines conferre licet, a quibus corpus cadens pondera paululum elevat. Regulam determinandi centrum oscillationis & percussionis ex doctrina virium deducit. Geometricam contexit demonstrationem, quod in congressu corporum elasticorum summa virium ante & post ictum eadem sit, remoto dubio, quod circa mutuam corporum elasticorum actionem suboriri poterat, additaque paradoxi explicatione, cur fabri argentarii, in domus parte superiori habitantes, incudem pulvino superimponant, ut ea ictibus mallei magis resistat domusque minus tremat. Agit quoque de æqualitate summæ virium

ante

ante & post conflictum trium corporum atque de motu centri gravitatis. Tabulam computare docet, quæ tempus exhibet, in quo pes cylindricus aquæ effluit, data ejus altitudine. In rationem resistentiæ cylindri recti ad conum rectum in eodem fluido, itemque cylindri recti atque globi, nec non in retardationes corporum in fluidis motorum, prolixe inquirit, demonstratis ea fini Logarithmicæ nonnullis proprietatibus: ubi una corporum in fluidis in altum projectorum atque in iisdem cadentium rationem habet. Tandem de motu undulatorio & soni intensitate agit.

R. P. *BERNARDI PEZII, BENEDICTINI & Bibliothecarii Mellicensis, Bibliotheca Ascetica antiquo-nova.*

Tomus VII & VIII.

Ratisbonæ, sumtibus J. C. Peezii, 1725, 8.
Alph. 3 pl. 11.

AEquum est, recensioni superiorum Tomorum subjungere etiam horum contemplationem, quorum Editor doctissimus strenue pergit in *Bibliotheca* sua *Ascetica*. Tomi igitur septimi primum locum occupat Excellentissimi *Passionei* Sermo tertius *de Regularis Præsidis electione*. Hinc *Eckeberti*, Abbatis Seculo XII Schonaugiensis, cujus *liber adversus hæreses* inserui meruit Bibliothecæ Patrum, sequuntur tres libri, primus *de laude crucis*, alter inscriptus *Soliloquium*, tertius *Stimulus amoris*: quem quidem ultimum, inter opera S. Bernardi editum, ab *Eckeberto* illo compositum fuisse, nunc primum discimus a Cl. Pezio. Hinc occurrit *S. Bernardi* meditatio in hymnum: *Jesu nostra redemtio*: quanquam facile apparet, non satis certe opusculum hoc ad Bernardum autorem referri. Sequitur *Engelberti*, Abbatis Admontensis, *Tractatus de passione Domini*; *Joannis Institoris*, Cartusiani Sec. XV, *Breviloquium animi religiosi reformativum*, ejusdemque liber *de mala ira evitanda*; *Jacobi de Paradiso*, Sæculi XV Cartusiani, liber *de causis multarum passionum, præcipue iracundiæ, & remediis earundem*; *Bernardi de Waging*, qui eodem Sæculo Prior fuit Tegernseensis, *Remediarius pusillanimium & scrupulosorum.*

losorum. De vita scriptisque horum autorum Rev. Editor exponit in Præfatione, & copiosissime quidem de *Bernardo de Waging*, cui & illud opus vindicat, quod Tomo quinto ediderat sub nomine *Antonii Volmari*. Hic enim *Volmarus* stylum duntaxat *Bernardi* emendavit, paucis quibusdam & additis & refectis. Ipsa illa scripta nunc non perlustramus, facile illis carituri, nisi jucundum esset, inde cognoscere statum literarium superioris ævi. Libenter vero properamus ad *Tomum octavum*, quo exhibentur nobis undeviginti opuscula historica, de quorum autoribus Editor more suo, id est, doctissime disserit in Præfatione. Ac primo quidem loco deprehendimus *Catharinæ de Gebweiler*, Priorissæ Or-
p. 1-399. dinis S. Dominici, librum *de vitis primarum sororum monasterii*
400 452 *sui*, quod Colmariæ est in Alsatia. Accedit appendix de aliis ejus cœnobii sororibus. Si quis legendis miraculis & visionibus, itemque austerissimæ sanctitatis exemplis delectatur, ei lectio hujus operis jucundissima sit, necesse est. Nos inter tot sorores sanctas nullam offendimus, quæ cum *Catharina* illa doctis mulieribus adscribi posset socia: nisi quod p. 412 una memoratur ἀνωνύμως. Sequitur *Irimberti*, Abbatis Admontensis, *Narratio de incendio*
453 *monasterii sui, ac de vita & moribus virginum sanctimonialium Admontensium*: *Joannis de Ellenbogen*, Abbatis Waldsassensis,
465 liber *de vita monachorum monasterii sui*, miraculis plenus & visionibus: *Anonymi Sublacensis* liber *de modo vivendi cœnobitarum mo-*
491 *nasterii sui*: *Martini de Senging Tuitiones observantiæ regulæ S. Benedicti, oblatæ Patribus generalis Concilii Basileensis*: Ejusdem
503 *Epistola de statu monasterii Bursfeldensis*: Joannis Capistrani *Epi-*
550 562 *stola ad Universitatem Wiennensem*, qua exponit felices Catholicæ fidei progressus in Moravia, & Universitatem illam rogat, ut aliquot doctos viros ad se mittat, qui publicæ suæ cum Rockizano Hussita concertationi intersint: Ejusdem *Epistola de publicis & pro-*
567 *miscuis balneis religiosorum*: Udalrici de Weilhaim *Epistola de*
574 *tribulationibus & procellis monasterii sui ob sanctioris disciplinæ introductionem*: Leonardi *Epistola de obitu Abbatis Mellicensis,*
578 *Nicolai de Mazen*: Joannis de Welming Epistolæ *de restituenda*
581 *in ordine S. Benedicti monastica disciplina & procuranda rituum ac observantiarum conformitate*. Sequuntur plures breviores

Epi-

Epiſtolæ, quas prætcrimus, majori jure memorantes *Vitam Joannis de Weilhaim*, Prioris Mellicenſis Sæculo XV, ex qua intelligimus, eum ſcripſiſſe libros quamplurimos: Johannis, Epiſcopi Eyſtetenſis, *Hiſtoriam reformationis monaſterii S. Walpurgæ*: Anonymi Carmen rhythmicum *de miſeriis ordinis monaſtici*, e quo hoſce verſus ſpeciminis gratia producimus:

Olim, dum ſimplicitas Ordinis vigebat,
Nos laudabant homines, nullus nos lædebat,
Collectas ab Ordine nemo requirebat,
Sed Ordo pacifice Deo ſerviebat.
Nunc videntes homines grandes apparatus,
Equos, & ſammarios, ſplendidos ornatus,
Dicunt: Niſi locuples eſſet horum ſtatus,
Non valerent ducere tales equitatus.

JO. LAUR. MOSHEMII, TH. D. ET P. P. O. *Cogitationum in Novi Teſtamenti locos ſelectiores* *Liber primus.*

Hannoveræ, apud Nic. Fœrſter. & fil. 1726, 8.
Plag. 17.

CEl. Autor hactenus varias propoſuit diſputationes Academicas, in quibus dicta quædam N. T. curatius paullo excutere voluit. Harum quædam jam in forma tractatus comparent; quibus S. R. Autor modeſtam præmiſit præfationem, in qua ingenue fatetur, quod nec omnia hic dicta pro novis nec pro plane expeditis & apodicticis venditet, & diſſentientes æquo velit ferre animo. Decem autem omnino capitibus primum hunc cogitationum ſuarum librum abſolvit. Primum in parabolam de operariis in vinea *Matth.* XX 1 ſqq. inquirit, per operarios in vinea primos cœtus Chriſtiani doctores, per denarium autem præmium terreſtre intelligit, nempe tum extraordinariam Spiritus S. virtutem, quæ in eorum erat mentibus, imprimis poteſtatem miracula faciendi, tum inſignem laborum ſuorum fructum, quem quotidie in populis ad Chriſtum adducendis capiebant; & præter hæc nil in ipſis fuiſſe, quod præmii indolem referat, judicat. Ad hanc

expositionem firmandam, præsupponit, quod in parabolis non omnes circumstantiæ nimis sint premendæ, sed ex scopo omnia dijudicanda, quem h. l. ex antecedentibus merito repetit. Quod vero non alii, quam primi doctores Christianismi intelligi debe-
p. 9 sq. ant, Cel. Vir probare nititur, quoniam hi soli tum temporis ædes & suos libere deseruerint, cum reliqui Christiani domi suæ manere quiverint, illi vero, quos tyranni ejecerunt, non libere
19 sq. sua deseruerint. Per diversas horas quid intelligat, non tacet, & quidem hora prima conducti Cl. Viro sunt duodecim Apostoli ab ipso Christo vocati, ultimis vero horis vocati, Paulus & Apostolorum successores in Ecclesia plantanda. Nec jure tradit potuisse primo vocatos succensere Christo, quod sibi non majorem mercedem & donorum mensuram dederit, quam ultimis. Tandem & dubia removet, quæ ipsimet suam videbantur sententiam premere. Inter quæ principem ipsi locum tenere illud videtur,
51. quod hoc præmium in vespera demum distribuatur. Et de hoc profitetur: „ Quod ad vesperam attinet, cujus mentio hic sit, „ quomodocunque interpretemur illam, in difficultates non te- „ mere solvendas incidemus. „ Ad objectionem vero, quod primo vocati adeo temerarii haud fuerint, regerit, ex Gal. II, 6 & aliis locis contrarium patere. Secundum caput Joh. IV, 48 exponit, quod
47. Judæi reprehendantur, quia ipsis suis oculis miracula videre & fidis aliorum relationibus minime stare voluerint. Tertio capite
70. *Matth. V, 3* pauperes spiritu de illis exponit, qui opes spernunt, nec earum, si desint, desiderio excruciantur, aut si adsint, amore studioque ægrotant. Capitis quarti summa eo redit, ut Act. XVII, 23 Deum ignotum ipsum supremum numen probet, quod gen-
88. sq. tiles etiam ignotum dixisse, e Socrate, Platone, Statio & aliis comprobat. Quod amor *Joh. XIII, 34* novum audiat præceptum ob novam normam, exemplum Christi, jam additam, rejectis
91 sq. aliorum expositionibus, capite quinto it probatum. Sexto autem capite de vera natura communionis bonorum inter primos Chri-
119 sq. stianos differit, & communem expositionem non probans, suam addit conjecturam, nihil aliud hanc Christianorum communionem notare, quam quod adeo liberales fuerint, ut, fratribus egentibus paratos se exhibuerint sua cum ipsis bona communicare.

nicare; quam ſententiam S. R. Autor etiam contra objectiones tuetur. Cap. ſeptimo prolixius, quam ſolet, 2 Cor. IV, 3-10 exponit, & maxime in eo deſudat, ut evincat, morte Chriſti deſignari, varias calamitates ob Chriſtum perferendas, unde Paulus colligat, Chriſtum a mortuis reſurrexiſſe, propter quem non vereantur diriſſima ſubire tormenta. Octavo capite 2 Tim. IV, 17 interpretatur brevius, negando, quod leo, ex cujus ore Paulus ſe liberatum dicit, ſit Nero, aut ejus legatus Helius Cæſareanus. Et licet non neget, commodius leonem dici poſſe hoſtem Pauli, fabrum Alexandrum, aut in ſenſu proverbiali hæc ſumi poſſe: proprie tamen hæc exponere jure meritoque mavult, quod Apoſtolus, condemnatus, ut leoni objiciatur, interceſſione amicorum (*Phil IV, 22*) in aula Cæſaris abſolutus fuerit. Quod ἀγαθὸς Rom. V, 7 denotet virum amicum vel beneficum, capite nono probatum dedit. Et tandem decimo capite docet, Matth. IV, 8 diabolum Chriſto in monte templi oſtendiſſe tractum illum Palæſtinæ, qui Procuratori Romano parebat. Hinc mundus ipſi eſt Palæſtina, omnia regna vero ſunt unum Regnum, uti Joh. VI, 45 omnes Prophetas pro uno Eſaia poni putat; non attendens, quod ibi ſignum univerſale non occurrat. Interim, ſi cui hæc τὸ πάντες exponendi ratio minus placet, concedit, regna aliquot, Judæam, Samariam & Idumæam, quæ Romanis ſuberant, intelligi poſſe. Ut vero liber ſecundus in Eccleſiæ commodum feliciter ſuccedat, S. R. Autori divinam apprecamur gratiam.

אבטחים

Sive

MELONES ÆGYPTII, AB ISRAELITIS deſiderati Num. XI, 5, quinam & quales fuerint, brevi διασκέψει oſtendere conatur OLAVUS CELSIUS. D. T. & L. O. P. in A. U.

Lugduni Bat. apud Conr. Wishoff, 1726, 8.
Plag. dimid 4.

CL. Dn. Autor, qui inter alia ingenii monumenta, jam anno 1714 R. Majemonidis tr. Kilaim in Lat. vertit, & publicis

dispp. in Acad. Upsaliensi, ubi Gr. L. tum Professor, defendit, jam quoque Professionem LL.OO egregio hoc specimine ornat, & has linguas sibi haud peregrinas esse, exteris pariter abunde probat. Et quidem *Abatti. him*, quo nomine deliciæ Israelitarum appellantur, merito inter præstantissimos Ægypti fructus refert. Gratus etiam commemorat, se quondam in Glossario MSC. Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis legisse, quod אבטחים Gallice exponantur per ליש בוזקליש, quod *les bosacles* legit, & *blase* ita *les bodeques* pronunciatum esse, autumat, sequentia autem verba דאיג לור לינגא ut obscura, non exponit. Cl. Autor Abbattichim ab Ebræo בטח deducit, non quod melones a salubritate & securitate comedendi ita dici queant, quod Ursino placuit, cum & Orientales Medici negent, melones plane salubres esse; nec ex Arab. بطح *humi stratum esse*, derivare vult; sed ingenue fatetur, se ignorare verum hujus vocis etymon. Subnectit differentiam melonum & melopeponum, &, quia بطيخ *batich* orientalibus commune est melonum nomen, ipse pro Ægyptiis decernit, quos optimos fuisse & varii generis, annotat, & inter præstantissimos Ægypti melones eos refert, qui Abdellavi, item qui Chiar, & qui melones Indici dicuntur, quos ultimos a Persis churbuse Hindi, ab Arabibus batich Alechder, melones etiam Raccenses, & Europæis melones aquaticos vocari, docet: & hac occasione observat, quod Persicum charbuse & Turcicum karbuz conveniat cum Germanorum Kürbs & Suecorum kurbis. Tandem colligit, per melones hos Ægypti, quos Israelitæ desiderarunt, non solum melones Ægypti reliquos, sed etiam simul aquaticos intelligi debere, quia hi maxime reficere poterant populum sub gravi onere sudantem & mox in deserto sitibundum, immo quia, nisi hos connumeres, credibile non sit, quotannis Ægyptum tantum melonum produxisse, quantum & indigenis & tot peregrinorum millibus satiandis sufficeret.

DE THERMIS VALDERIANIS DISSERtationes duæ, Auctore JOHANNE FANTONO,

Regii

Regii Principis Pedemontii Medico ordinario & in Taurinensi Universitate Practicæ Medicinæ Professore.

Genevæ, apud Marc. Mich. Bousquet & Socios, 1725, 8. Plag. 6.

THermæ Valderianæ sex milliaribus a pago Valderiensi in tractu montano Provinciæ Cuneensis Pedemontii sitæ scaturiunt, & inde nomen sortitæ sunt; vetustissimis temporibus ignotæ, patrum vero nostrorum ævo frequentatæ & ad potum, balneum, sudationem & stillicidium adhibitæ ac inter alias thermas a Viotto, Barisano, aliisque commemoratæ fuerunt. Fama potissimum earum apud omnes gentes percrebuit, ex quo VICTORIS AMADEI Regis Augustissima Mater propter infirmam valetudinem ad eas se contulit, non sine maximo sanitatis emolumento. Publico igitur consulturum se confisus Autor, factis variis experimentis, observationes suas collegit & ad Johannem Mariam Lancisium, CLEMENTIS XI Pont. Max. Archiatrum, jam e vivis ereptum, per literas quondam transmisit, nuncque publici juris fecit. Conspiciuntur itaque hic binæ Dissertationes, in quarum I de Thermis Valderianis, in II de reliquis fontibus Valderii agit. In *priori* refert, thermas Valderienses, ex præruptæ rupis clivo scaturientes, vel superiores vel inferiores esse; ex illis binas ad potum & balneum adhiberi, sed adeo calidas & quasi urentes existere, ut eas immersi digiti ferre vix queant, & qui bibunt, paululum hærere soleant, antequam calicem labris admoveant, has vero mox epotas nullam afferre molestiam: singulas perspicuas maxime esse levioresque aqua torrentis, in quem proxime confluunt, nonnihil tamen sulphurei redolere, & unctuosi quid digitis imprimere; alia etiam quædam pinguia corpora, vulgo muffas dicta, in vicinia fontium & eorum defluxu ipsisque saxis inhærentia observari. Præter sulphur adesse quoque inculcat sal alcalicum, nitro antiquorum simile, & sedimentum in lagenis terrestre & salsum deponi. Sicque didicit, in aquæ unciis decem salis vix grana duo, terræ grana tria contineri. Utiles judicat has aquas non solum curandis morbis, quibus in universum omnes

adhibentur thermæ, sed propter modicum sulphur, quod vehunt, & minimam salis quantitatem, longe aliis quibusvis etiam præcellere ac tutius usurpari, sive puræ sive addito stimulante aliquo pharmaco, quod modo alvum aperiat, modo urinæ secretionem promoveat, in usum vocentur. Mussas commemoratas luti, quo hæ aquæ destituuntur, vices supplere addit, & eo tutius quidem, quo pauciore sulphure & sale sint refertæ, minorique calore polleant. In *Dissertatione posteriori* alios commemorat Valderii fontes, ut vitriolatum dictum, qui tamen parum vel nihil de marte participat, & alterum exiguum, citra torrentem scaturientes, in parte aversa rupis tres alios parvo intervallo a se invicem distantes; ut S. Luciæ, binosque alios, omnes calidos; imo quamplurimos etiam frigidos fontes in iisdem rupibus, e quibus thermales profiliunt, scaturire perhibet, ac existimat, æque facile thermas absumta omni materia, qua ignis subterraneus fovetur, primum in tepidas, mox in frigidas aquas, ac gelidos fontes in thermas, nova affluente materia, mutari posse.

Expedirter und bewährter Medicus.

i. e.

D. DAVID FRIEDELII PROMTUS *& expertus Medicus.*

Lipsiæ & Rostochii, apud Georg. Ludov. Fritsch, 1726, 4.
Alph. 8 pl. 7.

IN conspectum hic prodit Praxis Medica, in III Volumina congesta, quæ alia tria mox excipient, omnes complectens morbos atque symptomata, quæ tam interna viscera cruciant, quam externe corporis superficiem lambunt, ita ut in I Morbi interni, in II Mulierum, in III Infantum tam interni quam externi in peculiaribus libris & capitibus exhibeantur. In quibus explicandis ita se gerit Autor, ut præmissa brevissima cujuscunque morbi descriptione & insinuata methodo medendi, ingentem suppeditet formularum farraginem, ex illis potissimum Autoribus desumtorum, qui medicamentorum εὐπορίστων thesauros consarcinarunt; ubi vero proprias adducit observationes, arcana ubique sua crepet. Et quan-

quanquam parum mereantur gratiæ apud Medicos genuinos, qui idiomate Germanico ejusmodi Praxes luci publicæ exponunt, varisque formularum generibus locupletant, quod eo ipso occasio præbeatur empiricis, mulieribus, aliisque imperitis Pseudo-Medicis, illotas manus Sacris Apollineis ingerendi; hanc tamen noxam præcavisse se putat Autor, quod formulas eo ordine non apposuit, quo juxta sanam medendi methodum exhibere decet, quasque seligere, non nisi periti Medici est. Et verum si fateri licet, actum esset e. g. cum dysentericis ægris, si medicamenta assumerent eo ordine, prout in Part. I Lib. XI cap. 4. in quo ultra quinquaginta formulæ & evporista medicamenta commendantur, conscripta leguntur, siquidem abstergentia & adstringentia usque adeo sunt dispersa, ut summo judicio opus sit, ea a se invicem discernere. Specimen exhibendi labore merito supersedere possumus.


EX PRÆNOBILISSIMI SAMUELIS KOLESERI de KERES-EER Litteris excerpta, de his quæ Cl. T. S. BAYERUS in Epistola, Actor. Er. Suppl. T. IX Sectioni I p. 20 inserta, de Alphabeto Tangutano, ab ipso communicato, monuit.

Literaturæ Tangutanæ censor vel defensor esse non possum, hoc tamen bona fide asserere, omnia ex Autographo rite descripta esse, optandumque foret, qui curiosis Itinerariis delectantur, ut integrum MStum luci datum, cum & recens sit, cum aliis illarum partium notitiis conferre possent. Qui illud scripto commisit, & autopta fuit, & interpretem plurimarum linguarum penes se habuit, nec in relationibus suis dubia aut falsa per ignorantiam posuisse censendus est. Reprehendi video, quæ de compactione librorum MStum memorat: at ex reliquiis Scythicis adhuc hodie apud plebejos mos iste superest, & qui e captivitate Tartarorum redeunt, inter asserculos literas, ut vocant, salvi conductus, & quæ præter has documenta vel memorabilia scripta habent, conservare studiose assolent. Quoad scribendi modum, exemplum prostat in MSto, & quantam notitiam consequi potui, qui propiores Chinensibus, eorundem etiam scribendi modum observant.

Expungit


Expungit lit. ö & ü, quibus tamen nil frequentius apud Tartaros & reliquos Orientales: apud Hungaros maxime antiquos frequentissimæ, adeo ut quæ hodie per e pronuntiantur, ipsis fuerit ö. Numeros numerorumque figuras nuper, prout recordor, non addideram, nunc itaque sequuntur una cum idiotismo Hungarico adjacente.

Numeri Mogolico-Tangutani.



1	Cansichan.	Egy.
2	Choir.	Kettö.
3	Torebun.	Három.
4	Gorebun.	Négy.
5	Tabun.	öt.
6	Tsurgan.	Hat.
7	Dolo.	Hét.
8	Najeman.	Nyoltz.
9	Jesun.	Kilentz.
10	Arban.	Tiz.
11	Arban Cansichan.	Tizenégy.
12	Arban Choir.	Tizenkettö.
13	Arban Torebun.	Tizenhárom.
14	Arban Gorebun.	Tizennégy.
15	Arban Tabun.	Tizenöt.

16. Ar-



16	Arban Tſurgan.	Tizenhat.
17	Arban Dolo.	Tizenhét.
18	Arban Najeman.	Tizennyoltz.
19	Arban Jeſun.	Tizenhilentz.
20	Cori.	Huſz.
30	Otſchin.	Harmintz.
40	Dotſchin.	Negyven.
50	Tabin.	ötven.
60	Sojtſcheran.	Hatvan.
70	Dolon.	Hetven.
80	Najgan.	Nyoltzvan.
90	Jeren.	Kilentzven.
100	Soun.	Száz.

VOYAGES DE JEAN OVINGTON.

i. e.

RELATIO ITINERUM, A JOANNE OVINGTONO *Suratam & in alia Aſiæ Africæque loca factorum: ex Anglico in Gallicum ſermonem verſa.*

Tomi II.

Pariſiis, apud Wilhelmum Cavelier, 1725, 8.

Alphab. 2 plag. 9.

AUtor hujus Itinerarii eſt *Johannes Ovington*, qui Miniſtri Eccleſiæ reformatæ Anglicæ munus in ipſa India Suratæ obiit. Cujus librum Anglico ſermone conſcriptum jam pridem proſtare,

ſed non admodum exteris vel cognitum vel æſtimatum, refert Interpres, cauſam conjiciens in dictionem ejus paulo perplexam & ampullis verborum tumidam, quibus tamen malis verſione ſua medicinam ſe attuliſſe ait,adeoque lectionem libri & jucundam & utilem futuram, ſperat.De cetero commendatur ob diligentiam & judicium in exquirendis rebus, quas narrat, adhibitum.

Navem conſcendit Autor *Graveſindæ* April. 11 A.1689.In itinere *Maderam* adiit, cujus primariam urbem non *Funchal* ſed *Fonchal* vel *Fonxal* dicendam, notat. Fertilitatem inſulæ hodie minorem notat, quippe non amplius 60 ſed 35 vicibus proventum frugum reddentem. Quatuor vini genera producit, inter quæ optimum Alonenſi bonitate inferius exiſtit,hoc vero peculiare habet,quod Solis radiis expoſitum redditur melius. De piſce *Albicore*, ex rapacium genere, obſervat, eum navem, maxima celeritate vectam, utpote ſingulis diebus 30 milliaria Germanica abſolventem, per integram ſeptimanam ſpe prædæ ſecutum; ex quo colligit, piſces ſomnum non capere. Inſulam *Anniboni* ait omnibus neceſſariis abundantem, incolis quoque Chriſtianis Catholicæ religionis inſtructam, ſed Clericis deſtitutam, quia & auro careat. *Malembæ* regni incolæ in littoribus Congi circumciſionem obſervant, quam adminiſtrat homo quidam ad id deſtinatus. Singulis quinque diebus cultus divini cauſa convenitur, qui adhortationibus ad virtutem omnis abſolvitur; mali terrentur ſocietate *Benimbe* ſive diaboli, boni animantur ſpe convictus cum *Zampoango*, quo poſt hanc vitam ſint fruituri. Per hunc vero intelligunt eum, qui in Solem & ſtellas poteſtatem habet. Inſulæ *Madagaſcar* ſinus, qui *S. Auguſtini* vocatur, piratis Anglicis & Batavis ſæpius receptaculi loco eſt. Angli plerumque ad *S. Joannæ*, quæ eſt ex inſulis *Comore*, appellunt, mire fertilem; incolarum mores ſatis ſimplices; bellum inter eos tam parum cruentum, ut armorum loco ſint non niſi ſaxa. Tria genera nominum ſunt in India Mogolica, *Mogoles*, qui admodum abuſive *Mauri* vocantur, *Baniani* ſive gentiles veteres, & *Parſis* vel *Gauri*. *Mogoles* dominantur,ſed linguam eorum non admiſerunt veteres incolæ; *Baniani* injurias patiuntur potius, quam inferunt; divitias ſuas ſollicite occultant, & pecuniam in majoribus negotiis noctu tantum nume-

numerant vel accipiunt. Mancipiorum enim fere loco habentur & omnia acquirunt Regi; quemadmodum in *Tonquinensi* regno opifices tribus mensibus pro Rege, duobus pro Mandarinis vel magnatibus, reliquis pro se & familia laborare coguntur. *Gauros* denique ex Persia, Saracenos fugiendo, huc delatos, *Ignem* colere superstitiose, mirisque ceremoniis uti, Noster docet. Singulare, quod plane nemini præter Principem permissum faciei vel corporis a Sole tegendi causa gestamen, quod *Parasol* vocant, portare. Indi opifices mira ingenii sagacitate & variis operibus excellere dicuntur; omnes calculos suos absque scriptura, solo ingenio absolvunt; miri quoque sunt imitatores mercium Europæarum manu factarum, etiam vestium Europæarum, superstitiosi tamen, ita ut sartores veterem vestem reficiendam matutino tempore non sumant, mali ominis causa. De *Siamensibus* data occasione refertur, maximam eos in sermone civilitatem, quam vocamus, erga fœminas exhibere: & cum lingua eorum distinctione generis fœminini & masculini careat, inde, cum formandum est fœmininum, masculino appellativo adjungere eos vocem *juvenis*, atque adeo e. gr. pro *imperatrice* dicere: *juvenis Imperator*. Ceterum in ministerium Regis allecti, magnates præcipue, castrari solent, ut scilicet hæreditas eorum ad Regem eo certius perveniat. Sex integris annis pestem Suratæ durasse, quamvis interruptam, maxime vero circa tempus pluviale sævientem, refertur, quæ singulis diebus homines circiter 300 rapuerit, nullum autem, quod mirum, Anglum corripuerit. Sævior fuit in urbe *Balsam*, adeo ut A. 1691 spatio 18 dierum ducenta millia hominum exstinxerit. Ceterum de India, ipsaque Surata, relationes extant alibi non paucæ. Curiosiora sunt, quæ Autor de urbe *Mascatensi* in Arabia felici observat. Ambitum habet fere 3 milliar. Anglicorum, muris cincta, cum 5 vel 6 castellis, tormentis instructis. Dactylorum ingens proventus, sed in vallibus cultorum, superiora enim loca nuda & sole adusta. Animalium cibus sunt pisces semipetrefacti. Vino religiosius abstinent incolæ, quam reliqui Muhammedani, unde & sibi genuinorum Muhammedi discipulorum & Arabum rigidorum titulo placent. Patribus & heris in liberos & servos jus castigationis nullum, cum omnia subsint arbitrio judicis. Erga ex-

teros humanissimi existunt, naufragos imprimis. Prætermittimus plurium Arabiæ urbium, ac portuum mari imprimis rubro adjacentium descriptionem; illud notamus, ostendi a Græcis Turcisque locum, ubi transiisse per illud mare Israelitas credunt, 40 vel 50 mill. ab extremo maris distantem. Latitudo maris ibi 15 mill. profunditas in medio 35 orgyarum nauticarum: littora ex parte Ægypti admodum edita, (unde & *montes Pharaonis* dicuntur) præterquam eo loco, quo transitum factum fuisse affirmant, ubi modica declivitate versus mare procurrunt, quæ in mare ipsum ad 8 vel 9 milliaria continuatur. Ad extremum maris celebratur urbs *Suez*, quam Ovingtonius pro *Suasa* Plinii habet, dictamque credit a *Sua* filio *Abraami* & *Cetturæ*. De præfectis provinciarum Aracanensis regni, quarum undecim existunt, Noster observat, singulis titulum Regis & coronam, insigne regium, supremum Regem Aracanensem concedere. Incolæ regni ejusdem mores, victum, appetitum habent plane singularem: feles, mures, serpentes, avidissime comedunt. Idololatræ sunt omnium pertinacissimi. Nec minus corrupti *Peguani*. Matrimoniorum apud illos nulla religio; Diabolum maxime, & metuunt & colunt, autorem quippe mundi duplicem bonum & malum venerantes. Esse tamen ex eorum gente sacrificulos quosdam, *Telapoins* dictos, memorat, qui errores hos ex animis eorum evellere studeant, sed frustra. Alias absurdas opiniones de æterna successione mundorum increatorum, numero Deorum, summa animarum felicitate, quæ ipsis in annihilatione fingitur, consulto prætermittimus.

INSCRIPTIONUM SINGULARIUM MAXImam partem novissimarum Fasciculus, quas junctim edidit JOACH. CHRISTOPH. NEMEIZ, Ser. Waldeccæ Principi a Consiliis aulicis.

Lipsiæ (apud Jo. Frid. Gleditschii B. Fil.) 1726, 8.
Alph. 1.

CUm ante quadriennium Italiam peragraret Cl. Autor, styli lapidaris, quo ipse non parum excellit, ductus amore, inscriptiones, quas ingenio suo accommodatissimas censuit, quæque

que vel factum aliquod memorabile in se continent, vel Personæ cujusdam illustris mentionem faciunt, vel etiam styli nitore dictionisque acumine se commendant, diligenter annotavit, recentiores imprimis, Grutero, Reinesio, Sponio aliisque vel nondum visas, vel prætermissas. Miratur vero imprimis, alium in Venetis & Patavinis, in Neapolitanis, Romanis, Florentinis & Mediolanensibus iterum alium deprehendi scribendi modum, singulasque suas habere Veneres, solo natali proprias. Et eodem quidem ordine, quo se Nostro obtulerunt in itinere, eas exhibet, sacras tantum, eas scilicet, quas in templis & locis sacris positas offendit, etsi res sacras non omnes contineant, & profanas a se invicem discernens. Quantum vero ex his ipsis non civilis modo omnis, verum & literaria imprimis historia illustrari possit, nemo non intelligit, cum de vita, diebusque natalibus & emortualibus eruditorum in Italia virorum, de quibus ad nos pauca afferuntur, testes haud dubie certissimi sint lapides. Addidit Autor in fine inscriptiones aliquas suopte Marte de rebus Suecicis compositas, quæ legi utique merentur.

NOVA LITTERARIA.

DEdit hoc ipso mense ad Cl. *Jo. Burch. Menckenium* nostrum Epistolam, quinque in fol. plagulis impressam, Vir Cl. *Johannes Georgius Estor*, Juris in Acad. Giessensi Prof. qua simul eruditis nuntiat, se una cum Celeb. *Jo. Hermanno Schminckio*, Hist. in Academia Marburg. Prof. Publ. & Cl. *Ayrmanno*, Prof. Hist. Giessensi, Collega suo, Historiam Hassiacam, partitis inter Socios operis, jussu & auctoritate Celsess. Hassiæ utriusque Principum X Libris conscribere instituisse. Cujus Historiæ en conspectum, e consilio Cl. Schminckii: Lib. I *de Hassia Antiqua*. C. 1 de Cattorum origine & nomine. C. 2 de sedibus illorum ad tempora usque exorti nominis Francici. C. 3 de variis populis, Batavis nimirum, Mattiacis, ceteris, qui ex hac gente prodierunt. C. 4 de fluviis, fontibus, silvis, montibus, reliquis. C. 4 de rebus gestis domi & foris, ubi de bellis cum Romanis vicinisque. C. 7 de Cattis sub Cisrhenanis Francis. C. 7 de Cattis sub Thuringorum regno, ubi illius origo, divisio & interitus. C. 8 de Cattis sub Francis Transrhenanis Merovingicis. C. 9 de corporis & ingenii dotibus illorum, ubi præcipui eorum mores ac consuetudines recensentur.

C. 10 de forma regiminis, ubi de ipsorum Regibus, judiciis, reliquis. C. 11 de religione veterum Cattorum. C. 12 de variis populis, qui Hassiæ fines incoluerunt, posteaquam Franci Rhenum trajecerant. Lib. II *de Hassia Media*. C. 1 de Hassorum nomine & origine. C. 2 de Hassorum sedibus & limitibus. C. 3 de statu Hassiæ sub Carolingorum Regibus. C. 4 de statu Hassiæ sub Ducibus, Marchionibus, & Comitibus Franciæ orientalis; ubi genealogia eorum, fata, res gestæ, quantum, ob monimentorum hujus ævi defectum, fieri potest, & ad Hassiam facit. C. 5 de statu Hassiæ sub Thuringiæ Landgraviis in genere. C. 6 de variis pagis eorumque Comitibus in Hassia. C. 7 de religione Hassorum, ubi in originem Christianismi hisce in oris inquiritur. Lib. III *de Hassia hodierna*. C. 1 de Hassiæ Landgraviatu in genere, ubi de ejus separatione a Thuringia agitur. C. 2 de variis Hassiæ incrementis, accessione variorum Comitatuum, dynastiarum, præfecturarum, urbium, reliquorum, in genere. C. 3 de Landgraviatu Hassiæ in specie, ubi ejus urbes, præfecturæ, monasteria enarrantur, nec non ea, quæ de his notatu digna ex medio & recentiori ævo conservata sunt. C. 4 de Comitatu Ziegenhaynensi, ubi de Comitibus ejus, deque jure advocatiæ in monasterio Fuldensi agitur. Præterea hic enumerantur præfecturæ, urbes, monasteria, naturæ miranda, aliaque memoratu digna: item qua ratione ad Hassiæ Landgravios pervenerit, quidque in contrarium molitus fuerit Fridericus III Imperator, qui hunc æque ac Niddanum Comitatum, ut feuda caduca, imperio vindicare conabatur. C. 5 de Comitatu Niddano, de quo differetur, uti de Comitatu Ziegenhaynensi. C. 6 de Comitatu Cattimelibocensi, uti supra, nec non de consiliis Friderici III Imperatoris, qui cum Imperio hunc Comitatum consolidare allaboravit, item de litteris, quas vocant, exspectativis Georgio Podiebrazky in hunc Comitatum concessis, denique de litibus variis ac diuturnis, quæ ratione successionis Hassos inter & Nassovios intercesserunt. C. 7 de Comitatu Deciæ, uti supra. C. 8 de Principatu Hersfeldensi, ubi origo, fata, incrementa & decrementa hujus Abbatiæ investigantur, Abbates ac monachi celebres enarrantur, qui vel Episcopatum, vel Abbatiam, vel præposituram aliorum cœnobiorum consequuti fuerunt. Quibus adjici-

jiciuntur urbes, monasteria, præposituræ, cetera. Tandem de variis pactis Abbatum cum Hassiæ Landgraviis tractatur, quaque ratione & jure ad Hassos pervenerit, ostenditur. C. 9 de Comitatu Schaumburgensi, ut supra. C.10 de variis Comitatibus Hassiæ, qui olim floruerunt, nunc vero solo nomine vix cogniti sunt, e. g. de Comitatu ad Vierram, Reichenbachiano, Wetterano, Battenbergensi, ceteris. C. 15 de variis dynastiis Hassiæ Landgraviatui adnexis, quales sunt: Schartenberg, Schœnenberg, Plesse, Franckenstein, Liesberg, Kœnigsberg, Epstein, Bikenbach, Helffenberg, Itter, Treffort, Schwartzenfels, Naumburg, reliqua. C. 12 de præfecturis peculiaribus & oppidis, quæ vel jure belli, vel emtionis, vel pacti, cetera, Hassiæ accesserunt: ut Helmershausen, ubi de origine & fatis hujus monasterii, Libenau, Pridewald, Vach, Volckershausen, Grebenau, Ulrichstein, Cleberg, Mosbach, Marca Fuldensi, Homberg an der hœhe, Umstatt, Freudenberg, reliquis. C. 13 de statu religionis in Hassia ante reformationem. C. 14 de reformatione Philippi magnanimi. C. 15 de origine religionis reformatæ in Hassia inferiori. C. 16 de variis conventibus in caussa religionis, utpote Hombergensi, Marpurgensi, Casselano. Lib. IV *de Hassia Politica*. C. 1 de variis Hassiæ divisionibus ante Philippum magnanimum. C. 2 de divisione Hassiæ sub Philippo magnanimo. C. 3 de divisione Hassiæ duplici post obitum Ludovici, testatoris, inter Hasso-Casselanos & Hasso-Darmstadinos; ubi de dissidiis, quæ hinc exorta, in genere agitur. C. 4 de feudis, quæ tenent Hassiæ Landgravii ab imperio aliisque Germaniæ proceribus. C. 5 de feudis, quæ tenent varii Principes, Comites, & nobiles ab Hassiæ Landgraviis. C. 6 de pactis mutuæ defensionis inter Hassos, Saxones & Brandenburgicos, ubi origo illorum. C. 7 de pactis mutuæ successionis inter prædictos. C. 8 de pactis familiæ inter Hasso-Casselanos & Hasso-Darmstadinos. C. 9 de pactis cum Principibus apannagiatis lineæ Hasso Cassellanæ, ubi de illorum origine agitur. C. 10 de pactis cum Principibus apannagiatis lineæ Hasso-Darmstadinæ eorumque origine. C. 11 de jure primogenituræ sæpe interrupto tandemque restituto ab Imperatore. C. 12 de austregis Hassiacis. C. 13 de privilegiis & juribus singularibus Hassiæ Landgraviorum in politicis

ticis & ecclesiasticis, tam ante, quam post reformationem, ubi de variis privilegiis appellationum: de non evocando ad judicium Rothwilense: de jure advocatiæ in Huxar: vogtiæ in Wetzlar: de singulari jure in clericos ante reformationem. C. 15 de summis Hassiæ judiciis tam in ecclesiasticis quam politicis, quæ ab Hassiæ Landgraviis tam communiter, quam privatim, exercentur. C. 15 de nosocomiis aliisque monasteriis, quæ communi nomine ab Hassiæ Landgraviis administrantur. C. 16 de variis suffragiis in conventibus Imperii, item de alternationibus. C. 17 de prætensionibus Hassiæ Landgraviorum. C. 18 de titulis illorum. C. 19 Insignia eorum exhibet, ubi de variis illorum mutationibus, & accessionibus. C. 20 de nummis antiquis & recentioribus. C. 21 de academiis & gymnasiis Hassiacis, ubi illorum origo, fata, Professores. C. 22 de conventibus provincialibus & Hassiæ ordinibus. C. 23 de legibus & consuetudinibus præcipuis Hassiacis. Lib. V de Landgraviis Thuringiæ & Hassiæ. Lib. VI de origine Lotharingiæ & Brabantiæ ducum ad tempora Henrici pueri. Lib. VII de Henrico puero ad Philippum magnanimum inclusive. L. VIII de Wilhelmo IV ad tempora *Caroli* usque inclusive. Lib. IX de Landgraviis Hasso-Darmstadinis ad *Ernestum Ludovicum* usque inclusive. Lib. X Codex diplomaticus Hassiacus. Præterea idem Cl. *Estor*, ut ex eadem Epistola patet, Vitas Theologorum, JCtorum, Medicorum & Philosophorum Giessensium edere constituit. Denique cum Vir Perillustris, *Valentinus Ferdinandus de Gudenus*, augustissimi Tribunalis, quod Wezlariæ floret, Assessor, incredibilem apparatum possideat diplomatum authenticorum aliorumque veterum monumentorum, quem ut Noster edat, perbenigne concessit, hoc titulo opus omnibus exoptatum edere parat. *Thesaurus MSS. veteris ac recentioris Ævi selectorum & rariorum, complexus diplomata, fundationes, privilegia, donationes, immunitates ab summis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, Principibus, Comitibus & proceribus, ecclesiis, monasteriis, aliisque locis & personis concessa; item Chronica & Virorum eruditorum epistolas, nusquam antea editas.*

Prostat Supplem. T. IX Sectio III.

❋ ❋ ❋

No. VIII.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCXXVI.

M. FABII QUINCTILIANI DE ORATORIA Institutione Libri XII. Totum textum recognovit, pluribus in locis emendavit, selectas variorum interpretum notas recensuit, explanavit, castigavit; novas, quibus difficiliora Quinctiliani loca illustrantur, & antiqua Græcorum Latinorumque Technologia explicatur, adjunxit CLAUDIUS CAPPERONNERIUS, Mon-Desiderianus, Licentiatus Theologus Parisiensis, & Regius Græcarum Literarum Professor.

Parisiis, typis Viduæ Ant. Urbani Coustelier, 1725, fol. Alph. 10 plag. 20.

FUisse aliquam hujus libri, licet exiguam, exspectationem, haud ignorant, qui, quam omnia magnifica promiserit Cl. Editor, recordantur. Burmannianam editionem longissime a perfecta abesse, dictitabat, & numeris omnibus absolutam Reip. litterariæ deberi. Quis vel hæc audiens non vadimonium desereret, ut perfectam tandem Fabii editionem nancisceretur? Sed qui noverant, quam pauci hodie apud Gallos reperiantur, qui interioribus litteris aliquod pretium ponunt, aut iisdem probe sunt tincti, ii jam olim modice de Capperonnerio sperabant. Morbus enim ille, qui Delphinicos interpretes corripuit, nondum sopitus esse videbatur: & qui ab hac suspicione vacui erant, nunc certe, cum primum Quinctilianum hunc inspicient, in eandem sententiam discedent. Minellianis, Delphinicis & puerilibus annotatiunculis omnia referta sunt: atque si tales notas Remp. litterariam (hoc est, Capperonerium, una

cum tribus quatuorve ſociis) exſpectaſſe putat Cl. Editor, vel ſic Reip. male conſultum eſſe, paſſim videre licet. Alibi etiam tirones norunt, quid ſint *reſponſa*, ubi *oracula* adduntur; Noſter vero p. 274 nota 150 quadruplicem interpretationem attulit, lectori electione relicta: quem valde veremur, ſi talibus notis indiget, incertiorem multo futurum, quam fuit dudum. Sane qui p. 1 laxam annotationem de *convicio;* & p. 3 notam in notam Parei, qua hic Martialem *poetam cocum* vocaverat, & multis paginis ſimilia legunt, ii non leviter iraſcentur, aut ſaltem admirabuntur, quando aliis locis longe exquiſitiores formulas, rariora vocabula, aut aliis de cauſſis obſcura loca, ne tacta quidem ab hoc interprete, nedum illuſtrata eſſe videbunt. Verum in his etiam pro more ſui generis hominum agere debuit, qui valde garruli ſunt & magno apparatu nihil agunt, ubi nemo ingenium & operam eorum deſideravit: ceterum ubi difficultates incidunt, muti ſunt. Si itaque ſuperioribus editionibus obſcuriorum verborum interpretationes defuerunt, & ob id nova procudenda fuit: aliam præterea procudendam eſſe, res ipſa docet. Si ob Technologiam illuſtrandam hæc libri moles protrudenda fuit, adnotationes ad Libr. IX clamabunt, quam hodieque multa deſideremus. Plura ut addamus, non eſt opus. Nam ſpecimina quo minus, ut mos noſter habet, afferamus, egregia & perlepida opera Celeberr. Burmanni effecit, qui ſequenti epiſtola accurate totum opus recenſuit, gloriamque ſuam probe vindicavit.

PETRI BURMANNI EPISTOLA AD CLAUDIUM CAPPERONNERIUM, Theologum Licentiatum, Diaconum Ambianenſem & Græcæ linguæ Profeſſorem, de nova ejus M. FABII QUINCTILIANI de Inſtitutione Oratoria editione.

Leidæ, apud Sam. Luchtmans, 1726, 4.

Plag. 14.

INitio in univerſum de editione ſua Quinctiliani, & molimine Capperonnerii, nec non de cauſſis odii Gallorum quorumdam erga

ergâ ſe diſerte agit Vir Celeberrimus. Se nunquam omnem Gallorum gentem laceraſſe aut infamaſſe teſtatur; ineptos tantummodo quosdam, & omnibus eruditis exoſos traduxiſſe: cum contra plurimi Gallorum in omnes promiſcue Germanos acerrima & falſiſſima opprobria conjecerint. Simul erudite oſtendit, quæ cauſſa ſit, cur hodie elegantiores litteræ & omnis propemodum doctrina a Galliis exſulent: & quam ſit inhumaniter factum, quod ſe vivente & vidente, ſuum laborem Capperonnerius invaſerit & pro lubitu tractaverit. Deinde ordine & per ſpecies atque capita accuſationes & notas Capperonnerii excutit, & *Cap.* quidem *Primo Epiſtola ad Potentiſſ. Regis Franciæ Magiſtrum, Epiſcopum quondam Foro Julienſem, atque primum accuſationis caput examinatur.* Cap. II *ſecundum accuſationis caput, de non receptis in textum melioribus, quæ in notis occurrunt, lectionibus*, diſcutitur: ubi hanc culpam, ſi ita vocanda erit, tantum abeſt ut deprecetur eruditiſſ. Burmannus, ut hanc modeſtiam etiam præ ſe ferat, ut audaciam eorum, qui abblandientes quascunque lectiones ſtatim in contextum infarciunt, potius damnandam eſſe cenſeat. *Cap. III* agit *de variis lectionibus & plurimis ex iis inutilibus*, quod tertio loco reprehenderat Capperonnerius, prodens eo facto, quod ipſe ſit alieniſſimus ab arte Critica. Sæpe enim ex manifeſte falſis lectionibus & meris librariorum ludibriis alii Viri docti veras lectiones eruerunt. Burmannus autem præterea oſtendit, ipſum adverſarium ſuum multas ineptas lectiones ſervaſſe, & veluti ab ſe diſſentientem, farraginem inutilium lectionum, quam ex Campani editione Maittairius excerptam transmiſit, non faſtidiiſſe, ſed invidioſo præconio ornaſſe. *Cap. IV* refutat ea, quæ *de notis partim ad rem non pertinentibus, partim obſcurantibus mentem Fabii, partim erroribus ſcatentibus* &c. objecerat adverſarius. Et quoniam hoc telo Burmannus tantummodo per corpora *Turnebi, Moſellani, Almeloveenii* aliorumque, quorum notas ſuæ editioni adjecit, petitur, facilius declinare ictum potuit. Hoc loco ſimul alterius Viri docti, qui idem crimen Grævio quondam impegerat, errorem emendat. *Cap. V accuſationis caput ultimum de vocibus Technicis non explicitis* refellitur. Aliter Critici, aliter terminorum aut artis doctores libros tractant; & ipſe Celeb. Bur-

 man-

mannus id genus notarum longe a se futurum, Præfatione professus est: quod certe non dissimulare debuerat adversarius. Facile itaque criminationibus se liberavit Burmannus: sed necessitatem etiam sibi impositam vidit de meritis adversarii sui in Quinctilianum quædem addere. Igitur *Cap. VI* tractat *de calumniis & mala fide Capperonnerii*, v. g. quando exprobrat Burmanno, quod vitiosam Leidensem editionem κατὰ πόδας secutus sit, ejusque mendas fere semper exhibeat; quod Ciceronis locum aliquem perperam advocaverit; quod non semper diverso characterum genere (hem, puerilis accusatio!) distinxerit aliorum adducta loca a suis, & quæ sunt alia hujus generis, easque cavillationes falsas esse evincit. *Cap. VII* plurima *furta & plagia Capperonnerii* indicantur, commissa non modo in Lexica & aliorum obvios libellos, sed in ipsas Celeb. Burmanni notas. Eaque imprimis inspexisse juvabit, quia oppido eleganter Burmannus fraudem Plagiariorum detegit, & hominum quorumdam, qui his artibus gloriam quærunt, impudentiam demonstrat. *Cap. VIII* inscribitur *de notis Capperonnerianis ex reprehensione inepta priorum interpretum natis*, ubi potissimum de notis Pseudo-Turnebianis agitur, quarum vitia, iniquissima calumnia, Capperonnerius adscribit Burmanno: obiter etiam (p. 60) ostenditur, Capperonerium alienos errores secure exscripsisse & propagasse. *Cap. IX* agit *de notis ineptis, puerilibus & Minellianis*, qualia sunt: Ceterum Θεόφραστος (Theofrastus) fit ex Θεὸς, Deus, & φράζειν, eloqui; civilis scientia, & sapientia, sive civilis prudentia; translata sunt metaphorica & translationes, metaphoræ vel μεταφόραι (ubi obiter Clerici quædam hallucinationes tanguntur) & infinita alia: sed delectabit inspicientes maxime pagina 68. *Cap. X* habet *notas inutiles & ex sola obtrectandi & obloquendi libidine natas*, & *Cap. XI ignorantiæ Capperonnerianæ specimina ex multis pauca*. Confundit nempe *lacus* & *torcularia*; *rogationes* & *SCta*; item ubi in variorum notis *leges* ex Digestis aut Codice citantur per nudam litteram *l*, Capperonnerius, ridiculo lapsu, inde *libr.* h. e. libros effinxit: nec non in citandis aliis autorum nominibus sæpe turpiter sese dedit. Finem Epistolæ imponunt suavissimi Hendecasyllabi, quibus fastidium severioris lectionis tandem abstergere

voluit

voluit Burmannus. Et ut Epistola ipsa nitidum & fluidum (quo longe ante alios Vir Celeberrimus excellit) scribendi genus, ita numeri isti Catulliani tantam gratiam Poeticam spirant, ut legentis animum ad iterum iterumque legendum subinde invitent.

Nos, qui Virum Celeberrimum in odiosa ista re tam hilariter desiisse videmus, tranquillitas ista & defæcatus animus ut propria & perpetua ipsi sint, publici commodi caussa precamur. Ita certo nobis promittere poterimus, fore, ut quæ in Catalecta veterum Poetarum Vir eruditissimus meditatur, propediem publicam lucem adspiciant. Duo præterea hic addere debemus: primum, quod in Præfatione huic Epistolæ præfixa Cl. Autor contra Clericum quædam admonuerit; deinde quod *Indicem* etiam adjunxerit rerum omnium in Epistola comprehensarum, quem hic integrum exhibere placet:

INDEX.

CAPPERONNERII calumniæ, obtrectationes, ignorantia, furta, ineptiæ, errores &c. *pag. 1-102.*

RERUM GERMANICARUM SCRIPTORES aliquot insignes, primum Collectore JOANNE PISTORIO, Nidano, tribus Tomis in lucem producti; nunc denuo recogniti, adjectis Notis & Indice rerum, personarum ac locorum copiosissimo, Editione tertia emendatiori & locupletiori ad usus publicos redacti, curante BURCARDO GOTTHELFF STRUVIO, Ser. Ducum Sax. & Marchionis Brandenb. Consil. Aul. Historico Saxon. & in Acad. Jen. Prof.

Tomi III.

Ratisbonæ, sumptibus Jo. Conr. Peetzii, 1726, fol. Alph 33 pl. 9, non computato Indice, qui adhuc exspectatur.

Cum jam pridem rarescere cœperit utilissima hæc Collectio Pistoriana, cujus quidem Tomus I Francofurti 1583 & alter 1584, iterumque uterque Hanoviæ 1613, tertius vero separatim sub tit. *rerum German. Scriptores VI*, Francof. 1607 & 1653, novoque

titulo: *rerum familiarumque Belgicarum Chronicon Magnum*, 1654 prodierunt; gratiæ utique debentur Celeb. *Struvio*, qui libri emendatius, quantum ob Codicum defectum fieri potuit, recudendi auctor exstitit typographo, & cum notulas passim, primo præsertim Tomo, addidit, tum singulis scriptoribus præmisit, quæ ad ipsos eorumque scripta pertinerent. Generatim vero operi præfatus, recenset plures rerum Germanicarum collectiones, simulque spem facit novæ, quam ipse parat, collectionis, partim ex MS, partim ex aliorum, ut A. & F. Duchesnii, Labbei, Acherii, Mabillonii, Baluzii, Martene & Durandi, ac reliquorum collectaneis, Actis item Sanctorum & similibus depromtæ, ut scilicet, quæ ad rem Germanicam spectant, e tot sumptuosis Voluminibus conquirendi tædio supersedere Lectores possint. Jam cum publice constet, quæ in hoc opere contineantur, adeoque supervacaneum videatur, vel solos librorum titulos repetere, ea tantum commemorabimus, quæ imprimis novi Editoris curæ debentur.

Tom. I.

In *Reginone* emendando Paulum, Warnefridi filium, quem is sæpe ad verbum descripsit, & Annalistam Saxonem, nuper ab Ill. Eccardo editum, qui veteres Reginonis Codices secutus, multa ex illo deprompsit, non infeliciter adhibuit Cl. Editor, qui & in illo notis suis illustrando præcipuam operam posuit. *Hermannum Contractum* Noster ex editione Urstisiana & Canisiana, quæ & Tomo XI Bibliothecæ Patrum Coloniensis inserta est, & emendatiorem & locupletiorem dedit. *Lamberto Schaffnaburgensi*, septies antea edito, & *Mariano Scoto*, seu potius Hiberno, notas hic illic addidisse satis habuit. In *Sigeberto Gemblacensi* exornando nihil omissurus, multa in textum Pistorianum recepit ex editione septima, quam Aubertus Miræus e Codice Gemblacensi procuravit A. 1608 Antverpiæ, sed aliis litteris expressa, & præter continuationem *Roberti de Monte*, quam & Pistorius dederat, ex Miræi editione addidit auctaria *Anselmi Gemblacensis*, tum & alia, *Gemblacense* scilicet, *Affligemense* & *Aquicinctinum*, ut & appendicem *Samsonis* Rhemensis Archiep. Quod vero Sigebertum hunc cum reliquis inter Miræi Opera Bruxellis nuper (1723 duobus Voluminibus in fol.) editis iterum prodiisse existimat Cel. Editor, in eo quidem falli videtur, cum Volumen I præter Codicem

cem Donationum piarum, Diplomatum Belg. Libros II, Donationum Belg. Libros II & Notitiam Ecclesiarum Belgii, nihil contineat, & Tomus II solis diplomatum Supplementis repletus sit, a Jo. Franc. Foppens singulari studio collectis: num autem cetera quoque Miræi Opera denuo exspectanda sint, adhuc in incerto est. Impsimis novam hic lucem fœneratus est Noster *Epitoma Siffridi Presbyteri*, additis quippe ex tribus Codicibus, quorum unus nitide scriptus in membrana, qui olim monasterii S. Jacobi in Pegavia fuit, nunc in Bibliotheca nostra Paulina exstantibus, variis lectionibus & supplementis, alio tamen charactere distinctis; quæ se debere Cl. Jo. Burch. Menckenio nostro (qui ea suæ Scriptorum Germ. præcipue Saxon. & Misn. Collectioni, quæ nuperrime prelo subjici cœpit, destinaverat) gratus profitetur. *Pauli Langii* Chronicon Citicense prorsus recusum ad Pistorii exemplum pauculisque notis instructum prodit, cujus cum Codicem satis vetustum exstare in Bibliotheca Guelferbytana nobis constet, ejus forte collationes sibi comparabit Menckenius noster & Collectioni suæ inseret, quæ & ejusdem *Langii* Chronicon Numburgense, nondum editum, exhibebit. Dum *Anonymi Erphesfordiensis* Historiam de Landgraviis Thuringiæ producit, Historiam Thuringiacam variis notis illustrat, simulque ad Codicem Bibliothecæ Academicæ Jenensis provocat, & demonstrat, eam neutiquam convenire cum altera illa de ortu Landgraviorum Thuringiæ, ab Eccardo in Historia Geneal. Principum Sax. sup. edita, uti hic quidem existimaverat, qui auctiorem saltem & emendatiorem dixerat Pistoriana editione.

De *Gotfridi Viterbiensis* Chronico, quod quia de Principibus, qui Dii dicuntur, agit, Pantheon inscripsit autor, Conradi III, Friderici I & Henrici VI Capellanus, præclare meriti sunt duumviri studio in litteratos & bonas litteras illustres, Godofridus Thomasius & Jo. David Köhlerus, qui magnæ molis Codicem in Bibliotheca Noribergensi publica accurate conferre dignati sunt. *Hulderici Mutii* Chronico nihil novi accessit. Tom. II.

Nec *Magnum Chronicon Belgicum* novam lucem accepit, nisi ubi Cl. Autor ex ingenio loca nonnulla emendavit, aut notas, quamvis breviores, adjecit. In *Wipponis* Vita Conradi Salici nihil muta- III.

mutatum: quod vero ad *Antiquitates* seu *Traditiones Fuldenses*, retinuit eas quidem Editor eo ordine, quo Pistorius vulgaverat, passim vero ex nova editione Traditionum harum, a Clar. Jo. Frid. Schannat ante biennium edita & ad autographa revisa, emendavit & supplevit, observans simul, quod, licet Schannati corpus multo plenius sit, existent tamen etiam apud Pistorium documenta nonnulla, quæ ille omiserit. *Chronicon Augustanum ecclesiasticum*, quod sub *Sigismundi*, Religiosi, nomine Pistorius edidit, quodque Vossius postea Sigismundo Grossenprot & Udalrico sociis adscripserat, Noster, autoritate solertissimi rerum German. indagatoris, Bernh. Petzii, *Sigismundo Meisterlein*, qui vulgo dictus *Magister*; itemque *Chronicon Constantiense Jacobo Manlio* ejusque continuatori *Merckio* vindicat. Accessit postremo Index longe copiosissimus, quem debemus industriæ singulari V. C. *Christiani Gottlieb Buderi*, Bibliothecæ Academicæ Jenensis Præfecti.

VETERUM SCRIPTORUM, QUI CÆSARUM & Imperat. Germanicorum res per aliquot sæcula gestas litteris mandarunt, Tomus unus, a JUSTO REUBERO olim editus; nova hac editione diligenter recognitus & luculentis Accessionibus auctus, curante GEORGIO CHRISTIANO JOANNIS.

Francof. ad Mœn. impensis Viduæ J. M. a Sande, 1726, fol. Alph. 15 pl. 19.

OPportune Pistorio jungimus Reuberum, cujus Scriptores primum Francofurti ad Mœnum 1584, rursusque Hanoviæ 1619 editi, paucorum in manibus fuere hactenus adeo, ut jam pridem Typographus noster excitaverit Celeb. JCtum, Immanuelem Weberum, ad novam operis editionem adornandam, qui cum gravioribus negotiis indies magis distineretur, tandem Cl. Editori nostro demandata est hæc provincia, quam tanta felicitate explevit, ut & conquisitis rite subsidiis omnibus, Reuberianos Scriptores egregie illustraverit, & insertis Scriptoribus aliis, non minori

minori raritate commendabilibus, Collectionem illam nobis dederit duplo auctiorem. Post præfationem, in qua generatim de instituto agit, vitam Reuberi satis luculenter exposuit novus Editor, hoc magis lectu dignam, quo rarius tanti Viri mentionem fecere biographi. Accessere vero ceteris, jam antea in hac Collectione contentis, p. 399 *Boamundi*, Principis Antiochiæ, ceterorumque Sacri belli Ducum Epistola ad Urbanum II; p. 403 *Anonymi* narratio brevis de electione Lotharii Saxonis, e nuperis Pezii & Eccardi Collectionibus repetita; p. 743 *Friderici II, Manfredi, Conradi IV* & *Henrici* Regis Epistolæ, e Steph. Baluzii Miscellan. Tomo I; p. 795 *Nicolai* Episc. Botrontin. Relatio de itinere Henrici VII Italico ad Clementem IV, ex ejusdem Baluzii Vitis Pontif. Avenion. p. 953 *Anonymi* gesta Balduini, Comitis Lucemburg. Archiep. Trevir. & Henrici Imp. Germani ipsius, e Baluzii Miscell. Tomo I; p. 833 *Albertini Mussati* Historia Henrici VII, & p. 989 ejusdem Ludovicus IV seu Bavarus, cum Commentatoribus, ex Operibus Mussati Venet. 1636 fol. editis, hactenus rarissimis. Præstitit tamen & in ceteris, quantum potuit. Ita in *Eginbardo* secutus quidem est editionem *Reuberi*, in fine tamen operis Schminckianæ editionis, quippe optimæ, varias lectiones in peculiarem recensum redegit, quo loco etiam paginarum hujus & prioris editionis collationem in gratiam eruditorum attexuit. *Astronomi*, quem Reuberus vocat, Annalibus, ab aliis ipsi Eginhardo, rursusque ab aliis Laureshamensi cuidam Monacho adscriptis, varias lectiones editionis Duchesnii præstantissimæ, & Cod. MS. Casselani, e Bibl. Uffenbachiana depromptas, in margine adscripsit. *Pseudo-Turpini* Capiti XXXI & XXXII attexuit Supplementa e Lambecii Comm. Bibl. Vindob. Lib. II C. V §. 21 p. 334 & 336. *Luitbprandi* rerum ab Europæ Imp. & Regibus gestarum Libros VI, quos rectius Historias sui temporis vocaveris, ad Duchesnii editionem recognovit, eleganter de ejus vita & rebus gestis præfatus. *Hroswitha* Panegyrin Otthonis I cum Schurzfleischii Jun. editione contulit, cujus pariter ac Henr. Meibomii notas præcipuas adjecit. Ut prætereamus *Anonymos* de vita Henrici IV, & ejusdem bello Saxonico, Oratorem alterum, alterum Poetam, ipsiusque Henrici Epistolas aliquot, quibus parum habuit, quod

Xx adde-

adderet Cl. Editor, *Roberti* Monachi de Christianorum contra Saracenos bello A. 1696 suscepto Historiam secundum Bongarsii editionem, Reuberiana longe emendatiorem, edidit, eique Casp. Barthii notas ex Ill. Ludewigi Reliquiar. Tomo III adjecit, addita nunc quoque *Boamundi* Epistola supra memorata. *Gualteri*, Poetæ, Ligurino, ad Rittershusii editionem recuso, addidit præter Spiegelianas notas, jam olim a Reubero vulgatas, tum Rittershusianas, partim jam editas, partim exemplo ejus adscriptas & a Consf. E. G. Rinckio liberaliter communicatas, tum Barthianas, quas Noster Cl. Fellero debet, cujus nuper defuncti Elogium modo Supplem. T. IX Sect. III inseruimus. Chronico rerum Moguntiaca um, quod Noster Christiano II Archiep. Mog. jam nuper in editione Scriptorum Mogunt. quibus illud T. II intulerat, vindicaverat, eadem, ut illic, ratione excusum comparet. *Conr. Vecerii* vitæ Henrici VII notulæ quædam ex Osio & Pignorio excerptæ accesserunt, quæ ad errores autoris, qui nihil fere aliud egit, quam quod Jo. Villani Italica Latinitate donavit, consellendos faciunt. Tacemus postremum Voluminis opus, *Ricardi Bartholini* Austriados Libros XII, hic denuo cum doctis Spiegelii notis recusum. Ceterum & ipse Cl. Editor notulas subinde, quamvis rarius, adlevit. nihilque omisit, dum singulis Scriptoribus præfatus est, quod ad eorum vitam & scripta pertineret. Ceterum non sine dolore nuntiamus, coorto nuper Francofurti ad Mœnum incendio omnia pœ..e operis hujus exempla, præter illa, quæ superioribus nundinis in eruditorum manus pervenere, æque ac Cl. Edit. nostri Scriptores Moguntinos, paulo ante memoratos, qui ex eadem officina prodierunt, igne absumpta fuisse, adeo, ut librum hunc non minoris, quam antehac, raritatis deinceps futurum, vix dubitemus.

JO. PETRI DE LUDEWIG, JCTI, FRIDERicianæ Cancellarii, Reliquiæ Manuscriptorum omnis ævi Diplomatum ac Monumentorum ineditorum adhuc. Tomus VII.

Fran-

Francofurti & Lipsiæ, 1726, 8.
Alph. 2 plag. æn. 7.


CUm Ill. Autor, tum itineribus variis jussu Potent. Regis Borussiæ faciendis, tum ejusdem Regis juribus, præsertim quod ad præbendas scholastici in usum Academiarum transferendas attinet, tuendis, occupatus, laborem hunc inde ab A. 1723 intermittere coactus fuerit, jam tandem eum denuo aggreditur, & hac occasione in præfatione non solum rationem reddit itinerum, verum & quæstionem illam de præbendis & canonicatibus fuse satis expendit, eosque Academiis vindicat; præterea vero quid in hoc Tomo a se præstitum fuerit, declarat, quod, ceteris brevitatis causa omissis, paucis hoc loco indicare non gravabimur. Exhibetur vero I *Diplomatarium Ludovicianum* ab A. 1330 ad 1345, Præf. quo multa continentur in curia Electorali Brandenburgica sub Ludovico, Ludovici IV Bavari Imp. filio, gesta. Ex eo Noster observat, Marchiæ urbium cives plerosque jura nobilitatis consecutos; Comitem Hennebergensem fuisse vicarium Marchiæ; fœdus reciprocum inter Principem & aliquos ex nobilitate factum, hodie vix habiturum fidem, & quæ sunt alia. II *Codex Legum Normannicarum*, descriptus e membrana, quæ olim Petri Pithœi fuit, a Nostro e Bibliotheca Nic. Josephi Foucault comparata. Eo hactenus non sine gravissimo Jurisprudentiæ damno caruisse cives nostros, existimat Editor, qui & in notis subjectis, præterquam quod barbara vocabula diligenter explicat, de Cangiani Glossarii defectu multum conquestus, passim differentias Juris Normannici a Romano, & contra pulcherrimos ejus cum Germanico & Septentrionali omni concentus ostendit. Docet vero, hunc Interpretem Latinum vixisse circa A. 1250, eoque magis æstimandum putat, quod leges hæ toties Gallice impressæ, nunquam tamen hactenus Latine, quod sciat, prodierint. III *Diplomatarium Halberstadiensis Episcopatus ab A 966 ad 1400.* Etsi vero authentica dare non posset, dedit tamen L diplomata speciminis instar, e Codice diplomatico, mille diplomata complexo ac circa finem Seculi XV compilato, deprompta. Patet autem ex ipso Codice, Adolphum Imp. adeo pronum fuisse erga Episc. Halberstadiensem, ut innumera fere Diplomata uno eodemque die scil. quinto Idus Julii

p. 44. 45 46

A. 1295 ipsi confirmaverit. In his diplomatibus merito observamus cum Ill. Editore, Henricum se dicere numero *secundum* Imperatorem, sed *tertium* Regem, computato Henrico Aucupe;
p. 68. Halberstadiense capitulum jam A. 974 accepisse ab Imp. jus eligendi ac postulandi sibi Episcopum; monetandi jura Halberstadiensi tributa privative; Marchias quasdam ejusdem fuisse subfeuda; Alstedensem Palatinatum cum omnibus juribus, honoribus & jurisdictionibus A. 1323 fuisse penes Comites Mansfeldenses, ut cetera omittamus. IV *Aurea bulla Friderici II Imp. A. 1232*, quam post editiones Schilteri & Heineccii, nunc demum integram & incorruptam e Tabulario urbano Halensi producit Noster & Commentariolo illustrat varia eruditione conspicuo. Sed nos, his prætermissis, paulum hærebimus in dissertatione Autoris, quæ in Appendice exstat, *de aquila bicipite, cujus origo vindicatur Brandeburgico Marchionatui*, cui accessit denique *Recensio nummorum,*
561. *potissimum Brandenburgicorum*. Uti vero mille veritates, nulli ante cognitas, protulisse se in lucem non diffitetur, idque & in omni litterarum genere, & in caussis præcipue tangentibus jura & gloriam domus Brandenburgicæ, ita gaudet in sinu, se rursus consecutum esse aliquid rationibus, quod juris publici & historiæ interpretes fugiebat adhuc. Probat nimirum, aquilam bicipi-
562 tem, jam pridem in Brandenburgicorum nummis conspicuam, a Wenceslao & imprimis Sigismundo Electore Brand. in sigillum Imperatoris primum fuisse receptam, atque ita reliquis Imperatoribus omnibus insigne Imperii fuisse, conjicitque, Noribergenses Burggravios, Marchiæ A. 1417 redemptores, religioni habuisse, bicipiti porro aquila uti, ne Brandenburgicum insigne idem sit ac Imperiale; unde conficit, Brandenburgicis adhuc jus esse recipiendæ aquilæ bicipitis, quæ ipsis tantum non propria olim fuerit.

Docet vero, Marchias olim, nunc duas, veterem & novam,
564 nunc tres vel quatuor, computata media, aut Ukaria, aut utraque, totidem symbolis, scutis, lunulis, stellulis, liliis, orbiculis, crucibus, trifoliis, turriculis, præsertim vero aquilis, fuisse designatas in nummis aliisque monumentis. Ita, ut de aquilis specimina afferamus, quatuor aquilæ in totidem scutis exhiben-

tur


Fig. 11
Q
O
C
X
F
B
Z
G
T
A
N
D
E
H
Fig. 1
Fig. 2
Fig. 5
Fig. 7
Fig. 8
Fig. 6

tur in Fig. 1, totidemque aquilarum capita combinata in Fig. 2; TAB. III.
tum biceps aquila in Fig. 3, quæ & in altera facie Marchionem ideo Fig. 1, 2, 3.
sistit duos gladios manu utraque tenentem, ut duæ pariter his symbolis Marchiæ, omissis reliquis, quæ forte, ut sæpe factum, oppignoratæ tum fuere, indicentur: cum qua etiam, quod ad aquilam, conferendæ sunt Fig. 4 & 5. Hinc imitatos Noster putat Imperatores, Marchionatus Brandenburgici Dominos, pristinum morem, & Carolum IV quidem utrique solii lateri aquilam apposuisse, (quemadmodum & Brandenburgici turriculam aliave symbola ab utraque parte aquila cingebant,) Wenceslaum vero primum bicipiti aquila in aversa sigilli Imperialis usum, exemplo e Magdeburgico tabulario principali producto in Fig. 6; quam deinde Sigismundus Elector Brandenb. & postea Imp. Fridericus V ac reliqui Imperatores omnes retinuerunt. Etsi vero Villaneus, Strada aliique in antiquioribus nummis, qui aliis habentur pro suppositititiis, aquilam bicipitem agnoscant, nunc Jul. Cæs. nunc Constantino M. nunc Carolo M. asserendam, & Fresneus eam in Byzantinorum nummis, quamvis non sine hæsitatione, deprehendisse visus sit, ipsosque Russorum Czaros jam a multis sæculis aquilam bicipitem, instar symboli Byzantini, ad conservandam successionis spem adhibuisse, recentiores tradant; nemini tamen verisimile putat Noster, Brandenburgicos Imperatores, stirpis Lucemburgensis, hunc morem utendi aquila bicipite inde potius, quam a majoribus suis mutuavisse. Quæ de aquila bicipite in Africa nuper, ut fama habet, reperta, de aquila item concorporata, de bicipiti Regibus Rom. æque ac Imp. vindicata, de tricipiti item & quadrifida &c. addit Ill. Autor, nihil moramur: potius ex *recensione nummorum* duos reliquis addere lubet. Ex Ottonis nimirum Brandenburgici nummis pluribus in Fig. 7 eum producimus, qui in aversa Ottonem sistit, in unaquaque manu literam T monstrantem, supposita utrinque litera O; ubi putat Noster, hunc Marchionem fati instar habuisse, quod nominis sui quatuor elementa *Otto* responderent numeris quatuor Marchiarum Brandenburgicarum. Alter est Bernhardi Ducis Saxoniæ A. 1170, stirpis Brandenburgicæ, in Fig. 8, de quo ita loquitur Ill. Autor: „Non „est, quare se torqueant huc & illuc Autores in legendis elementis

Fig. 4, 5.

Fig. 6.

Fig. 7.

Fig. 8.

„BEEA sive BERA. Nam penultima litera sive R sit sive E, „perinde est: quia clarum est siglum, quod notare debet nomen „BERnArdi aut BErnEArdi. Cum autem tertia litera ductibus „non respondeat secundæ, vel sculptor erravit, vel Lector, con„vertitque R in E. Lepidis ergo conjecturis non est opus, qua fa„cere hunc Ducem volunt *equitem Anhaltinum*, quod rationi ac „ævo est inconcinnum. „

SIMONIS FRIDERICI HAHNII, S. R. MAJ. Britannicæ Consiliarii, ejusdemque & universæ Domus Sereniss. Brunsuico-Luneb. Historiographi ac Bibl. Reg. Hanov. Præfecti, Collectio Monumentorum veterum & recentium.

Tomus II.

Brunsuigæ, ex officina Frid. Wilh. Meyeri, 1726, 8.
Alph. 2 pl. 12.

CUm de primo hujus Operis Tomo, qui adhuc inedita fere continet, prolixius dictum sit in Actis Er. Anni superioris p. 214 sq. nunc in secundo hoc recensendo eo breviores esse possumus, quod pleraque continet jam antea edita. Primum locum occupat *Responsio Georgii Tyskiewicz Soc. Jes. ad libellum famosum cujusdam Anonymi Thorunensis:* Patrocinium Veritatis Literarum Thorunensium *falso inscriptum*; quem librum, non ineleganter quidem, at in Thorunenses & religionem nostram admodum acerbum ac virulentum, olim Cracoviæ A. 1615 impressum, hoc tempore recoctum esse, nescimus an valde gavisuri sint Thorunenses. Nec ipse Cl. Editor illum probat, saltim ideo recudit, ut de primordiis collegii Jesuitici Thorunensis rectius constet. Sequitur II *Mich. O. Wexionii Epitome Descriptionis Sueciæ, Gothiæ, Fenningiæ &c.* Aboæ 1650. 8 edita, quæ, sive quod loco a nostris oris valde remoto prodiit, sive quod Autor (quem Smolandia oriundum, Juris Professorem Aboensem, post Assessorem Tribunalis Regii ibidem fuisse ac inter nobiles relatum, nomen *Gyldenstolpe* adscivisse testatur Schefferus in Suec. litter. p. 151) arcana

quæ-

quædam Sueciæ effutiisse visus est, hactenus utique fuit rarissima. Post interposito III, errore typographi, brevi sed eximio scripto vernaculo *de reformatione Magdeburgi*, ibidem 1524 a *Wolff Cycloff*, Med. D. & religionis purioris acerrimo defensore, edito, succedit IV ejusdem *Wexionii Rota fortunæ*, Aboæ 1647 edita, quæ plerumque Epitomæ illi accedere solet, non minori raritate commendabilis. V *Monachi Sangallensis Vita Caroli M.* e membrana Obrechtiana longe nunc auctius, quam vel in Canisiana, vel Duchesniana editione hactenus comparuit, vulgata. VI *Ordinatio Judicii Vehmici seu Westphalici* vernacula, e Codice Academiæ Juhæ desumpta, & adhuc inedita. VII *Chronicon Comitum Cillejensium*, ut & brevius *Salisburgense*, utrumque vernaculum, cum brevi *Consilio*, satis quidem vetusto, *de electione Episcopi Pataviensis* (non Passaviensis, ut est in titulo p. 775) quæ omnia se debere Ill. *Christiano Wilb. ab Eyben*, Sereniss. Ducis Ebor. & Osnabr. Episcopi supremo Status Ministro, gratus profitetur. Denique adduntur VIII *Consultatio* & *Conjecturæ* quædam *politicæ*, ad belli tricennalis historiam spectantes, & incerto autore ad Nostrum perlatæ, quas cum Cl. Editor vel *Camerario* vel *Rusdorfio* deberi conjectat, non multum a veritate aberrat; quodsi enim evolverit *Rusdorfii* Consilia, superiori Mense a nobis recensita, *Consultationem de mediis restaurandi res in Europa collapsas* deprehendet a p. 137 ad 180, Conjecturas vero a p. 115 ad 134, facile observabit, scripta hæc prolegomenis aucta & emendatiora inter Consilia illa junctim edita jam prodiisse.

JO. ALBERTI FABRICII S. S. THEOL. D. Prof. Publ. & hoc anno Gymnasii Rectoris, Bibliotheca Græca.

Volumen XIII.

Hamburgi, sumptu Theod. Christoph. Felgineri, 1726, 4. Alph. 4 pl 18.

MErito stadii ad calcem jam fibi decursum esse gaudet S.R. Autor, neque minus ipsi de hac felicitate gratulatur Orbis eruditus: neque enim præter mantissam Indicum & Supplementorum,

rum, quorum multam & non contemnendam copiam in mundo habet, & de Scriptoribus dubiis & suppositititiis diatribam, quicquam ad complendam hanc Bibliothecam exspectandum esse, ipse diserte indicat. Cum vero Volumine XII nondum absolverit, quæ de Medicis dicenda essent, nunc Capite IX sistit Indicem Scriptorum 1 a *Theophrasto*, & 2 a *Prisciano* Lydo in paraphrasi in Theophrastum de sensu & phantasia citatorum; 3 agit de *Nicolao* Myrepso, Alexandrino Medico, & Indicem subnectit eorum, quorum medicamenta ab illo referuntur; 4 Elenchum exhibet Medicorum veterum, præcipue eorum, quorum scripta desiderantur, vel de quibus mentio in priscis monumentis occurrit, quo non modo prolixius commentatur de Medicis nonnullis, ut Acesia, Achille, Acrone, Æmilio Macro, Adromacho Sen. & Jun. Ant. Musa, Asclepiade, Chirone, Chrysippis, Diagora, Erasistrato, Galeno, Hermogene, Herophilo, Hippocrate Coo, Joanne Damasceno, Marcello Sidete, Menecrate Syracusano, Mithridate, Nicomede Smyrnæo, Plinio, Sexto Chæroneo, Vindiciano, Xenocrate, aliis; verum & inserit subinde scripta integra, ut p. 259 *Johannis Leonis* de viris quibusdam illustribus apud Arabes libellum, ex editione Tigurina 1664 repetitum; p. 317 *Marcelli Sidetæ* de Medicina & piscibus fragmentum, ex versione metrica Fed. Morelli; p. 395 *Sexti* Chæron. Philosophi Platonici, librum de medicina ex animalibus, e rara Andr. Rivini editione; p. 546 *Vindiciani* Carmen Latinum de Medicina, quod ab aliis Sereno Sammonico, ab aliis Marcello Empirico tribuitur; ut & p. 448 ejusdem *Vindiciani* Epistolam ad Valentinianum Imp. In his recensendis non diffitetur Cl. Autor, se usum esse imprimis opera Andreæ Tiraquelli, qui in Libro erudito de Nobilitate Syllogen Medicorum Veterum dederat non inelegantem. Claudit opus Caput X, de Collectionibus omnis generis Scriptorum Græcorum junctim excusorum. Ex his eas memorare hic lubet (omnes enim repetere non patitur institutum nostrum) quæ in periodum, qua Acta nostra condere instituimus, incidunt, neque tamen a nobis vel visæ hactenus sunt, vel recensitæ. Sunt vero: *Joannis Patusæ*, Atheniensis, ἐγκυκλοπαιδεία φιλολογική, Græce, Venet. 1710, quatuor Volumin. in 8, quo libro varia scripta minora eaque

eaque e quamplurimis Veterum Græcorum ſcriptis ſtudio ſelecta continentur; *Jo. Jac. Schudt* Faſciculus Græcus, in uſum fere tyronum congeſtus, Francof. 1702, 8; *Hier. Freyeri* Faſciculus Poem. Gr. Halæ 1715, 8; Τῶν ἑλληνικῶν ἐπιστολῶν Ἀνθολογία καὶ τῶν σοφῶν ἀποφθέγματα, Patavii 1710 forma minori; Græcarum ſententiarum Centuriæ, cum verſ. *Haquini Spole*, Upſaliæ 1712, 8; Ποικίλη ἱστορία, cum not. & verſ. *Joannis Uptoni*, Lond. 1701, 8; *Joſ. Mariæ Thomaſii* Inſtitutiones Theol. antiquorum Patrum, tribus Voll. Romæ 1709, 1710 & 1712 in 8 editæ. Ceterum huic quoque Capiti quædam non ubivis obvia leguntur inſperſa, nimirum p. 468 *Phil. Melanchthonis* Epiſtola Gr. ad Patriarcham CPtanum; p. 479 Salutandi formæ, quibus noſtra ætate Græci utuntur, a *Joſepho Waſſe* Londini 1724, 4 vulgatæ; p. 500 *Ant. Eparchi* Epiſtola Græca ad Melanchthonem lectu digna, cum catalogo operum omnium Joach. Camerarii; a p. 544 ad 604 *An.* definitiones Gr. Lat. Altercatio Hadriani Aug. & Epicteti Philoſ. *Secundi* Philoſophi Sententiæ Gr. Lat. *Joannis Pediaſimi* deſiderium Gr. Lat. Diſputatio Pippini cum Albino Scholaſtico; *Nicarii* Interrogationes & reſponſiones; Reſponſa Sapientum e *Plutarcho*; *Frid. Lindenbrogii* variarum Quæſtionum Centuria, & *Antonii Chapuis* Quæſtiones & reſponſ. Gallice, ex ejus libro *Deſcription de la Limagne d'Auvergne* excerptæ; denique p. 648 *Theophili Corydalei*, cognomento *Theodoſii*, Tractatus Rhetoricus, Græce antea Lond. 1625, 8 editus, nunc etiam Latina verſione inſtructus. Nihil addimus, præterquam quod ſerio optamus, omnem a Typographo lapidem moveri, ut operi elucubratiſſimo, in quo multa Cel. Autor pro ſumma ingenii ubertate, arrepta vel levi occaſione, inſperſit notatu digna, (quo pertinent e. g. Virorum eruditorum nomina, vitæ, dies emortuales & ſimilia) accedat Index locupletiſſimus, qui ſi ſatisfacere Lectori debeat, facile integrum, nec leve, Volumen occupabit.

SERMONES IN PRIMO SOLENNI ACADemiæ Scientiarum Imperialis conventu die XXVII Decembris anni MDCCXXV publice recitati.

Petropoli, sumtibus Academiæ Scientiarum, 1726, 4.
Plag. 15.

ECce Tibi primitias illustrissimæ Academiæ Scientiarum Petropolitanæ, a *Petro Magno*, Russorum Monarcha, ad scientiam & artem promovendam fundatæ & auspiciis augustissimæ Conjugis *Catharinæ*, totius Russiæ & Provinciarum ejus Autocratoris, ad præsentem, quo floret, statum perductæ. Inter leges, quibus Augusta Protectrix Academiam suam regit, id officii Academicis injungitur, ut, pro excolendis communi consilio & cura scientiis, bina quovis octiduo vice omnes conveniant, partim ut destinationes & commentationes suas Sociorum judiciis exponant, partim ut communicatis invicem sententiis si quid de argumento disquisitioni exposito utile vel eximium cognoverint, Sodalium suorum cogitata suppleant, emendent vel confirment. Iisdem legibus institutum est, ut ternos quotannis congressus publicos & solennes celebret Societas. Primus qui ob impedimenta die S. *Catharinæ* festo celebrari non poterat, tertio Nativitatis Christi festo, die 27 Dec. A. 1725 styl. vet. fuit institutus. Interfuerunt Serenissimus Dux Holsatiæ, *Carolus Fridericus*, summi Gentis *Ruthenæ* Proceres, Viri ex Senatu, Synodo, aula & reliquis imperii collegiis præcipui, exterorum regnorum Ministri & ad Augustam Legati. Vir celeberrimus, *Georgius Bernhardus Bülffinger*, Physicæ experimentalis & theoreticæ Professor, duplicem recitavit sermonem. Primo docte ac eleganter enarrat, quæ litterarum a primis in Europa initiis ad usque Academias Scientiarum fuerint fata, quid sit Academia Scientiarum, quæ illius curæ, qui usus, quæ circa illas Fundatorum gloria. Altero specimen destinationum methodique in Scientiis versandi exhibet, acute disquirens, an jam eos in theoria magnetica progressus eruditi fecerint, ut sufficientem nautico scopo solutionem difficillimi de invenienda locorum longitudine problematis inde liceat repetere.

In primo igitur Sermone Vir doctissimus scientiarum fata in sex distribuit periodos, eosdemque suis discernit criteriis ac meritis. Primam tribuit famosis Græciæ sapientibus, quos tenuibus initiis & ambiguis progressibus usos vix modestiori quam Philosopho-

ſophorum nomine appellari poſſe cenſet. Alteram conſtituit in illo tempore, quo Philoſophi Scholas aperuere, veluti *Pythagoras* in Italia, *Anaxagoras* Athenis. Reprehendit autem, quod gloriæ magis, quam veritati ſtudentes, quibuscunque poterant artibus, ſectam augere & evehere ſuam, detrahere ceteris conniſi ſunt. Tertiam periodum orditur, ubi imperantes ſuas ſcientiis curas & patrocinium indulſere & Academiæ inſtitutæ, veluti ſeculo ſeptimo *Cantabrigienſis*, octavo *Pariſina*, nono *Tholoſana*, *Papienſis* & *Oxonienſis*. Quartam refert ad ea tempora, ubi *Galileus*, *Kepplerus*, *Carteſius* ſcientiarum pomœria extendere cœperunt. Quintam periodum vocat, quando in ſocietates litteratas privata autoritate coivere viri eruditi, veluti apud *Merſennum* jam ab anno 1610 *Gaſſendus*, *Carteſius*, *Hobbeſius*, *Robervallius*, *Paſchalis* uterque, *Blondellus* aliique, deinde apud *Monmortium* & *Thevenotium* in Gallia, & ſub finem dominationis *Cromvellianæ* Oxonii in Anglia. Sexta denique periodus Noſtro eſt, quo publica Imperantium autoritate poſt Academiam *Florentinam* a Magno Hetruriæ Duce fundatam, Societates Scientiarum erectæ, veluti a *Carolo II* Anglicana, a *Ludovico M.* Pariſina, a *Friderico* Boruſſica, a *Petro M.* & *Catharina* Petropolitana. Delabitur ita Orator ad Academias Scientiarum delineandas. Denotat hoc nomine collegium, quod diviſa inter plures, ſed communi conſilio agentes, opera perficiendis propagandisque & applicandis ad uſum ſcientiis pro cujusque diſciplinæ genio ſeriam conſtantemque curam impendit. Neceſſitatem iſtiusmodi Collegiorum probat inde, quod ob infinitam rerum in diſciplinis omnibus multitudinem earundemque diverſitatem unus non ſufficiat omnibus, quodque ſcientiarum cultura commune conſilium poſtulet. Officia enumerat, ſcientias perficere, propagare & ad uſus plurimos applicare. Inter iſtas potiſſimum collocat *mathematicas*, *phyſicas* atque *morales* & iisdem jungit *humaniores litteras*, quæ ſæpe emolumento, ſemper ornamento ſint eruditis. Prolixum nimis foret recenſere ſingula, quæ de ſingulis iſtis officiis pererudite ac utiliter monet. Excurrit deinde in uſus ſcientiarum deprædicandos & ſolide refellit nonnullorum obtrectatorum commentum, quaſi inventa generi humano utilia caſui debeantur, non ingenio ac induſtriæ.

dustriæ. Semovet quoque alterum, quod in scientias vibratur
opprobrium, non minore dexteritate, quasi speculationes sint
steriles, quibus plerumque hodie indulgent excelsiora ingenia.
Laudat deinde subsidia, quibus Academia ad excolendas scientias
instructa. Augusta Nutrix & Protectrix dedit ipsi Præsidem, Vi-
rum illustrem, *Laurentium Blumentrost*, Medicum suum prima-
rium, cujus tantam in sublimiori eruditione peritiam experta
est Academia, ut, si nulla etiam auctoritate emineret, consilio
tamen & exemplo suo omnes sodales in planissimos ad veritatem
feliciter inveniendam tramites certissime deduceret. Etsi autem
de se modestius sentiat Orator, cui Physicæ excolendæ provincia
demandata, ceteris tamen scientiis excolendis admotos esse præ-
dicat primi ordinis eruditos, adulta partim, partim nascente
gloria plurimum spectabiles. Munificentia *Petri* fundatoris præ-
sto est Bibliotheca numero æque & selectu commendabilis, Mu-
sæum rarioribus ex omni terrarum ambitu naturalibus refertissi-
mum, instrumentorum arte & magnificentia spectabilium locu-
ples apparatus, omnis generis numismatum & antiquitatum rara
collectio, pro re Anatomica Thesaurus *Ruyschio* artifice dignus.
Facit Augusta Protectrix, ut omnia quotidie exsplendescant am-
plius & Cl. *Schumachero*, Bibliothecario, in dijudicandis libris me-
lioribus intelligenti, in colligendis felici, in communicandis hu-
maniter officioso eam demandavit curam, ut omnia pateant Aca-
demiæ usibus. Id nempe egit *Petrus* M. ut in Academiæ institutio-
ne se sibi; id agit *Catharina*, Imperii hæres, ut in ejus perfectio-
ne se *Petro* similem ostenderit. Postquam mente attonita heroica
Petri atque *Catharinæ* facta & animum fuit veneratus, laudibus
magnificis extollit, suo & collegarum nomine, quod a Russico
ad aulam Borussicam Legato *Alexandro Golowkio* fuerint compel-
lati honorifice ac perhumaniter; quod, ubi Petropolin venere,
Clementissima Academiæ Nutrix maximis gratiæ testificationi-
bus ipsos dignata fuerit & omnia peregerit, quæ litteratorum bo-
no vel optari possint; quod Præsidem dederit societati & scienti-
is optatissimum, terna illa, quæ Præsidem faciat, virtute instru-
ctissimum, scientiis nempe solidioribus, humanitate facili &
gratioso apud Protectricem accessu: id quod ingentis beneficii

loco

loco habet Academia, ut Augustæ ideo ex voluntate Societatis publicas gratias agat Orator.

In altero sermone tria capita expendit Vir eruditionis singularis. Primo genuinam de longitudinum problemate, de scopo quæstionis & necessaria solutioni exactitudine ideam exponit; secundo indicat, quousque theoriam magneticam eruditi promoverint, annotando phænomena & illorum causas divinando: tertio expendit, an illa, qualis nunc est, scopo longitudinum antea exposito sufficiat & quibus modis eo deveniendum sit, ut certi reddamur, quod proposita difficilis quæstio solutionem ex magneticis sufficientem expectare aliquando vel possit vel non possit. Acum magneticam vel A. 1260 ex China in Europam per *Paulum Venetum* delatam esse ait, vel A. 1300 a *Joanne Goja*, Neapolitano, inventam. Declinationem, *Thevenotio* referente, jam A. 1269 observasse *Petrum Adsigerium*, aliis idem inventum vel *Gonzalio de Oviedo*, vel *Sebastiano Chabotio*, vel *Roberto* cuidam *Normanno* vindicantibus. Ejus variationes eas hactenus deprehensas, ut nihil inconstantiæ possibilis cogitari possit, cui illa non sit obnoxia. Eodem Telluris loco, sed diverso tempore, esse majorem illam, vel minorem, vel omninó nullam. Vergere acum non in easdem semper plagas, sed postquam deflexerat in orientem, verti deinceps in occidentem. In diversis locis eodem tempore discrepare declinationem, alibi nullam esse, alibi orientalem, alibi occidentalem, alibi pauciorum, alibi plurium circuli graduum. In ista variatione nullam huc usque liquidam esse legem. Aliquando acum complures videri brevi tempore gradus percurrere, aliquando pauciores; aliquando in medio ex maxima declinatione ad rectitudinem regressu tardius moveri, aut omnino consistere, postea velocius percursurum antegressam tarditatem succedente nunc celeritate compensare. Nullam hactenus declinationis variationem respectu temporis erui potuisse mediam constantem; nullam legem pro locorum diversitate certam & regularem; qua unius loci declinatio declinationem alterius latitudine aut longitudine aut utraque differentis vel superet, vel ab eadem deficiat. Sive hoc solum quæsiveris, an maxima unius loci declinatio sit æqualis maximæ alterius, an inæqualis, & quanta utrinque; sive il-

inter eruditos. Tertio ex observationibus illis condi debere existimat Tabulas varii generis; alias, quibus ad singulos declinationum & inclinationum gradus investigari possent loca, quibus illi observati sunt; alias, quibus ad singulos longitudinum vel latitudinum gradus declinationum mensuræ inquiri & inclinationum; alias, quibus ad diversa temporum intervalla declinationes inclinationesque; alias denique, quibus ad declinationum & inclinationum eodem in loco differentias inveniri tempora queant. Quarto denique inquirendum esse, an omnino pro diversa locorum longitudine latitudineque & temporum ratione legem aliquam nobis intelligibilem servent declinationes illæ inclinationesque, an a particularibus in tellure vel mari causis, quas investigare nobis non liceat, ita vel in solidum dependeant, vel in ordine suo, si quis fuerit generalis, adeo turbentur, ut nihil hac parte sperare liceat.

Hæc cum disseruisset Vir doctissimus, Cel. *Jacobus Hermannus*, Matheseos sublimioris Professor, qui inter Geometras primi ordinis dudum locum commeruit, vel his ipsis Actis testibus, suo & Collegarum nomine sententiam dicturus, *Bulffingeriana* calculum adjecit & nonnullas historicas notationes addidit. Huc pertinet, quod *Kepplerus* aperte professus fuerit, eclipses solares tutius, quam lunares ad longitudinum inventionem ducere, dissentientibus *Cavallerio* & *Ricciolo*, sed modum, quo id fieri possit, perspicue docente *Joh. Dom. Cassino*, recentiorum Astronomorum coryphæo. *Galilæum* longitudinum maris definiendarum negotio sufficere credidisse notitiam motus Satellitum Jovis & inventi sui arcanum obtulisse primum *Philippo* III Hispaniarum Regi, mox Statibus confœderati Belgii, cum quibus negotium eo usque processerit, ut torque aureo ab iis donatus fuerit &, nisi viri illi, quorum examini inventi indoles commissa erat, vivere desiissent, *Martinus Hortensius* ad *Galileum* oculorum usu jam penitus privatum Florentiam missus fuisset, ut cum ipso de invento & de modo id ad exitum & praxin deducendi tractaret. Cum inventum divulgaretur, *Morinum* & *Herigonium* id pro suo edidisse, sed *Cassinum* ultimam manum addidisse, editis tabulis accuratis motuum Satellitum Jovis. Plures tamen esse monet ratio-

nes,

nes, cur ſcopo nautico non ſufficiat. *Hugenium* ultimis tandem vitæ ſuæ annis reperiſſe curvam, cujus beneficio horologiis æqualis motus conciliatur, qui nulla maris, vel navis agitatione turbari aut minui poſſit, quod in pendulis ſuis non ſatis caveri potuiſſe ipſemet agnoſcat. Hoc vero inventum cum illuſtri Autore interiiſſe. Id ſolum particularius de eo ſibi in Batavia agenti innotuiſſe, quod per libratorem aliquem ambobus ſuis terminis inſculptas habentem curvas æquales, in quibus ſacomata æqualia ultro citroque moverentur, horologio ſuo æquabilem motum nulla agitatione navis turbandum inducere voluerit. Manere igitur problema Solutore dignum: *Invenire horologium, cujus æqualis motus in agitatiſſima navi ſine interruptione conſervari poſſit.* Circa acum magneticam notatu dignum ipſi videtur monitum *Riccioli* ex mente *Guilielmi Perſall*, Equitis Angli, in Geographia Reformata relatum, quod artifices in fabricando toto verſorio ex ferro aut chalybe errent: unde omnes anomalias in experimentis declinationis magneticæ derivet.

CONSTRUCTIO LINEARUM ISOCHRONARUM in medio quocunque reſiſtente, Autore LEONHARDO EULERO, Baſileenſi.

NOtum eſt inter Geometras cycloidem ordinariam eſſe in medio non reſiſtente iſochronam ſeu tautochronam, vi gravitatis uniformiter verſus centrum infinite diſtans tendente. In medio quoque pro ſimplici celeritatum ratione reſiſtente, iſochronam eſſe eandem cycloidem, oſtendit Vir ſummus, Newtonus in principiis ſuis Philoſophiæ Naturalis Lib. II Prop. 26. Oppido autem miror, neminem adhuc quicquam de iſochronis in aliis medii reſiſtentis hypotheſibus, non imaginariis, quemadmodum ſunt hæ duæ dictæ, meditatum fuiſſe; cum tamen hæc egregia materia bene mereatur, quæ in ſcientiæ de motu corporum in medio reſiſtente augmentum profundius examinetur. Ego, quæ hac in re inveni, quaſque feliciter detexi curvas tautochronas in medio quomodocunque reſiſtente, centro virium infinite di-

ſtante & uniformiter attrahente, hic cum publico communicabo, ut orbi literario anſam præbeam, hanc materiam penitius perſcrutandi.

Ut igitur modum generaliſſimum hujusmodi lineas iſochronas conſtruendi tradam: reſiſtat medium in ratione cujusvis functionis celeritatis, & pro hac ampliſſima hypotheſi, ſic conſtruo iſochronam.

TAB. III Fig. 9.

Sit AB linea verticalis, ſeu normalis in planum horizontis; ſuper hac, tanquam axe, deſcribatur curva AND talis, ut, dictis abſciſſa AP x, huic applicata normali PN, z, & ipſius z functione quadam, Z, quæ eandem ad z habeat rationem, quam habet illa functio celeritatis, ſecundum quam fit reſiſtentia, ad ipſam celeritatem, ut inquam ſit $dx = zdz + Z\,dz$. Hac curva facta, conſtruatur alia AMC, ſuper eodem axe AB, ut, producta NP in M, ſit portio curvæ AM æqualis applicatæ PN. Erit hæc curva CMA iſochrona, corpus ſcilicet ſuper ea, ſolo gravitatis niſu, deſcendens, in quocunque ejus puncto M deſcenſum adorſum fuerit, ſemper æquali tempore ad punctum A perveniet.

Ex hac conſtructione conſequitur, curvas haſce habere alicubi in C cuſpidem, & reverti in plagam, ex qua venerant, id quod accidere debet, ubi elementum applicatæ PM evaneſcit, elementum vero hoc æquatur $\sqrt{dz^2 - dx^2}$, ob AM=PN=z ſed quia $dx = zdz + Z\,dz$, erit $\sqrt{dz^2 - dx^2} = dz\sqrt{1-(z+Z)^2}$ quod debet æquari ziphræ, erit ergo $z + Z = 1$, ibi ergo eſt cuſpis, ubi ſumma $z+Z$ æquatur unitati.

Hæc ergo curva eandem cum Cycloide habebit formam, habebit enim infinitos cuſpides, & portiones cuſpides conſtituentes omnes inter ſe ſimiles & æquales, nam producta PM in *m* erit lege continuitatis PN= AMC−C*m*, ſed PN=AM ergo C*m*=CM partes ergo AMC, F*m*C cuſpidem C conſtituentes æquales erunt & ſimiles. Proin ex conſtructione puncto F, puncto A reſpondenti, adnectetur portio ſimilis, æqualis & ſimiliter poſita cum AMC. Sic quoque, curva CMA continuata, erit AB diameter, eandem ergo plane cum cycloide ordinaria habebit formam.

Ut applicemus hanc generalem conſtructionem ad hypotheſes ſpeciales; ponatur reſiſtentia nulla, erit $Z = 0$ ergo $dx = zdz$, i. e.

i.e. $2x = zz$, unde curva AND erit parabola Apolloniana. Erit ergo isochrona AMC cyclois ordinaria, uti Hugenius jam demonstravit.

Ponamus resistentiam celeritati proportionalem, erit $Z = z$, unde $dx = 2zdz$, i. e. $x = zz$, curva ergo A N D erit denuo parabola, & consequenter isochrona rursus cyclois, quemadmodum Newtonus loco citato demonstravit.

Sit Resistentia ut quadratum celeritatis, quæ hypothesis locum habet in aere, aqua, omnibusque fere fluidis, erit $Z = azz$, unde $dx = zdz + azzdz$ ergo $x = \frac{1}{2}zz + \frac{1}{3}az^3$, ex qua curva, ut supra docui, construi poterit isochrona. Quantitas, a, eo major est accipienda, quo resistentia major est, semper nimirum proportionalis assumi debet quantitati resistentiæ.

Et hac ratione pro quavis hypothesi resistentiarum excogitabili isochrona, methodo hac generali, facile deduci poterit, gravitate uniformiter agente. Pro aliis autem gravitatis hypothesibus, in medio quoque utcunque resistente, etiam possideo methodum construendi isochronas, quam autem, ut & eorum, quæ hic proposui, analysin seu demonstrationem, in aliud opportunum tempus differo; proponens interim cultoribus scientiæ hujus de motu corporum in mediis resistentibus problema sequens, quod ab hac materia haud multum abludit.

Invenire lineam celerrimi descensus, seu brachystochronam in medio quomodocunque resistente, saltem in hypothesi gravitatis uniformi.

P. S. Non possum, quin indicem Anonymo illi Anglo, cui jam per aliquantum temporis cum Celeb. Johanne Bernoulli circa trajectorias reciprocas res est, me adinvenisse methodum ex quolibet linearum ordine, excepto secundo, ad minimum unam determinandi curvam problemati illi de trajectoriis reciprocis satisfacientem, quam, uno elapso anno, revelaturus ero; quo Anglo illi non desit tempus trajectoriam reciprocam, quam inveniendam ipsi proposuit Cel. Bernoulli, simplicissimam post illam tertii ordinis, quam invenire potuerit, publice indicandi.

ANDREÆ GÆRTNERI, IN AULA REGIS Polon. & Elect. Sax. Mechanici & modulorum Magistri, Organum Astrodicticum globo cœlesti applicandum.

NObilis Mechanicus, nullique sui ordinis ingenio secundus, organum, de quo hic agitur, invenit ante plures annos; nobiscum vero figuras ejus communicavit, ad quarum ductum facilem totius negotii ideam dabimus. Sit HB globi, cui instrumentum

TAB. III Fig. 10.

applicandum, quadrans, & ad H & B concipiantur Tangentes maximum globi circulum, HI, IB, sibi in I ad rectos occursuræ. Ad quamvis distantiam IK a recta HI sit regula NO ipsi HI parallela. Huic regulæ affigatur arcus GB, quadrans FSL, cum fulcro arcuato DE & reliquis firmamentis, quæ in utraque figura comparent; sic ut compages tota superficiei globi commode possit imponi. Sit globus ad poli altitudinem, & temporis, quo uti-

Fig. 11.

mur instrumento, momentum compositus; ipsique imponatur instrumentum, sic ut regula NO dirigatur ad Stellam quamvis, & NOB sit in plano verticali; id quod perpendiculum imminens peripheriæ in medio cavi limbi quadrantis incisæ, ostendet; & facile patet ex elementis, angulum X, quem perpendiculum facit, cum quadrantis radio FS, seu arcum ejus mensuram, id est, altitudi-

Fig. 10. 11.

nem sideris horizontalem æqualem fore ipsi BZ in Figura II. Unde consequens est, extremum B stellam contingere in globi superficie, ad quam regula NO dirigebatur; eademque ratione, si extremitas B applicetur stellæ in globo datæ, & instrumentum circa B in globi superficie moveatur, donec perpendiculum immineat mediæ quadrantis cavitati, regulam NO directam iri ad stellam B, quæ proinde in cœlo a reliquis distinguetur.

Dum globum ad cœli situm pro temporis momento componit Inventor, ipsum movet circa unicum polum V; ne alter in hemisphærio superiore usui instrumenti obstet. Unde necessum habet globum Horizonti arcto immittere, quo fulciatur; cum fulcrum ad G, cui libere innititur, (quodque pro axe in globum inserto in Fig. II non habendum) nequeat omnem in latera inclinationem Sphæræ impedire. Rogatus de Semicirculo CT cum regula mobi-

mobili AQ, respondit, hæc se non alio fine adjicere, quam ut earum stellarum, quas in Semicirculi plano tempore observationis hærere contingit, distantias metiatur; neque adeo ad Astrodicticum proprie pertinere. Hoc instrumentum, ut quilibet videt, inservire potest curiosis, quibus animus est proprio Marte sidera dignoscere in cœlo stellato, eoque nomine commendandum est. Ad usum autem Astronomicum machinæ parallacticæ faciunt.

OBSERVATIONES HABITÆ ULYSSIPONE, circa Primum Jovis Satellitem; Autore DOMINICO CAPASSO, *Neapol. Soc. Jes.*

Anno 1725.

Immers.	Temp. ver. corr. Hor.	Min.	Sec.
Julii die 28 visus est mergi in umbra vera ♃ Telescopio satis perfecto, cujus longitudo palm. 30 Rom.	12	12	26.
Emers.			
Sept. die 12 visus est ab eadem umbra emergere, fortasse non satis exacte ob proximam ♃ cum ☉ ☍, quæ septem ante diebus contigerat.	15	0	10.
die 14 paulo clarius, & exactius -	9	28	7.
die 21 satis clare - -	11	24	55.
Octob. die 23 - - -	8	11	10.
Novemb. die 8 nonnihil incerta, saltem quoad secunda ob aeris ex vento trepidationem	6	30	4.
die 15 exacte - - -	8	24	50.
Decemb. die 8 - - -	8	32	40.
1726.			
Jan. die 9 non satis certa ob nimiam aeris claritatem a crepusc. - - -	4	58	50.
die 16 satis clare - - -	6	51	10.

OBSERVATIONES ASTRONOMICÆ AD ELEVATIonem Poli Ulyssipone inquirendam, eodem Autore.

HIc tantum appono observationes habitas circa Solem Quadrante Astronomico, ac Sextante trium pedum Parisinorum.

Postmodum mittam alias habitas Quadrante murali quinque pedum, tum circa Solem, tum etiam circa reliqua astra.

Anno 1725 d. 24 Nov.

	°	′	″
Altitudo Limbi super. ☉ in Meridie Quadrante Astronomico observata.	30	56	20.
Refractio propria hujus altitudinis ex tabulis Cl. V. D. Edmundi Halleji.	0	1	28.
Altitudo correcta ejusdem Limbi	30	54	52.
Parallaxis ☉	0	0	4.
Altitudo vera Limbi Superioris ☉	30	54	56.
Semidiameter apparens ☉	0	16	18.
Altitudo vera Centri ☉	30	38	38.
Declinatio ☉ Australis	20	38	59.
Altitudo Æquatoris	51	17	37.
Complementum, seu Elevatio Poli	38	42	23.

Die 5 Decemb.

	°	′	″
Altitudo Limbi super. ☉ in Meridiano per Sextantem	29	8	10.
Refractio ex iisdem Tabulis	0	1	35.
Altitudo ejusdem Limbi correcta	29	6	35.
Parallaxis ☉	0	0	4.
Altitudo vera Limbi Super. ☉	29	6	39.
Semidiameter ☉	0	16	20.
Altitudo vera Centri ☉	28	50	19.
Declinatio ☉ Australis	22	27	7.
Altitudo Æquatoris	51	17	26.
Complementum, seu Elevatio Poli	38	42	34.

Die 6 Decemb.

	°	′	″
Altitudo Limbi super. ☉ in Meridie per Sextantem	29	1	0.
Refractio	0	1	36.
Altitudo correcta ejusdem Limbi	28	59	24.
Parallaxis	0	0	4.
Altitudo vera Limbi Super. ☉	28	59	28.
Semidiameter ☉	0	16	21.

Alti-

Altitudo vera Centri ☉	28	43	07.
Declinatio ☉ Auſtralis	22	34	24.
Altitudo Æquatoris	51	17	31.
Complementum, ſeu Elevatio Poli.	38	42	29.
Die 29 Decemb.	°	′	″
Altitudo viſa Limbi Super. ☉ Quadrante	28	20	22.
Refractio	0	1	39.
Altitudo correcta ejusdem Limbi	28	18	43.
Parallaxis ☉	0	0	4.
Altitudo vera Limbi Super. ☉	28	18	47.
Semidiam. ☉	0	16	21.
Altitudo vera Centri ☉	28	2	26.
Declinatio ☉ Auſtralis	23	14	57.
Altitudo Æquatoris	51	17	23.
Complementum, ſeu Elevatio Poli.	38	42	37.
1726.			
Die 8 Januar.	°	′	″
Altitudo viſa Limbi infer. ☉ in Meridie	28	47	10.
Refractio	0	1	37.
Altitudo correcta ejusdem Limbi	28	45	33.
Parallaxis ☉	0	0	4.
Altitudo vera Limbi inferior. ☉	28	45	37.
Semidiam. ☉	0	16	21.
Altitudo vera Centri ☉	29	1	58.
Declinatio Auſtralis	22	15	42.
Altitudo Æquatoris	51	17	40.
Compl. ſeu Elevatio Poli	38	42	20.

Die 9 Januarii duas Solis altitudines ante Meridiem, totidemque poſt Meridiem accuratiſſime deprehendimus, addita Sextanti vel exigua differentia, quæ ex diverſa declinatione Solis refundi debuerat in ipſas pomeridianas altitudines ejusdem Solis, quo

quo semper in verticalibus a Meridiano æquidistantibus deprehenderetur, simulque differentia horologii Oscillatorii a Meridie vero, collatis utrisque inter se observationibus, dignosceretur; in singulis enim diligenter adnotavimus momenta temporis ab eodem horologio indicata. Utræque vero observationes adeo consensere in eadem prædicti horologii differentia a tempore vero definienda, ut vix unæ ab alteris in unico secundo discreparint. Emendatis igitur observationum momentis juxta inventam differentiam, supputare licuit calculis Trigonometricis Elevationem Poli his tribus datis.

	°	′	″
Altitudo vera Centri ☉	20	36	18.
Ejusdem declinatio Australis ex Tab. Hirianis	22	8	11.
Tempus verum observatæ altitudinis	9h	37	26.

	°	′	″
Quibus cognitis ope trianguli obliquanguli, in quo dantur duo latera, & angulus iisdem comprehensus, invenitur Poli Elevatio	38	42	24.

Ex secunda observatione matutina hæc tria quoque fiebant cognita.

	°	′	″
Altitudo vera Centri ☉	23	25	47.
Declinatio ☉ ex Tabulis Hirianis	22	8	10.
Tempus verum observatæ altitudinis	10h	4	41.

	°	′	″
Quibus cognitis ope ejusdem trianguli, invenitur Altitudo Poli Ulyssip.	38	42	25.

Ex duabus observationibus pomeridianis, cum eadem pene esset altitudo Solis, declinatio, & angulus circuli horarii cum Meridiano, eadem quoque resultare debuisset Altitudo Poli; ac proinde non opus erat novos calculos instituere.

Jam vero ex omnium observationum complexu inferre hactenus licet, Ulyssiponensis Urbis Latitudinem in Observatorio Regii Palatii, vel Collegii D. Antonii Magni, a quo non longe distat, esse 38° gr. 42′ min. pene 30″ secund. Secundorum enim certus numerus ab innumeris ac subtilioribus pendet experimentis;

tis; siquidem facile variantur vel ab inæqualibus refractionibus, quas experimur, aere diversimode affecto; vel etiam ab exiguo quantumvis Instrumentorum vitio, quod nec peritissimi Artificum in illis construendis vitare omnino possunt.

JOH. FRIDERICI HOMBERGK ZU VACH, Jur. in Acad. Marburg. Prof. Ord. Themis, seu de Ortu legis æternæ secundum sententiam Græcorum Liber singularis.

Marburgi Cattorum, impensis Philip. Casim. Mulleri, 1725, 4. Alph. 1.

SUbtiliorem Juris Civilis interpretationem, quæ tædiosa juvenibus studiosis facile solet fieri, amœniore quadam narratione interpolaturus, Celeberrimus Autor fabulam de Themide aliquot abhinc annis publicis prælectionibus exposuerat, ea fini, ut sententiam antiquissimorum Græciæ sapientum ista fictione obvolutam detegeret. Dignas postea judicavit easdem meditationes, quas publicæ committeret luci, parum veritus librum de Themide Dea olim editum a *Stephano Pighio*, qui saltem generalia quædam hujus argumenti tractat. Noster enim pro insigni Græcarum litterarum, qua pridem inclaruit, eruditione singulas fabulæ, prout ea ab Ascræo poeta in Theogonia & Orpheo in hymnis celebrata est, partes evolvit atque ex antiquitate Græca & Romana, plurimisque veterum locis illustrat, dum in eo totus est, ut Græcorum de juris divini humanique prima origine ac natura philosophiam occultiorem explicet. Nos meditationes Nostri paulo studiosius recitabimus. Themidem (cujus nomen apud Homerum & Hesiodum passim *legem*, *jus & fas*, *oraculum*, *consilia*, aliquando *jus*, sive *vectigal Principi solvendum*, notat) veteres finxerunt Cœli & Telluris filiam, conjugem Jovis secundam, cui fertur tres peperisse filias, Eunomiam, Dicen & Irenen. Per Cœlum & Tellurem res visibiles intelligendæ: nam ab iis, quæ in sensus incurrunt, generationem Deorum, seu potius hujus universi creationem exorsus Hesiodus Cœlum antiquissimum Deorum dixit. Saturnus Themide natu posterior, sed origine tamen generis humani antiquior fingitur. Ergo Themis, i. e. jus, ante homines conditos ex gentilium opinione jam extitit. Tam alte repetierunt Sapientes originem juris, intelligentes ex ipsa

p. 9. 17. p. 19.

 juris

juris rerumque creatarum ratione, jus una cum rebus creatis or-
tum esse. Jus enim intendit rerum, quibus præest, conservatio-
nem, ac ne hæ in operationibus suis se invicem turbent. Quoad
unum, quod per omnia sibi simile, tantummodo extitisse cogita-
mus, nullus apparet juris usus. At duæ res creatæ simul subsistere
nequeunt sine lege, secundum quam subsistant agantque. Statim
igitur dum Cœlum & Terra e Chao prodiere, jus etiam adfuit,
quod modum operandi secundum communes, vel proprias vires
determinaret. Quicquid vero virtutis in Themidem Cœlum &
25. Terra, ceu parentes, contulerunt, id non aliunde habuerunt,
quam ex Archetypo & primo juris fonte, i. e. prima & universali
rerum causa, quam Amorem Poetæ pariterque Philosophi appel-
lavere. Terra quamvis, ut corporea & pondere gravis, nihil ad ge-
27. nerationem juris contulisse videatur, expendendum tamen est,
jus duplici natura esse præditum atque parentis utriusque naturam
referre, incorpoream formam a patre, corpoream a matre habe-
re. Promanat illa a Divina patris intelligentia, imo ipsa est ratio
summi Jovis, qui fons est omnis pulchri, boni, æqui, justi atque
decori. Ab hoc omnis ordo, pulchritudo, bonitas & amicitia re-
rum creatarum provenerunt. Tellus, sive natura rerum corpo-
rea, non minus jure regitur, quam ipsum cœlum, sive spiritus,
quo materia animatur. Jus hoc naturæ illi corporeæ conveniens
esse debuit, atque hinc e penetralibus Telluris natum Græci dicta-
31. vere. Videntur hac mente Veteres Themidem Θέαν σωματικὴν
& σωματοειδῆ, *corpoream*, vocitasse, quod affirmavit Pighius,
& Platonis dictum comprobat. Hinc duæ Themides, una σωμα-
τικὴ, altera νοητικὴ: illa dirigit elementa & corpora inferiora, hæc
animos hominum & actiones. Hinc duplicia Themidis sacra,
Carmentalia Romanis dicta, quorum alia ad animi, alia ad cor-
poris curam & sanitatem respexere. Carmenta enim eadem, quæ
36. Themis, eaque eleganter traditur ex Mercurio Evandrum susce-
pisse, id est, bonum virum. Sed præter Themidem, juris Deam,
occurrit in hymnis Orphei sæpius *Nomos*, juris Deus, more gen-
tium superstitiosarum, qui idem Numen Deum Deamque effin-
gere adamabant. Attamen dicendum videtur, Nomon magis ea-
rum legum, quibus corpora continentur, & naturæ præsidem;
Themidem vero omnium in universum, imprimis quibus mentes
huma-

humanæ reguntur, principem habitam fuiſſe; imo Nomon ſignifi-
caſſe legem latam & poſitam rebus, Themidem vero Deam & præ-
ſidem illius juris: unde forte Nomos Orpheo non Deus, ſed tan-
tum *Rex* ſalutatur. Themis etiam ob vaticinandi facultatem augu-
ſtior, & concilio Deorum intereſſe credita fuit, non item Nomos.
Magnifica & plurima ſunt, quibus Themis a vatibus exornatur, p. 47.
epitheta, in quibus eminet illud, quo ab Orpheo celebratur *ἱεροσκό-
πος ἀνδρῶν*, *ſacra obſervatrix hominum*, quod Joſ. Scaliger ver-
tit *Juritis Cortumionem*, quo quid divinandum proponere vo-
luerit, quotusquisque intelliget? Optime reddetur *ἱεροσκόπος
Sacerdos*, interpretationem hanc Heſychio ſuggerente. Verum 51.
& complura attentione digna ab antiquis de Themide afferuntur,
v. c. eam juſſu Jovis Deos ad concilium convocare, cum Jove con-
ſilia conferre, e templo in Bœotia per oraculum Deucalioni &
Pyrrhæ conſilium inſtaurandi generis humani dediſſe, atque in
genere oraculorum & vaticiniorum præſidem eſſe, mentes huma-
nas concitandi & in furorem agitandi facultate pollere. Furor 56.
iſte, non Poetis proprius, ſed cum aliis hominibus communis,
(quo de Noſter meditationem ſubtiliorem inſerit,) eſt, *cum per-
petuus ille vitæ mentisque noſtræ motus extra ordinem movetur at-
que ultra leges vulgares omnibus mortalibus inditas ad veritatis
contemplationem impellitur*, *ita*, *ut magna cum facilitate rerum-
que non vulgarium ubertate cogitata ſua vel re ipſa explicet*, *vel
certe ad ea explicanda mens ſeſe aptam ſentiat & idoneam*. Furor
iſte ubi contingit, parturire ſemina mentis humanæ, i. e. facul-
tates intellectus, dixeris, & abyſſum rerum atque ſcientiarum,
qui in homine eſt, recludi, unde, plurimæ artes ac diſciplinæ
olim ut invenirentur, factum eſt. Themidi vero attributa vatici-
nandi atque furores excitandi virtus, ut innueretur, jus, cui illa 59.
præeſt, legem eſſe divinam, ab ipſo ſummo Bono naturæ indi-
tam, ſecundum quam non tantum formata ſit & ordinata, ſed &
cujus ope ſarta tecta conſervetur, ac ſi vel humanum jus tantum
ſpectes, eſt illud, quatenus vel jam definitum, vel adhuc defini-
endum eſt, immenſa quædam vis rationum, ſecundum quas
actiones humanæ dirigendæ & judicandæ ſunt. Hanc vim The- 72.
midi, tanquam poteſtati Deo inferiori, adſcripſere Græci, ac
præterea finxere, ipſis quoque Diis, præſertim Apollini, vatici-

nandi facultatem datam esse a Themide. Homerus cecinit, *nectar*
& *ambrosiam* Phœbo præbuisse Deam, quibus significare voluit
sapientiam divinam & cognitionem perfectam eorum, quæ vere
sunt, tam præsentium ac præteritorum, quam futurorum: eam
p. 79. ff. enim scientiam Deorum cibum veteres nominasse, e Platonis,
88. Jamblichi, Homeri aliorumque locis apparet. Apollinis autem,
id est, Solis lumen ac virtutem in mentes humanas diffundi credi-
90. derunt, eoque scientiis homines illustrari. Nec solum vaticiniis
claruisse fertur Themis, sed & consilio ac prudentia, qua ipsum
fatum, causarumque naturalium consecutiones moderetur, &
pro sapientia sua aliud constituat, magis accommodum utilitati
generis humani promovendæ. Ex his licet consectaria quædam
elicere: *primum*, aliud esse theoriam juris, h. e. legum memo-
riam, aliud cognitionem ordinatam causarum & rationum, qui-
bus reguntur omnia, possidere: *alterum*, talem esse cujusque
scientiam in jure, qualem Deus illi dedit: *tertium*, infinitarum
consecutionum seriem, unde eventus pendet, Dei consilio & pro-
videntia regi, gentiles etiam agnovisse, idque vel hanc fabulam
ostendere: *porro*, omnes excellenter malos furoribus agi ad ma-
lum: *denique* statum illum mentis, de quo supra dictum, furo-
rem quidem nominari, revera autem summam esse animi tran-
94. quillitatem, dum hic ad seria, bona & laudabilia abripitur. Jam,
ad fabulam de Themide ut revertamur, ponendum est, unam
esse illam, omnis juris fontem ac scaturiginem; quamvis alii du-
as Themides finxerint, diversa, ut indicavimus, respicientes. Pla-
tonis certe atque Ciceronis judicio una est lex, summique Jovis
ratio, summus & unus ille bonus finis, ad quem omnia guber-
nantur. Sed ea lex per inferiorum Deorum & ordinum potesta-
tem corporumque cœlestium & elementorum species diversis ra-
diis diffundi, indeque in mentes humanas ac corpora pro
cujusque materiæ conditione, ex supremi rerum gubernatoris vo-
luntate derivari dicitur. Hinc *quatuor æternæ legis species* secun-
dum Platonem, quarum primam *Divinam & Saturni legem* do-
cet versari in ideis circa summum bonum supra rationes: secun-
dam *cœlestem* in superiore animæ mundi parte, quam *fatum &*
Jovis legem vocat, in rationibus occupari vult circa ideas supra se-
mina: tertiam statuit movens in movente, *legemque prima Ve-*

neris

neris appellat, agentem in ſeminibus circa rationes ſupra formas: quartam in hominis mente animaque rerum creatarum collocat, quam *ſecunda Veneris legem* nominat, in notionibus & formis circa rationes ſupra actus atque artes inveniendam. Conſpirant hæc cum ſententia Platonicorum, cuncta a Deo bona in homines per intermedios dæmonas derivari, & cum quatuor illis circulis, quibus omnem rerum pulchritudinem, Deum in centro collocantes, ineſſe finxerunt. Uſum quatuor iſtorum juris graduum ſi requiras, primus quidem removendus videtur, cum Deus, fons omnis juris, ſit expers legis: cumque de mente & anima univerſali parum conſtet, duo etiam gradus intermedii non niſi eos juvabunt, qui animam mundi agnoſcunt. Itaque ſupereſt ultimus gradus, quem conſtituit humana ratio, cui quatenus jus inſitum recte dicatur, cujusque conſcientiæ relinquendum eſt: quale vero jus illud ſit, quod humana ratione excogitatum tradi ac proponi ſolet, non ignoratur. Ceterum gradus illi nos admonent, quemadmodum a ſuperioribus, & primo omnium rerum principio ad inferiora & extrema deſcendere, ita quoque ab inferioribus nos poſſe & debere ad ſumma rerum principia ipſumque Deum adſcendere. Et in infimo quoque gradu ineſt aliquid divini, qui divinitatis velut ſpeculum & totam juris compagem continet: unde merito jurisprudentia *rerum divinarum atque humanarum notitia* celebratur, quæ, fatentibus Græcis, ſine Deo, ac ſine animo vitiis affectibusque malis purgato eſſe non poteſt. Sed hactenus de virtutibus & facultatibus Themidis: conſiderandum nunc ejus conjugium. Dicitur enim ſecunda Jovis conjux, quam nuptias ejus fugientem & apud Ichnas Macedoniæ deprehenſam in matrimonium duxit. Jupiter in hac fabula ſpectandus, ut poteſtas ſummo Deo ſubordinata, cui imperium mundi, conſervatio & motus ſint commiſſa. Ei conveniebat ſummum conſilium & perfectum judicium, per Methin, primam Jovis uxorem, repræſentatum, quam gravidam devoraſſe ideo fingitur, ne illa ſapientiorem Jove Deum pareret. Ex arce rationis univerſalis & divinæ, capite ſcilicet Jovis, educenda igitur erat Minerva, ſapientiæ & ſcientiarum Dea. Themidis vero connubium optime decet Jovem, quoniam ad gubernationem hujus univerſi conſilium ſine jure non potuiſſet ſufficere. Illa deliteſcens ac fugiens

(Margin: p. 100. beside "Conſpirant"; 107. beside "Sed"; 114. beside "optime")

conjugium ideo fortaſſe traditur, vel, ut ſumma æternæ legis caſtitas indicaretur, vel, ut Themidem per omnes res creatas diſperſam, multiplicem, variam & multiformem eſſe, ideoque velut fugere oculos hominum, nec niſi ab ipſo Jove deprehendi poſſe ſignificaretur, vel, quod eſſet ἁγνὴ, *caſta*, ut ab Orpheo primum ei datur elogium, quodque eſſet *nobilis bonoque patre nata*, quam proinde fugere ac matrimonium renuere, quam ſeſe perſequenti offerre, magis deceret. Inventa dicitur in locis, *quibus pedum ejus impreſſa fuerint veſtigia*, unde cognomen ejus *Ichnæa*, egregie quidem, cum jus magno ſtudio ac diligenti inveſtigatione in-
p. 119. veniatur. Liberi ex hoc Themidis Jovisque conjugio nati dicuntur fuiſſe Horæ & Parcæ. Horarum prima eſt Eunomia, i. e. bonæ leges, aptaque earum diſpoſitio, ordo & juſtitia; altera Dice, i. e. juſtitia, vel judicium, quod ſecundum leges omnia diſtribuit, ac turbata in ordinem redigit; tertia Irene, ſeu pax, quæ poſitis illis prioribus neceſſario ſequitur. Hinc Pindarus, Corinthum
126. laudans, eam Horarum præſentia beatiſſimam prædicat. Genuiſſe Themis & Parcas dicitur, itidem numero tres, quia, ut Plato explicat, una præſens, altera præteritum, tertia futurum tempus reſpicit. Hæ certe, quia hominibus bona & mala distribuerent ac delicta perſequerentur, (qua cauſa Heſiodus eas *immites & atras* dixit, Horatius vero *fila* earum *atra* vocavit, ut fruſtra ſit Scaliger, cum propter vitæ lucem *candida* dici debuiſſe conten-
129. dit,) optime ad legem æternam & ad jus referuntur. At, cum Themidis fabula jam percenſita ſit, quid de Aſtræa Virgine ſentiendum erit? Aratus *Virginem* vocat, ſed incertus, utrum Aſtræo, an alii Deorum filiam adſcribat. Jovis & Themidis filia, ipſa Dice, habenda videtur, quod ei nomen idem Aratus etiam vindi-
137. cat. Atque hæc hactenus Noſter de fabula Themidis. Subnectit iſtis doctam de ſimulacris Themidis & filiarum, in lapide Terminali a Pighio exhibitis diſſertationem. Docet ibi, veteres Themidem ut Terminum recte animo concepiſſe, quod ſecundum legem æternam non ſolum totum univerſum terminis ac numeris conſtet, ſed & ſingulæ ejus partes limitibus ſuis contineantur. Huc ſpectare illud Horatii in carmine ſeculari:

Vosque veraces ceciniſſe, Parcæ,
Quod ſemel dictum eſt, ſtabilisque rerum

Ter-

Terminus servat, bona jam peractis
jungite fata.

Cumque in singulis his verbis V. Cl. R. Bentlejus lectionem communem sollicitaverit, Noster nihil mutandum de illa censet, si Terminum accipias Deum, haud frustra Parcis junctum, ut sensus sit: *quod semel a Jove dictum & sancitum est de Rom. Imperii felicitate ac æternitate, id Parcæ & Terminus, atque ordo rerum stabilis immutabili necessitate servent!* De forma Termini quadrata monet, eam non quidem soli Themidi aptatam, sed tamen huic optime convenire, ut immutabilis legis æternæ consistentia, atque rerum superiorum & inferiorum, divinarum humanarumque conspiratio, quam jus intendit, significetur. Hinc subnata de quaternario Pythagorico ac de Theologia Pythagoræorum disputatio, quam Noster ad finem usque libri nectit, ac demum tribus saltem verbis ad Themidem applicat. Fuimus in recensendo hoc libro singulari, quam proposueramus, longiores. Vin' causas? quoniam & dignus erat, & maxime, quod verebamur, ut multi sint ad eum perlegendum satis patientes futuri: quantumcunque enim amœnitatis hæ meditationes habeant, subtilitas tamen argumenti & implicati rerum nexus, quos etiam digressiones a Nostro insertæ aliquoties interrumpunt, multos lectorum deterrere posse videntur.

p. 151 ad fin.

NOVA LITTERARIA E LUSITANIA.

CUm non sine insigni Reip. Litterariæ commodo evenerit, ut V. C. *Dominicus Capassus*, Neapol. Soc. Jes. qui observationibus Astronomicis, quales ab eo liberaliter communicatas huic ipsi Mensi inseruimus, in Lusitania assidue incumbit, Vir promovendis bonis litteris natus, commercium nobiscum litterarium instituere cœperit; non ingratum futurum Lectori existimamus, si librorum quorundam in Lusitania postremis his annis editorum, quorum hactenus nulla ad nos notitia pervenerat, titulos ex ultimis ejus litteris hic describamus. Prodiere vero sequentes, omnes Lusitanico idiomate: *Emanuelis* de Lima, *Dominic. Hagiologium Dominicanum, in quo vitæ Beatorum & Martyrum aliarumque Venerabilium personarum ejus ordinis per omnes anni dies describuntur. Ulyss. T. I 1703, T. II & III 1710 & T. IV 1712, fol. Andreæ Joannis* Antonil *cultura & opulentia Brasiliæ. Ulyss. 1711, 4. Franc.*

de

ANDREÆ GÆRTNERI, IN AULA REGIS *Polon. & Elect. Sax. Mechanici & modulorum Magistri, Organum Astrodicticum globo cœlesti applicandum.*

NObilis Mechanicus, nullique sui ordinis ingenio secundus, organum, de quo hic agitur, invenit ante plures annos; nobiscum vero figuras ejus communicavit, ad quarum ductum facilem totius negotii ideam dabimus. Sit HB globi, cui instrumentum applicandum, quadrans, & ad H & B concipiantur Tangentes maximum globi circulum, HI, IB, sibi in I ad rectos occursuræ. Ad quamvis distantiam IK a recta HI sit regula NO ipsi HI parallela. Huic regulæ affigatur arcus GB, quadrans FSL, cum fulcro arcuato DE & reliquis firmamentis, quæ in utraque figura comparent; sic ut compages tota superficiei globi commode possit imponi. Sit globus ad poli altitudinem, & temporis, quo utimur instrumento, momentum compositus; ipsique imponatur instrumentum, sic ut regula NO dirigatur ad Stellam quamvis, & NOB sit in plano verticali; id quod perpendiculum imminens peripheriæ in medio cavi limbi quadrantis incisæ, ostendet; & facile patet ex elementis, angulum X, quem perpendiculum facit, cum quadrantis radio FS, seu arcum ejus mensuram, id est, altitudinem sideris horizontalem æqualem fore ipsi BZ in Figura II. Unde consequens est, extremum B stellam contingere in globi superficie, ad quam regula NO dirigebatur; eademque ratione, si extremitas B applicetur stellæ in globo datæ, & instrumentum circa B in globi superficie moveatur, donec perpendiculum immineat mediæ quadrantis cavitati, regulam NO directam iri ad stellam B, quæ proinde in cœlo a reliquis distinguetur.

TAB. III Fig. 10.

Fig. II.

Fig. 10. II.

Dum globum ad cœli situm pro temporis momento componit Inventor, ipsum movet circa unicum polum V; ne alter in hemisphærio superiore usui instrumenti obstet. Unde necessum habet globum Horizonti arcto immittere, quo fulciatur; cum fulcrum ad G, cui libere innititur, (quodque pro axe in globum inserto in Fig. II non habendum) nequeat omnem in latera inclinationem Sphæræ impedire. Rogatus de Semicirculo CT cum regula mobi-

mobili AQ, respondit, hæc se non alio fine adjicere, quam ut earum stellarum, quas in Semicirculi plano tempore observationis hærere contingit, distantias metiatur; neque adeo ad Astrodicticum proprie pertinere. Hoc instrumentum, ut quilibet videt, inservire potest curiosis, quibus animus est proprio Marte sidera dignoscere in cœlo stellato, eoque nomine commendandum est. Ad usum autem Astronomicum machinæ parallacticæ faciunt.

OBSERVATIONES HABITÆ ULYSSIPONE, circa Primum Jovis Satellitem; Autore DOMINICO CAPASSO, Neapol. Soc. Jes.

Anno 1725.

Immers.	Temp. ver. corr. Hor.	Min.	Sec.
Julii die 28 visus est mergi in umbra vera ♃ Telescopio satis perfecto, cujus longitudo palm. 30 Rom.	12	12	26.
Emers.			
Sept. die 12 visus est ab eadem umbra emergere, fortasse non satis exacte ob proximam ♃ cum ☉ ☍, quæ septem ante diebus contigerat.	15	0	10.
die 14 paulo clarius, & exactius -	9	28	7.
die 21 satis clare - -	11	24	55.
Octob. die 23 - - -	8	11	10.
Novemb. die 8 nonnihil incerta, saltem quoad secunda ob aeris ex vento trepidationem	6	30	4.
die 15 exacte - - -	8	24	50.
Decemb. die 8 - - -	8	32	40.
1726.			
Jan. die 9 non satis certa ob nimiam aeris claritatem a crepusc. - - -	4	58	50.
die 16 satis clare - - -	6	51	10.

OBSERVATIONES ASTRONOMICÆ AD ELEVATIONEM Poli Ulyssipone inquirendam, eodem Autore.

Hic tantum appono observationes habitas circa Solem Quadrante Astronomico, ac Sextante trium pedum Parisinorum.

Postmodum mittam alias habitas Quadrante murali quinque pedum, tum circa Solem, tum etiam circa reliqua astra.

Anno 1725 d. 24 Nov.

	°	′	″
Altitudo Limbi super. ⊙ in Meridie Quadrante Astronomico observata.	30	56	20.
Refractio propria hujus altitudinis ex tabulis Cl. V. D. Edmundi Halleji.	0	1	28.
Altitudo correcta ejusdem Limbi	30	54	52.
Parallaxis ⊙	0	0	4.
Altitudo vera Limbi Superioris ⊙	30	54	56.
Semidiameter apparens ⊙	0	16	18.
Altitudo vera Centri ⊙	30	38	38.
Declinatio ⊙ Australis	20	38	59.
Altitudo Æquatoris	51	17	37.
Complementum, seu Elevatio Poli	38	42	23.

Die 5 Decemb.

	°	′	″
Altitudo Limbi super. ⊙ in Meridiano per Sextantem	29	8	10.
Refractio ex iisdem Tabulis	0	1	35.
Altitudo ejusdem Limbi correcta	29	6	35.
Parallaxis ⊙	0	0	4.
Altitudo vera Limbi Super. ⊙	29	6	39.
Semidiameter ⊙	0	16	20.
Altitudo vera Centri ⊙	28	50	19.
Declinatio ⊙ Australis	22	27	7.
Altitudo Æquatoris	51	17	26.
Complementum, seu Elevatio Poli	38	42	34.

Die 6 Decemb.

	°	′	″
Altitudo Limbi super. ⊙ in Meridie per Sextantem	29	1	0.
Refractio	0	1	36.
Altitudo correcta ejusdem Limbi	28	59	24.
Parallaxis	0	0	4.
Altitudo vera Limbi Super. ⊙	28	59	28.
Semidiameter ⊙	0	16	21.

Alti-

Altitudo vera Centri ☉	28	43	07.
Declinatio ☉ Auſtralis	22	34	24.
Altitudo Æquatoris	51	17	31.
Complementum, ſeu Elevatio Poli.	38	42	29.

Die 29 Decemb.	o	'	''
Altitudo viſa Limbi Super. ☉ Quadrante	28	20	22.
Refractio	0	1	39.
Altitudo correcta ejuſdem Limbi	28	18	43.
Parallaxis ☉	0	0	4.
Altitudo vera Limbi Super. ☉	28	18	47.
Semidiam. ☉	0	16	21.
Altitudo vera Centri ☉	28	2	26.
Declinatio ☉ Auſtralis	23	14	57.
Altitudo Æquatoris	51	17	23.
Complementum, ſeu Elevatio Poli.	38	42	37.

1726.

Die 8 Januar.	o	'	''
Altitudo viſa Limbi infer. ☉ in Meridie	28	47	10.
Refractio	0	1	37.
Altitudo correcta ejuſdem Limbi	28	45	33.
Parallaxis ☉	0	0	4.
Altitudo vera Limbi inferior. ☉	28	45	37.
Semidiam. ☉	0	16	21.
Altitudo vera Centri ☉	29	1	58.
Declinatio Auſtralis	22	15	42.
Altitudo Æquatoris	51	17	40.
Compl. ſeu Elevatio Poli	38	42	20.

Die 9 Januarii duas Solis altitudines ante Meridiem, totidemque poſt Meridiem accuratiſſime deprehendimus, addita Sextanti vel exigua differentia, quæ ex diverſa declinatione Solis refundi debuerat in ipſas pomeridianas altitudines ejuſdem Solis, quo

quo ſemper in verticalibus a Meridiano æquidiſtantibus depre-
henderetur, ſimulque differentia horologii Oſcillatorii a Meri-
die vero, collatis utrisque inter ſe obſervationibus, dignoſcere-
tur; in ſingulis enim diligenter adnotavimus momenta tem-
poris ab eodem horologio indicata. Utræque vero obſervatio-
nes adeo conſenſere in eadem prædicti horologii differentia a
tempore vero definienda, ut vix unæ ab alteris in unico ſecundo
diſcreparint. Emendatis igitur obſervationum momentis juxta
inventam differentiam, ſupputare licuit calculis Trigonome-
tricis Elevationem Poli his tribus datis.

	o	'	"
Altitudo vera Centri ☉ - -	20	36	18.
Ejusdem declinatio Auſtralis ex Tab. Hirianis	22	8	11.
Tempus verum obſervatæ altitudinis -	9h	37'	26".
Quibus cognitis ope trianguli obliquanguli, in quo dantur duo latera, & angulus iisdem comprehenſus, invenitur Poli Elevatio -	38	42	24.

Ex ſecunda obſervatione matutina hæc tria quoque fiebant cognita.

	o	'	"
Altitudo vera Centri ☉ - -	23	25	47.
Declinatio ☉ ex Tabulis Hirianis -	22	8	10.
Tempus verum obſervatæ altitudinis -	10h	4'	41".
Quibus cognitis ope ejusdem trianguli, invenitur Altitudo Poli Ulyſſip. - -	38	42	25.

Ex duabus obſervationibus pomeridianis, cum eadem pene eſſet altitudo Solis, declinatio, & angulus circuli horarii cum Meridiano, eadem quoque reſultare debuiſſet Altitudo Poli; ac proinde non opus erat novos calculos inſtituere.

Jam vero ex omnium obſervationum complexu inferre hactenus licet, Ulyſſiponenſis Urbis Latitudinem in Obſervatorio Regii Palatii, vel Collegii D. Antonii Magni, a quo non longe diſtat, eſſe 38° gr. 42' min. pene 30" ſecund. Secundorum enim certus numerus ab innumeris ac ſubtilioribus pendet experimentis;

tis; siquidem facile variantur vel ab inæqualibus refractionibus, quas experimur, aere diversimode affecto; vel etiam ab exiguo quantumvis Instrumentorum vitio, quod nec peritissimi Artificum in illis construendis vitare omnino possunt.

JOH. FRIDERICI HOMBERGK ZU VACH, Jur. in Acad. Marburg. Prof. Ord. Themis, seu de Ortu legis æternæ secundum sententiam Græcorum Liber singularis.

Marburgi Cattorum, impensis Philip. Casim. Mulleri, 1725, 4. Alph. 1.

SUbtiliorem Juris Civilis interpretationem, quæ tædiosa juvenibus studiosis facile solet fieri, amœniore quadam narratione interpolaturus, Celeberrimus Autor fabulam de Themide aliquot abhinc annis publicis prælectionibus exposuerat, ea fini, ut sententiam antiquissimorum Græciæ sapientum ista fictione obvolutam detegeret. Dignas postea judicavit easdem meditationes, quas publicæ committeret luci, parum veritus librum de Themide Dea olim editum a *Stephano Pighio*, qui saltem generalia quædam hujus argumenti tractat. Noster enim pro insigni Græcarum litterarum, qua pridem inclaruit, eruditione singulas fabulæ, prout ea ab Ascræo poeta in Theogonia & Orpheo in hymnis celebrata est, partes evolvit atque ex antiquitate Græca & Romana, plurimisque veterum locis illustrat, dum in eo totus est, ut Græcorum de juris divini humanique prima origine ac natura philosophiam occultiorem explicet. Nos meditationes Nostri paulo studiosius recitabimus. Themidem (cujus nomen apud Homerum & Hesiodum passim *legem*, *jus* & *fas*, *oraculum*, *consilia*, aliquando *jus*, sive *vectigal Principi solvendum*, notat) veteres finxerunt Cœli & Telluris filiam, conjugem Jovis secundam, cui fertur tres peperisse filias, Eunomiam, Dicen & Irenen. Per Cœlum & Tellurem res visibiles intelligendæ: nam ab iis, quæ in sensus incurrunt, generationem Deorum, seu potius hujus universi creationem exorsus Hesiodus Cœlum antiquissimum Deorum dixit. Saturnus Themide natu posterior, sed origine tamen generis humani antiquior fingitur. Ergo Themis, i. e. jus, ante homines conditos ex gentilium opinione jam extitit. Tam alte repetierunt Sapientes originem juris, intelligentes ex ipsa

p. 9. 17. p. 19.

juris rerumque creatarum ratione, jus una cum rebus creatis or-
tum esse. Jus enim intendit rerum, quibus præest, conservatio-
nem, ac ne hæ in operationibus suis se invicem turbent. Quoad
unum, quod per omnia sibi simile, tantummodo extitisse cogita-
mus, nullus apparet juris usus. At duæ res creatæ simul subsistere
nequeunt sine lege, secundum quam subsistant agantque. Statim
igitur dum Cœlum & Terra e Chao prodiere, jus etiam adfuit,
quod modum operandi secundum communes, vel proprias vires
25. determinaret. Quicquid vero virtutis in Themidem Cœlum &
Terra, ceu parentes, contulerunt, id non aliunde habuerunt,
quam ex Archetypo & primo juris fonte, i. e. prima & universali
rerum causa, quam Amorem Poetæ pariterque Philosophi appel-
lavere. Terra quamvis, ut corporea & pondere gravis, nihil ad ge-
27. nerationem juris contulisse videatur, expendendum tamen est,
jus duplici natura esse præditum atque parentis utriusque naturam
referre, incorpoream formam a patre, corpoream a matre habe-
re. Promanat illa a Divina patris intelligentia, imo ipsa est ratio
summi Jovis, qui fons est omnis pulchri, boni, æqui, justi atque
decori. Ab hoc omnis ordo, pulchritudo, bonitas & amicitia re-
rum creatarum provenerunt. Tellus, sive natura rerum corpo-
rea, non minus jure regitur, quam ipsum cœlum, sive spiritus,
quo materia animatur. Jus hoc naturæ illi corporeæ conveniens
esse debuit, atque hinc e penetralibus Telluris natum Græci dicta-
vere. Videntur hac mente Veteres Themidem Θέαν σωματικὴν
31. & σωματοειδῆ, *corpoream*, vocitasse, quod affirmavit Pighius,
& Platonis dictum comprobat. Hinc duæ Themides, una σωμα-
τικὴ, altera νοητικὴ: illa dirigit elementa & corpora inferiora, hæc
animos hominum & actiones. Hinc duplicia Themidis sacra,
Carmentalia Romanis dicta, quorum alia ad animi, alia ad cor-
36. poris curam & sanitatem respexere. Carmenta enim eadem, quæ
Themis, eaque eleganter traditur ex Mercurio Evandrum susce-
pisse, id est, bonum virum. Sed præter Themidem, juris Deam,
occurrit in hymnis Orphei sæpius *Nomos*, juris Deus, more gen-
tium superstitiosarum, qui idem Numen Deum Deamque effin-
gere adamabant. Attamen dicendum videtur, Nomon magis ea-
rum legum, quibus corpora continentur, & naturæ præsidem;
Themidem vero omnium in universum, imprimis quibus mentes
huma-

humanæ reguntur, principem habitam fuiſſe; imo Nomon ſignificaſſe legem latam & poſitam rebus, Themidem vero Deam & præſidem illius juris: unde forte Nomos Orpheo non Deus, ſed tantum *Rex* ſalutatur. Themis etiam ob vaticinandi facultatem auguſtior, & concilio Deorum intereſſe credita fuit, non item Nomos. Magnifica & plurima ſunt, quibus Themis a vatibus exornatur, p. 47.
epitheta, in quibus eminet illud, quo ab Orpheo celebratur *ἱεροσκόπος ἀνδρῶν*, *ſacra obſervatrix hominum*, quod Joſ. Scaliger vertit *Juritis Cortumionem*, quo quid divinandum proponere voluerit, quotusquisque intelliget? Optime reddetur *ἱεροσκόπος Sacerdos*, interpretationem hanc Heſychio ſuggerente. Verum 51.
& complura attentione digna ab antiquis de Themide afferuntur, v. c. eam juſſu Jovis Deos ad concilium convocare, cum Jove conſilia conferre, e templo in Bœotia per oraculum Deucalioni & Pyrrhæ conſilium inſtaurandi generis humani dediſſe, atque in genere oraculorum & vaticiniorum præſidem eſſe, mentes humanas concitandi & in furorem agitandi facultate pollere. Furor 56.
iſte, non Poetis proprius, ſed cum aliis hominibus communis, (quo de Noſter meditationem ſubtiliorem inſerit,) eſt, *cum perpetuus ille vitæ mentisque noſtræ motus extra ordinem movetur atque ultra leges vulgares omnibus mortalibus inditas ad veritatis contemplationem impellitur*, *ita*, *ut magna cum facilitate rerumque non vulgarium ubertate cogitata ſua vel re ipſa explicet*, *vel certe ad ea explicanda mens ſeſe aptam ſentiat & idoneam.* Furor iſte ubi contingit, parturire ſemina mentis humanæ, i. e. facultates intellectus, dixeris, & abyſſum rerum atque ſcientiarum, qui in homine eſt, recludi, unde, plurimæ artes ac diſciplinæ olim ut invenirentur, factum eſt. Themidi vero attributa vatici- 59.
nandi atque furores excitandi virtus, ut innueretur, jus, cui illa præeſt, legem eſſe divinam, ab ipſo ſummo Bono naturæ inditam, ſecundum quam non tantum formata ſit & ordinata, ſed & cujus ope ſarta tecta conſervetur, ac ſi vel humanum jus tantum ſpectes, eſt illud, quatenus vel jam definitum, vel adhuc definiendum eſt, immenſa quædam vis rationum, ſecundum quas actiones humanæ dirigendæ & judicandæ ſunt. Hanc vim The- 72.
midi, tanquam poteſtati Deo inferiori, adſcripſere Græci, ac præterea finxere, ipſis quoque Diis, præſertim Apollini, vatici-

nandi facultatem datam eſſe a Themide. Homerus cecinit, *nectar*
& *ambroſiam* Phœbo præbuiſſe Deam, quibus ſignificare voluit
ſapientiam divinam & cognitionem perfectam eorum, quæ vere
ſunt, tam præſentium ac præteritorum, quam futurorum: eam
p. 79. ff. enim ſcientiam Deorum cibum veteres nominaſſe, e Platonis,
88. Jamblichi, Homeri aliorumque locis apparet. Apollinis autem,
id eſt, Solis lumen ac virtutem in mentes humanas diffundi credi-
90. derunt, eoque ſcientiis homines illuſtrari. Nec ſolum vaticiniis
claruiſſe fertur Themis, ſed & conſilio ac prudentia, qua ipſum
fatum, cauſarumque naturalium conſecutiones moderetur, &
pro ſapientia ſua aliud conſtituat, magis accommodum utilitati
generis humani promovendæ. Ex his licet conſectaria quædam
elicere: *primum*, aliud eſſe theoriam juris, h. e. legum memo-
riam, aliud cognitionem ordinatam cauſarum & rationum, qui-
bus reguntur omnia, poſſidere: *alterum*, talem eſſe cujusque
ſcientiam in jure, qualem Deus illi dedit: *tertium*, infinitarum
conſecutionum ſeriem, unde eventus pendet, Dei conſilio & pro-
videntia regi, gentiles etiam agnoviſſe, idque vel hanc fabulam
oſtendere: *porro*, omnes excellenter malos furoribus agi ad ma-
lum: *denique* ſtatum illum mentis, de quo ſupra dictum, furo-
rem quidem nominari, revera autem ſummam eſſe animi tran-
94. quillitatem, dum hic ad ſeria, bona & laudabilia abripitur. Jam,
ad fabulam de Themide ut revertamur, ponendum eſt, unam
eſſe illam, omnis juris fontem ac ſcaturiginem; quamvis alii du-
as Themides finxerint, diverſa, ut indicavimus, reſpicientes. Pla-
tonis certe atque Ciceronis judicio una eſt lex, ſummique Jovis
ratio, ſummus & unus ille bonus finis, ad quem omnia guber-
nantur. Sed ea lex per inferiorum Deorum & ordinum poteſta-
tem corporumque cœleſtium & elementorum ſpecies diverſis ra-
diis diffundi, indeque in mentes humanas ac corpora pro
cujusque materiæ conditione, ex ſupremi rerum gubernatoris vo-
luntate derivari dicitur. Hinc *quatuor æternæ legis ſpecies* ſecun-
dum Platonem, quarum primam *Divinam* & *Saturni legem* do-
cet verſari in ideis circa ſummum bonum ſupra rationes: ſecun-
dam *cœleſtem* in ſuperiore animæ mundi parte, quam *fatum* &
Jovis legem vocat, in rationibus occupari vult circa ideas ſupra ſe-
mina: tertiam ſtatuit movens in movente, *legemque primæ Ve-
neris*

ritris appellat, agentem in feminibus circa rationes supra formas: quartam in hominis mente animaque rerum creatarum collocat, quam *secunda Veneris legem* nominat, in notionibus & formis circa rationes supra actus atque artes inveniendam. Conspirant p. 100.
hæc cum sententia Platonicorum, cuncta a Deo bona in homines per intermedios dæmonas derivari, & cum quatuor illis circulis, quibus omnem rerum pulchritudinem, Deum in centro collocantes, inesse finxerunt. Usum quatuor istorum juris graduum si requiras, primus quidem removendus videtur, cum Deus, fons omnis juris, sit expers legis: cumque de mente & anima universali parum constet, duo etiam gradus intermedii non nisi eos juvabunt, qui animam mundi agnoscunt. Itaque superest ultimus gradus, quem constituit humana ratio, cui quatenus jus insitum recte dicatur, cujusque conscientiæ relinquendum est: quale vero jus illud sit, quod humana ratione excogitatum tradi ac proponi solet, non ignoratur. Ceterum gradus illi nos admonent, quemadmodum a superioribus, & primo omnium rerum principio ad inferiora & extrema descendere, ita quoque ab inferioribus nos posse & debere ad summa rerum principia ipsumque Deum adscendere. Et in infimo quoque gradu inest aliquid divini, qui divinitatis velut speculum & totam juris compagem continet: unde merito jurisprudentia *rerum divinarum atque humanarum notitia* celebratur, quæ, fatentibus Græcis, sine Deo, ac sine animo vitiis affectibusque malis purgato esse non potest. Sed 107.
hactenus de virtutibus & facultatibus Themidis: considerandum nunc ejus conjugium. Dicitur enim secunda Jovis conjux, quam nuptias ejus fugientem & apud Ichnas Macedoniæ deprehensam in matrimonium duxit. Jupiter in hac fabula spectandus, ut potestas summo Deo subordinata, cui imperium mundi, conservatio & motus sint commissa. Ei conveniebat summum consilium & perfectum judicium, per Methin, primam Jovis uxorem, repræsentatum, quam gravidam devorasse ideo fingitur, ne illa sapientiorem Jove Deum pareret. Ex arce rationis universalis & divinæ, capite scilicet Jovis, educenda igitur erat Minerva, sapientiæ & scientiarum Dea. Themidis vero connubium optime 114.
decet Jovem, quoniam ad gubernationem hujus universi consilium sine jure non potuisset sufficere. Illa delitescens ac fugiens

nandi facultatem datam esse a Themide. Homerus cecinit, *nectar* & *ambrosiam* Phœbo præbuisse Deam, quibus significare voluit sapientiam divinam & cognitionem perfectam eorum, quæ vere sunt, tam præsentium ac præteritorum, quam futurorum: eam
p. 79. ff. enim scientiam Deorum cibum veteres nominasse, e Platonis,
88. Jamblichi, Homeri aliorumque locis apparet. Apollinis autem, id est, Solis lumen ac virtutem in mentes humanas diffundi credi-
90. derunt, eoque scientiis homines illustrari. Nec solum vaticiniis claruisse fertur Themis, sed & consilio ac prudentia, qua ipsum fatum, causarumque naturalium consecutiones moderetur, & pro sapientia sua aliud constituat, magis accommodum utilitati generis humani promovendæ. Ex his licet consectaria quædam elicere: *primum*, aliud esse theoriam juris, h. e. legum memoriam, aliud cognitionem ordinatam causarum & rationum, quibus reguntur omnia, possidere: *alterum*, talem esse cujusque scientiam in jure, qualem Deus illi dedit: *tertium*, infinitarum consecutionum seriem, unde eventus pendet, Dei consilio & providentia regi, gentiles etiam agnovisse, idque vel hanc fabulam ostendere: *porro*, omnes excellenter malos furoribus agi ad malum: *denique* statum illum mentis, de quo supra dictum, furorem quidem nominari, revera autem summam esse animi tran-
94. quillitatem, dum hic ad seria, bona & laudabilia abripitur. Jam, ad fabulam de Themide ut revertamur, ponendum est, unam esse illam, omnis juris fontem ac scaturiginem; quamvis alii duas Themides finxerint, diversa, ut indicavimus, respicientes. Platonis certe atque Ciceronis judicio una est lex, summique Jovis ratio, summus & unus ille bonus finis, ad quem omnia gubernantur. Sed ea lex per inferiorum Deorum & ordinum potestatem corporumque cœlestium & elementorum species diversis radiis diffundi, indeque in mentes humanas ac corpora pro cujusque materiæ conditione, ex supremi rerum gubernatoris voluntate derivari dicitur. Hinc *quatuor æternæ legis species* secundum Platonem, quarum primam *Divinam* & *Saturni legem* docet versari in ideis circa summum bonum supra rationes: secundam *cœlestem* in superiore animæ mundi parte, quam *fatum* & *Jovis legem* vocat, in rationibus occupari vult circa ideas supra semina: tertiam statuit movens in movente, *legemque primæ Ve-*

neris

nitris appellat, agentem in feminibus circa rationes supra formas: quartam in hominis mente animaque rerum creatarum collocat, quam *secunda Veneris legem* nominat, in notionibus & formis circa rationes supra actus atque artes inveniendam. Conspirant hæc cum sententia Platonicorum, cuncta a Deo bona in homines per intermedios dæmonas derivari, & cum quatuor illis circulis, quibus omnem rerum pulchritudinem, Deum in centro collocantes, inesse finxerunt. Usum quatuor istorum juris graduum si requiras, primus quidem removendus videtur, cum Deus, fons omnis juris, sit expers legis: cumque de mente & anima universali parum constet, duo etiam gradus intermedii non nisi eos juvabunt, qui animam mundi agnoscunt. Itaque superest ultimus gradus, quem constituit humana ratio, cui quatenus jus insitum recte dicatur, cujusque conscientiæ relinquendum est: quale vero jus illud sit, quod humana ratione excogitatum tradi ac proponi solet, non ignoratur. Ceterum gradus illi nos admonent, quemadmodum a superioribus, & primo omnium rerum principio ad inferiora & extrema descendere, ita quoque ab inferioribus nos posse & debere ad summa rerum principia ipsumque Deum adscendere. Et in infimo quoque gradu inest aliquid divini, qui divinitatis velut speculum & totam juris compagem continet: unde merito jurisprudentia *rerum divinarum atque humanarum notitia* celebratur, quæ, fatentibus Græcis, sine Deo, ac sine animo vitiis affectibusque malis purgato esse non potest. Sed hactenus de virtutibus & facultatibus Themidis: considerandum nunc ejus conjugium. Dicitur enim secunda Jovis conjux, quam nuptias ejus fugientem & apud Ichnas Macedoniæ deprehensam in matrimonium duxit. Jupiter in hac fabula spectandus, ut potestas summo Deo subordinata, cui imperium mundi, conservatio & motus sint commissa. Ei conveniebat summum consilium & perfectum judicium, per Methin, primam Jovis uxorem, repræsentatum, quam gravidam devorasse ideo fingitur, ne illa sapientiorem Jove Deum pareret. Ex arce rationis universalis & divinæ, capite scilicet Jovis, educenda igitur erat Minerva, sapientiæ & scientiarum Dea. Themidis vero connubium optime decet Jovem, quoniam ad gubernationem hujus universi consilium sine jure non potuisset sufficere. Illa delitescens ac fugiens

p. 100. 107. 114.

conjugium ideo fortasse traditur, vel, ut summa æternæ legis castitas indicaretur, vel, ut Themidem per omnes res creatas dispersam, multiplicem, variam & multiformem esse, ideoque velut fugere oculos hominum, nec nisi ab ipso Jove deprehendi posse significaretur, vel, quod esset *ἁγνή*, *casta*, ut ab Orpheo primum ei datur elogium, quodque esset *nobilis bonoque patre nata*, quam proinde fugere ac matrimonium renuere, quam sese persequenti offerre, magis deceret. Inventa dicitur in locis, *quibus pedum ejus impressa fuerint vestigia*, unde cognomen ejus *Ichnææ*, egregie quidem, cum jus magno studio ac diligenti investigatione in-
p. 119. veniatur. Liberi ex hoc Themidis Jovisque conjugio nati dicuntur fuisse Horæ & Parcæ. Horarum prima est Eunomia, i. e. bonæ leges, aptaque earum dispositio, ordo & justitia; altera Dice, i. e. justitia, vel judicium, quod secundum leges omnia distribuit, ac turbata in ordinem redigit; tertia Irene, seu pax, quæ positis illis prioribus necessario sequitur. Hinc Pindarus, Corinthum
126. laudans, eam Horarum præsentia beatissimam prædicat. Genuisse Themis & Parcas dicitur, itidem numero tres, quia, ut Plato explicat, una præsens, altera præteritum, tertia futurum tempus respicit. Hæ certe, quia hominibus bona & mala distribuerent ac delicta persequerentur, (qua causa Hesiodus eas *immites & atras* dixit, Horatius vero *fila* earum *atra* vocavit, ut frustra sit Scaliger, cum propter vitæ lucem *candida* dici debuisse conten-
129. dit,) optime ad legem æternam & ad jus referuntur. At, cum Themidis fabula jam percensita sit, quid de Astræa Virgine sentiendum erit? Aratus *Virginem* vocat, sed incertus, utrum Astræo, an alii Deorum filiam adscribat. Jovis & Themidis filia, ipsa Dice, habenda videtur, quod ei nomen idem Aratus etiam vindi-
137. cat. Atque hæc hactenus Noster de fabula Themidis. Subnectit istis doctam de simulacris Themidis & filiarum, in lapide Terminali a Pighio exhibitis dissertationem. Docet ibi, veteres Themidem ut Terminum recte animo concepisse, quod secundum legem æternam non solum totum universum terminis ac numeris constet, sed & singulæ ejus partes limitibus suis contineantur. Huc spectare illud Horatii in carmine seculari:

Vosque veraces cecinisse, Parcæ,
Quod semel dictum est, stabilisque rerum

Ter-

Terminus servat, bona jam peractis
jungite fata.

Cumque in singulis his verbis V. Cl. R. Bentlejus lectionem communem sollicitaverit, Noster nihil mutandum de illa censet, si Terminum accipias Deum, haud frustra Parcis junctum, ut sensus sit: *quod semel a Jove dictum & sancitum est de Rom. Imperii felicitate ac æternitate, id Parcæ & Terminus, atque ordo rerum stabilis immutabili necessitate servent!* De forma Termini quadrata monet, eam non quidem soli Themidi aptatam, sed tamen huic optime convenire, ut immutabilis legis æternæ consistentia, atque rerum superiorum & inferiorum, divinarum humanarumque conspiratio, quam jus intendit, significetur. Hinc subnata de quaternario Pythagorico ac de Theologia Pythagoræorum disputatio, quam Noster ad finem usque libri nectit, ac demum tribus saltem verbis ad Themidem applicat. Fuimus in recensendo hoc libro singulari, quam proposueramus, longiores. Vin' causas? quoniam & dignus erat,& maxime,quod verebamur, ut multi sint ad eum perlegendum satis patientes futuri: quantumcunque enim amœnitatis hæ meditationes habeant, subtilitas tamen argumenti & implicati rerum nexus, quos etiam digressiones a Nostro insertæ aliquoties interrumpunt, multos lectorum deterrere posse videntur. p. 151 ad fin.

NOVA LITTERARIA E LUSITANIA.

CUm non sine insigni Reip. Litterariæ commodo evenerit, ut V. C. *Dominicus Capassus*, Neapol. Soc. Jes. qui observationibus Astronomicis, quales ab eo liberaliter communicatas huic ipsi Mensi inseruimus, in Lusitania assidue incumbit, Vir promovendis bonis litteris natus, commercium nobiscum litterarium instituere cœperit; non ingratum futurum Lectori existimamus, si librorum quorundam in Lusitania postremis his annis editorum, quorum hactenus nulla ad nos notitia pervenerat, titulos ex ultimis ejus litteris hic describamus. Prodiere vero sequentes, omnes Lusitanico idiomate: *Emanuelis* de Lima, *Dominic. Hagiologium Dominicanum, in quo vitæ Beatorum & Martyrum aliarumque Venerabilium personarum ejus ordinis per omnes anni dies describuntur. Ulyss. T. I 1703, T. II & III 1710 & T. IV 1712, fol. Andreæ Joannis* Antonil *cultura & opulentia Brasiliæ. Ulyss. 1711, 4. Franc. de*

de S. Maria *Annus Historicus, seu Diarium Lusitanicum compendiosa notitia Personarum illustrium & rerum notabilium in Lusitania. Ulyss.* 1714, *fol. Antonii* Franco *Imago virtutum. Ulyss.* 1714, *tomo unico, Conimbra* 1717 *& Ebora* 1719, *tomis II, fol.* quo libro de viris illustribus Soc. Jesu, qui in ea tyrocinium posuerunt, agitur. *Joannis* de Sacramento, *Carmel. discalc. Chronicon sui Ordinis, pertinens ad Provinciam S. Philippi in Regno Lusitan. Pars II. Ulyss.* 1721 *fol. Dominici* Teyxeyræ, *Augustin. Discalc. vita D. Nonii Alvari Perenii, secundi Comitis Stabilis Lusitani. Ulyss.* 1723, *fol. Didaci Bernardi* de Saa *Exemplar Politicum, quod in gestis D. Petri Lus. Regis sibi proposuit imitandum octavus ejus Nepos, Ulyss.* 1723, *in* 16. *Augustini* de S. Maria, *Augustiniani Discalceati, Historia tripartita. Ulyss.* 1724, 4. Agit hic Autor 1 de vita SS. MM. Verissimæ, Maximæ, Juliæ & Sororum, 2 de adventu & prædicatione S. Jacobi in Hispania, nec non de Ordinis sui primordiis; 3 de origine realis cœnobii mulierum (vulgo dicti *dos Santos*) ejusque illustribus Commendatariis ab A. 1712 ad hæc usque tempora. *Damiani* Goes *Chronicon Joannis II Reg. Lus. Ulyss.* 1724, 8 recusum. *Aloysii* de Abreu, *Franciscani, Sol in occasu oriens, occidens in ortu, seu Epitome Historiæ panegyricæ Sancti Antonii Ulyssiponensis. Conimbræ* 1725, *fol.* Quod Latine prodierit, nihil reperimus, præter *Petri* de Almeyda *S. J. in Caji Suetonii Tranquilli Julium Octavium & tres Flavios Commentarios, Ulyss.* 1715, 4 editos. Sub prelo vero Ulyssipone nunc esse accepimus sequentes: *Josephi* Barbosæ, *Clerici Regularis, Academici, Catalogus critico-historicus & chronologicus Reginarum Lusitanarum*; *Emanuelis* Azevedo de Fortis *Cursum Mathematicum pro integra institutione Architecturæ Militaris*, qui comprehendet 1 Elementa quantitatis generalia, 2 Elementa Euclidis, 3 de Sphæra & Geographia, 4 Trigonometriam, 5 Geometriam speculativam & practicam, 6 Architecturam militarem; *Historiæ Academiæ Regiæ Tomum I*, quo agitur de ejus fundatione; *Monarchiæ Lusitanicæ Tomum VIII*, ejusdemque libri *Tomum VII* emendatiorem; quos plerosque idiomate Lusitanico prodituros, non dubitamus. Præterea nuntiandum, *Franciscum* de Cruce, Soc. Jes. summo labore integram *Lusitanorum Bibliothecam* ad annum usque 1706, quo e vivis excessit, prelo paratam reliquisse, in qua augenda & continuanda nunc Vir quidam doctus ejusdem Societ. occupatur, ut spes sit, eam proxime typis subjiciendam.

No. IX.
ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Septembris Anno MDCCXXVI.

Der vollkommene Deutsche Soldat, ꝛc.
hoc est,
MILES GERMANUS PERFECTUS, OMNEM Scientiam militarem, imprimis quæ ad militem pedestrem spectat, dilucide exponens. Autore JOANNE FRIDERICO A FLEMING, Potent. Poloniarum Regis & Electoris Saxoniæ Tribuno militum pedestrium.

Lipsiæ, apud Joan. Christianum Martini, 1726, fol.
Alph. 9 plag. 8 Tabb. æn. 64.

AUtor genere & eruditione illustris, reique venatoriæ ac militaris peritissimus, cum intelligeret, præclarum, quod de re venatoria ediderat, & nos proxime in Supplementis recensebimus, opus multo cum applausu excipi; de scientia quoque militari commentari constituit in gratiam potissimum juventutis generosa stirpe oriundæ ac Marti nomen daturæ. Ingenue autem fatemur, opus in hoc genere eminens curiositati atque utilitati omnium eorum satisfacturum, qui, quæ ullo modo ad rem militarem spectare posse videntur, accurate cognoscere avent. Autor enim generosissimus non ea modo in medium affert, quæ domestica experientia & multa cum Viris prudentia militari eminentibus consuetudo ei suggessit; verum etiam addidit, quæ ex MSC. Parentis, Potentissimi Regis Poloniarum & Electoris Saxoniæ quondam Chiliarchæ & Præfecti Castelli montani *Kœnigstein*, hausit. Partitur opus egregium & hactenus desideratum in sex partes. Earum prima docet, quænam sint scientiæ ac artes præparatoriæ, quibus operam navare debet Nobilis castra secuturus.

rus. Poſtquam hic regulas utiliſſimas de educatione liberorum, deque pietate, virtute ac bonis moribus eorum formandis præſcripſit, poſt tyrocinia in legendo & ſcribendo depoſita commendat Artem delineatoriam ac pictoriam, Arithmeticam, ſtudium linguarum, Latinæ potiſſimum, Gallicæ ac Italicæ, Muſicam, athleticam, artem ſaltandi, deſiliendi, equitandi, venandi, proſecandi. Ubique vero ducem fidelem experies Noſtrum, præceptis ſalutaribus lectorem inſtruentem. Succedunt ſcientiæ Mathematicæ, in quorum cenſum refert Geometriam, Architecturam Militarem, & Civilem, Mechanicam, Aerometriam, quam in artis formam primum redactam fuiſſe a Cel. *Wolfio* monet, & cujus multum in arte ſalutari & œconomia uſum agnoſcit, Hydroſtaticam, Hydraulicam, Opticam, Aſtronomiam, Geographiam, Chronologiam; ſed ex earum numero excludit Aſtrologiam cum aliis artibus divinatoriis. Diſciplinis Mathematicis jungit Geographiam naturalem atque civilem. Rejectis methodis ſpuriis conjectandi hominum mores ac inclinationes naturales, quæ nituntur temperamentis & vulgo ſic dictis paſſionibus dominantibus, ambitione, avaritia & voluptate, una cum phyſiognomia, propterea quod inſufficientiam re ipſa expertus, eam præfert, quæ actionibus hominum nititur, a Cl. *Wolfio* in Meditationibus Moralibus propoſita. Poſtquam regulas quasdam in uſum peregrinationum propoſuit, &, quæ ex Geometria practica diſcenda ſint, docuit; ea ex Architectura militari & Pyrotechnia explicat, quæ militi ſuo uſui eſſe poſſunt. Varia vero in Pyrotechnia occurrunt practica, quæ alibi fruſtra quæſiveris. Colophonem Parti primæ imponit bibliotheca militis. Parte ſecunda generoſus Autor officia militum exponit. Abſoluto diſcurſu generali de arte militari, quo imprimis prærogativa rei militaris modernæ præ veteri ſtabilitur, de eadem in ſpecie differit, ubi juris præſertim militaris & cauſarum belli habetur ratio. Recenſet deinde virtutes & mores, qui militem ornant; monet, quæ circa matrimonia militum obſervanda; deſcribit eorum jura & privilegia una cum eorundem ſpeciebus. Poſtquam de Ducibus militum egit; mores cum Romanorum, tum Germanorum ſcribendi militem delineat, & cum Proceſſum criminalem Deſertorum, tum dimiſſionem militum legitimam deſcri-

describit. Hisce præmissis singulorum cum militum, tum ducum, tum omnium eorum, qui castra sequuntur, quocunque demum nomine veniant, officia prolixe inculcat. Parte tertia diversæ operationes & expeditiones militares desribuntur, veluti mandata imperatoris, consilia bellica, cura exercitus comparandi, faciendi & conficiendi, arma militum, eorum itinera, pabulatio, castrorum metatio, aciei institutio, exercitia militum, munimentorum obsessio, defensio, expugnatio, stratagemata, induciæ, victoria, captivatio, sepultura militum, eorumque hospitia una cum plurimis aliis, quæ hisce affinia sunt. Parte quarta prolixe non minus quam accurate singula tradit, quæ in locis munitis tempore pacis observanda, ubi etiam nonnulla de muniendis locis præcepta præmittuntur. Singularia hic occurrunt de milite præsidiario, de præparando pulvere pyrio, de tormentis, mortariis, tormento insititio, commeatu, disciplina militari, officiis militis præsidiarii & supremi præfectus, ut alia complura silentio prætereamus. Parte quinta docet Autor, quomodo loca munita adversus insultus hostiles & obsessiones sint defendenda. Agitur hic inter alia de fœderibus, de avocatoriis, de singulis operationibus bellicis in defendendo loco usitatis, de capitulationibus, ubi locus obsessus hosti tradendus, de pœnis summi præfectus officio suo minus satisfacientis & quæ sunt his gemina alia. Parte sexta eaque ultima exponit Noster, quæ in locis obsidendis & expugnandis tenenda sunt. Exponuntur hic omnes operationes in bello offensivo necessariæ, quæ vulgo in institutionibus Architecturæ militaris sub titulo praxeos offensivæ ex parte traduntur, & triumphi quoque cum ignibus festivis repræsentantur. In singulis Noster ita versatur per integrum opus, ut, quæ hodie usu obtinent, quam accuratissime describat. Quamobrem qui idem perlegit, eam rei militaris notitiam sibi comparat, quam vix obtinere datum fuisset, si castra diu multumque secutus singulis ipsemet interfuisset, sibique visa atque experta sedula cura annotasset. Satisfaciet igitur Autor non modo illis, qui Marti nomen dare constituerunt, verum etiam aliis, qui Architecturam militarem profitentur, immo eorum quoque curiositati, quibus universæ rei militaris rationem perspicere volupe fuerit. Multa quoque historica operi passim inserta sunt, quibus, quæ dicuntur,

 aut

aut illustrantur, aut confirmantur. Sequitur denique appendix, in qua Autor illustris de militibus celebribus & eruditis, de nobilitate, certaminibus singularibus, equitiis, ordinibus equestribus, feudis aliisque agnatis materiis agit. Tabulæ æneæ integras plagulas occupant, ac nitide & distincte oculis spectanda exhibent, quæ ex sola descriptione non sufficienter intelliguntur. Additur in fine index locupletissimus, qui hunc etiam habere potest usum, ut termini militares, quorum sane non exigua copia est, evolvi possint, quoties eorum ignaris occurrunt.

Schauplatz der Wage und Gewicht-Kunst, der Wissenschafft und Instrumente zum Wasser-Wägen ꝛc.

hoc est,

THEATRUM STATICUM UNIVERSALE; Autore JACOBO LEUPOLDO, Mathematico & Mechanico, Potent. Polon. Regis & Elect. Saxon. Consiliario & Commissario rei metallicæ, diversarum Societatum Regiarum Membro.

Partes IV.

Lipsiæ, apud Autorem & Joh. Frid. Gleditschii filium, 1726, fol. Alph. 2 plag. 11 Tabb. æn. 57.

PErgit industrius & de Mechanica omnique Mathesi practica optime merens Autor in edendo Theatro Machinarum universali, & hac vice profert machinas & instrumenta, quæ ad *Staticam* referri possunt, sub titulo *Theatri Statici universalis*. Dividit id in quatuor Partes. Earum primam *Theatrum Staticum* per eminentiam vocat & in ea libras omnis generis in scenam producit una cum ponderibus ad librandum requisitis. Parti secundæ *Theatri Hydrostatici* nomen imponit, & in ea apparatum instrumentorum ad experimenta hydrostatica requisitum describit. Partem tertiam *Theatrum aerostaticum* appellat, & in ea instrumenta aerometrica & meteorologica repræsentat. Denique partem quartam *Theatrum horizontostaticum sive libellationis* dicit, & in ea libella-

bellarum varia genera cum arte libellandi delineat. Agedum vero videamus paulo distinctius, quænam in singulis partibus contineantur.

Præmissis itaque terminorum nonnullorum explicationibus aliisque principiis staticis, quorum ad librarum æquilibrium intelligendum usus est, commendatisque Autoribus, qui de Statica cum fructu leguntur, *Archimede*, *Guidone Ubaldo*, *Daniele Mœglichio*, *Simone Stewino*, *Wallisio*, *Jungenickelio*, *Wolfio* & *Claudio Francisco Millieto Dechales*; instrumenta quædam describit, quibus ea ad experimenta revocantur, quæ a Mathematicis de libra demonstrantur. Habent nimirum istiusmodi experimenta hunc usum, ut rationes praxium mechanicarum illi quoque perspiciant, qui demonstrationum mathematicarum non sunt capaces. Inde Cl. Autor digreditur ad libram ordinariam quam accuratissime quoad singulas partes delineandam, qua in determinando pondere mercium utimur, & artificia singula exponit, quibus motus libræ onustæ facilitatur. Imprimis etiam libras minores ad expendendos nummos aureos contemplatur. Quoniam vero circa libras minores, quarum multus est in diversis casibus usus, multa quoad fulcra earundem diversitas occurrit; neque in his curate delineandis desiderari patitur industriam suam, non neglectis artificiis ad accuratam constructionem requisitis. A libra ordinaria ad stateram sese confert: ubi etiam majorum rationem habet ac imprimis stateram majorem Lipsiensem ad ponderandum currus fœno onustos a se A. 1718 constructam una cum ea, qua ante utebantur, repræsentat. Producit quoque in scenam stateram pro pendendis nummis aureis, libram *Cassini*, quæ non solum pondus, verum etiam pretium mercis determinat, aliasque non minus curiosas, quam utiles: quas inter comparet statera *Sanctorii* in usum transpirationis insensibilis determinandæ ab ipso perfecta & nomine *machina anthropometrica* insignita, atque ejusdem *Sanctorii libra Sphynicia* seu instrumentum pulsus arteriarum dignoscendi. Sequitur tandem prolixus de ponderibus discursus, in quo Cl. Autor varia pondera describit & diversis in locis usitatorum rationem ad Norimbergense determinat. Utitur hic opera

Part. I. c. 1. 2.

3.

4.

5.

6.

Joannis Georgii Schoapp, qui de hoc argumento A. 1712 suis sum-
tibus peculiarem Tractatum idiomate vernaculo edidit.

In *Hydrostatica* Cl. Autor commendat Cel. *Wolfii* Tomum
Part. II. c. I. primum Experimentorum, in quo doctrinam omnem hydrosta-
ticam maxima perspicuitate tradi prædicat: quamobrem & ejus
opera hic sæpissime utitur. Laudat tamen & passim Cel. *Gravesan-
dii* Tomum I Introductionis ad philosophiam *Newton.* in quo ean-
dem doctrinam experimentis illustrat atque confirmat. Nimirum
præmissis principiis de diversitate gravitatis specificæ cum solido-
rum, tum fluidorum, ea experimenta recenset, quibus æquili-
brium ac pressio aquæ juxta varias directiones exercetur, & com-
moda describit instrumenta huc requisita. Docet deinde, quomo-
2. do gravitas specifica fluidorum ope vasis determinatæ molis & li-
bræ vulgaris, sed exactæ, exploratur: ubi imprimis vasis habenda
ratio, ne fluidum in superficiem convexam protuberans pondus
augeat, cum molem non augere censeatur. Monet Noster, se in
his experimentis usum esse pede *Rhenano*, quem in Batavia emtum
contulit cum pede *Wolfiano* & eundem deprehendit. Reperit au-
3. tem pondus unius pedis cubici aquæ 64 librarum & semunciæ
unius, qui juxta *Wolfium* est 64 librar. 7 unciarum 2 drachmarum.
Monet autem pedem Amstelodamensem ex asse congruere cum
Lipsiensi. Digitum cubicum argenti vivi determinat 4120, spiri-
tus vini 226, plumbi 3334, ferri 2338, stanni 2198, ligni ex pyro 193
granorum. Docet præterea gravitatem liquorum specificam ope
4. tubi recurvi determinare, nec non ope solidorum fluidis specifice
levioribus immersorum. Atque hac ratione delabitur ad aræome-
5. tra describenda, quorum varia sunt genera. Reperies hic *aræo-
6. metrum cerevisiarium* tum *Dantiscanum*, tum *Leupoldianum*, una
cum *Leupoldianis aræometris* aquæ tam salsæ quam dulcis densi-
tatem ac specificam gravitatem explorandi. Occurrit porro *aræo-
metrum* singulare in usum mineralium & gemmarum, *aræome-
trum Monconysii* & *R. P. Feuillée*, item *Cornelii Meyeri*, una
cum *Hauksbejano*, quod ex Tomo primo Experimentorum *Wol-
fii* exhibuimus in Actis A. 1722 p. 35. Ultimo tandem declarat mo-
7. dum determinandi gravitatem specificam solidorum in fluidis de-
mersorum. Varias describit libras, quæ huic usui inservire pos-

sunt

ſunt & inter eas *ſtateram hydroſtaticam* a *Joanne Adamo Caſſio*, Architectorum militarium Præfecto, inventam, qui A. 1721 in Architecto ſuo militari, Caſſellis idiomate vernaculo & Gallico edito, novam muniendi formam trigoni & octogoni regularis dedit & a Cel. *Wolfio* in Matheſi ſe profeciſſe gratus confitetur. Nec negligit *Vitrum Archimedeum* Cl. *Schwedeborgii*, de quo diximus in Actis A. 1722 p. 264. Quoniam Cl. *Henckelius* in Pyritologia, quam nuper in his Actis p. 270 commendavimus, Cl. *Meuderi*, Medici Dreſdenſis, obſervationes circa experimenta hydroſtatica in determinanda tam fluidorum, quam ſolidorum gravitate ſpecifica una cum gravitate ſpecifica multarum materiarum ab eodem explorata cum publico communicavit: Noſter, ne quid omitteret, quod Lectori ſuo uſui eſſe poterat, easdem huc transferre nullus dubitavit, quamvis opus ultra molem debitam excreverit, ut tres Partes poſteriores minuto charactere imprimi fuerit opus.

Aeroſtaticam appellat Autor, quam alii *Aerometriam* appellant. Eandem ad tantam perfectionem noſtro ævo perveniſſe Part. III. c. 1. agnoſcit, ut *Wolfius* eam in formam ſcientiæ mathematicæ redigere & ipſi inter diſciplinas mathematicas locum aſſignare potuerit. Monet autem, ſe non omnia hic in ſcenam producturum, quæ apud *Wolfium* leguntur, ſed ea tantum, quæ ad inſtrumenta & machinas intelligendum ſufficiunt, uſibus aerometricis deſtinata. Præmiſſis itaque experimentis, quibus aeris gravitas, elaſticitas & preſſio confirmatur, ad *tubum Torricellianum* progreditur, qui hodie *barometri* fert nomen. Multa hic recenſet artificia 2. in conficiendis barometris uſitata, quæ inter quoque comparent proprio Marte reperta. Deſcribit vero tria genera barometrorum a ſe ipſo inventorum & unum *Anglicanum* in uſum itinerum. Docet deinde perſpicue, quam manum medicatricem huic inſtrumento attulerint *Comierius* cum *Guerickio*, (vide Acta Anni 1684 p. 26), *Bernhardus Ramazzini* in Ephemeridibus barometricis Mutinenſibus, *Joannes Bernoulli* in Actis A. 1716 p. 11, 3. *Hugenius*, *Philippus de la Hire*, *Reyherus*, *Amontonius*, *Boylius*, *Hookius*, *Halleſius*, *Franciſcus Tertius de Lanis* aliique. Cum de cauſis mutationum in barometro diſſerit, variorum quoque experi- 4.

perimentorum mentionem injicit,& hinc inde lectorem ad *Wolfii* Tomum I & II Experimentorum ablegat. Explicat hic quoque methodum altitudines montium ope barometri determinandi & observationes *Mariotti* cum *Scheuchzerianis* inter se confert. De luce barometrorum cum Cl. *Leutmanno, Beuthnero* & *Büttnero* sentit, multiplici experimentorum fide fretus, 1 barometrum in tenebris agitatum non lucere, si pars superior tubi ab omni aere fuerit vacua; 2 lucem autem extemplo comparere, admissa bullula aeris; 3 lucem comparere in Mercurii descensu, minime autem in ascensu, 4 bullulam tamen intra Mercurium interceptam lucere tam in ascensu, quam in descensu, 5 lucis quantitatem esse aeris quantitati ita proportionatam, ut nimia lucem omnem extinguat, justo minor eandem debilitet, 6 Mercurium purificatum fundere lumen clarius, impurum debilius. Instructionem barometri lucentis dat ex ejusdem *Leutmanni* Meteorognosia, nuper in his Actis p. 24 recensita. Ceterum hac data occasione agit de experimentis *Hauksbejanis* ope Mercurii descendentis vel affrictu vitri evacuati producendi lumen. A barometro ad manometrum digreditur.
c. 5. Primum exhibet *Guerickianum*, quod inventor cum *Boylio* pro barometro habuit, sed manometrum esse demonstravit *Wolfius*, cujus ex parte secunda Experimentorum demonstrationem adducit Noster. Subjungit *Varignonianum* & *Wolfianum*, ac utrumque
6. ipsis *Wolfii* verbis describit. Inter thermometra primo loco repræsentat *Drebbelianum* sive *Batavum*, in quatuordecim formas distinctum. Subjungit *Florentinum*, ubi quoque thermometrorum *Fahrenheitianorum* concordantium mentionem injicit, de quibus diximus in Actis A. 1714 p. 380, & quorum perennem concordiam ab illo tempore in hunc usque diem expertus est *Wolfius*. Nec silentio præterit thermometrum Mercuriale, quod antea jam ab aliis descriptum tanquam novum inventum proposuit Cl. *Balthasar* in Actis A. 1719 p. 128. Inter *hygrometra*, quæ magno numero
7. affert Cl. Autor, comparent etiam *Teuberiana, Lichtscheidianum, Gouldianum, Amontonianum*, in Actis A. 1685 p. 316, A. 1687 p. 76, A. 1688 p. 179, 180, 376 descripta. Imprimis detegit arcanum hygroscopicum Hamburgense, quod tantopere prædicatum ab inventore, etsi Noster idem ceteris hygrometris inferius longe depre-

hen-

henderit. Nimirum *J. G. Cotta*, quem laboratorio suo mechanico præfecit Autor, cum ob impedimenta ipsemet labores dirigere nequeat, experientiæ in pueritia haustæ recordatus reperit, parari idem ex gummi cerasi adhuc molli, si inde fila formentur & ex iis tela oblonga instar lamellæ formetur. Est enim *Hamburgensis* longitudo 4 digitorum, latitudo ½ unius: quod charta obductum in parte superiori, ubi manu tenetur. *Hyetometra* tria describit; c. 8.
scilicet *Leutmannianum*, aliud inde simplicissimum a se constructum, & illud, quo utuntur Medici Uratislavienses. Addit duo alia curiosa a se inventa, quorum primum determinat quantitatem pluviæ ad singulos dies, vel singulas diei horas; alterum ejusdem pondus ope indicis monstrat. Postquam plagoscopia varia delineavit & inter ea quoque nonnulla curiosa, quæ pro diverso ventorum impetu diversos sonitus edunt; ultimo tandem loco anemometra exhibet diversa, nempe *Anglicanum* ex Transactionibus Anglicanis, *Wolfianum* ex Aerometria *Wolfiana*, *Gærtbnerianum*, quod Dresdæ instituitur in tecto ædium *Dinglingerianarum*, nec differt a *Leutmanniano*, cujus mense Martio p. 125 meminimus, variaque a se inventa, quæ inter maxime curiosum illud reperitur, quod plagam, unde ventus spirat, & ejus impetum ipsummet in charta annotat. Hoc inventum permovit Autorem ingeniosissimum, ut etiam de thermometris & barometris cogitaret, quæ ad certas diei noctisque horas mutationes ipsamet annotent. *Becberi* inventum ex ipsius Tractatu de nova dimensione temporis explicat, ope barometri motum penduli horologio applicati ad æqualitatem reducendi. Colophonis loco subjicit Invitationem Cel. *Jacobi Jurini* ad observationes meteorologicas ex Actorum horum Tomo VIII Supplem. p. 389.

(In the margin: 9. beside "pondus ope indicis monstrat"; 10. beside "mometra exhibet diversa")

Artem libellandi Cl. *Leupoldus* a linea horizontali, quæ libella determinatur, *Horizontostaticam* appellat. Explicata igitur differentia, quæ inter lineam horizontalem veram atque apparentem intercedit, & reductione apparentis ad veram; libellas distinguit in tres classes. Prima est earum, quæ perpendiculo instructæ sunt: secunda istarum, quæ suo sese pondere in situm horizontalem componunt: tertia denique illarum, quæ ope aquæ vel alterius fluidi lineam horizontalem determinant. Ad priorem classem refert instrumenta fabrilia, quibus fabri murarii aliique

(In the margin: Part IV. c. 1.; 2.; 3.)

utuntur, Romanis olim generali *librarum* nomine designata. Addit deinde libras aquarias alias a *Piccardo*, *Sturmio*, *Chappotiotio* & proprio ingenio excogitatas. In *Sturmiana* & *Chappatotiana* aliquot defectus notat. In classe posteriori comparent libel-
c. 4. læ *Hugenii*, *Butterfieldii*, *Hartsækeri*, *Ræmeri*, *Sturmii* & ab Autore vel inventæ, vel ulterius perfectæ. In classe denique ultima
5. locum habent libræ aquariæ *Mariotti*, *Philippi de la Hire*, ipsius Autoris & variæ anonymorum. Adjicitur ob affinitatem *Gærtneri* instrumentum metiendi altiudinem & basin turris, & instrumenta ad libellationem necessaria enumerantur.

Joh. Georg von Eckhart gründliche Nachricht von der Käyserl. und Königl. Alten Saltzburg und dem Pallaste Saltz in Francken.

hoc est,

JOHANNIS GEORGII AB ECKHART Dissertatio de Imperiali & Regio Palatio Salæ in Franconia sito.

Herbipoli, typis Henrici Engmann, 1726, 4.
Plag. 7.

NActus est hanc conscribendæ opellæ elegantis materiam Ill. Autor, cum superiori anno Celsiss. Princeps, Episcopus Herbipol. cui Noster est a Consiliis intimioribus, a Neostadiensibus ad Salam, quibus proxime adjacet Salæ palatium, juramentum fidelitatis acciperet. Palatia Regum vetera vel ideo notanda esse, quod in iis olim procerum Conventus Synodique celebrarentur, ac leges, privilegia præceptaque ederentur, nemo negabit. Mabillonius inde librum *de Palatiis Regum Francor.* partem Artis suæ Diplomaticæ esse voluit; in quo tamen pleraque in Germania Cisrhenana sita omisit, atque inter ea etiam *Palatium Salæ*. Hoc *Salæ* adsitum fuisse veteres expressis verbis dicunt. Sed plerique ad Salam Thuringicam collocant, cum tamen & in Franconia celebris decurrat Sala, qui Mœno ad Gemundam miscetur. Hunc a Strabone nominatum, Autor doctissimus putat, quando is scripsit, Drusum inter *Salam* & Rhenum bellum felici successu gerentem obiisse.

obiisse. Nam Salam Thuringicum nondum tunc Romani noverant, ut ex Drusi expeditionibus Germanicis ostendit. Hunc eundem *Salam* sive *fluvium sale fœcundum* esse statuit, ad quem, Tacito autore, Hermunduri Cattos ingenti prælio devicere. Nam Sala Thuringicus longe a Cattis remotus fluxit, ut ad eum de finibus cum Hermunduris certare non potuerint. A Sala Franconico dictus etiam est *pagus Salageuue*, unde *Legi Salicæ* nomen. *Castrum Saltzburgum* in eo jacet; & sub eo *palatium Salæ* in insula, quam ibi Sala facit, olim conspicuum fuit, Neostadio proximum. Recentiores quidam tradunt, Pharamundum Salzburgi resedisse, quod tamen Noster non plane affirmat, quanquam agnoscat, Clodionem quoque non procul inde sub sylva Thuringica in Hennebergico tractu castrum *Dispargum* incoluisse, unde ibi adhuc mons, *die Diesburg* dictus, nomen servet. Gregorius Turonensis suo tempore hoc castrum in *termino Thuringorum* jacuisse ait, quod non *in finibus*, sed *in regione Thuringorum* exponendum est. Thuringi enim non solum successerant Francis in pagis *Bodogeuue* & *Windogeuue*, hoc est, in terris a Boda fluvio & Albi ad Sylvam Thuringicam usque extensis, sed Francos sub Childerico I etiam Pagis *Salageuue* & *Wirogeuue* sive *Weringeuue* expulerant, aliasque gentes Mœnum inter & Danubium hærentes oppresserant, unde ab ea ætate usque ad Caroli Martelli tempora *Thuringia* ab Albi ad Danubium usque extensa fuit &, quicquid *Hermunduri* tenuerant, complexa est. Geographus Ravennas hac de causa *Thuringiam, antiquitus Germaniam* dictam esse refert, eamque inter Saxones, Francos Rhenenses & Suevos sive Alamannos collocat. Inter fluvios Thuringiæ recenset *Bac & Reganum, qui in Danubio mergantur.* Ubi *Bac* forte ex *Nabac* sive *Nabi* corruptum est: nam *Nabis* & *Reganus* etiamnum extant, & a Danubio excipiuntur. Thuringia igitur Danubio tunc terminata est. Eugippius in vita S. Severini *Thuringorum & Alamannorum* in *Noricum*, trajecto Danubio, incursiones commemorat. *Hunnos* ex Pannonia in *Thuringiam* irruisse, Gregorius Turonensis & Paulus Diaconus referunt. *Winidos Slavos* sub Samone Rege, hoc est, *Carantanos*, Thuringiam vastasse, Fredegarius testatur. *Super Thuringos* habitare *Suevos*, Procopius

inquit; ejus vero ætate Suevi jam Nicro terminabantur, & ad hunc fluvium Thuringis vicini erant. Jornandes, Suevos Thuringis septentrionem versus confines esse, profitetur. Continuator Fredegarii scribit, Carolum Martellum Carolomanno filio testamento legasse *Austrasiam*, *Sueviam* & *Thuringiam*. Possedit vero Carolomannus non solum Thuringiam nunc ita dictam, sed etiam, quicquid nunc Circulus Franconiæ complectitur; omnis ergo hæc regio *Thuringia* tunc dicta est; neque enim ad Sueviam pertinebat, quam nemo tam late extendit. Qua occasione vero pars maxima Thuringiæ nomen mutarit, & appellationem *Novæ Franciæ* sive *Franconiæ* & *Partis Austriæ* aut *Franciæ Orientalis* receperit, pluribus Autor pandet in *Antiquitatibus Ducatus Franciæ Orientalis*, quas jam prælo subdit. Sanctimonialis Heidenheimensis in Vita S. Willibaldi Eichstetensis Episcopi primi dicit, eum venisse *in Thuringiam* ad S. Bonifacium & ibi in Episcopum consecratum esse *in loco*, *qui dicitur Sallpurg*, pro quo Anonymus in Vita S. Willebaldi *Salzburg* rectius habet. Refutat hic Autor illos, qui Salzburgum hoc ad Salam Thuringicum collocarunt. Est ibi quidem arx *Salburgum*, sed in dextra Salæ ripa; atque ita Bonifacii ævo in Sorabis jacuit, nondum Christianis nec Francis submissis, ut adeo ibi nullatenus Synodus haberi & in ea Willibaldus consecrari potuerit. Ostendit porro Ill. Autor, in eadem Synodo, paullo tamen ante Willibaldum, *Burchardum Wirtzburgensem* & *Wittam Buriburgensem* Episcopos creatos: *Adelarium* vero, quem vulgo Erfurtensem Episcopum ferunt, nunquam Episcopum fuisse, sed *Presbyterum* cum S. Bonifacio Martyrium passum. Hac occasione Synodos a Bonifacio habitas in ordinem redigit, & hanc Saltzburgensem inter eas necessario computandam esse demonstrat. Willibaldus enim in Vita S. Bonifacii indicat, Synodum Suessionensem fuisse *quintam*, cui præsederit Bonifacius. *Prima* vero sine dubio fuit *Bajoarica* anno 740 congregata *Frisingæ*, ut suspicio est, in qua Bajoaria in quatuor diœceses dispertita fuit. *Secunda* fuit hæc *Salzburgensis* anno 741; *tertia* autem illa, quam vulgo & erronee *Concilium Germanicum primum* nominant, & Autor anno 742 etiam *Salzburgi* in Castro Regio habitam existimat, quia ipse Carolomannus Major domu

mus regiæ ei interfuit. *Quarta* Sixtinis anno 743, & *quinta* apud *Sueßiones* A. 744 coacta est. Sic omnia bene cohærent. Veteres Annales Francici ajunt, A. 768 Pippinum Regem *in castro Sels* Pascha celebrasse, quod a *Castro Salz* sive *Salzburgi* non differt, quia *e* & *a* olim permutabantur, ut Noster pluribus exemplis ostendit. Ab hoc vero tempore sub Carolo M. non tam frequens Castri, sed plerumque *Palatii Salz* sive *Salæ* mentio fit. Et Laureshamenses Annales asseverant, Carolum M. A. 790 *per Mœnum fluvium ad Salæ palatium in Germania juxta Salam fluvium constructum, navigasse: atque inde iterum per eundem amnem secunda aqua Wormatiam reversum esse.* Qui locus invicte probat, Salzburgum & Palatium Salæ ad Salam Franconicum sita fuisse. Poeta Saxo hoc distinctius prodit, ubi ad hunc ipsum annum canit:

Est aggressus iter Mœnum navale per amnem,
Ascenditque per hunc, donec prope mœnia venit
Magna Palatinæ sedis Salt nomine dicta,
Nascenti vicina Salæ: nam fluminis hujus
Rivus adhuc modicus hæc ipsa palatia cingit,
Vix raucum per saxa ciens resonantia murmur.

Ex Mœno itaque Carolus M. in Salam ascendit, quousque navigari potuit. Navigabilem vero olim usque ad Salzburgum & Palatium Salæ fuisse, non incredibile est. Hodie alveus molendinis impeditus, & tractu temporis sabulo advecto altior factus est, quæ fata & alii Germaniæ fluvii olim navigabiles habuerunt. *Palatium* vero, cum ejus ante Carolum M. nulla mentio fiat, ab ipso Carolo M. constructum reor. Adjacet ei Sylva olim ingens *Salzforst* dicta & Regum venationibus commoda. Regio amœnissima est & vini frugumque ferax. Non mirum ergo est, hoc Palatium ab Imperatoribus & Regibus nostris tempore præsertim autumnali, venationis causa, frequentatum fuisse. Anno 793 Ludovicum ex Italia ad patrem Carolum M. in loco *Salz* dicto venisse, Anonymus in Vita Ludovici Pii testatur. Anno 803 Annales veteres scribunt, Carolum legatos Imperatoris Constantinopolitani recepisse *in Germania super fluvium Sala, in loco, qui dicitur Salz,* quem Anna es Hildesheimenses hic *villam regiam* appellant. Ibidem hoc ipso tempore privilegium Fortunato Patriarchæ Gradensi dedit,

dit, ab Ughello Ital. Sacræ Tom. V pag. 1181 recensitum. Datum id est *Idus Augusti in Salz palatio nostro*, ut verba ipsa habent, in quibus Cointius pro *Sacro* recte reposuit *Salz.* Ibidem hoc ipso anno 803 Saxones in gratiam recepit Carolus M. eosque liberos & Francis pares declaravit, ut ex Poeta Saxone & Chronico Quedlinburgensi liquet. Hic quoque anno 803 Episcopatum Halberstadensem confirmatum, ejusque limites descriptos esse, Autor probat. Anno 804 *Caroli M. Imp. Capitulare, quarto Imperii anno datum ad Salz*, prodiit. Ludovicus Pius Imp. anno 826, testibus Annalibus Laureshamensibus, ex conventu Ingelhemensi *trans Rhenum ad villam, quæ Sels vocatur, cum comitatu suo profectus est;* quam villam Anonymus in Vita Ludovici Pii *Salz* rectius vocat. Hic & tunc Neapolitanorum Legatos suscepit, & *transacta autumnali venatione circa Kalendas Octobris per Mœnum fluvium usque ad Franconofurt secunda aqua migravit.* Ludovicus Germanicus anno 841 post prælium Fontiniacense *mediante mense Augusto venit ad villam regiam, quæ vocatur Salz*, ut etiam Annales Laureshamenses habent. Ludovicus III Rex anno 877 Sigehardo Abbati Fuldensi privilegium dedit, quod dicitur *Actum Salz villa regia.* Idem, secundum Annales Fuldenses, anno 878 *a diebus Quadragesimæ usque ad mensem Majum moratus est in villa regia, quæ vocatur Salz, & inde transiens apud Franconofort generalem habuit Conventum.* Arnulfus Imp. anno 897, iisdem Annalibus testibus, Fulda *ad curtem, quæ dicitur Salz, pervenit.* M. P. R. Meichelbeck Hist. Frising. T. I pag. 171 Diploma Ottonis I Regis anno 940 IV Kal. Jun. datum exhibet, cui subscriptum: *Actum Salce.* Eo vero tempore Ottonem in Franconia egisse, res gestæ evincunt. Otto III Imp. tandem *Castellum & sui juris curtem Salce*, hoc est, *Salzburgum* & *Palatium Salæ* sanctissimæ dignissimæque sedi Wirceburgensi, ut verbis diplomatis utamur, ad honorem Mediatoris Dei & hominum Salvatoris mundi dedicatæ, & in venerationem pretiosissimorum Martyrum Kiliani, Colonati & Totnani constructæ, cum omnibus ad illud pertinentibus & cum integro *Pago Salzgouui* sive Salageuue, *villisque ac sylvis innumerabilibus ad preces Heriberti Archiepiscopi Coloniensis & Bernhardi Saxoniæ Ducis, ob remedium animæ genitoris sui suæque matris*

Theo-

Theophanu Imperatricis Augustæ, nec non propter ineffabilem dilectionem & obsequium Domini Heinrici venerandi Pontificis Wirceburgensis, solenni traditione donavit. Autographum Diplomatis, inter rariora numerandi, Archivum Ecclesiæ Cathedralis asservat. In ejus titulo *Otto tertius* se *servum Jesu Christi & Romanorum Imperatorem Augustum* vocat, quo nomine etiam utitur in Diplomate Nienburgensi anno 1000 Kal. Maji dato. Ex Hildeshemensi Archivo Ill. Autor etiam produxit initium alius diplomatis A. 1001 X Kal. Febr. dati, in quo dicitur: *Otto tertius, Romanus, Saxonicus & Italicus, Apostolorum servus, dono Dei Romani Orbis Imperator Augustus.* Subscriptio diplomatis Castrum & Palatium Salæ concernentis hoc est: *Data Idus Maji, anno Dominicæ incarnationis Millesimo, Indict. XIII, anno Tertii Ottonis regnantis XVI, Imperii IV. Actum Aquisgrani feliciter, amen.* Loco Sigilli appensa est Bulla plumbea, quam exacte delineatam Autor inseruit. In antica parte est Protome Imperatoris cum serto laureaceo & diademate quoque quatuor liliis ornato. Circum legitur: OTTO IMPERATOR AUGUSTUS. In postica Imperator stat indutus habitu militari: caput galea tectum est, crinibus contortis in tergum defluentibus: dextra tenet hastam regiam cum vexillo, in quo lilium cernitur, humero inclinatum, & scutum. Inscriptio addita est: RENOVATIO IMPERII ROMANORUM. Mabillonius eandem bullam ex alio diplomate edidit, sed minus accurate delineatam. Juxta Palatium in sinistra Salæ ripa & in pago Grapfeld, qui ibi incipiebat, jacebat & *villa Salza*, quam Henricus II Rex anno 1002 eidem Henrico Episcopo Wirceburgensi donavit diplomate, quod Autor noster etiam ex autographo publicavit. *Villa Salza* etiam *Obersalza* olim dicta est, & nunc est *oppidum Neostadium ad Salam.* Distinguenda ergo sunt, quanquam proxime sibi adsita, *Castrum Salz* sive *Salzburgum*, *Palatium Salz & villa Salz.* In donatione Castri Salz Otto III Imp. excipit *prædiolum*, quod inde per Chartam largitus erat *Gotzoni* cuidam, quem ideo ab Episcopo Wirceburgensi Advocatum hujus loci constitutum putes, & ab eo *Advocatos de Salzburg* (die Vögte von Salzburg) descendere. Sub his Salzburgum Ganerbinatus factus est tandem. Castri rudera magnifica sane restant,

restant, unde prospectus lætissimus in valles subjectas patet. Palatii ne vestigium quidem amplius cernitur: locus tamen Poetæ Saxonis de ejus situ in insula Salæ dubitare nos non finit. Fata ergo eadem habuit cum *Palatio Grona*, quod in monte prope Gottingam ad amnem Gronam substitit olim; nunc lapidibus avectis in agros commutatum est. Mons vero, dum adhuc *der Burgberg* dicitur, palatii memoriam solus conservat & cives Gottingenses *Burgum* sive *palatium Gronæ* ab Imperatore adhuc in feudum accipere tenentur. *Triburia* quoque ad Rhenum celebre Palatium fuit; sed nec in villa, quæ nunc *Trebber* vocatur, vel minimum de eo indicium reperias. Villæ Salz partem possedit *Richenza* Regina Poloniæ, quæ & hanc anno 1058 Ecclesiæ Wirceburgensi concessit. Autor de ea ejusque familia pluribus agit, & inter cætera ostendit, *Cunonem Bavariæ Ducem* Richezæ ex fratre Ludolpho nepotem fuisse. Pater Richezæ & Ludolphi erat *Ezo Comes Palatinus Rheni*, & Mater *Mathildis, filia Ottonis II Imperatoris.* Tandem evincit, *S. Liutbirgem* inclusam, quæ Monasterio Michaelsteinensi in Principatu Blanckenburgensi originem dedit, Salzburgi in Franconia natam esse. Obiter notamus, pag. 27 inseri Inscriptionem Latinam literis Græcis exaratam, quæ nuper Mariæmegingæ in Suevia in Monasterio Franciscanorum reperta est hujus tenoris:

ΕΥΠΟΡΟC
ΟΥΡΒΙCΟ ΦΙ
ΛΙΩ ΒΕΝΕΜΕ
ΡΕΝΤΙ ΦΗΚΙ.

Sub verbis hisce incisa lapidi erat Columba, olivæ folium ante se habens: unde concluditur, Euporum & Urbicum Christianos fuisse. Ceterum Ill. Autor nobis indicavit, se omnia, quæ hic brevibus protulit, fusius deducturum in *Antiquitatibus Ducatus Franciæ Orientalis*, quas ex Autoribus coævis & diplomatibus confirmabit, & monumentis Regum Francorum, sigillis, nummis & gemmis illustrabit, cujus operis, quod avide haud dubie exspectabunt Eruditi, Tomum I proxime prelo subjicere constituit. Interim quantum ex hoc opere utilitatis sperari possit, vel ex hoc, quod dedimus, specimine satis liquet.

Jo-

JOHANNIS DAVIDIS KOELERI, HISTOR. & Polit. P.P. & Bibliothecarii Altorffini, Historia Genealogica Dominorum & Comitum de Wolfstein &c. ex ipsis chartis, diplomatibus, codicibus Tabularii gentilitii variisque aliis fide dignis Monumentis &c.

Francof. & Lipsiæ, prostat apud Christ. Riegel, Bibl. Nor. 1726, 4. Alph. 2 plag. 10 tab. æn. 13.

Quandoquidem Kœleriani nominis ob excellentia in res communis patriæ Historicas Genealogicasque merita ea est celebritas, ut Augustissimo etiam Cæsari, CAROLO VI, innotuerit, & singularibus prorsus, quod novimus, summæ gratiæ signis cohonestatum sit, illud fronti libri, quem in manus sumsimus, adscriptum satis de ejusdem præstantia testari videtur. Ea de causa etiam nostra nihil opus erat recensione, aut, quod idem est, laudatione, nisi instituti nostri intercessisset ratio, jussissetque, vino vendibili hic, ut sæpe alias, suspendere hederam. Ex quo Clarissimo Viro historiam in Altdorfina Academia publice docendi munus injunctum est, sibi sedulo elaborandum esse credidit, ut Genealogicum studium, quod Nicolao Rittershusio, Antecessori Altorffino, præcipuam suam culturam debet, in amœnissimo illo Musarum hospitio non intercidat plane; bono omine & magna illius studii felicitate, quod huic novo Statori præ Rittershusio majora aut debet jam, aut proxime debebit. Familiæ Augustæ, Carolingica, Francica, Suevica, Lucemburgica, summa cura emaculatæ atque firmatæ, neminem harum rerum studiosum latent; de Comitibus etiam S.R.I. Illustrissimis spes ingens olim a Nostro est excitata, & en! nobilissimi & gravissimi laboris primitias & quandam veluti promulsidem, sed talem, ita res bene vortat Musis Genealogicis, ut, si ad eam accesseris, non quadam capiaris satietate, sed justarum epularum ardentissimo incendaris desiderio.

Opus ipsum in duas partes sua sponte scinditur: Historiam Wolfsteinianam ipsam, & Codicillum diplomatum & documentorum variorum historiam Wolfsteinianam illustrantium, de quo libellis, chartis, diplomatibus, literis, laudis, privilegiis,

epitaphiis sat instructo, non est, ut plura dicamus. Historia autem Wolffteiniana tribus Capitibus absolvitur. Primum Genealogiam & successiones Wolffteiniorum a Seculo XIII usque ad nostra tempora exponit. Initium Illustrissimi stemmatis est a *Godefrido Seniore de Sulzperg*, nobili & milite, non quod ab hoc Viro condita sit gens, aut nobilitatis honorumque aliorum decora eidem primum illata sint; sed quod injuria temporum, an majorum incuria, carere nos jusserit idoneis testimoniis, quibus, si exstarent, fortes multos majores longæ nocti eximere liceret. Sane in charta Rabadonis Comitis Palatini Bavariæ & Henrici Comitis de Ortenburg A. 1217 fuit testis; idem A. 1272 Cœnobium monialium Cisterciensis Ordinis, *Felix Porta* (*Seligen Pforte*) vocatum, fundavit; ab Heinrico etiam Raspone, Rege Romanorum & Landgravio Thuringiæ, alterum Castrorum Adelenburg vel Heimburg in castrense feudum A. 1246 accepit; quæ omnia, eundem nec novum hominem fuisse, nec tenui fortuna, clarissime testantur. Hujus Godefridi I ex Filio Godefrido II fuere Nepotes Leopoldus I de VVolfstein & Albertus I Senior de VVolfstein. Leopoldi familia in duos ramos VVolffteinensem & Allersbergensem late effloruit, sed paulo post emarcuit. Servata adeo gens per Alberti I posteros, quos inter Nepotes Albertus III & VVigulejus, ille Lineam in Sulzbergo inferiore ineunte Seculo sexto decimo extinctam condidit, hic lineam in Sulzbergo superiore propagavit. VViguleji Nepos Albertus V a Carolo V an. 1522 Liberi Baronis in superiori Sultzbergo dignitatem accepit; Alberti autem V Atnepos Albertus Fridericus A. 1673 ab Imperatore Leopoldo S. R. I. Comitibus adscriptus est. Hujus Filius Christianus Albertus Pater Patriæ laudatissimus suis feliciter imperat, filio unico decenni Friderico Wilhelmo Augusto post multam sed aut femininam aut minus vitalem sobolem ex illustrissima uxore, Augusta Friderica, Comite de Hohenloe & Gleichen susceptam, in spem Patriæ superstite. Asserta præstantissimis monumentis ubique sunt firmata, adjectæque Tabulæ & Progonologicæ, & Genealogicæ, ut summæ perspicuitati nihil omnino deesse videatur. Hactenus optime meritus est de Wolffteiniis suis celeberrimus Autor; sed si, eundem magnam etiam nobilitatis Germanicæ partem sibi devin-

vinxiſſe, originibus vel demonſtratis, vel illuſtratis, dixero, non erravero, uti fatebuntur, qui doctiſſimas notulas accuratius paulo inſpicient. Hoc modo attigit Vir doctiſſimus p. 8 Haydeckios, p. 16 Nortenbergios, Seldeneccios & Bebenburgicos, p. 32 Pincernas de Reicheneck, p. 33 Breitenſteinios, p. 40 *die Spæten*, p. 44 de Thungen, p. 57 Parsbergios, p. 59 Buchbergios, p. 60 de Kamer, p. 61 Waldenfelſios, p. 69 Lichtenſteinios, p. 70 Roſenavios, & Stauffios de Ernfels, p. 75 Frauenbergeros, p. 81 Mareſchallos de Pappenheim, p. 85 Tœrringios, p. 86 Schaumbergios, p. 91 Kunſpergios, p. 92 Grumbachios, p. 96 Steinios, p. 98 Wieſenthavios, p. 103 Degenbergios, p. 110 Abſpergios, p. 128 *die Schutzſper, genannt Milchling*, p. 150 Teufelios in Gundersdorf, p. 154 Heydeggios p. 171, Puchaimios p. 176, Thanhauſios p. 183, Freybergios, p. 185 Lodronios, p. 187 de Scala, ſive *von der Laiter*, p. 185 Windiſchgrætzios, p. 190 Pæmpflingios Weyneggiosque, p. 192 Eberſteinios & Rogendorfios.

Caput II Poſſeſſiones, Dignitates, Jura, Prærogativas Wolfſteiniorum exhibet. Ad poſſeſſiones pertinet Caſtrum Wolfſtein, quod verſus orientem æſtivum unius horæ intervallo a Neo-foro, Palatinatus Superioris oppido, in edito monte ſitum olim jacebat, nunc dirutum & proſtratum, nec ad Wolfſteinios amplius pertinet. Caſtrum adeo patrimoniale eſt Sulzbergum, in altiſſimi montis cacumine duabus leucis a Novo-foro ſitum; ſuperius appellatum, quod inferius olim in eodem montis jugo exſtaret nunc plane dirutum. Sed & arx vicusque Pyrbaum ad Wolfſteinios pertinet; Allersberga vero olim exciderunt. Ditiones Saltzburgenſis ac Pyrbaumenſis immediate ſubſunt Imperio Germanico, Dominique eorum ſoli Imperatori obnoxii ad Circulum Bavaricum pertinuere, Comitibus autem S. R. I. inſerti, inter Franconicos locum Noſtitios inter & Schœnburgios medium occupant, & Status Imperii immediati jura, plenariamque territorialem ſuperioritatem exercent. Beneficia & decimas nonnullas debent Epiſcopo & Principi Eichſtadienſi, Duci Palatino Neoburgico, & Marchioni Brandenburgico Onoldino. Sed & ipſi nobilia feuda concedunt Vaſallis ſuis, quos inter Reverendiſſimum capitulum Eccleſiæ Cathedralis Eichſtettenſis, Reſpublica Norim-

bergensis & Familiæ nonnullæ patritiæ ejusdem Reipublicæ nomen suum profitentur. In Torneamentorum monumentis probis & genuinis, ut de Rixnerianis fabulis taceamus, honorifica Wolfsteiniorum fit mentio; Insignium autem decore nunc utuntur in hunc modum. Scuto simplici aureo, in quo duo leones parmini rubei conspiciuntur, galeæ insistunt duæ, prior coronata inter expansas alas duas nigras vulturis, quarum singulæ pennæ lineis trium aureorum trifoliorum notatæ sustinent leonem exorientem coronatum & aureum; e posteriore protenditur cum collo caput lupi nativi coloris, collari aureo redimitum, portantis aureo ore agnellum nigrum ungulis aureis ornatum; laciniæ circumfluunt aureæ & nigræ.

Cap. III denique vulgarissimi errores nonnulli de Wolfsteiniis refutantur, quorum primus est, Wolfsteinios eo demum tempore, quo acquisiverunt nomen & dignitatem liberi Baronatus, in ordinem Dynastarum Imperii immediatum relatos fuisse, ac jura territorii Imperio plane subjecti accepisse; alter: Wolfsteinios Bavaricis, Neoburgicis & Sultzbacensibus Landsassiis quodammodo esse accensendos; tertius denique eorum, qui Wolfsteinios Collegio Comitum Suevicorum adscribunt, cum anno Seculi præteriti sexagesimo octavo Collegio Comitum & Baronum Franconicorum accesserint. Hæc de ipsa Historia Wolfsteiniana. Nunc de ejusdem ornatu dici posset, nisi jucundissimas imagines oculis usurpare quam describere esset satius. Indicandum tamen est, esse Tabulas æneas XIII, sigilla, lapides sepulchrales, nummos, insignia aliaque Wolfsteiniorum monumenta sistentes; præterea Iconismi frontes sectionum exornant VI. Initiales etiam literæ æri sunt incisæ V, Coronides eodem artificio additæ V, non inani lubidine artificis efficta, sed magna cura ab celeberrimo Autore selectæ & ordinatæ, ita ut omnia ista ornamenta vel Historici, vel Heraldici, vel Topographici quid magna animi oblectatione exhibeant.

AMOENITATES LITTERARIÆ, QVIBUS variæ Observationes, scripta item quædam anecdota & rariora Opuscula exhibentur.

Tomus

Tomus V.

Francof. & Lipſ. apud Dan. Bartholomæi, 1726, 8.
Plag. 20.

NOn ſine voluptate etiam hanc partem *Amœnitatum Cl. Schelhornii,* probis obſervationibus refertiſſimam, perluſtravimus. Primo ſtatim loco comparet lepida Diſſertatio *de Solœciſmis litterariis* a nonnullis circa vocabula quædam aut etiam Chronologiam commiſſis. Memorat nempe, quomodo Albertus de Eyb ex titulo libri *Hermaphroditi* nomen viri fecerit, quem nominavit *Jo. Antonium Hermaphroditum:* quomodo Præſul quidam *Clementinas* & *Novellas* pro meretricibus, alius autem *Decalogum* pro honeſto & ſatis ſpectato viro habuerit: ut alii Hebraicæ aut Græcæ linguæ ignorantia in ſimiles errores prolapſi ſint. Nec omittit *Sympoſium* illud Lactantii in viri nomen transformatum; neque hiſtoriolam de aulico Franciſci regis Galliæ, qui *epigramma* genus edulii eſſe putavit, & de alio Gallo, qui libros *dominorum* elogio, tamquam filios viri eruditi, inſignivit. Hinc & §. 7 oſtendit, Theophraſtum Paracelſum prænomen *Aureoli* adſumſiſſe ex male intellectis Hieronymi verbis: *Fertur aureolus Theophraſti liber* &c. Alii ex vernaculis verbis *fare wel, weiland* nomina Propria fecerunt, & *Tomum* pro viro valde docto & πολυγράφῳ habuerunt, quod vidiſſent, libris plurimis additum *Tomus I, Tomus II* &c. Quin & ſanctos, malos genios, hæreticos & alia portenta ex innocentibus vocabulis effictos eſſe, variis exemplis monſtratur, quæ longum eſſet hic repetere. Concludit Diſſertationem duobus Epigrammatibus in factum Juſti Lipſii, qui Virgini Halenſi virilem veſtem dicavit, ob quod in altero *Solœciſmi* arguitur. Sequitur II *Epiſtola M. Jo. Conradi Durrii, Prof. Alt. ad Dom. Georg. Sigismundum Fuhrerum, de Johanne Fauſto,* qua non modo totam iſtam ineptiſſimam Fabulam, olim quidem ideo uſurpatam, ut rudis plebecula horrendo iſto Fauſti exitu mota a ſuperſtitione & magicis artibus revocaretur, poſtea autem magis magisque corruptam, fabulam tamen, non hiſtoriam eſſe, abunde & ex ipſo commento deſumptis argumentis evincit. Occaſionem autem fictioni dediſſe *Jo. Fauſtum, Germ-*

mersheimensem, *Palatinum*, qui inter primos in Germania typographicam artem excoluit, & adeo monachis, qui scribendo multa lucrabantur, detrimento fuit: istos nempe odio impulsos Faustum præstigiatorem abominandum fecisse, non imperite demonstrat. III *de Jo. Aventini Annalium Epitome*, *variisque ac variantibus editionibus* Anonymi Dissertatio exhibetur. Nempe ipse Aventinus dum viveret, Annales non edidit. Epitomen tamen eorum publici juris fecit hoc titulo: *Bayrisches Chronicon: im Latein verfertigt: und in syben Puecher getailt ein kurtzer Auszug* &c. impressam (ut in calce libri notatur) Noribergæ apud Fridericum Leypus A. 1522, fol. ut vocant, minore. Fata etiam & dotes, quæ varias ipsorum Annalium editiones illustraverint, accurate recensentur. IV inseritur *Petri Lambecii de bibliotheca Vindobonensi Commentariorum Lib. IX fragmentum*, ex operis hujus præstantissimi exemplo in bibliotheca Uffenbachiana Francofurti ad Mœnum existente descriptum, quod Græcos quosdam codices MStos recenset, & alioquin eadem forma, ut nempe adnotationes quædam margini addantur, quæ in editis libris Commentariorum observatur, sistitur. Et quamvis jam olim hæc λείψανα typis descripta sint, tamen quia non plures, quam duas plagulas compleverunt, hodie rarius obvia sunt, nec adeo immerito hic repetuntur. V legimus *Marci Velseri antiquorum, quæ Augustæ Vindel. exstant, monumentorum supplementum*, quod Cl. M. Jacobus Bruckerus ex editione monumentorum illorum Veneta 1594, fol. cujus oræ ipse illustris Velserus hæc additamenta inscripserat, excerpsit: dignum sane, quod a tenebris vindicaretur. VI *Analecta ad Historiam Francisci Josephi Burrhi*, ubi excerpta ex variis epistolis, integræ etiam epistolæ de artibus & præstigiis Burrhi, & Bulla, quam vocant, ab inquisitionis Officio conscripta, quæ immanes viri errores late enumerat, exhibentur. VII *Tabulæ donationis*, *quibus D. Huetius*, *Episcopus quondam Abrincensis*, *suam bibliothecam Jesuitarum domui professæ Parisiensi addixit*, quibus inter alia sollicite cautum, ne vel unicus liber extra istud, quo ejus bibliotheca asservatur, sacrarium aliorum commodis concederetur. VIII sequuntur *Epistolæ quædam ineditæ*, ut Jani Gruteri ad Mich. Piccartum, Bohus-

huslai Balbini ad M. Kœnigium, Andreæ Christ. Eschenbachii ad eundem, Almelovenii ad Helenam Sibyllam Wagenseiliam, cui adjectum carmen gratulatorium Elisæ Kolartiæ de recuperata ab Almelovenio sanitate. IX *Electa Epistolica* h. e. Excerpta ex litteris virorum doctorum ad Theophilum Spicelium datis, quibus & tria Jo. Fabricii in Comenii obitum epigrammata festiva continentur. X *Oratio in laudem Bartholomæi Bertlini Ecclesiastæ Memmingensis conscripta A. 1563*, & nunc primum edita. XI *Dissertationis de libris rarioribus continuatio*, qua dictis Tom. II & III quædam adjiciuntur, v. g. de Rituum Ecclesiasticorum Romanæ ecclesiæ libris, de libris combustis, aliisque talibus: ubi simul ex Moronessæ libello D. Lutheri quædam elogia recitantur, p. 250 sqq. Agitur ibidem de *Otfridi* Evangeliorum libro, eaque occasione nunciat Cl. Schelhornius, Schilteri Thesaurum Antiquitatum Germanicarum cum maxime Ulmæ prelum exercere, in quo ille *Otfridus* agmen ducit. Ceterum ii potissimum hic libri recensentur, qui aliorum doctorum hominum judicio inter raros relati sunt: quanquam & suo judicio raros Cl. Autor nominet. Agmen observationum cogunt XII *Addenda & Emendanda* in Tomis III, IV & hoc ipso V.

BIBLIOTEQUE HISTORIQUE ET CRITIQUE DES Auteurs de la Congregation de S. Maur.

i. e.

BIBLIOTHECA HISTORICO - CRITICA Scriptorum e Congregatione S. Mauri; Autore PHILIPPO LE CERF, Benedictino.

Hagæ Comitum, apud Petrum Gosse, 1726, 8.

Alph. 1.

ETsi de Benedictinis e Congregatione S. Mauri ante paucos annos commentari e Germanis cœperit R. P. *Hieronymus Pezius;* non parvum tamen spicilegium sibi relictum vidit Rev. Autor, cui utique de civibus suis ac sui Ordinis Sociis rectius constare potuit. Recentem quidem, & fere nuper natam, hanc Societatem esse, non dissimulat, adeo ut mirum non sit, quod tot ex illa Viri celebres non prodierint, quot formando grandiori Bibliothecæ corpori sufficere videantur. At cum multa Bibliothecarum Syste-

Systemata ideo non paucis laborare nævis probe intelligeret, quod concinnandis illis tum demum manus adhibitæ fuissent a Viris doctis, cum Autorum Ordinis memoria temporis edacitate jam prope evanuisset; hinc mature colligendis Sociorum meritis operibusque eruendis adhibendam operam putavit, quam forte successu temporis alii ex eodem ordine supplere atque emendare possint. In eo vero egregia laude dignus est Cl. Autor, quod nec invidiæ nec adulationi aliquid dedisse videtur, adeo sinceram & exactam crisin ubique servans, ut nec sociis suis parcat, si digni censura fuerint; quod, dum DD. Martianæum, Pisantium & Lironium, ultra meritum in Republica Litteraria famam & opinionem assecutos fatetur, ingenue comprobat p. 287 sqq. Menardi vero, Mabillonii, cujus honori inserviturus, insigne inscriptionis Latinæ monumentum Bibliothecæ inseruit, Acherii, Galloisii, Delfavii, Massueti, Bulteavii, Gerberonii, Gesvresii, Lamii, Garnierii, Rousselii & Ruinarti memoriam extrema quoque tempora servatura esse, plenus bonorum ominum spondet. In ipsa construenda Bibliotheca ita versatur, ut cujusque indolem & studia, & quæ monumenta dedit, narratione judicii plena exhibeat. Dabimus hujus rei aliquot specimina. Primum *Lucæ Acherio* locum concessit, modestiæ laude in-
p. 4. primis commendabili, quod rerum ineditarum collectionem satis præstantem sub *Spicilegii* titulo ediderit. Nec tamen dissimulat, eum majorem nominis sui existimationem Societatis tum vix instauratæ fama, quam scriptis suis sibi conciliasse. *Joachi-*
60. *mum Contartium* vitæ sceleris puræ laude commendat; libellos vero ejus, ad vitam spiritualem spectantes, stylo paulo obscuriori ac minus eleganti conscriptos, notat. *Michaelem Felibienum* eru-
124. ditione & solertia nemini secundum sistit; in Historia autem Monasterii S. Dionysio sacri judicandi artem desiderat. *Fran-*
185. *cisco Lamio* ingenii gloriam concedit; quo tamen subinde ad luxuriam abusus esse videatur. *Joannem Lironium* notat, quod
199. in Bibl. Auctorum Gallicorum quadrata rotundis, rudes doctissimis hominibus misceat. Miratur, cur *Ant. Vincent. Thuillerius*
473. edendo Polybio operam impenderit, quem gravioribus exercendi negotiis, par fuisset; quamvis dignior hac censura videri posset

ſet. *Lud. Gabr. Bugnotus*, celebris Barclajanæ Argenidis commentator, quem ſine nota quidem dimittit. Doctrinam Romanæ Eccleſiæ, ſi quis alius, egregie callet Noſter, teſtatus illud, ſive difficillimas de Gratia divina controverſias enarraret, ſive de auctoritate Romanorum Pontificum diſſereret; ex quibus illos, qui profligata vita Servatoris doctrinæ offecerunt, Petri ſedem non diu tenuiſſe, forte magis optat, quam credit. In SS. Patrum editionibus, quas magno ſtudio procurarunt Viri hujus ordinis doctiſſimi, tanta imprimis cura verſatur Cl. Autor, ut, qui concinnas ejus recenſiones legerit, ipſos libros præ oculis habere videatur. Ceterum cum iis, quæ de Nicolai le Nourri Diſſertatione, libellum de mortibus perſecutorum Lucio Cœcilio vindicante, monuit Noſter, conferri merentur Vindiciæ Lactantii, quas S. R. Dan. Maichelius Introductioni ſuæ ad Bibliothecas Pariſinas adjecit.

JO. GOTTL. HEINECCII, JC. AD Legem Juliam & Papiam Poppæam Commentarius.

Amſtelædami, apud R. & S. VVetſtenios, 1726, 4. Alphab. 2 pl. 17.

Legis Papiæ Poppææ capita tantum non per omnes juris civilis articulos ſe diffundunt, ut veriſſime judicarit Jan. Vinc. Gravina, *tam multa huic legi Jureconſultorum reſponſa & fragmenta veterum eſſe implicita, ut, qui hac luce careat, eum in curſu juris paſſim offendere oporteat & prolabi.* Idque Virum ſummum Jac. Gothofredum etiam permovit, ut inter fontes juris civilis huic legi dandum eſſe locum cenſeret. Et vetuſtiſſimum eſt jurisprudentum de lege Papia Poppæa bene merendi ſtudium, cum ex antiquis jam præter Celſum, qui obiter eam ſeptem pandectarum libris expoſuerat, ſex Jureconſulti, Terentius Clemens libros XX, Junius Mauricianus & Ulpius Marcellus libros ſex, Cajus quindecim, Domitius Ulpianus libros XX & Julius Paullus decem, in modum commentariorum, ad hanc legem ſcripſerint, quorum fragmenta bene multa ſuperſunt in Pandectis. Poſt revoca-

vocatas in lucem meliores literas resuscitata quoque nobilem hanc Juris Romani partem a tenebris vindicandi, in ordinem restituendi atque illustrandi contentio. Hinc subnati Læv. Torrentii & Justi Lipsii, illius ad Horatium, hujus ad Tacitum de hac lege excursus; hinc Franc. Balduini *de lege Papia Poppæa, Falcidia, Voconia & Rhodia* liber singularis; hinc Joannis de Pareia & Ramez del Manzano commentarii; hinc Fichtneri, Kirchmaieri, Mulleri aliorumque dissertationes prodiere. Sed & præter institutum haud exiguam lucem nonnullis legis capitibus affuderunt Viri insignes, Barn. Brissonius *de jure connubiorum*, Ferd. Paez, Ulyssiponensis, *de numero liberorum excusante a muneribus publicis*, & M. Vertranius Maurus eleganti commentatione *de jure liberorum*. Omnium horum curas longe superavit Jac. Gothofredus, qui primus legis Papiæ Poppææ capita & fragmenta ordini integritatique suæ restituere aggressus est, brevemque, sed eruditum & præstantem commentarium adjecit. Sed præclarum hoc opusculum & primis juris stipendiis, ut ipse profitetur, ei adhuc juveni exciderat, nec supremam sustinuit Autoris limam, dum post ejus fata ab Esaia Colladone, senatore Tigurino, ex defuncti ultima voluntate in dias luminis auras exivit. Inde non mirum, libello multos adhæsisse nævos, cum antea viris doctissimis, tum Nostro imprimis observatos. *Dum enim*, inquit Noster, *varias leges Papias Gothofredus confudit: dum aliqua ex legibus Juliis de adulteriis & judiciorum publicorum Papiæ Poppææ adsuit: dum quædam maximi momenti capita prætermisit, quædam in sensum plane alienum detorsit: dum SCta atque interpretamenta JCtorum veterum ab ipsa lege non satis accurate secrevit: dum denique sibi omnia indulsit in emendandis, fingendis refingendisque legum inscriptionibus: fieri profecto non potuit, quin post messem ejus magnum aliis idem saxum voluturis spicilegium superesset.* Hos itaque nævos tollere ipsamque legem Juliam & Papiam Poppæam pleniorem, ac multo accuratiorem, quam a Gothofredo factum est, restituere conatus Celeb. Heineccius, tribus exhibuit libris, quod ille plagulis vix undecim complexus erat. Liber primus sistit legis historiam & capita ejusdem, quorum memoria superest, omnia de novo collecta, &, quantum fieri potuit, ad pristinum ordi-

ordinem revocata. Hinc diversas Leges Papias, quas Gothofredus aliique cum nostra confuderunt, velut LL. Papias *de virginibus Vestalibus*, *de sociis nominis Latini in suas civitates remittendis*, *de peregrinis*, a Papia Poppæa accurate discernere docet Caput primum. *Papiam Poppæam*, inquit Tacitus lib. 3 Annalium, *senior Augustus post Julias rogationes* incitandis cœlibum pœnis & augendo ærario *sanxerat*. Duæ legis causæ, totidem partes. Prior pars ad πολυτεκνίαν fuit comparata, quam plerique populi variis institutis promotum ivere. Hinc instituta ad eam directa Hebræorum, Persarum, Atheniensium, Lacedæmoniorum, Thebanorum, Germanorum, sed præcipue Romanorum, Capite altero explicantur. Ipsa legum Juliæ & Papiæ occasio totiusque illius legislationis historia succedit capite tertio, in quo merito laudamus primo antiquum marmor ludorum sæcularium, in quo legis de maritandis ordinibus mentio fit, ingeniose & ad fidem antiquitatis restitutum, deinde locum Suetonii: *Legem de maritandis ordinibus, quum aliquanto, quam ceteras*, severius emendasset, &c.; leviter mutatum, legendo: *severius mandasset*; tertio brevem legis historiam conspectu chronologico comprehensam, ita:

A. V. C. IↃCCXXXVI Cn. Cornelio & P. Cornelio Lentulo Coss. Augustus de Lege Julia ferenda ad Senatum retulit, & agre obtinuit SC.

A. V. C. IↃCCXXXVII C. Furnio & C. Silano coss. ante messem ludi sæculares facti, quo tempore nondum perlata fuerat lex Julia, sed jam tum, uti videtur, promulgata. Sub finem hujus anni rogata lex, sed antiquata.

A. V. C. IↃCCLVII Sexto Aelio Cato & C. Sentio Saturnino Coss. perfertur lex Julia, sed detracta parte pœnarum, auctis præmiis & vacatione data triennii.

A. V. C. DCCLX Q. Cæcilio Metello Cretico Silano & A. Licinio Nerva Siliano Coss. nova biennii vacatio data est, circumacto priore triennio.

A. V. C. IↃCCLXII Q. Sulpitio Camerino & C. Poppæo Sabino coss. equites abrogationem legis, ineunte anno, frustra urgent, Augustus denuo legis vacationem concedit. Sub finem anni M.

Papio Mutilo, Q. Poppæo Secundo coss. suffectis, fertur lex Papia Poppæa.

De Consulibus his, a quibus lex nomen indepta est, & utriusque gentibus ac familiis tractat Caput quartum, ne quid ad pleniorem historiam deesset. Jamque sequitur præcipuum caput *de legis Papiæ Poppææ partibus & capitibus, & quomodo ea ordini suo restituenda sint.* Prior legis pars agebat de maritandis ordinibus, de præmiis conjugum & parentum, & de cœlibum atque orborum pœnis: posterior de caducis, vacantibus & ereptitiis bonis tractabat, atque hinc *lex caducaria* dicitur Vlpiano. Plura utriusque capita fuerunt, & citatur a Marciano *caput XXXV legis Juliæ*, in *l. 19 ff. de ritu nupt.* ubi tamen pro XXXV rescribi XV jussit Gothofredus, qui ultra XXVIII capita legis de maritandis ordinibus nullum agnovit. Corn. van Bynckershoek non a Marciano caput legis Juliæ ejusque verba allegari, sed a collectoribus Pandectarum autumat adjectum esse titulum, quo Marcianus ad legis Juliæ, nescio cujus, caput XXXV commentatus erat in libro XVI Institutionum, unde depromta est dicta *l. 19.* Noster ad morem huic JCto familiarem, in Institutionibus suis aliorum libros, designatis capitibus citandi, imprimis provocat, multisque confirmare satagit, non alterius, quam Juliæ & Papiæ legis caput & fragmentum in isto Marciani loco superesse. Sed haud contemnenda sunt argumenta, quibus Ill. Bynckershoek suam sententiam verisimillimam fecit, eoque præsertim, quod veteres editores, qui plane ut Græci in Basilicis, solo autoris nomine retento, ubique omiserunt reliqua inscriptionum verba, pariter in h. l. 19 etiam *τὰ capite XXXV L Juliæ* non adscripsere: & simile est commixtionis Rubricæ cum ipsa lege exemplum in *l. 48 ff. de V. S.* qua multi diu vitiose sunt usi. Quando vero in *l. 7 §. 1 ff. ad L. Jul. de adult. coerc.* allegatur *lib. 2 de adulteriis Papiniani*, videntur nobis ea verba Triboniani esse. Neque enim de se ita dicturus erat JCtus: *In lib. 2 de adulteriis Papiniani MARCIANUS notat*; quæ eadem formula extat in *l. 57. §. 1 ff. de ritu nupt.* ex qua simul manifestum fit, e Marciani notis ad Papiniani libros de adulteriis ista depromta & commodo loco inserta esse. Cumque lex Julia de adulteriis coercendis in plerisque legibus *tit. ff.* ad

ad hanc L. absolute dicatur *lex Julia*, ejusque diversa capita addito numero citentur, verba autem *l. 19 de R. N.* satis apta sint capiti hujus L. Juliæ, quod sanxerit, *ut*, *qui liberos*, *quos habent in potestate*, *injuria prohibuerint ducere uxores*, *vel nubere*, *cogantur eos in matrimonium collocare*; certe nondum expedita res est, anne fortassis Marcianus, qui, ut diximus, in Papiniani libros ad L. Juliam de adulteriis notaverat, hanc ipsam potius, quam legem de maritandis ordinibus, lib. XVI Institutionum illustraverit. Sed revertamur ad Nostri diligentiam in restituendis Legis Papiæ Poppææ capitibus navatam. Gothofredus non nisi quinque loca in jure nostro viderat, in quibus verba legitima superessent, quibus Noster jam præter *l. 19 ff. de R. N.* quam modo solicitavimus, addit *l. 23 ff. eod.* & *l. 2 ff. de minor. vig. quinq. ann.* atque insuper ex Celsi libris Digestorum reliqua studiose in subsidium vocavit, quæ Gothofredus, paucis exceptis, neglexerat. Comparent hinc fragmenta ex commentariis veterum JCtorum ad priorem partem legis Papiæ secundum librorum ordinem per laterculos accuratius disposita, ita ut imprimis temperatum sit a numeris librorum immutandis, in quo plus justo ingenio Vir summus olim indulsisse videbatur. Hanc tabulam excipiunt ipsa prioris partis capita, illorum fragmentorum ope aliorumque bonorum Autorum ductu restituta & cum textu Gothofredi perpetuo collata, subjectis allegationibus & notis, in quibus haud pauca sane elegantia accessere ad ea, quæ Gothofredus jam annotaverat, & e quibus se profecisse, Noster nec ipse dissimulabit. Capitum numerus ad XLIV auctus visitur, dum duo a Gothofredo penitus omissa, scilicet *de concubinatu*, & *de jure affinitatis inter novercam & privignum, vitricum & privignum*, recens addita, & septem capita in viginti quatuor divisa sunt, tribus aliis in unum contractis. Sed in translocandis capitibus, quæ secundum ordinem fragmentorum, aut, prout argumenta legis, sibi invicem respondentia, poscunt, minus recte disposita videbantur, pariter ac in verbis legis ad mentem Autorum & formam antiquitatis concipiendis eximia diligentia elucet, ita ut major pars legis novum prorsus habitum acceperit. Annotabimus præcipua quædam hujus laboris specimina. Ita statim Caput secun-

dum, *de ingenuorum nuptiis*, nunc a primo, *de Senatorum eorumque liberorum nuptiis*, separatum e Celsi *Digestorum libro XXX l. 23 ff. de R. N.* in hæc verba conformatum est: *Omnibus* reliquis *ingenuis*, *præter Senatores eorumque liberos*, *libertinam uxorem habere liceto*, neve quid eis, qui duxerint, liberisve ex eo matrimonio natis, fraudi ignominiæve esto. Gothofredus conceperat: *Cæteris ingenuis libertinas uxores ducere jus esto*, *neve quid eis*, *qui eos duxerint*, *fraudi ignominiave esto*, *liberive eorum legitimi sunto.* In cap. III (ap. Gothofr. II) non solum omiserat Gothofredus initium: *omnes puberes virique potentes matrimonium liberorum quæsundorum causa inire tenentor*; cujus tamen testes sunt Ulpianus *Fragm. XVI §. 1* & Commentator vetus a Crucquio editus ad Horat. *Epod. XVIII* verum & sequentia: *Sexagenarii masculi*, *quinquagenariæ feminæ & spadones a pœnis hujus legis liberi sunto*; male extulerat ita: *Sexagenario masculo, quinquagenariæ feminæ nuptias contrahere jus ne esto*: *Post eos tantum annos conjuges pœnis hujus legis solvuntor. Spadonibus item nuptias contrahere jus ne esto*; admixtis Legi Papiæ SCtis Persiciano & Calvisiano. A cap. V (ap. Gothofr. III) *de sponsalibus* resecta, quæ ex lege Papia antiquiore *de Virginibus Vestalibus capiendis* adsuta erat lacinia. Caput sequens non modo emendatum ab errore, quasi de *imparibus nuptiis* statuisset, quæ tamen ex SCto Calvisiano ita demum dictæ, cum hoc caput ad omnes *injustas nuptias* pertinuerit, sed & idem docte suppletum est ex §. 12 *Inst. de nupt.* ubi Justinianus hoc caput expressit; atque verba: *nec vir, nec uxor, nec socer, socrusve, nec gener nurusve intelliguntur*; una cum fragmentis Pauli *l. 4 ff. de test.* & Ter. Clementis *l. 146 de V. S.* suo loco sunt reddita, cum ex his textibus perperam acceptis Gothofredus affinxisset capiti, *de divortio libertæ prohibito*, verba: *Gener socerve inviti in reos testimonium ne dicunto.* In cap. X (apud Gothofr. IX) *de jure Quirit. ob liberos consequendo*, delentur merito verba: *At Latina si ter enixa fuerit*, *jura Quiritium consequitor*. Sunt enim non ex hac lege, sed ex SCto, ut diserte Ulpianus *fr. t. III §. 1.* Leges *decimarias*, uti vocantur capita Legis Papiæ, quæ *de decimis* disponunt, & quæ Gothofredus in unum caput XII compegerat, Noster in quinque capita distinxit, cum vero-

verisimilius fit, plura capita, quam unum, *leges* dicta fuisse. Similiter & leges *de solidi capacitate* in capita distinctæ varieque emendatæ sunt: inter alia, quod Gothofredus cap. XIII de *jure communium liberorum* a populo *impetrato* scripserat, cum tamen ex eodem Dionis loco, quem ipse allegat, discamus, Senatum hoc jus tribuisse; quamvis hæc emendatio non videatur adeo magni, cum & Gothofredus per Senatum autoritate populi id factum affirmet. Ad Caput XXIX (apud Gotofr. XVII) obiter notamus, huc demum recte referri *l. 72* (pro qua male apposita *l. 92*, errore typorum, qui apud Gothofredum admissus erat, repetito,) ejusque *§. 2*, ubi Papinianus docet, *eam Papiæ legis sententiam videri, ne quod omnino nuptiis impedimentum inferatur:* puta per legatum sub conditione cœlibatus relictum. Vix videtur his verbis confirmari posse Caput XXXV (apud Gothofr. XV) *de cogendis parentibus, ut liberos elocent*, quandoquidem non aliud certius, quam *in l. 19 ff. de R. N.* vestigium ejus extat. Caput *de fundo dotali*, legis Juliæ de adulteriis particulam esse, & ipse Gothofredus postea in notis haud invitus agnovit, & confirmavit Ill. Schultingius ad Paulli *Sent. Rec. lib. II, t. 21 b.* Gothofredus ad populum retulerat gratiam Legis Papiæ faciendam, quam Noster Senatui vindicat, autoritate Dionis *lib. LIX*; sed iterum vix discrepat a Gothofredo, præterquam, quod in capite XXXIII (ap. Gothofr. XIX) substituit *Senatus* nomen, cum ille per Senatum factam legis gratiam & asserat, & exemplo illustret ex Livii *lib. 39 c. 19.* Atque hæc sufficiant specimina indicando, quid Noster in restitutione legis profecerit. Libro secundo singula capita legis, quæ ad partem de nuptiis & procreatione liberorum pertinent, multa cum cura exponuntur, nec jura traduntur solum, sed & iis, quæ alioquin obscura videri possint, ex philologia & Antiquitatibus Romanis lux accenditur. Variæ huic libro insunt conjecturæ de emendandis juris Autorumque veterum locis compluribus. Imprimis vero historia singulorum capitum & mutatio usque ad Justinianeam legislationem solicite exponitur. Liber III sistit alteram partem Legis Papiæ, *caducariam*, quæ ad locupletandum ærarium erat comparata, itaque more supra servato primo Jurisconsultorum veterum fragmenta, pariterque Justiniani constitutio de *caducis tollendis*

ad

ad capita legis reducuntur ac disponuntur per tabellam, deinde ipsa capita restituta & in pristinum ordinem redacta comparent, recens adjectis duobus, a Gothofredo omissis, quæ Nostro suppeditavit *l. un. C. d. caduc. toll.* Deerat enim caput primum, *de aditione hereditatis, & quando dies legatorum cedat*: sed Justinianus *d. l. §. 1 materiam atque* exordium *caducorum legem Papiam ab aditionibus, quæ circa defunctorum hereditates procedebant, sumsisse*, scribit, & sententiam hujus capitis accurate suppeditat Ulpianus *fragm. t. XXIV §. 31.* Deerat etiam caput *de transmissione legatorum*, quod manifesto deprehenditur in *ead. l. un. §. 13 C. de caduc. toll.* Ceterum neque parcior, quam in priore libro, Noster est in notis ad confirmanda vel illustranda Legis capita subjectis, neque in commentario ad partem de caducis quicquam prætermisit, quod ad capitum illustrationem pleniorem, ad historiam & mutationem legis, ad fraudes, quibus ingeniosa civium improbitas eam elusit, noscendas conferre poterat. Habent itaque melioris jurisprudentiæ studiosi librum elegantem & multa eruditione confertum, in quo non solum vix quicquam desiderent, quod ad inclytæ adeo cognituque necessariæ Legis intelligentiam pertinere videatur, sed ex quo etiam alia permulta ex antiquitate ad penitiorem juris Romani scientiam necessaria perdiscant: idque intelligentes avide expectabunt commentarios, quorum in præfatione spem facit, & quos jam affectos in scriniis suis pridem latitare affirmat Vir doctissimus; quemadmodum non sine voluptate accipimus, Antiquitates juris Germanici, quas jam inde ab aliquot annis expectare nos jussit, propediem Argentorati prælo exituras esse.

M. CHRISTOPHORI WOLLII, LIPSIENSIS, Catechetæ ad D. Petri, Commentatio philologica de Parenthesi sacra. Accedunt duæ Dissertationes: prior de usu & abusu αὐξήσεως nominum divinorum sacræ; posterior de loco Dan, Genes. XIV, 14, contra Spinozam. Præfationem præmisit CHRISTIAN. FRIDER. BOERNERUS, Theol D. & in Acad. Lips. Prof. Primarius.

Lipsiæ

Lipsiæ, sumptibus Jo. Frid. Gleditschii B. Filii, 1726, 4.
Alph. 1 plag. 5.

QUantam quamque insignem sacrarum litterarum exquisita tractatio publicæ rei christianæ afferat utilitatem, illi omnium optime intelligunt, qui non satis habent, generaliores dumtaxat exegeticæ artis præceptiones cognitas perspectasque habere, sed ad speciaiores etiam regulas perquisitius & diligentius pervestigandas animum appellunt. Eandem rem considerans præsentis commentationis philologicæ Cl. Autor, peculiarem maxime, longeque nobilissimam *de Parenthesi sacra*, eademque in sanctioribus, cum Ebræis, tum Græcis Pandectis occurrente, materiem sibi explicandam sumere eo lubentius animum induxit, quo magis præstare putavit, in argumento a nemine adhuc ex instituto pertractato, & a magni nominis Philologo, Sal. Glassio, vix commemorato, studium suum collocare ingeniique vires periclitari. Animadvertit insuper, τὰς γραφὰς a paganis olim criticis superfluarum parenthesium nomine suspectas contemtasque fuisse: qua de re ex Isidoro Pelusiota notatu perquam dignum in præmissa præfatione recenset confutatque locum. Ipsam vero rei tractationem in *duas* dispescuit *Sectiones*, quarum prior *theoriam*, altera vero *praxin*, hoc est, canones atque exempla parenthetica exhibet. Nostrum in præsenti erit, breviter hæc summatimque percurrere.

In *Sectione priori theoretica*, postquam utramque παρεν-
θέσεως sacræ definitionem, nominalem §. 1, realemque §. 2 recitavit p. 1-5.
exposuitque, dividit eandem 1 in *breviorem* & *longiorem*, 2 in 5 6.
plenam & *ellipticam*, §. 3. Postea illius *tres caussas* suppeditat, ἐξή-
γησιν videlicet §. 4, πάθος §. 5 & denique ἔμφασιν §. 6. In §. 7 6 14.
observat ἐν ἐπιμερίσει, reperiri etiam parentheses sacras *exegetico-* 14 15.
*pathetica*s, aut *emphaticas*, & *pathetico-emphaticas*. Porro ad 15 19.
criteria pedem promovet, sic, ut §. 8 *generale*, in §. autem 9 &
10 *specialia* παρενθέσεως sacræ commendet criteria. *Breviores* 19-22.
parentheses cum stili sacri elegantia pugnare, negat §. 11; contra
vero ea *longiores*, cuiusmodi in canonicis Paulli epistolis inveni-
untur quam plurimae, ad ἔμφασιν orationi conciliandam condu-
cere plurimum, ibidem affirmat probatque. Eo quoque consi-

 lio

lio ex Thucydide ſatis *longam* §. 12, ex Cicerone vero duas *ellipticas* allegat παρενθέσεις, §. 13. Tandem & *uſum* pariter, atque *abuſum* παρενθέσεως ſacræ *in verſionibus* §. 14 enucleat, priorisque ſectionis abrumpit filum.

In *ſectione poſteriori*, eademque *practica*, *Canones* una
cum exemplis, ex utriusque fœderis codice depromtis, in medium
profert, ita tamen, ut nonnulla tantum allegare ſatis habeat, reliqua vero ex philologiæ ſacræ penu, translationibus optimæ notæ, & orientalibus & occidentalibus, itemque Judaicis, Græcis
Romanisque antiquitatibus, in conſilium advocatis, uberiori demonſtratione illuſtrare ſui muneris eſſe exiſtimaverit. Nos canones huc exſcribemus, notabiliora etiam nonnulla ſubjuncturi
exempla, hac tamen lege, ut datam brevitatis fidem ubivis exſol-
p. 25-62. vamus. Can. I: *παρένθεσις ſacra ἐξηγήσεως ſeu declarandi cauſſa*
ſæpiſſime uſurpatur: quæ ideo ἐξηγητικὴ pulchre vocari poterit.
Sic, exempli gratia, II *Pet.* I, 19 verba (ὡς λύχνῳ φαίνοντι ἐν
αὐχμηρῷ τόπῳ, ἕως οὗ ἡμέρα διαυγάσῃ, καὶ φωσφόρος ἀνατείλῃ)
Apoparentheſi exegeticæ includuntur. Ceterum pericopa hæc Apo-
ſtolica novo exponitur more. Etenim αὐχμηρὸς τόπος erat, ſub
V. T. œconomia, tabernaculum Moſaicum, typicarum umbrarum involucris integumentisque involutum; his autem ὁ βεβαιότερος ὁ προφητικὸς λόγος, ejusdemque ſubluſtria oracula
paullulum clariorem accendebant lucem: donec tandem illuſtriſ-
ſima clariſſimaque N. T. exoriebatur ἡμέρα. Hac ratione integer locus ex antiqua cærimonia *lucernarum Sabbathicarum*, in
gente Judaica uſitatiſſimarum, prolixe p. 49-61 illuminatur. Can. II:
63-80. *παρένθεσις ſacra πάθους alicujus indicandi gratia non raro*
adhibetur, in Epiſtolis maxime D. Paulli: eademque vel longa, vel
brevior, itemque elliptica, eſſe ſolet: quæ ideo παθητικὴ ſatis
80-96. *apte vocatur.* Can. III: *παρένθεσις ſacra ἐμφάσεως cujusdam declarandæ ergo non raro a viris θεοπνεύστοις uſurpatur: unde ea*
ἐμφατικὴ jure meritoque vocari meretur. Ejusmodi parentheſis
emphatica, prout Autoris fert ſententia, reperitur II Sam. VI, 2,
in hiſce verbis: אשר נקרא שם (שם יהוה צבאות ישב
הכרבים) עליו: Pluribus ille animi ſui hac de re ſenſa p. 81-86
96-116. expoſuit. Can. IV: *παρενθέσεις ſacræ ἐξηγητικαί, παθητικαί, &*
deni-

denique ἐμφατικαὶ, non sunt temere & citra necessitatem fingendæ: præcipue ubi verba, quæ parenthetica putantur, ad integritatem sermonis sacri necessario requiruntur. Sub hoc canone p. 100-113 locus vexatissimus I *Joan.* V, 7 a ficta parenthesi *Thomæ Emlyni*, Angli, qui verba (*ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ Πατὴρ, ὁ Λόγος, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα· καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι*) nota parenthetica eo consilio, ut prorsus omittantur, insignienda esse contendit, argumentis cum hermenevticis, tum criticis, liberatur vindicaturque. Can. V: *παρένθεσις sacra V. T. Ebræa clauditur utique nobiliori accentu, quam is est, post quem παρένθεσις initium capit: juxta antiquam illam Ebrææ gentis magistrorum regulam: nec potest exemplum in contrarium produci ullum; ἐναντιοφάνειαι autem hæ parentheticæ rite sunt conciliandæ.* p. 116-120. Can. VI: *παρενθέσεις sacræ non sunt temere fingendæ, & nullo modo admittendæ, invitis ac repugnantibus accentibus, tametsi voces, harumque structuræ, eandem non respuant. Sic etiam παρένθεσις in dictis N. T. ex V. T. allegatis obvia ad accentuationis Ebrææ indolem est exigenda.* 120-128. Ita Rob. Stephanus *Marc.* IX, 13 hancce parenthesin observat: Ἀλλὰ λέγω ὑμῖν, ὅτι καὶ Ἠλίας ἐλήλυθε, (καὶ ἐποίησαν αὐτῷ, ὅσα ἠθέλησαν) καθὼς γέγραπται ἐπ' αὐτόν. Confirmat eandem Autor p. 127 seq. atque hac ratione contra *Guil. Whistonum* evincit, Malachiæ prophetiam C. III, 23, quippe ad quam formula *καθὼς γέγραπται ἐπ' αὐτὸν* respicit, minime mutilam mancamque, contra Codd. antiquorum fidem, pronuntiandam esse. Can. VII: *παρενθέσεις sacræ* 128-129. *non sunt temere fingendæ, adversante ac repugnante vocum structura grammatica cum Ebræa, tum Græca, tametsi sigillatim accentus V. T. Ebræi easdem non respuant: verum opera potius navanda, ut genuinam constructionem vocum sacrarum grammaticam, imprimis verborum cum particulis suis propriis, accurate diligenterque evolvamus.* Jo. Franckius II Sam. XVIII, 12 voculam מי vult esse parentheticam, in hisce verbis: בנער בא בשלים (שמרו־ מי) *observate* (quem?) *puerum Absalomum.* Verum ista opinio ex principiis accentuationis Ebraicæ refutatur, hæcque in ejus locum substituitur: *observate omnes*, sive *quotquot estis*, *puerum, nempe Absolomum.* Vid. p. 131, 132. Can. VIII: *παρένθεσις sa-* 139-142.

 cra

ra in versionibus ac nonnullis Græcis N. T. editionibus alieno loco collocata, & vel angustiori spatio definita, vel etiam latius, quam par est, extensa, juxta rationes grammaticas, reliquasque περιστάσεις hermenevtico-sacras diligenter est emendanda. Hic ultimus Canon unico illustratur exemplo, eodemque ex Matth. XV, 5 petito, ubi parenthesis in nonnullis versionis B. Lutheri vernaculæ editionibus obvia deletur, ipsumque dictum, per se difficiles explicatus habens, p. 139 ad finem usque fusius enucleatur.

p. 143-178. Adjectarum huic opusculo Dissertationum *prior de αὐξήσει nominum divinorum sacra* inscribitur, quoniam in illa theoretice non minus, quam practice, collatis etiam profanis, Græcis Romanisque monimentis, demonstratur, quo pacto divina nomina in sacris maxime litteris ad rei exprimendam magnitudinem excellentiamque, non tantum ἑπομένως, sed πρώτως, proprie

179-200. & formaliter, adhibeantur. In Dissertatione *posteriori* adversus Spinozam disputatur, utpote qui receptam suam hypothesin, Mosen videlicet pro Pentateuchi Autore perperam haberi, extra omnem controversiam collocaturus, provocat, inter alia, ad locum *Dan*, Genes. XIV, 14 commemoratum, quo nomine urbem Lais, sive Leschem, longe post mortem Josuæ designatam fuisse, Jud. XVIII v. 29, opinatur. Equidem alii jam Viri doctissimi Spinozianam hanc explosum ivere sententiam, verum, uti in eorum refutationibus nonnulla, quæ desideret, habere sibi videtur Autor, ita tandem cum P. D. *Huetio* in eam ingreditur sententiam, ut putet, celeberrimum in veteri Palæstina fluvium, *Jordanem*, duobus olim defluxisse rivulis, *Tor* atque *Dan*, a quibus & suum retulisset nomen, horumque alterum Mosaico in loco significari. Probat hoc primum multis argumentis, appellationem deinde Jordanis suppeditatam contra Hadr. Relandum defendit, & denique de Clarissimi Viri, *Jo. Clerici*, consensu mirum in modum sibi gratulatur. Ceterum in ultimis paginis quinque subnectuntur Indices.

D. JOACHIMI LANGII, S. THEOL. PROF. Ord. in Regia Fridericiana, Caussa Dei & religionis, Judæis

dæis revelatæ, adversus sic dictum Naturalismum methodo demonstrativa adserta.

Halæ Sax. impensis Orphanotrophii, 1726, 8.
Alph. 2 plag. 4.

Cœperat Summe Rev. *Langius* anno 1723 *Caussam Dei & religionis naturalis* adversus Atheos & ipsorum patronos, pseudophilosophos, tum veteres, tum recentiores defendere; quem librum in Actis nostris Mense Octobri ejusdem Anni p. 454 seqq. sedulo recensuimus. Nunc Vir doctissimus a religione ista naturali lectorem deducit ad revelatam, ejusque patrocinium adversus naturalismi sectatores suscipit, eadem, qua liber ille primus conscriptus est, methodo usus demonstrativa, quæ veritates recte definitas, & ex evidentissimis principiis justa serie deductas, ita inter se connectit, ut tanquam ejusdem catenæ articuli firmiter inter se cohæreant.

Tractationi ipsi necessariam præmittit *protheoriam*, quæ Postulatis & Theorematibus constat. Et *Postulata* quidem præcipue exhibent illos revelatæ religionis characteres, quos quilibet p. 1-11.
sincerus Dei secundum lumen naturæ cultor non potest non pro divinis agnoscere, & confiteri, se eam religionis revelatæ formam, quæ istos characteres ostendat, lubenti animo pro vera ac divina esse agniturum. Postulatis subjunguntur *Theoremata*, ubi membro 1 agitur de theologiæ ac religionis naturalis defectibus historicis, dogmaticis atque moralibus, qui satis indicant, 12-30.
eam non esse sufficientem ad æternam salutem consequendam; membro 2 agitur de revelationis possibilitate, probabilitate, utilitate ac necessitate. 30-34.

Lectorem ita præparatum Ven. Autor ad ipsam *Tractationem* admittit, quumque revelatio illa divina, cujus & characteres & probabilitatem necessitatemque cum summa utilitate conjunctam hactenus a priori ostenderat, in *gente Judaica* quærenda sit, parte tractationis priori primum agit *de historia Judaica*, ejusque antiquitate & veritate, nec non de integritate librorum apud Judæos sacrorum; deinde *de ipsa religione Judæis revelata*, tanquam centro

 istius

istius historiæ, secundum præstantiam atque divinitatem suam
consideranda.

Sectio I de historia Judaica quinque propositionibus adsolvi-
tur. *Prop. I* generatim agit de antiquitate gentis & veritate histo-
p. 35-53. riæ Judaicæ, & his verbis includitur: *Gens Judaica, quæ adhuc
hodie per orbem terrarum dispersa quam copiosissime superstes est,
omnium est antiquissima, antiquis Assyriorum & Chaldæorum,
nec non Persarum, Græcorum & Romanorum imperiis multis modis
innexa, & ab omnibus aliis gentibus mirum in modum distincta,
multisque prærogativis insignita:* id quod octo argumentis com-
probatur. *Prop. II* speciatim agit de *veritate historiæ*, quæ libro
53. primo Mosaico continetur, & deinceps singulatim deducta, ita
54-61. habet: *Moses in Genesi narrat res, 1) quas ita, uti narrantur, fa-*
61-67. *ctas esse, ipsa ratio sibi relicta probabiliter adsequitur: 2) quæ in-
ter se quam optime cohærent, & ad nexum rerum Judaicarum,
quotquot insecutæ sunt, catenatum pertinent, ideoque nec omitti*
67-78. *potuerunt: 3) quæ eo adhuc tempore, quo a Mose, Deo per specia-
lem directionem concurrente, conscriptæ sunt, non solum Judæis,
sed reliquis etiam, præcipue Orientis, gentibus maxima ex parte
per traditionem erant notissimæ; certe ita comparatæ, ut istis, in-*
78-85. *quisitione facta, de iisdem facile posset constare: 4) quarum noti-
tia residua, inter gentes omnes longiore temporum progressu propa-
gata, variis sese monumentis ac vestigiis prodidit. Ergo Genesis*
85 94. *continet veram vere factorum historiam. Prop. III* hæc est: *Qua-
tuor reliqui Mosis libri itidem continent historiam rerum Judaica-
rum, uti antiquissimam, ita etiam verissimam:* quod variis ratio-
nibus extra dubium ponitur. *Prop. IV: Etiam reliqui libri gentis*
94-98. *Judaicæ sacri historici, dogmatici, morales ac prophetici, sua an-
tiquitatis & veritatis luce amplissima radiant, ideoque fide sunt*
99-108. *dignissimi. Prop. V* integritatem librorum V. T. incorruptam
demonstrat, ubi probatur, a Judæis abfuisse non solum *actum* li-
bros suos sacros corrumpendi aut interpolandi, sed etiam *facul-
tatem* ac *voluntatem* ipsam.

Sectione II ab historia Judaica ad *religionem Judaicam*, ejus-
que tum *præstantiam*, tum *divinitatem* demonstrandam transi-
tur. Membro hujus sectionis I *præstantia* religionis revelatæ octo
pro-

propositionibus, quæ totidem characteres continent, evincitur. Sunt autem isti characteres 1) antiquitas & veritas religionis revelatæ historica, 2) ἀξιοπιστία Mosis ac reliquorum scriptorum sacrorum, 3) revelationis modus Deo dignissimus, 4) sermonis sacri dignitas, in evidentia ac simplicitate posita, & singulari cum gravitate ac sanctimonia conjuncta, 5) præstantia doctrinæ tum credendorum, tum agendorum, quæ perfectum juris & legis naturæ systema exhibet, 6) præstantia rituum, doctrinæ supervenientium, 7) harmonia singularum partium & librorum, 8) perfectio, qua religio revelata defectus theologiæ naturalis historicos, dogmaticos & morales supplet. Quibus positis declaratur, p. 132-134. summam religionis Judæis revelatæ præstantiam ex istis characteribus elucere; quæ ad ejusdem divinitatem agnoscendam quosvis invitet. Per *divinitatem* autem religionis ea intelligitur illius præstantia, quod ab ipso Deo peculiariter est revelata, & ad spiritualem æternamque hominum salutem ordinata. Hæc *membro II* duodecim rationibus characteristicis seorsum evincitur, 134-188. quæ sunt 1) solemnis νομοθησία Sinaitica, 2) Θεοκρατία in conscientiam, 3) salutis mysteria, ingenio humano superiora, 4) harmonia credendorum & agendorum admiranda, 5) convenientia inter bona gratiæ medicinalis ac forensis, & mala naturæ, 6) admirabile gratiæ ac justitiæ temperamentum in salutis fundamento ac ordine, 7) analogia summa inter doctrinæ revelatæ capita generalia, legem & evangelium, 8) religionis revelatæ finis & effectus efficacissimus ad hanc & futuram vitam, & ad ipsos vitæ civilis ordines singulos, 9) cruenta ac funesta confessorum martyria, 10) prophetiæ, ipso eventu quam evidentissime comprobatæ, 11) admirandus miraculorum cumulus, 12) religionis Judaicæ revelatæ complementum plane divinum in Christianismo. Hisce 183-188. duodecim characteribus subjiciuntur *consectaria*, quibus redditur liquidissimum, religionem revelatam, tot divinitatis radiis coruscantem, non nisi a brutæ mentis hominibus, quorum præcipui sunt athei, posse repudiari; *scrupulos* autem, qui imperitis restant, non in *arma*, quibus doctrina revelata impugnetur, sed in *stimulos diligentiæ* convertendos esse.

Sectione III demonstrata religionis revelatæ veritas ac divinitas

tas *adversus exceptiones & objectiones* defenditur ac vindicatur.
p. 189-200 *Membro I* ſolvuntur objectiones, quæ adverſus Pentateuchi Moſaici aliorumque librorum hiſtoricorum antiquitatem & integri-
201-224. tatem moveri ſolent ac poſſunt. *Membro II* ſolvuntur objectiones,
224-247. quibus hiſtoria creationis ſolicitatur. *Membro III*, quæ circa hiſto-
248-260. riam lapſus oriri poſſunt. *Membro IV*, quæ cauſſam mali Deo vi-
261-296. dentur tribuere, præcipue vi decreti alicujus abſoluti. *Membro V* illæ, quas Vir clariſſimus, *Jo. Clericus*, nomine philoſophorum
296-318. gentilium contra religionem Judæis revelatam nectit. *Membro VI* farrago aliarum objectionum ſolutarum exhibetur. Hæc eſt par-
Præf. p. 16. tis prioris œconomia, in qua Ven. Autor nihil ſe protuliſſe dicit, niſi quod meditatione propria excretum fuerit digeſtumque, & cujus vim ac robur ipſe ad convictionem usque non perceperit, poſthabita interim polyhiſtoria, qua animus inter legendum diſtrahi ſolet.

Poſteriore libri *Parte* ſibi tractanda ſumit præcipua revelatæ religionis capita, poſita in *doctrina* de *Meſſia*, quæ *myſterium Trinitatis* ſupponit. Hinc *Sectione I* agitur de *myſterio trium hy-*
321-339. *poſtaſium* in unitate divinæ eſſentiæ, ubi *propoſitione 1* exhibentur & illuſtrantur loca V. T. quindecim, quæ myſterium plurium hy-
339-358. poſtaſium in Trinitate generatim inſinuant: *prop. 2* loca ſedecim, in quibus expreſſa ſit mentio duarum hypoſtaſium, patris & filii:
359-402. *prop. 3* loca viginti & ſex, in quibus Dei filius ſeu Meſſias, a Jehova diſtinctus, vocatur *angelus Jehovæ*, & ejusmodi prædicatis inſignitur, quæ ipſum verum Deum eſſe, quam evidentiſſime evincunt; cui deductioni præmittitur theorema, ſuis inſtructum argumentis, de emphaſi nominis *Jehova* abſolute poſiti, quod ſit nomen ſoli vero Deo proprium, & cum nulla re creata commu-
402-410. nicabile: *prop. 4* loca triginta & octo habentur, in quibus duarum hypoſtaſium ita fit mentio, ut hypoſtaſis tertia, nomine Spiritus, ſeu Spiritus ſancti vocata, referatur ad alterutram duarum reli-
410-442. quarum hypoſtaſium vel ad utramque: *prop. 5* loca viginti quatuor exhibentur, in quibus pluralis hypoſtaſium numerus ſpeciatim ad ternarium reſtringitur. Singula illa V. T. loca doctis obſervationibus illuſtrantur, quæ nucleum demonſtrationis, ex
442-449. quolibet loco colligendæ, nervoſe continent. Adduntur *prop. 6* teſti-

testimonia pro hoc dogmate, quæ in libris V. T. apocryphis exstant, & *prop. 7*, quæ in scriptis *Philonis* Judæi occurrunt, pro copia sua in sex diversas classes distincta. p. 450-462

Huic demonstrationi mysterii Trinitatis *Sectione II* superstruitur doctrina *de Messia*, salutis nostræ autore, nec non de ejus fundamento & ordine. Membrum 1 agit de Messiæ *persona*, secundum utramque ejus naturam, ubi cap. 1 pro adstruenda *divina* Messiæ *natura* integræ phalanges testimoniorum ex Mose, 463-515. Prophetis & Psalmis producuntur, & adversus Judæos ac Socinianos in acie collocantur: cap. 2 de *humana* Messiæ *natura* copiose tractatur, & quidem 1) de tribu & familia Messiæ, 2) de loco 516-565. nascituri Messiæ, Bethlehem, 3) de tempore nativitatis Messiæ, per LXX hebdomadas definito, 4) de Messiæ matre virgine, 5) de ejus unctione ad officium ejus triplex, unde is Messiæ nomen habet. Membrum 2 sistit Messiæ *officium* in duplici ejus statu. Unde 566. Cap. I agitur de officio Messiæ *sacerdotali*, & in eo de *salutis* nostræ *fundamento* & *acquisitione*: quod argumentum ut eo plenius tractetur, articulus 1 agit de peccato, ejusque culpa & pœna, 568-582. tanquam supposito doctrinæ de officio Messiæ sacerdotali; art. 2 582-590. de peccati Adamici ac contractæ per illud labis imputatione & participatione; art. 3 de justitia Dei, peccati vindice; art. 4 de natura rei sacrificalis piaculari & typica, & sacerdotum Leviticorum officio typico in peccatorum expiatione; art. 5 de ipso Messiæ officio sacerdotali, in expiatione antitypica posito. Cap. II de officio Messiæ *prophetico* & de *salutis* acquisitæ *promulgatione*, ad ejusdem applicationem tendente, tractatur, ac denique Cap. III de officio Messiæ *regio*, *salutis* per sacerdotium partæ ac per officium propheticum promulgatæ oblatæque *communicationem* ac *consummationem*, beatamque usuram complectente. Utrique libri parti epimetron subjungitur, de religionis Judæis revelatæ imperfectione, seu indole temporaria, qua respectu evangelii novæ œconomiæ prælusit. Denique index & rerum præcipuarum, & locorum, tum ab objectionibus vindicatorum, tum de Messia explicatorum additur. 590-616. 616-642. 642-647. 674-687. 687-714. 715-fin.

Et hac ratione S. R. Autor simul fundamentum posuit tractationis *Anti-Judaicæ* & *Anti-Socinianæ*, quæ *tomo* caussæ Dei *ter-*

 tio

tio propediem insequetur. Ceterum sub finem præfationis profitetur, se hunc librum non sine eximia fidei corroboratione elaborasse. Hanc ipsam igitur lectori etiam, cui caussa Dei in procuranda animæ suæ salute curæ cordique est, ex animo apprecatur.

D. JOACH. LANGII, THEOL. PROF. ORD. Institutiones Studii Theologici Litterariæ, quibus methodologia de studiorum sacrorum ordine, subsidiis ac impedimentis præmissa, & monitis ac consiliis litterariis passim inspersis, notitia librorum, præcipue selectorum, in singulis Theologiæ partibus exhibetur.

Halæ Sax. impensis Orphanotrophii, 1724, 8.
Alph. 2 plag. 11.

QUum ignoratio bonorum librorum cum multis damnis conjuncta sit, consultum putavit Summe Rev. Autor juventuti Academicæ, ut in singulis Theologiæ partibus sufficientem sibi comparet librorum selectorum notitiam, iis instructam consiliis monitisque, quæ librorum usum dirigant, & non expeditum minus reddant, quam salubrem. Hunc ipsum in finem has institutiones in usum Auditorum Collegii sui literarii, quod quolibet semestri æstivo habere solet, typis tradidit, quæ VII Sectionibus
p. 1-46. constant. *Sectione I* agitur *de methodo studii Theologici*, & quidem cap. 1 generatim, ubi 1) de scopo & ordine studii theologici, 2) de
46-85. prudentia studii theologici litteraria, 3) de diligentia studii theol. literaria: cap. 2 speciatim 1) de studio exegetico & philologico, 2) de methodo studii thetici & moralis, 3) de methodo reliquarum
85-122. studii theologici partium. *Sectio II* exhibet *Isagogen generalio-*
122-166. *rem in rei litterariæ & librariæ notitiam*, ubi cap. 1 de re libraria & litteraria in genere, cap. 2 de iis rei librariæ & litterariæ subsidiis,
166-195. quæ sunt in re bibliothecaria & typographica. *Sectio III* tractat de
195-265. *studio historiæ ecclesiasticæ*, & quidem cap. 1 de ipsis fontibus historiæ ecclesiasticæ, cap. 2 de iis scriptoribus, qui historiam ecclesi-
265-285. asticam e fontibus haustam condiderunt, tum universalem, tum
285-308. particularem. *Sectio IV* sistit *philologiam sacram*, ubi cap. 1 de par-

partitionibus ac versionibus Scripturæ S. cap. 2 de editionibus p. 308-339.
Scripturæ & operum biblicorum, cap. 3 de apparatu ipsius philo- 339-380.
logiæ sacræ librario, cap. 4 de antiquitatibus sacris V. & N. T. 381 570.
Sectio V complectitur *Bibliognosian studii exegetici*, secundum di- 570 661.
versas librorum classes digestam. *Sectio VI* apparatum librarium
in Theologia *dogmatica & morali*. *Sectio VII* notitiam librariam p. 662-734.
in studio antithetico, ubi recensentur scriptores adversus adversarios extra ecclesiam cap. 1, & intra ecclesiam cap. 2. Judicium de librorum indole, vivæ voci reservatum, Ven. Autor rarissime apposuit. In enumeratione Autorum data opera abstinuit a nimia copia, ne eorum quidem omnium, quos ipsius supellex libraria continet, librorum nominibus in censum relatis. In nonnullis etiam Theologiæ partibus notitiæ magis, quam selectus, rationem habuit. Sedulam insuper, interspersis hinc inde monitis, operam dedit, ut Studiosi Theologiæ a vanitate illa litteraria, quæ hodie cum magno totius rei litterariæ abusu & damno dominatur, avocati, sobrie & caute in re libraria versari discerent. Præter appendicem adjecti sunt copiosi indices. Speciminis loco subjicimus, quæ Vir Summe Rev. idemque doctissimus Sectione IV Cap. I §. 11 pag. 279 de nova S. Codicis versione latina adornanda monet, optantes, ut Autor S. Rev. etiam sepositis tantisper aliis quibusdam occupationibus, utilissimum institutum urgere pro virili velit.

„Cum versio, inquit, utriusque codicis, eaque nuda & „notis destituta, ita esse possit adornata, ut aliquo modo vicem „commentarii præstet, mihi translatio optima adhuc in desidera-„tis est, & fortassis nunquam elaboranda. Qualem vero optem, „imprimis Germanis nostris, paucis exponam. Viris doctis ex-„ploratum est, inter alia præcipue sequentia in reddendo textu „authentico, maxime Hebræo, deprehendi. 1 Occurrere voces, „singulari aliqua prægnantes emphasi, quæ nulla alia alius linguæ „voce satis significanter possit exprimi. 2 Ejusmodi emphasin & „δείνωσιν passim deprehendi in integris aliquot locutionibus. 3 „Quam frequentissimos esse idiotismos linguæ Hebrææ, cum „nulla linguarum occidentalium communes, qui ideo in versio-

„ne deferendi, feu idiotifmo ejus linguæ, in quam textus authen-„ticus transfertur, exprimendi fint, quia retenti expreffique lin-„guæ alii barbarifmos aut folœcifmos inducunt. 4 Multa effe lo-„ca, aut locorum phrafes, in quibus tacite refpiciatur ad hunc „vel iftum morem Judæorum vel Gentilium antiquum, occi-„dentalibus ignotum, aut obfcurum. 5 Paffim etiam adhiberi „proverbia, occidentalibus itidem haud ufitata. 6 Non pauca effe „loca, adeo obfcura, dubia & vexata, ut fenfus inde non nifi per „conjecturam erui poffit incertam: qualia tamen in argumentis „ad falutem neceffariis non occurrunt, &, fi occurrant, facile „expediri poffunt. 7 Nec pauca effe loca, quæ quidem per fe nul-„lam habeant obfcuritatem, non incommode tamen plures, quam „unum fenfum admittant, ita, ut unus, qui legenti reliquis vi-„detur effe commodior, ideoque proprius & intentus, fit eligen-„dus. 8 Occurrere interdum paronomafias, quæ nulla alia lin-„gua exprimi poffint, aliter autem redditæ omnem fuam elegan-„tiam & δείνωσιν amittant. 9 Non raro ellipfin, orientalibus non „infolitam, fed occidentalibus plane inufitatam, & ita compa-„ratam, ut fenfui obftet, in verfione effe fupplendam. 10 Non „raro accentuum pofitum aliquam pofcere metaphrafin, fere a „nullo alio metaphrafte adhibitam, & a commentatoribus negle-„ctam. 11 Multas voces, & quasdam locutiones in integro facro „codice tantum femel aut bis legi. 12 Varia loca a beato Luthero „minus recte effe reddita. Hæc, & plura alia, non poteft non „obfervare, qui verfionem aliquam adornat, cujuscunque hæc „linguæ fit. Jam vero fi obfervata diverfis in ipfa verfione fignis „notarentur, præmiffa ad lectorem aliqua fignorum iftorum ex-„pofitione, verfio nuda vicem commentarii alicujus non fper-„nendi præftaret, faltem legentium diligentiam effet excitatura, „& ad dignam meditationem & inveftigationem exacutura. „Quod fi notæ accederent, fignis iftis accommodatæ, eo magis „difcentibus foret confultum. Vigefimus jam agitur annus, ex „quo defiderium ac confilium meum cum viro quodam doctiffi-„mo, & ad hunc laborem a neceffariis haud leviter inftructo, „communicavi; quod quidem ipfi adeo non difplicebat, ut haud

„ obfcu-

„obſcure mihi ſociam ſuam promitteret operam. Sed, utroque „noſtrum aliis operis diſtracto, res effectu caruit, nunc aliis commendanda.

TEXTUS V. T. ORIGINALIS EBRÆUS AB Enallagis liberatus, ita ut CLXXII V. T. loca, in quibus Enallage regnare dicitur, ope pietatis criticæ, ſimplicitati Deo dignæ reſtituantur, & ſine Enallagis exponantur a FRANCISCO WOKENIO, P.P. in Acad. Lipſienſi.

Lipſiæ & Wittenb. apud Sam. Hannauer, 1726, 8.
Pl. 13.

CL. Autor, Collega noſter honoratiſſimus, uti jam A. 1718 ab Hypallagis & 1720 a Synchyſibus utrumque textum originalem V. & N. T. abſolvit: ita jam telam ulterius pertexens, Enallagis, quas B. Varenius ignorantiæ & audaciæ theatrum appellare ſolebat, e ſacrario Biblico excludendis operam impendit. Et hac quidem vice, Bibliopola ita ſtatuente, in proximum differre coactus N. T. Enallagas, V. T. a capite ad calcem evolvit, & quæ aliqua cum ſpecie ab Exegetis, antiquis & recentioribus, prolata invenit, ad aſſerendas in V. T. Enallagas, brevi quidem plerumque, ſed ſollicito tamen ſubjecit examini. Cum enim leviora fuerint, quæ pro Enallaga ſtatuminanda Viri docti attulerunt, ſatis eſſe putavit, ſi paucis rem conficeret, & oſtenſo ſenſu probataque Grammaticæ Biblicæ ſimplicitate, dubia removeret. Si vero gravius quoddam allatum dubium, non prius illud dimiſit, quam collatis aliorum expoſitionibus, veriorem & ſimpliciorem inveniret. Quoniam & in his rebus criticis haud raro duæ aut plures expoſitiones probabiles ſe obtulerunt, eas afferre non ſuperſedit, licet unam ex illis modo probet, quo lectoribus eo melius conſulat, ne forte quis, cui non eadem, quæ Autori, ſententia arridet, ad Enallagen relabatur, ſi alia, quam eligat, non ſtatim ſuppetat. Nemini etiam mirum videri poteſt, quod Autor, qui, pauciſſimis ſibi in hoc vel illo dicto adſtipulantibus, vulgarem impugnat opinio-

nionem, hinc inde novam quandam expoſitionem loci alicujus Biblici ſuppeditet: cum novæ, quæ occurrunt, expoſitiones maximam partem puram Criticam & Grammaticam concernant, omnes vero & ſimplicitati & fidei analogiæ congruant. Ut dictis fidem conciliemus, unum alterumque tangemus exemplum. Quam variis variorum expoſitionibus locus *Gen. IV,7* torqueatur, fuſe docet, & hanc ultimorum maxime controverſorum verborum לפתח חטאת רבץ evincit exegeſin eſſe genuinam: *ad*
p. 33. *oſtium eſt*, prope eſt, inſtat, peccatum, non illud quod jam commiſiſti, ſed *peccatum ſecure cubans*, ſeu ſecuritatis, quo ad excœcationem devenies. Maſculinum *Exod. I,21* de obſtetricibus adhi-
53. beri viſum, de Iſraelitis, & *Ruth. I,8 ſqq.* occurrentia Maſculina
89. de integris familiis accipit. *Hiob. XL,11* שרירים quod *umbilicos* reddunt, vel ex Arabiſmo per *hilaritates* aut *nodos*, vel, quod præfert, ex Chaldaiſmo per *firmitates* exponit. Locum controverſum *Jeſ. LIII,9* interpretatur, ut קבר ſit ſubjectum totius verſus: *Dabit quidem ſepulcbrum ejus impios, ſed idem ſepulcbrum, & dabit divitem, per mortes ejus.* *Hoſ. XIII,9* autem locum, non minus intricatum, ſimpliciter vertit: *Perditio tua, o Iſrael, eſt, quod es contra me, contra auxilium tuum.* Qui plura noſſe cupit, ipſum libellum adeat, & multa ex accentibus, multa ex intimiori Ebraiſmo luci reſtituta eſſe, inveniet.

BASILII FABRI THESAURUS ERUDITIOnis Scholaſticæ, recenſitus, emendatus, locupletatus a JOH. MATTHIA GESNERO.

Lipſiæ, ex officina Thomæ Fritſchii, 1726, fol.
Alphab. 18.

Quicquid de ſcholaſtica eruditione ſentiant nonnulli cum faſtu imperiti, nemo certe, niſi ἄμυσος, laborem ei impenſum dixerit ignobilem. Inter primarios potius libros referendi ſunt, qui Lexicorum vulgo nomine veniunt, ſi cum cura elaborati rerum & vocum theſauros ad bonorum autorum intellectum pandant. Iſta vero laude commendatius aliis tantum non omnibus eſſe Fabri hoc opus, & longiſſimi temporis uſus compro-

probavit, &, ut esset, virorum doctrinæ fama haud ambigua conspicuorum operæ cum studio in illud collatæ effecerunt. De anterioribus non opus est, ut dicamus, quorum editiones dudum in omnium manibus versatæ fuerunt. *Cl. Gesnerum*, qui hanc novissimam ornavit, cujusque nomen sæpe jam a nobis prædicatum est, nunc etiam tacere non possumus. Rogatus scilicet primum, cum Faber denuo per *Stubelium* edendus esset, totum opus perlegendum sumsit & recensendum, & socios proin aliquandiu labores cum illo sustinuit. *Stubelio* autem illis immortuo, cum prior pars ad vocem *Cotinus* perducta esset, altera ad vocem *Villa*; quicquid agendum fuit postea, id omne soli *Gesnero* incubuit. Duo autem sunt, quæ Vir doctissimus egit. Auxit & emendavit. Nova quædam vocabula dedit, sed pauca, cum castigatius tractandum hunc librum probe videret, quam ut promiscuam vocabulorum turbam & cujusvis ævi sordes in illum coacervare liceat. Liberalior fuit in addendis vocum significationibus & constructionibus, quarum ignorantia non lectionem tantum, sed imprimis styli exercitium magnopere impedit. Solennes & publicas formulas diligenter annotavit, & antiquitates Romanas explicavit selectis, tum aliunde, tum ex Ill. Spanhemii de Numismatibus opere, observationibus. Alias Critici recentiores suppeditarunt, quorum in bonos autores annotatis ita est usus, ut inde non tantum discrepantes illorum ab aliis editionibus lectiones indicaverit, sed docuerit etiam, quæ vocabula inter se miscere & permutare soleant librarii, illis, qui Criticam amant, hac ratione gratum facturus. Attamen haud adeo præclare de hujus generis observationibus sensit *B. Stubelius*, qui curare debebat, ut, quæ absens Gesnerus mittebat, suis locis accommodarentur. Multas igitur omisit, quæ sibi non placebant, in quibusdam etiam, pro suo sensu, Gesneriana verba mutavit. Et istud quidem modeste queritur *Gesnerus*, ne sibi, quæ hinc ortæ sunt inæqualitates in elaboratione, tribuerentur. Emendandæ erant versiones Germanicæ, plane contra veritatem peccantes, corrigenda locorum ex autoribus citatorum indicia, tollenda quædam bis dicta, restituenda, quæ non suo loco posita, aut luxata, distracta, perversa fuerant.

Id

Id diligenter præstitit *Cl. Gesnerus*, & cum totum librum a capite ad calcem perlegerit, effecit, ut illa vitia jam hic sint rariora, quæ, pluribus unum tractantibus & interpolantibus, vitari fere nequeunt. Præstantiorem igitur hanc Fabri editionem prioribus cunctis merito asserimus, &, cum dudum hoc Lexicon anteierit alia omnia, nunc ejus prærogativam luculentius multo & certius apparet. Dicat quis: nondum tamen omnibus numeris absolutum. Neque vero id Cl. Gesneri modestia negat, &, quis exigat? in tali præsertim opere, in quo tot minuta sectanda & cujus materia frustillatim prius concidenda est, quam in totum coeat. Sed dicat etiam censor, quis meliora, quis Lexicon Latinum copiosius magisque digestum dederit? Ceterum, si quis specimina industriæ Gesnerianæ desideret, eum ad vocabula quædam ex multis, unde nobis de ea constitit, ablegamus. In vocibus *labo* & *labor* interpretatio melior longe & accuratior data est, quam antea. *Lacinia* quid sit, jam demum distincte videas expositum. *Delicias* morositatem quandam & fastidium significare, ex Plauto, Seneca & Quintiliano annotatur. *Legulejus* nunc melius exponitur de homine, qui sine liberalium literarum cognitione fora sectatur, quam olim de procuratore. *Quilibet* pro vulgari & promiscuo poni, nunc primum indicatur. Ad vocem *litura* ex duobus Ciceronis locis perspicue declaratur, quomodo intelligenda phrasis *litera sunt in litura*. In voce *elixus* correcta versio plane ridicula loci cujusdam Plautini, ubi verbum *assum* de carne assa acceptum fuerat. *Loculos* non marsupium, sed cistulam aut armarium loculatum significare, docetur. Adverbium *locatim* nunc primum Lexico insertum, ut & *luto* frequentativum a *luo*, *mamatus* & alia. *Messiam* deam fuisse, in Circo a Romanis cultam, nunc dicitur; olim e Lexico non intelligebatur. In vocibus *manus*, *committo*, *promitto*, *mollis* luculenter apparet, quanta cum cura, quantoque cum judicio varios ejusdem vocis significatus evolvendo, accurate distinguendo, concinne collocando, versatus *Cl. Gesnerus* in universo hoc Lexico fuisset, si vel ipse solus illud curasset, vel per temporis statuti modum huic labori & aliis negotiis pariter sufficere potuisset.

Errata.

Pag. 410 lin. 25 pro *Sabbathicarum* lege *sacrarum* & p. 412 lin. 26 pro *Tor* lege *Jer*.

No. X.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris Anno MDCCXXVI.

Η ΠΑΛΑΙΑ ΔΙΑΘΗΚΗ ΚΑΤΑ ΤΟΥΣ ΕΒ-δομήκοντα.

h. e.

VETUS TESTAMENTUM, EX VERSIONE septuaginta Interpretum, secundum exemplar Vaticanum, Romæ editum, denuo recognitum. Præfationem una cum variis lectionibus, e præstantissimis MSS. Codicibus Bibliothecæ Leidensis descriptis, præmisit DAVID MILLIUS.

Tomi II.

Amstelodami, sumptibus Societatis, 1725, 8.

Alph. 5 pl. 7.

POst *Jo. Millii*, Angli, de Novo Testamento merita, toto orbe illustria, non minus bene de septuagintavirali V. T. versione meritus nuper est *David Millius*, Belga, hoc magis laudandus, quod editionem nobis dedit minoribus sumtibus parabilem, nitidam tamen & novis, iisque non contemnendis variantibus lectionibus instructam, tum illis, quæ e MSS codicibus vetustissimis nunc primum producuntur, tum quas *If. Vossius* in margine ed. Romanæ annotaverat, quæ Millianis numero, forte & pondere cedunt. Præmisit vero Cl. *Millius* Præfationem luculentam, in cujus primo statim limine observat, versionem hanc septuagintaviralem dici, quia a Synedrio, non illo Hierosolymitano, sed, quod ex *Talm. Succa* probat, Alexandrino, probata & proceribus Alexandrino-Judæorum prælecta fuerit. Fabulas autem *Aristeæ*, de LXXII interpretibus totidem-

que cellulis, de exemplari item aureis literis conscripto, nec non de *Theopompo* & *Theodecta*, cœcitate punitis, merito explodit; ceterum non omnem Aristeæ fidem derogans. Interpretes ex ignorantia Ebrææ linguæ adeo lapsos fuisse fatetur, ut non solum miretur, Viros quosdam doctos hanc versionem Ebraico textui anteponere, sed & credat, "ita sentientes nulla "re vehementius confutari posse, quam si rogarentur, ut ido-"neum sensum in infinitis locis (libris metricis & Prophetis "maxime) textu Ebraico in subsidium non vocato, e Græca ver-"sione afferant, qui perspicaci & erudito lectori satisfacere "queat." Ritus etiam patrios, uti in Talmude conservati sunt, his Interpretibus non satis fuisse notos, ex collatione versionis eorum cum Talmude doctissime demonstrat. Confert nempe *Exod. XXV, 29* cum *Gem. Menachoth f. 96, 1*; *Exod. XXVII, 5* cum *Gem. Sebach. f. 62*, 1, 2; *Exod. XXIX, 24* cum *Gem. Men. fol. 63, 1.* Librariorum quidem mendis subjacere plurima loca, quorum aliquot affert, non negat; simul tamen evincit, multa quoque loca pro vitiosis haberi, quæ vitio careant; vindicatis contra *Is. Vossium* locis, *Gen. III, 15*, & *Ezech. VIII, 15*. Eadem quoque ratione a *Cl. Bos* emendationibus liberat *Ezech. XX, 37* & *Hab. III, 64*, in quibus LXX Viri non quidem verbum verbo, commode tamen sensum reddidisse, Nostro videntur. His observationibus Cel. *Millius* paucula subnectit de usu hujus versionis, & sic ad describenda decora hujus novæ editionis conversus, textum quidem ad edit. *Cl. Bos* expressum esse, fatetur; præmissæ tamen seorsim sunt variantes lectiones MSS. Codicum, quas *Cl. Havercampio* potissimum se debere, indicat. Hæ autem variantes lectiones partim desumtæ sunt e vetustissima membrana, quæ aliquot Geneseos capita, Leviticum, Numeros, Deuteron. Josuæ item & Judicum libros complexa, olim fuit Mentelii, dein Patricii, postea Vossii, nunc vero in Bibliotheca Lugduno-Batava asservatur. Hoc MS. literis majusculis, sine verborum distinctione, sine accentuum item & spirituum notis scriptum, e contrario autem asteriscis Origenianis ※ crebro distinctum, Parisino, Basiliano & Alexandrino æqualem præfert ætatem. De quo rectius judicabunt, qui ipsum scriptionis specimen,

cimen, quod *Cl. Millius* exhibet, confiderabunt. Ceterum Cl. Millius fæpiffime in illo Codice quædam addita obfervavit; rarius pronomina & alia quædam omiffa funt: Sic v. gr. additum eft *Jof. X*, 42, ※ καὶ ἀπέστρεψεν Ἰησοῦς καὶ πᾶς Ἰσραὴλ μετ' αὐτοῦ εἰς πόλεμον εἰς τὴν παρεμβολὴν εἰς Γάλγαλα. Quod ad variantes illas, quas Voffius ad oram editionis Romanæ alleverat, attinet, nondum quidem conftat, unde illas deprompferit, cum nec ipfe indicarit, nec hodie fimilis liber MS. in Bibl. Leidenfi exftet; videtur tamen non modo MSS. cum nunc *MS.* fimpliciter, nunc *Catenam MS.* nunc *Eufebii Emiffen. MS.* nunc *alios* alleget, verum & ingenium fecutus. Ita ad *Exod. XXXV*, 35 notat: τὰ ἔργα τοῦ ἁγίου) קדש legerunt pro חרש. *Deuter. XXXIII*, 8, δότε Λευὶ δήλους αὐτοῦ) Mallem δήλωσιν. Nos minime dubitamus, editionem hanc nitidam & accuratam Lectoribus maxime fe probaturam, quamvis forte futuri fint, qui varias Lectiones textui fuis locis fubjectas, quam in unam farraginem redactas mallent.

ΚΑΣΣΙΟΥ ΔΙΩΝΟΣ ΡΩΜΑΙΚΗΣ ΙΣΤΟΡΙΑΣ κ. τ. λ.

h. e.

CASSII DIONIS ROMANÆ HISTORIÆ ultimi Libri tres, reperti, reftitutique ftudio ac labore NICOLAI CARMINII FALCONIS, Presbyteri, in utroque Jure & in facra Theologia Doctoris & Proto-notarii Apoftolici.

Romæ, ex Typogr. Chracas, prope S. Marcum in via Curfus, 1724, 4. Alph. 1 plag. 3½.

POft feliciffimam operam duorum magni nominis virorum, Fulv. Urfini & Henr. Valefii, quorum ille ex duobus vetuftiffimis codicibus infignia quædam fragmenta *Caffii Dionis* Antwerpiæ A. 1582, hic autem ex codice veterrimo Peirefcii aliisque monumentis Parifiis A. 1634 haud deteriora vulgavit, vix fpera-

re ausi sunt eruditi, fore, ut præstantissimo Historico a quoquam melius consuleretur: cum Viri Reverendi atque Eruditissimi *Nic. Carminii Falconis* studium ipsa etiam bonorum vota vicisse appareat, qui integros tres postremos Dionis Libros publicæ luci, ex situ & squalore protractos, exponit. Is nempe, cum propter lucubrationem suam *de varia provincia Romani Metropolitæ* Cassii nostri testimonio ex libro ejus LXXIX opus haberet, adiit Vaticanam bibliothecam, & præter opinionem ipsum illum codicem admirandæ vetustatis, & ex omnibus, quotquot supersunt, facile antiquissimum, ex quo Fulv. Ursinus fragmenta quondam desumsit, nactus, diligentius eum evolvere, & ad ea quoque loca attendere cœpit, quæ Ursinus, quoniam propter scissas membranas de commoda sententia eruenda desperaverat, sicco pede transierat. Quæ ubi cum Valesii Excerptis, Xiphilino, Cedreno & Zonara contulit, multa in istis laciniis legit atque cognovit, ex quibus vera scriptura restitui, & ab aliis collecta fragmina, suo quæque loco, digeri, adeoque integri libri contexi possent. Et quanquam in ipso codice, ut alia multa, ita etiam Libri LXXIX finis, & LXXX initium non comparerent: ex Xiphilino tamen, quem ipsa Dionis verba sæpissime repræsentasse, extra dubium est positum, ea ita supplevit, ut, si a lacunis quibusdam, a temporis & bibliopegi injuria profectis, discesseris, una nunc serie postremam Dionis partem legere queamus. Hoc ut eo melius appareat, per partes operam Eruditissimi Falconis enarrabimus. Principio Liber LXXVIII in veterrimo illo codice destituitur; id igitur addidit ex Xiphilino, quem sua ista hausisse a Dione ex stilo judicat & consensu Zonaræ. Cap. II pag. 4 incipit ipse codex, & quæ eo loco in orationis nexu memoranda fuissent, ea jam descripsit Ursinus, Editor auxit paullulum & suo loco inseruit. Eidem capiti tribuit quædam ex Valesianis Excerptis pag. 758, quæ Valesius, contra autoritatem veterrimi codicis, Libro LXXVII adscripserat. Cap. III a Valesio, Ursino & Xiphilino quædam sibi vindicat. Cap. IV ex Xiphilino maxime, sed etiam ex conjectura ad integras ferme duas columnas mutilas egregie restituit, posita simul in notis pag. 110 scriptura ista codicis mutila. In Cap. V, VI & VII concinnandis

auxi-

auxilio fuerunt fragmenta ab Ursino edita. Cap. VIII cum duæ columnæ codicis ab antiquo bibliopego penitus recisæ sint, supplet easdem ex Xiphilino; ea potissimum ratione ductus, quod ea, quæ sensus ex Xiphilino assumenda esse suadebat, exacte spatio duarum columnarum respondeant, ut, verba per has columnas ad numerum litterarum ordinando, demonstrat Cl. Editor in notis pag. 116. Cap. IX, X, XI ab Ursino edita, & ipse codex persanarunt. Sed Cap. XII totum hiulcum est in codice, omissum propterea ab Ursino, sed fideliter a Nostro repræsentatum, ita, ut pro litteris, quæ desiderantur, totidem numero puncta apponantur, quædam etiam ex conjectura suppleantur, v. gr. ex . . . λευlην, fecit βȣλευτὴν; ex . . λυ, πολὺ; ex . . δραγαθη . . . ω. fecit ἀνδραθητὴς ἂν: sed ne sic quidem minima pars lacunarum expletur, & fortuna exspectanda erit, quæ iis ita succurrat, ut Xiphilinus fini hujus capitis. Integriora sequuntur Cap. XIII & XIV, ut faciliora lectu & olim jam edita. Cap. XV & XVI idem facinus Bibliopegi laceravit, quædam tamen vulnera egregie sanavit Editor: adjectis simul in notis p. 123 eo ordine, quo in codice visuntur, vocibus & litteris, quæ per illam injuriam inviolatæ manserunt. Iteratur idem facinus Cap. XIX, XX, XXIII, XXVI, XXX, XXXI, XXXIII, XXXVI, XXXVII & XL, quibus Eruditissimus Falco interdum ex sola conjectura & vestigiis literarum relictarum, interdum e Xiphilino, Theodosio, Constantino Aug. qua licuit, medicam manum attulit. Cetera bene habent & olim ab Ursino vulgata sunt. Eodem modo Libro LXXIX versatus est, in quo restituendo certissimam habuit opem Excerptorum Peirescianorum. Sed cum Capite ejus libri VIII desereretur a duce suo, codice illo eximio, reliqua ex Zonara, Cedreno, Valesianis, & maxime omnium ex Xiphilino adjecit, quoniam ex stilo sibi existimare posse visus est, quæ Dionis essent, quæ minus. Adspergit etiam in notis aliquas conjecturas, atque emendationes haud contemnendas. Idem de perbrevi illo Libro LXXX & ultimo Dionis dicendum est. De notis enim specimina proferre supersedemus: cum nullum ambitiosæ eruditionis apparatum contineant, sed simpliciter, unde quodque fragmentum desumtum sit, enarrent,

 aut

aut tribus verbis emendationem proponant, aut ſcriptores ſæpe memoratos inter ſe comparent. Atque hi ſunt libri Dionis poſtremi, a Cl. Falcone integritati ſuæ, qua licuit, reſtituti. Et gratulamur omnino induſtriæ Viri doctiſſimi: cujus exemplo ſi alii Vaticanos theſauros ſedulo excutient, plura fortaſſe reperientur, quibus res litteraria augeri poſſit. Laudamus etiam vehementer fidem optimi Viri & patientiam, qua reliquas codicis ſui litteras ſua ſerie deſcribi curavit: ut alii copiam habere poſſent ingenium ſuum experiendi. Et quanquam probe cognitum habeamus, quantum iis ſit tribuendum, qui longo uſu genium & ſtilum Autoris familiarem ſibi reddiderunt, iis potiſſimum locis, quibus ex aliis ſimul rationibus Autori verba vindicant: multi tamen erunt, qui difficulter judicio Cl. Falconis accedent, ubi ex ſolo ſtilo Xiphiliniana pro Dionianis habet, & integras paginas huic ex illo vindicat. Eſto enim, quod multa deſumſerit compilator ille ex Caſſio, non tamen omnia ſumſit: & ſi integrum librum LXXX in Xiphilino legimus, non ideo integrum librum LXXX Dionis habemus; niſi aliis rationibus, quam ex ſolo ſtilo derivatis, iſtud comprobare poſſumus. Incidebat nuper in manus noſtras Liber X Qu. Curtii in membrana ſcriptus, integer ſane & nullis lacunis deformatus; ſed ab edito Curtio valde diverſus. Servabant hæ membranæ integrum Caput V hujus libri, maximam partem prout editur, & reliqua cum hoc capite una & perpetua ſerie erant connexa. Sed ſi quis propterea, quod eæ membranæ unum Caput Curtii repræſentant, affirmare auderet, reliqua etiam Curtii eſſe, is morem compilatorum vetuſtiorum ignorare fateretur. Ita propemodum de Xiphilino & Dione judicandum eſt. Et ſi quis maxime daret, Epitomen hanc perpetuo ſervaſſe verba Caſſii, Epitome tamen eſt, nec omnia Caſſii habet: adeoque de integro Dione timidius credet. Hæc eo commemoravimus, quo doctiſſimus Editor, qui novam omnium librorum Dionis editionem promittit, ea occaſione hos ſcrupulos lectori eximere, ſuamque ſententiam, quod poteſt, latius confirmare velit.

M. AUGU-

M. AUGUSTINI CAMPIANI, JCTI, DE OFFIcio & poteſtate Magiſtratuum Romanorum & Jurisdictione, Libri duo.

Genevæ, apud Marcum Michael. Bousquet & Socios, 1725, 4 maj.
Alph. 2 pl. 22.

PRimam nominis ac eruditionis famam noſtratibus commendat hoc labore doctiſſimus Autor, origine Privernas, munere Taurinenſis Anteceſſor, haud poſtremus inter Italos ſagaciores & meliori jurisprudentiæ addictos. Cum enim bene intelligeret genuinam Jus Romanum docendi atque illuſtrandi rationem, fontesque pernoviſſet & ſubſidia, quæ vulgus commentatorum ignorat, novam animo concepit interpretationem Digeſtorum, non Iliada poſt Homerum ſcripturus inter populares ſuos, ex quibus vix pauci fortaſſe inſtituti ſimilis commentationem meditati ſunt, nemo certe perfecit. Hujusque operis ſpecimen ac initium voluit dare his Libris duobus *de officio & poteſtate Magiſtratuum Romanorum & Jurisdictione*, qui ſi minime diſplicuerint Juris ſtudioſis, pollicetur primæ Digeſtorum partis enarrationem, prorſus eadem induſtria pertractandam. Quod vero prætermiſſis prioribus titulis Pandectarum, a titulo *de Senatoribus* auſpicatus ſit, ne id ſine conſilio factum putemus, monet, illorum explicatione vix indigere, qui elementis juris acceptis ad latiores Digeſtorum campos accedunt, quibus ipſis Commentario ſuo conſulendum putavit. Præterea neceſſariam non minus, quam digniſſimam, quæ in limine jurisprudentiæ collocetur, judicavit illam præcipuæ partis juris publici notitiam, quæ in Magiſtratibus & eorum jurisdictione verſatur, pluribus commentariis, ſed diſpari ſtudio ſucceſſuque a veteribus ac recentioribus illuſtratam, & quæ permultos juris articulos pervagatur. Neque tamen ab ipſo *de Senatoribus* titulo primum initium capit Noſter, ſed præmiſit huic tractationem *de poteſtate Romani Imperatoris*, qua ſine accuratam & perfectam Magiſtratuum cognitionem dari non poſſe, recte vidit. Refertur in libris Juris officium & poteſtas Magiſtratuum, qualis fuit ſub Imperio Principum: hi vero fons erant omnis poteſta-

teſtatis, imperii vel jurisdictionis. In Imperatore igitur expli-
cat ejus nomen, Proconſulare Principis Imperium, (cujus titu-
lum in marmoribus ſuperſtitem contra Gutherii, Caſauboni &
p. 11. Gravinæ objectiones defendit,) jus relationum ad Senatum,
Cenſoriam, & Tribunitiam poteſtatem, Conſulatum, ſacerdotia
20. & poteſtatem divinam, (ubi, Chriſtianos Imperatores ad Gratia-
ni tempora nomen Pontificis aſſumſiſſe, adverſus Jac. Gotho-
fredum multis probat,) liberam & legibus ſolutam autorita-
tem, (ad *L. Princeps. D. de Legib.*) legislatoriam poteſtatem (ad
L. quod Principi. D. de Conſtit. Princip.) nomen Patris patriæ,
29. Legem Regiam, cujus celebre fragmentum exhibet & paucis il-
luſtrat, denique poteſtatem Principis in Magiſtratus diffuſam.
His expoſitis accedit ad tit. *de Senatoribus*, quorum recenſet ori-
ginem & numerum, cenſum & ætatem, ritum legendi in Se-
natum, autoritatem Senatus, inſignia Senatorum, præcipue tuni-
cam laticlavem, quam ſequioribus temporibus *colobium* appel-
38. latam fuiſſe, contra Jac. Gothofredum tuetur. Sequitur explica-
tio ſingularum legum hujus tituli. Ad *legem primam*, ſubjectis
brevibus notis, quales ad unamquamque legem additæ & quæ
plerumque ſimilium locorum indices referunt, aut verba legis
obſcuriora declarant, commentatur Noſter de viro præfecto-
rio feminæ conſulari præferendo. Ad *l. 2* dicit de ſenatu mo-
43. tis, quibus autoribus, & quorum criminum cauſa ordine mo-
veri Senatori Romano contigerit, deque in ordinem reſtitutis.
48. Ad *l. 3* quærit, utrum ordine moti capite minuantur? itemque
oſtendit, motos propter turpitudinem ex Principum Severi &
Antonini indulgentia potuiſſe Romæ morari, cum antea ſolum
vertere exilii cauſa cogerentur: infamia vero eum demum
notari, cum remotionis turpem cauſam ſententia expreſſerit.
54. Ad *l. 4* diſſerit de tribus gradibus Senatorum poſt tempora Con-
ſtantini, *Illuſtrium, Spectabilium & Clariſſimorum*, docetque, ab
his primum gradum obtinuiſſe *Equeſtrem dignitatem*, ſecun-
dum *Perfectiſſimos*, tertium *Egregios*, ſecus, quam Pancirolus *in
not. imp. orient.* docuerat. Talem in reliquis hujus tituli & ſe-
quentium omnium, qui de jure & officio Magiſtratuum agunt,
legibus illuſtrandis morem atque commentandi rationem Noſter
ſtudio-

studiose & constanter servavit, ut specimini sufficere, quæ hactenus annotavimus, queant. Facile etiam ex his colligas, Nostrum haud certe Autorum de notitia Magistratuum Romanorum, aut Interpretum juris scrinia compilasse, sed cum eos multa cum cura legisset contulissetque, proprio ingenio eruere meliora in haud paucis studuisse. Habet vero illud, quod jam in scenam produximus, volumen priorem saltem de duobus in rubro promissis Librum, qui de officio ac jure Magistratuum Romanorum totus est: alter *de jurisdictione*, Nostri fide, propediem sequetur, ad *Librum secundum Digestorum*, ni fallimur, præcipue comparatus.

CODEX ITALIÆ DIPLOMATICUS, COLLEGIT ac Elencho Indiceque reali instruxit JO. CHRISTIANUS LUNIG.

Tomus II.

Francof. & Lips. impensis Hæred. Lanckis. 1726, fol. Alph. 15 pl. 11.

POstquam de primo Tomo diximus supra M. Martio p. 99, jam quo modo tela pertexatur hoc altero, vel levi digito indicasse satis fuerit. Nam cum illo nondum absolvi potuerit primæ Partis Classis III, hinc primo loco hic sistuntur literæ Investiturarum ac privilegiorum, quæ ad Marchiones e familia Gonzagarum oriundos, Castilionenses item & alios, tum ad Dominos Gonzagas, Novellariæ & Bagnoli Comites, Dom. Grimaldos, Januenses, Dom. Guarzones de Piscia, Com. Hippolythos de Gazoldo, Dom. Lercarios, March. de Malaspina, Massæ Principes & Carraræ March. Comites a Mollart, Feudi Frinchii in Italia possessores, Monœci Principes, Odescalcos Princ. March. Pallavicinos, Duces de S. Petro, March. & Com. Roboreti, Dom. de Romano, it. de la Scala & de Scarampis, March. Soraneæ, March. & Dom. Spinulas, Dom. de Trissino & Principes ac March. Vasti spectant. Succedit Pars II, quæ XII Sectionibus divisa, conscripta est de summo Pontifice ac sede Romana, de utriusque Siciliæ Regnis, de Sardiniæ Regno insulaque Corsica,

de Parma & Placentia, de militari S. Johannis Hierosf. vulgo Melitensi ordine, de Republica denique Veneta, Genuensi & Lucana. His demum accessere varia diplomata alia, in utroque Tomo suis locis prætermissa. Multum vero hic Tomus copia superat priorem; nam cum illo dictum sit contineri diplomata DCXLI, in hoc numeravimus omnino MCCCCVI. Horum etsi plurima fuerint hic illic per Autores dispersa, singulares tamen gratiæ debentur Autori nostro, quod illa justo ordine chronologico collegerit, imprimis vero etiam, quod ingentem ineditorum, recentium imprimis, copiam e Tabulariis summorum Principum nunc primum extraxerit. Nec dubitamus, Autorem vere polygraphum non destiturum, donec aliorum quoque Regnorum Codices, seu potius Thesauros Diplomaticos in lucem produxerit; quod ut fiat feliciter, vitam illi & otium apprecamur.

Leben und Thaten Fridrich des Andern Chur-Fürsten zu Brandenburg.

i. e.

VITA ET RES GESTÆ FRIDERICI II, ELECtoris Brandenburgici; Autore JACOBO PAULO L. B. de GUNDLING, Potentissimi Borussorum Regis intimo Supremarum Provocationum, rerum Bellicarum & Domaniorum Consiliario, ac Societatis Regiæ Scientiarum Præside.

Potsdami, apud Bartholomæum Neumann, 1725, 8.

Alph. 1 pl. 18.

SErenissimorum Electorum Brandeburgicorum, qui ex Burggraviis Noribergensibus sanguinem ducunt, vitam resque gestas summa cura ex Archivis, Codicibus MSCtis, diplomatibus ac Scriptoribus optimæ notæ delineandas existimavit Autor Ill. ut rejectis anilibus quorundam figmentis, plura huc usque ignota, veramque rerum seriem ob oculos poneret. Hinc Friderici I vitam in Actis Anni 1716 p. 92 commemoravimus; nunc

nunc Friderici II vitam, anno superiori prelo liberatam, breviter recensebimus, omissis iis, de quibus jam aliunde constat. In Præfamine Illustris Autor simplicitatis quendam coarguit, cui superfluum visum, fontes Scriniorum & MSCtorum absque verbis istorum aut diplomatibus inde petitis allegasse, quod isto tamen fine necessarium duxerat, ut legentibus patesceret, unde potissima ad Historiam conscribendam sint haurienda; nec ullo jure postulari posse, ut Historiæ Electorali unice intentus Autor, ad fidem dictorum corroborandam, ipsa diplomata, & verba ex MSCtis desumta consarcinet, cum *Archivum Status* in lucem emittere sibi non fuerit propositum; denique cum Mandato Clementissimo, inspectantibus summæ dignationis Viris, Historiam hanc congesserit, nullum de veritate documentorum, eorumque existentia dubitare jubet, nisi temeritatis notam incurrere velit. Ordine Chronologico incessisse Autorem Ill. deprehendimus, unde res invicem connexas compilare nobis erit integrum. Natus est *Fridericus II* A. 1413, Tangermindæ, mox in
Polonia educatus, cura Eliæ Decani Sendomiriensis & Petri p.623.
Chelinky Nobilis Poloni, insignem optimarum artium scientiam sibi comparavit. Vicaria potestate Marchiam ab A. 1438 ad 1440
rexit. Parente defuncto, Tangermindæ, hinc Berolini sedem fi- 624.
xit, palatio ibidem extructo, arceque munita, quæ ad Joachimi II tempora perduravit. Statura fuit procera, corpore succulento & robusto, ut *Ferrei* cognomine insigniretur. Ingenio mirando, tacitum secretum premens, non vi, sed consilio, & intentus occasioni Domus Serenissimæ imperium propagavit; divitiis præpollens, munificentia in Ecclesias, egentes, fidosque ministros clarus extitit. Lusatiam, Electoribus Brandeburgicis
quondam subjectam, & ab iisdem oppignoratam, etsi Carolus 25.
IV, defuncto Belcone Silesiæ Duce, se Brandeburgicis restituturum promisisset, Bohemiæ tamen junxerat, quam Sigismundus postea Joanni Polenzio oppignoravit; at is in turbis Bohemicis
sibi metuens, tutelæ Friderici II A. 1441 se totamque provinciam 218.
subinisit. Deinde cum, Georgio Podiebratio Vicario, omnis
Bohemiâ turbis concuteretur, Polenziorum jura, in Lubenam 185.
maxime, Fridericus solutis 10000 fl. Rhen. A. 1448 redemit;

mox & reliqui Ordines ac Civitates Lusatiæ Inferioris, servatis
sibi privilegiis, in ejusdem ditionem concesserunt. Quo nomi-
p.374. ne investituram a Rege Ladislao, ipsiusque Vicario Georgio im-
petravit, eamque ab Anna, Bohemiæ, si Ladislaus absque prole
194.214. decederet, hærede, Wilhelmo Saxoniæ Duci elocata, firmari cu-
ravit. Polenzii præterea caverant, intra *100 annos & unum diem*
216. semet adversus Electorem ejusque successores nemini militatu-
ros, ne arcana forsan, vel aditus cuiquam panderent. Hoccom-
perto, Fridericus III Imp. patrimonii augendi cupidus, literis ad
Electorem datis, eandem pecuniæ summam obtulit, quo Lusa-
220. tia sibi cederet, verum cum jure destitueretur, paulatim absti-
nuit. Interea Fridericus II Reinhardum, Cotbusii Dynastam, in
73. clientelam receperat, qui biennio post omnem ditionem, cen-
tum & quod excedit pagis constantem, partim 5600 sexagenis
grossorum persolutis, partim feudi aperti jure, a Gerone Mar-
chione quondam derivando, in Electorem transtulit. Mox au-
245. tem facies rerum mutata, cum Georgius Podiebratius solio Bo-
hemico admoveretur. Hic enim Sternbergiis, Cotbusium vindi-
505. cantibus, favebat, qua in causa Elector Georgii Regis judicium
haud recusavit, ita tamen, ut, cum eum sibi infensum experire-
tur, ad summum Imperatoris tribunal provocaret. Nimirum
510. Georgius ille Inferiorem Lusatiam cum pleno Dominio, supe-
rioremque certis conditionibus fuerat pollicitus Electori, si se,
ad dignitatem Regis Romanorum adspirantem, suffragio suo ju-
514. varet; verum Elector, *se prius vitam cum morte commutatu-
rum, quam petitioni Austriacorum eminentiæ adeo adversæ præ-
beret assensum*, intrepide pronuntiabat. Tandem cum supremi
Judicis munere in his litibus componendis haud defungi vellet
560. Imperator, cujus quidem gratia istis turbis immixtus fuerat Ele-
ctor, pax coiit cum Rege Georgio 1462, iis legibus, ut Cotbusium,
Peiza, Teupizium, Beernwalda, Lubbena Magna, in Electoris
potestate manerent, una cum expectantia in Beskoviensem &
Storkoviensem Dynastiam, reliqua vero Lusatia ad Bohemos re-
40. verteretur. Joannes Dux Megapolitanus Brandenburgicis A. 1427
terras universas in feudum obtulerat, quam ob rem Wilhelmo
Venedorum Principe 1436 absque prole extincto, Fridericus I
Ele-

Elector, accedente Imp. Sigismundi autoritate, Principatum vacuum sibi vindicabat. Verum Agnati Megapolitani & terras & fidem clientelarem negarunt, unde ad arma deventum, donec 1441 his conditionibus tota lis componeretur; ut remissa clientela, Ducibus aliquando extinctis, Ducatus universus Brandeburgicorum ditioni cederet, eumque in eventum Ordines Provinciales homagium præstarent; quam transactionem Imperator ratam habuit. Neo-Marchiam vero, a Sigismundo oppignoratam, ab Ordine Teutonico, æris tunc indigente ob dissidia p. 60.
cum Polonis, persolutis 100000 florenorum Rhen. sub jure retro- 74.
venditionis, reluit Fridericus II. Pari modo, cum Sigismundus atque Jodocus plurimas Marchiæ partes quondam alienassent, Fri- 81 sq. 379.
dericus noster rem apud Imperatorem eo perduxit, ut aliena- 99.
tiones illas 1444, vi Aureæ Bullæ, quæ integros ac indivulsos Electoratus esse voluit, nullas publico edicto pronuntiaret. Pasewalkum & Torgelaviam, ad Marchiam Ukeranam pertinen- 107.
tes, Duces Pomeraniæ sui juris fecerant, unde ad arma ferme fuisset procursum, nisi mediante Saxoniæ Electore & Megapolitanis, locis illis Friderico II restitutis, pax fuisset stabilita. Uladislao a Turcis cæso, cum Frater ipsius Casimirus diadema Regium Polonorum recusaret, atque Podoliam Volhyniamque, 113 sq.
Lithuaniæ denuo jungendam, a Polonis repeteret, Poloni irritati, Fridericum Brandeburgicum Regem suffragiis suis nuncuparunt; verum Elector, Regnum meruisse, quam cum injuria aliorum possedisse satius ducens, & bella internecina veritus, si Casimirum pœnitentia postmodum subiisset, tempus delibe- 117.
randi Casimiro indulgendum existimavit, quo elapso, si Casimirum juri suo renunciare sacramento contingeret, Polonorum desideriis se haud adversaturum, est pollicitus. Cum fratre Friderico Juniore Noster 1447 his conditionibus transegit, ut vi 177.
Aureæ Bullæ, superioritate Electori salva, fratri regimen Veteris Marchiæ certo modo committeretur. Cives Berolinenses, 291.
Regimini Electorali nondum assueti, jura sua debilitari querebantur, verum Elector, ne judicis & partis vices subiisse videretur, litem vicinorum Principum, Nobilium, Civitatumque arbitrio dirimendam commisit, qui, rebellibus capite damnatis,

 molen-

molendina aliaque civitatis bona Cameræ adjudicarunt. Inter Albertum, Electoris fratrem, & Noribergenses sævum bellum
p 229. est exortum, quo durante novem pugnæ depugnatæ intra unius anni spatium vulgo memorantur, quas velitationes potius adversus submissa ab Helvetiis sociisque civitatibus auxilia dicendas, Ill. Autor existimat. Fridericus postea terras, tempore Waldemari a Marchia divulsas, sibi restitui postulavit ab Ar-
237. chi-Episcopo Magdeburgensi, jura in Veterem Marchiam, olim sibi donatam, frustra allegante, cum quo tandem 1449 ita transegit, ut, Comitatu Wernigerodæ accepto, reliqua retineret Magdeburgicus. Dum Albertum Austriacum Electores Imperatori Friderico vellent adjungere Regem Rom. ad impensas sustinendas destinarunt aurum coronarium a Judæis post electionem pendi solitum, quod summam 10000 aureorum confecit, cujus
402. cogendæ cura Friderico nostro fuit commissa: at in his consultationibus Imperatorem saltem Imperatoriam *Gratiam* (Kayser-
433. liche Gnaden) nominari, deprehendimus. Interea 1456 Ducatum Mediolanensem Elector, cujus avia ex stirpe Mediolanensi prognata, præ Francisco Sfortia, qui Philippi Mariæ ultimi possessoris filiam notham in matrimonium duxerat, sibi jure deberi contendebat: aliis tamen negotiis implicitus, haud ultra institit. Lites Alberti fratris cum Ludovico Bavaro Landshutano, qui judicio provinciali Norico suos in Nordgovia subditos subesse re-
497. cusabat, 1460 sopire Fridericus II omni studio est annisus; bello tamen mox recrudescente, acerrimum prœlium prope Gingenam est commissum, in quo Albertus hostem, numero longe superiorem, 5 horarum spatio detinuit, eundemque insigni detrimento affecit, donec cedere, paucis suorum amissis, consul-
556. tum duceret: unde *Adlzreiteri* error patet, qui Albertum levi negotio in fugam conjectum hariolatur. Regnum Bohemiæ, ob
587. Georgii hæresin a Pontifice oblatum, Noster haud declinavit, ut vulgo volunt, occasionem tamen rei bene gerendæ operiri, consultum ratus. Anna, Wilhelmo Saxoniæ Duci nupta, moriens
568. filiam Margaretham hæredem juris in Bohemiam sibi competentis nuncupaverat; quamobrem ipsam *Bohemiæ hæredem* sæpius se dixisse, ejusque maritum Joannem Electorem Brande-

burgi

burgi jura contra Reges Bohemorum Jagellonidas urfiffe, documenta teftantur. In caufa Pomerana Elector adverfum adeo fi- 605.
bi Imperatorem expertus eft, ut & omnes ipfius focios arma ponere jufferit, & Erico Wolgaftenfi, inveftituram, fub pœna 1000 librarum auri, ab Electore impetrare, interdixerit. Tandem Fridericus II pertæfus regiminis, ac difficilem auditum, capitisque 628.
vertiginem ex vulnere in obfidione Ukermundæ accepto, & tu- 620.
morem pedum fentiens, denique ob mortem præmaturam filii
Joannis 1469, quem matrimonio Filiæ Cafimiri Regis Poloniæ 615.
deftinaverat, Electoratu in gratiam Alberti fratris ceffit, Burg-
graviatu fuperiore, & annuo 12000 aur. fl. reditu fibi fervato. 617.
Hinc Plaffenburgum fe recipiens, ut vicinis Bohemorum thermis uteretur, non melancholia tamen ob fortunam fibi adverfam
correptus, quod aliqui fomniant, Plaffenburgi 1471 placide vi- 629.
tam cum morte commutavit. Fidei confeffionem primum 1445, ac denuo 1453 fua manu exaratam reliquit, in qua folo Salvatoris merito fretus, peccatorum remiffionem, mifericordiamque
divinam fibi pollicitus, in vera fide in Chriftum fe moriturum 630.
profitetur, unde plures ex recentioribus interque illos Weizendorffius fcriptis eandem illuftrarunt. Ceterum imagines Electorum in frontifpicio harum Vitarum confpiciendas ex picturis vetuftiffimis in facris ædibus aut palatiis Regiis reperiundis defumtas, refert Autor Ill. ac vitam Alberti Achillis brevi fe daturum fpondet, quam ut felici fidere perficiat, fancte vovemus.

LA VIE D'OLIVIER CROMWELL, LORD PROtecteur de la Republique d'Angleterre &c.

h. e.

VITA OLIVERII CROMWELLII, PROTEctoris Reipublicæ Anglicanæ, ex Scriptoribus optimæ notæ fimulque plurimis egregiis MStis collecta & ex Anglico in Gallicum fermonem verfa.

Tomi II.

Hagæ

Hagæ Comitum, apud Jacobum Jonghium, 1725, 8.
Alph. 1 pl. 17.

INgens eorum, qui vitam & res gestas Cromwellii antea exposuerunt, numerus Anonymum Anglum, quem nunc e Gallica versione recensebimus, deterrere neutiquam potuit ab eadem opera denuo suscipienda; quum nimirum pauci inter illos ipsi visi sint ea in re cum industria & fide versati. Ipse nec Encomiasten acturus, nec Satyricum, simpliciter facta non levi aut dicacel, sed gravi sermone recenset, nihil omittens præter fabulas illas Romanensibus haud absimiles, quæ a Scriptoribus, præsertim extraneis, Cromwellii rebus sunt affictæ; contra multa superaddit memorabilia, quorum hactenus ne ipsi quidem Angli meminere. Illud in eo desideres, quod parcius, nec accurate satis, scriptores abs se lectos allegaverit. Ceterum supplementi loco subjuncta sunt, tum accuratior familiæ Cromwellianæ genealogia, ab ipso Autore Anglo scripta, tum animadversiones criticæ eæque satis acerbæ in Gregorium Leti, vitæ Cromwellii itidem scriptorem, ab interprete Gallo additæ. Nos potiora quæ nobis visa, haud ubivis obvia, pauca tamen, pro instituti ratione delibabimus.

Tom. I p. 3. Memorat vero Autor, Cromwellium cum prius ecclesiæ Anglicanæ fuisset addictus, postmodum in castra Puritanorum transiisse, eorumque tam scrupulose adhæsisse religioni, ut certam aliquando cuidam redderet argenti summam, ludo jam triennio ante ab illo obtentam, addens: se diutius eam retinere per conscientiam non posse. Certe religionis fervore incita-
5. 6. tus fertur, ut A. 1641 vehementius urgeret in Comitiis inferioribus querelas contra Regem, quæ cum tandem in bellum erumperent, primum centurio factus est, & mox sublimiori-
7. seq. bus militiæ dignitatibus admotus, multa feliciter adversus regium exercitum gessit. Imo cum aliquando Parliamentum numero militiæ præfectorum exemta vellet omnia sua membra, ipse non solum constitutionem istam, quam *de abnegatione sui* dixere, eloquentia singulari commendabat, sed etiam solus militare suum munus sibi conservabat, in quo tot præliis A. 1645 & 1646 gestis, tot urbibus captis, fortitudinem probavit, ut vel

nomen

nomen ejus terrorem incuteret Regiis. Veruntamen A. 1647 aliqua intercessit ei cum Parliamento simultas, cujus tum causa tum etiam effectus, prout Cap. V memorantur, lectu maxime digna sunt. Scissa nimirum tum temporis fuit ecclesia Anglicana in tres partes, primam Episcopalium, inter quos erat Rex ipse, propterea maxime invisus, secundam Presbyterianorum, ex quibus præcipue constabat Parliamentum & civitas Londinensis, & tertiam eorum, qui dici volebant Indifferentes, quorumque maximus numerus erat in exercitu. His itaque cum Cromwellius faveret, nimiam scilicet Presbyterianorum licentiam, qualis vix antea sub regio & episcopali regimine Angliam oppresserat, animadvertens, enata inde simultatis illius causa. Quippe Cromwellii imprimis opera, qui mira calliditate atque apud belli duces pariter ac milites autoritate gaudebat, tam plenum periculi dissidium Parliamentum inter & exercitum natum, ut alterum quasi inde exsurgeret Parliamentum, militare scilicet, cujus superiorem ordinem belli duces, quorum summus Fairfaxius, nomine quidem, re ipsa autem Cromwellius erat, inferiorem agebant ex militibus illi, qui *Agitatorum* nomine tum maxime memorabili veniebant. Rex etiam per dissidium il- p.67 seq.
lud, Cromwellii cumprimis feroci instigatione, ex captivitate Parliamenti in exercitus custodiam raptus, longe melius atque antea habebatur, imo nunc utrinque certabatur quasi de pace cum Rege ineunda. Certe Cromwellius ipse, sive simulata, quam nonnulli imputabant, sive bona fide tantopere rebus Regis, cujus quippe conveniendi potestatem nunc pro lubitu sibi sumere poterat, studuit, ut cum is parum prudens nimiumque pertinax omnes pacis conditiones fuisset aspernatus, neque tamen noster desisteret a fidei specie saltem erga Regem, proditoris instar in suspicionem non levem adduceretur. Quam tamen mox, de fuga Regis in insulam Vectim ejusque ibi satis 91.
arcta custodia in publico Parliamenti consessu verba faciens, mire elisit; cum exercitu autem, præsertim Agitatoribus illis, qui *Libratores* deinde, sive omnium rerum arbitri dicti & Regi tandem maxime funesti extiterunt, in gratiam rediit, publice testatus, *quod nunc demum distincte cognoscat grande opus, quod Do-* 102.

 minus

p.179. *minus operetur*. Ad A. 1649 observatur, Cromwellium pariter & Fairfaxium, cum Oxonium pervenissent, honoris causa Doctores Juris civilis, simulque aliquot tribunos militum Magistros artium fuisse creatos. Anno sequenti, Hibernia a nostro domita, prodiit libellus sub titulo; *Character Regis Cromwelli*, qui etsi mox suppressus, præsagii tamen loco habitus fuit. E-
221,224. quidem mox deinde in Angliam reversus, triumphali quasi pompa, maximo comitatu ac occursu, Londinum intrabat, quanquam hoc concursu minus delectari visus est, quippe adulatori cuidam, dicenti: *ecce quanta populi multitudo triumphum tuum comitetur*, subridendo respondisse fertur: *atqui major foret numerus, si ad supplicium patibuli ducerer.*

Tom.II.p.6. Mireris autem conatus varios Cromwellii, quibus primo
15. quidem placide, tum in solenni procerum deliberatione, tum in colloquio privato cum *Whitelockio*, harum rerum postea scriptore, innoxiam regiæ dignitatis restitutionem suasit, subtilemque simul sui ipsius commendationem subinde peroravit; mox autem severius rem aggressus est. Quibus vero artibus effecerit, ut, omisso Regio nomine, summam rerum Protectoris titulo consecutus fuerit, apud Autorem legi meretur. Interim obtrectationibus, odiis, insidiisque non carebat, adeo ut mater ejus
114. in perpetuo timore versaretur, & ad quemvis bombardæ fra-
199. gorem auditum exclamaret, filium periisse. Magna quoque, inde a repudiato Regis titulo, miser homo angebatur animi inquietudine, quæ ita augebatur dolore ex amicorum & imprimis Elisabethæ *Claypoliæ*, filiæ dilectissimæ, cujus colloquiis fre-
203. quenter delectabatur, morte concepto, ut in febrim inciderit tandem, qua exstinctus est, antequam de successore in Protectoratu statuere aperte posset. Quantæ formidini fuerit exteris, Gallis imprimis, Hispanis & Italis, apud Autorem fuse legas, qui inter alia observat, Mazarinum nunquam ejus nomen sine aliqua perturbatione audivisse, adeo ut in proverbium abierit, eum ne Diabolum quidem æque formidasse ac Cromwellium. Quod ad supplementa, de quibus supra diximus, patet uti-
228.seq. que ex Cromwellii genealogia, eum & antiqua nobilitate generis & gloria majorum floruisse, & filias quidem habuisse vi-

ragi-

ragines, filios autem sibi impares. Certe id conspicuum fuit præsertim in Richardo, qui patriam dignitatem, non quidem hæreditate, nec indubitata patris nuncupatione, attamen voluntate civium acceptam, vix ultra septem menses sustinuit. Quæ vero ultimo Interpres addidit de Gregorii Leti Vita Cromwelli, ea ut repetamus, vix operæ pretium putamus. Illud monuisse suffecerit, ad octo classes reduci Nostri accusationes, quarum prima ejus vitia contra modestiam, secunda contra accuratam debitamque industriam, tertia partium studium, quarta vitia contra sanum sensum, quinta chronologica, sexta curam de pane lucrando, ex eaque natas ambages plane supervacaneas & tautologias tædiosas, stilumque popularem nimis & humilem, septima contradictiones absurdissimas, octava denique ejus sublestam fidem & aperta mendacia producit. Denique sub finem etiam Historiam Cromwellii, a *Rageneto* Abbate conscriptam, sub censuram vocat, cui nomen Romanensis fabulæ tribuit. p. 253.

DE MENTE HUMANA SUBSTANTIA A Corpore distincta & immortali Dissertatio Philosophico-Theologica; Autore JOH. PETRO de CROSA, Lausanensi, Reg. Par. Acad. Socio, Mathes. & Phil. in Acad. Groningensi Professore.

Groningæ, typis Gesinæ Elamæ, 1726, 12.
Plag. 12.

ETsi titulus promittere videatur scriptum theticum; attamen evolventi apparet, quod in numerum eristicorum referri debeat. Autor enim clarissimus calamum potissimum stringit adversus *Leibnitii* harmoniam præstabilitam & electionem mundi optimi: illam enim cum libertate hominis, hanc cum libertate Dei consistere non posse, sumit, sed non probat, atque ex hoc supposito, quod per istas hypotheses omnis libertas evertatur, eas omnibus istis consequentiis odiosis onerat, quæ ex fatali rerum omnium & absoluta necessitate fluunt. Cel. *Wolfium* quoque atque *Bülffingerum* satis aperte pungit, etsi utriusque nomini parcat. Citat enim subinde *Wolfiana* ex scriptis *Langianis*,

gianis, nonnunquam etiam *Bülffingeriana* ex ipsius viri monumentis. Postquam Sect. 1 *Cartesianorum* hypothesin adstruere conatus fuit, quod Corporis essentia in extensione consistat, quodque extensio sit ipsa substantia corporea, monadibus *Leibnitii* notatis & in numerum figmentorum rejectis; Sect. 2 evincere nititur, Substantiam cogitantem esse a Corpore distinctam. Tribuit menti vim, qua semet ipsam modificat. Etsi autem videri nolit, eam a *Leibnitio* mutuasse, hac addita ratione, quod ipse animæ libertatem relinquat, nec ex ea automaton efficiat; constat tamen, ipsum quoque *Leibnitium* libertatem eidem non adimere, nec in sensu mechanico vocem automati de anima usurpare. Tandem Sect. 3 omnium prolixissima de libertate mentis agit & maxima animi acerbitate harmoniam præstabilitam & recentiorem, quam vocat, Philosophiam consequentiis istis impugnat, quæ ex negata animæ Deique libertate consequuntur, quasi nimirum per hypothesin harmoniæ præstabilitæ & electionis mundi optimi omnis religio, præsertim christiana, omnis virtus atque honestas, omnis pœnarum & præmiorum æquitas, omnis denique disciplina civilis & justitia tollatur. Vocat ideo Systema harmoniæ præstabilitæ *Leibnitianum* obscurum, supra quam dici potest paradoxum, libertatem homini eripiens, unde virtutes suum decus trahunt, moralitatem tollens, miracula ad seriem fatalem revocans, præmiorum splendorem & decentiam, pœnarum justitiam & eo ipso legum æquitatem, uno verbo religionem omnem & christianam præsertim, quæ satisfactionem tanti meriti ad peccatorum absolutionem agnoscit, funditus evertens. Monet tamen in præfatione, sese ab imputandis consequentiis tam longe abesse, quam longe ab hypothesibus absit, quas iisdem adoritur. Et in ipso contextu fatetur, se illas consequentias consequentiarum non eum in finem cumulare, ut in odium a se dissentientes adducat suspectosque irreligionis agat. *Absit*, inquit, *a me adeo inhumanum propositum. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, nec alios suscipe metiri, qua mensura si alii te ipsum metirentur, graviter reclamares.* Hoc non obstante, novam philosophiam sectantes autoritates undique conquirere solere affirmat,

mat, quibus ſe tueantur & ab hypotheſeos ſuæ periculo animadvertendo lectores ſuos diſtrahant; eos arma a Theologis mutuare, quibus Theologiam convellant, &, ſi modo poſſint, religionem omnem penitus evertant; fore hodie, qui chriſtianam religionem ore profitentes a Chriſto & Apoſtolis læti & exultantes recedant, ut metaphyſicis ſubtilitatibus, quas ne quidem ipſi plene intelligant, ex animo adhæreant. Tribuit, fide Cl. *Langii* fretus, novæ philoſophiæ, quod mundum ponat creatum, ſed ſimul æternum; Deo adimat in creando libertatem; mentes humanas ſtatuat per ſeriem rerum æternam & ſingularem naturæ ſuæ mechaniſmum neceſſario diſponi ad tales cogitationes & voluntates, ita ut primi parentes vi ſtructuræ corporis mechanicæ & per mechaniſmum mentis non magis emendabilem voluerint comedere & comederint de fructu vetito: quod ipſum Deum faciat autorem peccati, qui alios hominum vitioſos creet & in peccata trahat atque impellat, ut ſint ipſi occaſiones aliorum in contrarias partes flectendorum; monades doceat æternas ſimpliciter, nec niſi una facultate donatas, quæ per mechaniſmum ſuum, quamvis ſint ſimpliciſſimæ, ſic mundi, operis ſumme compoſiti, mechaniſmo reſpondeant; quod monadem illam unam ſubſtantiam eſſe neget, ſi pluribus donata foret facultatibus, cum tum foret aggregatum plurium ſubſtantiarum; hoc tamen non obſtante affirmet, ſimpliciſſimam illam ſubſtantiam videre, audire, imaginari, intelligere, ſapore, calore, frigore aliisque innumeris a perceptione ideali & volitione longe diverſis affici, hæc mente penitus ſe capere, hæc conciliare ſe minime poſſe, qui fateri audeant, continuo a ſummis his automatibus tanquam automata pecuina traducantur: quod Deum habeat pro monade ſeu ſubſtantia ſimplici æterna univerſi diſtincta repræſentativa, adeoque mundo eſſe, quod anima ſit corpori, Deique totam beatitudinem, totam perfectionem, totam gloriam, totam eſſentiam in eo ponat, quod ſit mundi repræſentamen, autor eorum, quæ dicuntur bona, autor eorum, quæ dicuntur mala & nefanda. Ridet quoque novam, quam vocat, philoſophiam, quod methodo demonſtrativa tradatur, *Methodo*, ait, *a Mathematicis uſurpari ſolita ſi*

ſatis ſit procedere, ſophiſmatum putidorum acervos ſtruere facile erit. In illis occurret: Def. VII *Mus eſt* &c. Def. XV *Syllaba eſt* &c. Coroll. *Mus eſt Syllaba.* Prop. XXIX *Mus rodit caſeum.* Dem. *Sume caſei uncias tres cum dimidiq, admove foramini* &c. *deprehendes pondere 5 drachmis diminutum. Ergo mus* &c. Q. e. d. Prop. 43 *Syllaba rodit caſeum. Mus rodit caſeum* (per prop. 29.) *Mus eſt Syllaba* (per cor. def. 15.) *Ergo Syllaba rodit caſeum.* Q. e. d. Nulla vero adducit ex nova philoſophia exempla, in quibus hæc demonſtrandi forma ſervatur. Quod hypotheſis harmoniæ præſtabilitæ tot habuerit & habeat ſectatores, id in cauſa eſſe arbitratur, quod hominibus laboris impatientibus examinisque moleſtiam fugientibus dulce ſit autoritati acquieſcere, quam fama aut affectibus moti Doctoribus ſuis imputare ament: hypotheſes tamen iſtas in ſe, uti ei videtur, periculoſas fructibusque & conſequentiis ſponte inde fluentibus exitioſas erroris arguere, rem non fuiſſe ait ardui negotii & quæ ingenium acre & ſubtile requirat. Addit, quoniam *Theodicæa* multa contineat, quæ, ſi certo quodam ſenſu explicentur, providentiam divinam liberent ab objectionibus deſumtis ex malo, quod cum bono permixtum orbis noſter complectitur, viros doctos fama tanti viri permotos ejus verba in ſenſum commodum interpretatos eſſe, quodque difficultatis ſuperfuerit ejus hypotheſibus, id omne & materiæ ſubtilitati, & linguæ etiam Autori non vernaculæ imputaſſe. Sub finem definitionem harmoniæ præſtabilitæ a Cel. *Bülffingero* traditam adoritur & decem in eam animadverſiones ſubnectit. Sed in iis apparent, quæ cum a *Bülffingero* tum aliis ad harmoniam præſtabilitam requiruntur. Dum enim num. 7 ait: *Nulla ſit vis immediata neque mentis in corpus, neque corporis in mentem: eſto. Satis erit, ſi in ipſa mente vis agnoſcatur, qua in ſe agere poſſit, ſeſeque ipſa determinare, ut legum æquitati & moralitatis naturæ locus detur;* conſtat penes omnes, qui *Wolfii* atque *Bülffingeri* ſcripta legerunt, quod iſtiusmodi vim menti tribuant, ac inde *Wolfius* omnem praxin moralem & politicam deducat. *Theodicæam* viri etiam poſt fata ſummi *Leibnitii* recenſuimus in Actis A. 1711 p. 110, 159, ejus ſchedas de philoſophia

&

& religione naturali in Act. A. 1717 p. 440 & A. 1721 p. 89, principia philosophiæ in Actis A. 1721 p. 94 & Supplem. T. VIII Sect. II p. 500; *Jaqueloti* de harmonia præstabilita judicium in Act. 1705 p. 553; *Wolfii* Meditationes metaphysicas de Deo, anima & mundo in Act. A. 1720 p. 371 & Tom. VIII Supplem. p. 38, & Annotationes in easdem in Act. A. 1724 p. 316, Commentationem vero cum Monito, quibus sua adversus adversariorum imputationes defendit, in Actis A. 1723 p. 510; *Bülffingeri* Tractatum de harmonia præstabilita in Actis A. 1723 p. 308. & alterum de origine & permissione mali in Act. A. 1724 p. 105: sed nihil ibi reperies, quod sit adeo insulsum, impium ac horridum. Opportune igitur in manus nostras incidit scriptum Autoris anonymi in quo imputationes istæ sub examen revocantur. Nostrum adeo est, quid eidem videatur, subnectere, judicio penes lectorem relicto.

COMMENTATIO DE DEO, MUNDO ET HOmine atque Fato, quæ simul sine ira & studio judicium sincerum de Controversia Anti-Wolfiana exhibet & comprobat, idque secundum probabilitatis, demonstrationis & sensus ipsius, in conlatione systematis Wolfiani veri ejusque ex mente Langiana intellecti leges accuratissimas; Autore Anonymo. Appendicis loco subjiciuntur SAM. CHRISTIANI HOLLMANNI, Phil. Prof. Vitemb. observationes elencticæ in Controversia Wolfiana.

Francofurti & Lipsiæ, 1726, 4.

Alph. 1 plag. 2.

AUtor anonymus hanc commentationem se ideo scripsisse ait, ut orbis universus litterarius probabilitatem, demonstrationem & sensum acciperet ejus, quod in controversia *Anti-Wolfiana* peccaverint *Buddeus* atque *Langius*, quos *duumvirorum Anti-Wolfianorum* nomine insignit & multo alio nomine celebrandos, quicquid contra *Wolfium* scripsere, non prava mente edi-

edidisse confidit, integritate voluntatis non semper veritati respondente, ex imbecillitate nostra & humanitatis lege. Et quoniam Cel. *Crosa*, Vener. *Langii* dictis fidem habens, Philosophiam *Wolfianam* atro carbone notaverit (in dissertatione, quam modo recensuimus;) ejus una præcipitantiam notandam fuisse monet, ut discant alii, quam parum tutum sit ex scriptis *Langianis* de philosophia *Wolfiana* statuere. Nomen suum suppressit veritatis causa, ne quis id expendat, a quo, sed quid dictum sit. Monet tamen (id quod ex ipso quoque scripto satis superque elucet,) se esse Theologum, qui non modicam vitæ partem philosophiæ & scientiæ mathematicæ consecraverit, maximam vero autoritatem, immo omnia, Christo lubentissime deferat, & alicubi in ipsa commentatione se *Norimbergensem Anonymum* appellat. Sancte autem contestatur, se in id defixisse animum suum, ut nemini nociturus controversiam tam genuine daret, quam fieri possit. Nec *Buddeum*, nec *Langium*, nec *Wolfium* sibi bene vel ægre fecisse, ut vicem vice se repensurum fuisse suspicari quis possit. Deum & conscientiam testatur, ipsumque imprimis, qui est veritas ipsa, se *Leibnitii* ac *Wolfii* scripta sæpius legisse, nec *Buddeum*, nec *Langium*, multo minus *Crosam*, odisse & in ipsorum monumentis bene multis multum fuisse. Se nunquam verba alicujus in eum sensum detorsisse, quem extra sermonis seriem habere videntur: nihil præjudicatæ opinioni, nihil multitudini, nihil famæ vel autoritati, pietati, sectæ loco-ve indultum esse. Deum se sincere venerari profitetur, nilque magis, quam peccata sua detestari, nec quidem Cel. *Wolfium* nosse, vel unquam vidisse; id tamen non posse non testari, *se legendis Wolfianis scriptis evasisse robustiorem in veritate, aptiorem ad quævis studiorum genera, æquiorem in magistratus verendos ac ardentiorem in Deum.* Nemini hic palpum se facere, vel contradicere de industria, sed eorum, quæ scribit, rationem se Deo sanctissimo esse redditurum, sancte & prudenter scire atque perpendere. Commentatio absolvitur tribus sectionibus. Earum prima Autor rationibus probabilibus adstruit, quod penes *Wolfium* stet veritas: quare cum argumenta potissima ab intellectus conditione petantur, in virtutem abstrusas scientias

&

& controversias in iis enatas dijudicandi inquirit. *Sect.* 2 præcipuas & difficillimas Metaphysicæ rationes pertractat, simulque indicat, quid *Joach. Langius* atque *Buddeus* minus curate in *Wolfio* reprehendant & quam incaute *Crosa* ex *Langii* scriptis eristicis dogmata *Wolfii* addiscere studuerit. Denique *Sect.* 3 adspectui & oculis Systema *Wolfii* verum ostendit.

Rationes igitur probabiles in medium allaturus, cur penes *Wolfium* potius, quam *Duumviros Anti-Wolfianos* stet veritas, unicum lapidem Lydium in scientiis abstrusis agnoscit demonstrationem. *Leibnitium* primum fere fuisse in Germania, qui mathematicas demonstrationes ex veris certisque principiis deductas philosophiæ veræ inferre studuerit. Viam ipsam plenius aperuisse *Wolfium*, cujus vestigia secuti sint *Bülffingerus, Thümmigius*, alii. Præter eos enim neminem dedisse istiusmodi monumenta philosophica, quibus catena demonstrationis genuinæ insit. Duumviros *Anti-Wolfianos* hanc demonstrandi rationem ignorare, tum ex illorum scriptis, tum ex studiis, quibus innutriti sunt, probat. *Wolfium* per omnem vitam in sola Mathesi & Philosophia desudasse: illos vel philosophiam contemtui habuisse, vel obiter saltem degustasse, Mathemata prorsus non attigisse; sine quibus tamen longioribus demonstrationum catenis nemo adsuefiat. Provocat ad Philosophiam *Buddeanam*; ad causam Dei *Langianam*. Quodsi excipias, Cl. *Crosam* esse Mathematicum & Philosophum, Logicæ non unius scriptorem; Noster quidem regerit, ipsum *Crosam* fateri, studii Mathematici tractationem non promiscue acuere intellectum, sed conveniente ratione institutam; ex scriptis autem ejus non apparere, quod posterius ab ipso factum fuerit. Eundem affirmare, quod ab ore viri omnium sagacissimi facile absurda excidant, si circa res sibi incompertas aliquid statuere tentet: de Metaphysica autem contemtim sentire, quod ab omni tempore obscurata & conspurcata per eam fuerit cum Philosophia tum Theologia. Quemadmodum vero præterea Duumvirorum *Anti-Wolfianorum* utilitates quasdam domesticas indicat, armorum suscipiendorum motiva; ita *Crosæ* infensum in *Leibnitium* animum probat. Hæc se non eum in finem adducere profitetur, ut viros aliis studiis claros

criminetur, cum nihil vitii habeat, si dixeris, consuetudine myopem caligare ad remota, aut sutorem non esse sartorem; sed ut appareat, eos vitio myopiæ systema *Wolfianum* non esse affecutos. Laudat igitur Cl. *Langii* studia philologica, exegetica, theologica, & *Buddei* theologica, historica, philologica una cum ejus assiduitate, pietate & utilitate, nec non *Crosæ* copiam & elegantiam dicendi, cui nec sua in Mathesin merita invidet. Si provocas ad eos, qui cum Duumviris *Anti-Wolfianis* consentiunt, argumento a multitudine idem sentientium in hac causa eo minus locum concedit, quod omnis ævi experientia doceat, in abstrusis scientiarum recessibus summam varietatem doctos semper distinuisse. In specie *Crosam*, linguæ Germanicæ imperitum, scripta *Wolfii* non legisse, sed *Langii* de methodo & dogmatibus *Wolfianis* judicia pro veris supposuisse, atque adeo de re sibi non visa judicasse. Nullus itaque dubitat, quod is aliter judicasset, si *Wolfiana* ipsemet vidisset. Probat deinde, *Wolfio* potius, quam ejus adversariis præstantissimis esse assentiendum, ob multitudinem idem sentientium in rebus a communi sensu remotissimis, si varie sentiendi amorem ad primos suos fontes revocaveris. Monet quoque, *Wolfium* in scriptis suis Mathematicis & Philosophicis neminem refutare, neminem convellere, dissentientium fere nullum excitare, suæ demonstrationi potius ubique inhærere, nec, quid dictum sit, aut a quo, perpendere, sed veritatem vel ernere, vel conglutinare, quasi ab ipsa philosophiæ origine cœpisset. Si qua objectio tollitur, nominatim perstringi neminem, dubium ut sit, utrum ab ipso, an ab alio profecta fuerit. Testatur ipsos libros & cujusvis lectoris conscientiam. *Langium* e contrario jam a multis annis controversiarum amore agitatum, quas adversus Theologos veteris doctrinæ Lutheranæ, *Poiretum*, alios non sine acrimonia in hunc usque diem reciprocet. Qui vero bellis delectantur, eos eadem magis quærere, quam invenire. Notat & partium studia in copiis subsidiariis. Nemini tamen malitiam impingere vult, cum unusquisque stet & cadat Domino suo. Cl. *Crosæ* nonnisi præcipitantiam tribuit, quod, non audita parte altera, sententiam ferre voluerit. Quod enim scripta *Wolfii* ne viderit quidem, nedum lege-

legerit, probat inde, quod erret in lemmate Soli ex nubibus emergenti in frontispicio libri adscripto, & se in eo legere asseveret, cujus contrarium in eodem disertis verbis extat, detorsionibus *Langianis* sumtis pro thesibus, quæ in Metaphysica *Wolfiana* occurrant. Quoniam *Wolfius* methodo demonstrativa usus, etsi titulos definitionum, corollariorum, propositionum, scholiorum non adscripserit, quemadmodum factum esse putat *Crosa*, qui *Wolfii* Metaphysicam non vidit; ideo illam Metaphysicis doctrinis & imprimis argumento de existentia Dei vindicat, usus principiis ipsius *Buddei*, contra quem & *Crosam* disputat. Mittimus, quæ de necessitate naturæ & hypothetica, nec non de fato cœco, Christiano, Astronomico, Manichæo, Turcico & Stoico docet, nisi quod urgeat, ipsum *Buddeum* confiteri, quod ignoretur, quid sit fatum Stoicum, immo quod ipsi Stoici nescivetint, quid hac voce dicere voluerint; hoc tamen non obstante, *Wolfio* imputari fatum Stoicum & in crimen verti animadversione Magistratus dignum. Ceterum non miratur, Theologos plurimos ex fama vel ordinis sui, vel præceptorum, ac Academiæ amore, fontibus ipsis insalutatis, *Buddeo* & *Langio* assentiri: mirandum potius esse ait, si secus facerent. Se tamen eorum autoritate parum moveri, cum pergrande sit discrimen *Spinosæ* inter & *Wolfii* dogmata, quod luculentissime videre liceat ex Biblioth. Brem. Class. VIII fasc. 1 art. 3 p. 47 seq. observat tamen, summos Theologos & Doctores limatissimos permultos ingenue fateri, sese methodi Syntheticæ & notionum ex vago significatu ad certos limites restrictarum non adeo esse gnarum, ut penitus *Wolfii* mentem intelligant, & Ven. *Langium* candidius fuisse acturum, si eorum exemplum fuisset secutus, præsertim cum in casu simili exemplo ei fuerit *Spenerus*, atque judice *Franckio*, Collega *Langii*, scriptis eristicis, quibus is semper fuit involutus, mens corrumpatur & veritas amittatur.

Loculis probabilitatis excussis, ad potiores objectiones respondet, quæ in *Langii modesta disquisitione* & scripto Germanico *ausführliche Recension* continentur, & tricas consequentiarum expedit. Potiora controversiæ momenta resolvuntur in

monadologiam, æternitatem mundi, essentiarum æternitatem, fatum Stoicum & Spinosianum, ac harmoniam præstabilitam. Quoniam *Buddeus* nonnisi *Langiana* approbat & *Crosa* fide *Langii* dogmata *Wolfio* imputat, quæ in ejus scriptis nullibi leguntur; ideo Noster nonnisi *Langianas* imputationes discutit & ferente occasione *Crosam* docet, contraria eorum in scriptis *Wolfii* extare, quæ ipse in iisdem contineri asserit. Circa monadologiam monet, *Wolfium* voce monadis non uti, sed entium simplicium appellatione esse contentum, propterea quod elementa rerum materialium in numerum quidem simplicium refert, in eisque vim quandam agnoscit, qua ita modificantur, ut harmonia quædam universalis in integro systemate emergat, iisdem tamen vim repræsentandi universum minime tribuit. Ostendit quoque, *Wolfium* docere creationem entium simplicium finitorum & per creationem elementorum rerum materialium demonstrare creationem universi ex nihilo, ac de *Langii* mala fide conqueritur, quod lectori suo persuadere conetur, *Wolfium* monadibus tribuere vim repræsentativam universi & absolutam ac independentem æternitatem. Similiter probat, *Wolfium* non omnes monades pro spiritibus habere, sed tantummodo eas, quæ intellectu & voluntate libera præditæ. Vindicat autem loca *Wolfiana*, quæ mutila excerpta sunt a *Langio*, a detorsionibus, quibus vis infertur contextui totique systemati, reprehendens simul vanam persuasionem, quasi solida eruditio in emendatione mentis per Spiritum S. *secundum ordinem nostræ ætatis* sita sit, cum suum cuique tribuendum sit congruenter ei ordini, quem Deus ipse jam observet. Æternitatem mundi independentem & absolutam a *Wolfio* nullibi defendi, qui doceat, creationem & conservationem ejus, immo ipsam creationem ex nihilo seu non existentibus demonstret. Quod autem cum D. *Thoma* largiatur, si vel maxime mundus esset ab æterno, eum tamen non fore Deo parem in æternitate, id nihil absurdi continere, cum manifesta sit differentia inter æternitatem mundi absolutam atque independentem & inter contingentem ac dependentem, quam ipse Cel. *Samuel Clarkius* agnoscat, a *Buddeo* summis laudibus merito evectus. Ostendit quoque, quomodo

Lan-

Langius confundat cum probatione verosimili, quæ *Wolfius* de demonstratione rigorose sumta affirmat, & quomodo principium, quod a *Wolfio* ponitur ad mundi terminum a parte anteriori hyperphysicum & miraculi plenum evincendum, ille detorqueat ad progressum in infinitum & absolutam mundi æternitatem. Vindicat essentiarum a *Wolfio* assertam æternitatem, quatenus nempe eædem continentur in ideis divinis,& miratur, *Langium* sese immiscere controversiis philosophicis, quas non calleat, dum inde æternitatem substantiarum & mali necessitatem infert. Quærit etiam hic ex Cl. *Crosa*, an non fecerit, cujus eum pœniteat, dum *Langii* autoritate permotus adeo fidenter asserat, mundum poni creatum, sed simul æternum, & monades statui æternas simpliciter. Ablegat eum, cum Germanica legere non possit, ad Institutiones *Thümmigii*, quem accuratissimum & fidelem *Wolfii* Epitomatorem laudat. In vindicanda electione mundi optimi brevior est, etsi rationes prægnantes adducat, propterea, quod eam jam valide vindicaverit *Almonius Utis* in Bibl. Brem. Class. VIII fasc. 1 art. 3 p. 47 & seqq. Unde & Cl. *Crosam* ad hunc locum ablegat, ubi ex principiis theologico-philosophicis demonstretur, ideam electi mundi optimi a Deo salva ejus sapientia & libertate removeri non posse. Fatum *Stoicum* & *Spinosianum* temere *Wolfio* affingi probat, quod id sit cœca mundi series, ex necessitate absoluta corporum & spirituum unico hoc modo, quo omnia volvuntur, possibili fluens, citra Deum & omnem providentiam, ab æternitate intrinseca actuali ad omnem æternitatem intrinsecam, absolutam & independentem; *Wolfius* vero mundo deneget æternitatem absolutam & intrinsecam, cum a Deo demonstret esse libere electum atque creatum, & provide huc usque gubernari, omnia Dei attributa egregie firmet & connectat, a contingentia mundi ad immutabile ens & independens progrediatur, mundum a Deo distinguat naturæ & dependentiæ ratione, libertatem hominibus vindicet, possibile ab actuali distinguat, Deo potentiam tribuat plures mundos alios creandi, mundum contingentem agnoscat & eventibus nonnisi hypotheticam necessitatem largiatur, fines tandem omnibus rebus divinitus præstitutos integro libro

doceat. Enodat deinde difficultates, quas *Langius* facessit, & monstrat, dum Deus hunc mundum *Buddeo* approbare nequit, eum ex unica trabe de tota ædis perfectione judicare. Et ne *Langius* existimet, sibi soli artem ex aliquo scripto fatum *Spinozianum* extorquendi patere, specimen edit de eo, quod ipse fatum *Spinozianum* statuat & stabiliat, rogat tamen vehementer lectores, ne Viro venerando eas tribuant doctrinas, quas ipse fortassis horreat, etsi haud invita Minerva eædem ex scriptis ejus eliciantur. Se enim venerari ejus eruditionem, prudentiam & sanitatem doctrinæ, nilque magis exoptare, quam ut agitatas controversias sepelire, & inimicis Christi causa ignoscere velit. De harmonia præstabilita observat, quod Systema *Wolfianum* ejus per sese non sit indiga, adeoque seponi possit, si quis ei fuerit adversus, quemadmodum quoque a Cl. *Thümmigio* in Institutionibus philosophiæ *Wolfianæ* in peculiarem sectionem rejecta sit, quæ salva ipsa Psychologia rationali abesse possit; eadem tamen hypothesis cum orthodoxia subsistere amplius potuisset, nisi *Langius* lacertos movisset. Fundamenta igitur hujus hypotheseos succincte repetit, nec ea principiis theologicis adversari probat. Unionem *Langii* physicam, quæ influxum physicum inferre debet, esse merum sonum, & quando eam hinc adstruere conatur, quod sit doctrina totius generis humani, non modo probat, inde non peti posse argumentum pro veritate, verum etiam totius generis humani consensum validis rationibus infirmat, cum ipse *Buddeus* in philosophia de eo incertus sit, utrum anima sit corporea, an materiæ expers. Miratur vero, harmoniam præstabilitam veluti fatalem & automaticam exagitari, in qua animus liberrimus supponitur, determinationibus ejus sese antecedenter ad decretum Dei habentibus. *Crosæ* de ea judicium dum expendit, id potissimum desiderat, quod multa dicat, nihil probet, quod consequentias consequentiarum cumulat & adeo virulente scribat, utut protestetur, se a consequentiis, quibus pugnat, imputandis longe abesse. Facundiæ loculos in exaggerandis consequentiarum consequentiis irrito conatu excuti, nisi demonstretur assertum de sublata per harmoniam præstabilitam libertate & introducta fatali necessitate.

tate. Officium philosophi & viri boni esse, ut accusationem probet. Vindicat ulterius Noster, quæ *Wolfius* olim in ratione Prælectionum circa argumenta pro existentia Dei monuit, & sic evincit, argumentum a contingentia universi sumtum, quo utitur *Wolfius*, esse primum, optimum & facillimum, a quo cætera robur suum mutuentur: immo ipsum *Langium* in causa Dei viam contingentiæ pro argumento palmario agnovisse, & *Buddeum* contra *Wolfium* disputantem cetera per argumentum *Wolfianum* a contingentia rectificare. Momentis controversiæ ponderatis, praxin *Langianam* pervidere studet. Miratur, quod se profiteatur *Wolfio* esse amicum, quem tamen sugillet, contemnat, salse perstringat & pœne excarnificet. Eum assertiones proprias vocare solidas, convincentes, quam solidissimas, veritates fundamentales; *Wolfio* contra objicere stolidissimos errores, vacuitatem veritatis, invitationem ad Atheismum, tumorem Mathematicum & Philosophicum, necessitatem palinodiam canendi, & probare aliorum sugillationes & facetias, quæ omnem modum excedant. Eum miram expromere indignationem in Ephemerides litteratorum, quas infestas experiatur; exteros & indigenas litteratos livide excipere, quod *Wolfium* imprudenter magni faciant: *Bülffingero* minari, nisi manum de tabula tollat. De *Wolfii* fama ut detrahat, omni nisu allaborare. Si quis ejus doctrinis sit abusus, id ipsum eidem tribuere. Ex his & similibus concludit Noster, *Langium* noluisse causa sua cecidisse, idque ut persuadeat cuique, omnes contendere nervos: quod rei per sese non satis loquentis manifestum sit indicium. Eidem causæ tribuit, quod per *synecdochen gravem* 9 Academias & 26 scripta in subsidium vocet, cum Magister vel Professor unus, quodcunque tandem in philosophia *Wolfiana* reprehendat, ipsi sit tota Academia, omnes ejus imputationes & detorsiones approbans. Quoniam Cl. *Hollmannum*, Philosophum Wittebergensem, in eundem censum refert; ejus observationes elenchticas in controversia *Wolfiana* una cum excerptis ex ejusdem dissertationibus de harmonia præstabilita commentationi suæ subjungit, ut exteri de fide *Langii* judicent, quam *Crosæ* quoque examinandam offert. Monet vero, si quis multitudine sentien-

tientium capiatur, eum sibi in memoriam revocare debere Academiam scientiarum *Petropolitanam*, plures Diariorum Eruditorum scriptores, *Turretinum*, *Bilfingerum*, *Verdriesium*, *Thümmigium*, *Hollmannum*, *Vitum*, *Almonium Utis*, *Hartmannum*, *Burggravium*, *Rietovium* & *Jo. Valent. Wagnerum*, Fabrum ferrarium Smalcaldiensem, qui docte & solide ac modeste de controversia *Anti-Wolfiana* judicium tulit, & una expendere discrimen, quod inter philosophos utriusque partis intercedit, una cum commodis *Langianorum* & *Buddeanorum*, atque incommodis *Wolfianorum*, quibus ne teruncium quidem sperantibus metuendum sit, ne in invidiam adducantur epistolis & noxas per clandestinas insidias incurrant. Deum & conscientiam testatur, se hic non proferre, nisi cujus olim rationem Deo sit redditurus. Cum *Langius* affirmet, methodum suam esse demonstrativam, ut non tam Geometria, quam communis omnibusque hominibus congenita & cognita Logica naturalis requirat, & ea præcipue sese usum esse perhibeat in causa Dei & religionis naturalis, ubi per postulata, definitiones, axiomata, theoremata, scholia, corollaria multa minetur; Noster monet, qui applicationem methodi syntheticæ primoribus degustaverit labris, eum facillime videre, *Langii* scripta nec synthetica, nec demonstrativa esse, sed secundum methodum cumulantem perscripta, quæ omnia aliquid commune habentia ad unam sectionem vel paragraphum rejiciat, & qua ipse Autor usus sit in hac sua commentatione. Ut vero lector Logicam illam vulgarem, communem & naturalem degustet, aliquot ejus effectus inspiciendos sistit in confusionibus & contradictionibus *Langianis*, veluti præordinationis divinæ cum fato *Spinoziano*, æternitatis Dei independentis cum æternitate dependente, quam in mundo possibilem agnovere Theologi orthodoxi, defectus termini physici cum progressu in infinitum, inclusive dictorum cum exclusive dictis, possibilis in se cum possibili in hoc mundo determinato &c. Duo profert exempla, ubi inclusive dictis Cl. *Langius* ex ingenio suo addit particulam *tantum* seu Germanicam *nur*. Nimirum quando *VVolfium* perhibet de Deo & anima tradere, quod sint substantia *tantum* mundum repræsentans &

quod

quod hæc unica *tantum* facultate prædita, quod falſiſſimum eſſe Noſter oſtendit. Quoniam itaque ex his ſuppoſitis Cl. *Croſæ* conſequentias nectit paulo ante relatas, quæ primo ſtatim adſpectu horridæ ſunt ac abſonæ, easque *Wolfio* tanquam dogmata imputat; ideo eum ex ſcriptis *Wolfii*, *Thümmigii* atque *Bülfingeri* meliora edocet. Explicat nervoſe, quæ *VVolfius* de præordinatione divina docet, ut appareat conſenſus cum dogmatis Theologorum orthodoxorum, & *Wolfium* compellat, ut clare ſignificet, an non ita ſentiat, ſtatuat, ſcribat, doceat: ſe enim aliam doctrinam, quam quam proponit, in ſcriptis ejus deprehendere non potuiſſe. Notat hic, ipſum *Langium* fontem erroris ſui detegere de fato *Spinoziano* tributo *Wolfio*, dum intolerabili modo neceſſitatem naturæ & abſolutam confundat, egregie a Theologis alias diſtinctam, affirmans, ea, quæ fiunt neceſſitate naturæ, etſi natura ipſa contingens ſit, fieri non hypothetica aliqua, ſed abſoluta neceſſitate, ſeu abſoluta immutabilitate. Plura ejus generis decerpit ex ſcriptis *Langianis*, quæ apud ipſum Autorem videre licet. Dolet, quod *Henricum Wideburgium* ob ſimile a Sole petitum in doctrina de æternitate mundi poſſibili *Langius* Spinoſiſmi reum agat, cum tamen concoquere poſſit dogma *Spinoſianum Freilinghauſii* in libello didactico orphanotrophii Hallenſis, de emanatione creaturarum ex Deo, quod pueris inculcatur, etſi a Theologo eximio Ven. *Læſchero* erroris admonitus fuerit. Ceterum cum primarius lapis offenſionis ſit harmonia præſtabilita, quaſi per eam libertas humana tollatur; contrarium Noſter probat, idem ſentiens cum *Jaquelotio*, cujus judicium retulimus in Actis A. 1705 p. 440, & quod *Langio* atque *Croſæ* expendendum commendat. In Syſtemate nimirum harmoniæ præſtabilitæ animam eodem modo pervenire ad decreta ſua, quo in ſyſtemate influxus phyſici ad eandem pervenit: id quod jam dilucide tradiderit *Thümmigius* in Inſtitutionibus. Syſtematis adeo impoſſibilitatem pendere ab impoſſibilitate corporis, animæ libere volenti in operationibus ſuis harmonici. *Wolfium* demonſtrationem impoſſibilitatis iſtiusmodi corporis plus vice ſimplici requiſiviſſe a *Buddeo* atque *Langio*, ſed eos nihil reſpondiſſe, nec *Croſam* de ea cogitaſſe.

Quando Cl. *Crosæ* horrendum videtur, quod Deus jungat animæ libere volenti corpus in operationibus suis harmonicum; Noster eum perpendere jubet, quod in systemate harmoniæ præstabilitæ anima non sit indifferens ad unionem cum quolibet corpore, ut in Systematibus ceteris, sed non nisi cum eo corpore uniri possit cum quo unitur, stante utriusq; essentia & natura, hocque rerum ordine, consequenter non major hic emergat difficultas, quam quæ permissioni mali moralis, seu abusus liberi arbitrii adhæret. Nec esse, quod is cum duumviris *Anti - Wolfianis* religioni, virtuti atque Reip. interitum metuat ab harmonia præstabilita, cum *Wolfius* non utatur isto systemate nisi tanquam hypothesi in explicando commercio mentis cum corpore, in moralibus autem & politicis ipso invito influxus physicus sumi possit tanquam verus, propterea quod systema harmoniæ præstabilitæ supponat, animam & corpus ita agere ac si in se mutuo influerent. Et quamvis Duumviri *Anti - VVolfiani* affirment, *VVolfium* omnem suam philosophiam eidem systemati superstruxisse; toties tamen compellatos ne unicum quidem doginam allegare potuisse, cui demonstrando illa hypothesis adhibeatur. Paradoxa denique, in quibus Cl. *Crosa* dicendi facultatem exerceat, evanescere, si voci *machinæ* æquivocatio dematur. Dum vero difficultatem inde facessunt Duumviri *Anti-Wolfiani* cum *Crosa*, quod motus in corpore jam sint determinati adeoque anima nisi hos ipsos decernere possit; Noster eos docet, quod hæc sit *Socinianorum* contra præscientiam divinam objectio, a Theologis dudum explosa. Nullas igitur esse consequentias ex fundamento tam lubrico adversus systema harmoniæ præstabilitæ deductas, consequenter fundamentum objectionum adversus omnem philosophiam *Wolfianam* dudum a Theologis contra *Socinianos* disputantibus esse disjectum. Etsi autem Noster hypothesin harmoniæ præstabilitæ a periculo liberet, suum tamen judicium adhuc suspendit incertus, cui systemati calculum suum adjiciat in explicando commercio inter mentem & corpus.

Ubi tandem Systema *Wolfianum* verum & fictum sensui proponit Autor, primum theses *Spinosæ* ex uno latere, *Wolfianas* eidem contradicentes ex altero ponit, ut dissensus in oculos incurrat.

currat. Mox ostendit, quomodo Cl. *Langius* nulla consequentia ex thesibus *Wolfianis* inferat, quæ eidem tribuit dogmata. E. gr. ita argumentatur *Langius*: in definitione mundi *Wolfius* non meminit causæ efficientis & regentis: E. eam negat, cum tamen Deum disertis verbis demonstret esse causam mundi efficientem atque regentem. Similiter: *Wolfius* docet, Deum elegisse liberrime hunc mundum & permisisse malum ob rationes sanctissimas, non approbasse, ac omnia prævidisse, illæsa libertate humana. Ergo ex illius systemate malum est absolute necessarium in existendo. Istiusmodi consequentiarum Noster speciminis loco numero 28 in medium profert, ut fides & consequentiarum *Langianarum* ratio ipsi sensui fiat manifesta. Tandem Systema *Wolfianum* fictum ex mente *Langii* in theses resolvit & ex adverso ponit theses systematis *Wolfiani* veri, ut ipso adspectu percipiatur dissensus. Ceterum cum nuperrime Cl. *Langius* lectori suo Systema *Wolfianum* inde suspectum reddere conatus fuerit, quasi idem ex Idealistarum & Materialistarum omnium absurdissimis systematibus per harmoniam præstabilitam combinatis sit compositum; Noster ostendit, *Wolfium* non errores combinare, sed quod verum est in utroque systemate: Idealistarum enim errorem esse, quod negent existentiam corporum; Materialistarum, quod negent existentiam animarum. Qui igitur cum *Wolfio* dicit, existere & animas & corpora, non combinare errores; sed qui neget & animarum, & corporum existentiam. Sic uno impetu ruere novi operis *Langiani* fundamentum, in quo ad nauseam usque repetita inculcat. In fine denuo Deum testatur Noster atque conscientiam, quod nihil protulerit, nisi quod reapse ita deprehenderit, & scripta *Wolfii*, vel Institutiones *Thümmigii* eum in finem evolvi jubet. Cl. *Hollmannus* in observationibus elenchticis idem brevius exequitur, quod prolixius executus fuit anonymus, disputandi morem *Langianum* Logicæ adversum & detorsiones verborum *VVolfianorum* minime tolerandas graphice delineans.

EPISTOLA CRITICA AD ERUDITISS. VIrum FRANCISCUM HARE, S. T. P. Decanum Vigorniensem, in qua Horatii loca aliquot & aliorum veterum emendantur.

Cantabrigiæ, apud Corn. Crownfield & Jon. Bowyer, 1723, 8.
Alph. 1 dimid.

PAullo serius de hac Epistola Lectorem nostrum admonemus, utpote quæ nunc demum in has terras perlata est. Attamen vel sic dignam eam judicamus, de qua propter singulare & eruditum ejus argumentum, autorisque ingenium & præclaram modestiam verba faciamus. Scripta est a Viro doctissimo *Jer. Marklando*, ut loca quædam veterum scriptorum emendaret: quod adeo feliciter ipsi cessit, ut quilibet earum litterarum peritus & studium & ingenium Cl. Autoris sua laude non sit defraudaturus. Ingenio enim, non libris vetustis, omnes ejus emendationes debentur: & tamen cumulata exempla, & quod origo corruptæ scripturæ perspicue plerumque manifestatur, morosum etiam lectorem in partes Marklandi abstrahere possunt. Rarissime enim, ut pag. 27, adducta testimonia non satis respondent: optime plerumque quadrant. Incipit ab ea regula, qua docemur, latere sæpe in corrupta voce verum vocabulum, ita ut omnes ejus litteræ, sed non suo loco, sint conservatæ, idque exemplis pag. 9 & seqq. confirmat. Postea tamen latius se diffundit, nec ea tantum memorat, ubi omnes litteræ servatæ sunt, sed ea etiam, quæ aliquam inter se similitudinem habent, aut ab sententia & structura orationis necessario requiruntur: quod Apuleii, Valerii Flacci, Claudiani, Suetonii, Ciceronis, Gellii, Flori, Silii, Plinii, Taciti & ex Græcis Porphyrii emendationibus confirmatur. Denique & alia, ab litterarum inter se permutatione argumentum sumens, emendat. Sic locum Virgilii lib. IV Æn. v. 471, ubi vulgo circumfertur:

Aut Agamemnonius scenis agitatus *Orestes*,

perquam feliciter, & vere omnino ita refingit:

Aut Agamemnonius Pœnis agitatus *Orestes*.

Pœnis, id est, *Furiis*: quod non modo Pierii, sed & quos ipsi vidimus

dimus MSS. præferunt, qui sane palmariam istam emendationem confirmant, de qua plura lege in Epistola pag. 123 sqq. Plura non exscribimus, cum inde quilibet conjecturam de opera Cl. Marklandi capere poterit. Hoc tamen addimus: non cœco eum impetu ferri ad quidlibet mutandum, idque vel ex hoc probare licebit, quod pag. 123, vulgatam Flori lectionem lib. I cap. XXI, *servi libertatem a dominis datam in ipsos* erexerunt, contra virorum doctorum sollicitationes strenue defendit, loco maxime Minucii Felicis ex Octavii cap. XXXVII.

Nihilo minus de aliquot emendationibus justæ dubitandi causæ superesse videntur. Nam quando pag. 17 Mamertinum in Grat. act. cap. XIII tentat, & pro eo, quod in vulgatis libris habemus, *qui* in propria *furentes adfectati regni supplicia pependerunt*, rescribit, *qui improbe furentes*, alii vulgatam lectionem longe graviorem, & correctionem istam frigidiusculam esse existimabunt. Notum enim est, quod ii, qui cum civibus bella gesserunt, sæpissime *in sua, in viscera sua, in propria furere* dicantur, ut patet ex Justini lib. III cap. II, Flori lib. II cap. XIX, Lucani lib. I v. 3, atque aliis. Vocabulum *propria* autem adeo frequens est istis oratoribus, ut non eo modo loco ferendum, sed fortasse etiam in eodem Panegyrico cap. X n. 3 revocandum atque scribendum sit: *quidquid enim alii* in cupiditates proprias *prodigebant, id omne nunc in usus publicos reservatur*. Ita sane legitur in MS. Gudiano, cum editiones ingerant: *quidquid enim alii in* prodigas *cupiditates* prodigebant, *id omne* &c. quam βαττολογίαν, mirum est, quod editores concoquere potuerint, cum nostra ista ex MS. desumta scriptura dudum etiam ab Antonio Schonhovio pro discrepante lectione adnotata sit. Sed mittimus alia. De Lucano saltem, quem octo locis emendare voluit Cl. Marklandus, quædam dicenda sunt. Primum locum ex Lib. VIII v. 807, ubi de rebus gestis Pompeji ita Annæus:

Adde actus tantos monumentaque maxima rerum,

pag. 31 tentat, & reponit *momentaque m. rerum*, sed profecto nullo sensu. Curio aut Massilienses devicti *momenta rerum* esse aut non esse possunt, & uni ex partibus civilibus aliquid ad-

dere, alteri detrahere: Sed scribere *Pompeji actus & momenta rerum*, quis non videt (modeste agimus cum viro modesto) minus recte dici? Levius tamen hoc erratum est præ eo, quod pag. 57 occurrit, ubi verba Lucani ex lib. V v. 455:

— — — *Sed nocte fugata*
Læsum nube dies jubar extulit, imaque sensim
Concussit pelagi, movitque Ceraunia nautis,

ut quidem ea in nupera, quæ hic prodiit, editione recte leguntur, vitiosa pronunciat. Legerat nempe in vulgatis edd. *Lasum nube* diem *jubar extulit*, quare ita differit pag. 51: Quid? *Sol* concussit ima pelagi? ventorum hoc semper putavi. Et pag. 55: an montes etiam movere potest Sol? Denique pag. 59, quod sequitur: *inde rapi cœpere rates*, addit: quomodo rapi potuerunt sine vento? Quibus ex causis rescribit:

— — — *movitque Ceraunia* flatus,

multiplici sane vitio, in quod bonum ingenium unica prava littera præcipitavit. Primum enim non animadvertit usitatissimam poetis ceterisque scriptoribus Hypallagen: qua figura causam substituunt, quæ minime causa est. Hinc si Lucanus ait, *diem concussisse ima pelagi*, hoc notat, cum die exorto concussum esse pelagus, ut centies *dies* mitigare, debilitare, movere, aliaque agere dicitur, de his, quæ cum die & tempore fiunt: quomodo Tacitus XIII Ann. cap. XVII: Nox *eadem necem Britannici & rogum* conjunxit; & ipse Lucanus aliquoties uno libro *primo*, ut v. 102:

— — — *Si* terra *recedat*,
Jonium Ægeo franget *mare*,

& v. 421:

— — — *qua litore curvo*
Molliter admissum claudit Tarbellius *æquor*.

nihil sane conferunt Tarbelli, ut sinus fiat, sed *apud Tarbellos* mare admittitur & sinum facit. Iterum v. 526:

Ignota obscuræ viderunt *sidera* noctes.

Ita sane dies luridus & squalidus concussit pelagus. De secunda ejus ratione, quod *mota sint Ceraunia*, valde veremur, ut recte ceperit Autorem: aliter enim vidisset, necessarium omnino esse

esse vocabulum *nautis*. Quamdiu uno in loco naves hærebant, stare videbantur Ceraunia, sed postquam, mari moto, naves propellebantur, Ceraunia, ut navigantibus apparere solet, moveri videbantur, ut in noto Virgilii:

Provehimur portu, terræ urbesque recedunt.

Statius II Achill. v. 3 de navigantibus:

Jam Paros, Olearosque latet. Jam raditur alta
Lemnos, & a tergo decrescit *Bacchica Naxos,*
Ante oculos crescente *Samo.*

Claudian. III Rapt. v. 140.

Sicaniam quærens, cum needum absconderit *Idan.*

Sic & tertia ratio emendationis corruit, & recta atque elegans est vulgata: cum contra *movitque Ceraunia flatus* ancipitis & plebeji sensus est. Porro ex eodem libro v. 600 aggreditur, qui in vulgaribus edd. ita concipitur:

— — — *jam te tollente furebat*
Pontus, & in scopulos totas *erexerat* undas.

Ipse cum aliqua specie reponit:

— — — tortas *erexerat undas*,

& *totas* plebejum ipsi epitheton esse videtur: quod judicium cum viro magno commune habet. At facile ipsi sit Silium IV, v. 244 corruptum pronunciare, qui Lucanum æmulatur:

Seu Geticus Boreas totum *cum sustulit imo*
Icarium fundo victor mare,

quid de hoc Annæi v. 644, ej. libri V.

Exhaustum in cumulos, omnis*que in fluctibus* unda *est*,

dicet? pœnitebit, credimus, correctionis: multo magis, quando exquisitissimam lectionem in Cl. Cortii nostri editione videbit:

— — *& in scopulos* totas *erexerat* iras.

Pergimus ad quartam emendationem, quæ ejusdem libri v. 137 concernit, qui ita vulgo legitur:

— — *Fatique* sat est *arcana futuri*
Carmine longævæ vobis commissa Sibyllæ.

Cl. Marklandus singula, inquit, hæc intelligo præter ista *sat est*, quæ tam a sensu, quam latinitate absunt. lege:

— — *Fatique* patent *arcana futuri* &c.

Nos

Nos tamen illud *sat est* etiam bene intelligimus hac sententia: & sat est, arcana fati futuri carmine longævæ Sibyllæ vobis commissa esse: sufficiunt vobis libri Sibyllini, neque oracula alia adire debetis, ut futura fata discatis. Optimus profecto sensus, ad quem nihili hoc *patent*, quod cum superioribus nullo modo connecti potest. Atque sic loquitur iterum lib. IX v. 388:

Si quibus ire sat est.

item alibi. Pag. 60 emendat Lib. IX v. 6, *quodque patens* surrogans, pro *quodque patet*: atque ita pridem correxerat J. Fr. Gronovius I Observ. cap. XIII pag. 114. Uterque tamen non vidit, ita constituenda & distinguenda esse verba:

— — *Sequitur convexa Tonantis,*
Qua niger astriferis connectitur axibus aer,
Quodque patet *terras inter lunæque meatus*
(*Semidei manes habitant* . . . .
Fecit) *& æternos animam collegit in orbes.*

Sic omnia rite procedunt, & junguntur: *sequitur id quod patet* cet. nec opus est arido illo & ingrato, *quodque patens*. Sexta emendatio est Libr. X v. 106, ubi de Cleopatra Cæsarem adeunte:

Vultus adest precibus faciesque incesta *perorat*,

pro quo Cl. Marklandus ingeniose:

— — — *Faciesque* ingesta *perorat*,

idque pag. 78 tuetur. Cum vero *incestus* de quolibet polluto, turpi & infami dicatur, proprie vero Ægyptiis adplicetur, ut patet ex Propert. III, eleg. IX v. 39, Lucan. lib. VIII v. 693, de eadem Cleopatra

Degener, incestæ *sceptris cessure* sorori,

scripserit: denique solennem sibi argutiam quæsierit Annæus, *facies incesta perorat*, quæ alioquin damnare potius debuisset; nihil & hic mutandum videtur. Duabus postremis conjecturis, quas pag. 150 & 151 proposuit, ne ipse quidem multum tribuere voluit. Nam quando Lib. IX v. 156 reponit:

Non mihi pyramidum tumulis evulsus Amasis,
Et Pharii reges *Nilo torrente natabunt*,

pro

pro vulgato: *Atque alii Reges*, videbit quilibet, male *Amasin* & *Pharios Reges* opponi; cum ille etiam Rex Ægypti fuerit. Et quanquam bene sciamus, in aliis scriptoribus hoc genus loquendi aliquoties occurrere, in Lucano tamen novum, & præterea supervacuum est. Tandem eod. libro v. 1073 nostræ ed. habent:

Ergo in Thessalicis Pellæo fecimus arvis
Jus gladio? vestris quæsita *licentia regnis?*

ubi bene *facere jus*, & *quærere cui licentiam* conjunguntur; contra Cl. Marklandus facit:

— — vestrisque est ista *licentia regnis?*

quod, ut opinamur, se satis ipsum refutat. Potuissemus ex notis Gottl. Cortii in Lucanum, quæ cum maxime apud nos imprimuntur, & unde, quod fatemur, quædam huc transtulimus, plura pro vulgatis lectionibus in medium adducere: sed hæc jam perito lectori satisfacere poterunt. Et quanquam in iis bona fortuna Cl. Marklandum destituit: laudamus tamen egregios conatus, & favemus ingenio, utpote qui scimus, quam in lubrico versemur, ubi solis conjecturis rem agimus; quarum uni egregiæ & veræ (aliquot certe in aliis scriptoribus satis probabiles attulit) octo & plures minus appositas facile condonamus. Neque hæc res impedit, quo minus de nova *Porphyrii* editione, quam pag. 66 promittit, omnia egregia speremus: eamque ut Cl. Marklandus maturet, etiam atque etiam rogamus.

ELOGIUM LUDERI MENCKENII, ICTI.

NAtus fuit Vir inter primi Ordinis ICtos nostri sæculi merito numerandus, Luderus Menckenius, Oldenburgi in Frisia Orientali, die 24 Decembr. A. post natum Christum 1658, parentibus optimis piissimisque, *Helmrico Menckenio*, negotiatore civitatis Oldenburgensis quondam clarissimo, & *Metta*, fœmina spectatissima. Quibus parentibus felicissimis merito jungimus ex linea paterna avum, *Ottonem Menckenium*, civem & mercatorem Oldenburgensem, & proavum, *Helmricum Menckenium*, civem itidem & mercatorem ejusdem civitatis honestissimum; & ex linea materna avum, *Luderum Spiesmacher*, Consulem civitatis

Oldenburgensis bene meritum, ac proavum, *Joannem Spielmacher*, civem & mercatorem Oldenburgensium; quorum omnium virtus *Menckenii* nostri patriam satis illustravit. Et virtutibus quidem, quæ puerum decerent, studiisque pro ætate innutritus, jam feliciter adolescebat, cum non modo patre die 21 Febr. A 1671, verum etiam matre anno statim sequenti 1672 die 15 Oct. orbaretur. Exinde Patruelis sui optimi, *L. Ottonis Menckenii*, Polyhistoris quondam in hac Academia nostra summi, cujus labori & consiliis hæc potissimum Acta debemus, exemplo ad studia bonarum literarum amplectenda excitatus, post parentum obitum ad audiendum *Frid. Hildebrandum*, Rectorem tum temporis scholæ Nordhusanæ celeberrimum, Nordhusam e patria abibat, cum quo paulo post Martisburgum delatus, ea studiorum suorum, fida & dextra *Hildebrandi* institutione, quod ore sæpius gratissimo Noster prædicavit, fundamenta ponebat, quibus doctrinæ & scientiæ summæ decus feliciter superstruxit. Ex Gymnasio Martisburgensi in Academiam nostram Lipsiensem A. 1676 translatus, nomen suum, Rectore *D. Friderico Rappoldo*, matriculæ inscribi curabat, & in hoc prytanæo nostro imprimis quidem patruelem modo laudatum, *Ottonem Menckenium*, sive doctrinam morum & prudentiæ civilis, sive historiam antiquam & novam publice privatimque tradentem, domicilio simul ejus & hospitio usus, diligenter audiebat, tum & aliorum Philosophorum, *D. Valentini Alberti, Joachimi Felleri & Valentini Friderici* scholas frequentabat. At cum in studio Jurium palmam quærere, singulari animi instinctu commotus, secum constituisset, duces sibi in hoc studio eligebat JCtos gravissimos, *D. Georgium Tobiam Schwendendörfferum*, Facultatis Juridicæ Ordinarium, *D. Martinum Zachariam Cramerum*, Juris Professorem & Academiæ Syndicum, nec non *D. Andream Mylium*, post id temporis Juris itidem in hac Academia Professorem, ejusdemque Syndicum. Quorum sub ductu ubi prima juris tyrocinia posuisset, in Academiam Jenensem secedebat, ibidemque in JCti celeberrimi, *D. Georgii Adami Struvii*, P. P. & Consiliarii Aulici, domum & convictum receptus, ejusque informatione privata & publica usus, sub ejusdem viri magni præsidio Antonii Matthæi librum de judiciis dis-

disputando defendebat, nec minus, *D. Petro Mullero*, Juris P.P. præside, Joachimi Schnobelii Exercitationes Juridicas solus respondendo propugnabat, variaque alia doctrinæ documenta edebat. Quo factum, ut Cl. *Struvius*, doctrinæ & dexteritati ejus confisus, Supplementa Jurisprudentiæ suæ Romano-Germanicæ ei edenda committeret, quo munere egregie, ut constat, defunctus est. Inde vero in Academiam nostram reversus, ubi jam A. 1680 summos consecutus in Philosophia honores, in cathedra Philosophica præsidendo locum sibi suum vindicaverat, cum in cathedra quoque Juridica disputationem solennem de pecunia hereditaria omnium cum plausu habuisset, gradum Doctoris, A. 1682 ab Ordine JCtorum in hac Academia ex merito sibi collatum, reportavit. Quemadmodum vero jam antea variis tum in praxi, tum in theoria editis speciminibus doctrinam suam & in agendo prudentiam dexteritatemque omnibus probaverat; ita vel maxime post impetratum virtutis decus tam eximium praxin & theoriam constanti labore copulabat, donec numerus auditorum in scholis ipsius crescens imperare ei propemodum videretur, ut theoriam praxi anteferret. Nec id sine successu factum, cum eum institutionis suæ fidelissimæ, ac longe supra 40 annos, usque ad ultimam fere mortis horam protractæ, fructum tulerit, ut non solum magnus virorum doctorum, & summis hinc inde sive in aula, sive in castris, sive in foro officiis admotorum, numerus ex schola ejus prodierit, sed ut etiam privignus ex altero ejus conjugio, *D. Mich. Heinr. Griebner*, Regi Pol. Potentiss. & Electori Saxoniæ a consiliis aulæ & justitiæ, ut & cura Archivi, nunc B. Vitrici successor longe dignissimus, vir multis jam meritis in Saxoniam illustris, perinde ac filius ipsius ex priori conjugio susceptus, *D. Gottfried Ludovicus Menckenius*, & privignus denique ex tertio conjugio, *D. Georgius Adolphus Schuberth*, Juris scientia omnes cura illius singulari & vere paterna mirifice imbuti, illi quidem duo in Academia Vitembergensi, hic autem postremus in nostra Lipsiensi, ad Professionem Juris ornandam, aliaque munia sustinenda ascenderint; pro quo singulari felicitate grates devotissimas Deo Opt. Max. nunquam non persolvit. Iam quod ipsa, quæ Noster ornavit, munia eximia concernit, primam penes

nos dignitatem nactus est in Collegio Principum minori, in quo A.1689 locum, morte *D. Pflaumii* vacuum, legitime lectus, occupavit, & Præpositi inde munus sæpius obiit. Inde in Curia suprema Provinciali, quæ Lipsiæ celebratur, A. 1693 Assessor factus, & A. 1699 in Facultatem Juridicam receptus, de utraque tam bene meritus est, ut primum in utraque locum & conjunctum cum eo directorium consequeretur. Postquam enim ei Professio Juris Saxonici & cursoriæ tractationis Pandectarum A. 1702 regia auctoritate ac novo exemplo demandata fuerat, quam A.1705, post *D.Bartholomai Schwendendörfferi*, P.P. obitum cum professione Institutionum juris commutabat, a qua A.1708 ascendente *D.Gottfried Nicolao Ittigio*, P.P. ad professionem Pandectarum Juris transiit, simul Canonicus capituli Numburgensis lectus; factum denique est divini Numinis nutu & providentia, ut A.1709, cum vir summus, *D.Jacobus Born*, Regi Polon. Potentiss. & Electori Saxoniæ a consiliis sanctioribus, & Facultatis Juridicæ Ordinarius, decessisset, Nostro, cui Concilium Nationale suis jam suffragiis Canonicatum Martisburgensem & Decemviratum Academiæ addixerat, benigna Regis & Electoris nostri indulgentissimi voluntate *Ordinarii* munus grave & splendidum, & quæ ei ex veteri more anexa sunt, Professio nempe Decretalium & supremus in suprema curia Provinciali inter Doctores Juris locus, omnium plausu demandaretur, addito simul Consiliarii Regii titulo & dignitate. Præterea vero Rectoratum Academiæ bis tenuit, nempe A. 1707 & A. 1711, quod munus quidem splendidissimum, iterum iterumque sibi oblatum, propter curarum laborumque aliorum multitudinem, posthac modeste deprecatus est. Pro-Cancellarii vero Academiæ munus in festivitate promotionum solenniorum Facultatis Juridicæ ter, nimirum A. 1709, 1712 & 1720, & Promotoris tum A.1714, tum A.1724, sustinuit, nec non villarum veterum Academicarum Præposituram magnam, quam vocamus, sæpius administravit. Uti proinde, dum his officiis summa cum industria, prudentia & dexteritate fungeretur, partim docendo, partim judicando, partim consulendo, partim pie & moderate vivendo (qua in re vix parem habuit inter Collegas) immortalem laudem meruit; ita eandem editis disputationibus, programmatibus, & scriptis variis ad posteros transmisit. Eminent inter ea, ut

ut quorundam saltim mentionem faciamus: I. *Additiones ad* Struvii *Jurisprudentiam Romano-Germanicam*, Jenæ A.1683 typis excusæ in 12; II. *Pandectarum controversiæ practicæ potiores*, Lipsiæ A.1684 editæ in 4; III. *Gymnasium Juris Polemicum*, quod complectitur 31 dissertationibus 620 controversias selectiores Juris naturalis & gentium, Juris item publici, civilis, feudalis & canonici, item theor. & prax. arboris consanguin. & affin. quod Lipsiæ A.1639 & A.1708 longe auctius editum, singulis fere annis publicæ ventilationi submisit; IV. *Tractatio Synoptica Pandectarum theoretico-practica*, in tabulas redacta, Lipsiæ A.1697 in fol. edita; V. *Tractatio Synoptica Institutionum Juris Justinianearum*, pariter in tabulas redacta, Lipsiæ A.1698 & secunda vice A. 1711 in fol. VI. *Remissiones ad Jus Saxonicum*, Ulrici Huberi *Prælectionibus juris civilis* ex edit. Lipsiensi *insertæ*; VII. *Paralipomena Juris adminicula*, Lipsiæ A.1705 edita in 4, quibus continentur variæ meditationes de modo & ordine tractandi Juris, de conciliatione textuum pugnantium, de facultate judicandi &c. VIII. *Via Regia ad virtutem & Jurisprudentiam excolendam*, programmatibus & orationibus, circa ingressum tertii Jubilæi Acad. Lipf. monstrata, Lipsiæ A.1709 in 4; IX. *Volumen Dissertationum Juridicarum selectarum*, continens 26 Disputat. Lipsiæ A.1705 in 4; X. *Tractatio Synoptica Processus Juris communis & Saxonici*, ad seriem singulorum titulorum ordinationis Processus Saxonici exacta, & in II Partes divisa, quarum altera a *B. Schubertho*, Nostri privigno, ad finem est perducta, Lipsiæ A.1723 in 4; XI. *Theoria & Praxis Pandectarum*, opera & studio *D. Gottfr. Lud. Menckenii*, filii B. congesta, Lipsiæ A.1715 in 8; XII. *Usus theoretico-practicus Institutionum*, primum A 1723, postea a *D. Frid. Alex. Kunholdo*, Juris hodie Prof. Publ. & genero Nostri, auctior A.1722 editus; XIII. *Synopsis Theoriæ & Praxeos Pandectarum*, cura ejusdem *Kuhnholdi* adornata, Lipsiæ A.1723 in 8; XIV. *Supplementum Synopseos Theoriæ & Praxeos Pandectarum, ex Ordinatione* Processus Saxonici Electoralis *novissima*, congruis *Digestorum* locis applicatum, Lipsiæ A.1724 in 8, ut jam *Decadum X* juris controversi theoretico-practici, diverso tempore in cathedra juridica ventilatarum, aliarumque *Dissertationum Juridicarum* multiplicis generis mentionem prætermittamus. Venerabatur præterea Noster ineffabilem Nu-

minis cœlestis gratiam & providentiam, in triplicis sui conjugii felicitate. Nam, ut tandem ad res ejus domesticas deveniamus, primum matrimonium contraxit die 27 Jun. A. 1781 cum virgine lectissima, *Dorothea Elisabetha*, viri consultissimi, *Gottfried Trubii*, in curia suprema Provinciali Proto-Notarii, filia, quæ quantum *B. Ordinarium* nostrum partu filii, *Gottfried Ludovici Menckenii*, J. V.D. & Juris Professoris publici ac Collegiorum Juridicorum in Academia Vitembergensi Assessoris bene merentis, exhilaraverat, tanto eum dolore afficiebat, quum A. 1683 die 5 Aug. immatura morte surrepta, ex hac vita emigraret. Ceterum vidit ex conjugio filii hujus primogeniti cum virgine florentissima, *Christiana Maria*, ex gente *Zolleria*, A. 1708 inito, V nepotes, tres filios, *Leon. Ludovicum*, *Gottfr. Ludovicum* & *Heinr. Christianum*, & duas neptes, quarum prior vitæ expers ex utero materno prodiit, altera vero *Christiana Louisa* jam A. 1716 B. avum morte præcessit. Hinc A. 1688 die 30 Maij ad secunda vota transiens, feminam duxit virtutis & pietatis spectatæ, *Rosinam Elisabetham*, ex gente nobili *Horniana* prognatam, & *L. Dan. Griebneri*, Diaconi quondam ad ædem D. Nicolai vigilantissimi, viduam ornatissimam, ex qua IV liberos, nempe filium unicum, *Heinricum Ottonem*, qui A. 1690 natus, postquam A. 1712 gradum Doctoris Juris rite impetraverat, & disputando docendoque spem muneris consequendi proximam parenti optimo fecerat, A. 1716 e vita excessit; & filias tres suscepit. Prima, *Johanna Catharina*, A. 1691 in lucem dita, A. 1696 in vivis esse desiit. Altera, *Margaretha Christiana*, A 1696 nata, connubii sat jucundi vinculo A. 1720 conjuncta fuit cum *Joanne Albrechto*, negotiatore Lipsiensi & magistro institorum spectatissimo, quæ tamen, edito A. 1821 filiolo, *Jo. Ludero*, eodem anno vivere desiit. Tertia, *Maria Sophia*, A. 1697 nata, matrimonii fœdus auspicatum A. 1722 iniit cum Viro doctissimo *F. A. Künboldo*, quæ unica ex altero matrimonio superstes, funeri paterno hoc acerbius illacrymatur. Mortua A. 1707 conjuge altera, tertii matrimonii fœdus pepigit Noster A. 1713 cum matrona nobilissima, *Christiana Sophia*, *Schuberthi*, mercatoris quondam Lipsiensis vidua, & Medici longe celeberrimi, *Gottfried Adolphi Luja*, filia unica, cujus conjugii, utut prole destitueretur, jucunditatem nulla vel discordia, vel domus calamitas, si solam Nostri mortem excipias, turbavit. Ceterum

terum *Viva Lex* erat *Menckenius*, five in foro ageret, five in fenatu federet, five in cathedra ftaret, five denique domum regeret. Ubique enim tum in cultu Deo facro, tum in officiis proximo exhibendis, tum in familia curanda fingulare & illuftre pietatis, temperantiæ, prudentiæ, juftitiæ, comitatis, liberalitatis exemplum omnibus præibat. Quod *Struvium* fæpe in ore habuiffe ferunt, *Ordinarium ftantem oportet mori*; & quod de *Carpzovio* memoratur, quod nihil prius, nihil amabilius habuerit lectione Bibliorum facrorum, velut fontis recti & jufti limpidiffimi; id utrumque tota vita comprobabat *Menckenius* nofter. Imprimis vero cumulo beneficiorum divinorum in fe largiter collato hanc præcipuam adnumerabat felicitatem, quod fanitatem corporis, utut tenuis, nec adeo robufti, falvam & integram fibi Deus in tanta laborum mole femper fervaverit, nifi quod illi ante octennium cum gravi morbo fuit colluctandum, quem tamen intra breve tempus feliciter fuperavit. Ultimo tamen vitæ fuæ biennio virium corporis defectum & aliquam animi infirmitatem aliquoties fenfit, quam demum nupero 26 Junii hujus anni 1726 circa horam 8 matutinam, cum ante pulpitum ftaret in mufeo fuo, & lectioni S. Scripturæ pro more devota animi religione intenderet, paralyfis lateris finiftri gravis & inopinata excipiebat, quæ cum non pedem folum finiftrum fed & fphincterem veficæ urinatoriæ affeciffet, mictionem involuntariam fufcitabat. Nofter variis antidotis & medicamentis, cura conjugis fidiffimæ & confilio Medicorum refocillatus, mortis tamen periculum ex mali magnitudine præfentifcens, fumto altero die viatico facro, ad iter cœlefte promtus fe accingebat; id quod demum inter lacrymas piæ conjugis & luctum acerbiffimum liberorum & agnatorum, lecto moribundi adftantium, felix & beatus ingreffus eft die 29 Junii, Petro & Paulo, Apoftolis divis, facro, intra horam fextam & feptimam vefpertinam.

DECADIS II ACTORUM MEDICORUM BEROLInenfium, in incrementum artis & fcientiarum collectorum & digeftorum, Volumen V & VI.

Berolini, apud Godofredum Gedickium, 1725 & 1726, 8.
Plag. 13½ cum fig. æn. Tabb. II.

Præ-

PRæmittuntur hisce voluminibus Thomæ Pancovii & Johannis Sigismundi Elsholzii, Friderici Wilhelmi, Elect. Brandenb. Aulæ Medicorum, Icones & vitæ. Quibus adduntur Ottonis Bötticheri, Georgii Wilhelmi & Casparorum Marchiorum, Patris & filii, ejusdem Electoris Archiatrorum, vitæ, sed sine iconibus. Volumen V quatuor continet Partes, quarum I constituit Allocutio Epistolica ad Christ. Godofr. Stenzelium, Med Doct. & Pract. Wittebergens. de stentomate aortæ cum polypo cordis in Disputatione quadam A. 1723 Wittebergæ habita confuso. In II Historia morborum Berolinensium per A. 1723 describitur, ubi inter alia asthma hypochondriaco-spasmodicum motu corporis ablatum, & podagra, postquam ad manuum pedumque digitos, non saltem in articulis, sed etiam in apicibus nodi, initio rubentes mox albescentes eruperunt, & ubi rumpebantur, vel aperiebantur, molle & albescens mucido-terreum coagulum, ad ignem obdurescens & tophescens fuderunt, soluta legitur. In III Epicrisis additur in Indicem Berolini per A. 1723 defunctorum; & in IV nonnullæ sectiones & operationes Anatomico-Chirurgico-Pathologicæ commemorantur. Secti scilicet fuerunt atrophia verminosa, febre catarrhali continua in lentam abeunte, sarcomate cancroso in vagina uteri, hydrope, fluxu hepatico denati; sic labium cancroso-scirrhosum extirpatum fuit, sed sine successu felici; & hydropica, postquam bis paracenthesin admiserat, aquarumque colluviem simul & semel absque ulla lipothymia aut noxa evacuaverat, tribus interjectis mensibus, post tertiam operationem supremum obiit diem.

Volumen VI quinque partibus circumscribitur, quarum I exhibet informationem de morbis, in quibus aquæ & balnea Freyenwaldensia proficua vel noxia fuerunt observata. Solos oculorum morbos quod spectat, maximam eorum fuisse in debilitate visus, suffusione, catarrhacta incipiente, glaucomate recente, ophthalmia chronica, & gutta serena, utilitatem, exemplis probatur. Nocere vero dicuntur in epilepsia idiopathica, paralysi puerorum ex epilepsia orta, hemiplegia senum, ascite, amavrosi, catarrhacta matura, faucium exulceratione, luxatione artuum, ariduris, articulorum anchylosibus inveteratis, fungorumque concretionibus, exostosibus, & tophis arthritico-venereis, paronychia, spina ventosa & excrescentiis præter naturalibus. In II nonnullæ Historiæ Clinico-Practicæ necrologicæ, seu morborum, quos non restitutio sed mors excepit, recensentur, convulsionis puta hystericæ, in duabus fœminis, ac morbi intestinorum spasmodici ad hæmorrhoides respectum habentis. In III de morbo spasmodico-epidemico a pane ex clavis secalinis pisto & comesto orto relationes historicæ leguntur. In IV monstrum Berolinense describitur bicorporeum, duorum scilicet puerorum, quoad partes anticas coalitorum; cui simile adjicitur Wrizenæ editum, pueri & puellæ, a scrobiculo cordis ad umbilicum sibi invicem cohærentium, nec non puer cum bronchocele natus. In V depositiones Medico-Legales per A. 1723 a D. Glockengiessero, Poliatro Berolinensi, exhibitæ sistuntur; de repentina videlicet morte ex Helleboro albo, & puellæ, quæ cultro pro calamis aptandis parato asperam arteriam sibi præsciderat, & vulnere consolidato suffocata obierat, quoniam asperæ arteriæ pars interior carne luxuriante repleta & coarctata fuerat.

No. XI.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Novembris Anno M DCC XXVI.

JOANNIS SELDENI, JURISCONSULTI, Opera omnia tam edita quam inedita; collegit ac recensuit, Vitam Autoris, Præfationes & Indices adjecit DAVID WILKINS, S. T. P. Archidiaconus Suffolciensis, Canon. Cantuar. & Archiep. Cantuariensi a sacris domesticis.

Volumina III.

Londini, impensis J. Walthoe, W. & J. Innys & rel. 1726, f. Alph. 35.

CL. Editor, gente Borussus, sed ab Anglis jam pridem civitate donatus, & editis A. 1721 singulari cura, sed apud nos raro obviis, *Legibus Anglo-Saxonicis*, de his optime meritus, novo sibi non Anglos modo, sed & exteros devinxit beneficio, quod incomparabilis Viri, *Jo. Seldeni* Opera omnia, diligenter collecta, accurate recudi, quædam & nunc primum evulgari curavit; quanquam verendum est, ne hujus quoque operis pauca exempla extra Angliam exportentur, quippe subscriptionis lege editi. Post Dedicationem ad Illustriss. Principem Regium GEORGIUM, Walliæ Principem, sequitur Præfatio, in qua imprimis Eruditorum de Seldeno judicia expendit, non elogia modo, verum & ea producens, quæ in variis ejus scriptis animadversa sunt, & immensam ubique lectionem prodens. Hic inter alia inseruit additiones ad librum Seldeni de Successionibus ex ed. Lugdun. p. 7-15.
Batava 1638, quam cum eo tempore, quo liber in hac collectione recudebatur, nondum nactus esset, Lectorem tamen illis fraudare noluit. Ubi libri de Diis Syris meminit, illum hic Seldeni ipsius notis MSS. auctum exhiberi testatur, & præterea pollice- 15.

tur, se *Henrici Jacobi*, qui Erpenii discipulus, & ipsius Seldeni in studiis Orientalibus præceptor fuerit, in hunc librum notas hactenus ineditas, quas Cl. Thomæ Tannero debet, cum propriis observatiunculis separatim editurum. Intulit quoque Noster
p. 18-27. Præfationi huic integram *Thomæ Rudd*, Bibl. Dunelmensis Curatoris, disquisitionem eruditam, nondum editam, de vero autore Historiæ Dunelmensis, quam is *Symeoni*, Dunelmensi Monacho, vindicat contra Seldenum, qui in Judicio de X Scriptor. Hist. Angl. Rog. Twysdenii editioni præmisso, eam *Turgoto*, Priori ejusdem Monasterii, asseruerat. Pari modo, ubi de libro, Mare clausum, quem jussu Jacobi I conscripserat, & autoritate Caroli I magno aulæ plausu publicaverat Seldenus, differit, non
28-30. modicam laciniam e *Guil. Somneri* opere, quod Litus Saxonicum per Britanniam inscripsit, quodque adhuc ineditum asservatur in Bibliotheca cathedrali Cantuariensi, decerpsit. Denique ad Seldenianam *Eadmeri* editionem quædam quoque, vel a Franc. Junio, vel ab Amico annotata, opportune observavit. Ceterum adjutum se fuisse in hac editione consiliis Dan. Ern. Jablonskii, Jo. Christoph. Wolfii, Bern. de Montfaucon, Eduardi Burtoni aliorumque, gratus ultimo loco profitetur.

1-56. Excipit Præfationem satis prolixa Seldeni vita, stylo quidem ad justam vitæ descriptionem non prorsus accommodato, nunc turgido, nunc humili & nugarum Grammaticarum experte, sententiis tamen passim, Græcis, Arabicis, imo & Copticis velut gemmis exornato, conscripta. Nos pauca hinc inde delibabimus,
2. cum pleraque aliis quoque Biographis tacta fuerint. Seldenus natus in occidentali Terringi oppidi villa Salvintonia, in agro Sussexiensi, A. 1584 d. 16. Dec. ex honesta & a parte matris equestri stirpe descendens, Cicestriæ sub doctrina Hugonis Barkeri, tunc Scholæ Rectoris, postea JCti clarissimi, tam cito profecit, ut jam decimo ætatis anno Latina carmina non infeliciter funderet, & quadriennio post Oxonium in Academiam se conferret, primumque anno æt. 22 fœtum, Analecta nempe τῶν Βρεταννικῶν, magno plausu evulgaret. Cum monumenta vetustiora de Judæis Anglis
3. collegisset, eaque *Samueli Purchas*, Itinerario ipsius inferenda, commisisset, is vero tria tantum ex omnibus monumenta, eaque mutila

mutila & ab autographo diversa, inseruisset, ea res stomachum
Seldeno & Purchasio litem movit. Edito libro de Decimis, quas D. 6.
jure divino niti negavit, ita clerum in se concitavit, ut palino-
diam canere publice cogeretur. Cum A. 1621 in Regni Senatu, 8 9.
nondum quidem Senator, sed Consiliarius ascitus, liberius de
periculo religionis perorasset, ita Regi invisus factus, ut Rob.
Ducæi, Decurionis Londinensis, custodiæ concrederetur, quamvis
laute satis in ædibus ejus exceptus & post quinque septimanas li-
bertati redditus. Inde biennio post Comitiis inferioribus adscri-
ptus, etsi initio, literarum imprimis amore, publicis rebus non
multum se ingereret, paulatim tamen, periclitante civium liber- 12. ff.
tate, jura Angliæ non semel in Comitiis magna eloquentia propu-
gnavit; quibus rebus describendis non sine tædio prolixus est Bio-
graphus noster, e publicis monumentis omnia ejus dicta repetens,
quorum utrum vim Latine satis expresserit, penes alios esto judi-
cium. Imprimis A. 1628 cum Typographi aliqui, se ob editos 24.
quosdam contra Papismum libros ab aula citatos & objurgatos, in
Senatu conquererentur, pro libertate Typographorum, quam
cum publica conjunctam asserebat, fortiter stetit. A. 1629, disso- 26.
luto a Rege Parliamento, Seldenus cum quibusdam aliis, qui aulæ
parum favebant, in arctiores Turris Londinensis carceres conji-
ciebatur, ad duriores deinde carceres, demumque ad ergastulum
piraticum translatus. Et libertati quidem redditus sub finem ejus- 28.
dem anni, at mox iterum ob falsas suspiciones anno sequenti cu-
stodiæ mancipatus, iterumque, detecta ipsius innocentia, liber
dimissus est. Enimvero ob has, quas perpessus erat, injurias, po-
stea A. 1646 decreta ei sunt a Comitiis quinque millia librarum,
& sequenti anno publico ære persoluta. Ceterum post istos carce-
ris squalores, quos Seldenus ita studiorum amœnitate tempera- 29.
bat, ut hoc imprimis tempore elucubraret librum de Successioni-
bus in bona defunctorum secundum leges Hebræor. (cujus A. 1631
editi titulo ideo verba adjecit: *Sordes arcta inter vincla recusat*)
ecquis credat, Virum tam gravem, tam austerum (ita enim Noster
eum depingit) adduci potuisse, ut publice larvatus larvas duceret?
Siquidem eodem anno 1631 (quo tempore & *Prynnius*, in *Histrio-
mastige* nimis severe in ludos scenicos invectus, dignam in Came-

ra Stellata pœnam luit) quatuor, quæ Londini colliguntur, hospitia seu Collegia Juridica larvas, choreas ac ludos musicos Regi, qui illis mire delectabatur, reverentiæ testandæ causa repræsentare decreverant; quibus adeo nec Seldenus defuit, inter interioris Templi hospitio adscriptos una cum Eduardo Herberto cho-
p. 31. ragum splendide, ut erat opibus satis instructus, agens. A. 1640
32. iterum Senator in Comitiis ab Academia Oxoniensi allectus, in ac-
33. cusatione contra Straffordium, & sequenti anno contra Guiliel.
35. Laudum formanda, inrer primos occupatus, & A. 1643 communibus Comitiorum votis Custos monumentorum in turri Londi-
42. nensi constitutus, annoque sequenti inter Antistites Focialium re-
40. ceptus est. Decretum quoque a Comitiis impetravit A. 1646 & sequenti, ut Rich. Bancroftii Archiep. Cantuar. Bibliotheca vi lega-
45. ti ad Academiam Cantabrigiensem perveniret. De tractatu de Nummis, qui A. 1675 sub ejus nomine Symoni Dewes inscriptus prodiit, observat Noster, librum hunc *Alexandri Sardi* jam A. 1579, quinquennio ante natalem Seldeni, cum eadem dedicatione, mutato tantum nomine, lucem adspexisse, conjectans, eum olim ob raritatem Seldeni manu descriptum, ac post ejus mortem in-
46. ventum, pro ipsius fœtu fuisse venditatum. Decessit tandem septuagenario proximus A. 1654 ultima die Novembris, constituto ante rite testamento, quo cum Bibliothecam libris MSptis & impressis instructissimam Triumviris, testamenti sui curatoribus, Halesio, Vaughanio & Rowlando Jucks legasset, hi laudabili
48. prorsus liberalitate eam Bibliothecæ Bodlejanæ, quæ Oxonii est,
51. tradere, quam inter se partiri, satius habuerunt. Etsi uxorem non haberet, sunt tamen, qui eum cum Elisabetha, Henrici Comitis Cantii, cujus pariter favore usus est singulari, vidua, cui, sive in urbe moranti, sive in rus abeunti perpetuo fere adhæsit, conjugalem vitam duxisse existimant: certe patet ex supremis ejus tabulis, maximam divitiarum, quas tenuit, partem e gratioso fœminæ hujus sinu, ut Noster loquitur, in illum derivatam esse.
50 ff. Quod ad characterem Seldeni attinet, erat is quidem natura minus grata vultus & morum austeritate, pertinaci literarum studio aucta; nullius in verba jurabat, sed libere, quæ sentiret, proferebat, in consiliis dandis ferendisque suffragiis promptus, & non

modo

modo judicio verum & memoria ad miraculum, etiam in extrema senectute, pollens. Liberalem quoque fuisse in publica Reip. literariæ commoda, illud indicio est, quod solus imprimendis a Pocockio Annalibus Entychii Arab. Latinis sumtus subministravit, & ne deessent, testamento, quod hic integrum inseritur, sedulo cavit. Cum ad summa munia vocaretur, nunquam tamen adduci se passus est, ut illa admitteret, memor Symboli, quod libris suis inscribere consueverat: περὶ παντὸς τὴν ἐλευθερίαν.

Nunc quæ contineantur singulis Tomis, digito indicabimus. Exstat nimirum *Tomo primo:* 1 de anno civili veteris Ecclesiæ Judaicæ Dissertatio; 2 de Jure naturali & Gentium juxta disciplinam Ebræorum Libri VII; 3 de Synedriis & Præfecturis Juridicis veterum Ebræorum liber; *Tomo II:* 4 de Successionibus in bona defuncti ad leges Ebræorum liber, & de successione in Pontificatum Ebræorum Libri II; 5 de Diis Syris Syntagmata II; 6 *Eutychii*, Patriarchæ Alexandrini, ecclesiæ suæ Origines, cujus libri versionem & Commentarium dedit; 7 Uxor Ebræa, seu de Nuptiis & divortiis ex Jure civili, id est, Divino & Talmudico veterum Ebræorum; 8 Analecton Anglo-Britannicon Libri II; 9 Jani Anglorum facies altera; 10 Dissertatio ad *Fletam*; 11 Judicium de X Historiæ Anglicanæ Scriptoribus; 12 Mare clausum, seu de dominio Maris Libri II; 13 Vindiciæ Maris clausi; 14 Marmora *Arundelliana*; 15 Notæ & spicilegium ad *Eadmerum*; 16 Epistolæ variæ, omnes fere ex avtographis nunc primum collectæ, & 17 Poemata Græca, Latina & Anglica; *Tomo III*, qui Anglica comprehendit, 18 *England's* Epinomis; 19 *the* Duello *or single Combat;* 20 *Titles of Honour;* quem librum ex tertia editione anni 1672 (quæ etsi plura in titulo promittat, secundæ tamen, quæ A. 1631 prodiit, cedit, nisi quod addenda suis locis inserta sunt) Latine vertit Simon Jo. Arnoldus, ediditque Franc. 1696, Noster vero, nescimus qua de causa, ex prima anni 1614 ejusque addendis, ad finem additis, repetiit; 21 *the History of Tythes, with a Review, an Admonition to the Reader of Sis* James Sempil's *Appendix, and of Dr.* Tillesley's *Animadversions upon the History of Tythes*, it. *a Letter to the Marquess of Buckingham*, quæ scripta ad Apologiam Historiæ illius Decimarum spectant; 22 *three Tracts,*

written by Order of King James, nempe de Revelatione, de Die Natali Jesu Christi, & de scopo Historiæ suæ Decimarum, quibus accedit brevis commentatio de Judæorum olim in Anglia commoratione, ex Purchasii Itinerario supra memorato deprompta; 23 *A Discourse touching the Offi e of the Lord Chancellor of England*; 24 *the Priviledges of the Baronage of England*; 25 *of the Judicature in Parliament*: 26 *of the Original of Ecclesiastical Jurisdiction of Testaments*, 27 *of the Disposition or Administration of intestat ed Goods*; 28 *a Letter to Mr.* Augustine Vincent, *concerning his Discovery of Errors*; 29 *an Argument concerning the Baronies of* Grey *and* Ruthen; 30 *Illustrations of the first XVIII Songs of* Drayton's Polyolbion; 31 *Notes on Sir* John Fortescue de laudibus legum Angliæ; 32 *Notes on Sir* Ralph de Heugham's Summæ; 33 *Speeches and arguments*; denique 34 *Table-Talk*, seu sermones convivales, quos ex quotidiano convictu post Seldeni mortem Londini 1696, 8 edidit *Rich. Milward*, a nobis recensitos Supplement. T. I p. 426. Præmisit huic Tomo sigillatim præfationem Anglicam Cl. Editor, e qua nihil quidem magnopere memoratu dignum producimus, nisi quod notandum putamus, aliquot opuscula e supra memoratis nunc primum e Clar. Virorum Bibliothecis, præsertim e Musæo Ashmoliano, in lucem primum producta. Denique monemus, singulis Tomis accessisse Indices locupletissimos.

RAIMUNDI DUELLII C. R. AD PL. R. AC CLARISS. Virum P. Dom. CÆLESTINUM L'OREFICE, Benedictinum & Historiographum Regium Siciliæ, de quibusdam Inscriptionibus, gemmisque ac nummis Romanis Epistola, data Hippolytopoli ipsis Kal. Augusti M DCC XXV.

Noribergæ, apud Petr. Conr. Monath, 1725, fol.
Plag. 2 tab. æn. 1.

CUm ad Cl. Autorem, solertissimum antiquitatum promum condum, continuo confluant, quæ in vicinia eruuntur, vetera monumenta, laudem utique meretur, quod non diu latere ea

ea patiatur eruditos. Inter ea, quæ nunc producit, primum locum occupat Inſcriptio in lapide ſeptem fere pedes in longum ac tres in latitudinem excurrente, qui in oppido Auſtriæ infer. a S. Leonhardo vulgo *Sant Lienhart* dicto, exſtat, conſpicua. Frontem ornat aquila, conſecrationis ſymbolum, hoc tamen loco potius militare ſignum, cum duobus ab utroqua latere delphinis, qui tum ob alias cauſas, tum maxime ideo apti cenſentur monumentis ſepulcralibus, quod tam inſignem habeant mortuorum ſuorum curam, ut illos dorſis ſuis in ſumma pelagi evehere viſi ſint, teſte Plinio, ne aliqua bellua eos devoraret. Inſcriptio hæc eſt: M. SEXTIO VETTONANO AED. M. AEL. CE'. ANN. LXX. ET VINDÆ. TERTI. F. CON. AN. L. P. AEL. MARCIANO F. MIL. COH. IIII PRAE ANN. XX. STIP. III ET AV - - - A - - MAXSIMO ET CON - - - N. LXXX M. S. SM - - - OL AE. L - - CE - I - HL. TAGP E. M. S. - - - LXI. AN. II TS - - SII. XIII E SEX. SARMINIO MI. L. II S - - - AN. XXV. id eſt, ut Noſter legit, *M. Sextio Vettoniano, Ædili, Marci Ælii Celeris Filio, Annorum LXX, Et Vindæ Tertii Filiæ, Conjugi Annorum L. Publio Ælio Marciano Filio, Militi Cohortis IV Prætoriæ, Annorum XX, Stipendii III* &c. quibus verbis erudite explicatis, reliqua œdipo diſcutienda relinquit Autor. Imprimis hunc militem Ælium Marcianum ætatis anno vigeſimo, ac tertio ſtipendii, mortuum docet, ſimulque obſervat, lege a Sempronio Graccho Tribuno cautum fuiſſe, ne quis ante annum XVII ad malitiam cogeretur, ſponte tamen quosdam ante hunc annum nomen militiæ dediſſe. Hinc progreditur ad gemmam ſignatoriam eamque Sardam, ex eodem loco allatam; in qua cum figura muliebris, exacte Deam Romam repræſentans, nihil habeat difficultatis, illud quod propter Deam cernitur, Noſter pro monogrammate, qualia in gemmis quoque conſpiciuntur, primum agnoverat; verum rectius edoctus a Viro Cl. cui hanc Epiſtolam inſcripſit, mox flammulam in ara hic a rudi artifice deſignari, qua cultor Romæ ſuam erga terrarum Deam gentiumque pietatem teſtari voluerit, pronus agnoſcit. Affabre magis elaborata eoque antiquior gemma eſt, quam non procul a vicino Ciſtercienſium cœnobio Liliefeld homo colonus forte reperit, in Ne-

TAB. IV Fig. 1.

Fig. 2.

Neptuni haud dubie honorem facta, quem adgeniculantem, dextraque tridentem, sinistra delphinum, qui maris imperium indicat, tenentem, nitide satis exprimit. Rursus deinde ad duas Inscriptiones convertitur Autor, quas in pago S. Ruperti, mille circiter passus ab oppido S. Leonhardi distante, reperit. Altera hæc est: T. M. CON - - - ALIVS DOMITI F. V. FEC. SIB. ET IOVENTINÆ CVRIONIS FIL. quam ita legit: *Constantius Alius, Domitii Filius, Vivens Fecit Sibi Et Joventinæ Curionis Filiæ.* Constantium hunc ex gente *Æ'ia* sive *Allia* fuisse, credit, quod & Schottus confirmet, in ea gente Constantios exstitisse. Parvulis alatis, qui in monumenti superioris parte cernuntur, Cupidines, ἔρως & ἀντέρως, mutuumque adeo & conjugalem amorem, vel, si mavis, somnum, mortis imaginem, cui alæ affinguntur, indicari, existimat. Alteram inscriptionem paulo magis mutilam: - - - V. E - INGENVE PRIMIGEN - - FIL. MATRI, ita restituendam hariolatur: *Annorum XXV Et Ingenuæ Primigenia Filia Matri*; observatque nomen Primigenia Romanis proprium exstitisse. Quam superaddit, tertiam inscriptionem, ante Ecclesiam Murstetensem conspicuam, necnon duos nummos, nec raritate nec inscriptione valde notabiles, brevitatis causa prætermittimus.

LEZIONE ACADEMICA INTORNO L'ORIgine delle Fontane &c.

i. e.

ANTONII VALLISNERII, PROFESSORIS Medici Primarii in Academia Patavina, Lectio Academica super origine Fontium, cum Annotationibus ejusdem: Editio altera; cui accesserunt variorum Autorum Litteræ, Dissertationes, Lectiones, Observationes, quibus veritas Vallisneriani Systematis demonstratur; opera GASTONIS JOSEPHI GEORGII, Medici & Physici Florentini.

Venetiis, apud Antonium Bortoli, 1726, 4.
Alphab. 2 pl. 11 Tab. æn. 1.

Cele-

CElebrem non modo olim agitatam fuisse, sed & hodie inter summos Physicos agitari controversiam, *de Origine Fontium*, nemo harum rerum vel mediocriter peritus ignorat. Et hoc quidem, si non inter omnes, at inter eos certe universos convenit, qui elementorum transformationem negant, maria & suppeditare aquas fontibus fluviisque, & eas rursus ab iisdem accipere. Neque illud obscurum est, quibus viis ad maria deferantur fluviorum plerorumque aquæ. Sed quo itinere vicissim aqua marina ad fontes perveniat, de eo vehementur disputatur. Alii enim sub terra, per cœcos quosdam & mirabiles meatus, alii supra terram, per ipsum aerem & nubes, atque adeo per pluvias & nives, alii denique per utramque viam, ad fontes derivare aquas illas solent. Et negari non potest, pluviarum ac nivium tantam quotannis delabi vim, ut universis fontibus & fluviis, qui oculis nostris expositi sunt, facile sufficiant; hoc enim quam plurimis diligentissimis & sæpius iteratis Gallorum, Anglorum, Germanorum, Italorum, experientiis & computationibus abunde confirmatum est. Sed duæ potissimum difficultates restant: altera, an non fere tantundem, vel haud ita multo minus aquæ, per continuas exhalationes, ex ipsis regionibus corporibusque terrenis in aerem attollatur, quantum per nives, pluvias, grandines, rores ac pruinas delabatur? altera, an non bona pars aquæ pluvialis in loca tam humilia cadat, & tam profunde in tellurem penetret, ut puteis quidem, stagnisque & fluviis subterraneis, non vero altioribus illis fontibus, unde publica nostra flumina oriuntur, suppeditare nutrimentum, saltim immediate, queat? Posterius fortasse non difficulter concedent, qui non modo comparare valles cum montibus, sed & illud considerare voluerint, quam aptæ natæ sint valles, ad imbibendam aquam pluvialem, in iis longe facilius diutiusque stagnantem, quam in plerisque montibus, a quibus magna vi in ipsas valles continuo præcipitari solet. Prior autem quæstio sine ulla controversia affirmanda esset, si aer telluri circumfusus nullis perturbaretur ventis. Nunc licet a ventorum impetu & ipse aer & vapores in eo hærentes identidem mutare loca cogantur, non tamen tanta illa est mutatio, ut vapores terreni, qui pauciores sunt, in maria, & marini, quorum haud paullo major copia ex-

existit, in regiones terrenas depluant: sed certum potius est, in locis mediterraneis etiamnum multo minus pluviarum ac nivium, quam in maritimis atque in ipsis maribus delabi. Omittimus nutrimentum plantarum atque animalium; a quibus quidem universis non plus humoris assumi quam reddi perpetuo, statuendum est; ita ut hic circulus in priori plane contineatur. Jam quod aqua marina nullo adhuc artificio humano, nisi ope *evaporationis* ac *distillationis* a sale ac bitumine suo sufficienter liberari possit, quodque structura montium interna ejusmodi existat, ut in iis, veluti in *alembicis chemicorum*, ex vaporibus subterraneis colligi aquam, & guttatim stillatimve confluendo, fontes, porroque rivos atque amnes constituere, parum verisimile sit; præsertim cum & ii montes scaturigines fere nullas habeant, qui continua quadam crusta lapidea obducti, satisque cavernosi, imprimis convenire cum alembicis videntur, & ii contra copiosissimos alant fontes, quos alta tegit terra, sylvarum herbarumque ferax, in quam facili negotio penetrare pluviarum humor potest, a profundioribus denique stratis argillosis vel lapideis sistendus; hæc quidem nolumus infitiari: ceterum neque illud pro certo ponere audemus, fieri non modo percolando, attrahendo, præcipitando, sed nec ulla prorsus alia ratione posse, ut aqua marina, subterraneas suas venas & nimium ignotas regiones permeans, dulcescat. Quemadmodum vero aqua dulcis notabiliter levior quam salsa est, ita fontes, præsertim si per ductus satis profundos continuari cum maribus ponantur, multo altius assurgere quam ipsam marium superficiem, regulis hydrostaticis apprime consentaneum est, ut distillationes & alembici non magnopere requiri videantur. Non hæc a nobis eo consilio allata sunt, quasi sententiam, quam hodie plerisque Physicis placere intelligimus, de ortu fontium ex aqua pluvia, omnino improbandam censeremus; sed ut saltim appareat, quid difficultatis etiamnum supersit. De cetero fatendum sane est, non alibi copiosius, majorique eruditione, facundia, & diligentissimarum observationum apparatu, istam sententiam pertractatam adstructamque reperiri, quam in hoc ipso libro, quem nunc in manibus habemus. Ipse iterum iterumque ascendit arduos montes Celeberrimus *Vallisnerius*, avia & horrida pera-

peragravit loca, naturamque iſtarum regionum & ipſas fontium origines quam attentiſſime perſcrutatus eſt. Exempli cauſſa afferemus, quæ de origine Gabelli (*Secchia*) commemorat. Oritur hic amnis ex duobus ſatis amplis & parum inter ſe diſſitis fontibus, in præcelſo & aſpero quodam monte, quem incolæ ſua lingua *Cerè dell' Alpi* vocant. Quos poſtquam vidit fontes, ut eorum ipſorum originem detegeret Vir curioſiſſimus, in altius eniſus ſupercilium, ampliſſimos notavit tractus, herboſos illos quidem, ſed foſſis, canalibus, ſulcis, cavernis, tumoribus, multis modis diſtinctos, planeque ſcabros & tuberoſos. „ Numeravi, inquit, plus quam „quinquaginta cavitates, magnis catinis vel crateribus ſimi-„les, quorum alii magis, alii minus erant aqua repleti, quidam „plane vacui: cum altius aſcendiſſem, ſylvas vidi, & cavernas, „& voragines, in quarum nonnullis, velut in quibusdam vivari-„is, ad quæ nunquam Solis radii pertingunt, glacies & antiquæ „nives conſervabantur, a novis fere ſemper coopertæ ac ſepultæ: „vidi adhuc deſtillantem aquam ex humectatis ſylvarum terris & „nunquam aratis campis: vidi, rivos ſulcantes durum illud dor-„ſum, & deſcendentes ex altiſſimis horridiſſimisque nemori-„bus, in varias rimas ac ſpeluncas præcipitatos, ibidemque ab-„ſconditos. Superato etiam hoc inclemente & barbaro loco, no-„væ ſemper occurrerunt lacunæ, foſſæ, cavernæ, aquarum ni-„viumque conſervatrices, porroque ſqualidi campi, & alia loca „ab humano genere prorſus deſerta, nec niſi aquæ, nivis, glaciei, „& horroris domicilia. Hi ipſi, tum quidem mecum dicebam, „atque nunc iterum dico, hi ſunt veri fontium alembici, qui aquas „ſuas accipiunt non e mari aut terra ſed e nubibus deſtillatas: hic „videant ingenioſi philoſophi ſimpliciſſimam naturæ operatio-„nem, atque in ipſis deſertis providam Divini Numinis ſapienti-„am admirentur! „ Hæc Cl. Valliſnerius, qui complura alia deinceps affert cum his apprime congruentia. Neque vero de ſola externa montium facie ſollicitus fuit, ſed & internam eorum compagem, variorumque ſtratorum genera, e quorum coagmentatione ſenſim extructi videntur, quam ſolertiſſime perſcrutatus eſt. Et hæc quidem nunc perſequi longum foret. Ceterum quæ de profunditate diſſerit, ad quam penetrare pluvia ſub terram ſolet,

deque hinc ortis montium quorundam ruinis, ficco pede prætereunda non putamus. Mirari, inquit, soleo, qui fiat, ut viri magni nominis cum *Seneca* negent, aquas pluviales & nives resolutas altius sub terram quam ad summum duos pedes penetrare, ita ut efficere fontes perennes nullo modo possint. Ubi inclinatum est solum, ubi densum, tenax, cretosum, aut quacumque ratione firmius compactum, non dissentio: at ubi hærent aquæ aut tarde fluunt, aut ubi terra bibula & rarior est, nequeo illorum sententiæ subscribere, propter observationes atque experientias, quas ipse „contrarias vidi. „ Cum essem nuper *Cervarecchii*, quod oppi„dum in montibus nostris *Regiensibus* situm, superioribus annis „graviter afflictum est horrenda quadam ruina, *Salattam* alii, „alii *Lezzam*, plerique etiam *Lavinam* dicunt, (quo nomine & „magnas illas nivium moles, ex Alpibus identidem cum fragore „& terrore ruentes, vocari in Helvetia constat,) caussam hujus „mali quærenti mihi ad hunc modum responsum est: ante decem „fere annos tristem illum accidisse casum, cum montes nix tege„ret inusitatæ altitudinis; qua sensim resoluta, universam molem „subjectam adeo penetratam ac remollitam esse, ut tam gravem „exinde pestem oriri necesse esset: videbantur tum quidem (sic „pium senem dicere memini) omnes hi clivi ex lubrica & tenera „pulte conflati; quocirca subsistere amplius nullo pacto pote„rant: fluxum, strepitum, rosionem aquarum ad ipsa fundamen„ta usque insinuatarum non obscure persentiscere licebat: hinc „integræ casæ per longum tractum devehebantur; plantæ quan„tumvis altæ atque annosæ, totæ sylvæ & seminati campi, stupen„tibus nobis & plangentibus, mutabant loca, atque ex pristinis „confiniis in alia migrabant; ita ut universæ naturales & humanæ „leges, raro ac fatali casu, penitus confundi viderentur. Alias deinde consimiles *lavinas* memorat Cl. Autor, quarum recensione nunc supersedemus. Nam de ceteris quoque opusculis breviter dicendum est, quæ hoc volumine collegit nobilissimus Philosophus & Medicus Florentinus, *Gaston Josephus Giorgi*. Igitur post Lectionem celeberrimi *Vallisnerii*, quam recitavit in Academia Recuperatorum Patavina, & post Annotationes ejusdem, quibus id egit, ut observationes suas atque placita copiosius explicaret, sequuntur

quuntur 1) Epistola Physico-Mathematica ipsius doctissimi *Giorgi*, de vera & unica origine fontium; 2) duæ Epistolæ Viri illustris *Dominici de Corradi*, ad Dom. *Gast. Jos. Giorgi*, in quibus potissimum de mensura pluviarum & nivium, *Mutinæ* cadentium, itemque de velocitate & capacitate *Padi* exponitur; 3) Annotationes in libellum Medici Florentini Anonymi, de fontium origine, *Lucæ* impressum, A. 1725; 4) Lectio Academica, de origine fontium, a D. *Jos. Avanzino* recitata in Academia Florentina, d. 17. Maji 1725; 5) Epistola Anonymi, in qua complures deteguntur fraudes atque errores, commissi ab autore libelli Lucæ impressi, qui inscribitur *Riflessioni sopra l'origine delle fontane*; 6) Confirmatio Systematis Cl. *Vallisnerii* de origine fontium, quam in epistola ad ipsum celeberrimum Autorem proposuit illustrissimus Comes *Riccatus*; 7) Brevis annotatio; 8) Excerptum ex litteris clarissimi cujusdam Professoris Florentini, in quibus judicium exponit suum de libello Medici conterranei, qui inscriptus est, *Riflessioni* &c. 9) Aliud Excerptum ex litteris docti cujusdam *Pisani*, in quibus de eodem libello differitur; 10) Epistola Anonymi de inscriptione ejusdem libelli; 11) Epistola P. *Sebast. Pauli* ad *Ant. Vallisnerium*, de fonte quodam in *Apulia*, quo Systema celeberrimi hujus Autoris confirmatur; 12) Conclusiones Physico-Medicæ, quas sub auspiciis illustrissimi D. ac viri clarissimi, D. *Ant. Vallisnerii*, de Nobilibus e *Vallisneria*, in *Patavino* Lyceo Publici Primarii Theoricæ Medicinæ Professoris, S. C. C. M. Caroli VI Imperatoris Medici, Academiæ Germanicæ curiosorum, & Regiæ Societatis Londinensis Socii, &c. exposuit ac defendit, *Senis* A. 1725, *Leo Bernardus Pagliai*, *Senensis*, Academicus Physicocriticus. Multa sine controversia in his opusculis continentur lectu & consideratu digna. De cetero cum pleraque Medico illi Anonymo Florentino, ejusque tractatui, quem inscripsit *Riflessioni sopra l'origine delle fontane*, opposita sunt, tum sane valde inclementer hic Autor ab adversariis suis habitus videtur. Salse eum rident atque acerrime accusant, quod contra viros summos atque celeberrimos scribere, exquitissimisque experientiis speculationes, *(riflessioni,)* & observationes quasdam, quæ ipsis perexigui momenti videntur, opponere ausus est; quod secretionem salli-

 um

um ab aqua marina cum ſecretionibus animalibus, itemque cum ſecretione ſalis a vaporibus illis, qui ex mari in aerem aſcendunt, comparare inſtituit; quod ſolam *poſſibilitatem* ejusmodi ſecretionis ſubterraneæ ſufficere putat, ad tuendam ſaltim ab adverſariis ſententiam de ortu fontium ex mari per circulum inferiorem; quod canalibus illis & meatibus, quorum interventu aquam marinam ad fontes deduci credit, centum vel etiam plurium milliarium Italicorum profunditatem tribuere non dubitat; quod deinde majorem fontium quam marium altitudinem regulis hydroſtaticis omnino conſentaneam eſſe, cum celeberrimo *Bernoullio* defendit; quod poſt magnas & diuturnas ſiccitates, partem ſatis notabilem aquæ, per ductus ſubterraneos ad fontes derivari ſolitæ, ab ipſa terra ſpongioſa, arida, ſitiente, imbibi ac conſumi ſtatuit; denique quod etiam novos ſubducere calculos, ſententiæ *Valliſnerianæ* repugnantes, conatus eſt. Quæ quidem omnia, & reliqua his ſimilia, an reprehenſionem mereantur adeo vehementem atque acerbam, eorum judicio relinquimus, qui & rem intelligunt, & librum ipſum in jus vocatum, nec nobis adhuc viſum, conſpexerunt. Nunc tribus, quod ajunt, verbis novam aliquam hypotheſin ſubjungere lubet. Vapores e terra aſcendunt atque in nubes, pluvias, nives, coeunt; hæ rurſus in terram delabuntur: ſimiliter fontes & fluvii aquas in maria mittunt ſuas; atque hæc viciſſim fontibus nutrimentum ſuppeditant. Quid ſi duplicem hunc circulum ita connectamus, ut aquas marium (quorum ſane fundus non plane lapideus & impenetrabilis ſtatuendus eſt) profunde omnino ac longe lateque in viſcera telluris inſinuari, inde a calore ſubterraneo attolli, & non quidem in cavernis montium, velut in alembicis, copioſa quadam diſtillatione colligi, ſed maximam partem ex ipſa terra, ſub forma exhalationum, in aerem conforas emitti, tum vero in pluvias, nives, rores ac pruinas conſatas, atque a vaporibus marinis, ad regiones mediterraneas (præſertim frigidiores & montoſas) non contemnenda copia translatis, auctas, in tellurem relabi, atque ita poſtremo fontibus fluviisque non ſolum incrementum, ſed & ipſam fere originem præbere, cenſeamus? Ceterum ut novas, ſingulares, ac proprias experientias hautquaquam nobis ſuppetere fatendum eſt, ita

ita hæc noſtra ſpeculatio atque hypotheſis, non iis, qui iſtiusmodi ſpeculationes pro peccatis habent, ſed paullo mitioribus judicibus expoſita putetur.

NUOVE OSSERVAZIONI ET ESPERIENZE intorno alla Storia Medica e Naturale.

i. e.

NOVÆ OBSERVATIONES ET EXPERIMENTA circa Hiſtoriam Medicam & Naturalem, Autore ANTONIO VALLISNERIO, Medicinæ Theoreticæ Profeſſore Publico Primario & Medico Cameræ S. M. C. C.

Patavii, apud Johannem Manfredum, 1726, 4.
Alph. 3 pl. 3, cum fig. æn. Tab. 25.

TRes ſunt partes hujus libri, ex Valliſnerii non minus ac aliorum Virorum Clariſſimorum literis ſcriptisque conſarcinati, & Hiſtoriam Medicam & Phyſicam promovendam pro ſcopo habentis, quarum prior Tractatibus XIII circumſcribitur. Anni ſcilicet ſedecim præterlapſi ſunt, cum Clariſſ. Valliſnerius Experimenta circa generationem vermium in corpore humano publici juris faceret, quibus probare annifus eſt, inſectorum ova non ab extra cum aere, fructibus, alimentis & potulentis in corpus noſtrum ingeri, ibidemque excludi, & in lumbricos mutari; ſed progenerari a genitoribus ſibi ſimilibus, in primis viis nidulantibus. Quemadmodum autem iſto in Tractatu de Tænia potiſſimum locutus eſt, quoad cætera, lumbricos teretes concernentia, curioſum Lectorem ad Obſervationes a Redi concinnatas remittens, ita, ex quo clarius & evidentius ova, ovaria, oviductus & vaſa ſpermatica lumbricorum, a Redi nec viſa nec deſcripta, detegere ipſi licuit, non ſolum in ſententia ſua confirmatus fuit, ſed & operæ pretium eſſe judicavit, recens inventa publico communicare, & quæ tam in lumbricis vaccinis quam humanis vidit, explicare. In *Tractatu* igitur *I* ſtructuram partium genitalium generis hujus hermaphroditici exponit, quam benevolus Lector ex appoſita figura optime cognoſcet.

Ex-

TAB. IV. Fig. 3.

Explicatio Fig. 3 in Tabula IV,

quæ repræsentat lumbricum vaccæ apertum, ex cujus ventre ductus alimentarii sunt exemti, relictis solis organis generationi dicatis.

a. colli abscissi truncus apertus.

b. finis oviductus, cujus orificium per foramen externum hiat.

c. oviductus tractus lympha diaphana plenus.

d. pars superior oviductus ovis turgida, membrana instar valvulæ cincta.

e. ovarium bifurcatum seu ovaria bina.

f. f. ovaria divaricata & vasis spermaticis tecta, ex parte ad latus reclinatis.

g. g. principium ovariorum, ubi propius ad se invicem accedunt.

h. h. duæ vesicæ ovales, materia albicante repletæ, a vasis spermaticis formatæ, quæ hic loci dilatata mox iterum exiliora evadunt.

i. i. i. i. vasa spermatica ex vesicis his orta & post varios gyros in

l. l. vesicas minores abeuntia.

m. m. m. m. vasa spermatica circumgyrata & anfractuosa.

n. n. portio canalis alimentarii in anum desinens.

o. finis vermis aperti.

p. p. p. vasa spermatica ab ovariis ad latus reclinata.

In *Tractatu II* Epistola legitur Ubertini Landi ad Autorem data, in qua refertur, sacerdotem quendam post immanes dolores nephriticos cum urina reddidisse polypum, viperæ formam repræsentantem. In *III* communicatur Epistola Philippi Torrii, Episcopi Hadriensis, in qua Autoris sententia de generatione vermium humanorum ordinariorum confirmatur, adjectis quibusdam dubiis, ad quæ Noster in *IV* respondet. In *V* gaudet Vallisnerius in Epistola ad Marcum Antonium Busenellum, Secretarium, data, in Gallia Academiæ Regiæ Scientiarum Socios secum in eo convenire, quod tænias & reliquos vermes ordinarios in corpore humano esse hæreditarios crediderint, variaque allegat loca, quibus eosdem aliis etiam in rebus naturalibus idem, quod ipse antea divulgaverat, sentire patet. In *VI* exhibetur Epistola Thomæ

Thomæ Alghisi, in qua refert, hominem nephriticum post perpessam vellicationem & titillationem in lumbis cum urina reddidisse quatuor vermiculos veros, figura & magnitudine grani frumentacei, dubius tamen hæret, per quas vias iidem illuc translati fuerint; modum etiam novum describit præparandi liquores in vasa animalium injiciendos; dum alabastri vel aluminis plumosi bene calcinati, & alcoholisati libræ uni admiscet unciam unam cinnabaris, laccæ Venetæ, auripigmenti, indigo, &c. & aqua diluit, pro nigro vero colore obtinendo libræ uni pulveris octo scrupulos fuliginis addit: denique monet, se sollicitum in corrigendis deligationibus chirurgicis Ægyptiorum fasciationem, qua mumias suas obvolvere fuerunt soliti, imitatum esse. Ad quam Notas addit Vallisnerius in *VII*, variisque probat exemplis, vermes ordinarios ex intestino colo exulcerato in vesicam exulceratam viam sibi parasse, nec tamen negat, dari etiam vermes extraordinarios in homine, de quibus in peculiari tractatu se acturum pollicetur. In *VIII* Epistola Nanii Nani Falaguastæ, Nobilis Patavini, legitur, in qua evidenter demonstrat nobilitatem & utilitatem studii insectorum, quo ducimur ad cognoscendam partem fere ignotam & flocci habitam ex operibus Dei, quæ tamen semper sunt miraculosa, & ad agnoscendam in minimis hisce viventibus summam ejusdem sapientiam & providentiam, æque admirandam in minoribus ac majoribus creaturis, & ad acquirenda media certa illustrandi Medicinam & Historiam Naturalem. In *IX* approbat D. Antonius Maria Borromæus Autoris novum systema circa generationem & productionem vermium ordinariorum in hominibus, solummodo dubitans, quomodo lumbrici in corporibus Protoplastorum in statu innocentiæ generari potuerint? ad quod dubium respondet Vallisnerius in *X*, se credere, Adamo concreatos esse vermes, ut vergerent in statu innocentiæ non in ipsius damnum, sed gloriam & perfectionem, post lapsum vero in ejus cruciatus. Sequitur in *XI* Epistola D. Johannis Bassi, in qua demonstrat, rationes speculativas Aristotelicorum circa generationem æquivocam esse vanas. In *XII* inserta est D. Johannis Jacobi Mangeti Epistola ad Autorem, ejusque responsio. Refert scilicet ille, natum fuisse fœtum nonimestrem, in quo præter

membranosam quandam expansionem nervorum opticorum super os cuneiforme exporrectam ne minimam quidem cerebri aut cerebelli portionem adfuisse, imo integrum cranium defuisse, eorum vero loco massam carneam firmiorem, coloris subrubro-lividiusculi, in varias cellulas sanguine aut lympha repletas excavatam, conspectam fuisse; unde putat, motus vividos, quos ad partus terminum in utero exercuerat embryo, medullæ spinali esse adscribendos, quæ justo amplior & ad ossis usque sacri limina bifida fuerat. Cui tamen sententiæ Noster non subscribit, sed existimat, loco cerebri & cerebelli organum his analogum, arteriis, venis fibrisque carneis obvolutum adfuisse, sub quo tanquam velo mysteria functionum potuissent exerceri. Quæ conjectura confirmatur in *XIII* a Johanne Jacobo Scheuchzero, qui casum hydrocephali in infante unius cum dimidio anni recenset, in quo cerebrum ad membranæ tenuitatem fere extensum capacitati internæ cranii, & sinus falciformis cranio firmiter affixus erat, & aquarum moles ad octo circiter librarum Medicarum mensuram in ipsis cerebri ventriculis delituerat.

In secunda Parte hujus libri pergit clariss. Vallisnerius eodem incedere tramite & octo communicat Tractatus, in quorum *I & II* muscas & reliqua insecta, quæ circa roseta versari solent, examinat, eorumque naturam, cibum, folliculos, exuvias, structuram evolvit, docetque, quomodo & quo ova deponant, & qua ratione denique in muscas genitoribus suis similes iterum abeant; in *III* novam addit ideam in suas species dividendi insecta. In *IV* genesin pulicis ex ovo & semen algæ marinæ describit, quo generationem æquivocam destruat. In *V* examinat ortum, vitam, mutationem & naturam vermis, qui in naribus, vel cavitate frontis ovium, vervecum, caprarum, damorum, cervorum, aliorumque animalium reperiuntur. In *VI* in œstri, Asilus vel Tabanus alias dicti, naturam inquirit, atque evincit, esse illud raram speciem muscæ, in ventris fundo acutissimo aculeo armatæ, quo perforat cutem armentorum, ut in factum foramen immittat ovulum una cum succo acerrimo, nervos fortiter pungente & vellicante. In *VII* Anatomen exhibet struthionis, putatque, eum vitrum, ferrum & alia metalla in ventricula digerere, non tam

hujus

hujus robore, & motu, quam menſtrui ſtomachalis activitate, non quidem ut in nutrimentum ei cedant, ſed partim ut obtundant corroſivitatem menſtrui, partim ut e. g. ex ferro tinctura extrahatur roborandis viſceribus neceſſaria. Dextrum cordis ventriculum lævem eſſe ait, nullisque columnis carneis præditum, quia ſtruthio pulmones gerit non pendulos ſed planos & horizontaliter ſuper coſtas poſitos, muſculisque inſtructos, ita ut hi ipſi receptum ſanguinem verſus ſiniſtrum cordis ventriculum propellere, ſicque vices validorum lacertorum, qui alias in dextro ventriculo reperiuntur, ſupplere queant. In *VIII* obſervationes leguntur circa ortum, victum, naturam & mutationes cantharidum, a Laurentio Patarolo factæ.

Tertia Pars tanquam Appendix continet novendecim Tractatus, quorum *I* & *II* conſtituunt variæ literæ de morbo pediculari cum annotatione. Sequuntur in *III* Relatio Valliſnerii de rebus rarioribus, obſervationibus & experimentis Hiſtoriam Medicam & Naturalem concernentibus, anno 1726 Mediolani annotatis, in *IV* & *V* obſervationes ejusdem circa inſecta; *in VI & VII* Epiſtola Victorii Franciſci Stancari de variis rebus Medicis & Phyſicis, ſcilicet de ſemine Gebel-Indi, de ovario anguillarum, de chamæleonte, ejusque oculis, de tranſpiratione pauca vel nulla ovorum emplaſtratorum, & de fontibus ac puteis in jugis montium cum Annotatione; in *VIII* Notitia ſimplicium quorundam a Spoleto, Profeſſore Patavino, Conſtantinopoli allatorum, & quomodo arſenicum præparatum ibidem in uſum Medicum cedat; in *IX* Epiſtola Stancari de experimentis in machina pneumatica cum ovo gallinaceo factis. In *X* nova inventa de origine animalculorum ſub braſſicæ foliis nidulantium, & de multis inſectis alia inſecta infeſtantibus; in *XI* Epiſtola Torrii, Hadrienſis Epiſcopi, de Clerico binos digitos minimos in una manu, & fœmina, genam cute & pilis porcinis obductam habente; in *XII* mentio fit brachii monſtroſæ magnitudinis, quod inciſum in parte decliviori, effuſo primum ſanguine, hinc ſero multo, ad debitam rediit figuram. In *XIII, XIV, XV, XVI, XVII*, de litibus circa inſecta peſtilentialia inter Carolum Richam & Bartholomæum Curtium compoſitis agitur; in *XVIII & XIX* denique Franciſcus Joſephus

Burrhus inquirit in vini degenerationem in acetum, & num hoc calidum an frigidum sit?

A TREATISE OF THE URINARY Passages.

i. e.

TRACTATUS DE VIIS URINARIIS, AUTORE GUILIELMO RUTTY, M. D. Societatis Regiæ Collega & Anatomiæ in Theatro Chirurgico Lectore.

Londini, apud Thomam Worrall, 1726, 4.
Plag. 8½ cum fig. ænear. Tab. 4.

IN Tractatu hoc, in tres Sectiones diviso, Autor Clariss. vias urinarias describit, earum usum explicat & in calculum, tanquam illarum affectum frequentissimum, inquirit. In I igitur Sectione, quæ Anatomica est, singulas evolvit partes, urinæ secretioni & excretioni dicatas, renes puta, ureteres, & vesicam urinariam, quibus renes succenturiatos addit. Circa quas quid veteres recentioresve statuerint, & invenerint, fideliter tradit, suamque addit epicrisin. Pauca ex his cum L. B. communicabimus. Malpighius vesicularia observavit corpuscula in renibus, arteriarum finibus annexa, & inter hos atque tubulos urinarios, ad quos ductus suos excretorios transmittant, posita; hæcque corpuscula pro distinctis glandulis atque immediato organo secretorio urinæ habet. Ruyschius vero huic contradicit, arterias immediate in ductus urinarios absque interventu ejusmodi vesicularis substantiæ desinere, asserens. Atque huic sententiæ Noster adhærens existimat, vesiculas has membranaceas, si quæ adsint, pro organo secretorio urinæ venditari haud posse, siquidem tales folliculi in aliis partibus, in quibus inveniuntur, non munus exequantur glandularum, sed harum appendices sint, seu receptacula, quæ humorem in aliis glandulis jamdum secretum asservent, donec hic per ductus excretorios ejici queat; quales sunt vesiculæ seminales, folliculus fellis, &c. Hinc statuit, eam esse glandularum ratione com-

compositionis differentiam, qnod glandulæ humorem secernentes, qui per intervalla excerni debet, talibus membranaceis folliculis gaudeant, ut glaudulæ mammariæ, ventriculi, intestinorum, &c. e contrario illæ, quæ liquorem secernunt, qui continuo iterum excerni debet, hisce receptaculis nec præditæ sint, nec indigeant, ut cerebrum, testiculi, quædam conglomeratæ, & renes. Hacque distinctione dirimi posse ex parte putat controversiam, quæ intercedit inter Ruyschium & Bœrhaavium, (de qua in Actis Anno 1723 Mense Martio pag. 103 egimus) circa hos folliculos, utrisque veritatem assecutis, quando suum dogma ad particulares glandulas restringunt, errantibus vero, si ad totum glandularum genus extendant. Ureteres diversæ esse diametri dicit, modo contractos, modo dilatatos, non solum ubi arterias iliacas transcendunt, ut vulgo creditur, sed per totam sui longitudinem; cujus contractionis & dilatationis causam, judicat esse non minus pulsationem arteriarum iliacarum, juxta Cowperum, quam conformationem naturalem, ut Morgagnius asserit. Ureterum membranas nunquam in triplici differentia esse, observare potuit, ita ut externa membranacea, media muscularis, & intima nervea dicenda veniat; verum totus ductus ipsi videtur esse nerveus & crassus, ita tamen, ut interior ejus superficies muco quodam ex exilibus glandulis exstillante pro avertenda urinæ salsæ noxa obliniatur. Singuli renes juxta naturæ institutum unico gaudent uretere, contingit tamen quandoque, ut bini in alterutro conspiciantur; rarum vero est, quod observavit Autor, quod utrique renes duabus præditi pelvibus, binos nacti sint ureteres, quorum alter supra, alter infra vasa emulgentia seorsim decurrentes, in unum denique ductum prope ingressum in externam vesicæ tunicam coaluerunt. Media tunica vesicæ urinariæ ab Anatomicis inter musculos refertur, sub nomine Detrusoris urinæ; cui tamen officio obeundo Autori nostro non videtur par; siquidem fibræ ipsius longitudinales inferiori vesicæ orificio implantatæ sub sua actione cervicem potius versus superiora, quam fundum versus inferiora ducerent. Rectius longitudinalibus fibris fundum vesicæ versus anteriora & inferiora ad os pubis protrudentibus, obliquis vero suas dimensiones imminuentibus urina

TAB. IV. Fig. 4.

Fig. 5 & 6.

excluditur. Porro confirmat Clariſſ. Autor Bohnii & Stalpartii van der Wiel ſententiam, aſſerentium, maximam fundi veſicæ partem in ſubjectis humanis circa anteriora adhærere vel continuam eſſe peritonæo: viditque interiorem ſuperficiem urethræ variis perforari orificiis ductuum, liquorem fundentium a glandulis ſecretum, & defendendæ ab urinæ acrimonia urethræ deſtinatum. A renibus ſuccenturiatis ductus excretorios in viris ad teſticulos, in mulieribus ad ovaria deſcendere perhibuit Valſalva; verum ex Autoris noſtri ſententia duas arterias ſpermaticas a Ramby recens detectas pro ductibus his habuiſſe videtur. Exiſtimat potius Clar. Rutty cum Morgagnio, cum renes ſuccenturiati ſint glandulæ lymphaticæ, eos ſuppeditare lympham ad ductus chyliferos patulos ſervandos.

Sed pergimus ad Sectionem II, quæ Phyſiologica eſt, uſum organorum urinariorum explicans. Quemadmodum autem in confeſſo penes omnes eſt, urinæ producendæ gratia formatos eſſe renes, ita taxat Autor Clariſſ. Bellinum & Bœrhaavium, quorum ille intermedia fingit ſpatia, ad quæ ſanguis deponatur, antequam lotium a tubulis urinariis excipiatur, & cruor per venas reducatur, hic vero urinam duplici modo elaborari, partim per immediatam percolationem per ductus Bellinianos, partim mediantibus glandulis aſſerit, cum tamen neque ſpatia illa intermedia neque glandulæ in renibus inveniantur. Ipſe vero Autor totum negotium mechanice explicat, quatenus aqueo ſalinæ particulæ ſanguinis a ductibus Bellinianis, tanquam vero organo ſecretorio, reſorbeantur, ad pupillas deferantur, & in pelvi colligantur, per ureteres ad veſicam promovendæ. Negat interim, deſcenſum hunc periſtaltico ureterum motui adſcribendum eſſe, cum propria lotium gravitate in hominibus delabatur. Quam vero vim veſicæ in ejicienda urina tribuunt Keillius & Michelottus, tanquam falſam refutat. Demonſtrat porro, urinam omnium coctionum excrementa continere, potulenta per viam regiam ſuum emetiri iter, abſque eo, ut extraordinariæ fingantur viæ, urinam reſpondere potus aſſumti quantitati; & præter terreo-ſalinas etiam alias particulas cum urina excerni; hanc vero habet pro ſubſtantia aqueo-ſalino-terreas particulas in ſe continente,

pro

pro quarum diversa proportione color, acrimonia, & consistentia mutetur.

In Sectione III, tanquam Pathologico-Therapeutica, calculi ceu primarii organorum urinariorum affectus, genesin sub examen vocat; In renibus quidem ejus causam materialem in naturali compositione urinæ quærit. Cum enim calculus nihil aliud quam sal volatile & fixum, urina vero hoc copiose referta sit, tale corpus concrescere putat, si salinæ & quædam terrestres particulæ a fluidis separentur, & usque adeo sibi cohæreant, ut ab affluente urina discontinuari nequeant. Contingere autem hoc existimat, quando salia vel in nimia quantitate adsunt, vel a viscido, cum quo facile unionem ineunt, impediuntur, quo minus superare exiles illos ductus, qui papillas constituunt, queant, vel ob arctitudinem horum tubulorum præternaturalem ab accessu arceantur. In qua sententia eo magis confirmatur, quo certius est, quod homines, qui liquoribus spirituosis abutuntur, vel qui debili gaudent stomacho, aut viscidos assumunt cibos, vel qui vitam sedentariam agunt, præ aliis ad hunc morbum sint dispositi. Per hæreditatem tamen etiam calculi fomitem communicari posse, confitetur. Missis eis, quæ Autor circa diagnostica & prognostica signa affert, indicationes sequentes format: 1) transitus calculi per ureteres diureticis promoveatur, 2) viæ a duritie & asperitate ejus præmuniantur, & 3) Symptomata mitigentur. Vesicæ calculum quod attinet, natales ejus repetit vel a calculo renali, qui ad vesicam protrusus novis semper lamellis obducitur, vel a mora, quam urina viscida & particulis salino terrestribus onusta in vesicæ cavitate agit, antequam excernatur; hæ enim particulæ tum propius sibi accedunt, & in ejusmodi durum corpus coagulantur. Quemadmodum igitur talis, quamdiu exilis existit, eadem methodo exturbandus venit ac renalis, ita majorem non nisi manu chirurgica extrahendum esse, docet.

Explicatio Figurarum in Tabula IV.

Fig 4 repræsentat vias urinarias, in quibus singuli renes duas pelves, binosque ureteres obtinent.

A. Ren sinister.

a. arteria emulgens, antequam renem ingrediatur.

b. vena

b. vena emulgens.
c. ortus ureteris ſuperioris.
d. ortus ureteris inferioris.
B. Ren dexter juxta longitudinem diviſus, ut ſtructura ejus interna conſpiciatur.
e. pelvis ſuperior.
f. pelvis inferior.
g. ſubſtantia renis utramque pelvim diſtinguens.
h. ortus ureteris ſuperioris.
i. ortus ureteris inferioris.
k k. deſcenſus quatuor ureterum verſus veſicam.
C. Veſica urinaria aperta.
l. l. unio binorum ureterum.
m. inſertio ureterum obliqua in dextro latere.
n. inſertio ureterum obliqua in ſiniſtro latere.
Fig. 5 exhibet partem anteriorem veſicæ urinariæ externa tunica exutæ.
a. ortus fibrarum muſculoſarum longitudinalium ab interiore & inferiore parte oſſium pubis & anteriore parte proſtatarum.
bb. progreſſus earundem fibrarum ſuper anteriorem partem veſicæ.
c. c. fibræ obliquæ tunicæ muſcularis ſe invicem interſecantes.
d. urachus.
ee. portio ureterum.
f f. proſtatæ.
Fig. 6 ſiſtit poſteriorem partem veſicæ.
aa. fibrarum longitudinalium decurſus.
b. earundem inſertio in partem poſteriorem proſtatarum.
cc. fibræ obliquæ tunicæ muſcularis.
dd. portio ureterum.
ee. veſicæ ſeminales reclinatæ.

EPITOME ELEMENTORUM PHYSICO-MAthematicorum, conſcripta in uſus Academicos a PETRO VAN MUSCHENBROEK, Phil. & Matheſeos Profeſſore in Academia Trajectino-Batava.

Lugdu-

Lugduni Batavorum, apud Samuelem Lugtmans, 1726, 8. Alph. 1 plag. 1½

VIr summus, *Isaacus Newtonus*, omnes ex Physica hypotheses exulare jubet, & *Archimedis*, *Galilæi* aliorumque exemplum secutus, in Principiis Philosophiæ atque Optica docuit, quomodo certa Physica comparari possit, si nihil assumatur, quod non experimentis vel demonstrationibus mathematicis sit evictum. Hunc ducem Noster secutus in Physicis, Auditores suos non docet, nisi quæ firmis istis fundamentis superstructa. Abstinet autem ab iis, quæ, cum nonnisi per subtiles Analyseos aut Geometriæ profundioris demonstrationes pateant, tyronum captui parum respondent. Laudat Academiæ Trajectinæ Curatores, quod nuperrime magnis sumtibus novum amplissimumque Theatrum Physicum exstruxerint, omnisque generis instrumentis, ne quidem pretiosissimis exceptis, ornent. Ut vero Auditores suos ad notitiam Autorum perducat, qui veram philosophandi viam ingressi cum fructu consulantur, eos laudat, ex quorum scriptis semet ipsum profecisse fatetur. Eminent inter eos præter *Newtonum*, *Hugenius*, *Wallisius*, *Gregorius*, *Leibnitius*, *Wolfius*, *Whistonus*, *Mariottus*, *Hauksbejus*, *Desaguillierius*, *Derhamus*, *Archimedes*, *Galilæus*, *Torricellius* aliique: inprimis vero Viris Celeberrimis, *Bœrhavio* atque *Gravesandio*, se plurimum debere profitetur, & Transactiones Anglicanas, Historiamque Academiæ Regiæ Scientiarum Parisinæ atque *Wolfii* cum elementa Matheseos, tum Philosophiam experimentalem sæpius citat, *Wolfium*que primum Aerometria Mathesin mixtam egregie amplificasse, ait. Dividit opusculum in duas partes, quarum priori de origine & progressu Physicæ, principiis corporum universalibus, loco, duratione & tempore, motu, potentiis prementibus, legibus naturæ *Newtonianis*, gravitate, corporibus descendentibus supra planum inclinatum, pendulis, machinis mechanicis, attritu machinarum, viribus corporum motorum, corpore duro, molli, flexili, elastico, percussione, motu obliquo, motu gravium projectorum, viribus centralibus, attractionibus corporum ad se invicem, cohæsione ejusque legibus; posteriori autem de fluido in genere, actione fluidi ex gravitate, undis, fluido per foramen vasis fluente, fluidis pro-

filientibus, fluminibus, motu fluidorum mixto, percuſſione fluidorum, denſitatibus & gravitatibus ſpecificis fluidorum & ſolidorum inter ſe comparatis, reſiſtentia fluidorum adverſus ſolida per hæc mota & ſolidorum retardatione, aqua, igne, proprietatibus lucis, coloribus, oculo, lucis tranſitu per oculi humores, viſione, catoptrica, dioptrica, aere, ſono, meteoris agit. Apparet itaque, Cl. Autorem circa ea occupari, in quibus Mathematici ac Experimentatores induſtriam ſuam ingeniique acumen exercuere. Etſi autem is veneretur merita illuſtris *Newtoni* in ſcientiis Phyſico-mathematicis, hoc tamen non obſtante *Leibnitianam* virium menſuram aſſumſit, & ſententiæ communi, quam tuetur *Newtonus*, tuentur cum eo viri in Gallia & Britannia doctiſſimi, valedixit, utut eandem & ipſe docuerat. Novam doctrinam non aſſumſit, niſi poſtquam experimenta *Poleni* atque *Graveſandi* omnia ipſe inſtituerat, demonſtrationes maxima cum ſollicitudine examinaverat, & Gallorum atque Anglorum argumenta pro contraria ſententia ſimul perpenderat. Experimenta enim iſta tam manifeſto evincere virium menſuram *Leibnitianam*, ut illis ſubſcribere teneamur, niſi apertiſſimis contradicere ſtudeamus: difficultatem, quam faceſſunt Galli atque Britanni, illico evaneſcere, ſimul ac preſſiones a viribus corporum vivis probe diſtinguantur. Ceterum cum in uſum Auditorii conſcripſerit Cl. Autor libellum, theoremata abſque demonſtrationibus proponit. Demonſtrationes viva voce Auditoribus tradit: nihil vero demonſtrat, quod non etiam ope experimenti ad oculum exhibeat confirmetque.

CLAVIS ASTRONOMIÆ, SIVE ASTRONOMIÆ pars phyſica; Autore PETRO HORREBOVIO, Philoſophiæ & Medicinæ Doctore, atque in Univerſitate Regia Havnienſi Aſtronomiæ Profeſſore.

Havniæ, ſumtibus Autoris, 1725, 4.
Plag. 16 Tab. æn. 1.

PAlmarium hujus Tractatus argumentum eſt ratio indagandi parallaxin Solis, qua data omnium planetarum primariorum pa-

parallaxes facile cognoscuntur. Quoniam itaque parallaxeos notitia maximi in re astronomica usus; ideo doctissimus Autor Clavis Astronomiæ nomen eidem imposuit. Pendet methodus ab hypothesi physica, quam ideo Noster præmittit. Tantam methodi exactitudinem prædicat, ut parallaxin Solis tot seculis totque modis quæsitam intra semissis secundi minuti errorem certo innotescere confidat. Hypothesis Cl. Autoris physica huc redit. Deum in principio produxisse materiam lumine destitutam, ad vitri materiam fere accedentem, omnisque motus expertem, quam ideo ***elementum umbræ & elementum passivum*** vocat. Mox creasse materiam lucidam & perenni virtute ac motu præditam, quam ***elementum lucis & activum*** atque ***materiam actuosam*** appellat. Elementum activum motu continuo ad motum incitare passivum, atque hinc prodire rerum materialium phænomena. Hæc manifesta Cl. Autor esse arbitratur ex historiæ creationis *Mosaicæ* primis verbis. Materiam vero passivam proxime ad vitrum accedere existimat, quod, fatentibus Chymicis & testantibus experimentis speculorum causticorum *Tschirnhusianis*, omnia fere corpora in vitrum reduci possint. Materiam actuosam passivæ immissam ejus partes adeo agitasse, ut singulæ divellerentur ac liquescerent, & ista rursus recedente in minutissimos globulos vitreos & perfecte elasticos, atque intus cavos, sed inæqualis molis ac densitatis concrescerent, ætherem magnamque aeris partem constituentes. Alios pro ratione magnitudinis sortitos esse cavitates majores & crustas tenuiores facileque complicabiles, qui sint vapores magnam aeris partem absolventes, compressi autem & materia actuosa orbati in aquam abeant. Denique aeri esse particulas proprias striatas ac spirales & salinis quoque particulis imprægnari. Ex materia luminosa in cumulos collecta prodiisse corpora lucida, quæ circa axem motu vertiginis agitata materiam inertem circa ea fluidam in gyrum rapiant: unde vortices oriantur, quorum motus in vicinia corporis lucidi velocior, in remotiori distantia tardior. Massulas terrestres cum aqueis sacculis, striis aeris & spiculis salinis ad motum vorticum majorum ineptas in minores injectas & a materia actuosa in majores massas coactas fuisse, quæ in crustas vitreas parvorum materiæ actuosæ cumulorum a materia actuosa pro-

 stratæ

ſtratæ planetas efformarint. Hac hypotheſi tradita, Cl. Autor ex *Newtoni* atque *Hugenii* inventis determinare docet longitudinem penduli unum minutum ſecundum in diverſis limitibus circulantis & Tabulam ad ſingulos latitudinum gradus computatam exhibet, in qua longitudo ſub æquatore eſt pedum 3 linearum 6. 823; ſub polo pedum 3 linearum 9. 881. Commendat cum *Hugenio* pro menſura univerſali pedem horarium, quæ eſt tertia pars penduli unius ſecundi. Et quoniam Cel. *Wolfius*, quem ob merita ſua *Archimedem Germaniæ*, plaudentibus iis, qui pretiis ſuis momenta ponderant, ſalutari ait, monet, menſuram hanc fore perpetuam, niſi forte iisdem in locis intra amplum temporis intervallum, veluti aliquot ſeculorum decurſum, mutetur gravitas; igitur rogat Societatis Regiæ Pariſienſis membra, ut modulum pedis Pariſienſis eundem diligenter ſervent, ad cujus fidem hanc quæſtionem exigat deinceps ſera poſteritas. Refert, *Ræmerum* pendulum non intra ſemicycloides, ſed ex tenui lamella orichalcica in obſervatoriis ſuis ſuſpendiſſe, eodem prorſus cum ſucceſſu, quem *Hugenius* expertus. Figuram Telluris *Newtonianam* probat &, cum in eadem nucleum igneum concipiat, craſſitiem cruſtræ terræ ſub polis ad eandem ſub æquatore determinat ut 288 ad 289. Motum vorticis magni circa Solem eum eſſe ſtatuit, ut tempora periodica partium fluidi ſint reciproce ut quadrata diſtantiarum a centro; contra materiæ actuoſæ hunc eſſe motum, ut tempora periodica partium ſint ut ipſarum diſtantiæ ab axe ſphæræ. Quamvis vero vortices ex globulis æthereis compingat, ſpatia tamen inter eos relicta materia actuoſa repleri, quæ ſecundum ipſorum vorticum directionem moveatur. A duplici hoc duplicis materiæ in vortice ſolari motu deducit, quod planetarum velocitates ſint reciproce in diſtantiarum ratione ſubduplicata. Materiam actuoſam, quæ celerem admodum in ſuperficie Solis, Jovis, Telluris &c. revolutionem abſolvit, vocat brevitatis gratia *Hermetem Solarem, Jovialem, terreſtrem* &c. Determinaturus Hermetis ſolaris revolutionem, ſumit ſemidiametrum Solis apparentem ex *Ræmeri* atque ſuis obſervationibus in diſtantia media 16' 8": unde ſemidiameter Solis vera 469. 29 iſtiusmodi partium reſultat, qualium media Telluris a Sole diſtantia eſt 100000. Quodſi ergo ſemidiameter Solis

Solis ponatur 1, reperietur media Telluris a Sole distantia 213. 086 semidiametrorum solarium. Triplo hujus logarithmo a revolutionis annuæ Telluris, quam cum *Keplero* 525 949' facit, logarithmo duplo subtracto, ex semisse ejus, qui relinquitur, revolutionem *Hermetis solaris* circa æquatorem Solis colligit 169. 09 minutorum primorum, sive 2 h. 49' 5". Hermetem solarem constituit Uranometram & a duplo Logarithmo revolutionis planetæ subtrahit duplum logarithmum Hermetis solaris, residui enim triens est logarithmus distantiæ planetæ a Sole in semidiametris solaribus. Hac ratione reperit distantiam mediam Mercurii a Sole 82. 487, Veneris 154. 133, Telluris 213. 086, Martis 324. 671, Jovis 1107. 982, Saturni 2030. 933 semidiametrorum solarium. Deducit hinc porro semidiametrum apparentem Solis pro distantia media in Mercurio 41'. 41", in Venere 22'. 18", in Tellure 16'. 8", in Marte 10'. 35", in Jove 3'. 6, in Saturno 1'. 41½". Ex distantia Satellitis intimi Jovialis ab ipso Jovis centro 5. 667 semidiametrorum Jovialium & revolutione ejusdem 2547. 57 minutorum primorum eruit, ut ante, *Hermetis Jovialis* unam revolutionem in æquatore Jovis 188. 84 minutorum primorum, id est, 3 h. 8' 50", atque hinc porro posita diametro Jovis 1, distantiam Jovialis penintimi a centro sui primarii 9.017, penextimi 14.385, extimi 25. 301 semidiametrorum Jovis. Hisce præmissis opus tandem arduum aggreditur determinandi accuratius parallaxin Solis, quam hactenus ab aliis fieri potuit. Cum 1) juxta *Hugenium* in Horologio oscillatorio grave perpendiculariter e quiete demissum tempore unius minuti secundi in vacuo percurrat 180. 99 uncias pedis Parisiensis, secundum *Hermannum* in Exercit. Francof. Tom. I sect. 1 p. 125 idem in aere emetiatur 177. 13 uncias ejusdem pedis, sint autem spatia descensus perpendicularis gravium intra minutum secundum temporis ad se invicem ut perpendicula, quorum oscillationes minutis secundis respondent, & ex observationibus *Riccioli* in Almagesto relatis longitudo penduli in aere sit Parmæ, ubi altitudo poli 44°. 44'. 50", 440. 337 linearum Parisiensium; primo longitudinem penduli simplicis in vacuo ibidem reperit 449. 944 lin. Paris. Argumentatur nimirum, ut spatium gravis perpendiculariter cadentis in aere 177. 13 ad idem in vacuo 180.99, ita longitudo penduli simplicis minutum

 secun-

secundum in aere metientis 440. 337 ad ejusdem longitudinem in vacuo 449.944. Hinc porro 2) eruit semissem revolutionis Hermetis terrestris, vel tempus oscillationis penduli simplicis in vacuo, cujus longitudo semidiametrum telluris adæquat, inferendo: ut longitudo penduli unius scrupuli secundi 449. 944 lin. ad semidiametrum Telluris 19 69 55 39 X 144 lin. ita quadratum unius scrupuli secundi ad quadratum semissis revolutionis Hermetis terrestris, quæ adeo 2511 min. sec. sive 41. 85 primorum. Quoniam 3) jam semidiameter Telluris est ad semidiametrum Jovis in ratione duplicata semissis revolutionis Hermetis terrestris ad semissem revolutionis Hermetis Jovialis, posita semidiametro Telluris 1 & supposita ex calculo superiori revolutione Hermetis Jovialis 188. 84, reperit semidiametrum Jovis 5. 0902 semidiametrorum terrestrium. Cum 4) distantia satellitis extimi a centro Jovis sit 25. 301 semidiametrorum Jovialium, eadem nunc porro invenitur 128. 785 semidiametrorum terrestrium. Quia 5) elongatio maxima heliocentrica satellitis extimi Jovis ab ejus centro in mediocri Jovis ejusdem a Sole distantia a Cel. *Hallejo* observata fuit 8 scrup. prim. 21½ sec. junctis centris Solis, Jovis & Satellitis lineis rectis in triangulo ad Satellitem rectangulo præter latus inter ejus & Jovis centrum interceptum datur angulus ad centrum Solis 8. 21½ ac inde invenitur distantia mediocris Jovis a Sole 52971. 3 semid. terrestr. 6. Per anteriora distantia mediocris Solis a Jove est 1107. 982 semid. solarium & distantia mediocris ejusdem a Tellure est 231. 086 semid. solar. Quare distantia media Solis a terra est 10187 235 semid. terrestrium. Unde tandem 7) colligitur parallaxis horizontalis Solis 20 minutorum secundorum. Monet Cl. Autor, se problema multifariam mutatis, quæ nunquam mutari posse ipsi visa sunt, tentasse, sed calculum semper ad 20 secunda recidisse, nunquam ad 19 descendisse, nec ad 21 ascendisse. Quoniam tamen sperat, longitudinem penduli simplicis in vacuo & nonnulla alia paulo aliter scrupulosiore geometrico rigore determinari debere; tractationem de arduo parallaxeos solaris negotio verbis *Kepleri* ex ejus Commentario de stella Martis p. 197, 293 fuit: *Quia hac ætas præstantissimos habet Geometras, qui interdum in rebus non ita manifesti usus desudant diutissime; appello omnes & singulos, ut hic*

me juvent. Interim dum alius quiſpiam hanc (ſcrupuloſius) invenerit & adornaverit, oportet nos hac eſſe contentos. Eadem methodo ingenioſiſſimus Autor parallaxin Lunæ horizontalem reperit 56 min. 52 ſec. Exhibet deinde primas circa ſcientiam parallaxium curas, quæ dedere revolutionem Hermetis terreſtris 84. 40, Hermetis vero Jovialis 188 84, ſemidiametrum Jovis 5. 0062 ſemid. terreſtr. ex ſemidiametro apparente Jovis acronychrii 24" mediam ejus a Sole diſtantiam 43023 ſemid. terreſtr. ſemidiametrum Solis 10244 ſemid. terreſtr. tandemque parallaxin Solis 20 ſec. ut ante. Nactus obſervationem *Hallejanam*, quæſivit diſtantiam extimi Jovialis a centro Jovis eamque tum reperit 126. 66 ſemid. terreſtr. ac inde porro mediam Jovis a Sole diſtantiam eruit 52095. 5 ſemid. terreſtr. Hinc denuo prodiit parallaxis ex reperta diſtantia media Solis a terra 10187. 235 ſemid. terr. 20 ſecund. Tandem cum anno 1718 d. 19 Febr. cum adminiſtro ſuo *Nic. Krogio* maximam extimi ſatellitis Jovialis ab ipſo Jove elongationem obſervaſſet 42 ſec. temporis, & fide tabularum ſuarum ſolarium & Jovialium intervallum in arcu reperiſſet 9'. 45" ſuppoſita per antecedentia diſtantia Satellitis extimi a centro Jovis 128. 785 ſemid. terreſtr. Jovis a terra diſtantiam mediam determinavit 45410 ſemid. terr. unde deduxit diſtantiam telluris a Sole tempore obſervationis, quo Sol perigæo ſuo propior erat, 10095. 5 ſemid. terr. Inde denuo reſultavit parallaxis 20 ſecundorum.

CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI Poecile ſive Epiſtolæ & Diſſertationes miſcellaneæ.

Tomi II, Liber II.

Halæ, in officina Rengeriana, 1726, 8.

Pl. 13.

Diſſertatione *prima* in duo poſteriora *Hiſtoriæ Ruthæ* capita (nam priora duo libro tertio Tomi primi illuſtrata fuerant,) exhibentur annotationes, præmiſſo judicio de octo reliquis in hunc librum Commentatoribus, quemadmodum de ceteris ſuperiore loco ſententiam ſuam dixerat Cl. Autor. Ex iſtis annotationibus

nibus pauca hæc excerpimus. *Pag. 159* inesse archaismum statuit in duobus verbis Hebraicis, quibus contra leges grammaticas *jod* annexum erat, cujus rei causam dari non posse, censuerat Cl. Carpzovius. *P. 160* vocem מַרְגְּלֹת, vulgo quam reddunt *pedes*, interpretatur *stragulam*, putatque, Rutham se recepisse in lectum Boasi, ejusque se non pedibus, sed lateri applicuisse. *P. 165* observat, Capitis quarti versum septimum posteriori tempore insertum fuisse. Sub finem examinat Græcam hujus libelli versionem, docens (1), eum interpretem nimis religiose exprimere verba Hebraica, & verbum verbo reddendo fieri multis locis obscurum; (2) eum usum fuisse codice Hebraico notis vocalium carenti, & hinc vocibus nonnullis subjecisse vocales alienas, unde falsus nascatur sensus.

Diss. II, postquam ostendit, plures acutissimos Viros subscripsisse suæ sententiæ, qua sub nomine *Palingenii* statuerat latere M. Ant. Flaminium, epistolam producit Cl. Facciolati, qua is docet, verum Palingenii nomen fuisse *Petrum Angelum Manzollum*. De quo ut plura & certiora tradat, Facciolatus rogatur *Epistola tertia*. *Quarta* aliquot particulas Latini sermonis, in Tursellino Schwarziano omissas exhibet & illustrat, e. g. *cum maxime*, de cujus variis sensibus copiose differit, ac simul tribus veterum scriptorum locis eam reddit, unde librariorum culpa exciderat. *Diss. V* apophtegmata aliquot proferuntur tanquam specimina eloquentiæ acutæ. *Sexta* aliquot vocum Germanicarum etymologicæ origines exhibentur, & quidem primo loco vocis *Wester-Hembde*, quæ crucem fixerat pluribus magni nominis etymologis. *Septimo* loco *octavoque* prodeunt *Electa epistolica*, hoc est, excerpta notatu digniora ex epistolis ad Berneggerum datis a Rittershusiis, Remo, Colero, Venatore, Forstnero, Sebizio, Vechnero, Virdungo, Ruaro, Robertino, Rauschero, Vedelio, Kepplero, Dav. Clerico, aliisque; hinc ex epistolis Berneggeri ad Jac. Gothofredum, Jo. Val. Andreæ, Casp. Hoffmannum, Ged. Remum, Dan. Heinsium, Casp. Barthium, Mart. Opitium, Gruterum, Luc. Osiandrum, Metrophanem Critobulum, Schickardum, Kepplerum, Ehingerum, Vossium, Virdungum,

atque

atque alios. Facile intelligitur, hic reperiri plura de libris scriptoribusque judicia, nec pauca historiam illustrantia literariam. Ceterum volumina illa, ex quibus ista sunt depromta, possessorem habent illustrem in orbe literato Virum, *Uffenbachium*. *Nona* Dissertatione nomen *Christophori*, vulgo male intellectum, explicatur, doceturque, id perperam reddi solere *Christiferum*, cum medio demum ævo effictum ex usu illius ætatis significet hominem *Christi spiritu animatum*. Denique *Dissertatione decima* de fato uxoris Loti disputatur admodum copiose, rejectaque opinione de ea in statuam salinam mutata, docetur, sacrum historicum nihil aliud dicere, quam *eam ex itinere cum marito montem versus suscepto rediisse Sodomam versus, atque ita eodem modo, quo Sodomæi, pluvia sulphurea obrutam periisse*. Quæ præterea afferuntur ad tollendum, quicquid huic sententiæ opponi potest, & ad illustrandam infelicis illius fœminæ historiam, brevitatis studiosi præterimus. Ceterum ignorare nolumus Lectores nostros, Celeb. Autorem, nostrum in colligendis Actis his a multis annis in hunc diem Collegam indefessum, nuper admodum alteram vulgasse *Conspectus* sui *Reipubl. Literariæ sive Viæ in Historiam Literariam* editionem, subinde, iis maxime, quæ a prima editione in Rep. Literaria gesta sunt, multum auctam; cui etiam, aliorum exemplo, lucubrationum suarum Catalogum addidit, unde discimus, Virum laboriosissimum præter libros majoris momenti sedecim, Dissertationes & opuscula alia, non computatis minutiis, edidisse centum & triginta. Nec illud facemus, eum, si vita superstit, quam ex animo precamur longissimam, in sequenti editione pro compendiolo, quod vocat, justum Historiæ Literariæ Compendium daturum.

BIBLIOTHECA BIBLICA, BEING A COMMENTARY upon all the Books of the Old and New Testament.

i. e.

COMMENTARIUS IN SINGULOS libros Veteris & Novi Testamenti.

Oxonii, in Theatro, sumtibus H. Clementis, 1717-1725, 4.

Alph. aliquot.

Commentarius hic anno 1717 inceptus feliciter huc usque continuatur, Autore doctissimo *Samuele Parkero*, *Samuelis*, Episcopi quondam Oxoniensis, cujus præter egregium de Deo Hujusque Providentia librum, alii Anglice scripti exstant, filio. Hujus autem institutum est, præstantiores quasque interpretationes in S. Codicem exstantes, ex genuinis Patrum & Historicorum Ecclesiasticorum scriptis Conciliorumque collectionibus, quæ usque ad A. C. 451 & forte ulterius producuntur, in summam conferre, atque hoc modo sensum Scripturæ tum literalem, tum allegoricum, tum moralem indagare. Eum itaque in finem contextum Scripturæ Sacræ, Anglice in folio medio repræsentatum, annotationibus Patrum, Anglice itidem conversis, cingit, allegatis illorum, qui in eandem interpretationem consentiunt, nominibus. His vero in inferiore margine subjiciuntur ipsius Autoris observationes nunc breviores, nunc longiores, prout loci illustrandi conditio postulat. Præterea vero singulis Codicis sacri libris præmittuntur dissertationes, quæ de auctoribus eorum, imo & librorum ipsorum instituto & ratione, ex præstantissimis quibusque Scriptoribus exponunt. Hinc inde vero inseruntur aliæ observationes longiores, ubi forte singularis illas elaborandi occasio se obtulit. Singulis annis XII destinantur fasciculi, qui totidem mensibus respondent, quamvis ipsum tempus non adeo sollicite observetur. Commentarius itaque in *Genesin* A. 1717 inchoatus, definit in Fasciculo VI pro anno 1720 & absolvitur foliis 981, non computatis Indicibus variis. Præfixus illi est Index Scriptorum veterum, quibus doctissimus Autor usus est, non neglecto editionum judicio. Volumen II super *Exodum*, constans foliis 448, clauditur Fasciculo III pro anno 1722. Vol. III super *Leviticum* finitur Fasciculo XII pro anno 1723 & habet folia 387. Volumen IV libro *Numerorum* destinatum est, ubi Fasciculus VIII pro anno 1724 in capite XVI acquiescit & ad p. 176 deducitur. Plures fasciculi nobis hactenus non sunt conspecti, ultimus autem ille A. 1725 lucem vidit.

Consilium diligentissimi Autoris nemini non se probabit, qui nascentis Ecclesiæ doctores in interpretanda Scriptura consulendos omnino esse, prudenter existimat. In diversis autem illorum expo-

expositionibus colligendis ita versatus est, ut non minus fidem, quam bonum ordinem, quoad ejusmodi tractandi ratio patitur, observare se voluisse ostendat. Subjectæ annotationes eruditionem Autoris & judicandi dexteritatem produnt. Utraque fere imprimis e dissertationibus prooemialibus & observationibus, quas vocat, *occasionalibus* elucet. Dissertatio I, commentario in Genesin præmissa, ex *Huetii*, *Allixii*, *Kidderi*, *Jenkinsii*, *Is. Vossii*, *Frid. Spanhemii*, *Dupinii*, aliorumque commentationibus, huc spectantibus, Pentateuchum *Mosi* vindicat per paginas 90. Super Genes. I, 30 legitur observatio *de vita vermium* p. 112-114. Eam excipit alia de *arbore vitæ* p. 128-130, item de *arbore scientiæ boni & mali* p. 130-132, de *Semine mulieris* p. 151-152, de *δυσοκίᾳ* feminarum præ aliis animalibus p. 152-158, de conceptione & nativitate Caini p. 171, 172 &c. Ex his manifestum est, Autorem præstantiora & difficiliora argumenta curatiore commentatione persecutum esse. In calce commentarii super *Leviticum*, leguntur *Augustini Calmeti* dissertationes super Genesin, Gallice ab eo scriptæ, heic vero Anglice conversæ, & nunc quidem integræ, nunc in compendium redactæ. Nos quidem ut diligentissimo Autori insigne hoc doctrinæ & industriæ specimen gratulamur, ita prosperos successus ad totum opus, quod destinavit, perficiendum ex animo precamur.

JOANNIS GEORGII WALCHII, THEOL. D. & P. P. Primitiæ Sacræ Jenenses.

Jenæ, sumtu Viduæ Meyeri, 1726, 4.
Alph. 1 pl. 14.

S. R. Autor, qui ab aliquot annis in Salana Eloquentiæ Professor Ord. fuit, haud ita pridem etiam axioma Professoris Theol. extraordinarii est indeptus. Hinc Primitiarum S. titulus, hinc & ei hæc scribendi subnata est occasio. Primum locum occupat Progr. ad orationem solennem, qua Prof. Theol. munus est auspicatus. Est autem Isagoge ad studium Theologicum ex Epistolis Paulinis. Hic Theologiam describit ex loco *Tit. I, 1*, quod sit cognitio veritatis secundum pietatem, & nequaquam concedere

p. 6. vult, ut κατὰ de fine intento exponatur, vel ut, qui vera fide non
5. est præditus, Theologi veri nomen sibi tribuat. In Theologia exe-
7. getica commendat analogiam fidei veluti unicam normam, & eos
rejicit, qui interpretationem S. Scripturæ ad rationis vel Patrum
normam exigere malunt. Cum Theologiam dogmaticam tangit,
simul Pauli assertum, quod ratio sit captivanda, erudite vindicat.
15 seq. Theologiæ polemicæ necessitatem probat, & λογομαχίας devi-
tandas leviorisque momenti controversias prudenter tractandas,
censet, adque hanc ultimam classem controversias inter Episcopa-
19. les & Presbyterianos in Anglia revocat, ac ad Cel. Buddei, Mos-
hemii & Joh. Fabricii scripta suos remittit lectores. Theologiæ
moralis indolem ex *1 Timoth. IV*, 7 sistit, & de eloquentia S. non-
nihil addit. Sequitur ipsa Oratio de incrementis, quæ nostra
38. ætate studium Theol. cepit, ubi perbene monet, quod Theo-
logia in se nec augeri nec minui queat, ratio vero solum Theolo-
giam tractandi emendata fuerit, cum Scholasticorum tricæ reje-
ctæ, meliora autem præsidia allata, novaque argumenta inventa
fuerint, ac tandem partes disciplinæ Theol. separatim pertra-
ctari ceperint. Ad singulas vero Theol. partes descendens,
44. Theologiæ theticæ incrementa indicat, quod ex Historia do-
ctrinæ conservatio & propagatio fuerit commonstrata, & omnia
ad pietatem applicata. In Theol. Polemica hæc notat incrementa,
quod regulæ accuratæ fuerint præscriptæ, quomodo hoc studium
sit exercendum, & quam accurate in adversariorum opiniones de-
beamus inquirere. Quibus commodis inter alia annumerat, quod
libri prostent, qui controversiarum historias promunt. Cum
etiam nostrorum in Theologia Morali excolenda prædicasset in-
dustriam, ad ea se confert, quæ ex aliis disciplinis hodie floren-
tibus in Theologiam quasi influunt. Programma deinde ad lecti-
ones in libros Symbolicos instituendas auditores convocat, & de
solida horum librorum interpretatione ex Historia agit, demon-
strans simul, quid præsidii historia Eccles. conferat ad expositio-
60 seq. nem Symboli Apost. Nicæni, ac Athanasiani, nec non Concilii
83 seq. Tridentini & Synodi Dordracenæ. Inseritur postea Cel. Buddei
Programma, quo Walchianas recitationes solemnes de gratia
universali, & disp. auguralem indicit, quod magno eruditionis
appa-

apparatu de Conciliis Lateranensibus, rei Christianæ noxiis, conscriptum est, ac tot curiosis observationibus refertum, ut difficile foret, vel unam ceu præstantiorem inde excerpere. Sequitur Wal- p. 115 seq.
chiana disp. de veritate Evangelicæ religionis Pontificiorum calumniis confirmata, quæ ad imitationem Buddei & Antonii, quorum ille ex gentilium, hic ex Judæorum calumniis religionem Christianam confirmavit, cum cura congestas calumnias exhibet, quibus adversarii Lutherum & Lutheranos prosciderunt, luculenter hic refutatas, unde facile de Ecclesiæ nostræ veritate constare potest.
Ultima Dissertatio, pro gradu Doctoris impetrando doctorum dis- 179 seq.
quisitioni proposita, Acta Pauli Philippensia e Lucæ commentariis descripta atque illustrata complectitur, quæ uti magnum ubique ostendit eruditionis apparatum, ita subinde quoque controversias de vocibus nonnullis inter eruditos motas tangit; cujus rei unum alterumque exemplum producemus. Quare Philippi di-
cuntur πρώτη τῆς μερίδος, τῆς Μακεδονίας πόλις, κολώνια, quid 188.
προσευχή, quid purpura, quid σεισμός, quinam ῥαβδοῦχοι, qua- 192 seq.
leque fuerit jus Pauli civitatis Romanæ, hic expositum leges. Fuse vero & erudite inquiritur in conversionem Lydiæ, cui hoc no-
men ut proprium vindicatur: item in ejectionem spiritus vatidici 202 seq.
ex ancilla, qua occasione de πνεύματι πύθωνος disputatur, 235 seq.
præcipue contra Ant. van Dalen. Ex his vero & similibus in his Philippensibus Pauli actis occurrentibus palmariis momentis Theologiæ haud pauca deducuntur capita, ut de gratia præveniente, conversione, justificatione &c.

RARI AC PROPE INAUDITI EX UTERO Morbi Historia una cum necessariis medicis animadversionibus, a PETRO ANTONIO MICHELOTTO Venetiis quarto Kalend. Quinctil. 1726 perscripta.

EX Utero potissimum fœminis diversa vehementiaque mala nasci, & experientia notum, & a Græciæ principe Medico Hippocrate animadversum est. Per diuturnæ & haud vulgaris nervorum in Splendidissima Muliere distensionis Observatio-

nem cum Luca Schröckio, Celeberrimo hoc tempore Augustæ Vindelicorum Medico, & A. N. C. meritissimo Præside, hos ante quatuor annos communicavi. Impræsentiarum insolitæ, pene incredibilis, & nisi me amor negotii suscepti fallit, in omni Medicinæ parentum cum Græcorum, tum Arabum memoria inauditæ ex Vulua ægritudine historiam legentibus sisto.

Judea virgo duos & viginti annos nata, cui Riccam parentes Caravalci cognominati dixere nomen, hos ante quinque & viginti menses in morbum incidit suppressæ ex tristibus animi affectionibus menstruæ purgationis: inde primum angina, tum, interposito aliquo tempore, rheumatismo; deinde sinistri lateris dolore per hyemem correpta, sanguinis ex brachiis pedibusque detractione, aliisque idoneis medicamentis, a spectato, qui assidebat, Medico, Moyse Codeno, præscriptis, curatur. Manente vitio mensium suppressionis cum vehementi ventris inflatione mœroreque, crebro difficilique spiritu, concitatarum arteriarum pulsibus, continuisque musculorum ad brachia pertinentium sed exiguis tremoribus, medicamenta mulieribus hysterico morbo fere exanimatis præberi solita, & nominatim remedium, cui uterino elixiri nomen autor Crollius imposuit, data. Sub eo auxilio singultus, & cujuslibet generis, sive solidorum sive fluidorum alimentorum, vomitus exortus est: adversus quem medicamentorum tum opiatorum, tum stomachicorum usus cum frustraneus esset, quem modo laudabam, Medicus diffisus reliquis præsidiis, ad gelidas ex aqua, in qua modo subacidorum cerasorum, modo fragorum, modo Limoniorum malorum succus cum modica sachari portione solutus erat, potiones prudenter confugit: quibus in stomachi resolutione, vomitum, neque calidis, neque anodynis remediis cedentem, conjunctum habente, a me quoque prospero successu non semel adhibitis, consecutus quidem est, ut Ægra & retinere & coquere cibos posset, non tamen ut reliqua mala remitterent: ad quæ ineunte autumno anni MDCCXXIV rerum omnium, sive cibi, sive potus, sive medicamenti speciem obtinentium, insigne fastidium, urinæ suppressio, inexpugnabilisque alui adstrictio accessere. Eo tempore emollientia olea aliaque medicamenta ducendæ alvi causa in anum

per

per clysterem infundebantur, quæ quum repellerentur, desperatis pene rebus, nutrientia quoque juscula ex capo, gallinaceis pullis & recentium ovorum vitellis in ultima intestina (ex quibus etiam lactea vasa oriri, non esse negandum, summus nostræ ætatis Professor J. B. Morgagnus apprime animadvertit) semel atque iterum de die injicere, tentatum est. Verum enim vero, sive postremo Coli tractu, & fortasse continuati etiam Recti magna parte, ob inclusorum flatuum copiam reliqua intestina, comprimente & peritonæum vehementius distendente (quod verosimilius hoc in casu mihi videtur) ad dextrum sinistrumve infimi ventris latus compulsis, atque ad id arcte appressis: sive illis ipsis intestinorum partibus ob valentissimas nervorum, ad thoracis ac ventris viscera pertinentium, quibus Ægra impræsentiarum quoque vexatur, distensiones maximopere contractis renitentibusque: neque reficientia, quæ dicebam, clysmata admitti poterant. Ita affectam, ita conflictatam nulla edendi aut bibendi, nulla mejendi, nulla dejiciendi cupido cepit: Sorbilia, calida tepentiave juscula, cujusvis generis vinum, gelidæ potiones etiam ex cioccolata, lac mistum cum sacharo vel frigidissimum: hæc, inquam, atque horum similia, aut ex toto in fastidio erant, aut reficiendarum virium causa, non ex appetitu, interdum assumpta, protinus reddebantur. Anni tempore verno acutissimo sinistri lateris dolore prehenditur: alii Medici ad consilium adhibiti sanguinem, ad eum levandum, pondo circiter unciarum trium ex respondente pede, jacenti, morbo longissimaque abstinentia confectæ mittere, non verentur: ipso dolore per istiusmodi anceps auxilii genus, sub quo vires haud multum admodum labefactari visæ sunt, sublato, sanguinis paulum tussi ejicitur. Post hæc singultus, seu potius quidam vomendi conatus, per quem humor, colore subobscuro odoreque urinæ ad longum tempus in ischuria retentæ persimilis, sæpius evomebatur, subortus est; qui sine medicamentis brevi postea cessavit. Subsequente æstate, sive raptim mutatione morbi aliqua ex parte in contrarium facta, sive blandis assidentis Matris, alia atque alia pro cibo & potione offerentis, monitis sollicitationibusque, tandem decumbens Filia commota, modo tenuem ex citreis malis aquam, modo liquorem ex

ex ſubacidorum ceraſorum cum melle ac vini ſpiritu, fermentato ſucco (*Wiſna* vulgo hic appellatur) ad cochlearia aliquot haurire cœpit: atque cum his quidem liquoribus continuavit, donec ad medium circiter Octobrem anni proxime exacti, quo, conſtrictorio ventriculi motu ſurſum verſus cum atri fere humoris vomitu reverſo, nec cibos, nec potiones, nec remedia aſſumere poterat, perventum eſſet. Quum eam tum una cum curante Medico viderem, ut memoratum ventriculi motum remedio liquidi Helmontiani Laudani ex ſtillatitia citrei mali aqua ad ſeptem octove guttas exhibere, & pergelidam ex capi ſucco, citrei mali corticis odore imbuto, certaque ratione cum ſacharo miſto, ſorbitionem pro cibo offerre tentarent, ſuaſi. Sed ne hæc quidem retinuit. Nihilominus tamen intra octo dies, quibus, mente jam turbata, brachia & crura inæqualiter diſpergens, ſeque huc illuc violenter interdum convertens, modo obdormire, modo triſtibus veluti exterrita imaginibus ejulare videbatur, ventriculus ex toto conquievit: atque ita quidem, ut & aquam, & liquorem, de quibus mentionem feci, continere octavo die poſſet: poſt quod tempus mentis quoque turbatio ac terrores remoti ſunt, & ventris diſtenſio, tametſi interim neque fæces, neque urina emitterentur, paululum imminui viſa eſt. Silentio hic præterire non decet, duobus circiter menſibus, antequam admirandi hujus morbi hiſtoriam perſcribere inciperem, Ægram & eodem lateris dolore denuo prehenſam & ab eo, ſanguine ad duas tresve uncias ex brachio dolenti lateri reſpondente extracto, cito liberatam eſſe. Verum hoc illud eſt præcipue ſcitu neceſſarium, ipſius Ægræ, quæ a Septembri menſe MDCCXXIV in præſens tempus vitam ſine omni quidem cibo, & menſes decem ſine omni fere potu tranſegit, corpus neque ex toto languere, nec notabiliter emarceſcere: quanquam inſignis ſeri ſanguine tincti copia tum ex pede, tum ex brachio, ſummæ quoque cutis lymphæ ductibus, ſcalpello in ſanguine mittendo laceratis, cicatriculisque (quarum ea, in lævo brachio in profundum ulcus verſa eſt) tardiſſime, forſitan ob malum corporis habitum, conſolidatis, quotidie per longiſſimum tempus manaverit.

Facies impræſentiarum quoque colore eſt quidem fere naturali;

rali prædita eſt; at vero eam cum reliquo corpore neque in modum, quemadmodum ante hos tres menſes videbatur (diſtendente ſcilicet tunc aere, ex omnium pene corporis capillarium arteriarum cruore, animalium ſpirituum cuneolis, quam ſanis hominibus eſſe debent, acutioribus pulſo, atque muſcularium fibrarum interſtitiis, inviſibilibusque cutis foraminibus intercluſo) naturaliter ali, cutis cum ſubjectis muſculis ubique locorum, præterquam in abdomine, quæ aliquantum collapſa exiſtit, clare oſtendit: cuncti ſenſus, ſi unum tactum, qui una cum motu in dextro femore & crure hebes eſt, excipias, vigent; vigor animi nequaquam obtuſus; ſupinum corpus ſemper, viribus muſculorum proſtratis, jacet; ventriculus præcordiaque cum reliqui imi ventris magna parte, & vehementer extenſa ſunt, & ad tactum leviter ſonant; perſiſtit quidem menſtruorum, & urinæ ſuppreſſio, verum tamen nulla omnino urinariæ veſicæ intumeſcentia manu percipitur; venter ne ſpiritum quidem per inferiores partes reddit; neque cibi, neque potus cupiditas ne nunc quidem adeſt; attamen cremoris ex contuſis dulcibus amygdalis cum aqua ex citreo malo expreſſi paulum ſic affectam, a Matre aſſidue rogitatam, ſollicitatamque ante hos undecim menſes per diem noctemque, deguſtare cœpiſſe, idque nunc quoque continuare, certiſſimum eſt: nullus quidem ſudor, præterquam in palmis manuum pedumque plantis, neque interdiu, neque noctu oritur: verum tamen oleagineam quandam materiam ex ſebaceis univerſæ ferme cutis glandulis excerni, cum ex totius pene corporis graveolentia, tum præcipue ex unctuoſa illa forditie, quam ſuis induſiis inhæreſcere, Ægra hactenus ſe obſervaſſe, mihi retulit, certo conſtat: nullus fere ex naribus mucus; nulla pene ex ore ſaliva emittitur; difficillimus ſomnus eſt; corripit interdum quidam frigoris ſenſus; ſæpe ventriculi, ſæpius capitis dolor torquet; brachiorum, manuumque muſculi in dextra præcipue parte continuo contremiſcunt; crebra, difficiliſque reſpiratio eſt: coagitantur ſemper cum corde arteriæ; triſtitia ſæpe quidem infeſtat; interdum tamen hilaritas adeſt; nutrientia autem clyſmata in rectum inteſtinum injecta, ut protinus repelluntur, ſic cujuscunque generis & alimenta & medicamenta vi deglutita

ex templo etiamnum redduntur. Veruntamen illud ignorare non oportet, acidulæ aquæ ex Fonte Lælio Recobarii apportatæ cyathum unum alterumve, menſe circiter, antequam huic hiſtoriæ finem imponerem, potui datum, ventriculum retinuiſſe, eoque tempore Ægram urinam obſcuri coloris exigua (quod tamen & proxime præterito anno, quo ne guttam quidem illius mineralis aquæ aſſumpſit, non ſemel accidit) quantitate reddidiſſe.

Quod genus, quæ natura hujus morbi & per quas cauſas hic factus & auctus ſit, ad ea, quæ hactenus retuli, acriter attendentibus animum haud difficulter admodum, ut opinor, innoteſcet. Lotii eorum, quæ per aluum ſanis excedere conſuerunt, ſudoris, menſtruarumque purgationum ſuppreſſio, narium muci, ſalivæ inſigniter imminuta ſecretio, hæc, inquam, omnia in eorum morborum numerum, qui a fluidorum in noſtro corpore, aut ex toto deficientibus, aut notabiliter decreſcentibus cooriuntur ſeparationibus, referendum eſſe, clare demonſtrant; cœpiſſe vero a triſtitia, & ſuppreſſis menſibus; artuum tremores, agitationes arteriarum, crebram difficilemque reſpirationem, diſtenſionem ventris, inſolitam abſtinentiam, mentis motionem ejuscemodi malis acceſſiſſe; exanimari interdum Ægram, inde ad ſe redire; odoribus cum ſuavibus, tum fœdis lædi; conqueri modo de corde, modo de ventriculo, ſæpe de capite; modo triſtem, modo hilarem eſſe; interdum ſopore premi, plerumque vigilare; dextro femore, dextroque crure reſolutam interdum videri, inde ſe dextrorſum ſiniſtrorſumque violenter convertere; varios appoſitos cibos potionesque ſummo faſtidio habere; hæc, inquam, atque his ſimilia, Virginem noſtram vehementiſſime ex Vulva laborare, haud obſcure indicant. Quod ad abditas continentesque iſtiusmodi morbi cauſas attinet: inviſibilis fluidi ex cerebro ac cerebello euntis redeuntisque particulas in vehementes diſſonosque motus a primordiis morbi, una cum nervis, tum ad exteriora, tum ad viſcera, & ad uterum præcipue, finitimasque partes decurrentibus, repente actas eſſe, conjecerim. Increſcente deinde paulatim morbo, continuantibusque nerveorum filamentorum, per thoracem ac ventrem diſcurrentium, contractionibus, ſeparationum excretionumque naturales leges

leges ire cœpisse præcipites, donec ad omnium pene, qui in nostro corpore sunt, humorum suppressiones imminutasve secretiones perventum sit. Ad hæc ingenti aerearum particularum copia, animalium spirituum impetu, acredineque (quæ longam abstinentiam sequi consuevit) ex evanescentium arteriarum, ad ventriculum, intestina, jecur, splenem, uterum, peritonæum spectantium, arteriis reliqui corporis ob vehementes, in quas jam a morbi usque primordiis continenter aguntur, distractiones forsitan laxiorum: ex harum, inquam, arteriarum sanguine expulso, inque earum partium sinus ac cavitates nequaquam resistentes compulso, universum pene ventrem vehementer distensum, & ventriculum ad eam distensionem redactum esse, ut motiones ad famem excitandam, retinendos concoquendosque cibos pernecessarias, jam obire non possit. Porro ut ex memoratorum spirituum in cor, arterias, thoracis aliarumque partium musculos influxibus, quam naturaliter esse debent, celerioribus, velociores cordis & arteriarum motus, crebram difficilemque respirationem, musculorum tremores, continuasque pene vigilias enatas crediderim: sic inæquales vehementesque membrorum, quas una cum temporariis mentis commotionibus Ægram non semel hoc in morbo excepisse, ante retuli, agitationes ex dissimilibus præcipitibusque illorum ipsorum spirituum motibus exortas esse, existimarim. Sed illud potissimum objici mihi videor, qui fieri queat, ut juvenis hæc tam diu sine ullo omnino alimento vixerit, & solo liquoris, de quo supra memoratum est, potu vitam tot menses traxerit, ac etiamnum conservet. Quibus pro ingenii mei modulo respondeo; eam non multo secus ac viperas, in vitreis vasculis, vere, æstate atque autumno inclusas, seu potius terrestres cochleas, partem autumni totamque hyemem in testaceis operculis sine omni plane esca viventes vitam trahere, verisimillimum esse. Namque & continuo jacet in lectulo, & visibilium humorum pene nihil excernit. Emanare vero exigua corpuscula tum per invisibilia cutis foramina, tum per os ex pulmonibus, ut omnino negare non ausim, sic eorum corpusculorum, speciem vaporum habentium, haud multum admodum hoc in morbo extra corpus ferri, ex summæ tabis & sudoris in uni-

 versa

versa ferme cute absentia maxime probabile censeo. Quandoquidem itaque jacens haud insigniter extenuatur, paululum admodum movetur, & visibilium quidem fluidorum fere nihil, invisibilium vero pauxillum reddit, manifestum est, nec sanguinem, nec humores maximopere absumi: ac propterea ex villis, membranas, nervos, sanguinis aliorumque liquorum ductus musculosque constituentibus, mobilium particularum parum exhalare, atque per aera dispergi. Atqui assumendi cibi necessitas in universis animantium generibus ex villorum, memoratas partes compingentium, continua inanitione, notabilive continuo decedentium particularum naturales operationes, sive animales motus subsequi solita excretione dependet. Juvenem ergo, de qua hactenus retuli, in qua fortasse oleaginei quoque humoris in sebaceis universæ cutis glandulis, Celeberrimo animadvertente Morgagno, separari soliti aucta præter naturam crassities insensibilem (quemadmodum Medici loquuntur) transpirationem insigniter minuit, & jejunium septem amplius menses sustulisse, & pauco fluido alimento etiamnum sustineri, sine aliquo commento prodigii edisseri potest.

Ratione haud multum admodum dissimili, quemadmodum Præstantissima Virgo ex Patritia gente Foscarena, Patavii impræsentiarum in cœnobio D. Marci commorans, per triennium ferme (quod a Viris Amplissimis ejus Consanguineis accepi) tulerit abstinentiam: aliæque Virgines, quæ referentibus Fr. Citesio eruditissimoque Fortunio Liceto, plures annos nihil plane assumpsere, vitam traxerint, per rationes mechanicis similes exponi, nedum enodate explicari posse complurium dierum mensiumve abstinentiæ, a Jos. Quercetano, R. Dodonæo, Valesio Tarantano, Henrico Sampsonio aliisque observatæ, causas mihi videtur.

Ex proposita historia, aliisque consimilibus, a modo allegatis Rei Medicæ Scriptoribus perscriptis, primum omnium constat: haud esse fabulam, homines interdum, mulieresque præsertim, quas uterus diutius male habet, a cujusque generis cibis & potionibus vi adversæ valetudinis abstinentes, non duos tantummodo, tres, pluresve dies, quemadmodum credebat Hippocrates

Lib.

Lib. de flatibus, verum etiam complures menses, annosque vitam ducere posse. Ex hoc illud deinde colligitur, nostræ Ægræ corpus (mirum dictu) pro ratione longitudinis abstinentiæ haudquaquam esse extenuatum: secus ac in Puellis a Citesio, Quercetano, & Sampsonio in Ephem. A. N. C. Decur. 1 An. III, & a Fort. Liceto in libr. de iis, qui diu vivunt sine alimento, productis, in quibus flaccescens abdomen cum arescentibus inclusis visceribus longissimo jejunio extenuatum & ad spinam collapsum observabatur. Veruntamen de Virgine quadam Patavina, nostræ, quod ad abstinentiæ tempus aliaque morbi symptomata spectat, haud multum admodum dissimili, ex Alexandro Vigontia Medico narrans ante laudatus Licetus, nequaquam eam tabidam, sed vivido colore præditam extitisse, ait.

JO. PAULI KRESSII, D. ET P. P. IN ACAD. Jul. Specimen Jurisprudentiæ privatæ, sive civilis, ex omni jure, quo in Imperio in causis decidendis utimur, delibatum.

Editio II.

Lipsiæ & Helmstadii, sumptibus Christ. Frid. Weigandi, 1726, 8. Alph. 3.

PRodiit hoc Specimen Jurisprudentiæ civilis primum Jenæ A. 1709, cum ibi Consultissimus Autor jura profiteretur. Nunc de iterata ejus editione dicturi commendandis libri meritis fere supersedere possumus, quandoquidem per diuturnum satis tempus in omnium manibus fuit, neque paucorum exceptus est plausu. Deseruit Autor methodum veterem ac vulgarem, qua tractantur jura personarum, rerum & actionum, ordine vel Institutionum Imperialium, vel Digestorum servato. Omnem enim juris disceptationem ad duos revocavit articulos, *Dominium* & *Obligationem*. Dominium dispescit in singulare & universale; illud regulariter dominii nomine venit, hoc hereditatis. Obligationem pariter ad duo capita refert, facti liciti & illiciti; ad hoc delicta & quasi delicta, quatenus per ea in creditum imus, ad illud vero conventiones & regulas æquitatis, seu quasi conventiones perti-

nent. Horum omnium theoretica tantum ſpeculatio eſt, niſi de effectu eorundem, ſeu actione in judicio proponenda & modo publicam ſecuritatem conſervandi ſimul tractetur. Hinc Liber I agit de Dominio, lib. II de hæreditate, lib. III de conventionibus & quaſi, lib. IV de delictis, quatenus privatum intereſſe exinde perſequimur, lib. V de proceſſu civili, lib. VI de proceſſu criminali. Acute & ex rei veritate JCtus quidam in Germania noſtra ætate celeberrimus judicat, *eos novæ ſemper ſuſpicioni ſe ipſos exponere, qui a communi via in doctrina juris declinant, an rem tetigerint acu?* Utique & Noſtro evenit, ut, quam ſibi elegit, doctrinæ ratio laudetur ab his, culpetur ab illis. Præſertim, quod perſonarum jus ſigillatim non ſit expoſitum, ſed partim hinc inde immiſceatur, partim ſubjectum ſit in fine per modum auctarii, & velut extra Lares patrios vagetur, improbari audias. Sed quibus ordo partium juris in hoc ſyſtemate adhibitus non arridet, quod in methodo tractandi ſingulorum capitum jure deſiderent, æque non habent. Inprimis conſpicua eſt jurium Germanicorum, communium & particularium, expoſitio, eleganti nexu cum jure Romano conjuncta, principiis tamen propriis adſtricta: et peculiaria obveniunt capita, juri Romano penitus incognita, plenius a Noſtro explicata, quam in ullo meliorum ſyſtematum hactenus factum. Luculentæ vero ſunt acceſſiones, quæ librum nunc typis recuſum ornant, quippe non ſolum complura capita aucta emendataque comparent, velut *de rerum diviſione, de uſucapione, de poſſeſſione, de legatis, de ſucceſſione conventionali, de cambiis, de contractibus rarioribus, de juramentis, de perſonarum diviſione*, aliaque; ſed integri etiam noviter inſerti ſunt tituli, *Lib. III, de univerſitate contrahente, de ratihabitione, de renunciatione, de reſervatione, de regreſſu*, & *Lib. V, de juriſdictione, de concurſu creditorum, de infamibus*, quorum peculiarem tractationem inſignis horum capitum & frequens in foris uſus ſane merebatur. Id vero propoſuerat Noſter, ut non in Academicarum ſaltem prælectionum, ſed in judiciorum etiam uſus compendium hoc adornaret.

HISTOIRE DE L'EXIL DE CICERON.

hoc eſt,

HISTORIA EXILII CICERONIS,
Autore MORABINO.

Lutetiæ, apud Andr. Cailleau, 1726, 12.

Pl. 21.

PLuribus jam abhinc annis cum Autor doctiſſimus intentus fuiſſet ſcribendæ Hiſtoriæ Ciceronis, cujus laudes in Præfatione magnifice prædicat, nunc ſolam exhibet quaſi ſpeciminis in modum Hiſtoriam exilii ejus. Jam quidem Conſtantius Felicius Durantinus duos ediderat libros, unum *de exilio Ciceronis*, alterum *de glorioſo ejus reditu.* Sed hos plane contemnit Noſter, additque, ſcriptos ab eo hos libellos fuiſſe vix annos nato ſeptendecim. Nec ceteros magni facit, qui univerſam Ciceronis hiſtoriam deſcripſerunt, adeoque deſiderari adhuc recte perfecteque compoſitam ejus viri hiſtoriam exiſtimat. Ultimo Præfationis loco magnas tribuit laudes Abbati *de S. Real*, ejusque annotationes MSS. in tertium & quartum librum epiſtolarum Ciceronis ad Atticum magno ſibi in hoc opere fuiſſe adjumento, grato fatetur animo.

Ipſum hoc opus eum in modum eſt contextum, ut Autor omnem hiſtoriam hauſerit ex ipſis Ciceronis epiſtolis & orationibus, ſingula loca, quibus ſingulis hiſtoriæ partibus fides adſtruitur, in fine operis exhibens. Nec vero ſimpliciter refert relata, ſed omnia ſub examen vocat morale & politicum, ſuumque paſſim interponit judicium. Rimatur item intimos animorum receſſus, & cujusque ingenium ex vero deſcribere annititur. Docet igitur initio ſtatim, Cæſarem Clodio adjutorem fuiſſe in perſequendo Cicerone, conſiliis quippe ejus monarchicis acriter reſiſtente; eundem tamen videri voluiſſe odiſſe Clodium, & nonnullis perſuaſiſſe, non alio conſilio peti a Clodio conſulatum, quam ut reſcindere valeret acta a Cæſare in conſulatu. Cæſari Pompejum judicat ſola ambitione parem fuiſſe, ceteris omnibus rebus inferiorem. Ciceronem obſervat fuiſſe bonum virum & honeſtatis ſtudioſiſſimum, non item callidum ſatis & acutum, ſed ſimpliciorem, credulum, & illuſionibus aliorum expoſitum. Docet quoque, quanta inſit in illa lege injuſtitia, qua Cicero urbe fuit ejectus, ac flagitioſas Clodii

dii actiones describit peraccurate. Exulis Ciceronis de mollitie animi & muliebribus lamentationibus & suam producit & aliorum sententiam. Præterea Attici singularem prudentiam demonstrat e consiliis ab eo datis exuli amico. Plutarchi quoque ac Dionis Cassii in historia Ciceronis errores aliquot notat, totumque opus finit in morte Clodii, ultimos tamen quatuor annos ejus vix primoribus attingens digitis. Non est nostrum, pluribus exponere historiam exilii Ciceronis, doctioribus jam satis notam. Illud ad ultimum profiteri debemus, adeo pulchre descriptam nobis videri hanc historiam, ut vehementer optemus, reliquam quoque Ciceronis historiam pari ingenio & industria elaborari a Cl. Autore & in publicum emitti.

NOVA LITTERARIA.

GEnevæ Vir Celeb. *Jo. Jac. Mangetus*, Med. D. & Potentiss. Regis Prussiæ Archiater, novum opus, duobus Tomis divisum, in fol. edere parat, cujus titulum sequentem nuper publicavit: *Bibliotheca Scriptorum Medicorum, veterum & recentiorum, in qua sub eorum omnium, qui a mundi primordiis ad usque Æræ Christianæ XVIII Seculi initia vixerunt, nominibus ordine alphabetico adscriptis, vitæ compendio enarrantur, opiniones & scripta, modesta subinde adjecta* ἐπικρίσει, *recensentur, ac sectæ præcipuæ, sub quarumque propria appellatione, explicantur, sicque Historia Medica vere universalis exhibetur: opus doctis omnibus, maximeque Medicis utile ac perjucundum. Pro quo concinnando, necessaria undique, sive ex ipsis Scriptoribus Medicis antiquis, quorum Opera ad nostra usque tempora pervenerunt, aut aliis, tum iisdem contemporaneis, tum etiam subsequentibus, qui de illis verba fecerunt, sive variis Dictionariorum Compilatoribus, & Scriptorum Medicorum Catalogis, Miscellaneis, præterea Germanorum Curiosis, Actis Bartholinianis, Actis Lipsiensibus, Ephemeritibus, per totam Europam jam a multis annis variis linguis emissis, &c. non mediocri labore ac cura sunt exquisita.*

Subjecit Autor titulo monitum ad Clarissimos quoscunque Viros Medicos, quod ita se habet: Hic Medicæ Artis Cultores omnes, sive qui illam totam, sive qui aliquam tantum ejus partem edocent aut exercent, obnixe rogantur, Commentarios latine conscriptos de sua suorumque Vita perbreves, fusiores vero de scriptis, a se ac suis editis, aut edendis, impertire velint, ut illa, convenienti quæque loco, inseri queant. Ac propterea omnia sua illis, quibus id negotii a Bibliopolis nostris, Dominis D. Perachon & Cramer, demandatum fuerit, tradant, vel ad eosdem, propriis sumptibus, aut per sibi oblatas occasiones, quamprimum id ipsis commodum fuerit, perhumaniter transmittere non recusent, Nominibus magna cura & nitidissime adscriptis, ne aliquis in eorum impressione committatur error.

No. XII.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Decembris Anno M DCC XXVI.

PRACTICAL GEOMETRY APPLIED TO THE useful Arts of Building, Surveying, Gardenig and Mensuration.

hoc est,

GEOMETRIA PRACTICA AD ARTES utilissimas, Architecturam civilem, Geodæsiam, Architecturam hortensem & Artem mensurandi applicata;

Autore BATTY LANGLEY.

Londini, ap. W. & J. Innys, J. Osborn & reliquos, 1726, fol. Alph. 1 plag. 11 Tabb. æn. 40.

PRopositum est Cl. Autori principia Geometriæ elementaris practica applicare ad Architecturæ civilis atque hortensis, nec non Geodæsiæ & Stereometriæ aliaque agnata problemata. Quamobrem cum nonnisi levia ex Geometria subsidia disciplinarum istarum praxis petat; ideo quoque Noster, præter definitiones Geometricas, communissima tantum problemata, theoremata paucissima, una cum figurarum descriptionibus docet. Quoniam vero in Architectura cum civili, tum hortensi præsertim opus est figuris compositis, ex parallelogrammo, quadrato & circulo ortum ducentibus; ideo Noster harum quoque figurarum constructionem tradit, addita inprimis ratione radii circuli & lateris quadrati ad latera parallelogrammi. Agit etiam de corporibus ex geometrica cubi truncatione ortis. Præliminaribus hisce, tanquam artium, quas illustrare intendit, fundamentis *Parte prima* præmissis, *Parte secunda* progreditur ad geometricam Ordinum architectonicorum constructionem. Eos juxta celeberrimos Architectos cum antiquos, tum recentiores atque modernos repræsentat, & quæ ex antiquitate restant monumenta, ex egregio

 potissi-

potissimum opere ædificiorum antiquorum Romanorum *Antonii Degodets*, in Actis A. 1683 p. 265 commendato, adducit, ita ut uno obtutu comprehendere atque inter se conferre possis, quæ in hoc argumento memoriæ prodita fuere, si excipias *Goldmanni* nostri molimina, a *Wolfio* in Elementis Matheseos universæ exposita. Noster nimirum Ordinem Tuscanum repræsentat, qualem dedere *Vitruvius*, *Scamozzi*, *Serlius*, *Palladius*, *Vignola*, *Clericus* architectus Gallus, *Perraltius*, *M. Angelo*, *A. Bosse* & *Jones* Anglus. Ex antiquis monumentis adducit columnam *Trajani*. Doricum ordinem sistit, qualem prodidere *Vitruvius*, *Serlius*, *Palladius*, *Vignola*, *D. Barbaro*, *Cataneo*, *L. B. Alberti*, *I. Bullant*, *de Lorme*, *Perrault*, *Clericus*, *A. Bosse* & *M. Angelo*. Repetitur idem Ordo ex Theatro *Marcelli* & thermis *Diocletiani*, sistiturque simul ob oculos ordo *Persicus*. De ordine Jonico monstrat, quid senserint *Vitruvius*, *Palladius*, *Scamozzi*, *Serlius*, *Vignola*, *D. Barbaro*, *Cataneo*, *L. B. Alberti*, *Viola*, *de Lorme*, *Bullant*, *A. Bosse*, *Clericus*, *M. Angelo*, *Perrault*. Eundem adducit ex templo Fortunæ virilis, theatro *Marcelli* & thermis *Diocletiani*. Ordinem Corinthium delineat, qualem effinxere *Palladius*, *Alberti*, *Cataneo*, *D. Barbaro*, *Vignola*, *Serlius*, *Scamozzi*, *A. Bosse*, *Clericus*, *de Lorme*, *Bullant*, *Viola*, *Vitruvius*, *Perrault*, *M. Angelo*, & qualis in thermis *Diocletiani*, Frontispicio *Neronis*, & porticu *Panthei* Romæ comparet. Ad Ordinem quoque Corinthium refert columnas in templo Hierosolymitano, & ob affinitatem ex *Clerico* quoque adducit Ordinem *Hispanicum* & *Gallicum*. Denique compositum sistit, qualem exhibent *Serlius*, *Scamozzi*, *Palladius*, *Clericus*, *Perraltius*, *A. Bosse*, *Vignola*, & qualis in arcu *Titi* Romæ & in arcu *Leonis* Veronæ conspicitur. Capitula Ordinis sic dicti *Hispanici* & *Gallici* minime accedunt ad puritatem Architecturæ Græcorum, ut adeo iis præferri jure possit Ordo *Germanicus*, quem medium inter Jonicum & Romanum apud nos dedit *Sturmius*, capitulo una serie foliorum & sedecim volutis exornato. Quoniam vero Architecti neque antiqui, neque recentiores in mensuris partium, quas Noster sollicite exponit, consentiunt; ideo in tanta diversitate medias quasdam elicit. Tribuit altitudini stylobatæ *Toscani* 2, *Dorici* $2\frac{1}{3}$, *Jonici* $2\frac{2}{3}$, *Corinthii* 3 & *Compositi* $3\frac{1}{3}$ modulos. Pro parti-

partibus ſtylobatæ determinandis regulam condidit generalem, jubens dividi altitudinem in 120 partes æquales & earum 30 tribui baſi, 75 trunco & 15 coronidi. Projecturam baſeos ſtylobatæ facit in *Dorico* 12, in *Joonico* 14, in *Corinthio* 15, in *Compoſito* 16 minutorum, coronidis vero in *Dorico* 14, in *Jonico* 17, in *Corinthio* 19, in *Compoſito* 22 minutorum; projecturam baſeos columnæ in omni ordine minutorum 42. Altitudini columnæ *Tuſcanæ* aſſignat $7\frac{1}{3}$, *Doricæ* 8, *Jonicæ* $8\frac{2}{3}$, *Corinthiæ* $9\frac{1}{3}$, *Compoſitæ* 10 modulos. Altitudo baſeos columnæ ipſi eſt modulo dimidio ſeu ſemidiametro columnæ æqualis. Aſſumit enim pro modulo diametrum columnæ in 60 minuta diviſam. Capituli *Tuſcani* & *Dorici* altitudo eſt æqualis altitudini baſeos; altitudo *Jonici* ab imo abaci ſeu puncto interſectionis catheti & volutæ usque ad extremitatem hujus eſt ſemidiametro columnæ & parti decimæ octavæ æqualis; altitudo denique capitulorum *Corinthii* & *Compoſiti* eſt 1 mod. 10 min. Altitudo trabeationis uniuscujusque eſt 2 modulorum & projectura coronicis altitudini æqualis, excepta *Dorica*, quando mutulis inſtructa, eo enim in caſu altitudinem ſuperat projectura. Neque vero ſolum Noſter per problemata diſtincte proponit, quicquid in delineandis Ordinibus architectonicis occurrit; verum etiam ædium ichnographias & orthographias conficere docet: quem in finem per modum axiomatum præmittit regulas, juxta quas ſingularum partium dimenſiones determinantur. Ipſi nimirum propoſitum non eſt tradere architecturam civilem, cum problemata tantum ſolvat, quæ in delineandis operibus architectonicis Geometriæ elementaris flagitant opem. Ichnographiis ædium jungit alias, quarum in Architectura hortenſi eſt uſus & quæ ex civili communiter exulant, in præclaro tamen opere Gallico, quod ſub titulo: *La Theorie & Pratique du Jardinage*, Pariſiis 1709 prodiit, comparent. In *Geodæſia* artificia conficiendi ichnographias camporum, agrorum, hortorum, ſylvarum & mappas chorographicas fideliter exponit: quem in finem *Trigonometriæ planæ* explicationem præmittit. *Parte tertia* problemata planimetriæ & ſtereometriæ declarat & ad opera artificum in architectura civili & hortenſi, nec non arte tignaria, obvia menſuranda transfert. Vulgo talia negliguntur in Architectura civili: fuſius

tamen explicantur a *Bulleto*, Architecto Gallo, in *Architectura*, quam vocat, *practica*, Parisiis 1691 idiomate Gallico edita. Tandem *Parte quarta* declarat Tabulas a se eum in finem computatas & æri incisas, ut mensurationes prædictæ absque calculo satis accurate perfici possint. Ceterum in Tabulis æneis Autor quoque Ordinum usum in januis & fenestris, itemque caminis monstrat. Quamvis autem titulus 60 circiter Tabularum æri incisarum mentionem injiciat; in ipso tamen opere non nisi quadraginta comparent, nec plures in præfatione commemorantur. Supplevit Noster defectum, qui in operibus de architectura civili & hortensi notantur, dum praxin principiis geometricis nixam fusius & majore perspicuitate tradidit, quam hactenus ab aliis fuerat factum.

JO. MELCHIORIS VERDRIES, D. MED. & Phil. Nat. Profess. Publ. Ordin. Acad. Cæsareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curiosorum Collegæ, de æquilibrio mentis & corporis Commentatio, denuo recognita & maxima parte aucta. Accedit Disquisitio de Veneno Canis & animalium rabidorum, & quem illud inferre solet, morbo gravissimo, hydrophobia.

Giessæ & Francofurti, apud Joannem Müllerum, 1726, 4.
Alph. 1 plag. 12.

CL. Autor jam A. 1712 Dissertationem Academicam de æquilibrio mentis & corporis ventilavit: hoc vero tempore, quo de commercio inter mentem & corpus controversiæ acerbissimæ agitantur, multis accessionibus auctam & illustratam, denuo in lucem protulit & Commentationis nomine insignivit. Propositum ei est, harmoniam, concordiam & discordiam utriusque hominis substantiæ, status hominis sani & morbosi, temperamenta & ex his provenientes animæ inclinationes, imaginationis nec non affectuum in corpus humanum vires, ex genuinis principiis declarare & ad experientiæ ac rationis leges expendere, propterea quod hoc argumentum longe utilissimum cum in Philosophia morali, tum in Medicina. Influxum physicum animæ in corpus incomprehensibilem judicat & tanquam inutilem ad explicandum commerci-

um

um inter mentem & corpus rejicit. Omnia rectius & facilius patere arbitratur per harmoniam inter utriusque substantiæ operationes ac mutationes. Quamvis autem in suspenso relinquat, quo pacto harmonia ista subsistat, & in beneplacito divini Conditoris acquiescat, cujus opus stupendum sese nec assequi, sed nec negare posse, ultro fatetur, addit tamen, quod in dubium vocari nequeat, *harmoniam hic adesse præstabilitam*, *prævisam*, Ecclesiast. XLIII, 19, *voluntati hominis liberæ haud adversam.* Et illustris *Leibnitii* systema harmoniæ præstabilitæ vocat ingeniosum, idque uberius exponi & dilucidius explanari affirmat a Cel. *Wolfio* in Metaphysica & Annotationibus ad eandem, tum & doctissime illustrari atque vindicari a Cel. *Bulffingero* in Commentatione de harmonia animæ & corporis humani maxime præstabilita, de qua diximus in his Actis A. 1723 p. 308. Monet præterea, hanc harmoniam præstabilitam, quæ sit chamæleon in oculis nonnullorum eruditorum, saltem ut hypothesin a laudatis Autoribus proponi, neque ulli obtrudi, ut adeo vana sit adversus eos ira. Quid vero sibi cum æquilibrio corporis & animæ velit, his verbis explicat: *Est ea*, inquit, *virium corporis & animæ ex lege consociationis se mutuo quasi cientium & conspirantium proportio*, *qua cum libero partium fluidarum & solidarum motu & actionum integritas & mentis animique vigor conservatur.* Sed agedum videamus paulo distinctius, quomodo Noster propositum suum exequatur.

Stabilita animæ immaterialis existentia adversus *Materialistas*, & *Lockii* corpore cogitante inter contradictoria relato, notatoque Idealistarum errore, & explosa natura intermedia inter spiritum & corpus, qua utraque substantia uniatur, benignissima Dei voluntate animam & corpus ea lege coivisse affirmat, ut, occasione certarum in corpore motionum, certæ cogitationes in mente exoriantur & vice versa certas hujus cogitationes certi corporis motus consequantur, sive, si illustris *Leibnitii* sententia arriserit, animam æque ac corpus vi suæ quidem naturæ agere, actiones vero unius alterius operationibus, ex prævidentia divina sic ordinatas, tam exacte uno eodemque tempore correspondere, ac si uno agente perficerentur. Quamvis autem de modo unionis ipse nihil determinet, a modo tamen loquendi in tractatione non abstinet,

 qui

qui soli experientiæ innixus, quæ ita junctas & conspirantes has actiones nobis exhibet, ac si influxu mutuo perficerentur, eoque rem, prout apparet, exprimit. Vi illius commercii animæ juxta Autorem nostrum inclinationes variæ sunt pro corporis constitutione & temperie, ita ut e. g. temperamento sanguineo conveniat lætitia, vigor, promptitudo, curiositas, sed inconstans & vaga rerum sensibilium, memoria & imaginatione magis, quam acri subtilique judicio & attentione longa tractandarum, otii amor, negotii operosi aversatio, honorum & gloriæ, quæ ex facili venit, cupiditas, ad omnia, quæ voluptatem pariunt, propensio & hinc vitæ intemperantia, ad res subitas trepida cunctatio, in periculis anxietas & consilii inopia. Temperamenta equidem non necessitant, sed tamen inclinant, ut adeo ingenium acuendi ratio a Medicina petenda, & vita sobria morum sit medicina. Similiter affectus animæ constitutionem corporis immutant, mentisque ac corporis æquilibrium non minus Medicinæ quam Ethicæ præceptis conservandum. Motus vitales solo corporis mechanismo perficiuntur, nullo præeunte voluntatis imperio, adeoque mere mechanici sunt. In voluntariis autem nutu suo motus nervorum fluidi, pulsu & pressione texti arteriosi in cerebro ad corporis partes jam derivati, dirigit mens & auget, aut funiculos nerveos hoc ipso fluido rite intensos stringit magisque intendit. Anima scilicet systemati nervoso ita præest, ut motum fluidi in illo contenti non tam producat, quam regat & ad hanc potius, quam aliam partem dirigat, & ut motu huic liquido, vel nervis ab eo tensis, a causis aliis impresso, occasione commotarum hac ratione fibrillarum medullarium cerebri varias sibi proponat repræsentationes, sive ideas. Sensatio, quatenus corporeis organis perficitur, harmonico fidium nervearum contremiscentium motu & vibratione absolvitur: cerebrum enim & organa sensoria referunt organa musica. Sensus communis est extremorum complementum & concentu illo quasi musico fidium fibratarum cerebri absolvitur, cujus occasione in anima enascuntur perceptiones & ideæ. Imaginatio est continuata, memoria iterata rei a sensibus externis oblatæ repræsentatio, atque a continuata vel iterata fibrillarum cerebri harmonica commotione ac concentu proficiscitur. Animæ adeo facultates

cultates ſine organi corporei motu & concentu in hoc conſociationis ſtatu in actum deduci nequeunt. Unde deducitur ratio admirandorum effectuum imaginationis aliorumque phænomenorum tam in ſtatu naturali, quam præternaturali corporis, v. gr. quomodo phantaſia turbetur in ecſtaſi, affectus vehementes & contemplationes ſublimiores uſum ſanæ rationis intercipiant, habitus corporis & temperamenta ad actiones morales proclivitatem inducant, vigente corpore, ceteris paribus, mens quoque vigeat, & quæ ſunt complura alia iſtiusmodi. Viciſſim vero habitus corporis & temperamentum ſequitur quoque actiones mentis, quoniam in ſtatu conſociationis animæ cogitationes & fibrillarum medullarium cerebri motus & concentus ſunt ſimul & convenientiſſime conſpirant, conſequenter agitationes mentis & cogitationes actutum ſequuntur & comitantur motus convenientes & proportionatos communis ſenſorii, ſive principii nervorum. Vita corporis conſiſtit in partium fluidarum ratione mixtionis & quantitatis legitime ſe habentium per ſolidas congrue diſpoſitas & conſtitutas proportionato & æquabili tenore continuato motu: vita vero hominis in mutuo corporis viventis & mentis ratione gaudentis tranquillo commercio & ea concordia, qua & actionum corporearum liberum exercitium & mentis animique ſerenitas & facultates expedite conſervantur. Affectus partium fluidarum diſpoſitionem ac ſtructuram ſolidarum maxime immutant: quo ipſo æquilibrium inter mentem & corpus tollitur, ſparguntur que multorum morborum ſemina. Inſtinctus ſenſuales obluctantur rationi: unde lucta inter appetitum ſenſitivum & rationem. Phantaſia plerumque ſtat a parte appetitus: intemperantia & ſanitatem & animi dotes corrumpit, idem efficit perſpiratio *Sanctoriana* ſuppreſſa, omnesque humores ſpirituoſi, narcotica & opiata perinde æquilibrium iſtud tollunt. Tollitur quoque idem per ſomnum & inſomnia, pro temperamentorum diverſitate diverſa, nullibi autem evidentius, quam in ſtatu præternaturali febribus, item pica & malacia, appetitu morboſo, deliquiis animi & epilepſia, nimia repletione. A parte mentis tollitur æquilibrium per affectus & concurſum ipſius in excitandis febribus, quæ nihil aliud ſunt niſi affectus nervorum ac in horum oſcillationibus ac conſtrictio-

ſtrictionibus potiſſimum conſiſtunt, unde velocior oritur cordis impulſus aliorumque muſculorum ſuccurſus, augeturque adſtrictio tonica & major inde oritur reniſus in vaſis minimis capillaribus. Huc porro referuntur terror una cum aliis ſubitis animæ perturbationibus, *ἀπάθεια*, furor poeticus, mentis a ſenſibus avocatio, melancholia ingeniorum ſublimium, idioſyncraſia melancholica ad autochiriam ducens, animæ ad corporis partes nimia converſio & imaginationis extraordinarii affectus cum idioſyncraſiis hæreditariis & adventitiis, idearum connexio, qua una alteram advocat, conſuetudinis vis, fiducia ægri in medicamentum, phantaſiæ luſus in gravidis, ejusdem effectus mirabilis in melancholicis & ſomniantibus. Multa Autor ex optimis quibusque autoribus ubivis collegit phænomena ſingularia, eaque ad rationes phyſicas revocare nititur, ita ut cum phyſicæ, tum artis medicæ ſtudioſis plurima ſcitu digna atque utilia offerat. Id enim potiſſimum agit, ut ex corporis mechaniſmo explicet, quænam in corpore accidant mutationes animæ mutationibus conſonæ, non minus in ſtatu corporis præternaturali, quam naturali. Disquiſitionem de veneno canis & animalium rabidorum, cujus magna pars haud ita pridem præbuerat argumentum diſſertationis medicæ inauguralis, ideo appendicis loco ſubjunxit, quod ratione perverſæ mentis & hydrophobiæ commodum hic inveniat locum. Rabiem canum deducit a febre ardente violenta, venenum vero canis rabidi eſſe contendit congeriem particularum ſalino-ſulphurearum, ſaponacearum, ex ſalibus & oleis intime diviſis & quaſi putrefactis progenitarum, acrium, acutarum, ſcindentium, ſubtiliorum, mobiliorum, motuque vehementi concitatiori in fluido ſeroſo agitatarum, quæ in relatione ad corpus animale certa ac determinata ſua diſpoſitione ac motu, certoque penetrabilis acerbitatis & corroſivæ activitatis ſuæ gradu aptæ natæ & ita comparatæ ſunt, ut fluidorum animalium mixtionem & craſin turbare, ſerum & ſalivam inſtar fermenti inficere, atque partes iſtius in conſortium pravitatis ſuæ & ſimilem motum abripere, & ſic cum hiſce ſimul infectis ſolidas partes ad ſpaſmodicas contractiones ſtimulare, totius corporis harmoniam vitalem pervertere tandemque extinguere poſſint.

D. GE-

D. GEORGII ERNESTI STAHLII, SAC. REG. Majest. Boruss. Consil. & Arrbiatri Primarii, Observationes Medico-Practicæ; quarum Classis I sistit febres. Edidit D. JOHANNES CHRISTOPHORUS GOETZIUS, Inclyti, quod Norimbergæ floret, Collegii Medici Membrum.

Norimbergæ, apud Petrum Conradum Monath, 1726, 4.
Alphab. 2 plag. 8.

CUm in studiorum suorum initiis Clariss. Gœtzius antea cœco præposteræ polyhistoriæ & ἐκλέξεως pruritu ductus vago ubicunque erraverit pede, ut in Præfatione loquitur, titubantem nullibi figendo gressum, sed suo tandem aliorumque secum errantium periculo didicerit, consultius esse, si tyro artis sectarium, eclecticum autem is demum agat, qui altius jam in eadem profectus, & quid eligendum, quidve rejiciendum, prudenter dignoscere aptus sit, ducem demum sibi elegit Clariss. Stahlium, quem per plurimas easque gravissimas pariter ac utilissimas tradidisse veritates, penitus cognoverat. Cujus consilii cum nunquam ipsum pœnituerit, in grati animi tesseram, & ne in hoc stadio decurrentes optimas suas vires in pervestigando, quid de rebus dicatur, deterere cogerentur, sed ipsi alacriores vegetioresque experiendo, quid res ipsæ sint, periculum facere possent, nervum ex Stahlii ejusque asseclarum Voluminibus exponere, sicque vitæ brevitati artis longitudinem attemperare sategit. Luci igitur publicæ exponere constituit opus, cujus titulus erit sequens: *D. Georgii Ernesti Stahlii, Consiliarii & Archiatri Regis Borussiæ Primarii, Observationes seu Historiæ Medico & Chirurgico-Practicæ, quibus morborum potissimorum plurimorumque tum Historia specialis & exacta, tum methodus & remedia probatissima e diutina, multiplici & felici Illustris Autoris experientia candide panduntur: accedunt ejusdem Observationes Chymicæ ac Physicæ; ac denique præmittitur Catalogus Scriptorum Stahlii aliorumque ad ejus mentem differentium, serie chronologica textus. Ex quibuscunque Illustr. Autoris evulgatis Scriptis collegit, digessit, ipsiusque verbis recensuit & Indice locupletissimo ditavit D. Johannes Christophorus* Gœtzi-

Gœtzius. Hoc vero Opus in varias diſpeſcet claſſes Editor, quarum I continebit Obſervationes ſeu Hiſtorias Medico-Practicas; ſub quibus militabunt 1) febres, 2) hæmorrhagiæ, 3) congeſtiones, 4) morbi ſpaſtici & convulſivi, 5) toni relaxati, & remiſſi, 6) ſeroſo-lymphales & inteſtinales, 7) generationis, 8) hæreditarii ac conſuetudinales: II Obſervationes ſeu Hiſtorias Chirurgico-Practicas; III Obſervationes ſeu Hiſtorias Chymicas & Pharmaceuticas, & IV Obſervationes ſeu Hiſtorias Phyſicas. Cepit quidem hoc conſilium Clariſſ. Gœtzius, non quod ſolum Stahlium Dictatorem eſſe contendat, quod nec ipſe pro ſua probaret modeſtia, qui potius crebrius repetere ſolitus eſt dicterium: Nec Stahlii nec Stahlio omnia eſſe vera. Illud quippe humanam excederet conditionem, ubi & bonus interdum dormitat Homerus; hoc autem aliis atque poſteris omnem ad ulterius detegenda ac invenienda præcluderet viam, Artisque perfectionem, maxime quidem exoptabilem, ſignificaret, a qua tamen multis, proh dolor! diſtamus paraſangis. Quandoquidem autem nihil ſit ex omni parte beatum, indeque facile prævideat atque concedat Clariſſ. Gœtzius, & in hiſce ſuis laboribus plura adhuc deſiderari poſſe, publice & impenſe tum Clariſſ. Stahlium, tum alios eruditos Medicos rogat, ut quæ cum ratione vel demenda, vel addenda, vel mutanda, verbo, corrigenda & monenda duxerint, benigne & amice indicare dignentur. Ea enim poſtmodum monita proxime inſequentibus ſemper inſerentur claſſibus, & iisdem vel debitus geretur mos, vel rationes, cur id non factum ſit, allegabuntur. In præſenti Tractatu obſervationum Medico-Practicarum Claſſis de febribus ſiſtitur, cui præmiſſa eſt Recenſio chronologica Scriptorum Stahlii & ad ejus mentem differentium. Scripta Stahliana quæ recenſentur, ſunt 276, Diſputationes ſcilicet, Propemptica Inauguralia, Epiſtolæ gratulatoriæ, Præfationes atque Tractatus; quorum titulos non ſolum exhibet, ſed & vel elogia illis addit, vel diverſas editiones commemorat, vel contenta breviter enarrat Clariſſ. Gœtzius. Scriptorum vero ad Stahlii mentem differentium ſimplicem nectit catalogum; ita quidem ut Autores Alphabetica, Scripta eorum chronologica ſerie collocaverit. Qui Stahlii aſſeclis adſcribuntur, ſunt Michael Alberti, Johannes Simon Bauer-

Bauermuller, G. M. M. P. T. Blazer, Emanuel Wilhelmus de Bœllern, Matthias Wolffgangus Brunnerus, Johannes Valentinus Butzerus, Johannes Samuel Carl, Georgius Glacius, Georgius Daniel Coſchwitz, Johannes Michael Craft, Philippus Johannes Denker, Johannes Deigendeſch, Georgius Andreas Dern, Samuel Forbiger, Johannes Georgius Fuchs, Benjamin Gottlieb Garmann, N. Geelhauſen, Andreas Ottomarus Gœlicke, Johannes Daniel Gohl, Chriſtianus Helwich, Johannes Fridericus Henckel, Johannes Henricus Herlin, Andreas Hermannus, Johannes Chriſtianus Hubner, Johannes Jungker, Johannes Kanold, Remigius Seyffert de Klettenberg, Johannes Georgius Kulmus, Johannes Chriſtianus Kundmann, Johannes Daniel Longolius, Georgius Philippus Nenter, Johannes Chriſtianus Pachhelbl vom Gehag, Huldericus Pelargus, Salomo Peyer, Johannes Zacharias Platner, Johannes Jacobus Reich, Chriſtianus Fridericus Richter, Chriſtianus Sigiſmundus Richter, Samuel Richter, Johannes Jacobus Rock, Godofredus Roth, Paulus Snell, Gotthold Ernſt Struve, Gerardus Tabor, Godofredus Henricus Ulau, Conradus Burchardus Vogther, Johannes Petrus Wahrendorff, Chriſtianus Weisbach, Bartholdus Wichers, Johannes Melchior Zentgravius, & Laurentius Petrus Zettermann. Ex hiſce tamen haud pauci ſunt, qui præter Diſputationem Inauguralem nullo alio claruerunt ſcripto. Quod obſervationes Medico-Practicas Clariſſ. Stahlii attinet, de utilitate hujus libri & præſtantia eo minus dubitare licet, quo certius eſt, Autorem obſervandi ſtudium in Arte Medica etiam atque etiam commendaſſe, & qua ratione hoc ſit excolendum, variis ſpeciminibus docuiſſe. In hac Claſſe I Obſervationes tantum de febribus exhibentur, numero LXXVI, quarum fontes in margine annotantur, ex quibus ſequentes nominaſſe ſufficiat. Obſervatio 1 & 2 agit de febre acuta ſomno die critico & ſeptimo judicata; 16 de diarrhœa varioloſi nitro ſedata, redeunte neglecta lethali; 17 de alvi obſtructione quatuordecim dierum, etiamſi pulveres ſalino-nitroſi largius fuerint aſſumti; 19 de diarrhœa varioloſi cortice caſcarillæ ſublata; 21 de variolis in infantibus a matre per totum geſtationis tempus fluxum menſium ordinarium experta natis; 30 de morbilloſo aquæ fragorum uſu

in mortis periculum conjecto; 31 de spiritus salis in peripneumoniaco usu minus commodo; 33 de pleuritide sudore judicata; 38 de cholera periculosa ex infuso radicis hellebori nigri; 39 de ligno semiputrido pyri arboris cariosæ, specifico antidysenterico militis cujusdam; 40 de dysenterico conclamato vini haustu curato; 41 de dysenteria oleo lini sanata; 48 de febre tertiana, variis corticis Peruviani formulis frustra impugnata, conjugio tandem curata; 51 de tertianario alio halecis, alio cretæ usu restituto; 65, 66 de tussi phthisica, & alia cum peripneumonicis vestigiis complicata, extracto peti curata; 67 de phthisico hectico equitatione multum levato. Hisce observationibus mantissæ loco subjunguntur Johannis Ludovici Apini Collectanea de febribus, præcipue intermittentibus, quoniam materiæ tractatæ affinia & præter alia utilia tum methodum ejusmodi febribus medendi, tum dubia quædam de Stahlii assertis continent.

CONCILIUM ROMANUM IN BASILICA Lateranensi celebratum A. 1725 a Sanctissimo Patre & Domino nostro BENEDICTO XIII. Juxta exemplar Romanum.

Augustæ Vindel. & Græcii, sumtibus fratrum Veithior. 1726, 4. Alph. 2 pl. ½.

QUanta cura quantoque ardore in id incumbat hodiernus Romanæ Ecclesiæ Pontifex, ut & ipse suo satisfaciat officio, & Episcopos ceteros exemplo suo splendidissimo excitet, inprimis loquitur Concilium ab ipso superiori anno d. 15, 22, 29 Aprilis & d. 6, 13, 22, 27 & 29 Maji celebratum. Ac in ipsa Indictione Concilii, quæ primum hujus libri locum occupat, profitetur, se particulare hoc concilium habere in animum induxisse ex lege Concilii Tridentini, qua uniuscujusque provinciæ Episcopus singulis trienniis celebrare teneatur Synodum provincialem. Addit ibidem, se, quam diu præfuerit Episcopatui Beneventano, huic Tridentinæ legi religiosissime paruisse. Decreta igitur novissimi Concilii hic exhibentur sub titulis XXXII, quorum primus est de summa Trinitate & fide Catholica, II de Constitutionibus, III de Rescriptis, IV de supplenda negligentia Prælatorum, V de temporibus ordina-

nationum, VI de ætate & qualitate præficiendorum, VII de officio judicis delegati, VIII de officio judicis ordinarii, IX de majoritate & obedientia, X. de foro competenti, XI de feriis & festorum dierum observantia, XII de fide instrumentorum, XIII de jurejurando, XIV de appellationibus, XV de celebratione Missarum, Sacramento Eucharistiæ, & divinis officiis, XVI de vita & honestate clericorum, XVII de clericis non residentibus, XVIII ne sede vacante aliquid innovetur, XIX de rebus Ecclesiæ non alienandis, XX de testamentis, XXI de Regularibus, XXII de statu Monachorum & Eremitarum, XXIII de religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ, XXIV de jure Patronatus, XXV de consecratione Ecclesiæ vel altaris, XXVI de Baptismo & Confirmatione, XXVII de Ecclesiis ædificandis vel reparandis, XXVIII de immunitate, XXIX de accusationibus, XXX de Magistris, XXXI de sententia excommunicationis, ac denique XXXII de Pœnitentiis & Remissionibus. Apparet hinc, Decretalium more sub triginta duobus titulis disposita esse decreta, quæ sunt numero centum & quatuor. Pauca ex his repetere libet. *Tituli primi Capite secundo* celebris illa Constitutio *Unigenitus* statuitur sacrosancta, ac sub gravissima pœna universis præscribitur tenenda. Ibidem *cap. 3* ipsi jubentur concionari Episcopi, saltim diebus Dominicis & solennibus Festis. *Tit. II Cap. 2* jubentur provincialia Concilia haberi quolibet triennio. *Tit. XVI Cap. 2* jubentur Episcopi suæ dignitatis esse memores, & supra omnes locum sibi servare digniorem, vetanturque formulis uti humilioribus in epistolis suis earumque subscriptione. *Cap. 3* sacerdotibus interdicitur usu comæ fictitiæ, quam *Peruccam* vulgo vocant. *Tit. XXXII Cap. 1* excommunicatio decernitur in Medicos, qui tertio visitant infirmos, post decubitum non confessos. Post decreta *p. 94 seq.* exhibentur nomina Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum, qui Concilio huic interfuerunt & subscripserunt. Pari modo *p. 102 seq.* traditur elenchus ministrorum hujus Concilii, Promotorum fiscalium, Secretariorum, Judicum querelarum & accusationum, Judicum excusationum & Recognitorum electionum Metropolitanorum, Magistrorum cerimoniarum, Notariorum, Scribarum, Ostiariorum,

riorum, Theologorum, Decretaliſtarum, Hiſtoricorum, Chronologorum, & Geographorum ſacrorum. Hinc *p. 109-316* conſequitur Appendix ad hoc Concilium. Ea continetur I Inſtructio ad facilitandam methodum docendæ bene doctrinæ Chriſtianæ; II Conſtitutio Benedicti XIII de Præbendis Theologalis & Canonici Pœnitentiarii in Eccleſiis cathedralibus, ubi non ſunt, inſtituendis; III Breve Clementis XI, quo a Card. Urſino, Archiepiſcopo Beneventano, de executione cujusdam decreti Concilii provincialis certior fieri cupit; IV Conſtitutio Benedicti XIII, Abbatibus regularibus præſcribens, ut infra annum a die eorum electionis Epiſcopalem benedictionem ſuſcipere teneantur; V Conſtitutio ejusdem, qua locorum Ordinariis norma præſcribitur coercendi Clericos beneficiatos in habitu laicali incedentes; VI ejusdem Conſtitutio, qua mandatur, ut in Italia parochis defunctorum, qui in Eccleſiis Regularium tumulabuntur, quarta funeralis perſolvatur; VII Decretum S. Congregationis Concilii circa Subcollectores, datum A. 1677; VIII Conſtitutio Benedicti XIII, qua ſua privilegia confirmantur Abbatiali Eccleſiæ monaſterii Caſinenſis Ord. S. Benedicti; IX Motus proprius Sixti V A. 1587 circa revocationem officii Archiviſtæ Eccleſiaſtici generalis in Urbe, & confectionem Inventariorum ſeu Platearum bonorum omnium ad ſingulas Eccleſias; X. Methodus formandi Inventaria bonorum eccleſiaſticorum; XI Catalogus Scripturarum in Archivis curiarum Epiſcopalium conſervandarum; XII Inſtructio S. Congregationis Concilii pro Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, & Patriarchis ſuper modo conficiendi relationes de ſtatu ſuarum Eccleſiarum, quas occaſione viſitationis ſacrorum liminum eidem ſacræ Congregationi exhibere tenentur; XIII Decreta S. Congregationis Epiſcoporum de mandato Clementis VIII circa appellationes & inhibitiones; XIV Chirographus Benedicti XIII, vi cujus decernitur Promotor fiſcalis generalis, qui patrocinium cauſarum criminalium pro curiis eccleſiaſticis ſuſcipiat; XV Decretum Clementis XI circa celebrationem in Oratoriis privatis; XVI Conſtitutio Benedicti XIII, qua confirmantur literæ, ab Innocentio XIII editæ, ſuper eccleſiaſtica diſciplina in regnis Hiſpaniarum; XVII Methodus ſervanda a Clero in Congregationibus de

de ſacris ritibus & caſibus conſcientiæ ſingulis hebdomadibus habendis; XVIII Edictum Cardinalis Paulucci de vita & honeſtate Eccleſiaſticorum Romæ exiſtentium, & ſpeciatim de habitu & tonſura clericali: quo inter alia *Peruccarum* uſus interdicitur ſacerdotibus ſub pœna toties, quoties transgrediuntur, decem ſcutorum; XIX Breve Benedicti XIII, quo indemnitati piorum locorum Diœceſis Beneventanæ providens, abuſus, qui ſuper bonis in emphyteuſin conceſſis irrepſerunt, tollendos decernit; XX Epiſtola encyclica ſacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium, qua ex mandato Clementis XI omnibus Prælatis Italiæ injungitur obſervantia omnium infra ſcriptorum quoad officia Monialium, non particularibus illarum expenſis, ſed communitatis monaſteriorum exercenda; XXI Regulæ obſervandæ quoad Eremitas, deſtinatos ab Epiſcopis ad cuſtodiam & ſervitium Eremorum Eccleſiarumque ruralium; XXII Summarium Conſtitutionis Clementis VIII circa modum & formam obſervandam in erectionibus Confraternitatum; XXIII Conſtitutio Benedicti XIII, qua confirmatur Conſtitutio Pii II, decernens, primos medios fructus Beneficiorum vacantium Diœceſis Beneventanæ convertendos fore in reparationem, fabricam & incrementum dictæ Eccleſiæ; XXIV Ejusdem literæ Apoſtolicæ, quibus per totam Italiam providendis de beneficiis eccleſiaſticis, non affectis aut reſervatis S. Sedi, demandatur ſolutio mediæ annatæ favore fabricæ Eccleſiarum; XXV Ejusdem Conſtitutio, qua Gregorii XIV literæ Apoſtolicæ, certa excipientes delicta & caſus, in quibus Inquiſiti laici eccleſiaſtica immunitate gaudere non debent, confirmantur, nec non curiis eccleſiaſticis forma, in eorundem Inquiſitorum extractione a locis immunibus obſervanda, præſcribitur; XXVI Decretum Sac. rit. Congregationis, prohibens laicis oſculum Evangeliorum intra Miſſam, uſum Baldachini in Eccleſiis, & aſſiſtentiam in Presbyteriis; XXVII Conſtitutio Benedicti XIII, qua locorum Ordinariis Italiæ mandatur, ut Seminariorum erectionem ſedulo promoveant, ac inſuper nova inſtituitur Congregatio, Seminariorum nuncupanda; XXVIII Mandata pro Medicis quoad ſpiritualem curam infirmorum; XXIX Inſtructio pro parvulis prima vice ad Sacramentalem Confeſſionem admittendis;

XXX

XXX Instructio pro illis, qui prima vice ad sacram Communionem accedunt. Nihil hinc excerpimus, nisi quod p. 230 legendus commendatur *Thomas a Kempis*; quo ipso an lis definiatur de vero auctore librorum *de imitatione Christi*, viderint Romanæ Ecclesiæ Critici. Nec tamen & illud omittendum, postremas duas Instructiones Catecheticas autorem habere ipsum Pontificem Benedictum XIII.

THEOLOGIE CHRETIENNE.

hoc est,

THEOLOGIA CHRISTIANA PER DIALOgos exposita a CÆSARE PEGORIERIO, Ministro Ecclesiæ Londinensis.

Amstelodami, apud Honoratum & Castellanum, 1726, 4.
Alph. 3 pl. 3.

NOva est hæc eademque multis accessionibus ornata editio Theologici Systematis, septem abhinc annis primum publicati. Rev. Autor non solum theoreticam hic, verum etiam practicam Theologiæ partem pertractat, duasque sibi præterea partes adversarias elegit, primo Scepticos & pseudophilosophos, quorum profanas objectiunculas refelleret atque everteret funditus; deinde Pontificios, quorum & ipsorum errores in apricum produceret Totum opus quatuordecim absolvit libris, quorum *primo* disputat de existentia Dei, naturalique ejus colendi officio; *altero* de S. Scriptura, *tertio* de natura & attributis Dei; *quarto* de creatione mundi, lapsuque hominis; *quinto* de Christo; *sexto* de rationibus consequendæ salutis æternæ; *septimo* de Decalogo; *octavo* de præceptis Evangelicis; *nono* de precibus; *decimo* de Sacramentis; *undecimo* de Spiritu sancto & ejus œconomia; *duodecimo* de prædestinatione & gratia; *decimo tertio* de vita morteque æterna; *postremo* denique de Ecclesia.

Nonnihil ut hinc more nostro delibemus, *Lib. I cap. 1* contendit, firmissimum esse argumentum illud pro existentia Dei, quod petatur ab ejus idea, *Cap. 4* dicta Spinozæ, quibus is oppugnavit miracula Biblica, refellit. *Cap. 6* contra Bælium demonstrat firmita-

mitatem argumenti ad probandam Numinis existentiam peti soliti a consensu totius humani generis. *Lib. II Cap. 2, 3 & 4* demonstrative exponit divinam sacri codicis originem. *Lib. IV Cap. 1* ostendit, tantum abesse, ut mundus sit æternus, ut clarissima suppetant documenta novitatis ejus. *Lib. V Cap. 3* & seq. demonstrat firmiter, Jesum Nazarenum esse verum Messiam. *Cap. 18* scandalum crucis Christi eximere studet profanis mentibus, octo contemplanda exhibens, quibus facile persuadeatur, non esse omni modo impossibile, ut eam mortem subiret Dei filius; *Cap. 19* copiose probat veritatem resurrectionis Christi. *Lib. VI cap. 3* agit de officio veritatem sacram cognitam publice profitendi, etiam cum vitæ fortunarumque periculo; *Cap. 5* dilationis pœnitentiæ pericula exponit. *Lib. VII*, quo exhibetur longa totius Decalogi interpretatio, *Cap. 4 & 5* doctrinam Pontificiorum de cultu imaginum oppugnat, simul *cap. 6 & 7* illius cultus inter Christianos exhibens historiam. Occasione septimi præcepti agit *Cap. 17* de officio injuste alteri ablata restituendi, *Cap. 18* de avaritia, & *Cap. 19* de beneficentia. *Lib. VIII Cap. 1* de abnegatione suimet ipsius disserit; *Cap. 9* de lucta carnis & spiritus. *L. IX C. 3 seq.* copiose interpretatur Orationem Dominicam: *C. 10* refellit Pontificiam invocationem Sanctorum. *Lib. X Cap. 6* refellit transsubstantionem, ejusque doctrinæ historiam *Cap. 8* exhibet. *Lib. XI Cap. 4* agit de peccato in Spiritum Sanctum, per quod significari censet Pharisæorum blasphemiam, Christi miracula Diabolo auctori tribuentium. *Lib. XIII cap. 6 & 7* probat contraque dissentientes defendit pœnarum infernalium æternitatem. *Lib. XIV Cap. 7* expendit, utrum Papæ an Protestantium Ecclesia sit vera Christi Ecclesia, septemque profert criteria, quibus constet, illam falso, hanc verissime dici Christi ecclesiam; *Cap. 10* agit de divina vocatione Reformatorum, Lutheri scilicet ceterorumque, ad reformandam Ecclesiam; *Cap. 11* demonstrat, Papam esse Antichristum. Ultimo loco exhibetur Appendix, in qua respondetur potissimum, idque breviter, ad ea, quæ Bælius objecit Theologis resolvenda, simulque docetur adversus Huetium, Scepticismum tollere religionem omnem, cum theoreticam, tum practicam.

LES HYPOTYPOSES OU INSTITUtions Pirroniennes.

hoc est,

SEXTI EMPIRICI PYRRHONIARUM *Institutionum Libri tres, e Græco conversi in linguam Gallicam, subjectis annotationibus.*

A. 1725, 12 maj.

Plag. 19½.

FAbricianam editionem Operum *Sexti Empirici*, in hac urbe A. 1718 vulgatam, recensuimus eodem anno p. 337 seq. Nunc exhibemus trium priorum Librorum, qui inscribuntur *Institutiones Pyrrhoniæ*, versionem Gallicam, cujus quidem Autori usque adeo latere libuit, ut ne locum quidem, ubi typis ea fuit expressa, in titulo indicatum voluerit: etsi Bataviam facile prodit cum chartæ, tum literarum nitor. Id an ideo factum sit ab Interprete, quia re vera sit, nec tamen haberi inter suos velit Scepticus; Lector ipsemet ex Præfatione judicet. In ejus exordio statim causas exponit, quibus adductus hancce versionem concinnarit. Scilicet Sextus ille non solum opiniones veterum Philosophorum magno numero tradit, verum etiam subtilibus argumentis docet, multa esse incerta in scientiis, quæ vulgo habentur pro exploratissime veris, &, exceptis exemplis nonnullis, rectissime ratiocinari solet, atque adeo pro magno habendus est Philosopho, ab eoque artem ratiocinandi merito debemus discere. Ceterum nos docet Interpres, se objectiones Pyrrhonias non applicasse ad Theologica dogmata, adeoque sibi vitio verti non posse, quod Scepticos hos libros omnibus legendos tradiderit; ac magnis celebrari laudibus Charronium, Mich. Montanum, Vayerium, Gassendum, Bælium, Huetium, quos Scepticos fuisse satis constet. Quod si quis miretur, Interpretem nostrum non solvisse dubitationes Sexti, imo multis earum suis in annotationibus roboris nonnihil adjicere conatum esse, eum considerare jubet, non esse interpretis, Autorem suum refutare: se vero addit nec parem esse omnibus iis solvendis, nec eruditorum in gratiam hanc interpretationem suscepisse. Interjecto hinc sermone de Sexti persona & ætate & scriptis, naturam &In-

& indolem Philosophiæ Scepticæ describere aggreditur. Primum igitur monet, Scepticum magis videri contradicere aliis Philosophis, quam revera contradicere. Ei enim tantummodo propositum esse, iis infirmitatem suorum argumentorum ostendere, eoque pacto efficere, ut non se condemnent mutuo, sed amice ferant. Cum itaque Dogmatici sint perturbatores humanæ societatis, ac diversum sentientes odio persequantur & injuriis, Scepticum, se æque ac alios errare posse, ratum, neminem condemnare, sed sequi quemque jubere id, quod visum ipsi fuerit verius. Imo si vel maxime id agat Scepticus, ut maximi momenti doctrinas evertat, non scopum ejus intuendum esse, sed vim argumentorum, iisque, si bona sint, cedi debere. Secundo loco docet Interpres noster, Scepticos non negare *apparentiam*, ut cum vulgo loquamur, sed potius concedere, e. g. *videri* dari motum, tempus, locum, colores, virtutes, vitia: imo actiones suas ad id, quod *videtur*, regere solere, etsi relinquat in medio, verene se res quæque ita habeat, ut videtur, an non. Rejicit proinde acumen Diogenis Cynici, deambulatione sua refutare conantis Scepticos adversus motum disputantes: a Diogene enim id solum probari, quod omnibus videatur dari motum: hoc vero non negari a Sceptico, sed ab eo veram motus existentiam impugnari firmo argumento. Tertio observare nos jubet, a Sceptico nec affirmari quicquam, nec negari, sed ita eum cogitare: tua sententia videtur esse vera: at opposita sententia pariter vera videtur esse. Jam vero, utrius partis argumenta sint firmiora, perspectu difficillimum est: imo suæ cuique disputatori rationes videntur esse firmissimæ. Quarto addit, totum Scepticismum pro fundamento habere diversitatem sententiarum inter Philosophos. Quemlibet enim credere, a se clare cognosci suæ sententiæ veritatem. Cum igitur, uter fallatur, incertum sit, hinc sequi, de omnibus esse dubitandum. Quinto denique statuit, ea re Scepticismo maximam conciliari autoritatem, quod ostendat, philosophiam dogmaticam constare circulis vitiosis & petitionibus principii, hoc est, dogmaticos semper obscurum probare per æque obscurum incertumque. Imo ipsius syllogismi autoritatem Noster labefactat, demonstrans, ut ipse quidem existimat, omnem

 syllo-

syllogismum esse petitionem principii aut circulum vitiosum. Ha-
ctenus Præfatio. Ad annotationes Gallico Sexto subjectas quod attinet, sunt eæ non ita multæ, & illustrando Sexto destinatæ sunt, magnamque partem petitæ ex editione Cl. Fabricii. Ceterum nullo loco Sextum suum refutat Interpres, nisi quod tertii Libri Capiti primo, quo Sextus ille contra Dei existentiam disputat, adjunxit dissertatiunculam septem paginarum, in qua defendit illam Sexti disputationem frigida quadam ratione, simulque contendit, Christianos, utpote qui exemplo Abrahami *credere & sperare debeant contra omnem credendi sperandique causam*, partim ex ratione, partim ex revelatione satis certos esse de existentia & providentia Dei.

LA VIE DE FRANCOIS EUDES de Mezeray, hoc est, *VITA FRANCISCI EUDESII MEZERAJI, Historiographi Franciæ.*

Amstelodami, apud Petrum Brunelium, 1726, 8.
Pl. 8.

NArrat Autor in Præfatione, jam triginta quinque abhinc annis hanc se Vitam composuisse, cumque nunquam, ut eam emitteret, ab amicis impetrari potuisset, nunc, postquam Longus in *Bibliotheca* sua *Historicorum Franciæ* multa de Mezerajo falsa tradidisset, se coactum esse eam publicæ luci exponere. Natus est Mezerajus (nam compendium libri more nostro exhibere libet) Ryæ, quod exiguum est oppidulum Normanniæ inferioris. Pater, cui nomen Isaaco Eudesio, chirurgiam ibi fecit, & tres reliquit filios, quorum medius est Historicus noster; minor natu, Carolus, nobilis evasit Chirurgus; major natu, Joannes, celebris concionator factus est & conditor sectæ cujusdam pietatis studium præferentis, quæ ab eo dicta fuit secta *Eudistarum*. Historicus in lucem prodiit A. 1610: mensis ac dies natalis latent. Posteaquam in Academia Cadomensi strenue ac felici successu emensus erat studia literaria, Lutetiam se contulit, creatusque Commissarius

rius bellicus tribus expeditionibus interfuit. Cum vero suo genio minime congrueret hoc munus, eo sponte se abdicavit, privatusque vixit in urbe principe, ac ad ignobilitatem familiæ suæ tegendam adscivit nomen *de Mezeray*. Hic loci ut haberet, unde viveret, in animum induxit satyras scribere: quas cum edere non admodum periculosum eo tempore esset, & avide emerent populares, trium annorum spatio multum collegit pecuniæ. Hinc studio se dedit historico, cumque pro acumine mentis suæ permultos observaret errores in historicis Galliæ, vix viginti septem annos natus scribere aggressus est Historiam Galliæ, ac tam pertinaciter in hunc laborem incubuit, ut gravem sibi morbum contraheret. Quo cognito Richelius ei dono misit ducentos Imperiales: quod quidem multis eo consilio fecisse visus est, ut hoc pacto Mezerajum permoveret ad laudes suas in historico opere prædicandas. Ceterum Mezerajus, ut historia sua pluribus placeret, ornavit eam imaginibus Regum ac Reginarum, itemque singulis Regum vitis præmisit Joannis Balduini, amici sui, epigrammata vitam cujusque breviter complexa. Nec fefellit eum spes sua. Nam primus Historiæ Tomus mirifico exceptus est applausu, etsi quidam moleste ferebant, Mezerajum superiores Galliæ historicos, Gaguinum, Paulum Æmilium, Haillanum, Serranum, & Dupleixium, immiti persecutum esse censura. Tribus annis post, A. 1646 edidit alterum Tomum, & A. 1651 tertium. Posteriori hoc intervallo a quodam bibliopola conduci se passus erat ad emendandam & una cum continuatione sua rursus edendam Vigenerii versionem Gallicam *Historiæ Turcicæ Chalcocondylæ*. At cum Galliæ historia omnes ejus cogitationes in se converteret, factum est, ut Continuatio illa prodiret ineptissima dignissimaque contemtu. A. 1652 absoluto opere historico, satyrica sua edidit scripta, adscito nomine *Sandricurii*, quibus acerbe insectatus est Mazarinum & alios viros principes. Non laudat hoc Biographus, imo graviter reprehendit, & libellos illos vocat seditiosos: maxime eo nomine notat historicum, quod satyris vexarit Richelii nomen, immemor acceptorum ab eo beneficiorum haud tenuium. Postea Mezerajus ad *Breviarium Historiæ Gallicæ* componendum se accinxit, eique decem omnino annos impendit. Junxit laudabili consilio in isto

Breviario historiæ Gallicæ historiam ceterorum regnorum, itemque historiam ecclesiasticam, nactus hic adjutores Launojum & Diroisium. Prodiit prima hujus *Breviarii* editio A. 1668, idque applaudentibus quamplurimis, eruditis tamen errores in eo animadvertentibus haud paucos. Communiter tamen laudata fuit ejus sinceritas, libere professi, quicquid verum esse sentiebat. Inter alia cum aperuisset originem multorum tributorum, quæ Gallos emungunt, ea re provocavit in se indignationem Colberti. Correxit quidem in editione anni 1672 aliquot ejus generis loca: sed tam parum satisfecit Colberto, ut is ipsum privaret dimidia parte stipendii regii, nec ita multo post totum id ei eriperet, cognito scilicet, Mezerajum in colloquiis familiaribus asperiora in se emisisse verba. Quod quidem naturale fuisse historico nostro, multis exemplis docet Biographus, magnæque ejus existimationi tribuit, quod impune tulerit dicacitatem suam in viros maximos. Quanti enim fieret in Gallia, ex eo facile apparet, quod jam A. 1649 adscitus fuit in Academiam Francicam, cujus posthac etiam factus Secretarius, prima jecit fundamenta celebris illius Academiæ Dictionarii. Diximus, admodum mordacis ingenii fuisse Mezerajum. Id pluribus hinc exemplis manifestum facit Biographus, ac simul exponit, quam intractabilem se gerere consueverit. Addit, & in moribus & in vestitu eum fuisse impolitum, atque accidisse quodam tempore, ut pro vago mendico à servis publicis comprehenderetur, trahendus in ergastulum. Illud etiam haud immerito refert inter inconditi moris specimina, quod intimam coluit amicitiam cum caupone quodam, nomine Faucherio, homine insulsi ingenii, eumque scripsit heredem bonorum suorum. Nec illud risu indignum censet, quod semper ad lucernam, etiam in ipso meridie æstivo, tractavit literarum studia, discedentesque a se amicos, qui forte eum invisebant, ad januam domus deduxit, lucernam manu tenens tanquam alter Cynicorum Diogenes. Ad religionem quod atttinet, cum semper se præbuisset Scepticum & sacrarum irrisorem cærimoniarum, paulo ante excessum e vita coram amicis illius impietatis egit pœnitentiam, exstinctus anni 1683 decimo die Julii. Quam avarus fuerit, ex eo docet Biographus, quod magnas reliquit opes: idque etiam

Testa-

Teſtamentum ejus demonſtrat, quod totum hic exhibetur in ultimis libri paginis.

CONSPECTUS THESAURI ANTIQUITATUM Eccleſiaſticarum, edendi a JOANNE FRANCISCO BUDDEO, Theol. D. & P. P. O. & D. JOANNE GEORGIO WALCHIO, Eloquent. & Poeſeos P. P. O. ac Theologiæ Extraordin.

Lipſiæ, ſumtu Jo. Friderici Gleditſchii B. Filii, 1726, 4. Plag. 1.

Non tædebit integrum hic legere Conſpectum, cujus modo titulum dedimus.

Qui ad rem litterariam promovendam conſilia ſua conferunt, jam dudum intellexerunt, plurima maximaque ad eam redundare commoda, ſi ſelectæ doctorum virorum commentationes, præſertim quæ exiguæ molis ſunt, facile hominum oculis ſe ſubducunt, tandemque prorſus pereunt, colligantur, & in unum aliquod coire jubeantur corpus, & ita ab interitu vindicentur. Enata hinc ſunt varia Syntagmata, Bibliothecæ, Theſauri, in quibus ejusmodi ſcripta, ad certam quandam eruditionis partem ſpectantia, junctim exhibentur, in quibus *Theſauri* illi *Antiquitatum Græcarum Romanarumque*, Gronovii atque Grævii, haud ultimum locum tenent; quorum etiam exemplo conſtat, ejusmodi collectiones orbi erudito haud integras eſſe. Optarunt itaque viri eruditi, ut ſimili ratione ſcripta ſelectiora, quibus varia Antiquitatis Eccleſiaſticæ capita illuſtrantur, in unum collecta publicæ luci exponerentur; quamvis, qui manum ejusmodi operi admoverit, nobis hucusque non innotuerit. Cumque non dubitaremus, huncce eo magis ſe approbaturum laborem, quo latius antiquitatis eccleſiaſticæ patet uſus, & per omnem tum Theologiæ, tum Jurisprudentiæ, ſpeciatim eccleſiaſticæ, ſeſe diffundit campum, eo facilius ad illum ſuſcipiendum nos induci paſſi ſumus, quo proniorem virum honeſtiſſimum, Joannem Gottliebium Gleditſchium, invenimus ad ſaluberrimum iſtud inſtitutum ſuis ſumptibus promovendum. Neque omnibus ad iſtud perficiendum præſidiis nos deſtitutos

tutos putamus; siquidem bibliothecæ quædam publicæ atque privatæ, eæque istiusmodi librorum apparatu haud mediocriter instructæ, nobis patent, ex quibus, quæ usui nobis esse possunt, depromere licet. Sed nec dubitamus, quin viri quidam doctissimi, quibus hocce studiorum genus curæ cordique est, ope consilioque nobis sint adfuturi, ut scopum, quem nobis proposuimus, eo rectius consequi possimus. Immo hæc ipsa hujus scriptionis causa est præcipua, ut eosdem ea, qua par est, humanitate & observantia invitemus atque rogemus, ne istud facere dedignentur, sed potius sui erga bonas litteras amoris perennia hoc pacto statuant documenta. Grato enim istud nos, immo rem litterariam & ecclesiasticam juvandi studium agnoscemus animo, publiceque laudare non intermittemus, curabimus etiam, ne damni aut oneris quid ad quemque inde redeat. Monitis autem suis atque consiliis nobis proderunt, si ingenue significaverint, quænam scripta Thesauro huic inserenda, quænam omittenda existiment; tum vero si rariora quædam, quæ nobis forte non innotuerunt, indicent, & occasionem, qua iis potiri queamus, suppeditent, magno hoc ipso nos afficient beneficio, cujus memoriam nulla unquam delebit oblivio. Ut autem, quid ab iis exspectemus, eo rectius intelligant, instituti nostri, prout animo id concepimus, rationem paucis exponemus. Initio itaque sciendum, Antiquitatum Ecclesiasticarum, & quidem Christianarum, seu Novi Testamenti, ambitu istud circumscribi, cumque illis adeo, qui de Antiquitatibus Veteris Testamenti, aut Ebraicis bene meriti sunt, nihil nobis esse negotii. Cum autem porro nonnulli ecclesiasticas Novi Testamenti antiquitates amplis vastisque explicaverint voluminibus, hos itidem dimittemus, cum ejusmodi librorum interitus non temere metuendus sit, subinde etiam recudi soleant, omniumque sufficiant usibus, ne dicam, quod ita opus hocce immensæ prorsus molis futurum esset. Ejusmodi itaque conquiremus virorum doctorum commentationes, quæ non adeo magnæ molis sint, selectæ tamen, dignæque, quæ & conserventur & legantur ab omnibus. Hæ si alio, quam Latino sermone conscriptæ sint, curabimus, ut accurate & eleganter in huncce convertantur. Omnes etiam istos libros perlustrabimus, priusquam typis tradantur, a vitiis typographicis

phicis purgabimus, & loca veterum, ad quæ provocant, evolvemus, & num recte allegata sint, dispiciemus. Ordinem vero observabimus sequentem, ut *primo Tomo* exhibeantur scripta, generatim antiquitates ecclesiasticas illustrantia, aut earundem summam quamdam complectentia: *secundo*, quæ speciatim de personis sacris seu ecclesiasticis agunt; *tertio*, quæ loca cultui sacro apud veteres destinata describunt, aut quæ de iis observatu digna sunt, tradunt; *quarto*, quæ dierum cultui sacro destinatarum notitiam suppeditant, sive quæ de diebus festis veterum christianorum agunt; *quinto & sexto*, quæ de cultus divini variis partibus, concionibus, precibus, hymnis veterum Christianorum, similibusque exponunt; *septimo*, quæ ritus veterum Christianorum circa baptismum & sacram cœnam pandunt; *octavo*, quæ disciplinæ ecclesiasticæ, pœnitentiæ publicæ, eorumque omnium quæ eo spectant, rationem nos edocent; *nono*, quæ vitam privatam veterum Christianorum, itemque eorum nuptias, ac matrimonia, ritusque matrimoniales, disciplinam domesticam, rem scholasticam & catecheticam, sepulturam denique, & ritus in funeribus usitatos delineant; *decimo* denique, quæ de vexationibus adflictionibusque veterum Christianorum, & Martyribus, eorumque cruciatibus, & honore post mortem iis exhibito, Autores ex instituto commentati sunt. Ne vero specimen aliquod desit, ex quo instituti hujus eo rectius cognoscatur ratio, indicabimus ea, quæ Tomus primus complectetur. Sunt autem ista sequentia: I Compendium antiquitatum ecclesiasticarum ex scriptoribus apologeticis eorumdemque scholiastis & commentatoribus concinnatum. II Plinii *Epistola ad Trajanum*, cum notis & commentariis integris Gerhardi Joannis Vossii, Francisci Balduini, Conradi Rittershusii, aliorumque. III Joan. Tesmari *processus gentilium in Christianos sub Trajano Cæsare institutus & illustratus*. IV Eusebii Alexandrini *oratio de die Dominica*, cum versione & notis Joan. Guil. Jani. V Conradi Samuelis Schurzfleischii *Antiquitates Ecclesiasticæ*, ex manuscripto primum editæ. Volumen enim aliquod ipsius Schurzfleischii manuscriptum, ex bibliotheca Vinariensi benevole, jussu Serenissimi Ducis, Domini nostri clementissimi, nobiscum communicatum est, ex quo antiquitates istæ excerptæ, &

certo ordine dispositæ, ut integrum velut systema antiquitatum ecclesiasticarum exhibeant. VI Guilielmi Cavei *Christianismus primitivus*, in linguam Latinam translatus, testimoniis Patrum veterumque scriptorum ex ipsis fontibus summo studio adductis. VII Claudii Fleury libellus de *moribus Christianorum*, ex Gallicana lingua in Latinam conversus. VIII Joan. Frontonis de *moribus & vita Christianorum* dissertatio. IX Paganinus Gaudentius de *dogmatibus & ritibus veteris ecclesiæ*. X Joachimi Hildebrandi *sacra publica veteris ecclesiæ in compendium redacta*. XI Ejusdem, de *prisca & primitivæ ecclesiæ sacris publicis, templis & diebus festis, enchiridion*. XII Joannis Christophori Wagenseilii *analecta de doctrina & ritibus Romanæ ecclesiæ*. XIII Matthiæ Larroquani *adversariorum sacrorum libri tres*. XIV Tobiæ Pfanneri *observationes ecclesiasticæ*. XV Joan. Francisci Buddei *dissertatio de origine, dignitate & usu nominis Christiani*. XVI Gottfriedi Arnoldi *historia cognationis spiritualis inter veteres Christianos*. Hisce alia adhuc ejusdem generis addi; aut si visum fuerit, omitti quædam possunt. Jenæ, die 10 Sept. 1726

INDEX AUTORUM,

Quorum Libri aut Inventa hoc Volumine recensentur.

I Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.

Canisii

II Libri Juridici.

III Libri Medici & Physici.

Mar-

IV Libri Mathematici.

V Libri Historici, Geographici &c.

De

VI Libri Miscellanei.

Peri-

INDEX RERUM NOTABILIORUM.

Antio-

Bi-

Cle-

Cro-

Dogma-

Gebau-

Hydro-

Lumi-

Errata.

Pag. 9 lin. 1 lege ΙΟΥΔΙΕΩΝ, lin. 3 init. l. *quibus*, p. 128 l. 10 l. *Kauxdorffius*, p. 203 l. 4 pro *Olaum* lege *Christianum*, p. 305 l. 1 pro *qui* lege *quæ*, p. 350 l. 5 pro *qua* l. *quibus*, p. 487 l. 25 pro *malitiam* l. *militiam*, p. 547 l. 16 lege *relinquant*.

ACTA ERUDITORUM,

ANNO

MDCCXXVII.

publicata.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JOHAN. GROSSII Hæredes,
JOH. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.
ET
JO. CHRISTIANUM MARTINI.

Literis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.

LECTORI BENEVOLO SALUTEM!

T*Radimus Tibi Volumen Actorum LIX, si Tomum Supplementorum IX, cujus octo tantum Sectiones adhuc impressae sunt, computemus. Tantum vero abest, ut ceteris praestantia cedat, ut illa potius quodammodo dici possit superare. Jucunde enim praeter alia inde cognosces tot optima Opera in Anglia, maximam partem subscriptionis lege edita, adeoque inde a primo, quo in lucem prodeunt, tempore, non dicam extra Angliam, sed in Anglia ipsa, inventu difficillima ac rarissima. Nec ab ipsis instituti nostri initiis tam felicibus nobis esse contigit, ut ex Lusitania novi libri ad nos perferrentur; quod hoc tamen anno factum esse patet, ut non dissimulandum sit, non tam libros amplius ex oris illis, quam recensores hujus linguae gnaros nos desiderare. Interim ad Historiae Litterariae*

insigne ornamentum spectat, quod Actorum Academiæ Historicæ Regiæ Lusitanicæ ab A. 1721 & 1725 recensum dedimus hoc anno satis amplum, ut alia nunc taceamus. Optandum jam nobis foret maxime, ut in Hispania pariter reperiatur, qui commercium nobiscum instituere aveat. Nec defuere etiam, quæ in Italia, Gallia, Belgio & Germania nostra prodiere, in quibus exstitere etiam, quæ non in omnibus tabernis prostant. Reperti quidem sunt inter novos, Belgii maxime, Litteratores, qui splendidas suas Autorum editiones, quas quotidie protrudunt in forma quarta, non satis subinde a nobis laudatas, scaphamque scapham appellatam, indigne tulerunt; & visi nobis sunt valde ridiculi Typographi nonnulli Belgæ, qui cum animadverterent, censuris nostris justis unum alterumve emptorum absterreri, a nobis datis literis rogarunt, ne librorum a se impressorum mentionem ullam faceremus in Actis nostris; qui nesciunt profecto, nos in illis condendis non id curare, quod typographorum, sed quod lectorum doctorum emptorumque potius interest. Quare si bonos & probe elucubratos produxerint Autores, non est, ut fugiant nostra elogia, sin parum præstiterint, præter externum ornatum, penes ipsos haud stabit, num sententiam nostram expromere, an tacere potius malimus. Si quis tamen se injuria a nobis provocatum crediderit, ei jus inculpatæ tutelæ minime denegabimus, parati quippe Actis inserere, si quid modeste reponendum habuerit, & vel moderaturi judicium nostrum, vel ejus rationem reddituri accuratius. Vale.

No. I.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januariis Anno M DCC XXVII.

COLLECCAM DOS DOCUMENTOS, STATUTOS e memorias da Academia Real da Historia Portugueza.

h. e.

COLLECTIO DOCUMENTORUM, STATUTORUM & Commentariorum Academiæ Regiæ Historicæ Lusitanicæ, inde ab A. 1721 ad 1725 compositorum, & jussu Censorum Academiæ editorum; dedicata Augustissimo Regi & Protectori, & in ordinem redacta a Comite de VILLARMAJOR, Academiæ Secretario.

Tomi V.

Ulyssipone occid. apud Pascoal da Sylva, 1721--1725. fol. Alph. 33.

QVanquam plures Viri eruditissimi omnem curam cogitationemque ad antiqua historiæ monumenta perscrutanda contulerint, ac nihil reliqui fecerint, quod ad universam in luce collocandam pertinebat, attamen superante laborem rerum multitudine ac varietate, factum est, ut ex tenebris eruenda in quavis illius parte haud pauca supersint. Igitur permagnam ab omnibus historiæ studiosis gratiam inivit Illustrissimus Comes *de Villarmajor* (quem primi hujus operis Voluminis titulus indicat, seu, ut in ceteris vocatur, *Emanuel Tellez de Sylva*, Marchio *de Alegrete*, quem eundem esse opinamur) qui, Academia, cui a secretis est, re-

giis auſpiciis Ulyſſipone in hunc finem ſtabilita, id operam dedit, ut Hiſtoria Luſitana, multis adhuc obſcuritatibus involuta, magnisque defectibus laborans, ſincere ac integre literis mandetur. Quando illa ceperit initium, moneta in ejus memoriam cuſa & Regi ab Academia oblata declarat, cujus prima facies exhibet vultum Regis cum inſcript. JOHANNES V LUSITANORUM REX, altera vero Regem ſtantem, qui adgeniculantem (hactenus fere jacentem) Hiſtoriam manu allevat, cum lemmate: HISTORIA RESURGES; infra leguntur verba in compendium redacta ſequentia: *REGia ACADemia HISToria LUSITana INSTITuta VI IDus DECembris* M D CC XX. Membrorum hujus Academiæ numerus, ut ex ſtatutis patet, quibus de electione Academicorum, eorumque munere, directore, cenſoribus quatuor, ſecretario, miniſtris, Academiæ inſignibus & ſigillo agitur, ad quinquaginta aſſurgit, eorumque nomina peculiari hic indice comprehenduntur. Singulis aſſignatæ in Hiſtoria Eccleſiaſtica vel Civili, Latine vel Luſitanice ſcribenda, partes, ſub rubrica, *Diſtribucao dos Empregos Academicos* memorantur. Leges ipſis præſcriptæ, quæ in utraque concinnanda obſervari debent, & ſub titulo: *Syſtema da Hiſtoria Eccleſiaſtica & Secular de Portugal* referuntur, eo tendunt, ut in hiſtoria Eccleſiaſtica cujuslibet diœceſeos præſides, ſynodi & concilia, templa, monaſteria, Academiæ, Viri ſancti aut illuſtres, loca miraculis & reliquiis clara &c. duodecim capitibus ſigillatim deſcribantur, hiſtoria autem civilis variarum gentium dominationis, Romanorum, Gothorum, Maurorum, periodos, Regum Genealogiam, fata, res geſtas, bella, quæque his in Aſiæ, Africæ & Americæ regionibus parta fuerint, legationes & fœdera omniaque reliqua ad ſtatum regni politicum & militarem pertinentia enarret. Prima Luſitaniæ ſacræ, eaque maxima & clariſſima pars erit hiſtoria Eccleſiaſtica transmarina, Aſiatica, Africana & Americana, de qua *Roderici Coſtii*, cui illius ſcribendæ munus a Rege demandatum fuit, Epiſtola Latina ad Comitem Villarmayorium legi præ ceteris meretur. Atque huic fini obtinendo, Academici provinciales collecta ex totius regni tabulariis & excerpta ad Academiam mittere tenentur, vi mandati regii, quod hoc Tomo ſub titulo: *Memoria das noticias que ſe devem man-*

mandar dos Archivos do Reyno fuse exponitur. Congressus & colloquia singulis quindecim diebus habenda sunt, & ea, quæ Tomo I recensentur primo loco, deliberationes ad ordinandam academiam spectantes, quæstiones & dubia, de methodo hanc vel illam historiæ partem tractandi, difficultates in singularum illustratione removendas, propositiones de variis historiæ Ecclesiasticæ & civilis capitibus, necessariis ad ea monimentis exquirendis aut jam collectis, vel alias disquisitiones generales & relationes de Academicorum institutis continent. Sic, ut Ecclesiastica nunc fere prætermittamus, quæ maximam quidem operis partem implent, de Rege Duarte, de Ofura cum Ophir Salomonis collata, de Regis Sebastiani historia, de *Barbosæ Machado* Bibliotheca Lusitanica 5000 scriptoribus constante, de vita Sanchonis II & Alphonsi III, de Regis Emanuelis historia, de historicis dubiæ fidei in primi regis Lusitaniæ Henrici, item Johannis I & Johannis III vitis, de vitis Regum Sanchonis I & Alphonsi II, de inscriptionibus quibusdam Romanis, L. Portio, C. Numisio & Æsculapio dicatis, Salaciæ (*Alcacar do Sal*) & Santiaci (*Santiago de Cassem*) repertis differitur, ac de familia inter Romanos clara Portiorum, origine & antiquitate urbis *Santiago de Cassem*, & *Andreæ Resendii* fabula de arcu quodam triumphali in urbe *Castro Verde* vocata, disquiritur, item de Goa, de nonnullis regni tabulariis, de concilio Braccarensi, de nomine *Port a Port*, de Regis Sebastiani vita, de Regum Johannis I & Johannis III vitis, de fide & autoritate quorundam historicorum dubia visa Academicis, ubi *Catalogus Autorum suppositorum* additur, & Berosus Chaldæus, Megasthenes Persa, S. Athanasius de Saragossa, Caledomius Episcopus Bragensis in vita S. Petri, Gregorius Beticus in catalogo martyrum Hispaniæ, Lucius Flavius Dexter, Marcus Maximus, Braulio, Maximi continuator, Ludov. Brandus, Haubertus Hispalensis, Liberatus, Aulus Halus, Servandus, Petrus Seguinus, Haleca, Julianus Perez, tanquam subdititii, familia submoventur; cui observationi duodecim regulæ criticæ in historia ecclesiastica observandæ annectuntur. Præter colloquia Dissertationes aliquot & Orationes huic tomo insunt, & prima quidem Diss. cujus Autor *Don Luis de Lima* est, de novo quarundam vocum Latinarum

usu in historia ecclesiastica & seculari permittendo ac licito agit, quam sententiam *Hieronymus Godinius*, Nizensis, in secunda, de novatis sacrorum magistratuum nominibus, confirmat. Tertia, Autore *Emanuele Azevedo de Soares*, historico-juridica, potestatis Judæorum in mancipia Christiana, sub imperio Romanorum, limites designat, eosdemque *Alvarez de Costa* sequenti dissertatione prolixius ostendit. Ad Orationes pertinet I elogium socii cujusdam academici defuncti, *Julii de Mello de Castro*, quo ingenii ejus ad poesin aptissima dexteritas, & fœcundissimæ imaginationis ad Lyricos versus lingua Hispanica & Lusitanica pangendos vires, laudibus in cœlum tolluntur, ejusque poema *Romance heroico* dictum, ac opus *de vita Comitis Das Galveas*, prosa non minus eleganter scriptum, maxime prædicatur. II Panegyricus, quem Illustr. *Comes de Ericeira* in electionem summi Pontificis Innocentii XIII recitavit, doctus plane & venustus, quo antiquissimam ejus familiam & egregia merita amplissime viginti foliis percenset. III Patris *Cajetani de Susa* sermo, quo ultimum primi hujus anni colloquium clausit, eoque insignium Academiæ formam decussatam, ac palmis duabus ornatam, in cujus medio veritas cubo innixa, cum inscriptione: *OMNIA RESTITUET*, conspicitur, disertissime & magno eruditionis apparatu explicat, ac Regi, ceu Genio tutelari, Academiam submisse commendat. Hactenus de Tomo I.

Tomo II inter alia de Rege Immanuele ac tribus ejus uxoribus, Isabella, Maria, Eleonora, filiisque & filiabus, de Alphonsi I filio, D. Fruela, & D. Aurelio, Tributi cujusdam centum virginum annui, Regis Cordubensis Abdorrahmani lasciviæ exponendarum fundatore, de origine vocis *Lisboa* Arabica, illius urbis antiquitate, variisque Latinis nominibus, de controversia ob Insulas Moluccas inter Regem Lusitaniæ & Castellæ orta, & Geographicis in ea difficultatibus, de nonnullis ad Historiam Regis Johannis I & Alphonsi II pertinentibus, de ordine inter militares principe, *d'Aviz*, de Historicis scriptoribus hæreticis caute legendis, & de trium primorum seculorum historia ecclesiastica secundum regulas criticas scribenda, de Rege Sebastiano, de vita Regis Sanchonis II, ejusque scriptoribus parum exactis,

actis, de difficultatibus historicis in vita Johannis II, de Rege Dionysio, de adventu Tubalis in Hispaniam, de ministris Regis Duartis, de variis quæstionibus ad Historiam & Geographiam Africæ, Æthiopiæ, Indiæ, Americæ Lusitanicæ spectantibus, in harum regionum expugnationis historia discutiendis, e.g. num credibiles sint actiones militares Lusitanorum in his oris celebratæ? num justæ fuerint earum oppugnationes? num Græci, Romani, Carthaginenses aut aliæ nationes per Oceanum Atlanticum in Indiam navigarint? num Reges, Bethlehemum profecti, ex Malabaria venerint? num S. Thomas in India & China prædicarit evangelium? quale fuerit regnum reginæ Candacis, cujus Eunuchum S. Philippus convertit? num America sit insula aut continens Europæ pars? quinam post diluvium illam inhabitarint? Tum porro agitur de Regibus, Sebastiano, Sanchone II, & Bermudo, qui, ut centum virginum tributo se liberaret, bellum intulit Saracenis, de Hispaniæ diœcesium per Constantinum M. facta divisione, de Catalogo Chronologico-Historico-Genealogico-Critico Reginarum Lusitaniæ scribendo, deque historia Ordinum militarium componenda, de vitis Sanchonis I & Alphonsi II, de origine nominis Lusitaniæ, de Geographia Indiæ exactiori necessaria, de historia Petri I & Ferdinandi, de Regina Catharina & Regibus Sanchone II, Alphonso III, Johanne I, II, III, IV, de Miranda, a Romanis Contia dicta, & hujus vocis etymologia aliisque ei homonymis civitatibus, de claris Lusitanis in historia Romana & Lusitanica, de divisione Lusitaniæ tempore Romanorum. Accedit his relatio de inventis passim documentis in variis regni monasteriis, quæ prolixius hic recensentur. Inter Orationes, colloquiis insertas, prima est Marchionis Allegretensis, qua secundi hujus anni congressum auspicatus est. II Elogium *Francisci de Almeida*, Academici defuncti, qui ob linguarum, Latinæ, Gallicæ, Italicæ, Hispanicæ peritiam singularem, & insignem eloquentiam, qua Reginas Lusitaniæ & alias summates Matronas descripserat, deprædicatur. III Sermo, quo Regi ob exemptionem librorum Academiæ a censura supremi tribunalis, *Decambargo do Paco* dicti, gratiæ aguntur. IV & V Panegyrici duo in die natali Reginæ & Regis

recitati. VI. Concio, qua hujus anni colloquiis Marchio de Alegrete clausulam imponens, circulo figurarum perfectissimo Academiam assimilat, cujus centrum Regem appellat, miro comparationum artificio usus. Dissertationes hæ sunt: I Judicium de Petro Rege I, quem justum potius quam Crudelem vocandum, asseritur; II de adventu S. Jacobi in Hispaniam, qui pluribus argumentis probatur; III, de primo seu potius unico prædicatore Evangelii in Lusitania totaque Hispania, ubi de sancto Jacobo fusius disputatur, & S. Paulum Hispaniæ Apostolum esse, solutis omnibus objectionibus, demonstratur.

Tomo III, qui, æque ac quintus, in eo a ceteris differt, quod paginarum numerus, quem illi vel repetunt per singulos congressus, vel plane omittunt (uti nec congressus singuli numeris, nec charta alphabetis distinguitur) justa serie accessit, agitur imprimis de Rege D. Ramiro p. 37, de vitis Regum Sanchonis I & II parum hactenus exactis p. 43, de historia Regis Johannis III p. 47, de examinandis scriptoribus vitæ Reginæ Isabellæ, & Chronico Regis Dionysii a Rui de Pina scripto p. 48, de fabula Geryonum & Herculis p. 51, de historia Insulæ Melitæ p. 53, tum de vitis Regum Petri I & Ferdinandi p. 68, de Sanchonis II historia p. 81, & Johannis II p. 95, de historia Fœderum & pactorum regni Lusitaniæ colligenda, & singularibus quibusdam conventionibus, simul expositis, aliisque Fœderum ejusmodi collectionibus jam editis, p. 102, de Imhoffii historia Genealogica Regum Lusitaniæ, de qua judicium additur, p. 220, de bello inter Sanchonem I & Regem Legionis ejusque causis hucusque obscuris, p. 235, de Geographia Lusitaniæ exactiori perficienda p. 258, de historia ecclesiastica Algarbiæ, & hujus nominis origine Arabica, p. 282, de antiquis Laconiæ, hodie *Lamego* dictæ, incolis p. 285, de erroribus scriptorum vitæ Sanchonis II p. 313, historia Alphonsi M. p. 330, Johannis II & Immanuelis p. 334, de primo Lusitaniæ Rege Henrico ejusque visione in bello contra Mauros, quam *Ludovicus de Camoens*, Poetarum Lusitanicorum princeps, descripsit, & ex eo aliisque historicis illius miraculi veritas demonstratur, p. 338, de Regis Dionysii vita p. 335, de parte historiæ Fœderum, ad commercia & navigationem spectan-

ctantis, p. 349, de victoria in bello contra Mauros apud urbem Santeremum, novæ militiæ virtute parta, p. 356, & de expugnatione Ulyssiponis, & regni sede ibi constituta, p. 361. Inter Orationes sunt singulares I Elogium Academici defuncti D. *Ferdinandi de Noronha* Comitis *de Mosunto*. II & III duæ in diem natalem Reginæ & Regis p. 265 & 319. III Marchionis de Valenca, qua ob Principis regii natales Academiæ congratulatur, & multorum Lusitaniæ Regum exemplis virtutum propositis, recens natum Principem similem illis fore auguratur. IV Sermo Caetani in fine ultimi congressus dictus, quo Academiam cum Rhea magna matre comparat, & omnia quæ in hujus cultu & repræsentatione antiquitas observavit, ad illam ingeniosa assimilatione refert, imitatus, ut ipse ait, Virgilium, qui Romam cum Berecynthia, fœcunda illa matre, Æn. VI v. 20 seqq. contulerat. Dissertationes duæ sunt, quarum prima foliis 106 constans, veritas primi concilii Braccarensis, a Bernhardo de Brito detecti & in Parte secunda historiæ Lusitanicæ luci expositi, asseritur; altera vero exegetico - critica, folia 54 complectens, fabulosum illud & suppositum esse probatur, ac in ejus principio monasterii S. Mariæ de Alcobaca Bibliotheca, totius regni instructissima, laudatur, e cujus manuscriptis Bernh. de Brito *Monarchiam Lusitanicam* & Concilium Braccarense deprompsit.

In *Tomo IV* memorari merentur: Oratio Marchionis de Abrantès, introitus loco in prima hujus anni sessione pronuntiata, qua Historiæ leges explicans, ad industriam constantem Academicos hortatur; & Elogium funebre *Antonii Simoens*, cui historiæ ecclesiarum Evoræ & Leiriæ scriptio demandata fuerat, quam imperfectam reliquit, Viri præter rerum sacrarum notitiam, haud vulgari Philolophiæ & Matheseos scientia clari. Singularia inde afferuntur de antiqua provinciæ Braccarensis Geographia tempore Romanorum, Suevorum, Gothorum, de Aquis Flaviis Juliis, colonia Romana, & Aquis Læis, urbe hodie Læio dicta. Nec minus lectu dignus Index Manuscriptorum Comitis de Vimieiro quadringentorum, quæ ad Historiam ecclesiasticam & civilem ac Geographiam pertinent; ac sequentibus colloquiis porro singula in medium proferuntur. De contradictionibus inde

inde historicis in vita Sanchonis II tollendis agitur. Exponuntur & hic Lusitanorum in Asia & Africa victoriæ tempore Regis Sebastiani, Sanchonis II res gestæ, expugnatio Septæ sub Johanne I. Oratio congressum hujus anni finiens, qua Academia cum figura quadrata, quatuor velut sapientiæ columnis, electis quippe intra quatuor hos annos totidem directoribus prudentissimis, fulta, componitur, & intra hoc quadriennium horrida quatuor monstra, ignorantiam, invidiam, pigritiam, discordiam, debellata esse ab Academicis, prædicatur.

In *Tomo V* de provincia veteri Turdetana, Algarbiæ parte, & ejus incolis singularia memorantur, ut & de Mauris ex Algarbia per Reges Sanchonem I & Alphonsum III ejectis. De inscriptionum in regno Lusitaniæ repertarum collectione, deque erroribus vulgaribus in Historia, Genealogia & Chronologia Regum Lusitaniæ corrigendis consilium aperitur. Origo nominis veteris *Amea*, quo urbs *Portalegre* notatur, a Cerere fere derivatur; ubi & de Bocharti etymologiis Phœniciis nominum Lusitaniæ & Hispaniæ judicium fertur. Instituitur quoque recensio duorum manuscriptorum ex bibliotheca Comitis de Vimieiro, ad vitam Regis Emanuelis & Johannis III & Lusitaniæ Geographicam ac Politicam descriptionem spectantium; S. Jacobi Majoris iter in Hispaniam ex quingentis autoribus probatur. Agitur & de biographorum Johannis I & Alphonsi II contradictionibus & difficili eorum conciliatione, de Tabulis Geographicis exactioribus concinnandis, & meridiano insulæ Ferri eligendo, de historia Lusitaniæ Regum genealogica in tres partes dividenda, deque manuscriptis nonnullis bibliothecæ Comitis de Vimieiro, historiam & antiquitates Lusitaniæ & Hispaniæ continentibus. Præter Orationes in die natali Reginæ, Regis, & Principis regii habitas, notabilis est ultima, qua Comes de Ericeira conventum hujus anni obsignans, cum Sole Academiam magna eloquentia comparat. Ac quum singulis lustris seu quolibet quinquennio finito, veteres Romani vota pro reipublicæ salute conceperint, hoc Academiæ lustrum votis pro Rege, augustissimo illius Statore, nuncupatis claudit. Inter Catalogos præcipuus hic comparet, qui Pontifices, Cardinales, Archiepiscopos, Episco-

scopos, natione Lusitanos, extra Lusitaniam his dignitatibus eminentes, recenset, cum notitia topographica urbium & Ecclesiarum ordine alphabetico, ubi multa memorabilia geographica & historica, scriptoresque rari, se offerunt. Sic p. 261 Adrumetum, urbem in regno Tunis sitam, vulgo Mahometta, Arabice *Mahammetta* vocari, observatur; p. 264 de duabus Amyclis agitur; p. 286 de urbe Geographis ignota *Cirindovi*; p. 327 de Sardica Thraciæ urbe, Turcis *Triaditza* dicta; p. 332 de Tiberiade urbe Palæstinæ, hodie *Tabaria* nuncupata; p. 334 de Tirissa, Mœsiæ inferioris urbe, hodie *Cerisey* dicta, &c. In ipso vero Catalogo Lusitanorum illustrium scripta eorum passim annotantur, ut Roderici da Cunha p. 69, Ludovici de Cerqueira p. 101, Hieronymi Mascarenhas p. 161, Hieronymi Pereiræ p. 165, Thomæ de Faria p. 275. Accessit etiam peculiaris Index scriptorum, ex quibus ille Catalogus historicus & geographicus desumtus est, ut constet, quosnam Autor ignorarit, qui plures illi amplificando aut corrigendo idoneos ad suam notitiam perferri optat. Ceterum passim in universo opere Catalogi inseruntur Archiep. & Episcoporum, aliaque afferuntur, quæ ad Historiam Eccl. Lusitaniæ, Ordinum item, imprimis Melitensis, Inquisitionis tribunal & similia spectant; immo etiam alia, quæ Lusitaniam primario non concernunt, ut cum T. II de disciplina Eccles. moderna, ejusque cum veteri consensu, item de antiquitate dogmatis transsubstantiationis agitur, ut cetera omittamus.

L'ANFITEATRO FLAVIO.

hoc est,

AMPHITHEATRI FLAVII VULGO COLOSSEI descriptio & designatio; Autore CAROLO FONTANA, Equite.

Hagæ Com. apud Isaac. Vaillant, 1725, fol. ch. aug. Alph. 11 Tabb. æn. maj. 24.

ANtiquioris Architecturæ reliquiæ, quales in Italia & extra Italiam extant, non tantum oblectationi sunt curiosis, qui pretium ex raritate æstimare solent, & rerum in modernis non occurrentium conspectu, tanquam novitatem in ipsa vetustate

quæ-

quærentes, capiuntur: sed solidioribus ingeniis serviunt ad lucem inferendam historiæ veteri, quatenus hæc ex circumstantiis de locis & functionibus ad certa loca relatis distinctionem desiderat. Architectis autem præcipuæ curæ est quicquid Romani ingenii magnitudinem in inveniendis & dispensandis harmonicis rationibus sapit. Quo respectu quævis veterum ædificiorum ruinæ Archetypum artis Systema ipso opere exprimere creduntur, quod præstantissimi quivis in arte communi consensu sequuntur. Quamobrem Nobilissimum Equitem *Carolum Fontanam* tam erudita & exacta descriptione Amphitheatri Flavii, qualem haud facile quisquam circa ullum antiquitatis vestigium suppeditavit, plurimum adjumenti ad artis præsidia attulisse censebunt, quicunque inter judiciosam œconomiam & confusam ἀλογίαν discernere didicerunt. Absolvitur opus Libris quinque, quibus præmissa est generalis de Theatris & Amphitheatris introductio. In ea primum attingit originem Theatrorum apud Græcos; hujus structuræ rationem deinceps in Anti-Rhodo Dionysius excoluit. Hinc pervenit ad Romanos, occasione & epocha ex Livio & Ovidio notis. In capite secundo Theatra & Amphitheatra distinguit ex figuris, quas Varro, Cassiodorus, Isidorus prodiderunt: Vitruvii doctrina in hoc negotio tanquam reliquis instructiore supposita. Tertio de materia & tectorio agit. Græcis Theatra antiquissimis temporibus statim marmorea fuerunt, exceptis Atheniensium ligneis & mobilibus. Tegebantur velis ad pluvias & tempestates arcendas. Nam neque firmum neque perpetuum tectorium fuisse, probat trajectus liber columbarum & avicularum, quæ ex ritu in theatro dimittebantur. Velis successit deinceps subinde tectorium ex ligno, uti cedrinum illud Atheniensium in Herode Philostrati, & in Theatris Corinthiorum ac Valerii Ostiensis. Cæsar sericum primus prætensum voluit. Ex Lucretio, Propertio, Martiale colligitur, Lentulum Spintrium primum antennis vela applicuisse. Caput quartum disquirit de usu Scenæ. Cassiodorus; *frons Theatri fuit seu locus actorum unde & in proscenium prodibant histriones acturi.* Isidoro cum Orchestra confunditur. E ramis & frondibus primum, deinde e Tabulis pictis & ad variandum mo-

mobilibus. Tandem invaluit pro ludorum diversitate, hoc est, Tragœdia, Comœdia, Satyra, curatior & exquisitior ornatuum ratio. In quinto capite machinæ describuntur, sed ex illarum genere, quas Vitruvius Lib. V, c. 7. περιάκτες seu trigonos versatiles vocat. Unde optandum esset, Clarissimum Autorem, quid de altero genere ductilium sentiat, quas Servius memorat in Virgilii Georgica, notante Perralto ad hunc Vitruvii locum, exposuisse. Sexto capite agitur de vasis æneis attemperatis ad consonantias vocum, & per gradualia passim dispositis, ut vox extensa clarior redderetur. In septimo capite de orchestra, sedilibus modoque sedendi in Theatro apud Romanos tractat. Orchestra locus erat inter caveam & scenam, ubi Comici & Tragici canere & mimi agere solebant. Senatores spectandi causa in orchestra sedebant, post ipsos ordines equitum, deinde cives, tandem feminæ. Cæsar assedit in curuli; Tiberius & Sejanus in sellis inauratis. Deinde per gradus sedilia quoque alia fuerunt. Capite octavo circa ornatum Theatrorum notat, Claudium Pulchrum Scenam primum coloribus illustrasse; C. & M. Antonios argento, Petrejum auro, Q. Catulum Ebeno. Caput nonum dedicationes & consecrationes considerat juxta illud Valerii Maximi: *Ut Diis cultus & Hominibus oblectatio quæreretur*; Scenicos ludos Baccho, locum ipsum Veneri plerumque, rarius Dianæ, Apollini, Musis sacrum fuisse. Fundatores capite decimo excitans Quintum Curium primum stabile Theatrum Romæ exstruxisse e Tertulliano probat, cum antea mobilia fuissent. Quidam Pompeji Theatrum pro illo ponunt. M. Scauri Theatrum primum ob luxum notatum capite undecimo describit ex Plinio. Duodecimum refert, M. Curii duplex fuisse, utroque dimidio circa axem volubili, ut juncta Amphitheatrum efficerent. Caput decimum tertium inquirit in verum situm Theatri Pompeji, rationes ornatuum, & scenam ejusdem. Supra Caveam templum Veneris erat, gradualibus Theatri simul templo servientibus. Gellius templum victoriæ vocat. Restauratum a Tiberio, perficiente Calligula. Nero ambitiosa ostentatione inaurasse creditur die uno. Ultimum refecit Theodoricus, teste Cassiodoro, & indice lapide, invento A. 1691, ac asservato a Domino *Ciampini*.

Caput decimum quartum deſcribit Theatrum Marcelli, in quo M. Scaurus ædilis primus Hippopotamum & Crocodilum, ac oſſa monſtri Andromedei ex Judæa transvecta, Auguſtus Tigrim, inter novitates de more populo exhibendas propoſuerunt. Caput quintum decimum occupat Hiſtoria Theatri exſtructi a Balbo Gaditano, qui primus inter peregrinos triumphavit. Capite decimo ſexto enumerantur amphitheatra in Italia, Garlii in Campania, Puteoli, Capuæ, Albæ Latii, Oſtrocollæ Umbriæ, quorum vel rudera, vel veſtigia ſuperſunt: extra Italiam Polæ in Iſtria, Hiſpali in Iberia; & in Gallia, loco non addito, quem tamen Burdegalam eſſe apparet. Pulcherrimum omnium Veronenſe, cujus prolixiorem deſcriptionem exhibet caput decimum ſeptimum.

Jam, quæ continentur in Libris duobus prioribus, ejusmodi ſunt, ut compendium vix admittant. Nam primo Libro habetur Ichnographia terrena omniumque Theatri planorum, complexa Sphæras omnes cum arcuum, pilarum, ambulacrorum, cuneorum, gradualium, præcinctionum, a Sphæra extrema usque ad podium regium, apparatu: ſic quidem, ut Sectiones murorum, quorum portiones adhuc extant, in vivo plenæ, reliquorum ex veſtigiis tantum innoteſcentium dilutiores exhibeantur. Accedunt orthographiæ exterioris Amphitheatri, qua ſeptentrionem & occaſum ſpectat, & Sectiones ſeu orthographiæ interiores ortui & ſeptentrioni obverſæ, nec non Tabula ſingularis exhibens planorum omnium ſectionem majori modulo expreſſam cum ornatuum projecturis. Sed hæc omnia ad ſtatum præſentem faciunt. Librum ſecundum incipit Ichnographia terrena reſtituta, quæ œconomiam totius Amphitheatri, qualis integri fuit & illibati, complectitur. Huic ſubjiciuntur Ichnographiæ reſtitutæ planorum quatuor terreno imminentium, & alia prætenſionis velorum. Singulis enumeratio partium & menſurarum accurata aliaque adjiciuntur, quæ percenſere, eſſet totum opus exſcribere. Excipit ſeptimo capite hujus libri inveſtigatio generalis harmonicæque conſtructionis pro Amphitheatri plano & elevatione, ex Ellipſi & Semicirculis derivata, & vel ſimplicitate ſua commendabilis; octavo & nono, orthographia integri & per

per verticem secti planis transeuntibus per axem utrumque extimæ Sphæræ; decimo dispositio columnarum per ordines quatuor sibi impositos in muro exteriore, usque ad summam coronidem, cum antennis; undecimo Sectio partis cum Scenographia applicationis velorum, figuris majore modulo expressis. Decimum tertium caput habet Scenographiam graduum a podio Regio, & decimum quartum illam Amphitheatri totius secti verticaliter juxta axem majorem, partesque omnes oculo in ipsa Cavea conspicuas exponentis.

Tertius Liber pandit Historiam profanam Amphitheatri Flavii, & sigillatim inquirit in situm, erectionem, dedicationem, restaurationes successu temporis factas; partesque singulas excutit, ut Caveam, podium Regium, gradualia, sedilia, vela prætensa summæ coronidi, antra & carceres, cloacas & aquæ ductus cum Euripo; considerat porro capacitatem Amphitheatri, effectum vocis quoad sonoram extensionem & reverberationem, suffitus e croco accendi solitos ad aerem purgandum, Patronos quibus dedicatum, & festa quæ in ipso celebrari fueverunt. Quartus historiam sacram seu Martyrologium habet hujus loci, & mentionem facit SS. Ignatii, Eustachii & Theovistæ, Tatianæ, Abdon & Sennen, Euphemiæ, Placidi, Zenonis & 1200 Martyrum, Sempronii, Olympii, Exuperiæ, Theoduli, 262 Martyrum, Genesii, Dominicæ, Viti Modesti & Crescentiæ, Almachii, Marcelli & Eusebii, Restituti, Martinæ, Felicitatis, Mennæ, Johannis Pretensis; qui omnes vel in ipso Colosseo, vel in petra scelerata, quæ prope erat, periisse dicuntur. Hisce omnibus subjungit Ideam templi Libro V, quod in Caveæ Amphitheatri exstruendum proponit ad renovandam celeberrimi loci gloriam. Denique notamus, opus hoc splendidum non Hagæ re vera, sed in Anglia subscriptionis lege fuisse excusum.

P. TERENTII COMOEDIÆ AD EXEMPLAR Faernianum a Petro Victorio editum A. M. D. LXV, summa fide recensitæ, Lectore semper monito, ubi a Faerno disceditur. In hac insuper editione versuum genera diversa diligenter indicata sunt; quidquid vero in iis difficile aut impedi-

 pedi-

peditum, nova quadam methodo tam facile redditur, ut quivis statim intelligat. Accedunt FAERNI *emendationes integræ, & quæ alia erant in editione Victoriana, nec non* DONATI *quædam, cum Indice locupletissimo. Recensuit, notisque auxit & Dissertationem de Metris Comicis adjecit* FRANCISCUS HARE, *S.T.P. Decanus Wigorniensis & Regiæ Majestati a Sacris. Editio altera, auctior & emendatior.*

Londini, ex Officina Jac. Tonson & Jo. Watts, 1725, 4. Alph. 3, Plag. 3½.

VIr eruditissimus, *Franciscus Hare*, qui in Epistola Dedicatoria ad Illustrissimum Vice-Comitem *Townshend* abunde declaravit, quam bene noverit Terentium, omnibus subsidiis haud perfunctorie instructus ad novam hanc editionem adornandam accessit. Postquam enim ea omnia, quæ ad Fabulæ constitutionem, Mores, Sententias & Dictionem pertinent, sedulo notaverat & plane imbiberat, primum quidem codices manu exaratos & vetustissimos impressorum circumspicere cœpit: sed cum ex reliquo numero editionem Faernianam præstantissimam esse cerneret, eam summa fide denuo exprimi & cum eruditis communicari voluit, ita tamen, ut ex optimis interpretibus, ex MSS. & impressis non pauca adjiceret, emendaret, quæ partim Faerni diligentiam fugerant, partim iste nimio amore libri Bembini abreptus admiserat. Communem inde cum aliis multis tulisset laudem Cl. Editor, si vel maxime multa egregia in Terentium contulisset. Itaque longe majora & prorsus singularem medelam aggressus est. Terentium nempe numeris suis restituit; quam partem alii aut prorsus neglexerant, aut adeo infeliciter tractaverant, ut cum Publio nostro melius actum foret, si & ipsi neglexissent. Noverat quidem, Celeberrimum Bentlejum idem consilium agitasse, remque ipsam avide exspectavit: sed cum ob alia ejusdem negotia hanc spem decolasse crederet, ipse onus subiit, & pertinaci industria artificium Comicorum versuum investigavit. Cujus laboris uberrimum fructum tulisse sibi videtur.

detur. Primo enim qui metra Comica intelligit, majore cum voluptate versus Terentianos leget, quam qui eorum ignarus est: æque ac iis, qui versuum rationem perspectam habent, longe suavius sonat Virgilius, quam imperitis. Deinde hoc adjumento ipsos versus facilius memoriæ imprimi posse putat, puerosque eo modo ad intellectum simul oratoriorum numerorum perduci. Denique, quod palmarium est, ex regula metrorum optime intelligitur, qui versus sani sint, quique emendatione egeant, & quomodo corrupti integritati suæ restitui debeant. Et hoc unicum jam satis dignum tanti laboris pretium erat. Quo tamen semel omnia dilucide proponeret, neque opus esset eandem observationem sæpius iterare, Dissertationem eruditam & accuratam *de Metris Comicis* præmisit, qua totum illud argumentum ita perspicue pertractatur, ut non temere affirmaverit Cl. Autor, quemlibet qui eam attente perlegerit, impeditissima quæque Terentii loca inoffenso pede penetraturum. Quod ut eo melius procederet, non modo genera versuum in margine passim adnotavit, sed & ictum aliasque singulares syllabarum quantitates & præcipuam versus dimensionem perquam diligenter notis quibusdam designavit. Si qua notatu digniora occurrunt, quæ inter legendum offendiculo esse possent, aut aliis interpretibus negotium facessiverunt, ea plerumque satis perspicue evolvit & exponit. Id vel ex unica fabula Eunucho demonstrabimus. Ibi in Prologo v. 7. verba vexatissima

Qui bene vertendo & easdem scribendo male
Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas

pluribus ita illustrat, ut *bene vertere* eum dicat, qui boni interpretis; sed *bene scribere* eum, qui boni poetæ officio satisfaciat. Hunc sane sensum ex pluribus Cl. Editoris verbis elicimus, & vix putamus eum propterea ita exagitandum esse, ut fecit Vir magnus, qui paucioribus verbis sensum istum verborum inclusit, dum ait: Bene vertere *est fideliter vertere, verbum verbo reddere ex Græco: id ipsum* bene vertere *est* male scribere *Latine*. Quod sane eodem recidit: neque vero periti aliam facile sententiam eruent, aut approbabunt. Deinde Act. III Sc. V v. 12 nota illa: *O festus dies hominis*, ubi quidam miras sibi difficulta-

tes

tes finxerunt, alius autem commodum sensum inde erui posse, plane desperaverat, non adeo male interpretatur: *O æque jucunde mihi ac festus dies*, quæ interpretatio non minus probabilis est, quam conjecturæ celeberrimi JCti, qui *o festus dies homini*, sive *o festus dies ominis*, reponebat, faciliusque recipietur, quam quod doctissimus Criticus substituere jubebat: *O festus dies! O meus amicus!* qui ista *o meus* degenerasse putat in *ominis*, & post in *hominis* mutat aesse. Aliquid tamen vitii contraxit expositio Act. IV Sc. IV v. 21, ubi jam Donatus errorem in Terentio notavit, qui Menandrum secutus, *senex Colore mustellino* dixit, cum ille scripserit, ἐτός ἐστι γαλεώτης γέρων. Ibi nempe, cùm Terentium suum ab omni errore liberare nititur, vitium potius verbis Menandri adscribit, eaque levi mutatione ad sententiam Terentii transducit. Sensus tamen nihilominus laborat, neque plene eum juveris, nisi cum viro docto reponamus: *veternosus senex, Colore stellionino*; quæ scriptura dudum aliis in mentem venit. Quæ ad Act. V Sc. VIII v. 44, de dictione *libenter vivere* ejusque vera connexione dicuntur, si maxime non omnibus numeris perfecta sunt, ostendunt certe, optime de suo scriptore mereri voluisse Cl. Editorem. Eodem pertinet, quod non raro male transposita nomina Personarum, suis quæque locis restituit, ut Act. II Sc. III v. 25, & alibi. Quæ vero a librariis aut correctoribus corrupta esse judicavit, ea vel ex libris, vel etiam ex conjectura persanare tentat: ea tamen modestia, ut conjecturas suas rarissime in contextum inferat. Sic in Prologi v. 5 pro *Existimavit* scribendum censet:

— — *qui dictum in se inclementius*
Existimabit esse,

jubente ita sententia loci. Atque ita editum est in nupero Terentio Westerhoviano: verum Celeberrimus Bentlejus prætulit *Existimavit*. Act. I Sc. II v. 82, ubi contra metri rationem vulgatum est: *Egon id timeo?* ipse corrigit, *Egon timeo?* ita tamen, ut bene viderit, legi etiam posse. *Ego id timeo?* quam lectionem unice veram esse probat Cl. Bentlejus: cujus generis conjecturam habes etiam ad Act. IV Sc. V v. 7. Ita Act. I Sc. II v. 110 refingit:

In

In hoc biduum Thais vale. TH. vale *mi Phadria*
Et tu. — —

ut nempe numerosiorem, elegantiorem & affectuum pleniorem redderet orationem: quæ omnia desideres in vulgata lectione, quæ verbum *vale*, ante illa *mi Phadria* omittit.

Cum autem exemplar Faernianum, ut emendatissimum, iterum evulgare constituerit, ab eo tamen probæ rationes recedendum esse docuerint; magna pars adnotationum in eo occupata est, ut hunc dissensum ostendat atque tueatur. Hinc Act. I Sc. II v. 15, *anime mi*, mi *Phadria* rectissime cum libris aliquot scribit, ubi Faernus alterum *mi* omiserat. Ibidem v. 37 hic quidem posuerat *Docere, educare*, reclamante versu; rectius Cl. Hare *Docere, educere*. Quod beneficium cum agnoscat Celeb. Bentlejus, auget præterea & totum versum ita concipit:

Docere, educere, ita uti si esset filia,

pro quo ceteri omnes, *ita ut si*. Act. II Sc. I v. 13 Faernus *Et perpeti* principio versus scripserat; Cl. Hare autem *Et* ad finem præcedentis rejicit. Act. II Sc. II v. 9 ille ex libro Bembino dederat, *ut spes nulla relliqua in te esset tibi;* noster autem cum reliquis codd. *in te siet tibi* scripsit, idque *siet* cum versus ratione pronuncietur *sit*, ita etiam exarandum esse statuit Bentleius: qualem medicinam etiam versui 26 Act. III Sc. II attulit. Faernus Act. II Sc. II v. 32, Bembino MS. plus justo addictus scribit: *Philosophorum habent* disciplinam *ex ipsis Vocabula;* Noster rectius *disciplinæ*: at Bentlejus *discipuli*, quod ne Glossa sit τῦ *disciplinæ*, valde veremur. Act. III Sc. IV v. 7 Faerniana habet: *Idque adeo visam, si domi'st;* Hariana verius: *Ibo ad eum, visam, si domi'st*. Bentlejus tamen priorem lectionem tuetur. Hæc sufficiant pro documento, quomodo Faernianum exemplar secutus sit Cl. Editor. Unum addendum, quod ad minutias usque curiosus fuerit in talibus, ita ut admoneat ubi *cæli* scripserit, pro Faerniano *cæli*. Et cum hic quidem fere semper *eiciunda*, *peri*, *abit* & reliqua hujuscemodi, antiquo more & autoritate libri veteris, unico *i* scripserit; ille contra lege metri admonitus, *ejiciunda* & reliqua ad eam formam passim revocavit. Tandem & aliorum Autorum, licet rarius, ratio habetur: sed maxime Plauti, quem

in

in hac fabula pag. 91 emendat. Ejusdem novam editionem Præfatione haud certissime quidem promisit, promisit tamen. Quam ut publico commodo haud invideat, rogamus.

PUB. TERENTII AFRI COMOEDIÆ, PHÆDRI fabulæ Æsopiæ, PUBLII SYRI & aliorum Veterum Sententiæ; ex recensione & cum Notis RICH. BENTLEJI.

Cantabrigiæ, apud Corn. Crownfield; Londini, apud J. Knapton, R. Knaplock, P. Vaillant, Bibliopolas, 1726, 4. maj. Alph. 3 plag. 3.

QUod scripta hæc, nunquam antea junctim edita, in unum Volumen conjecerit Præstantissimus Criticorum R. Bentleius, ea potissimum caussa fuit, quoniam simili in Senariis licentia sunt confecta, & quoniam Phædrus æque ac Publius Syrus hujusmodi mendis obsitus erat, quæ non nisi ea cura, quam Terentius postulabat, tolli poterant. Satis hoc est pro defensione novi consilii. Sed inde simul colligere licet, solam emendationem respexisse operam Celeberrimi Viri. Qui autem latos Commentarios, aut ejus generis adnotationes, quales in Horatium a manu eruditissima Cl. Editoris habemus, exspectarunt, eorum opinionem ex parte falsam esse videmus. Non adeo multis enim verbis, paucis etiam exemplis ratio emendationum redditur: Paullo latius tamen in Terentio, quam in ceteris, sese diffundit. Neque hoc adeo ægre ferent eruditi. Nam peritis Artis Criticæ ipsa exempla statim occurrunt, quibus emendationes Viri doctissimi, utpote ex regulis artis petitæ, latius confirmari possunt. Iis autem, qui alieni sunt ab his literis, aut leviter saltem tincti, sufficere potest autoritas tanti Viri, quem facile sibi persuadere possunt, plura in promtu habere, quæ sententiam ipsius tueantur. Eo certe animo has lucubrationes conscriptas esse verosimile sit, quando diffusam eruditionem & præclarissimum ingenium Bentleji nobiscum reputamus.

De singulis quædam in medium proferemus. Et TERENTIUM quidem quod spectat, eum, præterquam quod eximia

mia & perspicua de Metris Terentianis Dissertatione auctus est, ad exemplar Faerni diligenter exegit; cujus etiam observationes, una cum suis, textui subjecit. Cum ipsa editione Faerniana codices pervetustos comparavit, quotquot vel Cantabrigiæ, vel Londini nancisci potuit. Contextum permultis locis castigavit, & accentuum intervallis, quod novum in hac editione repertum est, ornavit, adeoque rei metricæ studiosis faciliorem reddidit. De emendationibus ut lector judicium ferre possit, quasdam memorabimus, nullo servato discrimine, libris vetustis, an εὐςοχίᾳ viri maximi debeantur? In Heautontimor. Prolog. v. 13 alii interpretes invidiosam laudem Comœdiæ senserunt: quidam expositione, aut interpunctione emollire verba adnisi sunt. Celeb. Bentlejus levissima, & omnino vera, mutatione *Si*, pro *Sed*, rescribit, & omnes turbæ conticescunt. Eodem v. 18, 19 emendat in hunc modum:

— id esse factum hic non negat,
Neque se pigere, & deinde factum iri *autumat,*

pro quibus vulgatæ: *factum hic esse id non negat,*
Neque se id pigere, & deinde facturum *autumat,*

quod *facturum* haud valde inconcinnum, & fortasse non mutandum est. Act. I Sc. I v. 5 pro edito adhuc:

Quod ego in propinqua parte amicitiæ puto,

repræsentat:

Quod ego esse in aliqua parte amicitiæ puto,

de quo quid dici queat, facile apparet. Ibidem v. 45, nunc legimus:

Ejus filiam ille amare cœpit virginem;

olim erat: *amare cœpit perdite.* V. 73 habemus ab ingenio Cl. Bentleji:

Inde alii festinare, lectos sternere,

cum vulgo legant: *Video alios festinare.* V. 91, ex conjectura J. Palmerii, cum quo eodem modo locum sanarunt Turnebus, Lambinus, Muretus, Guyetus, refingit:

— qui opere rustico faciundo
Facile sumtum exercirent *suum,*

nihil motus iis, quæ Vir primarius J. Fr. Gronovius pro defensio-

ne lectionis receptæ, *sumtum exercerent suum*, attulit. V. 113 ita procedit:

Non convenit, qui illum ad laborem hinc pepulerim,
Nunc me ipsum fugere;

cum in vulgatis quod est, *ad laborem impulerim*, in leges metri, Faerni autem lectio, *ad laborem impellerim*, æque ac Antesignani *impullerim* in elegantiam Terentii peccet. Tot numero emendationes ex solo Prologo & prima Scena unius Fabulæ memorare potuimus: nec omnes quidem memoramus, &, quas transivimus, æque elegantes ac doctæ sunt. Passim videas conjecturas exquisitas & Bentlejo dignas prolatas, quæ in seriem operis non sunt receptæ. Nam v. 31 & 32 Prologi, qui impeditiores adhuc visi sunt, ita expedivit:

Qui nuper fecit servo currenti in via
Dixisse populum, Cur insano serviat?

Act. I Sc. I v. 70, 71, qui sic satis bene habebant, ita tamen, duobus vocabulis mutatis, prægnantiores facit:

Domum revertor mœstus atque animo fere
Conturbato *atque* inerti *præ ægritudine.*

Sic v. 116 & 117 pristinæ suæ elegantiæ restituere putavit refingendo:

— — *Sed ut diei tempus est,*
Tempust monere *me hunc vicinum Phaniam*,

ubi vulgatæ: *Monere oportet me.* Sed ut Cl. Hario multa adimendi facultatem dederat Faernus; sic Celeb. Bentlejo multæ adnotationes natæ sunt ex iis, quæ Harius in Terentium contulit, a quo sæpissime divortium facit. Ejus emendationes huic videntur herbæ solstitiales, quæ paulisper fuere: interdum & paulo acerbius æmulum suum perstringit. Cujus rei exempla nihil attinet proferre. Neque multis enarrabimus, quomodo tum pag. 167, tum alibi curas a Cl. Hario in Plautum promissas traducat. Id tamen memoratu dignum est, quod Cl. Bentlejus non ita solis se mancipaverit emendationibus, ut non, ubi res postulat, etiam interpretatione autorem adjuvet. Immo non deterioris interpretis, quam Critici officio satisfecisse, patet luculenter ex pag. 163, nota ad v. 7, aliisque locis compluribus. Denique, ne quid

quid omittamus, Terentio suo *Oratiunculam* præmisit, habitam *cum septem in Theologia Doctores crearet* Bentlejus: quo consilio, nostrum non est divinare.

In repurgando PHÆDRO nullis plane scriptis codicibus, sed solo ingenio & doctorum virorum notis adjutus est. Et ut negare minime possumus, Virum doctissimum sæpe aliorum interpretum emendationes adoptasse; ita & illud affirmare tuto possumus, permulta esse, quæ soli Bentleio debeantur. De omnibus, quæ magnum ingenium tentavit, ut judicium nostrum interponamus, nemo jure exigere potest: enumerabimus tamen quædam, ut exspectationi satisfaciamus. Lib.I Fab.I v. 13 emendat:

Atque ita correptum mactat *injusta nece*,

quoniam etiam Schefferus viderat, vulgatum *lacerat injuste nece*, esse minus Latinum. Bentlejo *Mactat* placuit, grave verbum in tali re æque ac *Immolat*; qua de causa versum ex Lib. IV Fab. V adscripsit, ne porro Vir doctus causam ignoret. Fab. II v. 16 correcta lectio est: *Immersæ limo cum laterent diutius*,

nempe *ranæ*; antiqua fuit: *Hoc mersum l. cum jaceret diutius*, de tigno misso intelligens. Fab. V v. 7 in mendo cubat, sed nemo feliciter persanavit. Egregie Cl. Bentleius:

Ego primam tollo nomine hoc, *quia* sum *Leo*,

nisi quod paulo longius ab literarum vestigiis recedat. Vulgo:

Ego primam tollo, nominor quia *Leo*,

ubi alii *nominor quoniam*, alii *quia rex Leo* reponunt, ut versui consulant. Fab. XIV princip. ita legit:

Malus cum sutor inopia proterritus
Medicinam ignoto facere cœpisset loco,

quia vulgata vix Latina Viro doctissimo videbatur, quæ est: *inopia deperditus*. Fab. XXVI init. ita constituit:

Nulli nocendum: si quis vero læserit
Mactandum *simili* vice *fabella* hæc *admonet*,

pro quo receptum erat:

Multandum *simili* jure *fabella admonet*.

Prostat Epistola Critica, de qua mox dicemus, quæ omnes omnino emendationes Celeb. Bentleji & adnotationes in Phædrum examinat. Minatur etiam P. Burmannus V. C. novam Phædri editionem,

tionem, qua, nihil correctionibus Bentlejanis opus esse, se demonstraturum, amicis promisit. Quare mittamus hunc Libertum Augusti, & quæ restant in hoc Volumine evolvamus.

In PUBLII SYRI aliorumque *Sententiis* emaculandis usus est Vir eruditissimus quinque MSS. codicibus: quorum quatuor ex bibliothecis Cottoniana & Collegiis Trinitatis, Caji & Sidneji depromtos ipse consuluit; quinti, nempe Leidensis, excerpta transmiserunt Batavi. Sed cum in ceteris editionibus sententiæ plusquam octingentæ, in aliquot propemodum mille legantur; Bentlejus tantummodo 265 exhibet, quas nempe solas Publiani coloris esse existimavit. Has paucas tamen multis locis aliter, ac olim, prodire jussit. Sic v. 90 legit:

Despicere oportet, quidquid possis perdere,

propter numeros; & v. 113:

Feras facilia, ut difficilia perferas,

ubi simul codd. suorum scripturas repræsentavit. Quam operam forte lectores in aliis mimis desiderabunt. Certe de v. 110, quem cum Scaligero ita concipit:

Factum tacendo, crimen facias acrius,

nihil prorsus monet, cum in MS. Frisingensi ita sonet:

Ictum tacendo, cet.

Salmasium autem ad Lamprid. Commod. cap. VII ex vetustis schedis restituere novimus:

Jactum crimen tacendo facias acrius,

præ quo longe magis placet Scaligeri & Bentleji aliorumque lectio.

EPISTOLA CRITICA AD ERUDITISSIMUM Virum H. B. S. E. I. in qua omnes doctissimi BENTLEJI in PHAEDRUM Notæ atque Emendationes expenduntur.

Londini, ex officina J. Tonson & Jo. Watts, 1726, 4.
Plag. 19.

ERuditus hujus Epistolæ Autor, qui multum semper Phædro tribuit, ante aliquot annos in pueri usum Phædri versiculos

los in dipodias, accentibus supra positis, distinxerat, & de ejusmodi editione, qualem fere Cl. Bentlejus dedit, cœperat cogitare, cum subito eum nuncius de Bentlejana editione sufflaminavit. Exspectatum autem hoc Celeb. Viri opus cum in manus sumsisset pro thesauro, quod ajunt, carbones accepisse dictitat, & longissime infra exspectationem omnia cecidisse. Quæ & alia duriuscula postquam initio Epistolæ commemoravit, ad examen notarum, sed & ipsius Præfationis Bentlejanæ, ita se convertit, ut ne quidem unicam emendationem prætermittat, quam non contemnat, rejiciat, derideat, aut, si probabilis illa videatur, eandem sibi dudum in mentem venisse, eandem olim oræ libri sui appinxisse, & amicis communicasse, præ se ferat. Neque ibi substitit inclementia. Bentlejum Indices & Stephani Thesaurum exscribere, objiciendum erat pag. 43; eundem ineptum esse, licet Doctorem Theologum, tractandis sacris literis, pag. 45, in notis ad Aristophanem, Terentium & alibi insignis plagii reum esse, pag. 50 sqq. eum, licet totam vitam in re metrica cognoscenda consumserit, in minus usitatis carminum legibus nihil videre, pag. 76, in aliis etiam ad hanc rem spectantibus peccare pag. 101. Denique & vita atque alia studia Viri de literis optime meriti, nec non muneri publico satisfaciendi ratio excutienda erat pag. 148 sq. quasi vero sine his talibus Epistola *Critica* de emendationibus Phædri non fieret: & hoc demum esset peritiam in *humanioribus* literis approbare, si, quacumque in re possis, contra humanitatem pecces. Nobis certe propemodum oneri est ejusmodi scripta perlegere, eo magis, quod errata etiam quædam Viris magni nominis magnorumque meritorum condonanda esse existimemus. Narramus tamen, Autorem hujus Epistolæ, quicumque ille sit, haud inutiles observationes hic illic inspersisse, qualis est illa de confabulatione arborum pag. 10 sq. de confusione τῦ *quum* & *quoniam*, unde Plautum emendat, pag. 19, de loco Horatii pag. 36, & de locis duobus Tertulliani pag. 81 & 110. Ne de iis dicamus, quæ in Phaedro cum cura tentavit.

JOAN-

JOANNIS FRIDERICI SCHANNAT, Fuldischer Lehnhof, *sive de Clientela Fuldensi Beneficiaria Nobili & Equestri Tractatus Historico-Juridicus.*

Francof. ad Mœn. apud Jo. Benj. Andreæ & Henr. Hort, 1726, fol. Alph. 4, pl. 18, fig. æn. plurim. passim insert.

CONstat inter peritiores, Feudorum Longobardicorum & Germanicorum in plurimis diversissimam esse naturam, hæc etiam pro varietate provinciarum mirifica inter se differre, consuetudines Curiarum feudalium existere infinitas, pacta conventionesque in negociis feudalibus initas esse innumeras, ut adeo a Juris Feudalis Consulto Germano, præter peregrina Feudorum Jura, Juris Civilis Corpori annexa, etiam patria jura, nostrarum Curiarum mores, & imprimis vetustæ chartæ & diplomata sint indaganda & excutienda, quo nobilissimæ circa Beneficia Jurisprudentiæ facies lætior paulo & succi magis plena quotidie appareat. Debemus eo nomine multum Viris præstantissimis, nostra laude nihil indigentibus, quorum numero nuperrime magno artis nostræ beneficio accessit Celeberrimus Schannatus, exposita nobilissima Feudorum Germanicorum specie, Fuldensium puta, quæ penitius nosse eo magis e re nostra est, quo obscurior fuit earum natura, & quo certius nunc constat, JCtos maximi nominis graviter hic impegisse.

Doctissimi libri partes sunt tres: Clientela Fuldensis Beneficiaria ipsa, Elenchus Clientum sive Vasallorum Ecclesiæ Fuldensis, Codex denique probationum Clientelæ Fuldensis Beneficiariæ. Clientelæ Fuldensis Beneficiariæ partes iterum doctissimus Autor voluit esse duas, quarum prima in tria capita divisa, primo de Feudorum Fuldensium antiquitate & præstantia, secundo de Natura, Juribus ac consuetudine Feudorum Fuldensium, tertio de variis Feudorum Fuldensium speciebus tradit. Scilicet
p. 2. ab octavo post C. N. seculo Vasallorum Fuldensium in antiquis tabulis occurrit mentio, ea vero hoc ipso & sequentibus seculis enata est beneficiorum copia, ut nihil sit, quod in beneficium ab opulentissima illa Ecclesia datum non sit, castra, terræ, prædia,

dia, villæ, oppida, Advocatiæ, Jurisdictiones, homines censuales, operæ, sola, sylvæ, montes, curiæ dominicales, piscinæ, rivi piscosi, vectigalia, ædes, salinæ, hospitia, tabernæ, molendina, immo caveæ & furni, magna Abbatum in Vasallos indulgentia, magna Vasallorum in Abbates aliquando injuria. Natura Feudorum Fuldensium est, ut sint masculina, *Mann-Leben*, quæ cum pactis p. 4.
& conventionibus ad hæredes masculos devolverentur, feuda ma- 5.
sculina hereditaria, *Erb-Mann-Leben*, appellata sunt, ex quo nomine, ut & ex notissima clausula: *nach Fuldischer Leben Her-* 7.
kommen, Recht und Gewonheit, qui promiscuam etiam feminarum in feudo Fuldensi successionem exsculpere velit, ut faciunt interpretes Fuldensium rerum ignari, vehementer errabit. Ita exclusa est A. 1450 Elisabetha Hanovia, Joannis ultimi Comitis Ziegenheimensis ex sorore Elisabetha neptis, lite etiam gravissima mota, & cesserunt feuda Ziegenheimensium Fuldensia expectativario Ludovico Landgravio Hassiæ; huic autem, ut habent literæ, *und den nachkommenden Männlichen Leibs-Lebens-Erben*, addita nihilominus illa decantata clausula, *als Fuldisches Leben-Recht und Herkommen ist*; quæ ipsa, cum & inserta legatur literis Clientelaribus Civitati Francofurtensi, oppido Creutzburgensi, tum & Commendatori ordinis S. Joannis Hierosolymitani non semel concessis, in quibus feudis natura sua nulla est feminarum successio, non illud, quod nonnulli voluere, sed hoc potissimum vult, ut cognitum sit, Curiæ Fuldensi fuisse jam olim, esseque etiamnum Jura propria ac singularia eaque vetustissima, quæ cum reliquis finitimarum aliarumque provinciarum juribus nolit permisceri confundique. Quod ad Jura attinet, 9.
Vasallus Fuldensis alienat, sed consensu Agnatorum, & Principis Abbatis, soluto simul laudemio, dimidio Imperiali in singulos centum Florenos; Princeps Abbas Vasallum alienat libere etiam invitum, modo novus Dominus non sit inferioris clypei. Vasal- 10.
lus Fuldensis uti alienat, ita oppignorat, utroque tamen casu Domini directi conditionibus aliquando sat duris sibi prospexerunt. Refutare etiam licet Vasallo Fuldensi feudum vel in Domini vel 11.
in tertii favorem, illo consentiente, nisi huic juri renuntiaverit Vasallus, *ewiglicher Mann*, quo facto, licet inde consentiente

Domino feudum alienat, quoad perſonam tamen clientelari nexu obſtrictus remanet. Subinfeudare etiam Vaſallorum Fuldenſium eſt, quamvis merito Abbates, ſæpe expreſſis cautionibus in-
p. 12. terpoſitis, ſuo conſenſu id fieri voluerint. Dotem denique & dotalitium conſtituere permiſſum eſt in Feudo Fuldenſi conſenſu Dominorum Abbatum, quorum inſigni in hac re indulgentia tot feuda feminina enata ſunt, in quibus poſt obitum feminæ liberi ejus promiſcua ſucceſſione uſi ſunt, ut inde credulum vulgus, rerumque Fuldenſium imperiti Feuda Fuldenſia omnia eſſe promiſcuæ ſucceſſionis *Kunkelleben* ſibi perſuaſerint.

Ad ſpecies Feudorum Fuldenſium digredimur cum Autore
13. noſtro, qui ſollicite, quoad Feuda oblata primo loco explicanda, diſtinguit inter oblata Eccleſiæ Carolingicis temporibus bona, ea fere lege, ut ad *preces* offerentis ſub Beneficii modo, forte etiam alia re ſimul præſtita, ad vitæ tempus redderentur, qua pietate majorum inſigniter creverunt opes Eccleſiæ Fuldenſis; & inter Feuda oblata recentiorum temporum, ex tuitionis imprimis fiducia profecta, Eccleſiæ oneri potius futura quam emolumento; quorum hæc nunquam non perexiguo numero fuere in Curia Fuldenſi, ſuperſtitibus tantum duobus ejus naturæ Vaſallis, Duce Saxone, ratione Villarum Bettenhauſen & Seba, Feudi A. 1320 a Bertoldo Comite de Henneberg oblati, & Haſſiæ Landgravio, ratione Caſtri Sturmfeld a Godefrido Comite de Ziegenhayn 1353 oblati; illa vero, priſcæ fidelium oblationes, poſtquam depoſita feudi natura Eccleſiarum & Pauperum uſibus aliquandiu inſerviiſſent, neceſſitatibus ita exigentibus, feudorum iterum naturam, ſed omnino datorum, induerunt.

Inter Feuda data præcipua ſunt Feuda maſculina, ſecundum
15. conſuetudinem Fuldenſem duplicis generis, maſculina ſimpliciter talia: *Mann-Leben*, in linea deſcendente recta primi acquirentis unice perſiſtentia, & maſculina hereditaria, *Erb-Mann-Leben*, ad lineam etiam transverſam agnatorum a primo acquirente ortorum gratioſe transeuntia, excluſis omnino feminis, quod
15. etiam in plurimis maſculinorum feudorum ſpeciebus ita fuit obſervatum, niſi quod aliquando feminæ cum maritis de eisdem feudis fuerint inveſtitæ, quo in caſu ſervitia exinde debita cen-
ſeban-

ſcebantur remiſſa, & poſt mariti obitum fructuum potiebantur, ad vitam duntaxat. Maſculinorum feudorum ſpecies ſunt Feudum Civitatis, Feudum Caſtri, Feudum Caſtrenſe, quale, *Erb-Burg-Lehen* nomine veniens, non ideo promiſcuæ ſucceſſionis cenſendum eſt, Feudum Keminatæ ſeu Ædificii, Feudum *Ritt-Leben*, cujus ſervitia in præſtatione equi inſtructi conſtitiſſe exiſtimat doctiſſimus Schannatus, Feudum *Schützen-Leben*, cujus poſſeſſor balliſta & pharetra inſtructus in oppido cuſtodias agere, aut interdum etiam in hoſtem foras progredi tenebatur, Feudum Ligium, Feudum de Camera & de Moneta, Feudum Advocatiæ, Feudum Gaſtaldiæ ſeu Ambachtiæ, Feudum Juriſdictionis, Feudum Patronatus, Feudum Aulicum ſeu Palatii, Feudum Venatorum, Feudum Solii, *Stul-Lehn*, in quo Vaſallorum præcipuum munus adſtare ſolio Principis Abbatis, Feudum Aſſaturæ *Bradt-Leben*, Feudum denique Stagii, quæ omnia exemplis Fuldenſibus firmata explicataque legere perquam jucundum videtur. p.18.20. 21. 22. 23.

Superſunt Feuda Feminina ſive promiſcua Fuldenſia, non quod natura iſtorum feudorum ejuſmodi ſucceſſio contineatur, ſed quod Abbatum indulgentia, plerumque dotalitii, dotis vel legitimæ titulo, ad feminas tranſierint, & hodienum tranſeant. Quamvis, ſi Vaſallum cupido inceſſerit eam qualitatem inducere feudo, Domini & Agnatorum conſenſu opus fuerit, quod adeo non arriſit, ut ſæpiſſime pacto convenerit, feminis tam pro dotalitio quam pro dote aut legitima partem feudi clientelaris non deberi, ſed pretium illius ex juſto & æquo determinatum exſolvi. Ceterum ſi feminæ in ejuſmodi feudo ſucceſſio obtingat, more Fuldenſi nec inæquale conjugium, nec vota monaſtica obſunt. 24. 26.

Caduca feuda Abbati aperiri, quis negaverit? quæ aliquando piis uſibus reſtituta, ſæpiſſime aliis iterum Vaſallis conceſſa. Modi autem, quibus Eccleſiæ Fuldenſis Feuda amittantur, ſunt potiſſimi: conſpiratio in necem Domini, publica proſcriptio, fundi feudalis inſcio aut invito Domino facta alienatio, neglectus inveſtituræ intra præſcriptum tempus, contumacia per contemptum vel alias ob cauſas coram Domino non comparentis, ſilentium, & quæcunque ex condicto ſub feudi privatione præ- 28.

ſtanda, inde a Vaſallo negligebantur, quæ omnia exemplis idoneis illuſtrantur.

Quod ad partem Clientelæ Fuldenſis alteram attinet, quatuor illa capitibus abſolvitur, quorum primo Vaſallorum Fuldenſium conditio olim varia, ſecundo vetus ac ſimul hodierna Vaſallos Fuldenſes inveſtiendi methodus, tum & plura circa eandem requiſita & obſervari ſolita, tertio quatuor præcipua ſervitiorum genera, quarto mutua inter Eccleſiam Fuldenſem & Vaſallos ſuos obligatio, graviaque ac frequentia damna & diffidia
p. 31. exinde nata traduntur & explicantur. Vaſallorum Fuldenſium
antiquiſſima mentio fit in veteri illa traditione Hrabonis ad A.
32. 796 facta, unde frequentior fidelium memoria eſt, eosque inter
ſtrictiori aliquando vinculo obligati, etiam Miniſteriales Nobilium hominum propriorum ſpecies, ſed & Clerici Fuldenſium
34. feudorum minime incapaces. Inveſtiendi ritus fuit olim talis
ut Vaſallus ad Altare S. Martyris Bonifacii deduceretur, & ibi more clientum in manus Abbatis ſe commendaret, inſiſtens forte orbiculari ſaxo, quod hodienum pavimento eccleſiæ inſertum viſitur, ornatum quatuor manibus ex ære fuſis, in quatuor mundi plagas directis & in jurantis modum efformatis, quæ Vaſallum in medio ſtantem undecunque ſui muneris admonere videbantur. Hodie ibidem Vaſalli Principes in ipſius Principis Abbatis, ſolio magnifice inſidentis, manus debitum homagium præſtant, Comitibus vero & reliquis Equeſtris ordinis Vaſallis coram regimine Aulico comparendum eſt, ubi & erectis digitis fidelitatis & obſequii juramentum præſtant, iisdemque digitis ſummitatem ſceptri feudalis, quod Conſilii Aulici Præ-
35. ſes vel Vice-Præſes manu tenet, leviter tangunt. Quam enixe
Vaſalli cujuscunque conditionis præſentiam exegerit clerus Fuldenſis, celeberrimus Autor multis oſtendit, cui nihil obeſt, quod Principum Abbatum indulgentiæ debetur, Principes ut & Comites Imperii Feuda ſua per Legatos paſſim ſuſcipere. Tem-
37. pus autem inveſtituræ impetrandæ eſt more veteri Teutonico
38. annus & dies, renovaturque ea, oblato dinumeramento, & ſi
fit condominium plurium, omnibus in caſibus feudum recognoſcunt

ſcunt omnes, Jure Senioratus, ſive Provaſallum eligendi, non niſi ex Principis Abbatis indulgentia competente.

Servitiorum Vaſalliticorum non fuit una ratio; ita Vaſalli Fuldenſes militaria in campis & expeditionibus debuerunt, cum Imperatori Romano in celebratiſſima Expeditione Romana, tum Principi Abbati ſuo, propriis ſumtibus; quod faſſus eſt Comes de Ziegenhaim Johannes: *Iſt daz wir in unſers Herren Dienſt von Fulde riden, daz ſolle wir tun uf unſir Koſt, Schadin und Frumen*, & firmant exceptiones ſpeciali aliquando conventione literis feudalibus inſertæ, quamvis negari nequeat, immutatam Seculo præſertim XIII rerum faciem, Vaſallosque novis ſtipendiis ad arma provocari, in prædæ ſocietatem admitti, indemnes ſervari, fuiſſe receptum. Diverſi ab his fuere Vaſalli ad ſervitia militaria Caſtrenſia deſtinati, nobiliſſimi quique & fortiſſimi caſtrorum ipſis concreditorum defenſores, intercedente tamen & hic magna pactorum varietate, quorum vi & poteſtate, vel perpetuo vel imminente exercitu, vel ipſi, vel per ſubſtitutum, caſtrum vel unum, vel plura, vel quodcunque elegerit Abbas, deſervire tenebantur. Omnium & ſingulorum Vaſallorum munus eſt, Judicio adeſſe Parium Curiæ rite a Domino evocatos, quod frequentius olim, nunc, Principis Abbatis regimine ſupremo Aulico, cui ex Reverendiſſimis Majoris Eccleſiæ Capitularibus, tituli Præpoſiti Curiæ vulgo *Lehnprobſt* ornatus, præſidere ſolet, cauſas feudales dirimente, rarius omnino, Vaſallis tamen ita volentibus, ſumtusque ſubminiſtrantibus, non denegandum, præſidente Domino, ſi cauſa inter Vaſallos vertatur, ſin Vaſallum inter & Dominum lis intercedat, Judice feudali conſtituto, paribus aſſidentibus, numero nunc majore nunc minore, nunquam tamen infra duodenarium aut certe ſeptenarium deſcendente. Sed & Curialia officia debuit Vaſallorum illud genus, qui *Hofdiener* appellantur, milites ſane omnes, ſed iidem in Curia ſervientes, pro quo ſervitio præter veſtem Aulicam, *Hofcleide Rock und Rappen*, ipſi & equi eorum Domini impenſis alebantur, juxta condictum: *Futter, Koſt und Huflage*, ſive: *Futter, Brodt, Nayl und Iſen geben.* Mutuam eſſe fidelitatem Domini & Vaſalli, ſed quæ anti-

Margin notes (right, in order): p. 41. (beside "Imperatori Romano… tum"); 44. (beside "ſervari, fuiſſe receptum"); 45. (beside "nebantur. Omnium"); 49. (beside "duodenarium"); 51. (beside "ctum: Futter").

antiquis temporibus valde gravis Ecclesiæ exstitit, non est, ut multis dicamus.

Hæc de Clientela Fuldensi Beneficiaria nobili. Hanc excipit, ut diximus, Elenchus Clientum seu Vasallorum Fuldensium duplex, alter Vasallorum primi ordinis, Imperatorum, Ducum & Principum, Ducum Saxoniæ, Comitum Palatinorum, Landgraviorum Thuringiæ, Landgraviorum Hassiæ, Comitum Principum Hennebergicorum, Principum Nassoviorum, Comitum Löwensteinio - Rupifortiorum, Marchionum, Comitum denique Beichlingensium, Benthemensium, Botenloubensium, Castellanorum, Ebersteinensium, Erpacensium, Gleichensteinensium, Hanoviensium, Hardegkiorum, Hohenloicorum, Honsteinensium, Isenburgio - Budingensium, Isenburgio - Grensawiensium, Katzenelnbogensium, Kirchbergensium, Löwensteinio - Virneburgensium, Mansfeldensium, Niddanorum, Orlamundensium, Oettingensium, Reineckiorum, Rothenburgensium, Schömbornensium, Solmensium, Stolbergensium, Trudingensium, Waldeckiorum, Wertheimensium, Wiedensium, Wildaviensium, Ziegenhaimensium, junctis nonnullis Civitatibus Imperialibus & oppidis, veluti Francofurto ad Mœnum, Mülhusa, Erfordia, Oppenheimio &c. alter Vasallorum secundi ordinis seu Equestris dignitatis, Alphabetice & Chronologice digestus, quorum Indicum uterque affabre & ad leges Heraldicas insculptis insignibus exornatus, satis demonstrat, quantæ dignitatis & amplitudinis Curia Fuldensis Ecclesiæ Feudalis & fuerit omni tempore & adhuc sit.

Tertio denique loco occurrit Codex Probationum Clientelæ Fuldensis Beneficiariæ Nobilis & Equestris Thesaurus in usum Jurisprudentiæ Clientelaris reclusus, & intelligentibus auro contra carus, monumentis DCXXXIII constans, monogrammatibus etiam & sigillis vetustis æri cum cura insculptis dives, quo nomine, uti & nos fatemur Celeberrimo Schannato obstrictos, ita majorem in modum rogamus, ut quod in Clientelæ hujus perlectione notavimus, præter alia, quæ dubio procul molitur, Aulam Fuldensem splendidissimam simili in luce quam proxime collocare non dedignetur.

THE

THE LIFE OF SIR THOMAS MORE.

i. e.

VITA THOMÆ MORI, EQU. ET SUPREMI Angliæ Cancellarii sub Henrico VIII; Autore THOMA MORO, Thomæ abnepote.

Londini, 1726, 8.

Alph. 1 pl. 3.

IN vita Thomæ Mori, Viri & doctrina & fatis admodum illustris, describenda plures uno eruditorum occupati fuerunt calami. Primus Guil. Rooper, ipsius gener, per sedecim annos familiaritate ipsi conjunctissimus, soceri fata litteris consignavit memoriamque publico scripto commendavit posteris, quod Ox. 1716 vulgatum, in Actis A. 1718 p. 475 recensuimus. Post hunc D. *Stapletonius* in erudito de tribus Thomis Commentario, Duaci 1588 & Colon. Agrip. 1599 edito, prolixe atque diligenter de ejus vita exposuit. His duumviris tertius jam pridem accessit Mori abnepos, *Thomas Morus*, qui pietatis in atavum editurus argumentum, quantique ejus manes faceret, testaturus, fusiori stilo illius vitam sibi sumsit enarrandam. Cum vero, ea vix ad umbilicum perducta preloque parata, Autor Romæ, quo ad Urbanum VIII missus fuerat, undecimo April. 1625 exstinctus esset, alius fœtus posthumi in lucem edendi curam suscepit, sub literis M. C. M. E. latens, Mariæque Reginæ inscriptum, Londini 1627, 4 publici juris fecit. Prætermittimus *Hoddesdonium*, qui in sua vita Mori nihil fere aliud præstitit, quam quod ceteros supine exscripsit. Absolutissimum quidem est Nostri opus, quod incomparabile vocat Ant. Woodius: jam pridem vero id adeo rarum inventuque difficile fuit, ut Fiddesius, qui etiam Mori vitam molitus aliquando fuerat, operam in illo consequendo perdiderit omnem. Insignes itaque Viro erudito debemus grates, qui repetitam hanc editionem adornavit; in eo certe prima illa præstantiorem, quod collatis invicem *Rooperi* atque *Stapletonii*, quin & ipsius *Hoddesdonii* scriptis, in notis ad paginæ calcem positis, ubi diversa a Moro illi tradant, indicaverit; ut adeo, qui hunc librum possidet, facile carere possit reliquis. Luculentam

tam insuper præfationem præmisit Editor, in qua epitaphium, Autori sumtu Cleri Anglicani Romæ positum, ex Woodio repetit; varia etiam ex Burneto, Strypio, Weaveroque ad Morum spectantia transscribit.

p. 2. Natus est Thomas Morus Londini 1480, nobili genere; patre Joanne Moro equite, & judicum ordinis, qui regius confessus dicitur, membro, viro omnibus a morum integritate commendatissimo. Raræ admodum ingenii dotes in puero emicuerunt statim; qua re permotus parens, ut, quam primum per teneram ætatem liceret, primis imbueretur honestæ disciplinæ rudimentis, curam habuit. Tirocinio ita in ludo publico, qui ab Antonio nomen habet, posito, in ædes Cardinalis Joannis Mortoni, Archiepiscopi Cantuariensis, receptus, adeo viro huic suam industriam, memoriæ facultatem, judicii acumen, festivi etiam ingenii promtitudinem approbavit, ut vel ipse Præsul nullam in
9. illo formando poliendoque operam omitteret. Oxonium post aliquod tempus delatus, in Collegio Ædis Christi Philosophiæ totum se dedit, neque infeliciter. Hic Epigrammata, vix octodecim annos natus, composuit, a festivitate partim, partim a Latini sermonis puritate Beato Rhenano impense dilaudata; insignem etiam ex Luciani scriptis partem Latine reddidit. Primariam vero ejus operam sibi vindicabat legum Britannicarum patriique juris studium, in quo tantos brevi admodum tempore fecit
35. progressus, ut communi Londinensium suffragio, annum agens XXVIII, Syndicus civitatis constitueretur. In ista provincia postquam suam populo fidem aliquandiu probasset, Regi Henrico
39. VIII, commendatione Cardinalis Volsæi, innotuit, majoribus in aula muneribus admovendus. Licet autem renueret modeste Morus, in Galliam tamen atque Flandriam Legati titulo se mitti passus est, quo fere tempore *Utopiam* conscripsit, tanto plausu a tot gentibus exceptam, ut plurimæ in vernaculam sibi linguam
43. transferrent; *Richardi* etiam *III Historiam*, Anglice primum, mox & Latine Lovanii 1566 editam, composuit. Contigit interim, ut Rex Henricus VIII in aulam vocaret Morum, eique nequaquam ambienti, quin renitenti potius, ultro & Equitis aurati
47. dignitatem & Consiliarii ac Thesaurarii munus maxime honorifi-

rificum conferret. Et singulari quidem affectu Rex complectebatur Morum, eundemque continuo lateri suo adhærere cupiebat, quæ res tantam in Cardinale, antea Nostri Patrono, invidiam excitabat, ut nihil omitteret, quo Regem Moro redderet infensum. Enim vero accidit haud multo post, ut gratia principis plane excideret ipse Cardinalis, primariique regni Cancellarii munere privatus, non sine veneni suspicione, interiret, Morus p. 155.
vero ipsius locum occuparet, quem quidem rebus in patriæ commodum præclare gestis promeruisse visus. Talem heic sese gessit, ut fidem, animi integritatem omnesque tanto fastigio dignas virtutes Regi pariter ac civibus abunde probaret; adeo, 184.
ut, quum duobus annis cum dimidio præterlapsis, ultro sese ista provincia iterum abdicaret, non nisi ægerrime, cum insigni tamen officiorum præstitorum eaque publica commendatione, a Rege fuerit dimissus. Varias quidem hujus abdicationis allegant causas, & amorem vitæ tranquillioris ac ab omni aulæ strepitu re- 190.
motæ obtendunt nonnulli, at illa certe primaria fuit, quod divortium Henrici a Catharina conjuge factum minime probaret. Interim deperibat Rex Annam B lenam, eandemque 200.
clanculum, paucissimis consciis, uxorem ducebat, post aliquot menses Reginam per edictum pronunciandam. Morus vero, ad hæc nuptiarum coronationisque solemnia Regis nomine invitatus, accedere recusabat, ne applaudere facto videretur. Prima hæc res infausti, qui postea illum mansit, vitæ exitus semina dedit, Regisque in eum iram concitavit. Accessit Annæ indignatio, variæque malevolorum delationes; quibus quum vix se feliciter expedivisset, publico legis mandato omnes subditi juramento obstringi jubentur, se Pontificis Romani nullam in se 219.
autoritatem atque imperium agnoscere, sed Regem supremum, uti in politicis, ita etiam ecclesiasticis negotiis, judicem revereri, & sobolem omnem ex Anna nascituram pro legitimis hæredibus habituros. Utrumque ita comparatum esse Moro videbatur, ut illæsa conscientia obsequi Regi haud posset. Constan- 224.
ter itaque jurare renuit, neque in carcerem conjectus, mentem mutavit; in quo quum ultra anni spatium exegisset, animum- 257.
que obfirmasset suum, judicii tandem supremi sententia mortis

reus est declaratus. Hanc itaque in foro carnificis securi percussus oppetiit, neque in extremo vitæ articulo (ut & aliunde satis constat) ingenii festivitate deposita. Ceterum magno semper ab eruditorum sui ævi principibus in pretio est habitus, Guil. Budæo, Erasmo, Paulo Jovio, Card. Polo, Jo. Rivio, Cochlæo, Guil. Paradino, centumque aliis, quos & doctrina, qua pollebat, sua, & literarum frequenti commercio amicos sibi conciliavit. Exstant plura ingenii ejus monumenta, quippe præter
307. ea, quæ supra memoravimus, polemica multa edidit, separatim primum, postea junctim typis excusa.

THE LIFE OF ERASMUS, MORE PARTIcularly that part of it, which he spent in England.

i. e.

VITA ERASMI, EA PRÆCIPUE IPSIUS pars, quam in Anglia transegit; ubi simul refertur, quibus tum inter eruditos amicis usus est; status itidem, qualis tum fuerit & Religionis & literarum in utraque Academia, Oxoniensi scilicet atque Cantabrigiensi, edocetur, addita Appendice, varia monumenta inedita complexa; Autore SAMUELE KNIGHT, *Th. D. & Præbendario Eliensi.*

Cantabrigiæ, apud Corn. Crownfield, J. Wyat, & rel. 1726, 8 maj. Alph. 1 pl. 12 Tabb. æn. 18.


QUi nuper, plaudentibus Eruditis, vitam *Joannis Coleti*, Angli doctissimi, de qua dicemus alio tempore, publicæ luci commisit, Clar. Autor, telam, quam exorsus est, laudabili instituto continuaturus, jam & *Erasmi Roterodami* vitam promit pari diligentia elaboratam. Scilicet quum animus ipsi sit, memorabilem illam temporis periodum, qua duumviri isti inter eruditos effulserunt, nondum satis ab Historiæ patriæ conditoribus excultam, illustrare, memoriamque doctorum, quos Anglia tum habuit plures, ab oblivione vindicare, neminem certe habuit industria

ſtria ſua magis dignum Eraſmo, cujus quippe zelo, & in repurgandæ religionis negotio, & in felici literarum divinarum humanarumque inſtauratione, tantum debet Anglia, quantum vel ulli civium. Equidem non defuerunt, qui in deſcribenda tanti nominis atque meritorum Viri vita, præter ea quæ ipſe Eraſmus conſignavit literis, peculiarem operam inſumerent, *B. Rhenanus*, *P. Scriverius*, *Bateſius* aliique, & imprimis *Jo. Clericus*, cui inſtitutum de Viri fatis & vita ex epiſtolis ipſius concinnanda (quod & *Claudius Joly*, Canonicus Pariſienſis, aliquando habuit, Fabricium, qui de Cicerone idem fecit, imitaturus, morte vero impeditus exſequi haud potuit) feliciſſime ceſſit; at vero de illo, quod in Anglia transegit Eraſmus, vitæ ſpatio adeo illi non omnia habuerunt explorata, ut haud pauca dicenda adhuc reliquerint Noſtro, qui diſpoſitis non ſine labore in ordinem Chronologicum Eraſmi literis, adhibitisque quibusdam Viri hujus aliorumque coævorum ſchedis nondum publicatis, quarum verbis, vel ad cujusvis paginæ calcem poſitis, vel in appendicem rejectis, fidem a ſe dictis fecit, elegantem tanti Viri hiſtoriam luculento ſtilo concinnavit. Miſſis vero vel leviter ſaltim tactis, quæ extra Angliam ſcripſit fecitve Eraſmus, in hoc unice fere occupatur, ut, quæ in Britannia, quam tribus vicibus adiit, egerit, quos Patronos ibi, præceptores, amicos habuerit, quid incrementi ejus conſilio atque opera ceperint duæ Academiæ, quæ literarum, ſenſim tunc iterum ipſo auſpice efflorescentium, conditio, quæ religionis e Pontificio jugo eluctantis facies fuerit, deſcriberet, atque ſimul memoriam tot doctrina atque virtute inſignium Virorum, quorum vel nomina jam ipſis indigenis Anglis incognita eſſe cœperunt, inſtauraret. Non leve etiam decus operi conciliant figuræ æneæ ſeptendecim, nitidiſſime effictæ, atque ipſius Eraſmi, Henrici VIII, Catharinæ Reginæ aliorumque Virorum illuſtrium imagines, una cum aliorum monumentorum typis exhibentes, in quibus eminet p. 310 familiæ Thomæ Mori delineatio, ab Holbeinio facta & Eraſmo dono miſſa, de qua hic magnopere ſibi gratulatur in Epiſtola Latina ad Mori filiam Margaritam Roperam, quam Britanniæ ſuæ decus vocat. Appendix denique præter nonnullas Eraſmi epiſtolas integras jam

jam editas, præstantissimorum quorundam αὐτογράφων non-
dum publicatorum farraginem complectitur. Ex his ne nihil e
libro tam fœcundo afferamus, lubet hic describere extremum
ejus Testamentum, quod ita se habet: Desiderius Erasmus Ro-
terodamus, *fretus diplomatibus Cæsaris, summi Pontificis ac ma-
gnifici Magistratus inclytæ civitatis Basileensis, hoc meo chiro-
grapho renovo supremam voluntatem meam, quam quocunque ti-
tulo firmam ac ratam haberi volo: irritum vero, si quid aliud te-
status sum. Principio certus, me nullum habere legitimum hære-
dem, præstantissimum Virum* D. Bonifacium Amerbachium *omni-
um facultatum mearum hæredem instituo: Executores vero* Hie-
ronymum Frobenium & Nicolaum Episcopium. *Bibliothecam
meam jam quidem vendidi* D. Joanni a Lasco, *Polono, juxta syn-
graphum super hoc contractu inter nos confectum: non tradentur
tamen libri, nisi hæredi numeraverit ducentos florenos. Quod si
ille pactum remiserit, aut me prior e vita excesserit, liberum esto
hæredi, de libris statuere, quod velit.* D. Ludovico Bero *lego ho-
rologium aureum.* Beato Rhenano *cochleare aureum cum furcinu-
la aurea.* M. Petro Vetereo *centum quinquaginta coronatos au-
reos: tantundem* Philippo Montano Lamberto, *Famulo, si mihi
morienti adfuerit, ducentos florenos aureos, nisi ego vivus hanc
summam ei numeravero.* D. Johanni Brischio *lagenam argente-
am.* D. Paulo Volsio *florenos aureos centum.* Sigismundo Tele-
nio *ducatos centum & quinquaginta.* Joanni Erasmio Frobenio
*duos annulos, quorum alter non habet gemmam, alter habet gem-
mam subviridem, Gallis dictam* Turquoys. Hieronymo Frobe-
nio *lego omnes vestes meas, omnemque supellectilem meam, lane-
am, lineam, & ligneam: præterea poculum, quod habet insignia
Cardinalis Moguntini. Uxori ejus annulum, qui habet imaginem
mulieris, in tergum respicientis.* Nicolao Episcopio *poculum cum
operculo, quod in pede habet versiculos insculptos.* Justinæ, *uxori
ejus, duos annulos, quorum alter habet adamantem, alter* Tur-
quoys *minorem.* M. Everardo Goclenio *poculum argenteum, quod
in summo habet imaginem* Fortunæ. *Si quis legatariorum in-
terciderit, quod legatum erat, inhæredis arbitrio esto. Hæres,
præter ea, quæ per Syngrapham designavi, sibi accipiet, quicquid
super-*

superfuerit poculorum, aut annulorum, aut rerum similium; ad hæc numismata, insignia, & Lusitanos cruciatos, Regis Poloniæ & Severini Boneri faciem exprimentia, aliaque his similia. Præterea ducatos omnes duplices & quadruplices. Pecuniam apud Everardum Goclenium *depositam, illi in Brabantia dispensandam relinquet, quemadmodum ei mandavi. Siquid apud Erasmum Schetium erit reliquum, ab eo repetet, eamque pecuniam ac reliquam omnem, quæ superfuerit, suo arbitrio & ex consilio Executorum distribuet in usus pauperum ætate ac valetudine infirmorum, item in puellas nupturas, in adolescentes bonæ spei: breviter, quoscunque subsidio dignos judicaverit. Hanc extremam voluntatem meam, quo plenior sit fides, propria manu descripsi, ac peculiare annuli mei sigillum, Terminum, adfixi Basileæ in ædibus* Hieronymi Frobenii, *duodecima die Februarii, anno a Natali Domini MDXXXVI.*

OBSERVATIO PARELII SINGULARIS *facta die 28 Augusti 1722 Germendorffii prope Berolinum a GEORG. WILH. WEGNERO, Pastore ejus loci.*



Lecta nuper in Actis Eruditorum Cel. Verdriesii duorum pareliorum observatio in mentem mihi revocavit phænomenon singulare, quod parelium etiam dixeris, quamvis a pareliis hactenus observatis plurimum differat.

Dies 28 Augusti A. 1722 erat pro ratione temporis calidus, cœlum serenum & nubeculis quibusdam albidis interspersum. Ventus flabat Borapeliotes. Hora circiter quinta vespertina atra quædam nubes (quæ in figura lit. A signata est) ab occidente oriebatur, quæ se tamen magis septentrionem quam austrum versus extendebat, & austrum versus in longam sed tenuem lineam B desinebat, quæ etiam atri erat coloris. Hæc atra nubes tandem Solem jam inclinantem obtegebat. In via eram, & ab oriente versus occidentem domum properabam. Circa horam sextam tertia fere post quintam quadrante prope tenuem lineam atræ nubis B conspiciebatur alia nubes coloris albi C, quæ movebatur a Borea versus Africum, dum atra nubes stare & quiescere videbatur. In hac alba nube C imaginem Solis conspiciebam, ipso Sole ab atra nube tecto. Motus autem albæ nubis erat celerrimus, & antequam imago Solis in ea evanescebat, jam ultra atram lineam processerat, & quidem ita, ut cursus ejus esset supra atram lineam; quod exinde facile colligebam, quia imago Solis in nube ab inferiori atra nube sensim tegebatur, & sensim iterum apparebat. Imago Solis D erat rotunda, sed ipsum Solem magnitudine præter propter superabat dimidia. Colorata erat instar iridis.

Circumferentia exterior rubrum colorem ostendebat, quem flavus excipiebat, ceteri colores interiores haud facile dignoscebantur, quamvis a flavo distincti erant. Nubes alba C, cujus figura equidem irregularis antea erat, sicut in schemate descripta est, sensim se dilatabat versus Boream & Africum & tenuior evadebat, donec formam lineæ cujusdam aliquam latitudinem habentis indueret, vid. lit. E. Pro mutatione nubeculæ imago etiam Solis mutabatur. Figura rotunda mutabatur in Ellipticam, cujus axis brevior semper magis magisque decrescebat, longior autem augebatur, donec etiam in lineam desinebat, quæ tamen ab ipsa nube per aliquales colores adhuc

huc diſtingui poterat. Nubecula alba in alias multas minores diſperſa, imago etiam Solis diſparuit, poſtquam phænomenon per horæ circiter quadrantem obſervaveram. Atra nubes A, quæ pluviam minari videbatur, circa veſperam demum etiam diſperſa eſt. Elevatio ejus maxima ſupra horizontem hora ſexta erat 20 grad. Circuli Horizontalis. Coronarum & arcuum, quæ alias conſpiciuntur, nulla mihi apparuere veſtigia, quamvis anxie quæſita: ſed & apparere non potuiſſe, deinceps facile colligebam, quia conditio aeris & circumſtantiarum id non ferebat.

ISTORIA DELL' ORRENDO TREMUOTO &c.

i. e.

HISTORIA HORRENDI TERRÆ MOTUS, qui accidit Panormi, d. 1 Sept. 1726, conſcripta a P. SALVATORE RUFFO, Panormitano, e Tertio Ordine S. Franciſci.

Panormi, ex officina Angeli Felicellæ & Ignatii Magri, 1726, 4. Plag. 3½.

Accepimus nuper ab ipſo præſtantiſſimo Autore hoc ſchediaſma hiſtoricum, idemque, ut ſatisfieret voluntati optimi viri, atque iis, qui Italici ſermonis ignari legere ſuccinctam deſcriptionem triſtiſſimi caſus deſiderant, in Latinam vernaculamque linguam converſum edi a J. G. Gleditſchio curavimus. Bis illud in Italia impreſſum literatis viris æque ac nobilibus magnopere probatum eſt, non modo quia minutim omnia, quæ acciderunt, deſcripſit Autor, verum etiam quia candorem ejus in patefacienda veritate cuncti agnoverunt. Neque enim quicquam poſuit, niſi quod vel vidit atque annotavit ipſe, qui primis mox diebus totam urbem, non ſine improbo labore, perluſtravit, vel homines probæ notæque fidei teſtati ſunt. Sed audiamus ipſum:

"Panormus, inquit, Siciliæ metropolis, cum multa alia ab" hominum atque naturæ liberalitate nacta inſignia beneficia eſt," tum illud etiam ad hoc usque tempus habuit præclarum privile-" gium, uti in tot terræ tremoribus, quos afflixiſſe Siciliam me-"

moriæ

"moriæ proditum est, nullas sit perpessa ædificiorum ruinas, nullas
"civium clades: nam fabulam *Guevaræ* Augustinus *Inveges*, &
"alii, satis confutarunt. Hanc placuit Divino Numini, cujus oc-
"culta & justa sunt judicia, die prima Sept. hujus anni, gravissimo
"ac perniciosissimo terræ motu conquassare: quo adeo lacerata ac
"deformata est pulcherrimæ urbis facies, ut non solum ingenia
"clementiora, sed ipsam crudelitatem, movere ad misericordiam
"possit. Quanquam illa quidem, una civium suorum voce, confi-
"tetur, potentissimam Dei manum multo pœnæ absynthio plus ta-
"men olei misericordiæ admiscuisse.

"Dies erat nubilus, caliginosus, & respirationi incommodus,
"quem principium noctis sequebatur, serenum illud quidem &
"stellatum, ceterum ob crebras & validas circa horizontem ful-
"gurationes multis terribile. Observatum est a navicula Gallica,
"quæ tum quidem millia passuum fere XXX ab hac urbe aberat,
"nec non ab aliis, in camporum planitie & statione navium, acces-
"sisse a septentrionibus, absque vento aut pluvia (quæ res jam
"diu desiderabantur) meteorum quoddam, sive atram nubeculam,
"ardentia & frequentissima fulgura, nec fulmina tamen, ejacu-
"lantem, eamque paullo post in formam longæ trabis igneæ ex-
"tensam appropinquare ad horizontem montis *Galli*, qui monti
"*Peregrino* vicinus est. Fremere tunc atque intumescere mare,
"mons ipse strepitare, & puncto temporis amœnissimum illum
"tractum circumdans meteorum, cum horrendo fulgure displodi
"atque in auras abire, prope arcem maritimam, ad portam *S.Geor-*
"*gii*, quæ nunc *S. Rosaliæ* vocatur; stupescentibus & incredibili-
"ter perterritis iis, qui rem e campo atque statione navium specta-
"bant, incendiumque totius urbis verebantur. Sed & arcis sive
"Castelli Præfectum Regium, *Kinterrott*, timor incessit, ne con-
"ditorio pulveris bellici adhæsisset ignis hujus meteori, quod de-
"inceps in aquas marinas, prope molem parvam, immergi, non
"totum fortasse, sed ex parte visum est.

"Atque hoc ipso tempore, paulo ante quartam noctis ho-
"ram, juxta horologium Italicum, totam concussit urbem & am-
"plissimum ejus agrum terræ motus, qui oriri cum regulari qua-
"dam agitatione, sed & cum insolito strepitu observatus est. Se-

cuti

cuti sunt quatuor multo urgentiores ac plane horribilissimi pul-" sus, de eo genere, quod *Inclinationis* vocabulo designant physici," nutante solo & modo ad dextram modo ad sinistram jactato: Fi-" nem denique fecit terribilis fremitus, & tremor quidam irregu-" laris, cum repentino vento, qui a mari irruebat. Et motum qui-" dem ejus generis fuisse, de quo diximus, multo certius deinceps" ipso oculorum sensu licuit dignoscere. Nam cunctorum ædifi-" ciorum, tum eversorum tum laceratorum, integra erant funda-" menta, omnisque ruina a tectis, fornicibus, coronis, atque sum-" mis fastigiis orta cernebatur."

Dici non potest, quanto pavore perculsi sint cives, quorum" multi tantum non nudi e lectis ruentes, per gradus, per fenestras," partim saltu, partim per scalas tumultuaria opera applicatas, se" præcipitabant. Alii extra urbem apertos quærebant campos: Ple-" rique cum nobiliores tum plebeji, ea ipsa nocte, tentoria vel casu-" lasl igneas sibi præpropere extruebant, in XII urbis propugnacu-" lis, atque passim in areis Regii palatii, templi cathedralis, Papyriti," Castelli ad mare, aliisque locis. Ab omnibus, cum gemitu atque" ululatu, implorata divina clementia, atque invocatæ *D. Maria* &" *Rosalia*, quæ sunt duo asyla amoresque pietatis Panormitanæ."

Senserunt hunc terræ motum etiam urbes *Mazara* & *Marsa-*" *la*, ut literis significatum est: sensit *Drepanum*, quo loco duo sal-" tim globi lapidei ex turri *D. Annuntiatæ PP. Carmelitanorum* de-" jecti, pereunte milite Germano in arce *Columbariæ*, sine alio da-" mno. Sensit oppidum vicinum Archiepiscopale, quod *Montis re-*" *galis* nomen habet: senserunt alia multa loca & castella, ad LX" millia passuum a Panormo remota. Placuit Divino Numini o-" mnem pestem in hanc unam metropolim effundere. E monte" *Gallo* ingens decidit saxum, ad mare usque, quod totum fremere" atque intumescere visum, piscibus tanta copia ascendentibus, ut" navicularius quidam, ope exigui retis, paullo ante projecti, 750" libras ceperit, qui magno labore periculum submersionis, propter" validos concussus, evitavit. In isthmo famosæ molis, Geographis" tantopere celebratæ, vorago aperta, cum aliis fissuris longis:" idemque factum in propugnaculo urbis, quod vocatur *della Lan-*" *terna*. Disrupta passim taberna sub nobili ponte, quo amnis *Ore-*"

 thus,"

"*tbus*, five *Admirati*, transmittitur. In regione, quæ dicitur *de* "*Ciaculli*, ubi olivetis & vineis distinctus ager, omnis aqua magnæ "piscinæ, in horto Principis *della Roccella*, foras ejecta. In *turri* "*longa* miles excubias agens interemtus. Arx suburbana regia "*Assisii* (*Zisam* vulgo dicunt) altissimum ædificium Saracenicum, "multis locis, in partibus camerisque superioribus hiavit: & com; "plures ædes in agro Panormitano fissuras reparabiles passæ.

"Ego, *inquit Autor*, qui tum in cellula sedebam cum duobus "religiosis, existimavi in illa perturbatione, terræ motum, a princi- "pio ad finem, tanto temporis spatio durasse, quanto opus est ad "recitationem dimidii Psalmi LI. Sed & alii, iique multi & graves "viri, qui paulo tranquillius rem observarunt, definiendum illud "tempus recitatione Symboli Apostolici arbitrati sunt. Ceterum "sine mora per gradus devolantes, cum LXXX aliis religiosis hu- "jus cœnobii *D. Mariæ a misericordia*, quod etiam *D. Annæ* vocatur, "in aulam hortumque nos effudimus, ubi aliquandiu supplices at- "que attoniti commorati sumus, timentes, ne XXIV columnæ, cum "IV pilis, quæ omnes e marmore cinereo conflatæ ædificium su- "stentant, novis concussibus subverterentur. Sed ad clamores & "lachrymas confluentis populi apertum templum. Apertæ etiam "omnes aliæ ædes sacræ, præter duas, ad accipiendas sacras con- "fessiones.

Hæc Autor clarissimus; qui deinceps singularem curam atque providentiam Prætoris, Senatus, ceterarumque principum perso- narum, ad conservandum ordinem in afflictissima civitate, expo- nit, fidelemque operam militum Germanorum deprædicat. De- scendit postea ad minutiorem damnorum enarrationem, quæ in singulis IV partibus amplissimæ urbis contigerunt: unde nobis qui- dem pauca delibanda.

In prima parte situm est palatium Regium. Hic, in camera *della Racbetta*, pars muri collapsa: conclave marmoreum frequen- tibus dissectum rimis. In atrio turris S. Nymphæ, ubi *Parlamentum* Regium congregari solet, medium disruptum & loco motum lon- gum crassumque ferrum, quod 3500 librarum æstimatur. Etiam hoc loco, itemque in scalis & earum fornicibus, in solario at- que in superioribus cameris, complures fissuræ. Omne damnum hujus

hujus arcis sarciri potest impensis trium millium numorum, quos *Scudi* vocant. Jam in Cœnobiis *D. Elisabethæ* & *D. Claræ*, in Xenodochio magno, atque in ædibus quibusdam vicinis, in templo Carmelitanorum majore, in Ecclesia Parochiali *D. Nicolai ab Albergaria*, non mediocres rimæ & ruinæ conspiciuntur. In platea *de formaggi*, in longa via Germanorum, atque in foro, quod Sarracenice *Segebullarath*, hodie per syncopem *Ballarò* vocatur, pleræque domus trabibus suffultæ; quarundam gravius periclitantium pars superior ultro destructa. Supra aream quæ dicitur *de Bologni*, dejecta e fastigio palatii optimi Præsulis, jam diu defuncti, *D. Vincentii Hugonis*, statua justitiæ: id quod variis sermonibus variisque ingeniorum speculationibus ansam dedit.

Pars altera urbis, juxta divisionem Autoris nostri, magnificum templum cathedrale complectitur. Hoc ipsum & complura alia templa, cœnobia, collegia, atque ædificia privata, mire quassata & afflicta, partim etiam, cum multorum civium interitu, penitus eversa. Circa Papyritum duo viculi satis longi ruinis toti devastati. Relatum est ab iis, qui mortem effugerunt, clamore miserorum, e domibus se proripientium, misericordiamque & confessionem flagitantium, commotum pium sacerdotem *Joseph. Galeonium*, celeriter ad fenestram se contulisse, sed vix data absolutione, præcipitem factum, una cum devota illa multitudine ruinis sepultum esse. Ingenti numinis divini misericordiæ attribuitur, quod publicarum meretricularum multæ & continuæ ædes, huic loco vicinæ, conservatæ sunt: nam meretrices illæ publicæ publicam egerunt pœnitentiam. In via *Pannaria*, *delle Api*, proximisque plateis atque viculis, totæ insulæ domorum collapsæ, & magna hominum vis oppressa. Hic bonus quidam sacerdos testatus est, invenisse se mulierem, cujus solum caput cum manu dextra e ruinis extiterit, quæ faciem pugno percutiens, altaque voce & multis lachrymis protestata, se non modo hanc mortem, sed infernum meruisse, laudaverit Deum, a quo ita tractaretur, & mox confessa atque absoluta exspiraverit. Nec prætereundus est alius casus, qui accidit in *Pannaria*. Erat in lecto cum suo amasio pellex, quæ jam per XIX annos ejus se tradiderat libidinibus. Concutiuntur & labascunt ædes: mox ingens saxum caput infelicis hominis comminuit: tremere hinc mulier,

lier, & periculum æternæ damnationis agnoscens pœnitentiam agere, sanctumque *Nicolaum Tolentinatem* invocare; nec frustra, Nostro judice; nam explicuit se ex ruinis, templumque *S. Augustini* ingressa, multis lachrymis miraculum enarravit, atque reciso capillo & in ædicula hujus sancti suspenso, mores suos correxit.

In tertia urbis parte, ubi Senatorium assurgit palatium, & plures & multo magis deplorandæ contigerunt ruinæ. Ipsa ædes *Mariæ a misericordia*, PP. tertii ordinis *S. Francisci*, e quorum numero est Autor noster, multis affecta damnis. Collapsæ sunt domus contiguæ, quarum bona pars ad Conventum illum pertinet. Auxit terrorem repentinum incendium, in tectis, lignis & trabibus ædificiorum subversorum, a facibus hominum, in removendis lapidibus extrahendisque corporibus occupatorum, exortum; quod tamen providentia duorum Senatorum in tempore restinxit. Maxima strages edita in regione *de Lattarini*, ubi in tribus plateis pleræque ædes subversæ, multique mortales vivi sepulti. Accidit in aliqua domo hujus regionis, ut uxor *Antonini Palermi*, Joanna, pia mulier & purissimo conceptui divæ Virginis devota, ad primum terræ concussum in genua provoluta, misericordiamque a Deo precata, præsentem opem immaculatæ Virginis, cui sese commendaverat, experiretur. Collabente enim domo, e ruinis formatum circa ipsam tuguriolum, ubi incolumis spectavit filii familiæque necem, iisdemque multis lachrymis parentavit.

Restat quarta urbis pars, qua templum augustum *S. Dominici* & Castellum Regium ad mare comprehenditur. Hic non multo minor devastatio & clades; imprimis circa forum magnum, quod vocatur *della Bocceria*, in plateis *de Mezzani*, itemque in iis, quæ a pileorum, pannorum, rerum argentearum, gladiorum, & cistarum artificibus denominari solent. In area *S. Sebastiani* ex ædibus Principis *di Roccapalomba* factus lapidum acervus, sub quo sepulta Princeps mater, Domina *Damiana Galletti & Corvino*, cum duobus nepotibus; servato Principe filio. Ruinæ domus *Michaelis Muretti*, qui ipse interitum effugit, bonum sacerdotem oppresserunt, *Ignatium Staffi*. Hic, cum primum terræ motus sentiretur, relicto *Muretto*, avunculo suo ægroto, in aliud conclave se receperat, ubi flexis genibus, nudatum tergum flagro proscindens, ante æstumatissi-

mam

mam imaginem immaculatæ Virginis preces effudit; repertus postea cum *breviario*, in quo Psalmi pœnitentiæ evoluti. Ceterum illæsa in hac urbis parte substiterunt magnifica templa S. Dominici, S. Zitæ, S. Ignatii, & complures aliæ ædes cum sacræ tum profanæ.

Quod ad numerum eorum attinet, qui passim in tota urbe partim occisi, partim graviter vulnerati, eum ad homines circiter CCCC pertingere satis constat; quem mediocrem dixeris in civitate, quæ plusquam centena & vicena millia animarum complectitur. E tribus millibus clericorum, qui *seculares* vocantur, IV sacerdotes perierunt; e CLXXXII illustribus principibusque personis una *Rocapalombæ* Princeps; e tot centenis Monialibus, in XXII Monasteriis & XIV conservatoriis, similiterque e LII conventibus Monachorum, plane nemo. Damnum ædificiorum non nisi ter decies centenis millibus nummorum sarciri posse judicatur.

Atque hæc fere sunt, quæ ex schediasmate doctissimi *Ruffi* huc transferenda judicavimus. Qui plura scire desiderat, imprimis de solennibus iteratisque civium Panormitanorum Processionibus, is ad ipsum Cl. Autoris scriptum ablegandus est.

SAMUELIS PUFENDORFFII DE OFFICIO hominis & civis Libri duo. Supplementis & Observationibus auxit & illustravit GERSCHOMUS CARMICHAEL, Philosophiæ in Academia Glasguensi Professor.

Edimburgi, impensis Joannis Paton, 1724, 12.
Alph. 1 plag. 14.

R*ichardus Steele*, Eques Anglus, in epistola nuncupatoria ad Papam Clementem XI, *Notitiæ status Religionis Romano-Catholicæ* præmissa, in Scotorum Academiis ab omni penitiori veritatis indagatione religiosissime abstineri tradit. Esse enim formulas comparatas, intra quas omne verum consistat, & quarum terminos qui migrare velit, sacrilegii reus sit. Quod quidem de doctrina morum non satis explorate dici, hæc Pufendorffii editio fidem facit, qua Cl. Editor partim Supplementis, partim Observationibus suis perfectius præstantissimæ disciplinæ Systema molitus est. Quod institutum, ut & subacti judicii & probitatis commendatione, qua ubivis viri boni speciem Editor tuetur, laudabile est; sic operæ pre-

tium fuerit primum de Supplementis, tum de Observationibus dicere singulatim.

Monuerat *Leibnitius*,a) vix esse, ut Pufendorffii libellus vice absolutæ epitomes doctrinæ morum fungi possit, idque pluribus argumentis iverat evictum. Ab ejus sententia ad populum provocaverat *Jo. Barbeyrac* V.Cl.b) cœperatque velle animadversiones ejus omnes refellere. Non tulit id *Balthas. Branchu*,c) qui annis aliquot post arbitrium juvenis inter senes interponens, ingenti studiorum fiducia illud in omnibus dedit secundum Leibnitium. Dum ita in diversissima abeunt ferventia utriusque studia, mediam viam Cl. Editor init, & quæ jure reprehendi videbantur, Supplementis emendare, reliqua verecundius excusare instituit.

Quaternarius est numerus horum Supplementorum. *Primo* summa capita doctrinæ morum ex reverentia summi Numinis repetit. Observat enim, hanc quidem non scriptam, sed natam nobiscum legem esse, ut unusquisque velit, sibi bene esse, male non esse. Huic vero naturæ desiderio perfectius satisfieri, summamque adeo beatitudinem, imprimis computatis rationibus vitæ futuræ, cujus spem indubiam justitia & providentia divina faciant, inveniri non posse, nisi homo voluntati Dei, cum in lege *positiva*, tum per rationem in lege *naturali* expositæ, amanter & reverenter obtemperet, Deoque

Compositum jus fasque animi sanctosque recessus
Mentis & incoctum generoso pectus honesto

offerat. Hoc igitur Supplemento Cl. Editor ex sententia Leibnitii hominum mores ad Dei nutum fingere satagit; aliter ac Pufendorffius, qui depressius intra forum humanum subsistens felicitatem omnem hujus vitæ ambitu æstimaverat. Supplemento II Pufendorffii studio socialitatis duo alia præcepta præmittit, quorum alterum ad cultum Dei, alterum ad uniuscujusque utilitatem aliis innoxiam pertinet. E quibus fontibus dein nova methodo totius disci-

a) In epistola a Justo Christoph. Böhmero, Profess. Helmstadiensi, A. 1709 in Programmate Academico primum edita, dein editionibus officiorum, Groninganæ Pagenstecheri, & aliis adjecta.

b) In appendice versionis Gallicæ Officiorum Pufendorffii.

c) In Leibnitio vindicato, qui cum observatt. ejus ad Jus Romanum T. I prodiit Lugd. Batav, 1721.

disciplinæ moralis synopsin derivat in *appendice*. Qua in re proinde rursus Leibnitii sententiæ obsecundat, qua is pleraque Pufendorffii ex principio ejus non deduci dixerat. Supplementum III inscribitur *de officio hominis erga suam mentem*, eoque Cl. Editor ex Pufendorffii majori opere repetit officia ad culturam animi pertinentia. Quæ eo redeunt, dandam esse operam, ut mens sanis circa officia sententiis imbuatur, ut recte æstimare discat, quæ hominum appetitum stimulare solent, ut animi affectibus, amori, odio, invidiæ, metui, iræ, lætitiæ, spei, pro ratione imperet, denique ut honestam artem, pro sua quivis vitæ conditione, addiscat. Supplemento IV, quasi contractus ex æquitate & *præsumto* consensu repetuntur. Transimus ad Observationes. Iis & *Ethicæ & Juris Naturæ stricte sic dicti* præcepta Pufendorffiana; (utramque enim disciplinam officiis suis complexus est Pufendorffius, utramque rectissime jungi censet Cl. Editor) locupletantur, quod, ut in rem præsentem eamus, e sequentibus apparebit L. I c. II §. 12 n. 1. generales virtutis & vitii ideas sistens, illam definit, *habitum inclinantem ad obtemperandum legi Divinæ ;* hanc *habitum inclinantem ad transgrediendum legem Divinum.* Observatque, justitiæ, quæ personæ tribuitur, definitionem, qua constans & perpetua voluntas dicitur, jus suum cuique tribuendi, si latius accipiatur, integram quidem virtutem complecti; nec prorsus tamen rejiciendam esse Cardinalium virtutum enumerationem. Quamvis enim reliquæ tres justitiæ hujus ambitu contineantur; singulas tamen esse quodammodo virtutes generales, & ad omnia officiorum genera usum suum extendere. Prudentia enim sedulo indagari ac mature dijudicari, quid ubivis Deo, nobismet & aliis debeamus: temperantia vero & fortitudine duo præcipua bene agendi impedimenta tolli, nimiam scilicet affectationem bonorum, & nimium terrorem malorum, ita ut illa doceat ἀπέχεσθαι, hæc ἀνέχεσθαι, quibus Philosophiæ morum summam contineri haud insipide docuerit Epictetus. Quam in rem præclare Cicero Offic. L. I c. 12: *Nemo justus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet, aut, qui ea quæ his sunt contraria æquitati anteponit.*

Ex Observationibus, quibus Pufendorffii Officia, quantum ad Jus Naturæ stricte sic dictum pertinet, auxit & illustravit eas repetimus, quibus Officia conjugum e Naturæ præceptis fere ad decus disciplinæ Christianæ ordinare tentat. Observat igitur L. II c. 2, non tantum, quod Pufendorffius ostendit, omnem vetitam libidinem, in diversum eundemve sexum ruentem, quasvis fœdas pollutiones, omnemve commixtionem extra matrimonium lege Naturæ damnari; sed & ab homine insuper lege socialitatis exigi, ut & naturalem conjunctionem ad humanæ societatis commoda attemperet: quod cum non tantum in eo vertatur, ut in immensum crescat hominum numerus; quam ut prolis nascentis cum corpore mens recte efformetur, quo personæ instructiores in scenam prodeant; non aliam esse honestam prolis generandæ rationem, quam quæ ad ejusdem idoneam educationem tendat. Proinde eos demum obstringi absoluta ineundi matrimo-

nii

nii obligatione, qui hac facultate reipublicæ commodis inserviendi gaude-
ant. Ut vero & mas & femina sibi sobolem quærere velle censeantur; sic ut
pater paterno affectu sobolem amplecti possit, requiri, ut suam prolem esse
noverit, quare illi soli uxor jungi debeat. Ideoque & simul ob communem
curam educandæ prolis debere, qui corpora mutuo conjungunt, in eandem
familiam concedere eosdemque Lares a primo inde congressu habere.
Non minus vero naturalem æquitatem postulare, ut maritus unius non plu-
rium uxorum consuetudine utatur, præsertim cum propter æqualem circi-
ter virorum ac feminarum numerum *polygamia simultanea* præ *monoga-
mia* ad hominum genus multiplicandum nihil conferat; at contra iniquis-
sime opprimat non modo *uxores*, quæ exigua consortii parte jubeantur esse
contentæ, sed & *alios viros*, quorum plurimi ista ratione uxoribus carere co-
gantur, & præcipue *natos*, quibus tanto numero sollicite educandis unius
patris cura non sufficiat; ut ex ista licentia *ἀςοργίᾳ* patrum, *ἀχαριςίᾳ* libero-
rum, rixæ denique & adulteria uxorum non possint non propullulare.
Porro arctam illam animorum non minus quam corporum conjunctionem
non pati, ut vel ad tempus ineatur matrimonium, vel a conditionibus, quas
præstare supra sortem humanitatis sit, suspendatur. Si qua procreatio &
educatio sobolis propter provectiorem unius vel utriusque conjugis æta-
tem sperari nequeat, quousque id genus conjugiorum tolerari debeat, le-
gum publicam curam esse, quo olim pertinuerit unum legis Juliæ & Papiæ
caput: postulare tamen humanæ naturæ dignitatem & has conjunctiones
summa sanctitate velari. Ceterum conjugia inter adscendentes & descen-
dentes recte a Grotio & Pufendorffio e jure naturæ repeti, quia affectus &
consuetudo conjugalis cum reverentiæ pudore, quem parentibus & libe-
ris cujuscunque gradus intercedere necessitudinis hujus ratio exigat, com-
poni non possit. Prohibitionem nuptiarum vero, quibus consanguinitate &
affinitate junctis connubia interdicantur, ex lege positiva repetendam esse.

Solet Cl. Editor in observationibus inter veteres imprimis ad Cicero-
nem in Officiis provocare, exemplo H. Grotii, qui Ciceronis præclare dictis
sua tanquam luminibus distinguens satis ostendit, quanti hanc penum So-
craticæ sapientiæ faceret, quam *Desbayes*, supremæ Curiæ Parisiensis Advo-
catus, vir negotiorum civilium usu clarus, legis naturæ *Evangelium* dice-
re veritus non est. 1) E recentioribus, *Noster* præter acutissimi *Titii*, no-
stratis, animadversiones, imprimis *Jo. Barbeyrac* annotationibus, *Huberi* li-
bro de jure civitatis & *Lockii* de imperio usus est. Veteres quoque Juris-
consultos subinde sententiam rogavit, autorque fuit Philosophis, ut & ipsi
Civili Prudentiæ operam darent. Quod si futurum est, parcent forsitan ni-
miæ diligentiæ, qua officia hominum in statu naturali, seu si mavis in repu-
blica Solis justo operosius ordinaverunt, intelligentque, subtilia quidem sa-
tis ea esse, sed ut aranearum texta nemini profutura. Ideo enim excogitata
videntur, ne, quod Cicero de Rhetoribus Græcis dixit, ars exilis videretur.

1) Vide *Journal des Scavans T. XIII*, 1665.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Februarii Anno M DCC XXVII.

NICOLAI COMNENI PAPADOPOLI *Historia Gymnasii Patavini.*

Tomi II.

Venetiis, apud Sebastianum Coleti, 1726, fol.
Alph. 8.

QUi Gymnasii Patavini, quo & doctorum & alumnorum, sive numero, sive fama illustrius haud novit universa Italia, historiam condiderunt, *Ant. Riccobonum* atque *Phil. Jac. Tomasinum*, nondum omni ex parte operi, quod susceperant, satisfecisse, pridem deprehenderunt eruditi. Præf. Ille enim etsi nitido & satis Latino stilo usus sit, levi nimis brachio argumentum, certe haud sterile, pertractavit, hic vero prolixior quidem, sed multa aliena immiscet, conjecturis nimis indulget, plurima etiam non adeo idoneis firmata affert documentis. Accedit insuper, quod, quum duumviri illi satis longo abhinc tempore floruerint, de recentissima quidem Athenæi hujus facie, prisca illa longe augustiori, nihil dicere potuerint. Bono itaque omine factum, ut, qui ex splendidissimo Venetæ Reipublicæ Senatu Lycei curam habent, de continuanda Gymnasii historia cogitarent ante annos aliquot, eoque *Nicol. Comneno Papadopolo* provinciam hanc deferrent autoritate publica, p. 154, 155, 156. qui jam tum anno 1688 vergente e Collegio ac Gymnasio Justinopolitano, cui præerat, ad Professionem Juris Canonici Patavium evocatus & 400 flor. stipendium nactus est, quod paulatim ita auctum est, ut, illo subinde lautioribus admoto, & tanti, quem in elucubrando hoc ope-

re suscepit, laboris ratione habita, A. 1724 ad mille & quadrin-
p. 31. gentos flor. adscenderit: ut taceamus, penes eundem ab A. 1708 ad
1710 & ab A. 1720 ad 1724 præsidium fuisse Collegii Juris Con-
sultorum. Enimvero Autor hic doctissimus opus hoc multi-
plex, varium ac elegans, quatuor fere annorum spatio, e publi-
cis Tabulis Gymnasiique actis & privatorum scriniis pluri-
mis composuit. Qua in re ita versatus est, ut a *Riccobono* atque
Tomasino recte, clare atque utiliter posita, ceu apud ipsos legen-
da, omiserit, secus vero tradita emendaverit, omissa suppleverit,
confusa in justum ordinem retulerit, & universam Gymnasii hi-
storiam ad annum usque M DCC XXIV apte deduxerit. Di-
viditur opus Tomis II, quorum primus, tribus Libris constans,
T. I L. I p. 2. justam ipsius Gymnasii descriptionem exhibet. Primordia, quæ
antiquissimis temporibus, magnifice quidem, sed non ex vero, po-
nit Tomasinus, Noster declinante Seculo XIII circa annum
MCCLX statuit merito; quum ante illud tempus nec Præce-
ptorum nec discipulorum ad urbem hanc confluentium vesti-
gium deprehendatur ullum. Tunc enim Gosaldum quendam
Hispanum Juri æque ac Medicis artibus curandis præfectum
fuisse, multaque cum fructu sanxisse legitur: cujus post obitum
bini semper Rectores, JCtorum unus, Artistarum alter, constituti
sunt. Hi quum essent rei, cui præerant, augendæ admodum stu-
diosi, factum est, ut parvo admodum tempore insignia caperet
3. augmenta Gymnasium, quæ sub Patavinis post hæc Principibus
magis indies creverunt; præsertim quum nova subinde largi-
4. rentur privilegia Romani Pontifices, novas indulgerent immu-
nitates Carrarienses. In ipso seculi decimi quinti limine tantum
5. non ad interitum vergebant res Gymnasii infausto Patavinorum
cum Venetis bello: quo tamen finito, & pace reddita, quum Vene-
6. torum imperio cives se permitterent, decus atque jura reddi-
ta sunt Lyceo & confirmata, leges utilissimæ præscriptæ, &,
quum distarent antehac JCtorum & Artistarum scholæ, una se-
des unumque domicilium in foro publico constitutum; cui
exstruendo quum plane non sufficeret fiscus Gymnasii, regia Ve-
neti Senatus munificentia, magna opum vi oblata, necessitati oc-
9. currit ærarii. Ita insigniter locupletatum & Professorum stipendia
non

non pœnitendis adaucta sunt accessionibus; cujus liberalitatis exempla illustria admodum Cap. VIII enarrantur. Origine sic, p. 11.
incremento & splendore, quo ad hunc diem fulget, exposito, de Collegiis Gymnasii variis eorundemque fatis disserit Autor Cl. Catalogum etiam illorum, qui ex Ducibus Venetis Gymnasio præfecti fuerunt, texit; Triumviros item, Rectores, Cancellarios & Syndicos memorat, quorum meritis ac virtute stetit hactenus Gymnasii gloria. Secundo Tomi primi Libro ordo studiorum Tom.I Lib.
atque ratio, quotidiana itidem prælectionum pensa describuntur; II.p.118.
Syllabus pariter Professorum, tum Juris scientiam, tum li- 120.
berales artes tradentium, exhibetur, una cum eorundem oneribus, officiis, immunitatibus atque privilegiis. Progreditur post 134.
hæc Autor ab anno MDCLIII, ubi scilicet desinit *Tomasinus*, ad annum usque MDCCXXIV, & illorum, qui in Lyceo præclaro docentium functi sunt munere, nomina, sollicita temporis habita ratione, enarrat; prolixa omissorum antehac neglectorumque 149.
addita mantissa. Liber denique tertius elogia Professorum niti- Tom.I Lib.
do succinctoque scriptionis genere complectitur; eorundem- III.
que vitam, famam atque præclara tum in universam litterarum rem, tum in Patavinum præcipue Gymnasium merita deprædicat, scriptorum etiam, quæ quisque edidit, notitiam suppeditat. Potissima operis pars est hæc tractatio, una cum Tomo secundo, Tomus II.
quo Gymnasii alumni, qui sive Jurium doctrinæ, sive liberalibus disciplinis ibidem operam dederunt, exteri pariter indigenæque, quique splendidis, queis postea admoti sunt, muneribus celebre adepti fuerunt nomen, recensentur. Enimvero insignem plane illustrium discipulorum numerum ostentat, in quibus Pontifices, Cardinales, Reges, Electores, belli Duces, Principes. Inter 288.
ceteros hic nominatur Gustavus Adolfus, Suecorum Rex, quem jam regali diademate, sed minorennem adhuc, fulgentem, Patavii, Comitis Sudermanniæ nomine adscito, per integrum fere annum versatum esse, ut Italicam linguam addisceret; præterea vero virginem ibidem quandam monialem pulcerrimam deperisse, amplisque affecisse muneribus, in Germaniam eam, si annuisset, abducturum; Galilæi itidem publicis prælectionibus seculo interfuisse, ex Gymnasii monumentis &

συγχεόντων testimoniis Noster probat. Inter ceteros vero Gymnasii alumnos, quorum magnum deinde inter eruditos nomen exstitit, memorat Hermol. Barbarum, Christ. Longolium, Ludovicum Areostum, Jo. Fr. Picum Comitem Mirandulanum, Petr. Bembum, Reginaldum Polum, Michaelem Hospitalium, Andr. Dudithium, Aug. Busbequium, Torquatum Tassum, M.Ant. de Dominis, Nic. Cl. Peirescium, Augustum Brunsuicensium Ducem,
p.140. Principem litteratissimum, Bessarionem Card. Theod. Gazam, Georg. Trapezuntium, Hieronymum Savanarolam, Mich. Marullum, Jo. Lascarem, Bilib. Birckheimerum, Nic. Copernicum, M. Ant. Flaminium, Paull. Jovium, Jul. Cæs. Scaligerum, Petr. Martyrem, Onuphr. Panvinium, Paull. Manutium, Hier. Cardanum, Hier. Wolfium, Guil. Postellum, Bern. Telesium, Fr. Patricium, Joach. Camerarium, Jac. Arminium, Ant. Possevinum, Ernest. Sonerum. Andr. Schottum, Laur. Pignorium, Cyrillum Lucarem, Oliverium Cromwellium, Christian. Langium, Thomam & Erasmum Bartholinos, Wern. Rolfinkium, Alexandrum Maurocordatum, Jo. Nicolai, hodierni Vallachiæ Principis illustrissimi, parentem, Joannem Zamoscium, Petr. Jo. Resenium, & plures alios. Singulorum vitas atque merita pari, qua in Professoribus recensendis versatus est, industria ingeniique laude, sine ulla offensione, eorum etiam, a quorum sacris dissidet, describit Autor doctissimus, dignus profecto, cujus præstantissimum exemplum nostrates sequentes, Germaniæ Academiarum historias componant atque effingant, amplum haud dubie operæ suæ pretium laturi.

LIBER PONTIFICALIS SEU DE GESTIS Romanorum Pontificum, quem cum Codd. MSS. Vaticanis aliisque summo studio & labore collatum emendavit, supplevit JOANNES VIGNOLIUS, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus alter &c.

Romæ, typis Rocchi Bernabo, 1724, 4 maj.
Alph. 2 plag. 9 Tabb. æn. 2.

Anasta-

ANastasii, Seculo a Christi nativitate nono Abbatis & Ecclesiæ Romanæ Bibliothecarii, Romanorum Pontificum Vitas, a B. Petro ad Nicolaum I, post M. Velserum & C. A. Fabrottum denuo paucis abhinc annis Romæ cum plurium eruditorum notis vulgare cœpit *Franciscus Blanchini*, in Sacello Apostolico Subdiaconus & Clementi XI ab honore sacri Cubiculi, de cujus splendidissimæ editionis Tomo I in Actis A. 1719 p. 425 & de Tomo II (ceteri adhuc desiderantur) A. 1725 p. 153 accurate egimus. Sed ecce novam nunc & emendatam, quamvis notis longe paucioribus instructam, producimus editionem operis Anastasiani, quam ad Codices MSS. Vaticanos aliosque castigatam, cum variis lectionibus, animadversionibus & novo rerum verborumque obscuriorum Indice, ante biennium Romæ sub *Libri Pontificalis de Gestis Romanorum Pontificum* titulo, quo vulgo in Codicibus insignitur, publicavit *Joannes Vignolius*, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus alter & a Cubiculo Benedicti, Pontificis hujus nominis XIII, hodie regnantis, cui & opus inscripsit, Honorarius. Nec quisquam omissum Anastasii nomen mirabitur: nam cum ægre ferret Blanchinianæ editionis typographus, eundem librum, in eadem urbe, tam facili sumptu recudi, e re visum est Nostro, ut nec Autoris in titulo, nec editionis illius in præfatione ullam faceret mentionem. Nimirum Noster, a suo munere haud alienum existimavit, ex quo demandata ipsi fuit Apostolicæ Bibliothecæ cura, hunc imprimis laborem suscipere, & ad purgandum ab antiquis erroribus, quibus illa Velseri & Fabrotti exemplaria scatebant, Anastasium accedere. Quod ut eo felicius exequeretur, cum Codicibus MSS. numero XIX, integris, quamvis non omnibus, qui in Bibliotheca Vaticana asservantur, quorumque Indicem Operi præmisit, Pontificum Romanorum vitas studiose contulit, &, quæ prima ipsi cura fuit, ad eorum fidem & autoritatem textum ipsum castigare, a mendis purgare, supplere, ubi mutilus erat, &, quoad fieri potuit, pristinæ integritati eundem restituere maluit, quam, servato textu corrupto & denuo typis mandato, indigestam variantium lectionum molem aut margini adscribere, aut ad operis calcem rejicere, quod factum fuerat a Fabrotto. Princeps hic fuit &

primarius nostri Autoris scopus, quamvis negari non possit, accessisse & huic Editioni varias ex Vaticanis Codicibus lectiones, quas tamen, quia non tantum apud Autorem valebant, quantum illæ, quarum beneficio textus emendatus apparet, in unaquaque pagina huic subjiciendas esse existimavit. Inde factum, ut, qui in novissima hac Editione legitur, textus multum diversus sit ab illo Fabrotti &, qui ad hujus exemplum expressus est, Cl. Blanchini, cumque præterea Codicum MSS. longe plurium, quam uterque illorum viderat, auxilio adjutus ad emendanda hæc Ecclesiæ Romanæ monumenta accesserit Vignolius, multo etiam politiora, quam antea, publicam nunc illa lucem aspicere, facile largimur. In hoc tamen non omnis versatur labor, quem Libro Pontificali impendit Vir doctus, verum animadversiones simul adjecit, breves quidem & succinctas, quibus obscuriora cum obsoletis vocibus explicantur, quæ sub Romanorum illius ævi Pontificum regimine gesta fuerunt, illustrantur, vulgares quoque & receptæ opiniones, quæ non satis fundatæ sunt, interdum refelluntur. Huc faciunt, quæ de Martyrum memoriis in vita Anacleti, de hymno trisagio, sanctus, sanctus, sanctus, in Xysti vita observata fuerunt Autori Cl. Sic, quando gesta Victoris animadversionibus illustrat, non intactam prorsus reliquit controversiam, quæ de Paschate celebrando mira animorum acerbitate agitata, graviter per aliquot Seculorum decursum exercuit orientis & occidentis Ecclesias; nec minus grata sunt lectu, quæ de levatis Petri & Pauli, Apostolorum, e Catacumbis Romæ corporibus in vita Cornelii adversus Pagium disputat, cujus quoque rei historiam æri eleganter incisam eodem loco repræsentavit pag. 49, ut reliqua taceamus, quæ pari utilitate sese commendant. Interim silentio prætereundum non est, in ea esse opinione Virum Cl. non unius Anastasii, sed plurium pro tempore scriptorum opus esse hunc Librum Pontificalem; quam adeo causam præfert, quod fidem potius & autoritatem veterum Codicum MSS. quam recentiorum & insequentium scriptorum opinionem sequutus, nullius plane Autoris nomen operis titulo præfigi voluerit. Ceterum post vetustam Tabulam marmoream, Romanorum aliquot Pontificum dies natales exhiben-

bentem, quæ hic in ære conſpicitur, præmiſſi ſunt huic Editioni Catalogi IV, quorum primo Romanorum Pontificum a B. Petro uſque ad Paſchalem II, ſecundo a Lando uſque ad Gregorium VII, tertio a Petro uſque ad Hadrianum IV, quarto ab Hadriano II ad Clementem uſque III, nomina ex quibuſdam Vaticanis Codicibus ordine ſuo leguntur. Acceſſere Index rerum & Gloſſarium verborum, quæ obſcuriora & minus uſitata occurrunt, ſubinde breviter illuſtrans.

THESAURUS JURIS ROMANI, CONTInens rariora meliorum Interpretum Opuſcula: cum præfatione EVERARDI OTTONIS, *JCti & Anteceſſoris.*

Tomus II.

Lugduni Batavorum, apud Joannem van der Linden, jan. 1726, fol. chart. maj.

Alphab. 8 plag. 19.

SEdecim hoc faſce nobis porriguntur Opuſcula, quamvis nec raritate, nec dignitate inter ſe prorſus æqualia, pleraque tamen melioris notæ, & in lucem revocari digna. Suum cuique pretium ſtatuit doctiſſimus Otto in præfatione, qua & notitiam ſingulorum Autorum dedit, qualem invenire licuit, & quædam ad *Fornerianos, Nerianos* & *Heraldinos* libellos erudite notavit. Primo loco comparent *tres Selectionum libri Guil. Fornerii*, Anteceſſoris illius Aurelii, alias notis ſuis ad Caſſiodorum Senatorem & commentariis ad *tit. D. de verbor. ſignif.* clari. Ut ſemper Aureliis Anteceſſoribus vehementes fuerunt ſimultates cum Cujacio, ita nec Fornerius ab his intactus manſit, cumque ſubinde occulto nomine impugnaſſet Cujaciana, tandem rupta illius patientia integrum *caput 37 lib. IX Obſervationum* his Selectionum libris oppoſitum atque in eo acerbum ingenii Cujaciani luſum ferre coactus eſt. *Id ſane non probabat*, inquit Cujacius, *qui, hæc dum ei recitaretur interpretatio, doctiſſimus vir, excandeſcens dicebat: Hoc, id eſt, Aſinus & molendinum: neque alter, qui: Hoc,*

Hoc, inclamabat, id est FORNACARIUS, *qui obdormivit ad fornacem*: quod respicit ad *l. 27 §. 9 D. ad L. Aquil.* ubi Fornacarius quidam servus negligens obdormivisse ad fornacem proponitur, alludendo ad nomen *Fournierii*. Quoniam vero Cujacius quædam Selectionum capita, maxime priora, prætermisit; nata hinc Ottoni nostro in illa commentandi occasio. Libro I cap. I Pomponium secum in speciem pugnantem *l. 110 §. 1 D. de verb. obl.* & *l. 33 D. de aur. & arg. leg.* Fornerius recte explicat per differentiam inter stipulationes & legata. Satis autem obscure definit, in stipulatione usum, in legatis mentem testatoris attendi debere. Potius in stipulatione respiciendum est ad proprietatem vocis & mentem stipulantis, verbis: *vestem, quæcunque muliebris esset*, satis declaratam, in quam promissor consensisse videbatur. In legato ad singularem testatoris mentem, ex ejus consuetudine æstimandam, attendemus. Nam si vestem muliebrem legavit, qui ipse solitus erat uti veste muliebri, quasi virili, non videtur de ea sensisse, qua ipse utebatur. Ad cap. 2, *quid sit ædificiorum* ætates *examinare* in *l. 58 D. de leg. 1*, Fornerius ætates eorum vetustatem interpretatur, quod alias quidem cum veterum loquendi more, non tamen cum sententia illius *l.* convenit. Quid ergo? viri boni arbitrio contineri videtur, ut ex genere tigni æstimet, quam ætatem nova ædificia ab herede exstructa ferre possint, sumtusque bene an male sint facti. Vid. Vitruvius *lib. II c. 8 & 31*, Plinius *H. N. XXXV c. 14*. Ad cap. 3, quod ad Jurisprudentiam symbolicam spectat; lux accenditur *l. 52 §. 10 D. de Obl. & Act.* docta observatione de nutu, annutu, renutu. Capite 4 Fornerius, manumissiones in Ecclesiis e templis & comitiis gentilium ad Christianos esse traductas, existimat, ideoque laudatur non solum Jac. Gothofredo, sed & aliis eruditis, præsertim Ill. Spanhemio. Verum longe diversam fuisse gentilium Romanorum & Græcorum in templis manumittendi rationem atque Christianorum veterum, docet Everardus Otto, manumissionis ecclesiasticæ originem repetens a dominis, qui vel suos liberaliter servientes propter baptismum ordinemve sacrum suscipiendum, vel *pro remedio animæ suæ*, ut habet solemnis formula, vel *religiosa mente*, *l. 2 C. de manum.* in

in Eccles. eodem tempore palam vinculis servitutis liberarunt, quo illi a manu diaboli per lavacrum regenerationis dimittebantur. Certe festis diebus, maxime tempore Paschatis, baptismus & manumissio sunt celebrata, *l. 5 C. Th. de spectac. l. 8 C. de feriis.* Iidem quoque ritus manumissionis & baptismi: Merillius *Obs. III cap. 3.* Altera manumissionis in Ecclesiis causa peti potest ex specie jurisdictionis, quam ante Constantinum sibi arrogarunt Episcopi, ut manumissiones coram se in Ecclesia factas etiam quasi confirmarent. Sed revera qui ita manumissi, non erant meliores, quam quibus inter amicos libertas data, i. e. Latini Juniani, donec Constantinus illos, qui coram Episcopis a laicis manu essent missi, veram justamque libertatem & Romanam civitatem consequi voluit, ut magis Episcoporum, quam templorum honori id dedisse videatur. Neque, priusquam amplior & ad superstitionem augustus templis cultus adhiberetur, manumissiones templis alligatæ: sed manumissiones coram Episcopo factæ, jam in Ecclesia fieri dictæ. *Episcopus in Ecclesia est, & Ecclesia in Episcopo:* Cyprian. *ep. 66.* Falsus item est Fornerius, quando cap. 11 matresfam. tempore Jurisconsultorum *Dominas* dictas contendit, quod in sui heredis locum venirent, ex Romuli instituto, ad Theodorici usque tempora servato. Sed Gellius & Boethius de coemtione, velut de re obsoleta loquuntur. Dominæ appellatio corruptis moribus & blanditiis adscribenda. Cap. 12 docet ex *l. 239 §. 5 de V. S.* Decuriones dictos, quod initio, cum coloniæ ducerentur, decima pars consilii publici causa conscribi solita sit. Ergo Romulus cum 2050 Fidenas mittebat, decuriones 250 ibi constituit, qui Romæ Patres & Senatores legit centum? Quis hoc credat? conf. Cic. *Agrar. II c. 35*, Tacit. *Hist. V, c. 14.* Probabile est maxime, decuriones a decuriis, in quas distributi erant, nomen tulisse. Caput Selectionum 13 refellit Cujacius *l. c.* improbans lectionem *t. D. ad municipalem*, sc. legem, qua de in eo titulo tractetur. *Qua enim,* inquit, *de lege Municipali? certa quadam, an de omnibus legibus municipiorum propriis & earum condendarum potestate? Neutrum occurret.* Verum hic merito patrocinium præstatur Fornerio. Multa fit legis municipalis mentio in JCtorum fragmen-

 tis,

tis, & ſimpliciter *lex* dicitur *l. 3 D. quod cujusque univ. nom.* Videntur intelligendæ eſſe cujusvis municipii leges antiquæ & jus proprium ſingularum civitatum, quod Romani victores municipiis claris, exemplo civitatum liberarum, relinquere & adjectis vel detractis quibusdam confirmare ſolebant. Sed in *tit. D. ad municip.* de ea lege agitur municipali, quæ Duumviris, Decurionibus, Ædilibus, muneribus, ceterisque rebus, ad adminiſtrationem civitatis pertinentibus, erat præſcripta aut confirmata. Exempla apud *Cic. II in Verr. c. 49 & lib. VI famil. ep. 18, l. un. C. ad L. Viſell. l. ult. C. de ſerv. reip. manum.* Et municipia quoque & coloniæ, ut res poſtularet, ad ſalutem ordinis & reip. nonnulla ſive lege, ſive decreto conſtituerunt, de quo tabulæ superſtites teſtantur. Ecquid videtur de legis municipalis exemplo apud Ovidium *lib. IV Faſtor. v. 700*?

— — —, *Nam vivere captam*
Nunc quoque lex *vulpem* Carſeolana *vetat.*

Hæc doctiſſimus Otto ad librum I Selectionum Guil. Fornerii obſervavit, in quibus ſubſiſtimus luculentis elegantioris ejus induſtriæ ſpeciminibus recenſendis defuncti. Jam indicabimus qui & quo ordine ſequantur in hoc choro meliorum interpretum libelli. Patrem excipit *Radulphus Fornerius*, laudum paternarum & muneris heres, nec eruditione, ingenio, copia rerum, judicio demum critico quicquam ei concedens. *Sex* ejus *libri rerum quotidianarum*, quorum quatuor priores tantum antea in paucorum bibliothecis, rariſſime omnes reperiebantur, hic integri comparent. Tertium locum *Joſephi Nerii*, in patrio Gymnaſio Peruſino Anteceſſoris, *libri duo Analectorum* occupant, antea a Gaudent. Roberto in *Miſcellanea erudita Italiæ Tom. IV* relati, in quibus præter ea, quæ ad jus pertinent, ceteros melioris ævi ſcriptores & Tacitum inprimis emendare & illuſtrare aggreſſus eſt. Succedunt 4 *Ferandi Adduenſis*, JC. Mediolanenſis, *Explicationum Libri duo*, & 5 *Ludov. Vitalis*, juris in Taurinenſi Gymnaſio Profeſſoris, *Variarum Lectionum Juris Civilis Libri duo*. 6, *Franciſci de Roye*, Galli, ad tres leges difficiliores *l. 51 D. de acq. rer. domin. l. un. C. de Athletis*, & *l. 4, D. de uſur. & fructib.* diſſertationes minoris abollæ ſunt, & negligi potuiſſe merito

merito videntur, præsertim cum majorum gentium viri, Cujacius, P. Faber, Grotius jamjam leges illas in luce collocaverint. Sequuntur 7 *Christoph. Riccii*, JCti Dantiscani, *Vindiciarum Juris Præmessa, adversus Novatorum assanias & corruptelas*, & 9 *Francisci Marsii Gordonii*, Cadurcensis JCti, *Prætermissorum Juris civilis liber:* uterque legum receptas lectiones adversus correctiones defendunt, ille non sine jactantia & cum effusiore scribendi studio, quam ad rem pertineret; hic vero id agit, ut suppleat, quæ Roberto, Cujacii adversario defuissent. 10 *Valentini Guil. Fersteri*, Antecessoris Vitebergensis, *Observationum succisivarum Libri duo*, & 11 *ejusdem Interpres, sive de interpretatione Juris Libri duo.* Porro 12 *Desiderii Heraldi libri duo de rerum judicatarum autoritate*, & *observationum ac emendationum liber unus.* 13 *Hieron. Eleni*, Prof. Lovaniensis, *Diatribarum, sive Exercitationum ad Jus civile Libri tres:* primus continet de ratione studii Juris orationes tres; alter varias Juris quæstiones & antinomias tractat; tertius *titulum D. de reg. jur.* metro complectitur. Juveniles sunt istæ lucubrationes, pariterque qui sequuntur, 14 *Gilberti Regii*, Nosereni, *Ἐναντιοφανῶν juris civilis libri duo*, quibus leges maxime, quæ notabilem inter se repugnantiam habere Guil. Budæo visæ fuerant, satis feliciter conciliavit & rariora aliquot Judaica dicendi genera in jure ostendit. 15 Mediocris est *Nic. Sudorius*, cujus *Disputationum civilium liber* sequitur, in tractandis quæstionibus Juris civilis, inter quas tamen eminet disputatio ejus ad locum difficilem de peremtione instantiæ ad *l. 13 C. de Judiciis.* Agmen claudunt 16 *Joan. Mercerii*, in patria Biturigum Academia Antecessoris, *Opinionum Libri duo*, neque materia, neque elaboratione adeo præstantes & *conciliatore* ejus, ad Jacobum fil. scripto, multo inferiores.

DE VERA ÆTATE CAJI JURISCONSULTI, quem vulgo Titum Cajum nuncupant, & de scriptis ejus præcipuis ad justa tempora revocandis observationes FRANCISCI CAROLI CONRADI, D.

Diu satis ignorata fuit Cajum, Institutionum Autorem, ab aliis in jure Romano Caji prænomine, aut cognomine claris discernendi ratio. Ante renatas artis nostræ meliores literas erant homines adeo cœci, ut Cn. Flavium illum Appii Claudii Cœci scribam, alii C. Livium Drusum, quem nominat Cicero *lib. V Tuscul.* & Celsus in *l. 38 D. de act. emt.* cum ipso confunderent: idque memorant Bern. Rutilius *in vit. JCtor. c. 39* & Aleander *præfat. ad Caji Institutiones.* Quid? quod ipse Anton. Augustinus *Emendat. & observat. lib. 1 cap. 5* non dissimulat, sibi aliquando probatum fuisse, C. Cassium semper in jure nostro Caji nomine intelligi, a quo Cassianorum familia descendit, propterea, quod Javolenus in *l. 28 §. 1 D. de statu lib.* Caji Cassii libros, & in *l. 54 D. de condit. & demonstr.* commentaria Caji, ac in *l. 78 D. de solutionib.* Caji libros citaret; quæ singula loca sunt e libris quindecim Javoleni ex Cassio scriptis. Postea vero cum intellexisset vir summus, a Cajo alibi Cassium ipsum & Sabinum referri, illis quidem capitibus animadvertit Cassium significari, ceteris vero locis non item. At nihilominus turpiter se dedit Guid. Pancirolus, *de claris legum interpret. lib. 1 cap. 29*, dum non solum Cajo illi Cassio Longino appellationem *Nostri* a Pomponio & Justiniano usurpatam applicuit, negligenter a se inspectum Anton. Augustinum in rem suam citans, sed & Cajum nostrum eundem credidit cum alio Cajo Longino, de quo Pomponius in *l. 2 de O. J. §. 47: Nervæ successit Proculus. Fuit eodem tempore & Nerva filius. Fuit & alius Longinus, ex Equestri quidem ordine, qui postea ad Præturam usque pervenit.* Huic enim adscripsit Pancirolus libros in Pandectis superstites & Institutiones præsertim, ætatem etiam Caji nostri attribuit. Imo & Longinum hunc Prætorem confudit cum C. Cassio, illum scribens esse, qui citatur ab Ulpiano in *l. 4 D. de in jus voc.* Sed habuit Pancirolus similis culpæ socios complures viros doctos: idque excitavit Ægid. Menagium, ut Cajum Cassium, sectæ autorem, & Cajum, scriptorem Institutionum, ab invicem dignoscendi rationem docte atque luculenter commonstraret in *amœnit. jur. civ. cap. 43*, ubi tamen mirari convenit, posterioris Caji prænomen Titi, cujus nullum uspiam est vestigium, & quod Bertrandus excogitasse videtur, ab elegantissimo Viro retentum esse. Cum itaque, quis fuerit Cajus noster, adeo obscurum olim esset, fieri non potuit aliter, quam, ut ætatem ejus definire conati, alii ipsum justo antiquiorem, alii longe nimium recentiorem facerent. Illi erant, qui unum ex Servii auditoribus existimabant, decepti falsa lectione *l. 2 §. 44 de O. J.* a quo errore non omnino liber est B. Rutilius *l. c.* utique Cajum inter

inter Servii auditores connumeratum asserens. Idem committebant, qui Cajum Cassium minus recte noverant. Juniorem, quam par erat, finxere, qui Justiniano coætaneum & familiarem eaque causa *suum* ab Imperatore appellatum crediderunt, quo in numero sunt Anton. Vacca *ad proœm. Digest. §. 1*, & Hotomannus *ad §. 6 proœm. Inst.* qui prorsus ad Justiniani tempora Cajum referre eumque inter socios compilationis Juris pro certo ponere licere judicant, nisi libri rerum quotidianarum eidem attribuerentur. Donellus *ad l. 1 §. 4 D. de Verb. oblig. n. 11* neminem dubitare posse, existimat, quin Institutionum Cajanarum Autor fuerit Christianus, qualem tamen veterem Cajum non fuisse, compertum habeamus. Theodorus Marcilius vero in *dict. §. 6 proœm. Inst.* Diocletiani ævo Cajum alligat. Alii Theodosio, aut Arcadio imperante eum vixisse tradiderunt, seducti ab Epitome Institutionum, in qua barbara manus Aniani multa de suo & de recentiore etiam jure adjecit, quod nec sensit Hotomannus *Obs. libr. VIII cap. 4*, ubi Caji Institutiones Græce scriptas fuisse, opinatur. Illud vero indignum est, postquam Augustinus tam luculentis ostendisset argumentis, Cajum non multo tempore post Julianum fuisse, quo & Sextus Pomponius vixit, qui Cajum *suum* dixit, nec tamen sagacioribus illis viris errorem animo ejicere datum fuisse. Meliora viderunt, ab Augustino moniti, Cujacius, Jac. Rævardus, Jo. Bertrandus, Guil. Grotius, Hier. Aleander, Jac. Oiselius, Georg. Eberlinus, Ægid. Menagius, omnes ac singuli in eo convenientes, vixisse Cajum sub Hadriano & post ejus fata sub Antonino Pio: nec tamen inter se concordes, quibus temporibus cœperit vivere, quibus floruerit, & quousque vivendo pertigerit. Natum sub Hadriano non immerito crediderunt ipsi Cajo, de se scribenti *l. 7 D. de reb. dub. Et nostra quidem ætate Serapia Alexandrina mulier ad D. Hadrianum perducta est cum quinque liberis, quos uno fœtu enixa est.* Veruntamen Bertrandus adhuc dubitat, an intelligendus sit Æl. Hadrianus, ex consobrina Trajani natus, an vero Antoninus Pius, qui sæpe Hadriani nomine in jure nostro significatur, ut in *l. 37 D. de judic. junct. l. 5 ad L. Jul. de vi publ. l. 91, ad L. Falcid. junct. l. 93, eod. t. l. 58, §. 3, ad SC. Trebellian.* quam ejus hæsitationem supervacaneam ducit Grotius: satis enim constare ex collatione aliorum locorum, præsertim *l. 3 D. si pars hered.* Hadrianum illic designari, nisi omnium Imperatorum nomina perperam confundere velimus. Porro, cum Cujacius in *posteriorib. not. ad Inst. Just.* affirmat, Cajum fuisse Hadriani, sive Antonini Pii temporibus, id quidem non invitus admittit Aleander, dummodo non floruisse eum iis temporibus, nec tanquam Juris-

risconsultum fuisse cognitum, concedatur. Adolescentulum igitur putat, aut etiam puerum imperante Antonino vixisse, sicut & sub Hadriano. Sed hic alia iterum sentiunt Oiselius, qui sub utroque Principe, Hadriano & Pio, Bertrandus & Grotius, qui sub uno Pio maxime eum floruisse, volunt. Sub Marco floruisse Cajum accuratius dicendum videtur Pancirolo & Menagio. Denique ultra Philosophi tempora & usque ad Antoninum Caracallam vivendo eum pervenisse dixit Rævardus *Conjectan. lib. III cap. 19*, quod minime probatur Celeb. Schultingio, ad Ulpian. *Tit. VII.* Et nuper hoc nomine notatus fuit Rævardus doctissimo Everardo Ottoni in observationibus ad Anton. Augustini libr. *de propriis nominib. Pand.* subjectis *præfationi ad Tom. I Thesauri Juris Romani*. Mihi, quamvis & prima specie nihil vero propius esse, quam Cajum ante Caracallæ tempus fato cessisse, & illa, quibus Rævardus utitur, juris nostri loca, excepto uno, male de postremo hoc Antonino accipi, lubens fatear, tamen longiores vitæ metas Jurisconsulto huic fuisse atque pertigisse usque sub ipsum Caracallæ imperium, pace Virorum Celeberrimorum, verisimilius videtur. Quare nec usu, neque amœnitate cariturам existimavi operam, quam in ætate vitaque Caji mei accuratius computanda, in libris etiam ejus, de quibus hoc fieri potest, ad justa, quibus scripti singuli, tempora revocandis collocarem. Ac primo, ne forte grandius excrescat ævum, possem illud Caji de tempore suo testimonium: *Et nostra quidem ætate Serapia Alexandrina mulier ad D. Hadrianum perducta est;* facile aliter interpretari, ac vulgo solet, ut scilicet non se jam nato, verum illo seculo, (quo sæpe sensu ætatem dici tralatitium est,) nec tam suo, quam aliorum adhuc superstitum tempore id, quod narrat, contigisse, autor sit: non enim *mea*, sed *nostra* dixit *ætate*. Attamen cum temporum calculis recte subductis Cajus, etiamsi Hadriano Principe in lucem editus, potuerit Caracallam imperii gubernacula tenentem videre, nec ei opus fuerit ad hunc videndum fine vitæ longissimo, qualem ipse describit in *l. 56 D. de usufr.* & in *l. 8 de usu & usufr. leg.* malim supersedere ista interpretatione, neque etiam cum Bertrando confugiam ad Hadriani cum Antonino Pio permutationem. Etsi enim huic haud parum suffragetur, quod Capitolinus *cap. 9* inter prodigia Antonini temporibus oblata refert, *quinque pueros uno mulieris partu editos*, procul dubio Serapiam illam Alexandrinam intelligens: facile tamen potuit anachronismus committi ab Historico memoria lapso, ut Casaubonus ad istum locum suspicatur, tantoque facilius potuit uterque Princeps confundi, si extremis forsitan annis Hadriani prodigium illud

illud evenit. Certe, præter Cajum, oculatum habemus Autorem Lælium, qui, *se vidisse*, scribit, *in palatio mulierem liberam, quæ ab Alexandria perducta esset, ut Hadriano ostenderetur, cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa diceretur, quintum post diem quadragesimum*, ut refert Paulus in *l. 3 D. si pars hered. pet.* Quid? quod Salv. Julianus etiam, qui haudquaquam sub Pio vixisse diu potest, eandem historiam adducens, *sibi in Ægypto affirmatam esse* testatur, in *l. 36 D. de solut.* & vero ipsum sub Hadriano probabile est in Ægypto commoratum, postea Romæ consulatu & Prætura functum, ut ipse memorat in *l. 5 D. de manum. vind.* & Præfectum Urbi fuisse, teste Spartiano in Juliano Imp. Ponamus itaque pro certo, Cajum sub Hadriano natum, & quidem haud multo ante exitum hujus Principis, quo ipso tempore si famosum illud prodigium extitisse credimus, ut conjectare sinit lapsus Capitolini; potuit certe, hac sua ætate factum dicere, quod se admodum puero & infantiæ proximo obtigerat. Et omnino rectius existimavit Aleander, vixisse Cajum adhuc adolescentem sub Pio, quam Bertrandus & Grotius sub hoc Principe eum floruisse, quamvis excedente Antonino, qui per annos duos ac viginti & aliquot menses imperio præfuit, non potuerit nondum ætatis esse paulo adultioris, forte septem & viginti annorum. Ex illis vero, quorum ætas definiri potest, scriptis ejus nullum est, quod Pio adhuc vivo compositum vere dici possit, ut nesciam, unde sub imperio Pii jam floruisse, aut *provectioris ætatis* fuisse viris doctis asseratur. Videamus de singulis libris, quorum tempora investigare datur, qui sunt libri Fideicommissorum, libri Institutionum, ad LL. Juliam & Papiam Poppæam, de legatis ad Edictum Prætoris, liber singularis ad SC. Orphitianum, & libri ad Edictum provinciale. Libros II Fideicommissorum post obitum Antonini Pii scriptos evincunt *l. 90 D. de condit. & demonstr.* quæ ex libro I desumta est, & *l. 96 D. de leg. 3 l. 63 §. 5 D. ad SC. Trebellian.* quæ sunt ex libro II, in quibus singulis Antoninum appellat Divum, quod nomen Imperatoribus vita functis & inter fictitios Deos, ut impia tulit superstitio, relatis demum competebat. Libri IV Institutionum pariter mortuo Pio compositi fuerunt, ut clare probat *l. 1 §. 2 D. de his, qui sui vel al. jur.* quæ est ex libro I, in qua per Divum Antoninum Aleander male intellexit Marcum, L. Veri fratrem, quoniam Divi Fratres constituerint, ne quis servum venderet, ut cum bestiis pugnaret, *l. 42 D. de contr. emt.* Constitutio enim illa, quam Cajus in *d. l. 1* citat, diserte adscribitur Antonino Pio ab Ulpiano in *l. 2 D. de his qui sui &c.* atque reperitur etiam in Mosaicarum & Romanarum le-

gum

gum collatione *tit. III de jure & sævitia dominorum*, ubi insuper alia est, qua major asperitas dominorum in servos coercetur, ejusdem Imperatoris constitutio: vid. Schulting. *ad Caji Inst. t. de jur. pers. §. 2 n. b.* Ad leges Jul. & Pap. libris XV itidem post fata Pii commentatus est Cajus, alias Divum haudquaquam nominaturus in *l. 56 de legat. 2*, quæ est e libro XIV, & cujus forte non memor fuit Cl. Heineccius in doctissimo *ad L. Jul. & Pap. Popp. commentario, lib. I, cap. I, §. 4*, libros hos Caji ad eos commentarios referens, qui sub Hadriano & Antonino Pio in istas leges prodiere. Libros III de legatis ad Edictum Prætoris imperante Marco editos persuadet, quæ depromta est ex libro III, *l. 73 §. 1 D. de legat. 1*, ubi Cajus: *vicis legata perinde licere capere, atque civitatibus, Rescripto* Imperatoris nostri *significatur.* Imperatorem nostrum dici Antoninum Pium, quo superstite hæc scripta forent, existimant vulgo: verum post Aleandrum docuit Schultingius, non alium, quam Marcum ibi designari. Manifestum hoc fit, si consulas *l. 20 D. de reb. dub.* ubi Paulus tradit, Divi Marci temporibus permissum SCto esse, ut legaretur collegiis, & cuivis corpori, cui coire licet. At in *d. l. 73 de legat. 1* Cajus perhibet, Imperatoris sui Rescripto vicis legata perinde licere capere, atque civitatibus. Nimirum postquam SCto, autore Hadriano, tantum civitatibus jus datum erat capiendi legata, qua de re Ulpian. *Fragm. T. 24 §. 28 &* in *l. 121 D. de leg. 1*, sub Marco demum id juris concessum fuit collegiis, ut apparet ex *d. l. 20 de reb. dub.* novo SCto, quod cum priore illo non debet confundi, ut monuit etiam Merillius *variant. ex Cujac. lib. II cap. 14.* Idem vero Imperator suo Rescripto hoc jus etiam vicis contulisse veri admodum similiter dicitur, cum ipsum & alio loco, statim explicando, Cajus *Imperatorem nostrum* certissime nominaverit, nec simili modo Pium ab eo *nostrum* uspiam appellatum affirmari queat. Consentientem habeo Schultingium *ad Ulpian. Tit. 24, §. 28.* Enimvero liber singularis ad SCtum Orphitianum, ex quo est *l. 9 D. ad SCtum Tertyll. & Orphit.* sacratissimum Principem *nostrum* loquitur, cujus oratione cautum, *ut matris intestatæ hereditas ad liberos, tametsi in aliena potestate forent, pertineret.* Oiselius in *præfat. ad Caji Instit.* non alium, quam Pium, vult intelligi. Verum cum Ulpianus *Tit. 36 §. 7* Antoninum & Commodum ejusdem SCti Autores citet, suffragante etiam Capitolino in Marco *cap. II*, eccui dubium esse possit, Antoninum Philosophum, qui loco prior erat, a Cajo indigitari? Restant igitur libri ad Edictum provinciale XXXII, quorum ex libro XI est *l. 42 D. de donat. int. vir. & ux.* e libro XXX vero est *l. 31 D. de jurej.*

quæ

quæ duo loca, Caracalla demum imperante, a Cajo scripta reor. Etenim in *l. 42 D. de donat. int. V. & V.* hæc sunt ejus verba: *Nuper ex indulgentia* Principis Antonini *recepta est alia causa donationis, quam dicimus* honoris causa: *ut ecce, si uxor viro laticlavii petendi gratia donet, vel ut equestris ordinis fiat, vel ludorum gratia.* Videtur Schultingio (*ad Ulpian. tit. VII §. 1*) Cajus hic intelligere non Caracallam, sed Pium; ad illius enim tempora Cajum non pervenisse, idemque placere G. Grotio *de vit. Jurisconſ. lib. II cap. 7.* At plura suppetunt argumenta pro Caracalla. Moribus receptum erat apud Romanos, inter virum & uxorem donationes ne valerent, *l. 1 D. d. t.* Hos mores confirmatos fuisse Oratione Imp. Antonini habita in Senatu ante excessum Divi Severi Patris sui, Fulvio Æmiliano & Nummio Albino Coss. testatur Ulpianus in *l. 3 & l. 32, pr. D. d. t.* quibus indiciis nemo dubitet referri Caracallam. Eadem vero oratione ex *d. l. 32*, cognoscimus Augustum extitisse autorem Senatui censendi, *ut aliquid laxaret ex juris rigore.* In his fuit, ut mulieri liceret *in hoc donare viro suo, quo is ab Imperatore lato clavo, vel equo publico, similive honore honoretur*, ut ait Ulpian. *tit. VII, fr. 1,* adjiciens, hoc ex *Principalibus Constitutionibus* esse, per quas innuit Orationem illam Caracallæ, quæ & vocatur *Constitutio* generali appellatione placiti Principalis & utrique Principi, Severo & Antonino, adscribitur in *l. 3 C. de donat. int. vir. & ux.* Et Licin. Rufinus, *lib. VI Regularum*, in *l. 41 D. eod. tit.* ejusdem *indulgentiæ Antonini* meminit, qua constitutum, ut ad processus viri uxor ei donare possit. Hic vero JCtus sub Alexandro præcipue floruit, uti constat ex *l. 4 D. quib. ad lib.* & probat Grotius *de vit. JCt. lib. II c. 12 §. 3.* Sub Pio fuisse non potuit, Antoninum tamen, tanquam adhuc vivum nominat: adeoque loquitur de Caracalla & hujus Oratione, quæ *laxavit juris rigorem.* En *indulgentiam Principis*, de qua Cajus & Rufinus! Inspicienda nunc & *l. 31 D. de jurejur.* in qua observat Cajus, *interdum etiam post jusjurandum a judice exactum permitti* Constitutionibus Principum, *ex integro causam agere, si quis nova instrumenta se invenisse dicat, quibus nunc solis usurus sit: quodsi alias inter ipsos litigantes jurejurando transactum sit negotium, non concedi eandem causam retractare.* Jam si adeamus *l. 1 C. de reb. cred. & jurej.* Rescriptum invenimus Caracallæ, in hæc verba: *Causa jurejurando ex consensu utriusque partis, vel adversario inferente, delato & præstito, vel remisso decisa: nec perjurii prætextu retractari potest.* Non dubito, Cajum in superioribus illis respexisse ad Rescriptum Antonini, nisi id pro suo & aliorum more etiam in sententiam suam citavit,

sed

sed ejus mentionem forsitan amputavit gladius Triboniani, supervacuam existimantis. Imo vero per Constitutiones Principales Cajum intelligere conjicio Rescriptum Caracallæ *d. l. 1 C.* quod de utroque jurejurando locutum, verum partem de necessario jurejurando resectam esse a Triboniano haud difficilius credam, ac, interpolatam esse hanc *l.* in fine ex *l. ult. C. ill. t.* verbis: *nisi specialiter hoc lege receptum est*; certum est, demonstrante Gerardo Noodt ad *t. D. de jurejur. pag. 288.* Et si Cajus ex oratione Caracallæ, quod ostendi, scripsit lib. XI ad Edictum provinciale, nemo dubitabit, hæc, de quibus hactenus, libro XXX scripta esse sub eodem Principe.

Ab excessu Hadriani ad imperium a Caracalla solo susceptum anni intercedunt LXXII, ut proinde Cajus paulo ante obitum Hadriani natus potuerit nondum octuagenarius Caracallæ, mortuo Severo, rerum soli potito superesse, & septuagesimum ætatis annum agens libros ad Edictum provinciale scribere cœpisse. Oratio enim Antonini habita est Fulvio Æmiliano & Nummio Albino Coss. h. e. anno ante excessum Severi quinto, imperii ejus decimo tertio. Cumque eam tanquam jus novissimum & nuper constitutum alleget: *Nuper*, inquiens, *indulgentia Principis Antonini &c.* quid veritati propius, quam vel eo ipso anno & mox post auditam eandem Orationem Cajum in perscribendo libro XI ad Edictum provinc. occupatum fuisse. Neque mirum, quod solius meminit Antonini, quippe & oratio illa Caracallæ adscribitur ab Ulpiano *l. 32 pr. de donat. int. V. & V.* & solum quoque nominat Antoninum Licin. Rufinus *l. 41, D. eod. t.* Denique nec fidem excedit, Rescriptum Caracallæ in *l. 1 C. de reb. cred.* ab ipso citari potuisse, quod datum altero imperii post Severi exitum anno, quo tempore Cajus fere ad finem perduxerit ex nostra conjectura libros suos XXXII ad Edictum provinciale, versatus jam tum in libro trigesimo. Habuit profecto ætas illa, nescio quomodo, aliquid præcipui, ut plerosque homines tulerit ad senectutem provectos majorem, etiam illos, quibus curarum, molestiarum & laborum gravitas maturius finem vitæ afferre debuisse videatur. Novimus Principes ejus seculi, exceptis Commodo & Did. Juliano, vel sexagenarios, vel septuagenariis propinquos regnasse, & Antoninum Pium ultra septuagesimum quarto anno vita decessisse. Novimus decora ejusdem ævi Jureconsultos, Julianum, Pomponium, Marcellum, Papinianum ad extremam fere senectam pervenisse. Et non sine amœnitate meminerimus consultoris illius senis, qui ad Pomponium hoc ævo scripsit: *nam ego discendi cupiditate, quam solam vivendi rationem optimam in octavum & septuagesimum annum ætatis duxi, memor*

memor sum ejus sententiæ, qui dixisse fertur : Etsi alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret aliquid addiscere : quæ verba recitantur ex Pomponii libro VII epistolar. in *l. 20 D. de fideic. libert.* minus recte vulgo adscripta Pomponio, aut Salv. Juliano, etiam ab ipso Menagio, *amænit. c. 24*, cum tamen jam olim Ant. Augustinus *Observ. & Emendat. lib. I c. 8,* (unde hausit Grotius *de vitis JCt. lib. II, c. 5,*) luculentam Pomponii de jure respondentis & senis consulentis verba a sententia Juliani, quæ ibi proponitur, distinguendi rationem monstraverit, quam egregie confirmat similis fere contextus *l. ult. D. de minorib.* Quid ergo ? Evenit quoque Cajo nostro ea felicitatis humanæ gloria, ut *manserit ingenium seni, permanserit etiam studium & industria, senectutem agendi stipavam studiis juventutis, & in qua non requisierit juventutem. Sic olim L. Æmilii, sic Tib. Coruncanii, sic P. Crassi, a quibus jura civibus præscribebantur, usque ad extremum spiritum provecta est summa prudentia :* Cicero in Catone Maj. §. 27. 28.

CYCLUS METASYNCRITICUS; OR AN ESSAY on Chronical Diseases.

i. e.

JOHANNIS WYNTERI, M. B. SOC. COLL. CHRISTI Cantabr. Tentamen circa Morbos Chronicos.

Londini, apud W. & J. Innys, & J. Leake, 1725, 8.
Plag. 18 dimidiat.

THessalus, Sectæ Methodicæ addictus, in multis morbis totam exiguorum meatuum statum esse immutandum, censuit, naturalem eorum aperturam vel positionem vitiatam esse existimans; atque ex hac opinione fluxit metasyncriseos nomen, idem plane significans, quod Græcis metaporopiseos mutatio. Circulum hinc adhibebant Methodici metasyncriticum chronicos morbos curaturi, & hellebori ope morbidam carnem fundebant & evacuabant, hinc per alterantia medicamenta, aquarum naturalium usum, congruam diætam, exercitia commoda, & salubre clima novam sanamque corpori restituere tentabant, & hanc metasyncrisin Cœlius Aurelianus Recorporationem vocavit. Huncque Circulum resumptivum seu metasyncriticum ab orco revocare præsenti Tentamine, septem capitibus circumscripto, sustinuit Clariss. Wynterus. Primum de morbis Cap. I.

Chronicis in genere agit, inque eorum originem inquirens, vel acutos ſequi, vel unum ab altero produci, vel hæreditarios, vel connatos, vel endemios eſſe pronuntiat, inter cauſas remotas luxuriam & deſidiam accuſat; eapropter vero diuturnos eos eſſe judicat, quia longo tempore curantur, quæ longo tempore fuere contracta vitia: natura jam debilitata parum auxilii afferre valet: continuatus remediorum uſus & legitimus ordo requiritur, quæ tamen vel ab ægro faſtidiuntur vel diutius uſurpata tanquam conſueta effectu tandem ſuo deſtituuntur; & quia ægri a rebus, quas malum fovere vel augere norunt, ægre abſtinent. Præſtaret igitur ex Autoris conſilio Aquas Minerales offerre, bonam diætam præſcribere, exercitationes corporis commendare, in ſalubriora mittere climata, atque fonticulis vel ſetaceis materiæ peccanti exitum parare; has enim res absque tædio & ſatietate eo citius admiſſuros fore ægrotos, quo certius ab aſſumendorum medicamentorum moleſtia liberos ſe videant. Quanquam autem Chymici ex Mineralibus eisque affinibus valida morbisque chronicis appropriata præparare norint medicamenta, majori tamen cum voluptate nec minori cum

Cap. II. ſucceſſu bibi dicit. Aquis Mineralibus quidem & alia medicamenta vel præmittenda vel adjungenda eſſe, non negat; putat tamen, illas his præferendas, imo ſubinde neceſſario ordinandas eſſe. Non deſunt equidem in Anglia fontes, qui aquas ferri, vel aluminis & vitrioli, vel ſulphuris, vel cretæ, lapidis calcarii & & calaminaris particulis ebrias reddunt, Bathenſes tamen & Briſtolenſes tantum ſub examen vocat Noſter, quales illæ ſulphureæ, hæ de creta, lapide calcario & calaminari portiones ſecum vehere dicuntur, earum differentiam inculcat, quo tempore, quove modo ſint bibendæ, determinat, morbosque nominat, in quibus ſint adeundæ. Tandem tria addit monita, ab iis obſervanda, qui Aquas Minerales hauriunt, ſcilicet 1) earum uſum quandoque ad 4. 5 vel 6 dies intermittendum, 2) evacuantia haud interponenda, & 3) earum poculum unum a cubitum ituris eſſe evacuandum.

Cap. III. Quemadmodum autem morborum chronicorum cura non feliciter cedit, niſi commoda ſimul obſervetur diæta, ita parum carnium, plus lactis, lacticiniorumque aſſume-

sumere jubet ægros, cum hæc in exili quantitate multum suppeditent nutrimenti, nec ventriculi oneri sint. Provocat ad cancrum, phthisin, & ulcera rebellia, in quibus morbis sat gravibus diæta lactea singulari se commendat utilitate, imprimis si animalibus frutices herbæque morbis appropriatæ offerantur. Pro ægri temperamento, morborumque natura diversa modo asininum, modo equinum, modo caprinum seligi posse lac annuit, vaccinum tamen non minus salubre esse monet, modo pascuis fruatur dulcibus, salubrem hauriat potum, & in collibus quærat alimenta vacca. Quamcunque utilitatem ægri a medicamentis repetunt, eá ab extra corpori accedit a motu, ubi corporis partes in se ipsas agunt, unde majus robur majoremque elasticitatem recipiunt, modo ad lassitudinem usque non protrahatur exercitatio; alimenta etiam, aquæ minerales haustæ & medicamenta assumta melius digeruntur, distribuuntur, & excernuntur. Cum autem duæ sint classes exercitationum, quarum altera a sanis validisque personis, ut ab athletis olim, pro augendo robore, altera pro recuperandis deperditis viribus suscipitur; hac ultima diæteticam Medicinæ partem auxit Herodicus, Præceptor Hippocratis. Ad chronicos igitur morbos eradicandos corporis motum maximopere commendat Clariss. Wynterus, ad eos etiam, qui a mala partium conformatione ortum ducunt, nec ab alterantibus corrigi valent. Præ reliquis navigationem laudat & balneationem in aqua frigida. Illam, licet nunc in desuetudinem abierit, proficuam pronuntiat, quod sub ea corpus non tam se ipsum moveat, quam moveatur; post hanc vero corpus fricare & inungere jubet, ne spiritus adeo copiose per poros dissipentur. Quanta aeris sit efficacia in sanitate conservanda, morbisque propellendis, unicuique notum est. Cum igitur sani loca sibi seligant pro vita sustentanda, quorum aer ad siccitatem magis quam humiditatem vergit, nec frequentibus subjectus est mutationibus; multo magis valetudinariis mos hic venit tenendus. Anglia quidem de hoc beneficio gloriari haud potest, per quinque sexve menses hyemales subitaneis atmosphæræ vicissitudinibus exposita; hinc ægris suadet Noster, ut circa Septembris finem aliorsum se conferant in loca inter latitudines 35-40

Cap. IV.

Cap. V.

gra-

graduum sita, utpote temperie magis æquali gaudentia. Cumque conterranei sui Neapolin hactenus atque Montem Pessulanum diverterint, tantum abest, ut hunc morem improbet, ut potius dictas civitates quibusvis in Hispania & Lusitania sitis urbibus, ob morum elegantiam, qua Incolæ superbiunt, vivendi conversandique modum ab Anglico haud multum alienum & Medicorum peritiam præferat. Quodsi vero cuidam Insulam relinquere concessum non sit, illis autor est, ut singulis diebus in hybernaculo plantis aromaticis consito tali sub caloris gradu per unam alteramque horam obambulent, qui motu corporis adjutus insensibilem transspirationem augeat, sudorem tamen

Cap. VI. non proliciat. Verum nec evacuantium remediorum obliviscitur Clariss. Wynterus, quæ inter vomitoria & purgantia corpus præparant ad admittendas alterantium vires, Fonticuli vero & Setacea in morbis diuturnioribus diutius suam vim & efficaciam exerunt, nimiam humorum quantitatem sive revellendo, sive intercipiendo imminuunt, quibuscunque ægris, etiam admodum infirmis, conveniunt, & pro periti Medici judicio modo

Cap. VII. continuari, modo supprimi possunt. Sed arti non omnia deferenda sunt in curandis morbis chronicis, naturæ etiam aliquod in eos competit jus; criticos enim sæpe excitat hæc motus, quibus mederi intendit affectibus; sed imperfecta haud raro ista existit crisis. Ad quam classem Noster refert podagram, sub qua post æstum febrilem urina crassa vel turbida cum sedimento farinaceo ex corpore ejicitur, & vitalia ac præcipua organa ab aliis periculosis liberantur insultibus. Quoniam autem hoc modo non omnis materia peccans evacuatur, residuum ad massam sanguineam remeat, novasque successu temporis turbas concitat. Quibus in casibus Autor diætam lacteam, lenem exercitationem, climatis mutationem & aquarum Bathensium usum, contra habitualem vero arthritidem Bristolenses commendat; & tantum abesse judicat, ut tales naturæ motus supprimendi, ut potius omnibus viribus æque ac hæmorrhoidales & menstrui fluxus fovendi ac promovendi sint. Appendicis loco huic tractatui addita sunt experimenta, quæ Clariss. Wynterus cum aquis divi Vincentii adornavit.

TRIAS

TRIAS DISSERTATIONUM MEDICARUM, ad Diæteticam potissimum spectantium, in unum fasciculum collecta, Autore CHRISTIANO MICHAELE ADOLPHI, Phil. & Med. D. Facult. Med. Assessore, S. R. I. Natur. Curios. Collega, B. M. V. Collegii Collegiato, & Med. Practico.

Lipsiæ, apud hæredes Grossianos, 1726, 4.
Plag. 22.

EXhibuimus superiore anno mense Majo pag. 229 Clariss. Adolphi Disputationes ad Chorographiam Medicam spectantes, sequuntur nunc tres aliæ, quæ diæteticam Medicinæ partem potissimum concernunt, scil. I de ægrotantium Conclavi, II de Frictione, & III de Balneis particularibus; quarum primæ contenta nunc paucis enarrabimus. In conclavi ægri aeris potissimum rationem habendam esse, monet, hinc tradit, quomodo ille sit temperandus, calefaciendus, refrigerandus, exsiccandus, humectandus, suffimigiis corrigendus; quomodo habitatio commoda tam respectu plagarum mundi, quam partium ædium seligenda; docet, quomodo conclavia ante introitum ægri mundanda, a sordibus repurganda, a muscis liberanda, illuminanda, a lunæ radiis defendenda, aulæis, peristromatibus, speculis, horologiis exornanda, quomodo lecti instruendi, obtegendi, mutandi, & spondæ adornandæ; quomodo ægri in lectis cubent, eos subinde relinquant, rebus gratis & confabulationibus oblectandi, ab ingratis arcendi sint; qualium hominum animaliumque consortio fruantur; qualia murmura, susurros, & concentus musicos admittant; quomodo adstantes, ministrantes, & invisentes amici, item & Medici se gerant; denique quomodo lectus & utensilia, sive superaverit æger morbum, sive morti in victimam cesserit, iterum sint repurganda. Quæ omnia ita pertractat Noster, ut rationes non solum ubivis luculentas afferat, sed & tam veterum quam recentiorum testimoniis & exemplis roboret. Speciminis loco propria Autoris verba, quæ pag. 78 leguntur, de amicis ægrum invisentibus adscri-

ſcribere liceat. "Non poſſum non, dicit, nimiam illam, im-
"primis apud nos, ægrum viſitandi conſuetudinem atque aſſi-
"duitatem atro calculo notare, quando turmatim vel amicitiæ
"officii, vel conſuetudinis ſpecie, vel placendi, vel hypocriſeos
"vel ſpectandi ſaltem cauſa ſæpius & neſcio ob quas alias ra-
"tiones, fœmellæ maxime, eæque non raro ineptæ ac impru-
"dentes, atque loquaces advolant, & non vocatæ ſe ægris obtru-
"dunt, per horasque non paucas ibi ſubſiſtunt. Ægrumque tum
"corona ſpectata circumdatum & multiplicata cinctum ſerie
"ſpectabis. Blaterantium ibi, murmurantium, divagantium, &
"non raro ludentium univerſum conclave reboat ſtrepitu, ut
"intuentibus circa grabatos circumſidentium cohortem jam non
"ægrum ac moribundum, ſed ludos ſcenicos ſpectantis concio-
"nis, ac non ægrorum cubiculi ſed fori aleatorii præbeant ſpe-
"ciem. Tantum certe abeſt ab officio hoc, ut officio nihil magis
"poſſit eſſe contrarium, immodico ita officio nocere, aut ad mi-
"nimum moleſtare. Nemini enim officium ſuum debet eſſe da-
"mnoſum. Multæ profecto eæque graviores rationes phyſicæ
"æque ac morales, atque adeo theologicæ ſubſunt, quæ malum
"hunc morem abrogandum ſuadent. Æger tunc cogitur alio-
"rum jure vivere, quæ neceſſaria eſſent & morbo & naturæ, re-
"media præſcripta debito modo & tempore adhibere, alvum &
"veſicam excernere, & negligere, vana, aliena, ingrata, tædioſa,
"odioſa, moleſta, nocua, & pernitioſa vel invitus vel coactus, audi-
"re, videre & loqui, quo vires ſuas perdit æger, inquietior reddi-
"tur, morbus reſuſcitatur, exacerbatur, (imprimis cum in quam-
"plurimis morbis, ut imprimis v. gr. in angina, ſputo cruento, &c.
"loquela plane eſſet interdicenda, & ſæpius vel reſpiratio paulo
"fortior noceat) in requie neceſſaria impeditur, animo perturba-
"tur, agitatur vel indignatur, aut ſuſpicax, meticuloſus, imo quan-
"doque deſperandus, variisque aliis modis inquietus redditur, a
"piis meditationibus diſtrahitur, avocatur, & quæ ſunt ejusmodi
"alia. Taceo, non ſolum conclave hominum frequentia caleſieri
"halitibus, ſed & mutari & inquinari aerem, eumque craſſum red-
"di, a tam variis ex hac turba hominum adſtantium, adſidentium-
"que & incommodis ſæpe effluviis exhalantibus.

PHI-

PHILOSOPHIÆ NATURALIS PRINCIPIA Mathematica, Autore ISAACO NEWTONO, *Eq. Aur. Editio tertia aucta & emendata.*

Londini, apud Guil. & Joh. Innys, 1726, 4, chart. aug. Alph. 3 plag. 2.

De nova hac editione operis sine pari, quam curavit *Henricus Pemberton* M. D. Vir, ipso *Newtone* judice, harum rerum peritissimus, ita præfatur Illustris Autor: *Nonnulla*, inquit, *in Libro secundo de resistentia mediorum paulo fusius explicantur quam antea, & adduntur experimenta nova de resistentia gravium, quæ cadunt in aere. In Libro tertio argumentum, quo lunam in orbe suo per gravitatem retineri probatur, paulo fusius exponitur, & novæ adduntur observationes de proportione diametrorum Jovis ad invicem a* D. Poundio *factæ. Adduntur etiam observationes aliquot Cometæ illius, qui anno 1680 apparuit, a* D. Kirchio *mense Novembri in Germania habitæ, quæ nuper ad manus nostras venerunt & quarum ope constat, quam prope orbes parabolici motibus Cometarum respondent. Et orbita Cometæ illius, computante* Hallejo, *paulo accuratius determinatur quam antea, idque in ellipsi. Et ostenditur, Cometam in hac orbita elliptica per novem cælorum signa non minus accurate cursum peregisse, quam solent planetæ in orbitis ellipticis per astronomiam definitis moveri. Orbis etiam Cometæ, qui anno 1723 apparuit, a* D. Bradlejo *Astronomiæ apud* Oxonienses *Professore computatus, adjicitur.* Quoniam singula, quæ a *Newtono* veniunt, attentionem eruditorum primi ordinis merentur; nostrarum partium esse existimavimus tertiæ quoque editionis memoriam conservare in his Actis, utut de prima satis dictum sit in Actis A. 1688 p. 304 seqq. & de secunda in Actis A. 1714 p. 131 & seqq. quæ in Batavia recusa fuit una cum Viri summi Analysi per quantitatum series, fluxiones ac differentias, quam a *Guilielmo Jonesio* in lucem publicam protractam commendavimus in Actis A. 1712 p. 74 & seqq. Monet Vir perspicacissimus, resistentiam corporum sphæricorum in fluidis oriri partim ex tenacitate, partim ex frictione, partim ex densitate medii: illam, quæ oritur ex medii densitate, esse

in duplicata ratione celeritatis, alteram, quæ oritur ex tenacitate fluidi, esse ut momentum temporis. Quamobrem cum ipse tantummodo prioris resistentiæ ex medii densitate ortæ rationem habuerit, aliis, quibus ulterius progredi libuerit ad motum corporum, quibus resistitur partim vi uniformi seu in ratione momentorum temporis, & partim in ratione duplicata velocitatis, immo ad motum quoque corporum, quibus resistitur partim uniformiter, partim in ratione velocitatis, & partim in ratione duplicata velocitatis, propositiones indicat, per quas aditum ad hanc speculationem patefecit, & quomodo iisdem sit utendum ad istum scopum, innuit. Experimenta nova de resistentia gravium, quæ cadunt in aere, A. 1719 mense Julio Cel. *Desagulierius* cepit, formando vesicas porcorum in orbem sphæricum ope sphæræ igneæ concavæ ambientis, quam madefactæ implere cogebantur inflando aerem, & arefactas demittendo ab altiore loco in templi S. Pauli turri rotunda fornicata, nempe ab altitudine pedum 272, globo plumbeo duarum circiter librarum Romanarum una demisso & aliis in suprema parte templi tempora tota cadendi, aliis in terra differentiam temporum inter casum globi plumbei & casum vesicæ pendulorum ad dimidia minuta secunda oscillantium ope notantibus. Globus plumbeus cadebat tempore minutorum secundorum quatuor cum quadrante. Tempora, quibus vesicæ quinque post casum globi plumbei prima vice ceciderunt, erant $14\frac{3}{4}$, $12\frac{3}{4}$, $14\frac{5}{8}$, $17\frac{3}{4}$, $16\frac{7}{8}$ ser. sec. & secunda vice $14\frac{1}{2}$, $14\frac{1}{4}$, 14, 19 & $16\frac{3}{4}$. Tempora autem in summitate templi notata erant prima vice $19\frac{3}{8}$, $17\frac{1}{4}$, $18\frac{3}{4}$, $22\frac{1}{8}$ & $21\frac{5}{8}$, & secunda vice 19, $18\frac{5}{8}$, $18\frac{3}{8}$, 24 & $21\frac{1}{4}$ ser. sec. Vesicæ non semper recta cadebant, sed nonnunquam volitabant & hinc inde oscillabantur inter cadendum. Cadebant autem rectius vesica secunda & quarta prima vice & prima ac tertia secunda vice. Vesica quinta rugosa erat & per rugas suas nonnihil retardabatur. Demonstrat autem Vir summus egregium horum experimentorum cum theoria sua consensum. Scholion istud, quod *Leibnitium* tangit & cujus in Actis anni 1714 p. 133 mentio fit, nunc omittitur & ejus loco aliud comparet, in quo Autor exhibet excerptum ex epistola d. 10 Dec. 1672

1672 ad *Collinium* data, quo eidem significavit, se habere methodum generalem, quæ se citra molestum ullum calculum extendat non modo ad ducendum tangentes ad quasvis curvas sive geometricas, sive mechanicas, vel quomodocunque rectas lineas aliasve curvas respicientes, verum etiam ad resolvendum alia abstrusiora problemata de curvitatibus, areis, longitudinibus, centris gravitatis curvarum &c. neque ad solas restringatur æquationes illas, quæ quantitatibus surdis sunt immunes, & se hanc methodum intertexuisse alteri isti, quæ æquationum exegesin instituit, reducendo eas ad series infinitas. Regulis sic dictis philosophandi quartam adjicit, qua præcipitur, in philosophia experimentali propositiones ex phænomenis per inductionem collectas, non obstantibus contrariis hypothesibus, pro veris aut accurate, aut quam proxime haberi debere, donec alia occurrerint phænomena, per quæ aut accuratiores reddantur, aut exceptionibus obnoxiæ, addita ratione, ne argumentum inductionis tollatur per hypotheses. Elongationes satellitum Jovis & diametrum ejus Cl. *Pound* per micrometra ita determinavit. Elongatio maxima heliocentrica satellitis quarti in mediocri Jovis a terra distantia est 8′ 16″ circiter; tertii 4′ 42″; secundi 2′ 56 47; primi 1′ 51″ 6‴. Diameter Jovis micrometro in telescopio 123 pedes longo sæpius capta semper minor prodiit quam 40″, nunquam minor quam 38″, sæpius 39″. Eadem diameter per transitum primi Satellitis per corpus Jovis in ejus mediocri a terra distantia $37\frac{1}{8}$, per transitum tertii $37\frac{3}{8}$ sec. ex tempore, quo umbra primi per illud transiit, 37″ circiter. Elongatio maxima Satellitis quarti Saturnini in telescopio *Hugeniano* 123 pedum prodiit semidiametrorum $8\frac{7}{20}$; Saturni diameter erat ad diametrum annuli ut 3 ad 7 & diameter annuli d. 28 & 29 Maji 1719 erat 43″, adeoque in mediocri Saturni a terra distantia diameter annuli 42″, diameter Saturni 18″. Monet, luce omni erratica rejecta, diametrum Saturni manere haud majorem quam 16″. Pondera corporum in diversos planetas ex recentissimis observationibus aliter definit, quam in editione secunda, eadem nempe in superficiebus Solis, Jovis, Saturni ac terræ esse asserit ut 10000, 943, 529, 435: atque hinc aliæ quo-

risconsultum fuisse cognitum, concedatur. Adolescentulum igitur putat, aut etiam puerum imperante Antonino vixisse, sicut & sub Hadriano. Sed hic alia iterum sentiunt Oiselius, qui sub utroque Principe, Hadriano & Pio, Bertrandus & Grotius, qui sub uno Pio maxime eum floruisse, volunt. Sub Marco floruisse Cajum accuratius dicendum videtur Pancirolo & Menagio. Denique ultra Philosophi tempora & usque ad Antoninum Caracallam vivendo eum pervenisse dixit Rævardus *Conjectan. lib. III cap. 19*, quod minime probatur Celeb. Schultingio, ad Ulpian. *Tit. VII.* Et nuper hoc nomine notatus fuit Rævardus doctissimo Everardo Ottoni in observationibus ad Anton. Augustini libr. *de propriis nominib. Pand.* subjectis *præfationi ad Tom. I Thesauri Juris Romani*. Mihi, quamvis & prima specie nihil vero propius esse quam Cajum ante Caracallæ tempus fato cessisse, & illa, quibus Rævardus utitur, juris nostri loca, excepto uno, male de postremo hoc Antonino accipi, lubens fatear, tamen longiores vitæ metas Jurisconsulto huic fuisse atque pertigisse usque sub ipsum Caracallæ imperium, pace Virorum Celeberrimorum, verisimilius videtur. Quare nec usu, neque amœnitate carituram existimavi operam, quam in ætate vitaque Caji mei accuratius computanda, in libris etiam ejus, de quibus hoc fieri potest, ad justa, quibus scripti singuli, tempora revocandis collocarem. Ac primo, ne forte grandius excrescat ævum, possem illud Caji de tempore suo testimonium: *Et nostra quidem ætate Serapia Alexandrina mulier ad D. Hadrianum perducta est*; facile aliter interpretari, ac vulgo solet, ut scilicet non se jam nato, verum illo seculo, (quo sæpe sensu ætatem dici tralatitium est,) nec tam suo, quam aliorum adhuc superstitum tempore id, quod narrat, contigisse, auctor sit: non enim *mea*, sed *nostra* dixit *ætate*. Attamen cum temporum calculis recte subductis Cajus, etiamsi Hadriano Principe in lucem editus, potuerit Caracallam imperii gubernacula tenentem videre, nec ei opus fuerit ad hunc videndum fine vitæ longissimo, qualem ipse describit in *l. 56 D. de usufr.* & in *l. 8 de usu & usufr. leg.* malim supersedere ista interpretatione, neque etiam cum Bertrando confugiam ad Hadriani cum Antonino Pio permutationem. Etsi enim huic haud parum suffragetur, quod Capitolinus *cap. 9* inter prodigia Antonini temporibus oblata refert, *quinque pueros uno mulieris partu editos*, procul dubio Serapiam illam Alexandrinam intelligens: facile tamen potuit anachronismus committi ab Historico memoria lapso, ut Casaubonus ad istum locum suspicatur, tantoque facilius potuit uterque Princeps confundi, si extremis forsitan annis Hadriani prodigium

illu

illud evenit. Certe, præter Cajum, oculatum habemus Autorem Lælium, qui, *se vidisse*, scribit, *in palatio mulierem liberam, quæ ab Alexandria perducta esset, ut Hadriano ostenderetur, cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa diceretur, quintum post diem quadragesimum*, ut refert Paulus in *l. 3 D. si pars hered. pet.* Quid? quod Salv. Julianus etiam, qui haudquaquam sub Pio vixisse diu potest, eandem historiam adducens, *sibi in Ægypto affirmatam esse* testatur, in *l. 36 D. de solut.* & vero ipsum sub Hadriano probabile est in Ægypto commoratum, postea Romæ consulatu & Prætura functum, ut ipse memorat in *l. 5 D. de manum. vind.* & Præfectum Urbi fuisse, teste Spartiano in Juliano Imp. Ponamus itaque pro certo, Cajum sub Hadriano natum, & quidem haud multo ante exitum hujus Principis, quo ipso tempore si famosum illud prodigium extitisse credimus, ut conjectare finit lapsus Capitolini; potuit certe, hac sua ætate factum dicere, quod se admodum puero & infantiæ proximo obtigerat. Et omnino rectius existimavit Aleander, vixisse Cajum adhuc adolescentem sub Pio, quam Bertrandus & Grotius sub hoc Principe eum floruisse, quamvis excedente Antonino, qui per annos duos ac viginti & aliquot menses imperio præfuit, non potuerit nondum ætatis esse paulo adultioris, forte septem & viginti annorum. Ex illis vero, quorum ætas definiri potest, scriptis ejus nullum est, quod Pio adhuc vivo compositum vere dici possit, ut nesciam, unde sub imperio Pii jam floruisse, aut *provectioris ætatis* fuisse viris doctis asseratur. Videamus de singulis libris, quorum tempora investigare datur, qui sunt libri Fideicommissorum, libri Institutionum, ad LL. Juliam & Papiam Poppæam, de legatis ad Edictum Prætoris, liber singularis ad SC. Orphitianum, & libri ad Edictum provinciale. Libros II Fideicommissorum post obitum Antonini Pii scriptos evincunt *l. 90 D. de condit. & demonstr.* quæ ex libro I desumta est, & *l. 96 D. de leg. 3 l. 63 §. 5 D. ad SC. Trebellian.* quæ sunt ex libro II, in quibus singulis Antoninum appellat Divum, quod nomen Imperatoribus vita functis & inter fictitios Deos, ut impia tulit superstitio, relatis demum competebat. Libri IV Institutionum pariter mortuo Pio compositi fuerunt, ut clare probat *l. 1 §. 2 D. de his, qui sui vel al. jur.* quæ est ex libro I, in qua per Divum Antoninum Aleander male intellexit Marcum, L. Veri fratrem, quoniam Divi Fratres constituerint, ne quis servum venderet, ut cum bestiis pugnaret, *l. 42 D. de contr. emt.* Constitutio enim illa, quam Cajus in *d. l. 1* citat, diserte adscribitur Antonino Pio ab Ulpiano in *l. 2 D. de his qui sui &c.* atque reperitur etiam in Mosaicarum & Romanarum legum

gum collatione *tit. III de jure & sævitia dominorum*, ubi insi per alia est, qua major asperitas dominorum in servos coerc tur, ejusdem Imperatoris constitutio: vid. Schulting. *ad Caji In t. de jur. perf. §. 2 n. b.* Ad leges Jul. & Pap. libris XV itide post fata Pii commentatus est Cajus, alias Divum haudquaqua nominaturus in *l. 56 de legat. 2*, quæ est e libro XIV, & cuj forte non memor fuit Cl. Heineccius in doctissimo *ad L. Jul. & Pap. Popp. commentario, lib. I, cap. I, §. 4*, libros hos Caji ad e commentarios referens, qui sub Hadriano & Antonino Pio istas leges prodiere. Libros III de legatis ad Edictum Prætor imperante Marco editos persuadet, quæ depromta est ex libro I *l. 73 §. 1 D. de legat. 1*, ubi Cajus: *vicis legata perinde licere c pere, atque civitatibus, Rescripto* Imperatoris nostri *significat* Imperatorem nostrum dici Antoninum Pium, quo superstite h scripta forent, existimant vulgo: verum post Aleandrum doc Schultingius, non alium, quam Marcum ibi designari. Mani stum hoc fit, si consulas *l. 20 D. de reb. dub.* ubi Paulus tradit, Di Marci temporibus permissum SCto esse, ut legaretur collegiis, cuivis corpori, cui coire licet. At in *d. l. 73 de legat. 1* Caj perhibet, Imperatoris sui Rescripto vicis legata perinde licere c pere, atque civitatibus. Nimirum postquam SCto, autore H driano, tantum civitatibus jus datum erat capiendi legata, qua re Ulpian. *Fragm. T. 24 §. 28 &* in *l. 121 D. de leg. 1*, sub Mar demum id juris concessum fuit collegiis, ut apparet ex *d. l. 20 reb. dub.* novo SCto, quod cum priore illo non debet confun ut monuit etiam Merillius *variant. ex Cujac. lib. II cap. 14.* Ide vero Imperator suo Rescripto hoc jus etiam vicis contulisse v admodum similiter dicitur, cum ipsum & alio loco, statim exp cando, Cajus *Imperatorem nostrum* certissime nominaverit, n simili modo Pium ab eo *nostrum* uspiam appellatum affirm queat. Consentientem habeo Schultingium *ad Ulpian. Tit. §. 28.* Enimvero liber singularis ad SCtum Orphitianum, ex q est *l. 9 D. ad SCtum Tertyll. & Orphit.* sacratissimum Princip *nostrum* loquitur, cujus oratione cautum, *ut matris intesta hereditas ad liberos, tametsi in aliena potestate forent, pertiner* Oiselius in *præfat. ad Caji Instit.* non alium, quam Pium, v intelligi. Verum cum Ulpianus *Tit. 36 §. 7* Antoninum & Co modum ejusdem SCti Autores citet, suffragante etiam Capitoli in Marco *cap. II*, eccui dubium esse possit, Antoninum Philo phum, qui loco prior erat, a Cajo indigitari? Restant igitur li ad Edictum provinciale XXXII, quorum ex libro XI est *l. 42 de donat. int. vir. & ux.* e libro XXX vero est *l. 31 D. de jur*

q

quæ duo loca, Caracalla demum imperante, a Cajo scripta reor. Etenim in *l. 42 D. de donat. int. V. & V.* hæc sunt ejus verba: *Nuper ex indulgentia* Principis Antonini *recepta est alia causa donationis, quam dicimus* honoris causa: *ut ecce, si uxor viro laticlavii petendi gratia donet, vel ut equestris ordinis fiat, vel ludorum gratia.* Videtur Schultingio (*ad Ulpian. tit. VII §. 1*) Cajus hic intelligere non Caracallam, sed Pium; ad illius enim tempora Cajum non pervenisse, idemque placere G. Grotio *de vit. Jurisconf. lib. II cap. 7.* At plura suppetunt argumenta pro Caracalla. Moribus receptum erat apud Romanos, inter virum & uxorem donationes ne valerent, *l. 1 D. d. t.* Hos mores confirmatos fuisse Oratione Imp. Antonini habita in Senatu ante excessum Divi Severi Patris sui, Fulvio Æmiliano & Nummio Albino Coss. testatur Ulpianus in *l. 3 & l. 32, pr. D. d. t.* quibus indiciis nemo dubitet referri Caracallam. Eadem vero oratione ex *d. l. 32*, cognoscimus Augustum extitisse autorem Senatui censendi, *ut aliquid laxaret ex juris rigore.* In his fuit, ut mulieri liceret *in hoc donare viro suo, quo is ab Imperatore lato clavo, vel equo publico, similive honore honoretur*, ut ait Ulpian. *tit. VII, fr. 1*, adjiciens, hoc ex *Principalibus Constitutionibus* esse, per quas innuit Orationem illam Caracallæ, quæ & vocatur *Constitutio* generali appellatione placiti Principalis & utrique Principi, Severo & Antonino, adscribitur in *l. 3 C. de donat. int. vir. & ux.* Et Licin. Rufinus, *lib. VI Regularum*, in *l. 41 D. eod. tit.* ejusdem *indulgentiæ Antonini* meminit, qua constitutum, ut ad processus viri uxor ei donare possit. Hic vero JCtus sub Alexandro præcipue floruit, uti constat ex *l. 4 D. quib. ad lib.* & probat Grotius *de vit. JCt. lib. II c. 12 §. 3.* Sub Pio fuisse non potuit, Antoninum tamen, tanquam adhuc vivum nominat: adeoque loquitur de Caracalla & hujus Oratione, quæ *laxavit juris rigorem.* En *indulgentiam Principis*, de qua Cajus & Rufinus! Inspicienda nunc & *l. 31 D. de jurejur.* in qua observat Cajus, *interdum etiam post jusjurandum a judice exactum permitti* Constitutionibus Principum, *ex integro causam agere, si quis nova instrumenta se invenisse dicat, quibus nunc solis usurus sit: quodsi alias inter ipsos litigantes jurejurando transactum sit negotium, non concedi eandem causam retractare.* Jam si adeamus *l. 1 C. de reb. cred. & jurej.* Rescriptum invenimus Caracallæ, in hæc verba: *Causa jurejurando ex consensu utriusque partis, vel adversario inferente, delato & præstito, vel remisso decisa: nec perjurii prætextu retractari potest.* Non dubito, Cajum in superioribus illis respexisse ad Rescriptum Antonini, nisi id pro suo & aliorum more etiam in sententiam suam citavit,

sed ejus mentionem forsitan amputavit gladius Triboniani, su pervacuam existimantis. Imo vero per Constitutiones Principa les Cajum intelligere conjicio Rescriptum Caracallæ *d. l. 1 C.* quo de utroque jurejurando locutum, verum partem de necessari jurejurando resectam esse a Triboniano haud difficilius credam ac, interpolatam esse hanc *l.* in fine ex *l. ult. C. ill. t.* verbis: *ni specialiter hoc lege receptum est*; certum est, demonstrante Gerar do Noodt ad *t. D. de jurejur. pag. 288.* Et si Cajus ex oration Caracallæ, quod ostendi, scripsit lib. XI ad Edictum provinciale nemo dubitabit, hæc, de quibus hactenus, libro XXX scripta esse su eodem Principe.

Ab excessu Hadriani ad imperium a Caracalla solo susceptun anni intercedunt LXXII, ut proinde Cajus paulo ante obitum Hadriani natus potuerit nondum octuagenarius Caracallæ, mor tuo Severo, rerum soli potito superesse, & septuagesimum ætati annum agens libros ad Edictum provinciale scribere cœpisse Oratio enim Antonini habita est Fulvio Æmiliano & Nummi Albino Coss. h. e. anno ante excessum Severi quinto, imperi ejus decimo tertio. Cumque eam tanquam jus novissimum; & nuper constitutum alleget: *Nuper*, inquiens, *indulgentia Princi pis Antonini &c.* quid veritati propius, quam vel eo ipso anno & mox post auditam eandem Orationem Cajum in perscribendo li bro XI ad Edictum provinc. occupatum fuisse. Neque mirum quod solius meminit Antonini, quippe & oratio illa Caracallæ ad scribitur ab Ulpiano *l. 32 pr. de donat. int. V. & V.* & solum quo que nominat Antoninum Licin. Rufinus *l. 41, D. eod. t.* Denique nec fidem excedit, Rescriptum Caracallæ in *l. 1 C. de reb. cred.* ab ipso citari potuisse, quod datum altero imperii post Severi exi tum anno, quo tempore Cajus fere ad finem perduxerit ex nostr conjectura libros suos XXXII ad Edictum provinciale, versatu jam tum in libro trigesimo. Habuit profecto ætas illa, nescio quomodo, aliquid præcipui, ut plerosque homines tulerit ad se nectutem provectos majorem, etiam illos, quibus curarum, mole stiarum & laborum gravitas maturius finem vitæ afferre debuisse videatur. Novimus Principes ejus seculi, exceptis Commodo & Did. Juliano, vel sexagenarios, vel septuagenariis propinquo regnasse, & Antoninum Pium ultra septuagesimum quarto anno vita decessisse. Novimus decora ejusdem ævi Jureconsultos, Ju lianum, Pomponium, Marcellum, Papinianum ad extremam fere senectam pervenisse. Et non sine amœnitate memi nerimus consultoris illius senis, qui ad Pomponium ho ævo scripsit: *nam ego discendi cupiditate, quam solam vivendi ra tionem optimam in octavum & septuagesimum annum ætatis duxi*

memo-

memor sum ejus sententiæ, qui dixisse fertur : Etsi alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret aliquid addiscere : quæ verba recitantur ex Pomponii libro VII epistolar. in *l. 20 D. de fideic. libert.* minus recte vulgo adscripta Pomponio, aut Salv. Juliano, etiam ab ipso Menagio, *amænit. c.24*, cum tamen jam olim Ant. Augustinus *Observ. & Emendat. lib. I c. 8*, (unde hausit Grotius *de vitis JCt. lib. II, c. 5,*) luculentam Pomponii de jure respondentis & senis consulentis verba a sententia Juliani, quæ ibi proponitur, distinguendi rationem monstraverit, quam egregie confirmat similis fere contextus *l. ult. D. de minorib.* Quid ergo ? Evenit quoque Cajo nostro ea felicitatis humanæ gloria, ut *manserit ingenium seni, permanserit etiam studium & industria, senectutem agendi stipatam studiis juventutis, & in qua non requisierit juventutem. Sic olim L. Æmilii, sic Tib. Coruncanii, sic P. Crassi, a quibus jura civibus præscribebantur, usque ad extremum spiritum provecta est summa prudentia:* Cicero in Catone Maj. §. 27. 28.

CYCLUS METASYNCRITICUS; OR AN ESSAY on Chronical Diseases.

i. e.

JOHANNIS WYNTERI, M. B. SOC. COLL. CHRISTI Cantabr. Tentamen circa Morbos Chronicos.

Londini, apud W. & J. Innys, & J. Leake, 1725, 8.
Plag. 18 dimidiat.

THessalus, Sectæ Methodicæ addictus, in multis morbis totam exiguorum meatuum statum esse immutandum, censuit, naturalem eorum aperturam vel positionem vitiatam esse existimans; atque ex hac opinione fluxit metasyncriseos nomen, idem plane significans, quod Græcis metaporopiseos mutatio. Circulum hinc adhibebant Methodici metasyncriticum chronicos morbos curaturi, & hellebori ope morbidam carnem fundebant & evacuabant, hinc per alterantia medicamenta, aquarum naturalium usum, congruam diætam, exercitia commoda, & salubre clima novam sanamque corpori restituere tentabant, & hanc metasyncrisin Cœlius Aurelianus Recorporationem vocavit. Huncque Circulum resumptivum seu metasyncriticum ab orco revocare præsenti Tentamine, septem capitibus circumscripto, sustinuit Clariss. Wynterus. Primum de morbis Cap. I.

 Chro-

Chronicis in genere agit, inque eorum originem inquirens, ve acutos ſequi, vel unum ab altero produci, vel hæreditarios, ve connatos, vel endemios eſſe pronuntiat, inter cauſas remota luxuriam & deſidiam accuſat; eapropter vero diuturnos eo eſſe judicat, quia longo tempore curantur, quæ longo tempor fuere contracta vitia: natura jam debilitata parum auxilii af ferre valet: continuatus remediorum uſus & legitimus ord requiritur, quæ tamen vel ab ægro faſtidiuntur vel diutius u ſurpata tanquam conſueta effectu tandem ſuo deſtituuntur; ó quia ægri a rebus, quas malum fovere vel augere norunt, ægr abſtinent. Præſtaret igitur ex Autoris conſilio Aquas Mineral offerre, bonam diætam præſcribere, exercitationes corpor commendare, in ſalubriora mittere climata, atque fonticulis v ſetaceis materiæ peccanti exitum parare; has enim res absqu tædio & ſatietate eo citius admiſſuros fore ægrotos, quo cert us ab aſſumendorum medicamentorum moleſtia liberos ſ videant. Quanquam autem Chymici ex Mineralibus eisque aff nibus valida morbisque chronicis appropriata præparare norir medicamenta, majori tamen cum voluptate nec minori cun

Cap. II. ſucceſſu bibi dicit. Aquis Mineralibus quidem & alia medi camenta vel præmittenda vel adjungenda eſſe, non negat; pu tat tamen, illas his præferendas, imo ſubinde neceſſario ordi nandas eſſe. Non deſunt equidem in Anglia fontes, qui aquas ferri vel aluminis & vitrioli, vel ſulphuris, vel cretæ, lapidis calcarii ć & calaminaris particulis ebrias reddunt, Bathenſes tamen & Bri ſtolenſes tantum ſub examen vocat Noſter, quales illæ ſulphu reæ, hæ de creta, lapide calcario & calaminari portiones ſecun vehere dicuntur, earum differentiam inculcat, quo tempore, quc ve modo ſint bibendæ, determinat, morbosque nominat, in qui bus ſint adeundæ. Tandem tria addit monita, ab iis obſervan da, qui Aquas Minerales hauriunt, ſcilicet 1) earum uſum quandoque ad 4, 5 vel 6 dies intermittendum, 2) evacuanti haud interponenda, & 3) earum poculum unum a cubitum itu

Cap. III. ris eſſe evacuandum. Quemadmodum autem morborum chro nicorum cura non feliciter cedit, niſi commoda ſimul obſerve tur diæta, ita parum carnium, plus lactis, lacticiniorumque af ſume

ſumere jubet ægros, cum hæc in exili quantitate multum ſuppeditent nutrimenti, nec ventriculi oneri ſint. Provocat ad cancrum, phthiſin, & ulcera rebellia, in quibus morbis ſat gravibus diæta lactea ſingulari ſe commendat utilitate, imprimis ſi animalibus frutices herbæque morbis appropriatæ offerantur. Pro ægri temperamento, morborumque natura diverſa modo aſininum, modo equinum, modo caprinum ſeligi poſſe lac annuit, vaccinum tamen non minus ſalubre eſſe monet, modo paſcuis fruatur dulcibus, ſalubrem hauriat potum, & in collibus quærat alimenta vacca. Quamcunque utilitatem ægri a medicamentis repetunt, ea ab extra corpori accedit a motu, ubi corporis partes in ſe ipſas agunt, unde majus robur majoremque elaſticitatem recipiunt, modo ad laſſitudinem usque non protrahatur exercitatio; alimenta etiam, aquæ minerales hauſtæ & medicamenta aſſumta melius digeruntur, diſtribuuntur, & excernuntur. Cum autem duæ ſint claſſes exercitationum, quarum altera a ſanis validisque perſonis, ut ab athletis olim, pro augendo robore, altera pro recuperandis deperditis viribus ſuſcipitur; hac ultima diæteticam Medicinæ partem auxit Herodicus, Præceptor Hippocratis. Ad chronicos igitur morbos eradicandos corporis motum maximopere commendat Clariſſ. Wynterus, ad eos etiam, qui a mala partium conformatione ortum ducunt, nec ab alterantibus corrigi valent. Præ reliquis navigationem laudat & balneationem in aqua frigida. Illam, licet nunc in deſuetudinem abierit, proficuam pronuntiat, quod ſub ea corpus non tam ſe ipſum moveat, quam moveatur; poſt hanc vero corpus fricare & inungere jubet, ne ſpiritus adeo copioſe per poros diſſipentur. Quanta aeris ſit efficacia in ſanitate conſervanda, morbisque propellendis, unicuique notum eſt. Cum igitur ſani loca ſibi ſeligant pro vita ſuſtentanda, quorum aer ad ſiccitatem magis quam humiditatem vergit, nec frequentibus ſubjectus eſt mutationibus; multo magis valetudinariis mos hic venit tenendus. Anglia quidem de hoc beneficio gloriari haud poteſt, per quinque ſexve menſes hyemales ſubitaneis atmoſphæræ viciſſitudinibus expoſita; hinc ægris ſuadet Noſter, ut circa Septembris finem aliorſum ſe conferant in loca inter latitudines 35-40

Cap. IV. (margin, beside "rat alimenta vacca. Quamcunque")
Cap. V. (margin, beside "per poros diſſipentur. Quanta")

graduum sita, utpote temperie magis æquali gaudentia. Cu que conterranei sui Neapolin hactenus atque Montem Pessu num diverterint, tantum abest, ut hunc morem improbet, potius dictas civitates quibusvis in Hispania & Lusitania s urbibus, ob morum elegantiam, qua Incolæ superbiunt, viver conversandique modum ab Anglico haud multum alienum Medicorum peritiam præferat. Quodsi vero cuidam Insul relinquere concessum non sit, illis autor est, ut singulis diel in hybernaculo plantis aromaticis consito tali sub caloris gr per unam alteramque horam obambulent, qui motu corpc adjutus insensibilem transspirationem augeat, sudorem tan
Cap.VI. non proliciat. Verum nec evacuantium remediorum oblivi tur Clariss. Wynterus, quæ inter vomitoria & purgantia cor præparant ad admittendas alterantium vires, Fonticuli verc Setacea in morbis diuturnioribus diutius suam vim & effic am exerunt, nimiam humorum quantitatem sive revellendo ve intercipiendo imminuunt, quibuscunque ægris, etiam adu dum infirmis, conveniunt, & pro periti Medici judicio mo
Cap.VII. continuari, modo supprimi possunt. Sed arti non omnia de renda sunt in curandis morbis chronicis, naturæ etiam aliqu in eos competit jus; criticos enim sæpe excitat hæc mot quibus mederi intendit affectibus; sed imperfecta haud r ista existit crisis. Ad quam classem Noster refert podagram, qua post æstum febrilem urina crassa vel turbida cum sedim to farinaceo ex corpore ejicitur, & vitalia ac præcipua org ab aliis periculosis liberantur insultibus. Quoniam autem modo non omnis materia peccans evacuatur, residuum ad n sam sanguineam remeat, novasque successu temporis tu concitat. Quibus in casibus Autor diætam lacteam, lenem e citationem, climatis mutationem & aquarum Bathensium us contra habitualem vero arthritidem Bristolenses commenc & tantum abesse judicat, ut tales naturæ motus supprimend potius omnibus viribus æque ac hæmorrhoidales & mens fluxus fovendi ac promovendi sint. Appendicis loco huic ctatui addita sunt experimenta, quæ Clariss. Wynterus cum a divi Vincentii adornavit.

TI

TRIAS DISSERTATIONUM MEDICARUM, ad Diæteticam potiſſimum ſpectantium, in unum faſciculum collecta, Autore CHRISTIANO MICHAELE ADOLPHI, Phil. & Med. D. Facult. Med. Aſſeſſore, S. R. I. Natur. Curioſ. Collega, B. M. V. Collegii Collegiato, & Med. Practico.

Lipſiæ, apud hæredes Groſſianos, 1726, 4.

Plag. 22.

EXhibuimus ſuperiore anno menſe Majo pag. 229 Clariſſ. Adolphi Diſputationes ad Chorographiam Medicam ſpectantes, ſequuntur nunc tres aliæ, quæ diæteticam Medicinæ partem potiſſimum concernunt, ſcil. I de ægrotantium Conclavi, II de Frictione, & III de Balneis particularibus; quarum primæ contenta nunc paucis enarrabimus. In conclavi ægri aeris potiſſimum rationem habendam eſſe, monet, hinc tradit, quomodo ille ſit temperandus, calefaciendus, refrigerandus, exſiccandus, humectandus, ſuffimigiis corrigendus; quomodo habitatio commoda tam reſpectu plagarum mundi, quam partium ædium ſeligenda; docet, quomodo conclavia ante introitum ægri mundanda, a ſordibus repurganda, a muſcis liberanda, illuminanda, a lunæ radiis defendenda, aulæis, periſtromatibus, ſpeculis, horologiis exornanda, quomodo lecti inſtruendi, obtegendi, mutandi, & ſpondæ adornandæ; quomodo ægri in lectis cubent, eos ſubinde relinquant, rebus gratis & confabulationibus oblectandi, ab ingratis arcendi ſint; qualium hominum animaliumque conſortio fruantur; qualia murmura, ſuſurros, & concentus muſicos admittant; quomodo adſtantes, miniſtrantes, & inviſentes amici, item & Medici ſe gerant; denique quomodo lectus & utenſilia, ſive ſuperaverit æger morbum, ſive morti in victimam ceſſerit, iterum ſint repurganda. Quæ omnia ita pertractat Noſter, ut rationes non ſolum ubivis luculentas afferat, ſed & tam veterum quam recentiorum teſtimoniis & exemplis roboret. Speciminis loco propria Autoris verba, quæ pag. 78 leguntur, de amicis ægrum inviſentibus adſcri-

ſcribere liceat. "Non poſſum non, dicit, nimiam illam, in
"primis apud nos, ægrum viſitandi conſuetudinem atque aſſ
"duitatem atro calculo notare, quando turmatim vel amicitia
"officii, vel conſuetudinis ſpecie, vel placendi, vel hypocriſeo
"vel ſpectandi ſaltem cauſa ſæpius & neſcio ob quas alias ra
"tiones, fœmellæ maxime, eæque non raro ineptæ ac impru
"dentes, atque loquaces advolant, & non vocatæ ſe ægris obtru
"dunt, per horasque non paucas ibi ſubſiſtunt. Ægrumque tu
"corona ſpectata circumdatum & multiplicata cinctum ſer
"ſpectabis. Blaterantium ibi, murmurantium, divagantium,
"non raro ludentium univerſum conclave reboat ſtrepitu,
"intuentibus circa grabatos circumſidentium cohortem jam n
"ægrum ac moribundum, ſed ludos ſcenicos ſpectantis conci
"nis, ac non ægrorum cubiculi ſed fori aleatorii præbeant ſp
"ciem. Tantum certe abeſt ab officio hoc, ut officio nihil ma
"poſſit eſſe contrarium, immodico ita officio nocere, aut ad n
"nimum moleſtare. Nemini enim officium ſuum debet eſſe d
"mnoſum. Multæ profecto eæque graviores rationes phyſi
"æque ac morales, atque adeo theologicæ ſubſunt, quæ malu
"hunc morem abrogandum ſuadent. Æger tunc cogitur al
"rum jure vivere, quæ neceſſaria eſſent & morbo & naturæ,
"media præſcripta debito modo & tempore adhibere, alvum
"veſicam excernere, & negligere, vana, aliena, ingrata, tædio
"odioſa, moleſta, nocua, & pernitioſa vel invitus vel coactus, au
"re, videre & loqui, quo vires ſuas perdit æger, inquietior red
"tur, morbus reſuſcitatur, exacerbatur, (imprimis cum in qua
"plurimis morbis, ut imprimis v. gr. in angina, ſputo cruento,
"loquela plane eſſet interdicenda, & ſæpius vel reſpiratio pa
"fortior noceat) in requie neceſſaria impeditur, animo pertur
"tur, agitatur vel indignatur, aut ſuſpicax, meticuloſus, imo qu
"doque deſperandus, variiſque aliis modis inquietus redditu
"piis meditationibus diſtrahitur, avocatur, & quæ ſunt ejuſm
"alia. Taceo, non ſolum conclave hominum frequentia caleſ
"halitibus, ſed & mutari & inquinari aerem, eumque craſſum r
"di, a tam variis ex hac turba hominum adſtantium, adſidenti
"que & incommodis ſæpe effluviis exhalantibus.

P

PHILOSOPHIÆ NATURALIS PRINCIPIA Mathematica, Autore ISAACO NEWTONO, *Eq. Aur. Editio tertia aucta & emendata.*

Londini, apud Guil. & Joh. Innys, 1726, 4, chart. aug. Alph. 3 plag. 2.

De nova hac editione operis sine pari, quam curavit *Henricus Pemberton* M. D. Vir, ipso *Newtone* judice, harum rerum peritissimus, ita præfatur Illustris Autor: *Nonnulla*, inquit, *in Libro secundo de resistentia mediorum paulo fusius explicantur quam antea, & adduntur experimenta nova de resistentia gravium, quæ cadunt in aere. In Libro tertio argumentum, quo lunam in orbe suo per gravitatem retineri probatur, paulo fusius exponitur, & nova adduntur observationes de proportione diametrorum Jovis ad invicem a* D. Poundio *facta. Adduntur etiam observationes aliquot Cometæ illius, qui anno 1680 apparuit, a* D. Kirchio *mense Novembri in Germania habita, quæ nuper ad manus nostras venerunt & quarum ope constat, quam prope orbes parabolici motibus Cometarum respondent. Et orbita Cometæ illius, computante* Hallejo, *paulo accuratius determinatur quam antea, idque in ellipsi. Et ostenditur, Cometam in hac orbita elliptica per novem cælorum signa non minus accurate cursum peregisse, quam solent planetæ in orbitis ellipticis per astronomiam definitis moveri. Orbis etiam Cometæ, qui anno 1723 apparuit, a* D. Bradlejo *Astronomiæ apud* Oxonienses *Professore computatus, adjicitur.* Quoniam singula, quæ a *Newtono* veniunt, attentionem eruditorum primi ordinis merentur; nostrarum partium esse existimavimus tertiæ quoque editionis memoriam conservare in his Actis, utut de prima satis dictum sit in Actis A. 1688 p. 304 seqq. & de secunda in Actis A. 1714 p. 131 & seqq. quæ in Batavia recusa fuit una cum Viri summi Analysi per quantitatum series, fluxiones ac differentias, quam a *Guilielmo Jonesio* in lucem publicam protractam commendavimus in Actis A. 1712 p. 74 & seqq. Monet Vir perspicacissimus, resistentiam corporum sphæricorum in fluidis oriri partim ex tenacitate, partim ex frictione, partim ex densitate medii: illam, quæ oritur ex medii densitate, esse

in duplicata ratione celeritatis, alteram, quæ oritur ex tenacitat
fluidi, esse ut momentum temporis. Quamobrem cum ipse tan
tummodo prioris resistentiæ ex medii densitate ortæ rationem
habuerit, aliis, quibus ulterius progredi libuerit ad motum cor
porum, quibus resistitur partim vi uniformi seu in ratione mo
mentorum temporis, & partim in ratione duplicata velocitati
immo ad motum quoque corporum, quibus resistitur parti
uniformiter, partim in ratione velocitatis, & partim in ration
duplicata velocitatis, propositiones indicat, per quas aditum a
hanc speculationem patefecit, & quomodo iisdem sit utendu
ad istum scopum, innuit. Experimenta nova de resistentia gr
vium, quæ cadunt in aere, A. 1719 mense Julio Cel. *Desagulieri*
cepit, formando vesicas porcorum in orbem sphæricum o
sphæræ ligneæ concavæ ambientis, quam madefactæ imple
cogebantur inflando aerem, & arefactas demittendo ab altio
loco in templi S. Pauli turri rotunda fornicata, nempe ab al
tudine pedum 272, globo plumbeo duarum circiter libraru
Romanarum una demisso & aliis in suprema parte templi ter
pora tota cadendi, aliis in terra differentiam temporum int
casum globi plumbei & casum vesicæ pendulorum ad dimid
minuta secunda oscillantium ope notantibus. Globus plumbe
cadebat tempore minutorum secundorum quatuor cum qu
drante. Tempora, quibus vesicæ quinque post casum glo
plumbei prima vice ceciderunt, erant $14\frac{3}{4}$, $12\frac{3}{4}$, $14\frac{5}{8}$, $17\frac{3}{4}$, 16
ser. sec. & secunda vice $14\frac{1}{2}$, $14\frac{1}{4}$, 14, 19 & $16\frac{3}{4}$. Tempora aute
in summitate templi notata erant prima vice $19\frac{3}{8}$, $17\frac{1}{4}$, 18
$22\frac{1}{8}$ & $21\frac{5}{8}$, & secunda vice 19, $18\frac{5}{8}$, $18\frac{3}{8}$, 24 & $21\frac{1}{4}$ ser. s
Vesicæ non semper recta cadebant, sed nonnunquam voli
bant & hinc inde oscillabantur inter cadendum. Cadebant a
tem rectius vesica secunda & quarta prima vice & prima
tertia secunda vice. Vesica quinta rugosa erat & per rugas su
nonnihil retardabatur. Demonstrat autem Vir summus egreg
um horum experimentorum cum theoria sua consensu
Scholion istud, quod *Leibnitium* tangit & cujus in Actis an
1714 p. 133 mentio fit, nunc omittitur & ejus loco aliud co
paret, in quo Autor exhibet excerptum ex epistola d. 10 D

16

1672 ad *Collinium* data, quo eidem significavit, se habere methodum generalem, quæ se citra molestum ullum calculum extendat non modo ad ducendum tangentes ad quasvis curvas sive geometricas, sive mechanicas, vel quomodocunque rectas lineas aliasve curvas respicientes, verum etiam ad resolvendum alia abstrusiora problemata de curvitatibus, areis, longitudinibus, centris gravitatis curvarum &c. neque ad solas restringatur æquationes illas, quæ quantitatibus surdis sunt immunes, & se hanc methodum intertexuisse alteri isti, quæ æquationum exegesin instituit, reducendo eas ad series infinitas. Regulis sic dictis philosophandi quartam adjicit, qua præcipitur, in philosophia experimentali propositiones ex phænomenis per inductionem collectas, non obstantibus contrariis hypothesibus, pro veris aut accurate, aut quam proxime haberi debere, donec alia occurrerint phænomena, per quæ aut accuratiores reddantur, aut exceptionibus obnoxiæ, addita ratione, ne argumentum inductionis tollatur per hypotheses. Elongationes satellitum Jovis & diametrum ejus Cl. *Pound* per micrometra ita determinavit. Elongatio maxima heliocentrica satellitis quarti in mediocri Jovis a terra distantia est 8′ 16″ circiter; tertii 4′ 42″; secundi 2′ 56″ 47‴; primi 1′ 51″ 6‴. Diameter Jovis micrometro in telescopio 123 pedes longo sæpius capta semper minor prodiit quam 40″, nunquam minor quam 38″, sæpius 39″. Eadem diameter per transitum primi Satellitis per corpus Jovis in ejus mediocri a terra distantia $37\frac{1}{8}$, per transitum tertii $37\frac{3}{8}$ sec. ex tempore, quo umbra primi per illud transiit, 37″ circiter. Elongatio maxima Satellitis quarti Saturnini in telescopio *Hugeniano* 123 pedum prodiit semidiametrorum $8\frac{7}{10}$; Saturni diameter erat ad diametrum annuli ut 3 ad 7 & diameter annuli d. 28 & 29 Maji 1719 erat 43″, adeoque in mediocri Saturni a terra distantia diameter annuli 42″, diameter Saturni 18″. Monet, luce omni erratica rejecta, diametrum Saturni manere haud majorem quam 16″. Pondera corporum in diversos planetas ex recentissimis observationibus aliter definit, quam in editione secunda, eadem nempe in superficiebus Solis, Jovis, Saturni ac terræ esse asserit ut 10000, 943, 529, 435: atque hinc aliæ quo-

que prodeunt densitates planetarum, quam in editione alter Ostendit, si ascendatur ad altitudinem milliarium ducentoru supra terram, aerem ibi rariorem fore quam ad superficie terræ in ratione 75000000000000 ad 1 circiter, atque hinc co cludit, Jovem in medio ejusdem densitatis tempore annoru 1000000 ex resistentia medii non amittere motus sui parte decimam centesimam millesimam. Ceterum non mirum, qu in sequentibus quoque propositionibus mutationem subieri numeri, cum ex antecedentibus deducantur sequentia. Motu vertiginis Lunæ statuit dierum 27 hor. 7 43', ac inde dedu librationem in longitudinem, libratione in latitudinem a la tudine Lunæ & inclinatione axis ejus ad planum eclipticæ. M net, *Mercatorem* in Astronomia sua initio anni 1676 edita ha librationis lunaris theoriam exposuisse ex literis, quas ad ips dederit Noster. Rationes adducit, ob quas Satellites extimi S turni atque Jovis simili motu circa axem suum revolvi vide tur. Altitudinem terræ ad æquatorem nunc definit 196586 pedum circiter & ad polos 19573000 pedum. *Poundus* te scopio 123 pedum & micrometro A. 1719 diametros Jovis ad i vicem deprehendit d. 28 Jan. h. 6 ut 12 ad 11, d. 6 Mart. h ut $13\frac{3}{4}$ ad $12\frac{3}{4}$, d. 9 Mart. h. 7 ut $12\frac{2}{3}$ ad $11\frac{2}{3}$, d. 9 April. h. ut $14\frac{1}{2}$ ad $13\frac{1}{2}$. Pondera quoque corporum in terræ regio bus diversis una cum quantitate gradus unius in Meridia nunc paulo aliter determinat. Motum nodorum *J. Machin* stron. Prof. Gresham. & *Henr. Pemberton* M. D. seorsim inv nere alia ratione, quam *Newtonus*. Chartas prioris Princip suis inseruit, concordes cum chartis alterius. Numeri in the ria Lunæ subinde quoque subierunt aliquam mutationem. M tus Cometæ annorum 1680 & 1681 a *Flamstedio* observatus, observationibus *Flamstedianis* correctus, ab *Hallejo* sistitur. M timus ea, quæ jam supra ipsis *Newtoni* verbis commemora mus. Ceterum hæc editio anterioribus palmam præripit, n modo ob nitorem typorum & figurarum, verum etiam qu præter novas accessiones cum contextus, tum figuræ passim e pertæ fuerint limam. Præfigitur quoque eidem effigies eleg Senis venerandi & tam eminentibus in Remp. literariam meri illustris.

J

JO. GOTTLOB HORNII, PULSNICENSIS, *Princeps Domus Saxonicæ HENRICUS cognomento ILLUSTRIS ex sanctioribus tabulis curate descriptus.*

Francof. & Lipsiæ, sumtibus Georg. Marci Knochii, 1726, 4. Alph. 2 pl. 6 Tab. æn. 1.

Mirifice isto opere historiam Saxoniæ nostræ simulque rem literariam & ecclesiasticam illustrari, id quidem est quod primo loco Lectoribus nostris significandum putamus. Sed ne frustra hanc laudem illi tribuisse videamur, per summa rerum capita eundo sigillatim annotabimus, quæ in eo contineantur. In Prolegomenis itaque ipse Autor Clariss. instituti sui rationem exponit, & primo quidem causam allegat, cur in historia medii ævi, etiam quoad vitas Principum, cumprimis Saxonicorum, ea p. 2.
adhuc supersit difficultas, quam vix superare eruditis hactenus licuerit. Illi sane qui operam suam hac in re præstiterunt, quorumque indicem deinde tradit Autor, compendiarium quidem 3.
sed utilem, nondum ipsi squalorem seculorum illorum rudium detersisse videntur. Quin imo superesse censet Principum nostrorum plures adhuc, qui pro rebus suis vitisque illustrandis 12.
vel secundas vel plane novas flagitent eruditorum curas. Aliis igitur, præsertim popularibus suis, commendans Conradum Magnum, Ottonem Divitem, Theodoricos, Afflictum & Sapientem, Albertum Degenerem, Fridericos, Balbum, Gravem & Strenuum, Balthasarem, Wilhelmos, Cœlitem, Divitem & Fortem, Fridericum Placidum, Jo. Georgium II & III, ipse Henricum Illustrem præ ceteris celebrandum sibi sumsit. In quo argumento ita versatur, ut quæ alii cum cura attigerunt breviter repetat, quæ perperam tradiderunt, emendet, nimis concisa uberius exponat, nec rebus simpliciter enarrandis, sed causas etiam arcanas & consequentia inde Sereniss. Domus Saxonicæ jura cognoscendis sit intentus. De stilo nil attinet monere, nisi quod puriorem minusve impeditum historia amet, quamvis stricte non requirat; quæ excusatio Autoris facile est admittenda. Ceterum integra tractatio in octo dispescitur capita, quorum primo 14.

Henrici prosapia & nascendi conditio exponitur, & ab ini
statim inveterata illa exploditur opinio, quæ stemma Prin
p. 17. pum Saxoniæ a Wittekindo M. deducit. Autor contra deriva
dum illud esse potius a *Buzici* cujusdam, Comitis seculo IX c
ri, tribu, una cum Celeberrimo Eccardo aliisque viris doctis t
dit, speciatim vero Henrici nostri genus refert ad Theodo
20. cum Buzicium, pro Comite Wettinensi vulgo habitum, a quo
prima generatione descenderit iste, natus scilicet anno decir
octavo seculi XIII. De parentibus ejus, Theodorico Afflic
Comite de Vizenfels, & Juditha Thuringica, deque causis pc
25. ticis matrimonii inter eosdem contracti quæ hic disquirunt
lectu maxime digna sunt. Tum vero Cap. II de Henrici ado
scentia agitur, in qua ex patris defuncti voluntate avunculi l
dovici Sancti Thuringiæ Landgravii tutelam subiit, matre q
33. que vidua ab hoc in societatem tutelarem adscita. Præci
hic attendi meretur, qua ratione mox inter sanctum fratrem
37. sororem, dum hæc inconsulto isto ad secunda vota trans
capitale dissidium, atque ex eo bellum intestinum enatum, ve
menter afflixerit terras Henrici impuberis. In rebus deinde
hoc Principe gestis recensendis prolixus est Autor Cap. III, c
nimirum bellicas Henrici expeditiones, præcipue Thuringica
describit. Nos exinde id præsertim annotamus, principia ju
cujusdam, Saxoniæ in ditiones Austriacas competentis, ita
64. enucleari, ut nondum penitus hoc exspirasse videri possit, qua
vis certi quid de eo affirmare non audeat Autor. Paulo ape
us vero deinde justitiam causæ, qua Thuringiam extincto H
manno Landgravio sibi vindicabat Marchio noster, defendit c
69. tra Siffridum Misnensem & scriptores quosdam chronicor
apud Leibnitium & Schannatum, Virum quoque aliquem ma
80. nominis ex recentioribus. Id etiam satis luculenter demonst
avunculi titulo principes olim non semper propinquæ cog
tionis ergo sed quandoque saltem honoris causa se invic
compellasse. Dum porro Thuringiæ & Hassiæ antea conne
rum disjunctionem non nisi in benefica Henrici cessione
phiæ Brabantinæ factæ fundatam esse asserit, solicite confœd
92. tionem a confraternitate discernendo, verum fœderis frat

i

inter Misnensem & Hassiacam domum initi primordium designat. Caput deinde IV memorabilia Henrici merita in ecclesiam pandit, qualia scilicet pro conditione illorum temporum esse poterant, imo debebant. Unde generatim de iis indicasse sufficiat, Henricum Marchionem tot largitionibus immensis in Episcopos & universum ditionis suæ Clerum impense religiosum se probasse. Quæ vero speciatim ecclesiæ vel monasteria munificentiam ejus sint experta, longa serie hic enarratur. Verum p. 95 seq.
profusa ista liberalitate nihil aliud effecit, quam ut Clericorum fastum provocaret & potentiam augeret, ipsi deinceps in exercitio juris principalis circa sacra tanto magis obstaculo futuram. Autor quidem ad reliquias aliquas hujus juris refert, quod 122.
Henricus ingenuitatem Episcopatus Misnensis restituit in inte- coll. 141.
grum; sed non magis hoc ex jure quodam circa sacra relicto procedere videtur, quam ulla alia actio in gratiam potissimum & commodum ordinis ecclesiastici suscepta. Id forte rectius hanc in rem allegaret, quod imago S. Mariæ, Freibergæ celebris & miraculis famosa, propter improbitates & horrenda flagitia peregrinantium ad eandem patrata, Henrici jussu summota fuit: nisi & hoc princeps non tam suo motu suaque autoritate quam Cleri ipsius petitione fecisset. Atque ita etiam Caput V, quod de Henrici gestis in Politia inscribitur, rebus imprimis memorabilibus refertum est. In hoc nos dubia illa, quæ Autor de privilegio quodam, civitati Dresdensi concesso, nec nisi germanice extante, eruditis proponit, sic satis expediri judicamus, si quis di- 149.
cat, primo non sequi, quod, quia reliqua, quæcunque diplomata hujus Marchionis hactenus in lucem prolata accepimus, idiomate Latino primitus consignata apparent, ergo ne unicum quidem germanice consignari potuerit. Deinde si potuit vel unicum aliquando germanico stilo conscribi, mirum non est, huncce aliquanto cultiorem videri, quam versiones reliquorum germanicas ad latinum expressas. Tertio denique cum Autor de Osterlandiæ nomine dubia moveat, idemque infra Capite octavo §. X accuratius expendat, nihil obstat, quo minus nomen istud etiam in documento originali germanico de Lusatia tanquam Marchia orientali potuerit usurpari: præsertim, quod probe notan-

tandum, cum versiones quoque vetustissimæ diplomatum, dem tempore, imo prius editorum, Marchiam hancce germa
p. 158. ce reddant *Osterlandt*. Ceterum inter Henrici in republica g præcipue volupe est legere, qua ratione Judæos, quibus tunc undabant istius provinciæ, certis legibus adstrinxerit & con tutionibus, quibus hodie alii quoque Principes cum fructu
173. possent. Sequuntur Capite VI Henrici negotia domestica, &
225. pite VII mors cum sepultura; quæ licet tanta describantur dustria, ut in rebus haud exigui momenti multum inde lucis fundatur historiæ Saxonicæ, nobis tamen iis immorari per l vitatis studium non licet. Capite VIII Henrici elogia & r
242. quiæ explicantur, atque ad illa quidem refert Noster cognor Illustris, titulosque a provinciis sumtos, ad has autem sigi denarios bracteatos, & numismata alia, imprimis vero epi
277. las, edicta varia ac diplomata. Et horum quidem, post vi Henrici expositam, codex peculiaris, alteram quasi totius l partem constituens, illustrationis gratia subjungitur. Sunt in codice diplomata LXVI, junctis plerisque versionibus anti germanicis; ad quæ colligenda, uti & ad totum opus pe ciendum, subsidiariam operam contulisse Virum Illustrem,
279. *chaelem Henricum Gribnerum*, Consiliarium Aulicum & Arch rium, nuper nobis feliciter redditum, tum summe Rev. *Val Ern. Læscherum* & alios, in præfatione codici diplomatico p missa gratus deprædicat Autor. Excipiunt tandem hunc c
359. cem nonnulla ad historiam vitæ Henrici Illustris analecta; non solum supplementorum sed & emendationum vicem p stant, iterata forte operis editione commodius suis locis i renda. Forte etiam hujusmodi analecta porro colligere lic Clariss. Autori, præsertim ex programmate recentissime scr editoque ab Illustri, cujus modo mentionem fecimus, *Gribn* Is enim quemadmodum in eo retractationem aliquam & teriorem disquisitionem instituit de titulo Landgravii Thu giæ & Comitis Palatini Saxoniæ in literis Henrici Illustris; totum hocce opus historicum, imprimis codicem diplomatic insigniter illustrat & amplificat. Qua occasione simul Lect nostri monendi sunt, programma istud in Academia nostra n

præmissum fuisse orationi in solennissima panegyri habitæ, qua Ill. Autor Professionem Juris primariam cum Ordinarii munere clementissime sibi demandatam auspicabatur. In his scilicet reliquisque muneribus amplissimis gravissimisque magno Academiæ emolumento successor datus est dignissimus meritissimo Vitrico B. *Ludero Menkenio*, cujus vitam & elogium superioris anni mense Octobri exposuimus.

ORIGINES HEBRÆÆ: THE ANTIQVITIES OF the Hebrew Republick.

i. e.

ANTIQUITATES REIPUBLICÆ HEBRAICÆ, Autore THOMA LEWIS, M. A.

Volumina IV.

Londini, apud Sam. Hudge & Joh. Hooke, 1724, 8. maj. Alph. 4 pl. 5.

NOvum hic habes compendium Antiquitatum Hebraicarum lingua Anglicana descriptum. Tale olim eadem lingua dederat *Thomas Godwinus* in *Mose & Aarone*, qui libellus in Anglia iterum iterumque prelum exercuit, & *Latine* a Reizio, *Belgice* autem ab alio conversus in Germania & Belgio cum Editorum notis & observationibus sæpius lucem adspexit. Vide, si placet, S.R. *Jo. Christoph. Wolfii* Biblioth. Hebræam Parte II p. 1085 sq. Cave tamen, existimes, *Lewisium* nostrum *Godwini* vestigiis ita institisse, ut non ulterius progrederetur. Inscriptio operis ipsa ampliorem campum, quam quidem Godwinus calcavit, aperit, & enarratio totius tractationis manifestum faciet, Lewisium eundem feliciter esse emersum. Volumina I & II, continuis foliis comprehensa, quatuor Libris absolvuntur. Liber I capitibus IX constans ad Statum Reipublicæ Judaicæ externum pertinet, ubi cap. I origo, incrementa & inclinatio illius; cap. II conditio Terræ Sanctæ usque ad subjectionem Romano Imperio factam; cap. III diversi Terræ Sanctæ incolæ, *Cananæi, Hebræi, Samaritani, Hellenistæ, Proselyti* & *Judæi*; cap. IV diversæ regimi-

giminis formæ, *Patriarchalis* scilicet, *Judicialis*, *Monarchica* *Sacerdotalis*; cap. V speciatim Monarchica Imperii forma que adeo Regum Hebræorum rationes; cap. VI civilia Heb: orum consistoria & imprimis *Synedrium Magnum*; cap. ' Judiciorum civilium diversi modi; cap. VIII & IX suppli tum *capitalia* tum *non capitalia*, Judæis olim recepta, expon tur. Hæc libri I capita Cl. Autor persequitur usque ad pag.

Liber II capitibus XXVI commentatur de Regimine *clesiastico*, i.e. de *Sacerdotibus* tum *summis* tum inferioris o nis, eorum unctione, inauguratione, officiis, classibus, juribu reditibus, ex primitiis v.c. & decimis subnatis, præterea de vitis, Nethinæis, Prophetis veris & falsis, divinatoribus & Ne mantis, nec minus de Nazaræis & Rechabitis, usque ad cap. p. 224. His usque ad caput XXVI p. 270 tractatio de Sectis dæorum, Pharisæis, Scribis diversisque eorum titulis, Sad cæis, Karæis, Essenis, Herodianis, Publicanis & Galilæis jicitur.

Liber III locos cultui divino publico destinatos cons rat capitibus X usque ad p. 349, puta Tabernaculum Mosai cum partibus ejus omnibus, columnam nubis & ignis, Pro chas & Templum Salomonis.

Post hæc & capitibus & paginis una serie continualis Vol. Lib. IV incipit, isque cap. XI p. 349 repræsentat eam Templi tem, quæ Sanctum Sanctorum appellatur, quemadmodum XIII usque ad XX seu p. 422 Templum II delineatur. Nec o tuntur *Synagogæ*, earumque præfecti & ministri, quæve alia pertinent, v. c. preces publicæ, lectio Scripturæ Sacræ, ratio cionandi &c. cap. XXI & XXII usque ad p. 625.

Volumen III comprehenditur Libris IV. Horum I, qu spectu superiorum quatuor librorum hic inscribitur V, *ido triam* inter Judæos quondam grassatam describit, quo pert cultus *Angelis*, *Soli*, *stellis* & *dæmonibus* præstitus, consecratio corum & imaginum, adoratio ænei serpentis, vituli aurei usque ad p. 50, seu caput X. Hac occasione Schisma *Sam tanorum* cum ipsorum dogmatibus, Confessione fidei & Epi la a Samaritanis *Sichemitis* ad fidei socios per Huntingto

q

quondam in Angliam curata edifferitur usque ad p. 65 Deinde cap. XV p. 69 sqq. in scenam producuntur idola Cananæorum, *Baal peor* & *Chemosch*; cap. XVI Ammonitarum, *Milcom*, *Ciun* &c. tandemque cap. XXII p. 97 Judæi vindicantur a calumnia, qua *asinum*, *cælos* & *Bacchum* adorasse a nonnullis feruntur.

Cum ex his satis pateat, Cl. Autorem non facile prætermittere momentum aliquod, quod quidem ad argumentum tractandum pertineat, suffecerit, si reliquorum librorum summam designemus.

Liber itaque VI totius operis post descriptionem urbis Hierosolymitanæ ex Josepho, Rabbinorumque & Præsidum populi in captivitate, leges Judæorum tum *forenses* tum *cerimoniales* enarrat cap. LXIII usque ad p. 430. Atque hic agitur de legibus ad homicidas, fures, viduas, orphanos, pauperesque pertinentibus, nec minus de institutis ritualibus ad animalia munda & immunda, mactationem, cibum potumque, conjugium item, concubinatum & divortium, educationem liberorum, servorum jura, disciplinam militarem, sepulturam, luctum, pondera & mensuras ac denique agriculturam relatis.

Volumen IV sistit Libros VII & VIII. In VII Libro capitibus XXXIII usque ad p. 185 artes & scientiæ ab Hebræis excultæ describuntur. Inter has *Astronomia* primum locum occupat; eam excipit *Arithmetica*, *Geometria*, *Gnomonica*, *Medicina*, *Chirurgia*, *Botanica*, *Pictura*, *Architectura* &c. Mentio etiam fit *mercaturæ* & commerciorum c. XV p. 76, navigationis Noachicæ cap. XVII & Ophiriticæ Salomonis cap. XVIII, hinc Poeseos cap. XIX, & Musices cap. XX, instrumentorum Musicorum cap. XXI, artis scribendi cap. XXII, speciatim illius, quæ ad Codicem Biblicum rite exarandum spectat. Porro cap. XXIV sqq. de lingua Hebræorum, literisque & vocalibus, Masora, Keri & Kethib, Cabbala, Academiis Judaicis & corpore Talmudico, ac tredecim articulis fidei Judaicæ differitur.

Liber denique VIII capitibus LVII usque ad finem seu pag. 338 Canonem Biblicum ejusque historiam generatim exhibet, interque cetera Judæos a crimine corrupti textus Hebraici liberat cap. V, deinde vero sigillatim libros Canonicos & Apocryphos enarrat.

Laudanda sane est Cl. Autoris industria & dexteritas, qu
in hoc argumento ita probavit, ut & instruat lectorem, & idoı
suavique dicendi ratione delectet. Videtur tamen non tam
fontibus, si *Scripturam sacram, Talmud, Josephum* & *Maimo*
dem, ad quos interdum provocat, quam ex Christianorum S
ptorum commentationibus antiquariis sua hausisse. Isti vero s
quos & ipse in præfatione laudat, ex Anglis *Ainsworthus, Brou*
tonus, Godwinus, Kidderus, Lightfootus, Medus Outramus, Pa
ckius in Commentariis Biblicis, *Prideaux* in Harmonia Histo
Sacræ & profanæ, *Seldenus, Weemsius* & *Thorndikius* : ex cet
Bertramus, Braunius, Buxtorfius, Cunæus, Hospinianus, Leu
nius, Relandus & *Schickardus.* Atque illi quidem ad per
endum Autoris institutum sufficere poterant, utpote qui non
id egisse videtur, ut argumentum hoc a multis tractatum de
sub accuratum examen revocaretur, quam ut illis, qui sine in
mistis longioribus & plerumque tædiosis disquisitionibus
ipsam tenere cupiunt, consuleretur.

R. P. BERNARDI PEZII, BENEDICTI & Bibliothecarii Mellicensis, Bibliotheca ascetica antiquo-nova.

Tomus IX.

Ratisbonæ, sumtibus J. C. Peezii, 1726, 8.

Alph. 1 pl. 21.

EN novum Pezianæ *Bibliothecæ asceticæ* Tomum, quem h
dubie multi dolebunt esse ultimum, cum Clarissimus Au
in Præfatione fateatur, pluribus Tomis sufficientes sibi super
hujus argumenti libros. Sed nimirum alii docti labores
avocant, iique gravioris momenti: quanquam nos non vetat
rare, successuros aliquando ipsius plus otii nacti opera To
plures. Hic quidem exhibet *Rufini* cujusdam libros *de bono*
cis duos; *Engelberti,* Abbatis Admontensis, librum *de statu*
functorum; Francisci cujusdam librum *de monacho ad exemp*
Christi crucifixo; ejusdemque *Quæstiones regulares de vita*
ctimonialium virginum; Gregorii de Sclavonia librum *de tue*
virginis Deo consecratæ sanctimonia; Nicolai de Argentin
b

brum *de discretione*; Anonymi Cartusiani *Dialogum de institutione & exercitiis cellæ*; *Matthiæ Mittneri* librum *de indivisibili & unice uno puncto instituti Cartusiani*; denique *Mabillonii breve scriptum de monasticorum studiorum ratione ad juvenes studiosos Congregationis suæ.* Hunc postremum libellum, inter *Opera posthuma* Mabillonii Parisiis A. 1724 editum, ideo se recudi curasse scribit Rev. Editor, quod ista Opera rarius in Germaniæ monasteriis reperiantur. Idem in Præfatione de ceteris quoque hujus Tomi scriptoribus, iis quidem, de quibus nondum dixerat in superiorum Tomorum Præfationibus, differit. Quanquam de *Rufino* nihil investigare potuit, nisi quod sæculo undecimo vixerit & Episcopus fuerit. De *Francisco* quoque suo illud unum docere potuit, quod ineunte sæculo decimo quinto fuerit monachus in Germania. Eodem temporis tractu docet etiam vixisse *Gregorium de Sclavonia*, & Ecclesiæ Turonensis fuisse Canonicum. De *Engelberto* commemorat, nuper Ratisbonæ prodiisse ejusdem 1) *de regimine Principum* libros septem, 2) librum *de summo bono hominis in hac vita*, 3) *Dialogum Concupiscentiæ & Rationis de iis, quæ veram homini felicitatem conferant & beatitudinem*, 4) libellum *de quæstione, utrum sapienti competat ducere uxorem.* Denique *Mittneri* mentionem faciens, refert, se propediem editurum esse *Mittneriana*, a doctissimo Cartusiano, Leopoldo Wydemanno, contexta studiosissime.

Ut ex hisce operibus non nihil depromamus, docet *Rufinus lib. I cap. 1*, in voce *Pax* latere mysterium Trinitatis. *Pax*, inquit, *declinatur quidem, sed in pluralitatem non deflectitur. Ita in Trinitate est & discretio personarum, & unius ejusdemque naturæ simplicitas. Sicut alia litera est P, alia A, alia X, quæ sunt una dictio, non resoluta in pluralem numerum, (non enim dicimus* Paces,) *sic & Deitas in tribus personis consistit, ut sit alia persona Pater, alia Filius, & alia Spiritus sanctus: qui tres non plures essentiæ, sed una essentia unusque Deus sunt. Capite secundo* exhibet species pacis octo, pacem Dei ad se, pacem Dei ad homines, pacem angelorum ad se, pacem angelorum ad homines, pacem Diaboli ad se, pacem Diaboli ad homines, pacem hominum ad se, pacem

hominum ad homines. Septem priores species libro persequi priore, ultimam libro posteriore. *Libri secundi capite pri* pacem hominis ad hominem facit duplicem, pacem Ægypti, cem Babyloniæ, pacem Jerusalem. Primam vocat *malorum unam pravitatem conspirationem*, alteram *tam malorum, qu bonorum, ab externo bello privataque rixa tutam conversatione* tertiam *Christianæ Societatis fraternitatem*. Ad *Engelberti* brum quod attinet, excutiuntur ibi variæ Scholasticorum qu stiones de statu defunctorum, e. g. an in damnatis reman affectus erga suos in mundo relictos? qualiter distincta sint q tuor loca pœnarum, infernus, limbus infantum, purgatori & limbus Patrum? an purgatio in purgatorio fiat per ign materialem? an evolari possit e purgatorio ante extremum dicium? an pœna purgatorii sit maxima pœnarum tempor um? an in pœna purgatorii sit minor certitudo de gloria, qu in hac vita? quorum ministerio pœna purgatorii infligat ubi sit locus purgatorii? pro quo possint & debeant fieri dulgentiæ? Veniamus ad *Franciscum*, qui vitam monachor comparat cum cruce illa, cui Salvator fuit affixus, & miral bus utitur allusionibus. E. g. *crux claustralium* (ita disserit 3) *ex tribus lignis est, paupertate scilicet, castitate, & obed tia. Uti Christus tribus clavis fuit perfossus, sic & claustr habet tres clavos, voluntarie assumtos. Primus est amor di gloriæ, secundus est amor beneplaciti ejus, tertius est amor pla di ei.* Ad finem properantes e *Mabillonii* libello, undecim tum paginas implente, hoc unum monitum libet excerpere, *p. 658* monachum juvenem jubet eas fugere *artes, quæ to animum rapiunt, nec eum ad res spirituales aptum efficiunt, les sunt mathematicæ, quarum elementa quidem studiosis pro sed, si semel bis immersus fuerit animus, vix unquam ad spiri lia assurgere valebit.*

HUGO GROTIUS DE VERITATE RE gionis Christianæ. Editio novissima, quam ad fidem tiquissimorum codicum recensuit, mendis sollicite ga

gavit, veterum testimoniis accuratius pleniusque allegatis instruxit JO. CHRISTOPH. KOECHERUS.

Jenæ, apud E. C. Bailliar, 1726, 8.
Alph. 1 pl. 5.

HUGO GROTIUS DE VERITATE RELIgionis Christianæ, Conringii, Henichii, Cypriani, Limborchii, Clerici, Stollii, Heumanni, Notis ac Animadversionibus illustratus, opera ac studio JO. CHRISTOPH. KOECHERI, qui & ipse cogitationes suas hinc inde adspersit.

Jenæ, apud E. C. Bailliar, 1727, 8.
Alph. 1 pl. 11½.

DUo hæc Volumina merito simul exhibemus. Ac prius quidem repræsentat clarissimum illud & cum argumenti sui gravitate sanctitateque, tum elaborationis præstantia, tum denique ipsius autoris sui magnitudine in primis conspicuum opus Grotianum *de religionis nostræ veritate*. Cujus cum permultæ exstent editiones, in confesso tamen fuit, nondum prodiisse editionem omnibus perfectam numeris, hoc est, quæ primo emendatissime descripta esset, deinde adjectos haberet veteribus autoribus ibi laudatis suos libros librorumque sectiones, tum illustria Grotii argumenta subinde majori in luce collocaret, denique, quo carent omnes editiones, indicem haberet rerum memorabilium. Nævis his aureum hoc opus liberaturus Cl. Editor, incredibilem exhausit laborem, tamque bene de Grotiano libro meritus est, ut nemo melius. Ad textum enim quod attinet, cum primas hujus libri editiones nactus esset, prætereaque emendationes ipsius Grotii manu editioni secundæ anni 1629 adscriptas, (quod exemplar tenet bibliotheca illustris Uffenbachiana,) permulta sustulit menda, simulque ea loca notavit, quæ nondum recte se habere existimat. Hinc singula loca aliorum autorum a Grotio laudata singulari inquisivit industria, per-

perpaucis ejus effugientibus diligentiam. Ipse quoque suas notationes a Grotianis rite distinctas subjecit, in quibus pa observat, ubi Grotius memoria sua fretus falsos vel autores libros nominavit, partim loca quædam expendit, quamque rum valeant ad sententiam confirmandam, docet. Hujus lab socium adscivit Cl. Facultatis Philos. in Acad. Jenensi Adjunct Dan. Gottfr. Wernerum, qui idem præstitit in evolvendis aminandisque Rabbinicis & Talmudicis testimoniis a Gr prolatis.

Altero volumine Cl. Editor exhibet doctissimorum V rum in Grotianum opus annotationes, tum jam editas, tum mum nunc in lucem prodeuntes. Scilicet excerpsit potior Jo. Henichii, Ern. Sal. Cypriani, Jo. Clerici, & Christ. Aug. H manni ad hunc librum annotationibus, separatim jam div emissis temporibus. Tum e Phil. Limborchii Comment in *Acta Apostolorum* A. 1711 edito repetit confutationem *Judæ Lumbroso*, quo liber quintus Grotii oppugnatur, acc tissimam. Hinc Conringii nunquam editas in primum se dumque libros commentationes, e latebris suis singulari fe tate erutas, exhibuit integras. Denique novas ad Grotii annotationes, partim a Cl. Stollio, Prof. Jenensi, partim a se ipso confectas, adjecit. Non libet nobis ex tam nobili the ro, omnibus Theologorum bibliothecis inserendo, proferre cimina. Unum sufficiat, prima videlicet ad sextum librum notatio, qua docetur, in eo libro politicum quoddam artific Grotii latere. Grotius scilicet, cum ederet hunc librum, sabatur Lutetiæ, adeoque ei non licebat aperte insectari Pa religionis Christianæ corruptelas. Fecit id igitur tecte, dum Muhammedanos petere videtur, Papæos gravissimis ferit bus. Docet enim §. 1 clare, religionem Christianam m ævo summopere corruptam fuisse, & plerosque nævos Ca licæ religionis recenset. §. 2 sub titulo Muhammedano graviter notat Papæos, Scripturæ S. lectione plebem int centes. §. 7 sub eodem titulo refutat Papæos religionem a propagantes & felicitatem externam constituentes notam religionis. §. 8 exagitat Pontificiorum leges Judaicas de d mine ciborum.

VAL. ERN. LOESCHERI LITERATOR CELta, seu de excolenda literatura Europæa, occidentali & septentrionali, consilium & conatus, curante JO. AUGUSTINO EGENOLF.

Lipsiæ, apud Jo. Christ. Martini, 1726, 8.
Plag. 8.

CUm jamdudum magnum sit Summe Rev. Lœscheri nomen non solum inter Theologiæ, sed etiam Philologiæ consultos, jure speramus, & hoc opusculum cupide exceptum iri, quod multis jam abhinc annis confectum in lucem nunc editur a Cl. Egenolfo. Præmisso scilicet sermone de utilitate & præstantia veteris literaturæ septentrionalis, nominatimque laudatis, qui jam feliciter elaborarunt in hoc studio, *Cap. V* exhibet figuras literarum Gothicarum, Runicarum, Anglo-Saxonicarum, &c. *Cap. VI* monumenta commemorat reliquias literaturæ Septentrionalis exhibentia & adhuc exstantia, inde ab Ulphilæ Evangeliis usque ad seculum XIV. *Cap. VII & VIII* cum Glossaria hujus literaturæ laudat, tum doctissimorum hominum huc pertinentes animadversiones. *Cap. IX* tres facit antiqui Septentrionis periodos, *antiquissimam*, a primo scilicet Celtarum ortu usque ad seculum Christianorum primum; *antiquam*, a seculi primi fine usque ad Carolina tempora; *mediam* denique, a Carolino seculo usque ad Auream Bullam. *Cap. X & XI* proposita sua de Europæarum gentium originibus sententia, itemque distinctione inter linguam Gallicam & Franco-Gallicam; *Cap. XII* & sequentibus exhibet Indices alphabeticos reliquiarum veteris linguæ Gallicæ, Cambro-Britannicæ, Germanicæ meridionalis, Illyricæ, Celtibericæ, Suevicæ, Burgundicæ, Vandalicæ, Herulicæ, Langobardicæ. *Cap. XXVI* & sequentibus disserit de lingua Francica, Saxonica, Gothica, Scandicis, Helvetica, Suevica recentiore, Saxonica & superiore & inferiore, Frisica, Belgica, Danica, Svedica, Islandica sive Runica. *Cap. XXXV* exhibet per duas primas alphabeti literas Glossarium generale linguarum septentrionalium, præsertim Theotiscæ, Gothicæ, Saxonicæ, & Scandicæ. Ex ceteris alphabeti literis supplementi

instar aliquot prisca vocabula *Capite ultimo* repræsentat Cl. Egenolfus, adjecta *p. 104* inedita quadam *Erasmi* Epistola ad *Julium Pflugium*, ex qua apparet, Lutherum omnino esse verum Autorem libelli *de nominebus Germanorum propriis*. Hoc unum lectores fortasse dolebunt, S. R. Autori per graviora & sacratiora negotia non licuisse & fusius & exactius tractare argumentum tam amœnum, sed primas duntaxat duxisse lineas.

NUMMI BRITANNICI HISTORIA: OR AN Account of English Money &c.

i. e.

DISSERTATIO HISTORICA DE MONETA Anglicana inde a tempore Wilhelmi Conquestoris usque ad unionem Angliæ & Scotiæ sub Jacobo I atque porro ad hæc usque tempora.

Londini, apud W. Meadows, 1726, 8.
Plag. 11 Tabb. æn. 4.

CUm nemo adhuc justum opus de monetæ Anglicæ per tot secula ratione & valore condere ausus fuerit, difficulter admodum se permoveri passus est Autor anonymus, ut, quæ propriis tantum usibus destinaverat, in publicum ederet, sperans interim, Collegium Antiquariorum Londinense nonnihil majoris ponderis hac in re prodlturum. Missis vero vetustissimis nummis Britannicis & paucis obiter tantum de etymologia
2–5. gia vocis *Sterling* annotatis, a Wilhelmo Conquestore, qui in
6. plerisque, quæ ad monetam spectant, antecessores suos, Reges, Saxones secutus est, opus orditur, cujus nomen diverso modo;
8. *Wilem*, *Wilem*, *Willemu*, *Willemus*, item *Pillem*, *Pilemu*, *Pille-*
15. *mus*, exprimi notat. Henricum III primum ait obolos (*Half-Pence*) & quadrantes (*Farthings*) cudisse, cum ante ipsum moris fuerit, nummos in duas vel quatuor partes ad publicos usus dissecare. Imprimis vero de exactiori moneta cudenda sol-
16. licitus fuit Eduardus I, qui Massiliis & Florentia accersivit artis peri-

peritos, & *tonsuram novæ monetæ sub periculo vitæ & membrorum & amissione omnium terrarum & tenementorum fieri* prohibuit. Idem Rex primus titulum *Dominus Hyberniæ* in nummos recepit, quem & Eduardus II & in grossis (*Groats*) p. 17.
Eduardus III admisit, postea rursus in argenteis omissum usque ad tempora Henrici VIII. Cum porro Eduardi I & II nummi 18, 20.
sibi sint simillimi, hanc unam affert differentiæ notam, quod illi *Edw.* hi *Edwa*, *Edwar &c.* inscripti sint. Eduardus III pri- 22.
mus omnium nummos ex auro, *Florentinos* & *Rosas nobiles* dictos, cudi curavit. In moneta ab Henrico V post victoriam ad 33.
Agincurtium partam in Gallia cusa observatur titulus *Rex Angliæ & Heres Franciæ*. Henricus VII primus post Henricum 45.
III numerum nomini in nummis adjecit, primusque insignia 46.
Franciæ & Angliæ in illis repræsentavit; Henricus VIII vero, qui ut in reliquis, ita in nummorum quoque forma varius fuit, primus argenteos Coronatos (*Crown-Pieces*) quod alii falso Eduardo VI tribuunt, dedit, ac Regis Hiberniæ nomen adscivit. Observat quoque Noster, in nummis quibusdam Regis hujus, tum 49.
Londini tum Eboraci cusis, literas T. W. cum pileo cardinalitio spectari, quæ res inter capita accusationis Wolsæi postea relata. Eduardus VI varias inscriptiones, præter consuetas, nummis intulit, ut: *Timor Domini est fons vitæ; Inimicos ejus in-* 57, 58.
duam confusione; Scutum fidei protegit eum &c. In Mariæ num- 64.
mis legimus: *Philip. & Maria D. G. Ang. Fr. Neap. Pr. Hisp.* mox post abdicatum Carolum V: *Philip. & Maria D. G. Rex & Regina*, & in magno Sigillo: *Rex & Regina Angl. Hispaniar. Franc. utriusque Siciliæ, Hierusalem & Hib. Fidei Defensor &c.* Draconem in nummis quibusdam Elisabethæ additum 68.
fuisse ferunt in memoriam Francisci Drake, qui primus orbem circumnavigavit. Jacobi I nummi, in quibus nomen M. Bri- 81 sq.
tanniæ primum comparet, varia inscriptione decorantur, ut: *Quæ Deus conjungit, nemo separet; Tueatur unita Deus; Henricus Rosas, Regna Jacobus; Faciam eos in gentem unam &c.* In Caroli I nummis præter illud vulgatum: *Christo auspice regno*, 91 sq.
alia etiam leguntur, ut: *Justitia thronum firmat; Cultores sui Deus protegit; Florent concordia Regna; Salus Reip. suprema lex.*

 Vir-

Virtuti fortuna comes; *Relig. pro leg. Ang. liber. pa. Hic præsum ut prosim*; *Nemo me impune lacessit*, cum carduo &c. Au-
p. 99. reos sub hoc Rege cusos rariores hodie esse, Autor observat, etsi eorum summa ad 1500000 libras adscenderit; quod inde factum putat, quod Angli in illa rerum perversitate rebus suis consulentes eos cum argento damno septem pro Cent. permutarent, & vel extra Angliam mitterent, vel terræ conderent, in
166. qua adhuc latere plurimos minime dubitat. Inter nummos Cromwelli elegans & rarus est Coronatus, ipsius caput laureatum cum epigraphe: *Olivar. D.G. Rp. Ang. Sco. Hib. &c. Pro.* in aversa insignia Regnorum, cum paterno illo, leone gradiente, & infcr. *Pax quæritur bello 1658*, circumscriptis verbis: *Has nisi periturus mihi adimat nemo*, repræsentans. A. 1652 in Nova An-
107. glia quoque monetam cusam fuisse, cui inter alia inscriptum: *Crescite & multiplicamini*; at qui exinde ibidem in lucem
117. prodiere, privata autoritate factos esse; præterea A. 1653 indultum fuisse civitatibus & privatis nonnullis, ut nummulos (*Half-Pence & Farthings*) symbolo ac literis pro suo cujusque genio ornatos procuderent, anno demum 1672 revocatos, Au-
122. tor observat. Ceterum Carolum II primum Guineenses integros & dimidios cudi curasse, aliunde quoque constat. Et
128. paucos latere arbitramur, quantam nummorum e tormentis bellicis obsoletis aliisque sequioris metalli utensilibus conflatorum vim Jacobus II, A. 1689 in Hiberniam delatus, pro argen-
131. teis obtruserit Hibernis, quos bis cusos esse, dimidii Coronati valore in valorem integri A. 1690 evecto, Autor ex utroque anno in eodem nummo conspicuo evincit. Denique nota-
136. mus cum Autore, ad præcipuas Wilhelmi III laudes pertinere, quod difficillimis temporibus, exigui quidem populi onere, monetam (quæ ita tonsuris depravata erat, ut dimidius Coronatus vix Denarii (*Shilling*) valorem retineret) refundi & ad veram substantiam, institutis Londini & in aliis urbibus machinis monetariis, redigi jusserit; notatque Noster, ab A. 1691 ad 1697 delatas ad monetarios fuisse octo myriades (*Millions*) cum quater centum millibus libr. Sterl. monetæ rasæ ac parum probæ.

HISTORIA REGNI BABYLONICI PER Cyrum eversi ex Genes. XI, 1 - 9, detecta vulgi fabula de confusione linguarum in turri Babylonica. Demonstravit *HERMANNUS VON DER HARDT, Acad. Jul. Senior & Præpositus Mariæbergensis.*

Helmstadii, typis P. D. Schnorrii, 1726, 8.
Plag. 9½.

NOvum hic orbi exhibet ingenii sui lusum Autor celeberrimus, & paradoxis suis sacri codicis interpretationibus adjicit inauditam adhuc opinionem, docens hoc libello, *Geneseos* capitis undecimi initio, quo turris Babylonicæ conditorum confusio linguarum traditur, nihil describi aliud, quam regni Babylonici a Cyro eversi historiam. At, inquies, magno intervallo post Mosem vixit vicitque Cyrus. Facilis vero est Cl. Autori responsio. Scilicet non est Moses librorum sub ejus nomine exstantium conditor, sed alius quidam vir bonus. Antea vero, quam id pluribus exponit, libelli hujus initio differit de sententia sua, qua statuit, origines linguæ Hebraicæ e Græcia esse arcessendas: quam sententiam, hodie paradoxam & falsissimam visam, confidit probatum iri tamen eruditæ posteritati, cui propterea hoc opusculum pie dedicatum voluit. Tam veram enim certamque eam esse sententiam, sibi persuadet, ut p. 11.
eruditos jubeat a se poscere, quamcunque velint, Hebraicam vocem e Græco derivandam, seque id sine mora facturum spondeat. Respondet etiam ad scrupulos huic sententiæ nuper injectos a Philologis quibusdam Bataviæ. Ut producamus aliquot sagacitatis hujus specimina, *felicitas* esse ait ex Græco ὄλβος, *felix* ex ὄλβιος, & hanc *manifestam* judicat esse *originem*; *facile* & Hebraicum קַל ex εὔκολον, *lingua* & לָשׁוֹן ex γλῶσσα, *cavillari* ex ἐρεσχελεῖν. Pari modo primam sacri codicis vocem בְּרֵאשִׁית ait esse Græcum ἐπίπροσθεν, *prius, primum*. Sic סָפַר *scripsit* esse ait ex συγγράφω, כָּתַב *scripsit* ex καταγράφω. Imo etiam se satisfacere jam posse credit doctis quibusdam viris, qui nu-

per disputarunt de מַשְׁתִּין בְּקִיר & עָצוּר וְעָזוּב. Prius enim ait
p.23. esse Græcum ἀσθενεῦντα ἐπὶ λέχεω, *ægrum in lecto*; posterius esse Græcum ἄῤῥωστον καὶ σφαλερὸν, *imbecillem & vacillantem.*

Sed mittimus, quæ plura disserit de Græca linguæ Hebraicæ origine, prætermissa quoque Cl. Autoris dissertatione, quam interserit, chronologica. Scilicet *Genes. XI* describi historiam
80. Babylonis a Cyro captæ, *manifestum* esse judicat e mentione *laterum* & *bituminis*, quibus in exstructione murorum urbis usos esse Nebucadnezarem & Balsazarem, testes sunt historici vete-
81. res. Hinc *elucere* ait, autorem hujus narrationis non esse Mosen, sed eum vixisse ac scripsisse tempore captivitatis Babyloni-
86. cæ, & quidem sub illius finem, idque dicit esse *sole clarius*. Imo nominare nobis audet hujus narrationis scriptorem, nempe Josuam, Cyri tempore Pontificem Judæorum maximum. Quo vero fato hæc narratio inserta fuerit Genesi Mosaicæ, si quæris, respondet, Edram, qui tanquam sacer aliquis Tribonianus ex reliquiis scriptorum Ecclesiæ Judaicæ integrum corpus Biblicum congesserit, id non solum hic, sed & alibi locorum fecisse. Scilicet Geneseos *Cap. 5, 6, 7, 8 & 9* exhiberi putat Chilkiæ Pontificis libellum, describentis sub imagine *diluvii* fata regni Judaici sub imperio Josiæ, cum Scythæ per Palæstinam grassarentur; & *Cap. 10* ejusdem Chilkiæ libellum genealogicum & historicum de gentibus per totum ferme orientem.

Jam videamus, quomodo Cl. Hardtius illum locum interpretetur, ut evadat historia captæ a Cyro Babylonis. En, Lector, interpretationem ejus, quam, si placet, cum ipso textu
91. vel aliqua ejus versione comparabis. Versus primus: *Potentissimum & diuturnum erat Assyriacum illud a Nini regis tempore imperium, idem semper os regum illorum, iidem sermones per tam longa secula, imperium diu immotum & inconcussum, iisdem viribus, armis, & imperandi legibus.* V. 2: *Tandem Assyriaci imperii sedes, urbe Nino deleta, transferebatur Babylonem.* V. 3: *Ac Nebucadnezar eam urbem validissime muniebat, idque opus absolvit rex Balsazar.* V. 4: *Hi duo reges ideo urbem munierunt, & turribus celsissimis instruxerunt, & magnificentissime exornarunt, ne a Cyro occuparetur hæc urbs atque imperium*

perium auferretur familia Nebucadnezaris. V. 5: *Constituerat autem Deus imperium Babyloni um dissolvere, & Cyro id tradere.* V. 6: *Videns igitur, duos illos reges Babylonicos in id incumbere, ut urbem munimentis redderent inexpugnabilem*, v. 7: *Confundam, inquit secum, & irritum reddam duorum istorum regum consilium, & exteri regis ditioni Babylonem subjiciam.* V. 8: *Atque ita dissipavit Deus Babylonicum imperium, Babyloniis a Cyro subjugatis.* V. 9: *Propter illam regni Babylonici eversionem a Cyro factam jure ea urbs nominatur Babylon, nomen scilicet & omen habens.* Hæc est Hardtiana interpretatio, quæ utrum inter fructus singularis sapientiæ, posteris admirationi futuros maximæ, an inter somnia doctorum hominum referenda sit, aliis judicandum relinquimus.

ΗΦΑΙΣΤΙΩΝΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΣ ΕΝΧΕΙΡΙ-διον περὶ μέτρων καὶ ποιήματος.

hoc est,

HEPHÆSTIONIS ALEXANDRINI Enchiridion de metris & poemate, cum scholiis antiquis, & animadversionibus JOANNIS CORNELII DE PAUW.

Trajecti ad Rhenum, apud M. L. Charlois, 1726, 4.

Alph. 1 pl. 2.

HUnc librum summa raritate notabilem quin cupide excepturi sint Græcarum literarum cultores, non dubitamus. Differit de eo Celeb. Fabricius *Bibl. Græcæ lib. V. c. 7 §. 10*, ejusque cum MSSta, tum typis excusa exemplaria commemorat, prætereaque §. *12* Indicem exhibet scriptorum in hoc Enchiridio laudatorum. Idem, scholiorum partem aliquam e Longini inedito περὶ μέτρων libro petitam esse, duce Hudsono observat *Bibl. Gr. l. IV c. 31 §. 12 n. 27 p. 445 & 448.* Noster Editor, cui non videre licuit Aldinam editionem, recudi curavit Turnebianam. Non autem duxit operæ pretium, adjicere versionem Latinam, doctis quippe non necessariam, indoctis futuram inutilem. Constat hoc *Enchiridion* viginti Capitibus, 1 de syllaba brevi, 2 de syllaba longa, 3 de syllaba communi, 4 de synecphonesi, 5 de pedibus, 6 de metris, 7 de genere Jambico, 8 de genere Trochaico, 9 de Dactylico, 10 de Æolico, 11 de Anapæstico,

12 de

12 de Choriambico, 13 de Antispastico, 14 & 15 de Jonico majore & minore, 16 de Pæonico, 17 de mixtura versuum antipathetica, 18 de versibus ἀσυναρτήτοις, 19 de genere Elegiaco, 20 de versibus πολυσχηματίστοις. Accedunt libelluli ejusdem Hephæstionis duo *de poemate*, & unus de *signis poetarum criticis*, *paragrapho* scilicet, *coronide*, & *asterisco*. Post *Scholia* sequuntur doctissimæ Editoris animadversiones *p. 99—188*, quibus is non solum obscura loca dilucidat, verum etiam in erratis librariorum corrigendis strenue exercet ingenium, seque adeo versatissimum esse in Græcorum arte poetica, satis testatum facit. Nec raro docet, Bentlejum & Barnesium, magna illa Critici orbis decora, infelices fuisse in Græcorum emendatione Poetarum.

JUSTI LIPSII ORATIONES OCTO, JENÆ POTISSIMUM habitæ. Recensuit & annotationibus instruxit JO. HENR. KROMAYERUS, Mag. ordinique Philos. Jen. Acad. adscriptus.

Jenæ, apud H. C. Crœkerum, 1726, 8.

Pl. 11.

NOn immerito Orationes hasce recudendas curavit Cl. Editor, scriptas quippe non Lipsiano stylo, sed Ciceroniano, adeoque, quæ legantur ab eloquentiæ studiosis, dignissimas. Primum quidem editæ fuerunt A. 1607, sed tam raro occurrerunt, ut ne ii quidem, qui vitam & catalogum librorum Lipsii dedita opera exhibuerunt, *Miræus*, *Adamus*, *Zeumerus*, earum mentionem faciant. Cum vero minus emendate quondam sint emissæ, secutus Cl Editor exemplar a Cl. Heumanno pluribus locis correctum, etiam annotationes subjecit doctissimas, styli potissimum puritati ac nitori inservientes. Oratio *prima* est de obitu Joannis Guilielmi, Ducis Saxoniæ; *altera* A. 1572 præmissa publicæ interpretationi Taciti, *tertia* de ratione interpretandi Ciceronis, *quarta* de concordia, *quinta* pro defendendo Cicerone in criminibus ei objectis, *sexta*, utrum a solo Cicerone petenda sit eloquentia; *septima*, an revera sint Sallustii & Ciceronis duæ illæ orationes adversariæ; (quam Orationem ne a Cl. Fabricio quidem in Bibl. Lat. commemorari, docet in Præf. Cl. Editor:) *octava*, utrum Jurisprudentia, an Medicina plus boni hominibus attulerit.

Subnexæ sunt quinque Lipsii Epistolæ, e quibus non solum discimus, qua occasione Academiæ Jenensis Professor factus sit Lipsius; quam multos inter Collegas suos habuerit invidos; quam honeste, non, quod vulgo traditur, clam omnibus Jena excesserit; sed etiam aliquot Statii poetæ locorum emendationes cognoscimus. Nec ingratum fuerit, in ultima pagina indicem conspicere librorum adhuc a Cl. Editore publicatorum.

):(o):(

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCC XXVII.

REMARKS ON SEVERAL PARTS OF EUROPE, relating chiefly to the History, Antiquities and Geography of those Countries, through which the Author has traveld.

h. e.

JOANNIS BREVAL, EQU. ET NUPER SOCII Collegii Trinit. Cantabr. Observationes de variis Europæ partibus, Historiam maxime, Antiquitates & Geographiam regionum, per quas iter fecit, spectantes.

Volumina II.

Londini, apud Bernardum Lintot, 1726, fol.
Alph. 6 pl. 15 Tabb. æn. maj. 45.

QUo diutius exspectari nequicquam hoc opus a curiosis passus est Autor in primis doctus, eo magis edito nunc fœtu elegantissimo se probavit eruditis omnibus, tarditatem gravitate abunde compensans. Etsi vero re vera inter hodoepuricos referendus sit hic liber, cui iter, quod Autor cum illustri Viro Georgio Vice-Comite Malpasiæ, cui illum consecravit, in Belgium, Galliam, Lotharingiam, Alsatiam, Germaniam, Sabaudiam, Tyrolium, Helvetiam, Italiam & Hispaniam instituit, materiam fertilissimam præbuit, noluit tamen Diarii ordinem sequi, verum singulas provincias & præcipuas earum urbes sigillatim considerat, antiquam pariter & recentiorem historiam & quæ passim memoratu digna, accurato judicio lustrat, inscriptio-

nes magno eruditionis apparatu explicat, ſtylo omnia luculento & jucundo connectit & notis ex optimis ſcriptoribus, vetuſtis imprimis, apte petitis illuſtrat: quibus cum & chartæ, typorum & figurarum præſtantia accedat, nihil ultra ad libri decus deſiderandum videtur. Jam ut aliqua hinc deguſtemus, nihil fere de Belgio Fœderato, de quo primo loco agit, vel ideo dicendum putamus, quod Autor hic ſecutus videtur librum alium, a ſe ſcriptum editumque (*Hiſtorical Account of Holland*) ad quem ſæpe provocat, ſubinde Templium corrigens; illud
Vol. I. p. 14. tantum cum Autore obſervamus, in ea regione naturæ multum utique ab arte acceſſiſſe, adeo ut totum Belgium hortus dici queat; eoque hoc vitii contraxiſſe optimos quosque Pictores Belgas, Paulum Brill, Brughel, alios, ut naturam non æque libere ſequantur in picturis ſuis, ac Dominichine, Salvator Roſa, Pouiſſini aliique, rudi & inconditæ Romanæ regioni, aut vallibus Apenninis ac Alpinis adſueti. Inde in Lotharingiam delatus
151. Noſter Metis in templi Cathedralis choro picturam Henrici II R. G. cum ſubſcriptione: HENRICUS SECUNDUS FRANCORUM REX GERMANICI ET SACRI IMPERII PROTECTOR, & in Abbatiæ S. Arnulphi Bibliotheca celebrem illum Codicem Annalium Metenſium, mille
155. fere, ut fertur, annorum, obſervavit, ac Romani aquæductus, milliari uno a Metis diſtantis, multo accuratiorem, quam Montfauconius, iconem dedit. Affert quoque aræ veteris ſub anno-
162. ſa quercu A. 1721 prope villam *Nouroi* in Lotharingia erutæ inſcriptionem, in qua ſingulare Herculis epitheton *Saxani* miratur. Eſt vero hæc:

I. O. M. ET HER-
CVLI SAXA
SACRVM
P. TALPIDIVS
CLEMENS
LEG. VIII AVG.
CVM MIL. LEG. EIVS
V. S. L. L. M.

ka

Ita Alsatiæ quoque & Burgundiæ antiquitates diligenter excutit Autor, Lugdunensium imprimis, ubi Taurobolium, anno demum 1704 erutum, erudite explicat. Hinc per Delphinatum & 238 - 241.
Allobroges delatus Genevam, Sponium refutat, qui ex veteri inscriptione, quæ nunc in curia hujus urbis visitur, Genevensibus persuaserat, jus ipsis in Lacum Genevensem ab ipsis Romanis concessum fuisse, probans quippe, vocem *Lacus*, a qua præcipuum in lapide argumentum petitur, sæpe apud Latinos non nisi cisternam capaciorem, in quam aqua ex aquæductibus effunditur, denotare; ut taceamus, quæ de voce VIANIS, in eadem Inscriptione, quæ crucem fixerat tot Antiquariis, literis VI in numerum VI mutatis, repositaque adeo voce SEXTANIS, deque disco argenteo 34½. unciarum in flumine Arve prope Genevam A. 1721 reperto, de quo Montfauconius quoque in Supplem. Antiqu. egit, ingeniose disserit. Multas quoque Genevæ æque ac in Belgio ante reformationem statuas exstitisse, a tumultuante & innocuas Romanorum reliquias ab Idolis Pontificiorum distinguere nescia plebe destructas, e tot pedum, quibus statuæ suffulciebantur, reliquiis ibi adhuc exstantibus colligit, docetque, Caroli M. statuam ab ipso ante cathedrale templum positam in tumultu A. 1535 hanc sortem expertam, ita tamen ut parceretur aquilæ subjectæ, forte quod partem faceret insignium urbis. Neviduni (*Nion*) quæ illi *Colonia Equestris*, Jovem marmoreum pro S. Augustino habitum, & titulum in veteri lapide *Præfecti arcendis latronibus*, alibi vix obvium, annotavit. Inter Aventici inscriptiones eminet hæc:

Vol. II. p. 13.

16.

18.

32, 33.

34.

39.

IVLIA APINVLA HIC IACEO
INFELICIS PATRIS INFELIX PRO
LES
DEAE AVENT. SACERDOS
EXORARE PATRIS NECEM NON
POTVI
MALE MORI IN FATIS ILLI ERAT
VIXI ANNOS XXIII.

Observat vero Noster, hanc *Juliam Apinulam* fuisse filiam *Julii Apini, in quem, ut concitorem belli Cæcinam animadvertisse*, testatur

ſtatur Taci us Hiſt. Lib. I. Duces Zeringenſes, qui Burgundiam
p.65. transjuranam inde ab Henrici Nigri Imp. tempore rexerunt, hoc inter alia titulo uſos memorat: *Dux & Rector Burgundiæ Dei & Imperatorum Gratia.* Ceterum Autor inde per Sueviam, Bava-
97-129. riamque & Tirolium in Italiam pergens, Veronæ imprimis immoratur, miraturque doctiſſimi Comitis Scipionis Maffei indu-
102. ſtriam, qui tot Inſcriptiones vetuſtas in murorum Muſæi ambitu curioſis oculis libere expoſuit, (qua de re diximus in Actis A. 1723 p. 231 ſq.) unde Noſter quoque non paucas Græcas pariter & Romanas hic repræſentavit, e quibus ultimam ceu breviorem deſcribimus:

129. GENIO
IVCVNDITATIS
MVSIS
FLORÆQ.
S.

132. Brixiam, hodieque ingeniorum mechanicorum præ ceteris omnibus Italiæ urbibus feracem, jam olim quoque manuariis artibus deditam fuiſſe, inde Autor probat, quod plurimi illic exſtent lapides, in quibus *Collegia Centonariorum, Fabrorum &c.*
133. memorantur. Inter MSpta in Ambroſiana Mediolani obvia, quæ ſecus ac Addiſonius longe præſtare picturis, quamvis præſtan-
134. tiſſimis, in eadem aſſervatis, cenſet, commendat *Joſephum* in phylira, Codici, qui Venetiis in Bibl. S. Marci aſſervatur, comparem, annorum, ut putatur, 1200; *Homeri* Iliada in membrana, 600 annorum, quo in Codice textus, nulla verſuum diſtinctione ſervata, exaratus deprehenditur; *Virgilium*, cum notis MS. Petrarchæ; *Sophoclem* in bombyce, literis aureis; ut & celebris
135. Pictoris *Leonardi Vinci* Lucubrationum Volumina XII MSS. quæ omnia poſſeſſor Galeas Anconatus, repudiatis, quæ pro unico Volumine obtulerat Rex Angliæ Jacobus I, aureis ter mille Hi-
138. ſpanicis, Bibliothecæ liberaliter intulit. Quanti hunc Vincium fecerit Franciſcus I, ex eo patet, quod moribundum inviſerit & ſub oculis ſuis viderit exſpirantem. Detectum & Mediolani ante
142. paucos annos ſepulcrum Bernardi Regis Italiæ, cujus hæc Inſcriptio: *Bernardus civilitate mirabilis, ceteriſque piis virtutibus*

bus inclytus, Rex hic requiescit: regnavit Ann. IV Mens. V: obiit XV Kal. Maji Indict. X Filius piæ memoriæ Pipini. Lustrato inde Ticino & exposita integra fere Longobardorum & Mediolanensium historia, ad alias urbes, Parmam imprimis, divertit, ubi nummophylacii instructissimi mentionem faciens, sedecim operis Pedrusio-Pioveniani, de quo superiori anno diximus, Volumina preditura nuntiat, simulque notat, Pescennii Nigri nummum, quo maxime glorientur Parmenses, utique esse suppostitium. Dum de Bononia agit, Carolum V, ibidem coronatum, observat tantum non in summum vitæ discrimen incidisse: vix enim per basternas ligneas, quæ ab ejus palatio ad templum S. Petronii, ubi coronandus erat, ducebant, incedens, templum attigerat, cum illæ multitudine hominum gravatæ multorum exitio corruerent; qua re dolosum animum prodidisse Pontificem, verisimile Nostro videtur. De Lauretana æde notat, eam eodem fere loco positam, quo Tusci olim Junoni templum magnificum exstruxerant, & adducto Silii Italici versu Lib. VIII:

p. 206.

218.

228.

— — *Littoreæ fumant altaria Capræ,*

Lauretum esse veterum Picenorum *Capram Montanam*, docet. Tolentinates civi suo Francisco Philelpho, inter instauratores literarum haud ignobili, statuam in ipsa Curia posuisse, testatur, nec omittit statuæ, C. Cornelio Tacito A. 1514 ab Interamnatibus positæ, inscriptionem. Dum obelisci eximii, ab Augusto ex Ægypto adducti, meminit, qui nunc quoque aliquot Romæ ædibus fundamenta ministrat; meminit obiter similis fere obelisci, qui adhuc Londini in platea Arundelliana terra sepultus latet, & olim inter Comitis Arundellii monumenta fuit, quæ A. 1641 tempore rebellionis famosissimæ incredibile damnum passa sunt. Notatque præterea, æra, quæ in area Panthei, immenso Agrippæ sumtu exstructi, olim abundabant, non modo altari majori in æde D. Petri, quod alii quoque annotarunt, verum & tormentis bellicis in castro S. Angeli materiam præbuisse. Præcipue vero dolet, tot splendida antiquitatis monumenta, quibus flammæ sub Nerone, Vespasiano & Commodo, quin & Gothi ipsi & Vandali pepercerant, per Nepotismum fuisse pessundata, ut Colisæum seu Colosseum illud, cujus lapides Paulus

229.

233.

248.

250.

251.

267.

III Nepoti suo ad exstruendum grandius Palatium Farnesium indulsit, simul observans, id imprimis ipsius Michaelis Angeli, magni ejus ævi artificis, sed veterum gloriæ invidentis, suasu factum esse. Nec tacendum, sepulcrum Nasonum, veteris ævi
p. 269. picturis illustre, jussu Clementis XI, quod latronibus esset præsidio, nec minus Pyramidem Cestii, eandem ob causam, destru-
284. cta esse. De Bibliotheca Vaticana refert, eam jam multis seculis a Pontificibus colligi cœptam & in Lateranensi Pontificum Palatio custoditam, a Clemente V Avenionem, quo se ipsum receperat, translatam & post 120 demum annos, schismate deleto, a Martino V Romam iterum in Vaticanum palatium reductam, ut aliunde ita ex Ducis Urbinatis Bibliotheca insignia incrementa
298. cepisse. Narrat etiam, ante triennium demum in ea parte collis Palatinæ, quæ ad Ducem Parmensem spectat, partem thermarum Augusti detectam fuisse ac postea ære corinthiaco, porphyrio aliisque pretiosis lapidibus nudatam ac destructam fuisse. Sed plura non tangimus, cum & Autor de his egerit haud dubie in descriptione Italiæ, quam subinde citat in opere, & acturus sit in descriptione, quam parat, Romæ. Accessit appendicis loco de Lusitania & parte Andalusiæ tractatio e tribus itinerum, quæ illic fecit, diariis deprompta, quæ maximam partem Antiquitates & Inscriptiones illic obvias complectitur, hoc magis digna lectu, quo sollicitius Hispani æque ac Lusitani exteros
331. ab his reliquiis arcere consueverunt. Nec minor hic ubique fulget
334. Cl. Autoris eruditio, legique imprimis merentur, quæ de Hercule Gaditano habet, ubi simul fatetur, multas Gadibus statuas veteres ab Anglis, qui Duce Essexio A. 1596 urbem hanc exspoliarunt, destructas esse, quod thesauros opimos se sub illis inventuros sperarent.
335. Unicam addimus inscriptionem ibidem celebratam:

D. M. S.

SI LVBET LEGITO

HELIODORVS INSANVS CARTHAGINIENSIS AD EXTREMVM ORBIS SARCOFAGO TESTAMENTO ME HOC IVSSI CONDIER VT VIDEREM SI ME QVISQVAM INSANIOR AD ME VISENDVM VSQVE AD HAEC LOCA PENETRARET.

ITINE-

ITINERARIUM CURIOSUM: OR AN ACCOUNT of the Antiquities and remarkable Curiositys in Nature and Art, observd in Travels thro' Great Brittan.

h. e.

RELATIO DE ANTIQUITATIBUS ET VAriis Curiosis ad Naturam & Artem spectantibus, in Itinere Britannico collectis a WILHELMO STUKELEY, M. D. CML. & SRS. Centuria I.

Londini, impensis Autoris, 1724, fol. Alph. 2 pl. 9 Tabb. æn. maj. 100.

B*Revalio* non incommode jungimus *Stukelejum*, patriarum imprimis antiquitatum ita gnarum, ut in elogiis poeticis, operi huic præmissis, alter Baxterus audiat. Equidem illos non per omnia sibi similes dixeris: ille enim variæ doctrinæ apparatum prodens, ad idoneos ubique scriptores provocat, hic de iis, quæ ipsi visa & delineata sunt, propria plerumque cogitata promit, non admodum sollicitus, quid aliis visum fuerit; ille figurarum numero, hic typorum, immo & sermonis Anglicani elegantia cedit. Et primam quidem hanc figurarum Centuriam (quam plures aliæ, si eruditorum ope non plane destituatur Autor, sequentur) *VII Itineribus*, quibus Romanorum imprimis in Anglia reliquias scrutatus est, Noster illustravit. In *primo*, quod vocat *domesticum*, patriam suam, Hollandiam, in Lincolniensi provincia sitam, perlustrat, simulque initio prodit, se apud Societatem Antiquitatum Britannicarum, quæ sub Præsidi- P. 3.
bus, Comitibus Hartfordiæ & Winchilseæ, ac Vice-Præsidibus, Petro le Neve & Rogerio Gale, Londini floret, ab aliquo tempore Secretarii munere functum; cui adeo hoc opus consecratum cupiat. Dum generatim observat, plagam Angliæ Austra- 4.
lem declivem ac fontibus affluentem, Septentrionalem vero altiorem ac rupibus consitam, id certissimum indicium esse putat motus globi terraquei, eaque de re philosophicam tractationem pollicetur. Quod vero speciatim Hollandiam attinet, eam to- 14.
tam ante diluvium fuisse sylvestrem, ex eo probat, quod ubique

fere,

fere, tribus vel quatuor ſub terra pedibus, infinita arborum, quearcuum imprimis, inſignis roboris ac firmitatis, copia deprehendatur. In *Itinere II*, quod vocat *Oxonienſe*, dum Eſſonii,
p. 35. qui locus ad Comitem Pomfreti ſpectat, meminit, longum catalogum exhibet ſtatuarum aliarumque reliquiarum antiquitatis, quæ in horto hujus Comitis adhuc libero aeri expoſitæ ſpectantur, olim ad Arundellianam Collectionem ſpectantes. Miratur hic imprimis Ciceronem integrum cum ſudorio in dextra
75. & ſchedula in ſiniſtra, Archimedem cum Sphæra, Scipionem Africanum & Aſiaticum, Fabium Max. cunctatorem, Germanicum & uxorem Agrippinam, Hermapollinem, Jovem, Palladem Coloſſiformem. Quibus accedunt in ipſis Comitis ædibus passim diſpoſiti, Hercules, Cajus Marius, M. Antonius, Pindarus, Olympias, ſeu potius, ut Noſtro viſum, Lucretia, Paris inſignis antiquitatis, caput Apollinis ad Coloſſi formam, cujus truncum ajunt adhuc Londini ſub ædibus Arundellianis ſepultum. Quod ad ipſum Oxonium, ejus quidem Collegia nimis fugitivo oculo luſtrare
44. videtur Autor, in deſcribendo quidem Marlboroughii palatio, quod Woodſtockii eſt, paulo prolixior. Succedit *III Iter*
49. *Cimbricum*, ubi Granthemum primo memorans, Celeb. Iſ. Newtonum in publica illic ſchola ſub Wilh. Walkero prima literarum rudimenta poſuiſſe, teſtatur. Buxtonæ thermas imprimis
53. commendat, a Medico quodam hac inſcriptione ornatas:

Corpore debilior Grani ſe proluit undis;
Quærit aquas Aponi, quem febris atra necat;
Ut penitus renem purget cur Pſaulia tanti?
Vel quæ Lucinæ gaudia, Calderia?
Sola mihi Buxtona placet, Buxtona Britannis
Undæ Grani, Aponus, Pſaulia, Calderia.

54. Franciſcum Leyceſtrium memorat in prædio ſuo *Nether Tabley*, quod in via Romana Mancunium inter & Devam interjacet, Bibliothecam inſtructiſſimam librorum, qui ad hiſtoriam Angliæ
55. ſpectant, cuſtodire. Pariter & Mancunii Bibliothecam commendat, cui augendæ deſtinata ſunt 116 annua librarum. Quer-
57. cum illam celebratam, in qua Carolus II Rex exul cum familiari ſuo Carloſio felici ſucceſſu ſe abſconderat, hodie cinctam

ctam refert muro, ejusque portæ adscriptam in marmore inscriptionem: *Felicissimam arborem, quam in asylum potentissimi Regis Caroli II Deus O. M. per quem Reges regnant, hic crescere voluit, tam in perpetuam rei tantæ memoriam, quam specimen firmæ in Reges fidei, muro cinctum posteris commendant Basilius & Jana Fitzherbert. Quercus amica Jovi.* In *Itinere Sabrinio*, seu *IV*, Vigorniæ, quæ veteribus *Branovium* dicta, observat, sepulchro Arthuri, filii Henrici VII, capellam superstructam p. 65.
fuisse, quæ nunc Bibliothecæ satis instructæ, Manuscriptis imprimis, custodiendæ inservit; ibidemque narrat se vidisse hominem cetera admodum stupidum & insulsum, qui Biblia ita habuerit in numerato, ut quodcunque ex iis dictum proferenti illico librum, caput & versum, quo illud exstet, indicaret. *Iter V* merito vocat *Romanum*, quippe in eo Antonini iter quintum, per 76.
500 milliaria Anglica excurrens, secutus, non vias modo veteres Romanas, militarem imprimis, hodie *Hermenstreet* (quæ vox a Germanico *Heer*, exercitus, derivatur) a *Cato Deciano* Procuratore factam, deprehendit, sed & in oppidis fere omnibus Romanorum vestigia detexit. Thorpiæ, quæ sedes est Francisci St. John, prope Petriburgum, partem reperit marmorum Arundellianorum, Liviam conjugem Augusti, forma Colossi, Dianam, 79.
Amphiona, Herculem Hydram necantem, miræ artis opus, busta Bassiani, Caracallæ &c. Colsterworthum, Lincolniensis 80.
provinciæ oppidum, obiter notat de nativitate summi Viri If. Newtoni merito gloriari. Singularis vero est Nostri observatio, quam de operibus affert in circulum fere, elevata terra, in 91. sq.
aperto campo ductis & in multis illius provinciæ locis hodienum conspicuis, quæ vulgo *Julian's Bowes*, hoc est, ut ipse interpretatur, *Iuli Castra*, seu *munimenta* quæcunque, quæ ejecta terra tolluntur, quibusdam etiam *Trojam* vocari, constet. Nimirum hæc loca ludicris certaminibus pedestribus & equestribus tum veterum Britonum, tum Romanorum temporibus fuisse destinata, certissime sibi persuadet, miraturque, utramque gentem eorum originem ex eodem fonte hausisse. Neque enim dubitat, Britones, quorum plerique e Thracia & Phrygia oriundi, ea secum attulisse in Britanniam, & Iulum, filium Æneæ, quem

utique cum Juliano confundi existimat, ac Troiam pubem, eandem primum Italiæ intulisse, e Virgilio Æn. V docet, quocum & confert Claudianum de VI consul. Honorii v. 622. Sequioribus temporibus his certaminibus successisse torneamenta, quæ sub Elisabetha demum, singulari religionis zelo, cessaverint. Ceterum dum passim hic erutos nummos veteres commemorat, meminit etiam Britannici antiqui, ex electro facti & A.
p. 114. 1720 effossi, cujus concava equum Britannicum satis rudem exhibet, convexa vacua apparet. Pharum quoque in castro Dubriensi, quæ olim Romanis navigantibus facem præbuit, accurate depingit Tab. 46 & 47, totamque ejus structuram, ad Obelisci
122. Ægyptiaci modum compositam, expendit. *Iter VI, Dumnoniense* dictum, Autor non immerito (ut reliqua aliis) Illustriss. Comiti Pembrociæ inscripsit, quem, ad exemplum magni Arundellii,
128. Italiam in sedem suam Wiltonium transtulisse testatur, quem locum Carvilium olim a Carvilio, Cæsari memorato, cujus tumulum, *Kingbarrow* hodie dictum, haud procul inde distare observat, appellatum fuisse autumat, de ipso quidem Wiltonio
132. dicturus potissimum in Itinere sequenti. Cum vero infinitam fere copiam monumentorum Celticorum in Vitugiana seu Wiltunensi provincia invenerit, de iis singulari opere, eidem Illustriss.
139. Comiti consecrando, se acturum pollicetur. Aquis Solis (*Bath*) observat, in vere, ubi fons præcipuus renovatur, propullulare simul cum aquis nuces minores (*Hazelnut*) singulari indicio providentiæ divinæ, qua factum, ut in magno diluvio ubique spargerentur aut relinquerentur semina regni vegetabilis. In
140. inscriptione Julii Vitalis, a Musgravio edita & a nobis A. 1713 p. 397 recensita, discedit ab Autore, notans, inter voces *Stipendiorum* & *Annor.* non legendum esse *IX* sed *VIX*, h. e. *vixit.*
155–168. Dum ad amphitheatrum vetus pertingit, quod trecentis a Dur-
Tab. I Fig. 1. novaria (*Dorchester*) pedibus distat, operose satis & ad artis Architectonicæ regulas omnes ejus partes, *arenam, euripum, podium, itinera* seu *vias, ascensus, pulpita* seu *tribunalia, cathedras, gradus, præcinctiones, aditus* seu *vomitoria, cuneos* & *porticus* describit, quæ apud ipsum Autorem legisse (neque enim in compendium mitti commode possunt) neminem pœnitebit.

In

TAB. I ad A. 1727 M. Mart. p.




Fig. 8.

Fig. 9.

Fig. 1.

Fig. 6.

In *Itinere VII*, eodemque *Antonini Aug. VII*, inter alia litteras inseruit Ambsburio d. 10 Maji 1724 ad Edmundum Halejum a se datas, quibus singularem prodens Astronomiæ cognitionem, de magna illius anni Solis Eclipsi diligenter observata communicat. Wiltonium inde reversus, longum Catalogum texit Pembrocianarum antiquitatum, in quibus Busta 131 & Statuæ 35 numerantur. Et inter busta quidem, ut solos Eruditos memoremus, eminent Homerus, qui CPli advectus insignis est antiquitatis, Hesiodus, Sappho, Pythagoras, Anacharsis artis mirabilis, Socrates sub Satyri forma, Plato adspectu venerabilis, Aristoteles, Aristophanes, Apollonius Tyanæus, Marcus Modius, Medicus, Græcorum opus exquisitum, Epicurus, Posidonius, Sophocles, Aspasia, Cato Major, Cicero, Seneca, Persius, T. Livius. Dum Portus Ostii (*Portsmouth*) meminit, navium Angliæ bellicarum majorum a classe prima ad sextam numerum A. 1724 ad 179 ascendisse observat, quibus regendis ac tuendis, destinata fuere 55720 hominum; minores vero, igniariæ &c. numeratæ sunt 53, adeo ut summa omnium navium fuerit tum 232; quam verisimile est ab eo tempore auctam potius quam imminutam fuisse. Inserta hic etiam legitur Dissertatio admodum erudita Rogerii Gale, (qui Nostri subinde in his itineribus comes fuit) qua Romana inscriptio, A. 1724 demum effossa, explicatur & restituitur, adjunctis a nostro quoque Autore observationibus curiosis de Claudia Rufina, quam imprimis e Martial. L. IV Epigr. 13 & L. XI Epigr. 54 illustrat. Ceterum Autor miram ubique antiquitatum Britannicarum notitiam prodit, subinde & Genealogias familiarum illustrium, ut p. 9 Bruniorum seu Bourniorum, p. 21 Moultoniorum, & p. 23 sq. Craoniorum admiscet, & imprimis diligenter observat, quibus in locis effossa fuerint vetera Romanorum numismata, quorum aliqua etiam producit & illustrat. Nimis tamen subinde brevis nonnullis videbitur; quod ii desiderabunt imprimis, qui, quæ de ipsa urbe Regni principe, Londino, protulit, exspectationi suæ non usquequaque respondere deprehenderint. Postremo notamus, librum hunc, etsi titulus præferat A. 1724, nuper admodum prodiisse, quod vel ex eo patet, quod ultimum minimum

p. 172-174. 177-180. 187. 188-192. 193.

nimum Iter plurimis figuris exornatum eodem demum anno fuit ab Autore institutum, unde vix credibile, & descriptionem imprimi, & tot tabulas æneas parari eodem tempore potuisse.

ITINERARIUM SEPTENTRIONALE: OR A Journey thro' most of the Counties of Scotland and those in the North of England.

hoc est,

ALEXANDRI GORDONI, A. M. ITINERA per plerosque Scotiæ & Angliæ Occidentalis Provincias suscepta.

Londini, sumptu Autoris, prostat apud G. Strahan, W. & J. Innys & rel. 1726, fol.

Alph. 2 pl. 8 Tabb. æn. maj. 68.

MAgna cum laude *Stukelejum*, Amicum suum, æmulatur Cl. *Gordonus*, qui idem in Scotia, quod ille in Anglia præstitit, hoc magis tamen commendandus, quo pauciores habuit inter cives suos, quos in Antiquitatum reconditarum studio secure sequeretur. Et cum ille Geographice procedat, quædam etiam more peregrinantium nimis perfunctorie lustrans, Noster id sibi fere propositum habuit, ut rerum a Romanis ac postea a Danis in Scotia gestarum seriem secutus, accurato ordine cuncta ex monumentis fide dignis passim detectis justo eruditionis apparatu illustraret. Itaque duabus fere sectionibus opus partitus, C. 1 de migratione Romanorum in partes meridionales Britanniæ usque ad Julii Agricolæ invasionem Caledoniæ seu Scotiæ, C. 2 de ejusdem in ea gestis usque ad Isthmum ejus opera perfectum, & C. 4 usque ad ejus discessum commentatur, quibus C. 3 singularem Dissertationem de Sacello Romano, Scotis corrupte *Arthur's Oon* dicto, interserit, quod inter alia Agricolæ vindicat ex inscriptis literis I. A. M. P. M. P. T. hoc est, ut Noster interpretatur; *Julius Agricola Magnæ Pietatis Monumentum Posuit Templum*; hac occasione simul

mul literas in Pharo Hollandiæ Anglicanæ, ſuperius memorato,
conſpicuas C. C. P. F. ita explicans : *Cajus Caligula Pharum
Fecit*. Hinc C. 5 progreſſus, res Romanas usque ad vallum Sco-
ticum ſub Antonino Pio exſtructum deducit, hocque uberius C.
6 illuſtrato, C. 7 ad vallum ſub Septimio Severo & C. 8 ſub
Hadriano & Severo procedit: ſigillatim vero de his vallis C. 9,
& C. 10 de Antiquitatum Roman. reliquiis prope vallum Ha-
driani & Severi conſpicuis edifferit. C. 11 de pace inter Seve-
rum & Caledonios facta, horumque limitibus, & C. 12 de rebus
Romanorum a morte Severi usque ad illorum exceſſum ſub
Honorio, ſeu potius Theodoſio Juniore, agit, tum C. 13 Roma-
norum ſtationes in Scotia, arma, inſcriptiones, nummos in Mu-
ſæis paſſim, imprimis in Bibliotheca Advocatorum Edimburgi, ob-
vios, conſiderat, tandemque C. 14 e præcedentibus evincit, Sco-
tos nunquam prorſus a Romanis victos ac bello ſubactos fuiſſe.
Altera Parte Noſter de Irruptionibus Danorum in Scotiam &
monumentis a Scotis in memoriam victoriarum contra Scotos
partarum erectis, aliisque nonnullis, continuo ſermone diſqui-
rit. Lubet vero quædam carptim delibare notatu digniora. Bri- p. 43.
gantes & Silures nequicquam in Scotia poni probat, eoque adver-
ſus Robertum Sibbaldum contendit, Romanos ante Agricolam in
Angliam minime perveniſſe. Lectionem Flori, ubi de Hadriano, 48.
Scythicas pati pruinas, prorſus rejicit, cum in Scythiam nun-
quam pervenerit Hadrianus, & legi jubet *Scoticas*, apte provo-
cans ad illud Claudiani C. 16:

Ille Calidoniis poſuit qui caſtra pruinis.

Inter lapides vetuſtos, quos Autor vaſto numero, omiſſis tamen, quos 56.
Camdenus jam dederat, producit, exſtat quidam mediocris magni-
tudinis, qui Priapum ſeu penem repræſentat, cum ſubſcriptione: 81.
EX VOTO. In alio *Martem* obſervat *Deum ſanctum* dici, idemque
epitheton tribui *Belutucadro*, quem Martem Scotorum putant. Val- 86–93.
lum ſeu murum Severi non in Scotia, ſed in Anglia quærendum, ad-
verſus plurimos non infimæ caveæ autores prolixe tuetur. Digna 97.
contemplatione eſt ſtatua juſta hominis forma ſatis eleganter in la- TAB. I.
pide 5½ pedum repræſentata, quæ hominem ſiſtit fere nudum, Fig. 2.
faſcia tantum, e læva ad dextrum latus decurrente, inguina ve-

latum, corona murali caput cinctum, læva cornu copiæ tenentem, dextraque pateram super ara tendentem, & caligulis more Romanorum indutum, quam, Netherbyæ haud procul a vallo Northumbriæ inventam, Hadriani esse, tum ex loci vicinitate, tum maxime e nummo Hadriani judicat, in cujus aversa eadem fere figura cernitur, hoc uno diversa, quod in hoc caput galea
100. tectum est. Nec omittimus balneum Romanum in lapide mi-
TAB.I. Fig.3. nori effictum, quod fœminam nudam in prima porticu, tum columnas ordinis dorici & porticus remotiores in prima & secunda contabulatione monstrat. Severum pacem cum Caledo-
101. niis iniisse, præter Xiphilinum & Spartianum, testis Nostro est nummus prope Edimburgum effossus, cujus in conversa caput Severi, addito nomine: SEVERVS PIVS AUG. in aversa figura stolata apparet, lauream tenens, cum epigraphe: FVNDATOR PACIS. Exhibet quoque antiquitatum Rom.
Fig. 4, 5, 6, 7. reliquias alias, e quibus sistimus fibulas duas in Fig. 4 & 5, stilum
117. Rom. in Fig. 6, una cum Theca graphiaria, in qua avis, seu, Nostro judice, aquila conspicitur, in Fig. 7, repertum in tumulo
118. Romano, quæ omnia ex ære mixto sunt composita; tum & in Fig. 8 ex eodem ære aquilam duplicem, unius libræ, inferius concavam, ita ut stilo aptari possit, sed alis temporis injuria orbatam, quæ cum Collegio Antiquitatum Londinensi sint oblata, plerique judicarunt, symbolum hoc duplicis Imperii Or. & Occid. ultimis fere Imperii temporibus, sub Honorio circiter, ceu insigne Magistratus, *Comiti Pratori* fuisse prælatum; quamvis alii censuerint, Germanas copias auxiliares sub Eduardo II
119–134. aquilam hanc secum in Angliam attulisse. Quibus subjicit Noster catalogum satis luculentum nummorum consularium, qui maximam partem in Scotia effossi, in bibliotheca Advoc. Edimburgensi adhuc asservantur. In altera Parte admodum ingeniosus est Autor in obeliscis nonnullis, qui adhuc in Scotia exstant, explicandis, quos ad Danorum tempora refert, eosque, qui arma virosque repræsentant, in memoriam cladium Danicarum erectos, ceteros, qui symbolis carent, sepulcrales, & paucos illos, in quibus runæ comparent, a Danis haud dubie factos esse, cen-
169. set. Denique Noster appendicis loco subjecit Duumvirorum erudito-

ditorum epistolas de modo sepeliendi apud Britannos veteres, maxime Scotos; quas prolixe recensere nostrum non est. Id tantum notamus, cum eadem tumulorum omnium, sive ex terra aggesta, sive ex lapidibus conglomeratis compositorum, forma sit, & ritus cremandi corpora defunctorum a Græcis ad Britones non minus Calidoniosque & Danos, quam Romanos migraverit, cum religione demum pagana sublatus, Romanos tumulos eo tantum a ceteris posse distingui, si in illis nummi Romani aut arma, ferrea tamen, non ærea, quæ milites, (ut amici nummos) muneris loco injicere tumulis consueverint, condita simul deprehendantur. Nec invidemus eruditis capita 186.
viri ac fœminæ, lapidi, in Castri Edimburgensis muro conspicuo, affabre admodum incisa, in quibus docti Septimium Tab. I Fig. 9.
Severum ejusque uxorem Liviam agnoscere sibi visi sunt. Ceterum ut in figuris ad vivum dilineandis ipse Autor operam posuit singularem, ita spem nunc facit integri conspectus utriusque Valli Britanniæ, tum Hadriani & Severi in Cumbria & Northumbria, tum Antonini Pii in Scotia, largissimis tabulis æneis ita repræsentandi, ut simul stationes Romanorum veteres, inscriptiones item vel in ipsis vallis vel in vicinia repertæ accurate exhibeantur, verbo, nihil omittatur, quod ad illa quocunque modo pertineat. Atque ita defuncti sumus trium Itinerum, diversa quidem ratione compositorum, sed antiquitates egregie illustrantium, recensione, quæ cum omnia subscriptionis lege sint edita, dubium non est, pauca admodum eorum exempla in Germaniam perventura. 188.

PRÆLECTIONES ECCLESIASTICÆ TRIginta novem, olim habitæ in sacello Collegii Emmanuelis apud Cantabrigienses a JOANNE RICHARDSON, S. T. B.

Volumina II.

Londini, typis Guil. Bowyer, 1726, 8 maj.
Alph. 2.

Est

EST hoc opus posthumum Autoris, cujus *Vindiciæ Canonis N. T. contra Tolandum* magno fuerunt plausu exceptæ, quique statim primis Operis hujus verbis nos docet, sibi demandatum fuisse munus prælegendi Historiam Ecclesiasticam, seque id potissimum egisse, ut auditoribus suis explicaret præcipuas illius historiæ controversias. Quo successu id fecerit, age, illico videamus. Ex triginta novem *Prælectionibus*, quæ hoc opere continentur, prioribus viginti complentibus priorem Tomum, ceteris in posteriore exhibitis, *prima* agit *de genealogia Christi*. Hic duæ cum occurrant quæstiones, prior, quomodo genealogica descriptio Matthæi in concordiam redigi debeat cum altera Lucæ; posterior, quomodo ex utravis genealogia ostendi possit, JEsum ex semine Davidis ortum esse, cum ea non in Maria terminetur, sed in Josepho; prioris resolvendæ non aliam rationem putat rectam, quam Julii Africani illam, ab Eusebio *Hist. eccl. lib. 1 cap. 7* expositam. Hanc igitur postquam a Grotii objectionibus defendisset, ad alteram quæstionem delatus, prius eos refellit, qui putant, Judæis non licuisse uxorem ducere diversæ tribus, adeoque demonstrato Josephi ortu ex Davide simul demonstratam esse Davidicam originem Mariæ. Deinde statuit, manifestum esse, Spiritum S. ratione patris tantum, non matris, Christum ad stirpem Davidicam relatum voluisse. Cum enim JEsum pepererit sponsa Josephi, viri stirpis Davidicæ, merito eum dici Davide satum, si vel maxime Maria non fuisset ejusdem stirpis. *Si*, inquit, *ex disertis Scripturæ verbis, ille filius alicujus erat censendus, qui ex illius uxore primus post mortem nascebatur, etsi alium revera patrem habuerit; quanto magis is illam meretur appellationem, quem patri vivo, nullum præterea patrem in terris agnoscentem, ipsius conjux fuerat enixa? Prælectio secunda* est *de natali die Christi*. Primum hic eorum argumenta infirmat, qui eum asserunt mensi Septembri; hinc, vetustam traditionem de Decembri valere oportere, contendit. *III* disquirit, *an Christus ultimum suum Pascha eodem tempore cum Judæis celebrarit*. Excussis aliorum sententiis, cum Scaligero & Petavio statuit, Christum non eodem cum Judæis die, sed ipsum legitimo, Judæos irregulari die pascha immolasse.

Si

Si quæris, qui factum sit, ut Judæi Paschatis celebrandi tempus differrent in diem proximum, respondet cum Petavio, Judæos eo anno non fuisse concordes in designando novilunio (cujus dissensionis & causam aperit atque originem) adeoque alios uno die prius, alios uno die posterius Pascha celebrasse. *IV. Constitutiones Apostolicas esse suppositítias*, tribus probat argumentis, (1) quod eæ contineant multa absurda & impia, (2) quod Ecclesia eas non receperit in Scripturæ Canonem, (3) quod primitiva Ecclesia eas pro scripto Apostolico nunquam agnoverit. Refellit hinc eos, qui vel Clementem Romanum vel ipsos Apostolos statuunt earum autores. *V* negat, *Philonis Therapeutas Christianos fuisse*, idque acriter propugnantem Parkerum accurate refellit, manifestumque ex Philone esse censet, eos fuisse religione Judæos, & quandam Essenorum speciem. *VI* excutit notissimum illud & eruditorum calamis tritissimum *Josephi de Christo testimonium*. Prius hic sua profert argumenta, quibus efficere conatur, esse id spurium & suppositítium; deinde Huetii secus sentientis rationes erudite diluit. Utitur autem Noster pro sua sententia duobus argumentis, primo docens, Josephum non solum miracula Christi & Prophetarum de eo prædictiones ratas habere, quæ duo sint veri Messiæ κριτήρια; verum etiam diserte scribere, *eum fuisse Messiam*. Ubi cum nonnulli laborent, ut ostendant, ista verba: *Hic erat ὁ Χριστός*, a Judæo dici potuisse, admodum inepte id fieri, contendit. Deinde urget Origenis silentium, quem, *lib. 1 contra Celsum* ex Josepho illustrantem historiam Christianam, non putat omissurum fuisse hoc testimonium, si ea ætate in Josepho extitisset. *VII, VIII, IX & X de oraculis Sibyllinis* disputat, primo exponens, quæ tradiderunt veteres de Sibyllis & earum carminibus; deinde examinans octo, quos habemus, versuum Sibyllinorum libros; denique, quid de Sibyllarum de Messia vaticiniis sit sentiendum, edisserens. Putat autem, hos libros circa A. C. 144 a Christiano quopiam confectos esse, ostendens etiam hac occasione, quartam Virgilii eclogam injuste exponi de Christo, imo etiam confutans Sibyllistarum, quos vocat, argumenta. *XI & XII* quinque traditiones inveteratas sub 165 sq.

P examen

examen vocat, disquirens (1), an aliqua Sibyllarum Virginem deiparam Imp. Augusto in aere ostenderit, (2) an idem Imperator, oraculum Delphicum consulens, responsum tulerit *de puero Hebræo*, eaque de causa aram exstruxerit *primogenito Dei*, (3) quantum fidei sit tribuendum narrationi Suidæ de Christo in sacerdotum ordinem cooptato, (4) an Simon Magus a Romanis ara cultus sit, ac tandem Petri precibus ab alto dejectus misere perierit, (5) an historia de legione fulminatrice vera sit. Harum tres priores in fabularum censum rejicit, posteriores duas defendit esse veras, excepto tamen illo, quod perhibetur de Petro. *XIII de Britannorum prima conversione* disputans, disjectis fabularum tenebris, docet, paucis post Christi resurrectionem annis in Britannia jacta fuisse Ecclesiæ fundamenta, sed, a quo id factum sit, ignorari. *XIV Secundam Britanniæ conversionem*, quæ Lucio regnante facta fertur, inter fabellas refert, simulque epistolam Eleutherii ad Lucium, quam exhibet, fictitiam esse, pronuntiat. *XV* differens *de Nicæni Concilii indictione, præsidibus, & confirmatione*, ostendit, id nec a Papa convocatum fuisse, nec gubernatum, nec confirmatum, ac simul convellit sophismata Romanensium, contrariam sententiam strenue tuentium. *XVI* docet, viginti duntaxat canonas a Nicænis patribus fuisse conditos atque editos, rationesque Pontificiorum, quibus majorem eorum numerum fuisse contendunt, evertit. *XVII & XVIII* ostendit contra Baronium, (1) Constantinum M. jam ante Sylvestri Pontificatum fuisse Christianum, (2) eum non fuisse leprosum, (3) non Romæ a Sylvestro, sed Nicomediæ ab alio sub vitæ finem baptizatum esse. *XIX & XX* Diploma ejusdem Imperatoris, quo Romam & occiduas provincias donasse dicitur Pontifici, fraudis reum peragit, simulque argumenta, quibus ad edictum illud defendendum utuntur Pontificii, diluit. *XXI, XXII & XXIII* disputat de indictione, præsidibus, & confirmatione Conciliorum, Constantinopolitani primi, Ephesini primi, Chalcedonensis, Constantinopolitani secundi ac tertii, simul refutans, quicquid objicitur suæ sententiæ a Papicolis. Demonstrat scilicet, Papam Romanum per sex integra a nato Christo secula in Synodis προεδρίαν qui-

quidem una cum ceteris primarum ſedium Epiſcopis & ſuffragii prærogativam, ſed nullum nec in eos, nec in reliquam Eccleſiam, extra propriæ ditionis limites, imperium vel autoritatem, multo minus jus monarchicum habuiſſe. *XXIV* agit *de Anglorum & Saxonum converſione.* Scilicet Anglos & Saxones, qui ſeculo quinto in Britanniam advecti, ſecum attulerunt religionem ethnicam, vulgo tradunt ad Chriſtianam religionem perductos fuiſſe a Papa Gregorio per Auguſtinum monachum ejusque comites. Concedit hoc quidem Noſter, ſed obſervari ſimul jubet, jam ante id tempus Chriſtianæ religionis ſemina diſperſa fuiſſe in Anglia: Regem quippe illius temporis Ethelbertum jamdudum habuiſſe uxorem Chriſtianam, ejusque animum ſatis præparatum fuiſſe ad amplexandam eandem religionem: prætereaque multos jam Anglos ei religioni fuiſſe addictos: ut adeo Gregorio Papæ tantum laus debeatur conſummati operis. *XXV Pictorum Scotorumque originem* inveſtigat, negansque, Pictos ortu Scythas fuiſſe, contendit, eos fuiſſe veterum Britannorum progeniem, eamque in rem plurima producit argumenta. Ad Scotos quod attinet, eos docet a Scythis, Hiſpaniam primum, deinde Hiberniam, & inde Scotiam invadentibus, ducere originem. *XXVI de Caledoniorum, Pictorum, & Scotorum converſione* agens, rejectis fabulis docet, Caledonios veteres ineunte ſeculo quarto lucem Chriſtianæ religionis accepiſſe; recentiores vero Scotos ac Pictos quinto & ſexto ſeculo religionem amplexatos eſſe Chriſtianam. Refutat etiam veterem ſatis fabulam, qua traditur, S. Andreæ reliquias in Scotiam delatas, indeque oppidum Andreopolin nominatum fuiſſe. *XXVII converſionem Hibernorum* tractat. Cum ſcilicet alii S. Jacobo, alii Joſepho Arimathienſi, alii aliis eam adſcribant, Noſter ſtatuit, probabile eſſe, aliquem quidem ex Apoſtolis vel viris Apoſtolicis Hibernis prædicaſſe Evangelium, recte tamen & jure Patricium appellari *Hibernorum Apoſtolum*, quippe cum totam inſulam peragrarit & Chriſtianam fecerit, defunctus A. 491. Ceterum duas de eodem Patricio fabulas atro carbone notat, quarum prior tradit, eum geſtaſſe baculum, quo olim ipſe Chriſtus uſus ſit, ejusque ope multa patraſſe & grandia

miracula; altera, in hac insula esse purgatorium, eum edoctum esse divinitus. *XXVIII de Hispanorum conversione* verum traditurus, Marianæ argumenta, quibus S. Jacobum constituit Hispaniæ Apostolum, dilucide refellit singula, simulque docet, errare Hispanos, cum se Compostellæ habere credunt corpus illius Apostoli. *XXIX* & *XXX* prostratis plurimis de conversione Gallorum fabulis, illa maxime de Dionysio Areopagita, concludit, Gallos complures Christianos esse factos adulto seculo secundo: a quo vero vel a quibus doctoribus veram religionem acceperint, prorsus ignorari: deinde autem seculo tertio Dionysium quendam una cum aliis sancti operis sociis doctrinam Christianam latius diffudisse per Galliam. Francorum conversionem, quos Chlodovæo rege in Christi castra transisse, nemo nescit, tribus tantum verbis exponit. *XXXI* & *XXXII* præfatus de Romanorum Pontificum ambitione & imposturis, epistolas Decretales intentius considerat, easque statuit sub finem octavi vel initium noni seculi fuisse compositas publicatasque, & Romanos Pontifices aut primarios architectos, aut saltim maximos fautores habuisse propugnatoresque. Harum epistolarum *νοθείαν* postquam argumentis probavit clarissimis, perbrevem subjicit *historiam Juris Canonici*. *XXXIII* & *XXXIV de origine temporalis Pontificum dominii* agens, præcipua industria describit superbiam Gregorii VII, adjungens Cardinalium ordinis originem. *XXXV* & iis, quæ sequuntur, Prælectionibus omnibus, differit *de ortu & progressu veterum monachorum*; de eorum moribus & institutis; de origine Benedictinorum, & eorum vestimentis, tonsura, vitæ genere, precibus; de origine Camaldulensium, Cluniacensium, Grandimontensium, Vallis umbrosæ monachorum, Carthusianorum, Cistertiensium, Humiliatorum, Cœlestinorum, Montolivetensium, Hieronymitanorum, Augustinianorum, Præmonstratensium, Gilbertinorum & Brigidensium. Verum hoc indicasse sufficiat, ne nimium longa videatur hæc recensio. Illud addere liceat, nobis majorem in modum probari nervosam Autoris brevitatem & *ἀκρίβειαν*, ut doleamus, librum subscriptionis lege editum, in paucorum manus perventurum.

DE LA

DE LA MANIERE D'ENSEIGNER ET D'ETUdier les belles lettres par raport à l'esprit & au cœur.

i. e.

METHODUS DOCENDI ET DISCENDI literas elegantiores, habita ratione intellectus & voluntatis; Autore CAROLO ROLLINO, Rectore quondam & Professore Eloquentiæ emerito in Collegio Regio, ut & Academiæ Regiæ Inscriptionum & elegantiorum literarum Socio.

Tomi II.

Lutetiæ, apud Jac. Stephanum, 1726, 12 maj.

Alphab. 2.

Autor libri, sane limati & bonæ frugis plenissimi, epistola dedicatoria, latine scripta ad *Amplissimum Rectorem & almam Universitatem Parisiensem*, instituti sui rationes luculenter exponit; ab ipsa Academia electum se commemorans, qui fundatam recens gratuitam juventutis in urbe Regia institutionem LUDOVICO XV publica oratione gratularetur, jussumque latius pleniusque tractare, quæ tum non nisi strictim attingere licuerit. Ergo (verba hæc sunt ipsius Autoris in compendium contracta) præcipuam hanc sibi mentem fuisse ait, scripto consignare usurpatam jam diu in alma illa studiorum parente docendi rationem, & sincerum politioris literaturæ gustum contra varias temporis vices & injurias illibatum tueri. Imprimis enim id agendum esse doctori juventutis, ut gustus ille servetur incorruptus; ut eloquentia casta virgo, Græcis Latinisque irrigata fontibus, & antiquo educata cultu, quo ætas LUDOVICI M. præstantium ingeniorum ferax, repræsentarit fausta Augusti tempora, non unquam fuco & meretricio quocunque ornatu contaminetur; nec juvenes, recentis lasciviæ deliciis capti, pro solido ingenii fructu nitentes flosculos adament. Sequitur Dissertatio exhibens prolegomena, ubi *pars prima* generatim agit

de commodis bonæ educationis, deque triplici institutionis objecto, *scientia, moribus, religione*. Ad *primum* quod attinet, ostenditur, studia elegantiorum artium & scientiarum animos expolire & obeundis in republica muneribus idoneos reddere, efficereque, ut gentes literis excultæ, quales fuerint Athenienses, & Romani, populos illiteratos multitudine virorum, pacis & belli artibus excellentium, longe vincant. Easdem enim intellectum elevare, extendere, acuere, accuratam de rebus quibusque judicandi facultatem conciliare, ad res gerendas homines instruere, & eximia alia commoda afferre. *Secundo* docetur, quod mores in institutione scholastica necessario sint formandi, & quomodo bonis exemplis ac præceptis antiquorum hanc in rem utendum, & communi corruptioni ac præjudiciis inveteratis obviam sit eundum. *Tertio* demonstrat Autor, religionis studium summe necessarium esse, cum sine eo scholæ Christianorum a scholis paganorum nil differant; tum multa eximia e Quintiliano suo præcepta adducit, quomodo puer a teneris ad omnem morum honestatem sit conformandus: deinde asserit, Academiæ Parisiensis præcipuum finem esse, ut animi juvenum pietate imbuantur; idque ex ejusdem & Supremæ Curiæ sancita lege de sententiis quibusdam sacræ Scripturæ quotidie in schola addiscendis patere: denique in autoribus paganis quidquid religionem Christianam respicit, imprimis notandum, immo omnia ad hanc referenda esse, monet. *Parte* prolegomenon *secunda*, eaque breviori, conspectum totius operis exhibet. *Bonum gustum*, de quo pluribus eleganter exponit, dicit judicium delicatum, velox, penetrans & exactum de omni pulchritudine, veritate, & accuratione idearum & enuntiationum in sermone: regulas hujus judicii tradi posse, contra Quintilianum asserit: idque alias etiam artes, uti architecturam, graphicen, plasticen, nec non mores publicos pervadere, & una cum his vel in barbariem, vel ineptam luxuriem degenerare; quam in rem multa in notis adducit e *Seneca Epist. CXIV & CXV*. *Bonum* illum *gustum*, quem & *naturale judicium studiis excultum* vocat, principiis immutabilibus niti, in omnibus artibus ea, quæ sunt maxime essentialia, seu quæ maxime ad rei naturam & genuinam indolem pertinent,

nent, respicere; & ex scriptis veterum hauriendum esse ait. Denique de consilio operis, quod *tractatum de studiis classicis* se inscripturum fuisse, sed amicorum admonitu titulum mutasse ait, ea fere, quæ in dedicatione jam dixerat, denuo exponit: usitatam nempe in scholis Gallicis docendi rationem se describere, atque adeo Magistris nondum usu exercitatis viam præire. Annexa sunt, privilegium Regium, & approbatio *Couturii* (Regiorum Lectorum Inspectoris & Eloquentiæ Professoris) qua collegæ ejusque libro hoc elogium tribuit: esse opus æque utile studiis privatis & publicis, apparere in eo magnitudinem ingenii & eruditionis, zelumque viri, qui ultra XL annos in formandis bonis civibus, bonis magistratibus, & bonis oratoribus cum ecclesiasticis, tum politicis, utiliter elaborarit. Jam pauca ex ipso opere delibanda.

Tomi I Liber I, de cognitione linguarum, habet *capita III. Primo*, post brevem prælocutionem de necessitate & usu studii linguarum, Autor agit de studio linguæ Gallicæ; quam a teneris excolendam commendat, sequendumque hac in re exemplum Romanorum, & præceptum *Quintiliani lib. I cap. I.* Tum regulas fundamentales ipso exercitio probe inculcandas, & creberrimis quæstionibus attentionem excitandam, ait: orthographiam vero ad usum accommodandam, quem penes arbitrium sit & norma loquendi, & cui cedere sæpe cogatur ratio: distinctioni autem vocum ita inserviendum esse, ut aliter scribantur, quæ aliter pronuntiantur, e. g. *répondans*, *correspondans:* siquidem literæ inventæ sint ad notandos diversos sonos ore prolatos. In lectione librorum primo loco ponit regulam *Quintiliani lib. II cap. VI, optimos & statim & semper esse legendos;* commendat Grammaticam *Abbatis Regnieri*, Observationes *Vaugelasii*, *Bouboursii*, *Cornelii*, *Menagii*, aliorum; & ob Gallicæ dictionis elegantiam, rerumque varietatem, & historiam patriæ literariam, *Pelissonii Historiam Academiæ Gallicæ*, *Bozii Historiam Academiæ Inscriptionum & elegantiorum literarum*, *Fontenellii Historiam Instaurationis Academiæ Scientiarum;* in Poesi, *Racinii* & *Boilavii* scripta. In interpretatione & versione inculcat regulam Ciceronis & Horatii, ne quis verbum verbo curet reddere, sed sententiam accurate

curate

curate exprimere ſtudeat fidus interpres. Tum *Turrelii* & *Daceriæ* hanc in rem præcepta adducit, eaque, inſerta verſione Gallica epiſtolarum aliquot Plinii, illuſtrat, & diverſam utriusque linguæ indolem monſtrans, Gallicæ uniformem fere compoſitionis modum aliosque, ſi cum Latina conferatur, defectus candide fatetur. In exercendo ſtilo patrio præter fabularum, narrationum, epiſtolarum tirocinia, commendat ſelecta Autorum Latinorum Græcorumque loca, imprimis Taciti *vitam Agricolæ*, formando prudenti magiſtratui mire aptam, eamque provectioribus ſe proponere conſueviſſe ſcribit, ut elegantias omnes liberiori paraphraſi Gallice exprimere, ſuo Marte quædam addere, & optimis exemplis ſimile quid effingere conarentur. Methodum etiam ſuam in explicandis cum fructu autoribus exponit. *Capite II* ſtudii linguæ Græcæ utilitatem & neceſſitatem oſtendit: Franciſcum I condita bibliotheca & ſchola Regia, autore Budæo, in Gallia illud ſtabiliviſſe tradit: in docendo rationem eſſe habendam pronunciationis vocalium & diphthongorum, uſitatæ & diſtinctæ, evitato Jotacismo: item cavendum, ne ad accentus, cum ſint recentius inventum, & notas tantum præbeant elevandæ aut ſubmittendæ vocis, quantitas ſyllabarum efferatur, perdaturque ita ſuaviſſima linguæ harmonia: in legendis etiam codicibus manuſcriptis exercendos, ubi fieri poſſit, tirones; adhibendam Grammaticam brevem, perſpicuam, Gallice ſcriptam: abſtinendum a præpoſtera exercitiorum compoſitione, qua multi deterreantur; nec non ab adjunctarum verſionum uſu damnoſo, quo ignavia alatur. Tum quomodo in claſſe infima ſtudium Græcitatis ſit inchoandum, & per reliquas claſſes continuandum; quæ ſit ratio Atticiſmi h. e. nativa pulchritudine florentis, puri & concinni dicendi generis, quæ & reliquarum dialectorum indoles, eximie docet. *Cap. III* de ſtudio linguæ Latinæ recte tractando utiliſſima itidem præcepta affert: non ab exercitiorum ſtili anxia & difficili elaboratione, ſed ab explicatione & verſione Autorum, captui teneræ ætatis accommodatorum initium faciendum; hiſtorias Biblicas eleganti ſtilo expreſſas, & loca Autorum ſelecta, qualia & exempli cauſa adducit, tironibus proponenda: non phraſes jejunas & inanes, ſed utiles ſententias & char-

chartæ & memoriæ esse inscribendas, & quæ sunt alia. Tum quinam singulis classibus conveniant Autores, quænam exercitia, quomodo in explicatione imprimis respicienda Syntaxis, verborum proprietas, ipsa elegans & delicata Latinitas, quomodo loci obscuri & difficiles tractandi, præclare docet. Denique de antiqua Latinam linguam pronunciandi & scribendi ratione, deque sermone Latino a tironibus in Schola haud præpostere exigendo agit.

Tomi I Liber II, de Poesi, habet capita duo. *Primo* exponit Autor de Poesi in genere, cujus originem ex ipsa natura hominum, & vehementi animorum commotione derivat, & quomodo ab antiqua puritate, humanis vitiis atque affectibus ad Deos translatis, degeneraverit, liquido ostendit. Porro Poetas profanos in Scholis Christianis, caute tamen, legi posse & debere; nomina autem inania Deorum gentilium carmen Poetæ Christiani, & imprimis carmen sacrum non ornare, sed inquinare, gravibus argumentis probatum it. *Capite II*, de Poesi speciatim, quam diversus sit gentium, quod ad hanc attinet, gustus: qui latina Poesis, ex accurata syllabarum quantitate & compositionis varietate sat suavis, rhythmum respuat, Gallica autem, illis suavitatibus destituta, ut habeat, quo mulceantur aures, eundem requirat: quænam sit utilitas, & quis modus optimus exercendæ in Scholis Poeseos: quomodo Poetas legere, & metrum, stilum, periphrases, repetitiones, narrationes, orationes considerare oporteat, exemplis Virgilianis monstrat: selecta denique Poetarum loca evolvenda, & librum, cui titulus: *Epigrammatum delectus*, in scholis legendum suadet. Accedit tractatio peculiaris de lectione Homeri, quam *Capite I* mirifice commendat, regulas sani de eo judicii contra acerbas criticorum quorundam censuras tradit, & loca exquisita excerpit. *Capite II*, quæ ex Homero disci possint, ad ritus & consuetudines, ad mores & vitæ civilis officia, & ad Deos denique, & religionem pertinentia, docet.

Tomus II exhibet operis *Librum III*, habentem *Capita III*, de Rhetorica. Hujus studium in præfatiuncula absolvi ait his tribus: primo ut discantur præcepta brevia & solida, ex ipsa animi & sermonis humani natura, & observato præstantissimorum

morum Oratorum uſu nata: tum ut legantur exempla plurima & optima: tertio, ut eadem imitatione ſolerti exprimantur. Lectionem illam neceſſariam teſtatur tempore Quintiliani omiſſam, præceptisque nimis prolixis & ſpinoſis, quibus & ipſe Fabius interdum ſit moleſtus, & declamationibus præpoſteris eloquentiam fuiſſe corruptam. Inde *Cap. I* monet, magiſtrum non tam exigere debere a tironibus verba præceptorum eloquentiæ, quam ſenſum & uſum monſtrare, indicatis etiam, & lectioni privatæ commendatis Ciceronis, & Quintiliani, nonnunquam & Longini locis ſelectis. *Cap. II* docet, quomodo cum viva voce, tum ſuppeditandis elaborationibus magiſtri, & proponendis exemplis optimorum autorum, qualia & e Cicerone, & Oratoribus Gallicis, *Flecherio, Maſcarono, Fontenellio* adducit, per gradus ad eloquentiam manu ſint ducendi tirones. *Cap. III*, in quinque Sectiones diviſo, & maximam libri partem conſtituente, *Sect. I*, de lectione & explicatione autorum, præcepta *Quintiliani Lib. 2 Cap. 5* & *Lib. IV Cap. 1* adducit; & explicat, quomodo artes & elegantiæ, tum & luxuries & vitia Oratoris diſcentibus ſint monſtranda, & in legendis optimis obſervandum illud *Senecæ: non multa, ſed multum.* Deinde de triplici dicendi genere agit. *Simplex* illud, perſpicuum, purum, naturali pulchritudine elegans, aptum ad docendum, haud facile eſſe oſtendit, cum artis ſit, celare artem. *Sublime* autem, vehemens, & vel gravi ſermonis copia, vel ponderoſa brevitate percellens, admirationi, & affectibus movendis, animisque, quo vult orator, abripiendis aptum, nobiles, graves, magnificas ideas & dictiones requirere, teſtimoniis Longini, & exemplis *Ciceronis*, ac *Demoſthenis*, tum & ſuorum, *Peliſſonii*, *Boſſueti*, *Flecherii* oſtendit. *Temperatum* denique, & modice ornatum dicendi genus, delectandis auditoribus, & per ipſam delectationem facilius perſuadendis aptum, eo quidem tendere, ut ratio convincatur, & animus moveatur; ſed tranſire quaſi per imaginationem, hujusque adeo ſermone, figuris & imaginibus abundante, uti; ſiquidem hæc rebus in ſenſum incurrentibus moveatur, percellaturque. In ipſo tamen illo ad oſtentationem & panegyrin compoſito orationis genere, delitiis aurium & ornamentis, prudenter & cum

cum varietate temperatis, vitandum esse fastidium: eaque imprimis ornamenta adhibenda, quæ ad argumentum clarius explicandum maxime faciant; siquidem hæc, teste non solum Cicerone, sed & experientia, plurimum & dignitatis & venustatis habeant. Addit alias quasdam observationes de triplici genere eloquentiæ, easdemque uno alteroque exemplo e sermonibus *Racinii*, in Academia Regia habitis, illustrat. *Sectione II* de eo, quod imprimis in legendis aut explicandis autoribus observandum, differit; præceptaque adeo e Cicerone & Quintiliano gravissima, exemplis domesticis æque ac Ciceronianis & Livianis declarata, de argumentis & probationibus, de cogitationum & imaginum vivida & eleganti repræsentatione, proponit; simul de antithetis, comparatis, alienatis, & aliis ad argutam dictionem facientibus, delibata e Plinii *Panegyrico*, nec non e Poetis exemplorum congerie, & allatis nonnullis *Bouhoursii* observationibus, agit; ac splendida quidem, sed inania sermonis lumina, adductis & examinatis Senecæ quibusdam locis, vitanda monet. Denique de vocum delectu, & compositione, de figuris, de cautelis oratoris, de affectibus, quæ maximi sunt momenti, prudentissime præcipit, & exemplorum copia illustrat. *Sect. III* de eloquentia civili & forensi agit, e Demosthene & Æschine quædam excerpta, & veterum de his judicia, tum & comparationem Ciceronis & Demosthenis exhibet; causas corruptæ apud Athenienses & Romanos eloquentiæ ex nimio orationem exornandi & infucandi studio derivat; qua ratione juvenes ad causas in foro agendas præparandi sint, exemplo jam laudatorum eloquentiæ Græcæ ac Romanæ principum docet: de moribus causarum patroni haud perfunctorie exponit, & in eo probitatem, lucri indecentis contemtum, in causis suscipiendis delectum, in agendis sapientiam & moderationem, prudentemque æmulationem, remota humili & jejuna invidia, requirit. *Sect. IV*, de eloquentia ecclesiastica, quænam sint oratoris sacri munera, exponit: *primum* nempe, ut doceat, adeoque clare & perspicue verba faciat; quæ perspicuitas catechetæ imprimis necessaria: *secundum*, ut delectet, atque ea propter ornate & eleganter dicat, evitatis duobus ex-

tremis, ut ornamenta nimis ne quærat, & nimis ne contemnat: *tertium*, ut gravi ſermonis efficacia moveat auditores. Præceptis exempla luculenta ex *Auguſtino, Cypriano, Chryſoſtomo* addit. Tum etiam de ſcientia oratori neceſſaria, de ſacris literis, & patribus eccleſiæ ſtudioſe & rite legendis, agit, atque imprimis Chryſoſtomum & Auguſtinum commendat, illiusque homilias, & hujus ſermones in vetus & novum Teſtamentum ad formandum bonum concionatorem fere ſufficere, ſtatuit. *Sect. V* de eloquentia Scripturæ S. agit, ejusque ſimplicitas quam myſteriis plena, quam grandis & ſublimis, & ſpecioſa ſit, pulchritudine tamen non in verbis, ſed rebus ipſis ſita; quam mirificis deſcriptionibus, quam gravibus figuris, quam ſublimibus, quam & dulcibus atque ad animum tenerrimis affectibus permovendum aptis illa locis abundet, quam belle characteres animorum exprimat, eleganter oſtendit. Denique, coronidis loco, ſecundum regulas rhetoricas explicatum ſubjungit hymnum Moſis *Exodi XV*, cujus explicationis Autor eſt *Herſanius*, Profeſſor quondam Eloquentiæ in Collegio Pleſſiaco inclitus, quo magiſtro Rollinus noſter inſigni cum fructu per triennium ſeſe uſum eſſe, ſupra *Lib. III C.1*, Rhetoricam ejus manuſcriptam laudans, commemoravit. Facile vero apparet, idem fere hoc ſuo libro egiſſe Autorem, quod & *Quintiliani recenſiti, & brevibus notis illuſtrati, reciſis iis, quæ ſubtiliora & minus neceſſaria viſa ſunt*, editione (quæ prodiit Lutetiæ 1715, 12, duobus Voluminibus) egit; nempe ut, vitatis novorum Rhetorum diverticulis, in antiquam & regiam eloquentiæ & ſolidioris eruditionis viam manu ducerentur juvenes. Ceterum ſpem aliquam nobis fecit de opere hoc duobus itidem Tomis continuando, quos harum rerum intelligentes cupide requiſituros, minime dubitamus.

JO. JACOBI DE RAMPACH, EMINENT. ac Celſ. Princip. & Archi-Ep. Salisburgenſis Conſiliarii Aulici, Palæſtra S. R. G. Imperii Architribunalium tripartita.

Pars I.

Pars I.

Viennæ Austriæ, typis Jo. Bapt. Schilgen, Univers. Vienn. typogr, 1726, fol.

Alphab. 8 plag. 6.

PAlæstra hæc supremorum in Imperio nostro Tribunalium nihil aliud est, quam Commentarius perpetuus in Processum Cameræ Imperialis Blumianum. Annotavit Noster non solum ex ipso Ordinationis Cameralis textu, verum & ex fontibus publici privatique juris, quo utimur in Germania, ex observantia quoque & praxi novissima utriusque Tribunalis. Subjecit res judicatas, cautelas practicas & observationes, ad docendum processus Cameralis usum & applicationem comparatas. Diligens est in historice evolvendis mutationibus, quæ circa partes processus obtigere. Id præterea potissimum dat operam, ut instituta subinde suis locis Processus Cameralis cum Processu Judicii Aulici collatione, utriusque convenientiam, vel discrepantiam ostendat. Quoniam vero Pars hæc prima operis, tribus Tomis prodituri, ultra tit. 27 Processus Blumiani, qui est *de Austregis*, non pertingit; largior differentiarum in supremis Imperii judiciis obvenientium adhuc imminet messis. Jamque non primæ tantum partis appendicem, qualem, ut & indicem rerum verborumque singulis Tomis adjicere destinavit, sed universum opus prelo paratum esse, affirmat Noster. Deest saltem typographus, qui sumptu suo exequatur cœpta, isque ut se propediem offerat Nostro lautissimis conditionibus, serio optamus.

A NEW PRACTIC OF PHYSIC.

i. e.

PRAXIS MEDICA NOVA, AUTORE PETRO SHAW, M. D.

Londini, apud J. Osborn & T. Longmann, 1726, 8.

Alph. 2 plag. 14.

MEthodi, quibus suo tempore excellentissimi Medici, ut Riverius, Sydenham &c. in curandis morbis usi fuerunt, tirones-

ronesque instruxerunt, in desuetudinem nunc penitus venerunt, postquam nostro seculo novæ indies Medicinæ factæ accessiones, veterum dogmata correcta, & inventa nova atque experimenta egregia collecta fuerunt. Quæ nova Medicinæ facies cum Lectoribus nondum sit repræsentata, prout veteres sui ævi Praxin exhibuerunt, operæ pretium duxit Clariss. *Shaw*, id quod adhuc desideratur ad artem perficiendam, præsenti Tractatu supplere. Frustra autem quis hic hypotheticas rationes aut phænomenorum explicationes expectaverit, cum non nisi materia scientiæ simplici planoque stylo exhibeatur. Duobus igitur Voluminibus singulos oculis exponit Autor Clariss. morbos, quorum suppeditata definitione vel descriptione, ut idea inde aliqualis affectus subnascatur, vulgares allegat causas, cum immediatam investigare, ultra captum generis humani, nec Practico scitu necessarium sit. Hanc historia morbi excipit, seu relatio symtomatum, cum quibus illi oriuntur, progrediuntur & terminantur; ex quibus accidentibus etiam derivatur prognosis, quæ, quid ægro sperandum, metuendumve sit, determinat. Therapia denique complectitur sub se partim diætam commodam, partim prudentem remediorum applicationem. Sub illa regimen legitimum sex rerum non-naturalium præscribitur, ut symptomata mitigentur, crisis promoveatur, & corpus ad desideratum medicamentorum effectum obtinendum præparetur. Hæc vero vel in genere, quid contra morbum agendum, vel in specie, quale remedii genus singulis symptomatibus & circumstantiis sit opponendum, docet. Atque hæc omnia juxta ductum recentium Practicorum ita explicat Noster, ut de summa operis hujus utilitate dubium superesse nullum valeat.

DE MEDICORUM APUD VETERES ROmanos degentium conditione Dissertatio; qua contra Viros Celeberr. Jac. Sponium & Rich. Meadium, M. D. D. Servilem eam fuisse, ostenditur, Autore CONGERS *MIDDLETON, S.T.P. Academiæ Cantabrigiensis Protobibliothecario.*

Canta-

Cantabrigiæ, apud Edmundum Jeffery, 1726, 4.
Plag. 4.

EA est artis Apollineæ hac nostra ætate conditio, ut nec ipsa majus unquam perfectionis decus obtinuerit, neque suos unquam cultores majori splendore condecoraverit. Qui cum aliorum magis, quam æquo ferre possent animo, feriret, oculos, priora Romæ stabilitæ tempora, quibus proprium Medicinam servorum negotium fuisse asserunt, maxime idonea illis visa sunt, quibus elatos forte animos retunderent. Neque defuere tamen, qui argumenta illorum convellere, omnemque hanc procul a Medicis amovere maculam allaboraverunt Viri, præter alios multos, celeberrimi, Isaacus Casaubonus, Jac. Sponius & novissime Richardus Meadius, cujus Orationem in his Actis anni proxime præterlapsi p.266 commemoravimus. Horum autoritati præsens Dissertatio, multo antiquitatis apparatu referta, a Cl. *Middletonio* nominatim est opposita. Paucis itaque potissima argumenta, quibus de servili Medicorum apud Romanos degentium conditione sententiam denuo stabilivit, quæve alteri parti opposuit, momenta commemorabimus. Primis urbis temporibus medendi artem a nullo Romanorum excultam, præter perpetuum autorum silentium, testimonio Plinii Lib. 29. C. 1 constat. Illud omnes fatentur, quod Græci, per quos omnes demum artes Romam translatæ sunt, illam publice exercuerint. Quamvis vero Græculi nomen satis jam apud Romanos vile habitum fuerit, attamen ne hos quidem ingenuos fuisse concedit Cl. Autor; sed ut eo abjectior videatur Medicorum conditio, Græculorum servulos fuisse censet, qui, teste Platone, Dominos consectando aliqua medendi præcepta didicerint, exercuerint. Hos, postquam diu satis dominis servierant, vel gratia eorum promerenda, vel pretio dato libertatem impetrasse; & Medicinas ad vendendam publice operam suam conduxisse. Cæsarum tandem temporibus Græculos quosdam esurientes, ingenuos quidem, sed abjectæ tamen conditionis, Romam convolasse, quos omnes J. Cæsar, ut urbi bellis civilibus exhaustæ frequentiam pristinam redderet, civitate donasset. Hanc primam Medicis ad honorem viam esse patefactam; artem tamen ipsam a libera-

p. 7.

p. 9. beralibus semper distinctam. Qua in re ad JCtorum autoritatem ex L. 4 de decret. & L. 1 Cod. de decret. decur. provocat; ubi liberalium studiorum antistites, & qui medendi cura funguntur, sejuncti sunt. Pariter ex Lib. 26 Princip. de oper. libert.
11. tur, sejuncti sunt. Pariter ex Lib. 26 Princip. de oper. libert. servile quid elicere tentat. Dum ibidem inter alia "Medicus "libertus, quod multo plures sibi *imperantes* habiturum puta- "ret, si liberti sui medicinam non facerent &c. legitur, Medico imperare a veteribus pro Medicum advocare dici solitum,
13. manifesto servitutis indicio arbitratur. Casaubonum, qui eo potissimum argumento in animadversionibus ad Suetonium utitur, quod Medicus, cum J. Cæsare a prædonibus captus, a Plutarcho Cæsaris amicus appelletur, aliique multi majori gavisi fuerint Principum virorum familiaritate, quam quæ servis convenire videatur; meminisse jubet, quod amicorum cohortes in plures a magnatibus gradus segregari consueverint, testibus Seneca & Lampridio; qui tantæ Alexandrum Severum moderationis fuisse scribit, ut amicos non solum primi & secundi loci, sed etiam inferioris, ægrotantes viseret. Servos vero inter inferiorum ordinum amicos numerari solitos, vel ipsius Ciceronis, qui Tironem suum in oculis ferebat, patere testimonio confidit. Sponium qui majori apparatu multisque inscriptionibus Medicos in libertatem asserere conatus est, idem passum esse monet, quod omnes qui certis addicti sententiis antiquitatis pervolvunt monumenta; ut quicquid ulla ratione ad stabiliendam hypothesin facere videtur, corradant, reliqua omnia supprimant. Videbi-
17. mus, qua ratione allatas ab eo inscriptiones perstringat Autor. De prima, quam ita Sponius expressit:

M. LATINIVS
MEDICVS
OCVLARIVS.

e Malvasiæ Marmor. Felsin. literas M.L. post Latinii nomen, libertinæ conditionis notas, a Sponio detractas, evincit. Secunda a Sponio ita exhibetur:

M. ALLIVS PAMPHILVS
MEDICVS.

In

In qua tamen Justus Fontaninus in Antiquitatibus Hortæ sublata interpunctionis ad prænomen distinguendum notula Mallius legendum duxit: unde Noster illum e servorum grege necdum civitate donatum fuisse contendit, quod prænomine, quo omnes utebantur cives, destitueretur. Tertiæ inscriptionis explicationem, tanquam penitus puerilem, ridet Middletonius: dum enim in ea de Calpurnio Asclepiade memoratur, quod septem a Trajano civitates impetraverit, inepte a Sponio in Gallicum sermonem transferente, asseri monet, quod, liberalitate non facile fingenda, septem urbium dominatum a Trajano Imperatore obtinuerit. Quin potius genuinum ejus sensum esse censet; hunc Asclepiadem e gente Calpurnia manumissum & præter Romanæ sex aliarum civitatum jura ab Imperatore obtinuisse. Neque ad Sextumviratum Augustalem, Charmi Medico tributum, quem ingenuis solum & nobilibus deferri Sponius existimavit, aditum libertis præclusum fuisse arbitratur, quin potius illis collatum atque ære sæpius redemtum, sequenti ex Mercurialis Var. lectionibus L. 3 inscriptione docet: p. 19.

P. DECIMVS, P. L. EROS
MERVLA, MEDICVS
CLINICVS, CHIRVRGVS
OCVLARIVS, VI. VIR
HIC PRO LIBERTATE: DEDIT, H. S. I
HIC PRO SEVIRATV IN REMP.
DEDIT, H. S. ∞. ∞.

Ad Meadii Orationem confutandam dum accedit Cl. Autor, præter alia argumenta, ipsi cum Sponio communia, potissimum illud refellit, quod anguem, Deæ Salutis symbolum, in nummo quodam Rubriæ familiæ conspicuum, signum florentis in ea familia Medicinæ laudis esse contendat. Cum aliæ etiam gentes, Junia sc. & Acilia, ipsam Deæ Salutis imaginem in nummis expressam habeant, non Medicinæ, sed publici negotii causa; Junia quidem, ob templum a Junio Bubulco, quod Consul voverat, Dictatore dedicatum. Quin imo ipsos Imperatores eandem Salutis effigiem suis insculpsisse nummis commemorat, luculento satis testimonio, quod ad memoriam potius publici eu- 21.

jusdam & ad posteritatem insignis facti quam Medicæ artis indicium idem nummus pertineat. His fere argumentis ad servitutem priscos revocare Medicos allaboravit Cl. Autor, jamque si in libertatem asserendi denuo sunt, viro opus erit, qui pari argumentorum robore, dictionis vi atque elegantia eidem respondeat. Quin imo relatum legimus, in Anglia jamdum ab Anonymo, qui sub literis P. W. M. D. latere voluit, breves notas in præsentem Dissertationem prodiisse, quæ tamen utrum a partibus Nostri stent, an eidem sint oppositæ, cum ad nos nondum perlatæ sint, non licet asserere.

THE PHILOSOPHICAL WORKS OF THE HOnourabe Robert Boyle &c.

i. e.

ROBERTI BOYLEI OPERA PHILOSOPHICA in Compendium redacta, per generalia capita Physicæ, Staticæ, Pneumaticæ, Historiæ naturalis, Chymiæ & Medicinæ disposita ac notis illustrata; Autore PETRO SHAW, M.D.

Volumina III.

Londini, apud W. & J. Innys, J. Osborn, atque T. Logmann, 1725, 4.

Alph. 12 plag. 12 Tabb. æn. 21.

ILlustris *Boylei* præclara in scientiam naturalem merita nemo ignorat & varia ejus monumenta in his Actis fuere recensita. Scripta ejus, quibus historia & scientia naturalis illustratur, successive prodiere, pleraque tamen ante natalem horum Actorum. Cl. *Shaw* omnium catalogum exhibet, in quo præter titulum annus primæ editionis una cum loco impressionis annotatur & iteratæ editiones indicantur. Cum is contineat notitiam ad historiam literariam apprime spectantem, eum huc transferre nulli dubitamus. Prodiere itaque *Experimenta physico-mechanica de elatere & gravitate aeris*, Londini 1661 in 4, recusa ibidem 1682:

1682: *Chymista Scepticus*, Oxonii eodem anno 8, recusus 1680: *Tentamina physica*, Londini 1662, 4, recusa 1669: *Historia colorum*, ibidem 1663, 8, recusa 1664: *Utilitas Philosophiæ mechanicæ*, Oxonii 1663, 4, recusa 1671: *Historia frigoris*, Londini 1665, 4, recusa 1683: *Paradoxa hydrostatica*, Oxonii 1666, 8, recusa 1676: *Origo formarum & qualitatum*, Oxonii 1666, 8, recusa 1667: *Qualitates Cosmicæ*, Oxonii 1670, 8, recusæ 1671: *Admiranda rarefactio aeris*, Londini 1670, 4: *Origo & virtutes gemmarum*, Londini 1672, 8: *Relatio inter flammam & aerem*, ibidem 1672, 8: *Effluvia*, ibid. 1673, 8: *Salsedo maris*, Oxonii 1674, 8: *Occultæ qualitates aeris*, Londini 1674, 8: *Excellentia & principia hypotheseos mechanicæ*, ibid. 1674, 8: *Considerationes resurrectionis*, ibid. 1675, 8: *Particulares qualitates*, ibid. 1676, 8: *Noctiluca aerea*, ibid. 1680, 8: *Noctiluca glacialis*, 1680; *Res supra rationem*, 1681; *Historia naturalis sanguinis*, 1684; *Porositas Corporum*, 1684; *Historia naturalis aquarum mineralium*, 1684; *Remedia specifica*, 1685; *Summa veneratio Deo debita* 1685; *Motus languidus*, 1685 & 1694; *Notio naturæ*, 1685; *Causæ finales*, 1688; *Medicina hydrostatica*, 1690; *Christianus Virtuosus*, 1690; *Experimenta & Observationes physicæ*, 1691, Londini 8: *Historia naturalis aeris*, ibidem 1692, 4. tandemque Experimenta medica, Londini 1718, 8. Tractatibus istis sæpius adjecti sunt alii de argumentis peculiaribus ac præterea varia schediasmata leguntur in Transactionibus Anglicanis. Rationes jam commemoravimus in Actis A. 1701 p. 186 & *Supplem. Tom. VI* p. 493, cur Cl. *Boulton* opera ista *Boyleana* in compendium redegerit: quod institutum etsi laudandum visum fuerit eruditis, æqui tamen harum rerum judices nimiam reprehendunt brevitatem, ita ut compendium sit revera dispendium. Huic igitur defectui ut mederetur Cl. *Shaw*, opera Philosophi alia ratione in compendium redegit & secundum capita generalia disposuit, ut cum compendio nullum conjunctum esset dispendium. Omnem enim librorum *Boyleanorum* substantiam perspicue proponit, non resciffis nisi superfluis. Omisit nimirum, quæ ad argumentum, quod tractat Autor, non referuntur & verba ubique contraxit, quantum perspicuitas patitur, stylumque hinc

inde emendavit. Eo autem ordine singula disposuit, ut primum locum occupent, quæ instar introductionis ad cetera considerari debent, eaque præcedant, quibus sequentia illustrantur. Volumini itaque primo præmittitur discursus præliminaris ex variis operibus *Boylei* compilatus de studio Philosophiæ naturalis, qui fit instar præfationis ad omnia Philosophi opera. Primo in eodem loco comparet Tractatus de utilitate Philosophiæ experimentalis, in tres partes divisus, quarum prima exponit ea, quæ menti; secunda ea, quæ Medicinæ; tertia denique quæ vitæ humanæ a studio Philosophiæ naturalis accedit. Commendavimus eundem in Actis A. 1692 p. 493. Sequuntur deinde sub Physicorum titulo, quæ ad Physicam generalem spectant. Disseritur de excellentia & principiis Philosophiæ Mechanicæ, quæ inde commendantur, quod sint clara & intelligibilia, antiqua, primaria & simplicia, materia scilicet atque motus, ususque longe amplissimi. Explicatur origo formarum & qualitatum: quæ dissertatio in novem sectiones divisa servit loco introductionis in Philosophiam Mechanicam. Subjicitur experimentum fundamentale in nitro institutum, unde multa deducuntur, quibus qualitatum doctrina illustratur, veluti de causa caloris & frigoris, soni, colorum, odorum, saporum, inflammabilitatis, fluiditatis & firmitatis, volatilitatis & fixitatis &c. Agitur deinde duabus sectionibus de origine fluiditatis & firmitatis & duabus aliis de origine & productione volatilitatis atque fixitatis. Describuntur experimenta de figura superficiei fluidorum. Stabiliuntur atmosphæræ corporum consistentium per effluvia continuo emissa. Declarantur tribus sectionibus natura, proprietates atque effectus effluviorum & duobus aliis corporum porositas expenditur. Inquiritur in motum intestinum partium solidorum. Exhibentur considerationes status naturalis & præternaturalis corporum atque observationes de effectibus languidi & inobservati motus, de quibus diximus in Actis A. 1687 p. 68. Exponitur duabus sectionibus productio mechanica magnetismi & una productio electricitatis. Inquiritur in causas mechanicas præcipitationis & duabus sectionibus in originem corrosivitatis & corrosibilitatis; duabus vero aliis in productio-

nem

nem mechanicam saporum atque odorum; nec non adhuc duabus aliis in mechanicam originem caloris atque frigoris. Indicavimus ista in Actis A. 1692 p. 493. Colophonem denique imponunt experimenta & observationes circa frigus in usum historiæ experimentalis frigoris, de quibus vide Supplem. horum Actorum Tom. I p. 137.

In secundo Volumine sub Physicorum titulo adhuc comparent Experimenta & Observationes de coloribus per tres sectiones distributæ; disquisitio in notionem vulgarem naturæ, quam recensuimus in Actis A. 1687 p. 190; disquisitio alia de finalibus rerum naturalium causis, de qua plura vide in Actis A. 1688 p. 490; consideratio rerum, quæ sphæram rationis transcendunt; responsio ad difficultates circa resurrectionem mortuorum; tractatus de Christiano virtuoso, ubi ostenditur, quomodo philosophia experimentalis ad religionem manu ducat, & alter de summa veneratione Deo debita. Sub Staticorum nomine sequuntur Paradoxa hydrostatica experimentis probata & illustrata; hydrostatica ad mineralia & materiam medicam applicata, quam in Actis A. 1691 p. 485, 511 delineavimus; discursus hydrostaticus, in quo ad objectiones *Henrici Mori* aliorumque respondetur, contra explicationem experimentorum quorundam particularium allatas; descriptio libellæ hydrostaticæ ad examinandam fluidorum & solidorum gravitatem specificam, Hygroscopium staticum cum observationibus circa humiditatem corporum & experimenta de ponderabilitate flammæ. Sub nomine tandem Pneumaticorum sistuntur experimenta physico-mechanica de elatere & effectibus aeris eo ordine proposita, quo a *Boyleo* fuere descripta, numero 348. Experimenta ista contra *Francisci Lini* objectiones defenduntur, additis animadversionibus in *Hobbesii* problemata de vacuo. Et ultimo loco exhibetur disquisitio de causa attractionis per suctionem.

Volumen tertium Historiæ naturali, Chymiæ atque Medicinæ destinatur. Ad Historiam naturalem referuntur capita generalia historiæ naturalis alicujus regionis, quorum mentionem fecimus in Actis A. 1693 p. 255; historia generalis aeris, quam enarravimus ibidem p. 300; suspiciones de quibusdam latentibus qualitatibus aeris; disquisitio de origine & virtute gem-

 marum

marum duobus sectionibus instituta; observationes de adamante in tenebris lucente aliisque phosphoris naturalibus; Noctiluca aerea & glacialis in Actis A. 1682 p. 54 & 394 relata, una cum aliis phosphoris artificialibus; experimenta & observationes circa salsedinem maris & observationes aliæ de temperatura regionum subterranearum & submarinarum. Ad Chymiam referuntur: Chymista Scepticus, experimenta & observationes de producibilitate principiorum Chymicorum sex sectionibus comprehensa, dissertatio de imperfectione doctrinæ Chymicæ de qualitatibus in duas sectiones distributa. Ad Medicinam denique referuntur apparatus ad historiam naturalem sanguinis, in Actis A. 1684 p. 434, in scenam productus, apparatus ad historiam naturalem aquarum mineralium, laudatus in Actis A. 1685 p. 587, tractatus de causis salubritatis & insalubritatis aeris, tractatus alius de specificorum remediorum cum corpusculari philosophia concordia, recensitus in Actis A. 1686 p. 373; observationes quædam visum vitiatum concernentes, de quibus in Actis A. 1688 p. 490, & denique collectio remediorum maximam partem simplicium, quam repræsentavimus in Actis A. 1694 p. 377. Sub finem Voluminis tertii comparet index generalis locupletissimus in omnia tria volumina: singulis vero voluminibus præfigitur index contentorum specialis, in quo indicantur argumenta rerum in singulis tractatibus pertractatarum.

Notæ, quas adjecit Cl. Editor, sunt paucæ, sed selectæ, desumtæ potissimum ex scriptis *Newtoni*, Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum Parisinæ & Transactionibus Anglicanis. Nos inde pauca delibabimus. Ad discursum præliminarem reprehendit nonnullos conterraneos suos, qui parum philosophice effectus rerum naturalium, veluti gravitatem, in voluntatem Numinis immediate resolvunt, reclamante praxi *Newtoni* atque *Boylei*, quorum ille mechanicam gravitatis explicationem dedit. Ad tractatum de utilitate Philosophiæ experimentalis commendat *Whistoni* explicationem rationalem creationis, quam dedit in nova Theoria Telluris, ubi supponit, per creationem in historia Mosaica intelligi formationem Telluris ex rudi & indigesta mole, cujus rudimenta fuerint atmosphæra alicujus cometæ. Describit experimenta *Freindii*, quibus ostendere satagit

muta-

mutationem, quam varia medicamenta sanguini inducant, in *Emmenolog.* p. 167, 171, 180, 183. Commendat ejusdem Prælectiones Chymicas ob operationum Chymicarum rationes bene explicatas. De venenis ex *Meadii* tractatu de hoc argumento conscripto varia excerpit. Ex Transactionibus Anglicanis adducit modum fructus arborum atque flores per integrum annum conservandi in arena, cujus tribus libris admiscentur boli armeniaci duæ & salis petræ una. Notionem Mechanicæ optime dedisse *Newtonum* in præfatione ad opus præclarum Principiorum, de quo nuper diximus, & *Wolfium* optime explicasse notionem Philosophiæ mechanicæ atque Philosophi mechanici, cujus ex ipsius Elementis Mechanicæ verba adducit. Recenset *Whistoni* propositum inveniendi longitudinem maris ope acus inclinatoriæ, & *Halleji* campanam urinatoriam, in Transact. Anglic. num. 349 & 368 descriptam, laudat. Commendat *Hombergii* methodum extrahendi majorem quantitatem olei essentialis ex plantis, quam vulgo fieri solet, & praxin poliendi ac parandi vitra optica omnis generis, a *Wolfio* in Elementis Matheseos universæ traditam. Citat ex *Newtoni* Principiis, quod sonus propagetur intervallo unius secundi circiter 1142 pedes, & notat, quod juxta *Hallejum* gravia prope tellurem cadant 16 pedes & digitum unum intra secundum temporis scrupulum, & quod *Hombergius* vi caloris argentum in aurum converterit. Ad tractatus physicos inter alia commendat *Newtoni* explicationem crystallisationis; *Woodwardi* experimenta circa vegetationem; *Newtoni* explicationem solutionis salium in aqua, præcipitationis, fluiditatis & firmitatis, fixitatis & volatilitatis; ejusdem demonstrationem porositatis; *Jacobi Keilii* Medicinam Staticam Britannicam; leges motus traditas a *Wallisio, Wrenno, Hugenio, Varignonio, Bernoullio, Keilio, Newtono;* speculum caustticum *Villetanum*; *Stephani Gray* & *Hauksbeji* experimenta singularia de electricitate; *Hombergii* experimentum de glacie, æstate celerius in vacuo, quam in aere liquata; *Gauteronis* observationem de evaporatione aquæ majore sæviente frigore, quam in aere temperato; *Newtoni* inventa prorsus singularia de lumine atque coloribus. Describit præparationem cœrulei Borussici; theo-

theoriam colorum juxta principia *Newtoniana*; sapientiam Dei in locandis planetis circa Solem, ab eodem demonstratam; usum Cometarum ab eodem in apricum productum; convertibilitatem mutuam lucis in corpora crassa & corporum crassorum in lucem ab eodem assertam; actualem infinitatem universi ab *Hallejo* probatam; *Jurini* methodum observationes meteorologicas instituendi; *Muschenbrœkii* experimenta de materia subtili; *Newtoni* theoriam de igne & flamma, & argumenta stabiliendi vacuum. *Pembertoni* explicationem motus musculorum ceteris hypothesibus omnibus præfert. Varia passim adducit *Hauksbeji* experimenta & ejus explicationem phosphori materialis probat. Ad scripta Chymica *Hombergii* experimenta varia ex Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum notat; ad Medica vero *Freindii* & *Jurini* nonnulla.

JOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGI R. G. Observationes quædam Physicæ de Generatione lapidum figuratorum.

§. I.

SI varietatem lapidum intuemur, merito admiramur vastissimum Dei conditoris intellectum ac sapientiam, nam numerum fere omnem superant & nunquam non signis sat evidentibus inter sese differunt, adeo ut ob imminutionem in tantillas & tam innumerabiles particulas, quæ tamen prima ipsorum elementa nondum constituunt, totidem quasi mundos & pulcritudinis divinæ luculentissima vestigia præbeant. Ante ætatem nostram eruditi de quibusvis lapidibus non adeo fuere soliciti. Tandem vero Scheuchzeri, Rosini, Brüggemanni, Schröteri aliique prima Lithologias lineamenta duxerunt. De eo inter omnes constat, lapides alios esse informes, alios formam vel exprimentes vel æmulantes. Informes illi, exceptis silice & maximis aeri expositis petris, hodieque ex massa argillosa, limosave pultiformi, adjuvante aqua & lento igne concrescunt, eorumque genesin industria humana in fabricandis tegulis æmulatur. Lapis specularis, *Marienglas*, *Raueneis*, de quo Lipsius ac Harduinus dubitant, an hodie notus sit, nostra quoque ætate crescit & lento calore plenius lucidiusque elaboratur intra terræ cavernas. Est in vicinia mea pagus *Erichshausen*, circiter mille passus ad meridiem distans, infra quem

quem in colle quodam fodina lapidis ſpecularis reperitur. Reperi ipſemet inibi lapides ſpeculares albos & repercuſſu lucis ſplendidos, in tenuiſſimas laminas fiſſiles, atque omnino ei deſcriptioni reſpondentes, quam Strabo, Plinius, Matthias Sylvaticus, Seneca, Olearius aliique tradiderunt. Præcipue memoratu dignum mihi viſum eſt, quod in cavernæ remotiſſimo receſſu materiam illam ſpecularem tam tenuem, furvi coloris, deprehendi, ut compreſſu digitorum dividere ac friare eam potuerim. Ad ora collis valida bipenni lapidum quorundam moles curavi exſcindendas, eosque, qui introrſum poſiti erant, minus lucentes magisque furvos eſſe animadverti. Anno tandem interjecto eodem redii, & eosdem furvos, ſigno a me notatos, candicantes & ſplendidos vidi. Ubi vero ex materia illa, quæ friari poterat, partem in conclavi tepido poſui, eam ſenſim dureſcere & colorem illum minus furvum induere obſervavi, ut adeo de generatione lapidum ſpecularium nullum ſupereſſe dubium videatur. Ad pagum comitatus Winzenburgenſis *Memerhauſen*, qui hinc (a *Gandersheim*) 4000 paſſus ad occaſum ſitus eſt, præclari inveniuntur lapides ſpeculares, collisque eis obſitus ſatis eſt magnus. Jam diu eſt, quum Vir generoſus *de König* gypſum inde format, id ipſum affirmans, lapidem illum ſenſim generari. In lapide, unde calcem coquunt, eandem fieri formationem ac indurationem, ſatis in propatulo eſt. Nam ſunt putei & fontes, qui reddunt aquas, in quibus igne excoctis inferius particulæ cinereæ ac albicantes ſubſidunt, quæ invicem impoſitæ & copioſius aggregatæ in conclavi tepido ſenſim in grumos concreſcunt, quibus multum calcis, parum nitri ineſt. Vidi inter Walkenridum ad Nordhuſam & oppidulum *die Saxe*, haud procul a ruderibus arcis priſcæ *Sachſenſtein*, multos fornices minores ac majores, continenter ſibi appoſitos, ex lapide calcis arcuatos, qui ibi frequentiſſimus eſt. Siquid ego judicando adſequi valeo, igni ſubterraneo ac terræ motu fornices illi in ſublime expulſi ſunt, ita ut alicubi fornix in ſublimi medius diſruptus appareat, alibi vero alter ſemicirculus in humum relapſus ſit. Niſi lapides illi effectum iſtum adjuviſſent, alibi quoque in viciniæ ſolo alius naturæ idem caſus appareret, id quod tamen ſecus apparet. Quare indubie lapides illi largiter humectati, condenſatione aeris ignem illis inſitum nimis coarctante, ignem excitarunt quendam ſubterraneum, unde elater aeris auctus cruſtam ſuperiorem levavit ac diſrupit, ſolumque ipſum, mutuo fulcro & obſtaculo renitente, in fornicum modum conſtitiſſe videtur. Incolæ vocant *Zwerchlöcher, antra nanorum*, uti quidem explicant. Mihi tamen ſit veriſi-

verisimile, subesse æquivocationem, siquidem Germanis *Zwerch* seu *Zwerg* notat & *nanum* & *transversum*.

§. II. De lapidum figuratorum generatione dicturus, nil, nisi quod ipse vidi, teneo & examinavi, proferam, tanta quidem fide, quanta a quoquam expeti potest. Nec dubito, fore multos, qui & eadem & plura in posterum observaturi sint, ne dicam, fortassis esse nonnullos, qui hisce consentanea dudum deprehenderunt. Nam multæ mortalium observationes pereunt, ob vilitatem observatoris, qui sua pro more litteratis consueto cum aliis communicare non potest, vel ipse ea negligit, quæ observavit, quia inde nullam utilitatem redundantem perspicit. At quum nulla veritas est inutilis in sese, siquidem Deus ejus fons est & origo, lithologia usu suo non est privanda. Is usus huc usque plerisque visus est esse palmarius, quod ita copiosissimis documentis universalitatem & veritatem diluvii Noachitici comprobare possent. At nisi e divinioribus litteris illam veritatem antea habuissent cognitam, nunquam ex figuratis lapidibus *unicam*, & *universalem* eluvionem terræ collegissent. Nam qui commentitias exustiones & eluviones Stoicorum, theoriam quorundam Astronomorum Anglicorum de tellure, vel sententiam de diluvio non universali amplectuntur, illi demonstrationem illam pro solida reputare nequeunt. Ego quidem, quin diluvium Noachiticum fuerit universale, nullus dubito. At præterea nullas alias particulares eluviones, terrarum disruptiones, abrasiones, & alluviones exstitisse, infitiari non audeo. Viget diluvium Noachiticum sua veritate, licet nulla præterea ex lapidibus terræ accesserit comprobatio. Nam non est committendum, ut ex eis, quæ in utramque partem disputari queunt, vel longe secus, ac fingitur, sese habent, firma pro veritate divina petantur præsidia. Mihi certe nunquam probabile visum est, omnes figuratos lapides esse diluvii Noachitici reliquias, licet me nunquam viris doctissimis æquiparaverim, sed tenuiter satis de mea imbecillitate sentiam. Nam verisimile mihi apparuit, sapientiam Dei præcipue ex mutationibus terræ exsplendescere, qui optime humanam fragilitatem habet cognitam, intime gnarus, quotidiana, licet maxima & potentissima, nisi nova scenæ varietas accesserit, existant, sensim in animis hominum evilescere. Eandem sapientiam divinam in variis scenæ variegandæ adminiculis supra terram tantum non quotidie deprehendimus. Humanum genus quotidie novas recipit proles, & recens nati defunctorum supplent vicem. In animalium, arborum & fruticum genere, immo in ipsa maris abysso, patercam Deus voluit nego-

negotiosam & ad varietates & novitates tendentem. Undenam igitur in ipso regno minerali exularent generationes & formationes novæ, in ipsis lapidibus figuratis? Quis enim ignorat, margaritas, spongiam, & lapidem spongiæ ac alia hodieque generari? Appuli igitur animum ad lapides figuratos, ac in multis, quod ita esse suspicabar, generationem hodieque solitam satis superque observavi.

§. III. Præcipue id mihi curæ fuit, ut ejusmodi signa animo præciperem, quæ nonnisi generationem illam designare poterant. Quare ita mecum statui, illud omne generari, quod in matrice sua informe adhuc, pusillum, mollissimum & facile in quasvis particulas dividuum deprehenditur, cinctum in vicinia ejusdem generis lapidibus cujusque magnitudinis, aliis aliqua parte nondum satis evolutis, aliis ad perfectiorem speciem, quamvis molles adhuc & conteri non nescii eidem sint, pergentibus, sat induratis & cohærentibus. Certius illud ipsum fore putavi, si minimos ejusmodi lapillos suæ matrici adhuc inclusos in loco natali vel alibi positos observarem grandescere sensim, ac pleniorem longitudinem ac crassitudinem induere. Hoc enim judicium *intuitivo* par esse succurrebat. Tertium facile prævidi, me ægre tam fortunatum fore, ut multos ejusmodi lapides in matrice sua insertos & puellos vel pusiones adhuc teneros animadverterem: judicavi igitur, inesse aliquid posse figuræ, unde elucceret, an lapidis ejusmodi, an terræ circumstantis durities fuisset prior. Quidquid igitur fuit ante diluvium Noachiticum corpus durum, osseum, corneum & firmiter compactum, illud ipsum a circumstante solo limoso ac molli nequiit distorqueri, dimidiari, imminui vel in figuram anomalam componi. At contra, ubi trochitæ, conchitæ, trochlitæ aliique in terra molliori latent, simulque sunt distorti, heic vel illic a figura sua dejecti, mutilati, fractique, adeo ut ipsi terræ circumstanti figuram cavitatis omnino impressisse sentiantur, omnino tum innotescit, corpus lapidis ipsum continere ejus vicissitudinis rationem. Quartum addidi signum, videlicet inde depromtum, ut observare intenderem, an lapis lapidem ita transiret & perforaret, ut nonnisi ita crevisse intelligeretur. Erat animus ad lapidum dissolutionem ac abrasiones ex attritu solitas observare, &, ubi de generatione constaret, in stamina prima ac semina eorum inquirere.

§. IV. Cornuum Ammonis heic circa Gandesiam mira est copia, at non unius generis. Species ad minimum triginta intra biennium collegi, pluresque superesse nondum mihi visas, haud invitus credo. Ex una tamen certæ speciei genesi proventus re-

liquorum & origo patefcit. Incidi igitur, ab alio monitus rèi ipfius ejusque ftudii imperito, in rivum, qui ab ortu Solis ad occafum feptentrionalem e monte fatis alto citra præfecturam *Winzenburg*, ad 4000 admodum paffus a me diftantem, per varios anfractus labitur. Unda ejus cornua Ammonis, belemnitas, cochlitas, elaitas (*Olivenfteine*,) lignum petrificatum & lapides rotunde longos pertufos propellit. Examinavi eam ipfam, cum fere exficcatus effet amnis æftivo tempore, ad lancem pharmaceuticam & cubum ex lamellis metallicis compofitum, gravioremque deprehendi, quam fluentes alias aquas. Cauffa gravitatis indubie variat pro multitudine aquarum, fiquidem ferri particulæ infunt aquæ, qua ideo fabri ferrarii pro durando ferro libentius utuntur. Inveni inibi globos terreos fatis duros, qui, lapidibus aliis confracti, ferri venas oftenderunt. Cornua quoque Ammonis recens ibi nata plerumque in crufta extima fplendent in modum orichalci, at materia illa eis tam tenuis inhæret, ut facillime posfit abradi, nec in majoribus durioribusque cornibus deprehendatur. Reperi in undis ipfis partem ligni, quæ fecuris impulfu ex arbore decidit, uti afpectus cuivis facile prodit, fatis gravem, in qua pori expleti funt materia ejusmodi fplendente ferrea, in fignum fatis certum, gravitatem illam & cum lapide fimilitudinem ortam effe ex particulis fucci cujusdam Martialis ac ferrei. Cum hinc & inde ripam, gurgitem, vada, arenas pertentarem, in ripa & alicubi in ipfo aquæ fundo inveni maffam molliorem, cœruleam, ac pinguem, horizontaliter multo magis fiffilem, ubi aliquanto tenacior ac lentior erat, quam ad verticem ac perpendiculum. Inibi inveni mirificam fegetem illorum cornuum cujusque ætatis & molis. Nonnulla nonnifi curatiffimo obtutu vel appofito microfcopio videri poterant. Omnia in molli folo funt mire mollia, & fua fponte fæpius in multa fragmina conlabuntur. Extrinfecus albicant, isque color fignum eft, cornu adeffe minutiffimum, fi præter albicans ejusmodi punctum nil videris. In maffa digitum longa & lata fæpius triginta cornua minima infunt. Inveni ibidem maffam duram fubrubicundam vix digito æquantem, minorisque craffitiei, in qua quatuordecim matrices cornuum ejusmodi & ultra decem cornua eminent, ac indubie alia inclufa tenentur. Eminet in eadem maffa conchites cœruleus valde exiguus, fatis tamen confpicuus, adhærens reliquis figuris. Sunt mihi etiam cornua, quorum alterum per alterius medium vel partem transadactum eft, manifeftiffimo indicio, cornua illa generari. Selegi eadem mente locum in ripa, eumque probe pertentavi, diametros fingulorum cornuum exiguorum deter-

ter-

terminatas inscripsi secundum ordinem situs chartæ, ac deinde eum post trimestre spatium revisens diametros inveni majores, ut quisque animadvertere idem posset. Minima quoque ac mollissima cornua aperui, ac in non uno, sed multis observavi eandem soli cœruleam ac pinguem materiam, qua ripa constat, quibus illa scindendi vestigia deerant, simulque animadvertere erat pronum, cornua, quo magis ad centrum in arctum coeant, nondum esse facta & expleta, si fuerint minima, ideoque ad centrum abesse gyri figuram & curatiorem evolutionem. Quo vero majora sunt illa cornua, eo elaboratiora ad centrum apparent. Sunt multa maxime exigua, in quibus partes illæ centro contiguæ adhuc desunt. Massæ partem satis magnam aliquando afferendam curavi, eamque inclusi vitro arctæ cervicis obturato, immista aquæ Martiæ particula, ex ratione paullo ante allata, uti incrementum coram intuerer. Nec illa spes me vano successu elusit, sed ita contigit eventus, uti illum antea suspicatus eram, & quidem intra quatuor menses. Operæ quoque pretium illud addidisse fuerit, aquam nive soluta exuberantem ripam pulsare multasque dimovere cornuum particulas a reliquo corpore, siquidem pleraque in sua matrice constituta tam sunt mollia & dissipationi prona, ut ægre aliquod retineas integrum. Hæc est causa, cur multa cornuum vulgo inveniantur fragmenta. Mirabile visu est, *senes* horum lapidum juncturas sensim arcuatas laxare, uti spinam dorsi & inde divergentes utrinque costas facile pervidere possis. Multa quoque cornua guttis pluvialibus excavata & partim laxata teneo. Multa heic quoque in agris & fodinis terræ profundissimis inveniuntur, quæ multis olim revolutionibus fuere admodum lævigata, licet sint durissima. Malim heic corollarium meum dissimulare, quam ea proferre, quæ nonnullis non probantur. Præstat enim alicubi silere quam superstitioni ansam criminandi præbere. Sufficit in præsens, generationem & interitum cornuum Ammonis satis fuisse evictam. Posthac plenius in stamen & semen ipsum inquiram, ubi beneficio valentiorum microscopii exquisitissimi usu fuero instructus. Gradus incrementi & compositionis rationem magna ex parte jam perquisivi, sed ea quidem longiora & pluribus observationibus elimanda sunt.

§. V. Ea vero cornua, quæ circa Gandesiam inveniuntur, præcipue juxta cœnobium Brunshausen, pagos Gremsheim & Alten Gandersheim sunt triplo majora, coloris plerumque candidi, nullis punctulis in lateribus conspicua eminentibus, qualia in multis Winzenburgensibus, non tamen omnibus, deprehendo: nullis ramentis ferreis in extimo insignia: nec tam elatis

& arctis striis eximia. Facile igitur patet, longe aliam horum esse sedem, quam tamen, studiosissime sciscitatus, detegere non potui. Inducor etiam facile, ut suspicer, quia cornua illa albicantia maxima per multa heic milliaria sparsim inveniuntur eluvionem quandam majorem in causa ejus dispersionis esse ponendam, siquidem abrasiones antea dictæ idem satis ostendunt. Proxime cornua omnia, quæ collegit SERENISSIMA ABBATISSA, PRINCEPS MEA CLEMENTISSIMA, & quæ ipsemet in promtu habeo, in certas classes referam.

§. VI. In eisdem aquis Winzenburgensibus inveni concham inter cornua enatam, uti facile patet, nam alias quoque, quæ facile stilo in partes subtilissimas solvuntur ex eodem solo pingui fissili cœruleo reperi. Est locus ad Hildesiam dictus pagus Monachorum, seu potius *Monachorum campus*, haud procul a Pontificio Hanoveranæ jurisdictionis cœnobio *Marienrode*, ubi solum est ex limo flavo & arenis mixtis concoloribus compositum. Inibi inveniuntur pulcherrimæ conchæ & striatæ & læves, simplices & quoque duarum valvarum, quasi concha conchæ coitus causa insideret. Habeo nonnullas illarum, in quibus concha concham secat & per mediam transit, aliasque, quibus obstans lapillus plenius incrementum & viam evolutionis denegavit, ut inde plane appareant irregulares. Aliquas solvi spiritu acriori in solum illud flavum, unde constant, certissimo indicio, conchas illas fuisse natas ex illo solo. Idem claro obtutu in lævibus conchis patet cuivis. Ad cœnobium Brunshausen in lapidicinis obviæ sunt similes, sed cinericii & albentis coloris pro similitudine soli, quarum multæ ob impedimentum saxi appositi sunt admodum irregulares & striis vel extremitatibus alicubi coarctatis. Molles igitur fuerunt, nec tam duræ, ut lapis oppositus, simulque, eas fuisse generatas, apparet. Os in minimis illis conchis pars prima est, quæ clare apparet, ceteræ vero partes alicubi apparent imperfectæ, mutilæ & mancæ. Caput igitur ibi est punctum saliens, uti in cornibus Ammonis pars extrema.

§. VII. Ita quoque stellæ marinæ ad ripas fluvii Leinæ procrescunt, uti ex eisdem indiciis colligo. Cochlitæ vero in buxi inferiori puncto crescere incipiunt. Partem limi flavi in examen hujus rei curate perspexi, & in eo, qualis ad Gandesiam obvius est, multos cochlitas deprehendi cujusque magnitudinis trium generum, exiguis nudum oculum fugientibus. Nonnisi in limi parte extima & Solis calori exposita proveniunt. Quare partem in eo loco exteriorem removi, ubi cochlitæ nulli apparebant, &

elapsis

elapsis duobus mensibus punctula alba prodierunt, quæ sensim facta sunt majora. Alios cochlitas cinericii coloris, ubi adhuc erant molles, resolvi in soli, quod eos habet, particulas & colorem. Cochleæ sane vivæ domicilium sibi non formant, sed ejus involutio in ovi testa jam latet, in qua ea pars, quæ dein aperitur, sensim in exclusione concidit, extremitas vero quædam sensim apparet pro fundo ac centro domicilii, quod quotannis duabus striis ex lento humore cutis bestiæ confirmato prolongatur, uti superiori æstate observavi. Sapientia Dei clariorem omnino in nobis spargeret lucem, si in his protrahendis & observandis essemus diligentiores.

§. VIII. Belemnitæ & elaitæ crescunt quoque in aqua Winzenburgensi illa ex eodem cœruleo solo, eosque tam molles deprehendi in ejus ripa, ut præter figuram nil interesset. Belemnitæ Brunshusani non sunt cœrulei, sed gilvi ex furvo & splendido aliquid trahentes. Sunt mihi, in quibus novus & junior in medio jacet belemnita, ut inde facile colligam, belemnitam alterum generari in altero. Alicubi confricti odorem exhalant & contusi præbentur vaccis contra morbum, quem vocant *den Alp*, unde etiam *Alpsteine* dicuntur. Si Brunshusanis applicatur lingua, tum retinetur & adstringitur, contusi vero præcipitantis sunt virtutis, uti in aceto inde mitigato observavi. Sunt qui contusum pulverem febri medicari asserunt, quia scilicet acorem præcipitant lentum, sed ejus rei experimentum haud feci.

§. IX. Trochitæ supersunt, quorum in lapicidinis Brunshusanis mira scatet copia. Novam plane de eis theoriam teneo. Nam lilia lapidea tria invenimus, affabre structa, quorum figuram proxime dabo, quorum extremitates exeunt superiori ex parte in trochitas & additas adstringentes claviculas acutas pro solo perforando. Inventionem primi & tertii debemus *VIRO ILLUSTRI, JOANNI ANTONIO KROL DE FREYEN*, quæ mihi ansam suppeditavit audacter quærendi, & feliciter illam intortam & alicubi coarctatam inveniendi. Rosinus in Tr. de *Stella marina* vocat *rosam*, quam lilium voco, videturque omnino receptaculum ejus & insidentes aculeos non animadvertisse. In multis trochitis eadem acumina deprehendi. Calore Solis vel terræ accedente trochitæ illi solvuntur in confinio rotarum, sed, si fuerint molles, frangi nequeunt, ut rotæ separentur, tam arcte dentes inserti compaginationi. Multa sane eorum sunt genera. Aliquot observavi dentes solvisse, ex

ea

ea parte, qua radii Solis inciderant, parte opposita firmiter conclusa. Unde vero illa lilia nascantur, rimari ob paucitatem & duritiem nondum potui. Unum tamen eorum mire a lapide circumstanti pressum est & in irregularitatem abiit, ut facile arbitrer, olim ea fuisse mollia ac dilipationi non cedentia. Sunt mihi complures lapides figurati, sed, quia illorum generationem ipse nec observavi nec fingere audeo, de eis heic tacere non insulsum erit. Id tamen dicendum est, in lapidum exteriorum crustis enatas esse lineas atras, ob pluviam incidentem, quæ arbusta & arbores repræsentant. Sed omnia ibi pendent a casu, quem lusum naturæ vocare possumus, qui in causa est, ut radii hoc alioque modo repercutiantur & inde color ille ater prodeat. Spero tamen fore, ut in hæc quoque sensim arcana, Optice in subsidium vocata, penetrem. Post hac dabo plura, ubi animadvertero, alios quoque observationes suas esse addituros & lithologiam adjuturos. Heic enim multa a cujusque patria & domicilio vel itineribus dependent.

DE VETERI LAPIDE PORPHYRIO, NOTIS Hieroglyphicis decorato.

EXhibemus Tibi, Lector, porphyrium lapidem durissimum, eadem, qua constat, forma repræsentatum, qui nunc in manibus est Viri illustris, *Casparis Sigismundi a Berbisdorff*, Domini in Kunheyde & Rückertswalda, Potentissimo Regi Poloniæ & Electori Saxoniæ a Consiliis Provocationum, & Canonici Numbergensis. In ejus altera facie, quæ plana, insculptæ sunt difficili labore notæ hieroglyphicæ, quas eruditis Antiquariis evolvendas proponimus, in altera, quæ convexa, nihil comparet præter circulos ex ingenio forte additos, ejusdem tamen cum notis illis antiquitatis. Nos de eo nihil addimus, nisi quod notamus, lapidem hunc ante paucos annos in Misnia nostra, prope ipsam urbem Misenam, sub muro veteris monasterii in pago Seidliz, cavitati cuidam insertum, probeque conservatum, fuisse inventum. Quodsi quis paulo sagacior ejus explicationem nobiscum communicaverit, eam Actis nostris quam primum inserere haud gravabimur.

Tab. I. Fig. 10. 11.

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Aprilis Anno MDCCXXVII.

JOANNIS SCHILTERI, JCTI OLIM ARgentorat. Thesaurus Antiquitatum Teutonicarum, Eccles. Civilium, Litterar. Tomus I. Post sedulas B. Schilteri curas Otfridum ad vetustiss. Codd. MS. castigavit emendavitque, Willeramum & Keronem plane ineditum, novos e MSC. dedit, notas & aliorum & suas plurimas addidit JO. GEORG. SCHERZIUS, D. Pand. & Juris Publ. in Univ. Argent. P. P. Præfationem generalem præmisit JOANNES FRICKIUS, S. T. P.

Ulmæ, sumptibus Danielis Bartholomæi, 1727, fol. Alph. 10 pl. 16 Tabb. æn. 3.

QUod diu, ut in lucem protrahatur, ardentissimis votis expetiverunt Eruditi, prodire tandem nuper cœpit Opus *Schilterianum*, posthumum quidem, at dudum ab Autore prelo prorsus paratum. Non est, ut longo ordine hic commemoremus alios, qui de veteri lingua Teutonica solliciti origines ejus accurate evolverunt, ut e Germanis Joach. Vadianus, Ge. Schobingerus, Just. Ge. Schottelius, Goldastus, Freherus, Lambecius, Morhofius, & nostro tempore Dider. von Stade, Jo. Dieemannus, Jo. Ge. Eckartus; e Belgis Bonav. Vulcanius, Merula, Scriverius; e Suecis Rudbeckius & Verelius; e Danis Wormius; e Gallis Car. du Fresne, Baluzius, Mabillonius; ex Anglis, qui Anglo-Saxonicam linguam excusserunt, Franc. Junius, Ge. Hickesius & longe plures, quos nominavimus

vimus in Actis A. 1706 M. Martio p. 97. Nemo certe superavit industriam B. *Schilteri*, qui multorum annorum labore Thesaurum hunc veterum Scriptorum Teutonicorum, notis suis illustratum, ut & Glossarium longe utilissimum, quod adhuc exspectamus (tribus enim Tomis opus constabit) collegit, & quamvis, Autore 1705 d. 14 Maji vivis erepto, de illius editione ferme desperatum esset, accidit tamen singulari Reip. literariæ commodo, ut opus præstantissimum cum reliqua B. Viri supellectile libraria in manus pervenerit Viri Cl. *Jo. Christophori Simonis*, Argentinensis, nunc Syndici liberæ Civitatis Imp. Campodunensis. Is, cum operam suam obtulisset dexterrimus Bibliopola, *Bartholomæus*, non modo non invidit Thesaurum hunc eruditis, verum & alia, quæ adjungi possent, e Bibliotheca Sangallensi liberaliter suppeditavit. Nec dignior profecto inveniri poterat, qui librum recenseret, Viro in his litteris exercitatissimo, *Jo. Ge. Scherzio*, JCto & Polyhistore Argentinensi celeberrimo, qui id dedit operam, ut non modo Schilteriana omnia accurate examinarentur, verum & novis iisque doctissimis notis passim illustrarentur. Cui accessit denique S. R. *Frickius*, Collega quondam noster solertissimus, qui ut Præfationem admodum luculentam & eruditam præmisit, ita præcipuam impressionis curam habuisse videtur. Non immorabimur nunc S. Litterarum versionibus Germanicis aliis vetustis, quales Caroli M. aut Ludovici Pii tempore factas tradunt, hactenus deperditas; nec de Ulphilæ Episcopi Gothi Bibliis, seculo IV e Græca, ut verisimile, in Gothicam linguam, quæ ejusdem cum Theotisca originis censetur, translatis dicemus, e quibus IV Evangelia, quæ sola supersunt, accurate ac nitide Dordraci 1665 ediderunt Junius & Mareshallus.

Ad ea pergimus, Biblica præsertim, Opera, quæ primo hoc Thesauri Tomo ejusque Parte I continentur, in quibus primum merito locum occupant *Otfridi*, Wizamburgensis seu Weissenburgensis in Alsatia Monachi Ordinis Bened. libri poetici Evangeliorum, ipsi Regi Ludovico Germanico inscripti, quos, ab Achille Priminio Gassaro accurate descriptos & partim illustratos, Flacius Illyricus edidit Basileæ 1571; de quo quidem opere valde errarunt Usserius & Whartonus, a Cl. Frickio in præf. emendati,

Dupi-

Dupinius vero, editum fuisse, plane ignoravit. Hanc ergo editionem B. Schilterus, cum alia præsidia deessent, solam secutus, &, ut erat maxime corrupta, ex ingenio emendare conatus est, præterea librum totum, sacris præcipue horis, ita Latine vertit, ut Germani potius idiomatis, quam elegantiæ sermonis Latini rationem habuerit, & ubi res postulabat, notas adjecit eruditas, præfationemque præmisit, in qua de historiis sacris carmine expositis, num justum constituant poema? acute inter alia disputat. At ingens nunc demum operi pretium addidit Celeb. Scherzius, qui & a D. Jo. Phil. Schmidio, Argentinensi, Consiliario quondam Leiniensi, Codicis Vindobon. Cæsarei, cujus specimen dederat Lambecius, apographum integrum, cum ejusdem Schmidii animadversionibus ineditis ad observationes Lambecianas, & a Friderico Rostgaard emendationes, e vetustissimo Codice Palatino-Vaticano Romæ descriptas, singulari felicitate obtinuit; nactus & ipsum illud MS. quod Typographis inserviebat, cum Flaciana editio imprimeretur, quodque nunc exstat in instructissima Illustris Raymundi Krafft a Delmensingen, Reip. Ulmensis Consularis, Bibliotheca, nec insuper habens Dieterici a Stade Specimen ex Otfridi Evangeliis, Stadæ 1708 proditum. Unde adeo non textus modo, verum & notæ Schilterianæ corrigi oportune potuerunt. Sequitur hæc Evangelia *II.* Psalterium Davidis, ex Latina quadam versione veteri (certe non Vulgata) a *Notkero*, tertio Abbate S. Galli, quem *Labeonem* a latioribus labiis dixerunt, A. 1022 mortuo, in linguam vernaculam traductum & paraphrasi illustratum, quod ex avtographo Bibliothecæ Sangallensis descriptum jam olim, & ab illustri Simone de Loubere (qui olim Regia legatione Gallica ad R. Siamensem defunctus, præter aulæ negotia literas maximopere promovit, eoque in utramque Academiam, Parisiensem Regiam, & Inscriptionum receptus, nunc octogenario major Tolosæ, in patria, inter libros vivit; conf. Act. Er. 1692 p. 479) B. Schiltero communicatum, & ab hoc egregie illustratum, una cum Notkeri versionibus Canticorum *Esaiæ*, cap. XII, *Ezechiæ*, *Es.* XXXVIII, *Annæ*, 1 *Sam.* II, *Mosis*, *Exod.* XV, *Habacuc* c. I, *Deuteronomii* c. LII, *Zachariæ* & S. *Mariæ*, *Luc.* I, Symboli item Apost. Orat. Domin. &

Fidei S. Athanasii, nunc primum in lucem prodit. Cum vero Lambecius ex forma literarum Codicis Ambrosiani, quem Oenipønte repertum ipse intulit Bibliothecæ Vindobonensi, tum ex Trithemii testimonio, Psalterium hoc ipsi Otfrido vindicare ausus sit, dignus Monasterii S. Galli, cui Notkerus præfuit, Capitularis, S. Theol. Professor & Bibliothecarius, *Bernardus Franckius*, operæ pretium duxit, ut opus singulari & erudita Dissertatione critico - historica, quæ libro merito integra hic præmissa fuit, Notkero suo vindicaret. Cujus præcipua argumenta, ut alia taceamus, eo redeunt, ut probetur, e Trithemio nondum patere, eum de hoc ipso Psalterio locutum, judicium vero Lambecii de ætate Codicis sui esse lubricum, & imprimis Germanismum & stylum longe alium in Otfridiano opere ac in nostro deprehendi, quod orationis Dominicæ, ab utroque exhibitæ, exemplo ad oculum patet. Proximus Notkero uti ætate, ita & loco est *Ill. Willeramus*, Eberspergensis in Bavaria, non Merseburgensis, ut Trithemius, errore nominum confinium inductus, monasterii inter primos Abbas, anno, ut creditur, 1085 defunctus, qui duplicem dedit Paraphrasin Cantici Canticorum, Henrico IV Imp. olim oblatam, Latinam alteram poeticam nec inelegantem, alteram Theotiscam in prosa. Hæc etsi jam olim a Paulo Merula, infelicius quidem, typis Raphelengii 1598, iterumque Wormatiæ, apud Vœgelinum 1631, e Codice Bibliothecæ Palatinæ, opera Marquardi Freheri, sed absque paraphrasi Latina, prodierit, quam postremam editionem sequi constituerat B. Schilterus, qui & ex ipso Eberspergensi monasterio, Cl. Velsero curante, eleganter in membranis descriptum Codicem nactus fuerat; Cl. Scherzius tamen, cum non nesciret, Codices duos vetustissimos, alterum in Vindobonensi Bibliotheca, alterum in Rhedigeriana Vratislaviæ exstare, omnem movit lapidem, ut utriusque apographum accuratum nancisceretur. Et quamvis spes eum, quam egregiam habuit, quantum ad illud, adhuc eum fefellerit, obtinuit tamen haud difficulter Vratislaviense, prorsus ad Codicem MS. depictum, curante Viro de re litteraria optime merente, Gottlob Kranzio, Bibliothecario, Rectore ac Professore Vratislaviensi celeberrimo, cui eo nomine hoc plus debebit Resp. litteraria, quod dignum

gnum Codicem præ ceteris duxit Cl. Scherzius, quem in hac editione sequeretur, non plane contemtis quidem variis lectionibus, apud Merulam, Vœgelinum, & imprimis Eckartum in Historia studii Etymol. C. XIV obviis, additisque insuper non suis modo & Schilteri, verum & Pancratii Castricomii & Franc. Junii observationibus, seorsim Amstel. 1655 editis.

Sequuntur Parte II opera quædam breviora, scilicet *IV. Isidori*, Hispalensis Archi-Episc. qui cum maxime floruerit initio seculi VI, ratione alterius Isidori, centum fere ante annos clari, Junior vocatur, de Nativitate Domini &c. Fragmentum, e libro illius contra nequitiam Judæorum in Francicam linguam vetustissimam duobus, ut nonnullis visum, seculis ante Otfridum ab anonymo translatum, cum ipso Isidori textu Latino. Hoc insigne antiquitatis monumentum cum a Jo. Phil. Palthenio Tatiani Harmoniæ additum, & notis ad linguæ notitiam plurimis instructum, adhuc in omnium sit manibus, solum quidem, quod Schilterus reliquerat, exemplum hic sequi Editores nostri satis habuerunt. *V. Keronis*, Monachi Sangallensis, qui circa A. 720 floruit, Translatio Theotisca Regulæ S. Benedicti, e vetustissima & fere coæva, aut avtographa, ejusdem monasterii membrana nunc primum ab Editoribus, longe spem a se antea factam superantibus, in lucem protracta. Nam ex quo Goldastus rerum Alemann. Tomo I P. I p. 69 ex eadem Keronis versione Glossas Theotiscas, juxta ordinem alphabeticum vocum Latinarum digestas, publicavit, multi, frustra quidem hactenus, optarunt, textum ipsum Theotiscum connexum in lucem protrahi. Cum vero laudatus supra Rev. P. Bern. Franckius intellexisset, in defectu antiquioris illius translationis, recentiorem quandam, quæ forte in manus Schilteri inciderat, in hoc Thesauro comparituram, non gravatus est ultro offerre Codicis illius, adhuc in Monasterii sui Bibliotheca extantis, cujus ætatem ipse Mabillonius, cum inspiceret, ad annos nongentos retulit, Vet. Anal. Tomo IV in fine n. 8, apographum, tanto studio descriptum, ut, in textu imprimis Latino, cui superscripta est versio illa, etiam errores retinerentur, & in versione abbreviaturæ seu sigla. Qua quidem nimia scrupulositate cum vix consultum eruditis putaret Cl. Frickius, in textu, jam

centies impresso, secutus potius est quoad orthographiam editionem, quam Lucas Holstenius ad Codicem veterem Vaticanum, A. 800 scriptum, vulgavit Romæ 1661, & ex hac pariter aliaque Einsidelensi in forma minori, quam editores ad XXX Codices exactam affirmant, varias lectiones cuivis paginæ adjecit: Cl. Scherzius vero, sublatis e versione siglis, integra vocabula Teutonica restituit; ex. gr. pro *dr* der, pro *f* son, sona, pro *liche-mu*, thruhtinlichemo, pro *gun* tagun. Succedunt breviora opuscula duo, *VI.* Index Evangeliorum Dominicalium & Festivalium apud Anglo-Saxones, & *VII.* Calendarium vetus Alemannicum, quæ Schiltero debemus, æque ac *VIII.* Monumenta quædam Catechetica Teutonum, Alemannica, Francica, Saxonica, Gothica, Yslandica &c. Agmen claudit *IX.* Poetæ Teutonici incerti, quem Conf. Scherzius ad seculum XII refert, Rhythmus de S. Annone Archi-Episc. Colon. quem, e veteri membrana Bibliothecæ Rhedigerianæ Uratislav. Dantisci 1639 a Martino Opitio cum egregiis notis editum, dignum existimaverat Schilterus, quem cum versione sua Latina & notis recuderet, quibus nunc quoque Scherzianæ quædam accessere. Ceterum speciminibus afferendis hoc lubentius abstinemus, quod jam satis excurrit hæc libri recensio, nihil interim dubitantes, vel ex his, quæ diximus, constare, quanta cum cura omnia in hoc Tomo fuerint expedita, unde facilis erit conjectura, non minus curate proditura tum ea, quæ Tomus II exhibebit, tum imprimis Glossarium Schilterianum, Tomo III exhibendum, quæ omnia intra unius anni spatium se daturum, pollicetur Typographus solertissimus.

ADRIANI A CATTENBURCH, S. S. THEOlogiæ inter Remonstrantes Professoris, Spicilegium Theologiæ Christianæ PHILIPPI A LIMBORCH, S. S. Theologiæ inter Remonstrantes Professoris celeberrimi: variis Dissertationibus Historico-Ecclesiasticis, multisque ad praxin pietatis promovendam pertinentibus refertum.

Amste-

Amstelodami, apud Balthasarum Lakemann, 1726, fol. Alph. 12 plag. 12.

EX quo inter illos, qui in Belgio Remonstrantium nomen præ se ferunt, celebris sectæ hujus Autor, Simon Episcopius contulit se ad Institutiones Theologicas conscribendas, exemplum ejus Stephanus Curcellæus & Philippus a Limborch secuti sunt, atque in eo collocandam esse operam censuerunt, ut universa Theologiæ Christianæ, cum fidei, tum vitæ capita justo ordine traderentur. Summam *Theologiæ Christianæ* Limborchii indicavimus in Actis 1686 p. 515, cumque nova illius editio prodiret 1715, illius quoque in Actis 1715 p. 524 mentionem fecimus, atque imprimis, quæ accessit, relationem historicam de origine & progressu controversiarum in Fœderato Belgio de prædestinatione enarravimus. In opere hoc cum Clarissimus Autor noster multa omissa esse observaverit, quæ omnino a divinioris doctrinæ cultoribus sint cognoscenda, consilium cepit Spicilegium hoc conscribendi. Nec infeliciter labore, quem suscepit, defunctus est. Ea, quæ Limborchius vel plane non attigit, vel breviter perstrinxit, copiosius est prosecutus. In parte, quæ doctrinas fidei continet, distincte atque uberius disseruit de Dei sanctitate ac benignitate, simulque quæstionem de origine boni & mali expendit, aliaque argumenta de animi immortalitate ejusque facultatibus, de horrore Christi, passionibus atque descensu ad inferos, diligenter illustravit. Idem præstitit in doctrina morum christianorum, in qua de lege naturæ, conscientia variisque vitiorum noxarumque, ac virtutum generibus; speciatim de jurejurando, Sabbato, divortiis atque aliis vitæ Christianæ partibus multa proposuit, quæ a Limborchio sunt prætermissa. Cum hac divinioris doctrinæ scientia conjunxit eruditionem elegantiorem, multaque ex veterum scriptorum Græcorum Latinorumque, Poetarum imprimis, monumentis attulit, quibus argumenta sua modo illustravit, modo confirmavit. Verum dignitas Spicilegii hujus postulat, ut quæ illius sint momenta ac capita, distincte ac speciatim referamus.

Libro igitur I de *Scriptura sacra*, præmissa doctrina de existentia Dei, disputat de libris canonicis & apocryphis, ac de autoritate

ritate Codicis sacri, deque integritate librorum sacrorum, punctatione Codicis Hebraici, de Keri & Ketib, deque Masora, de quibus Criticæ sacræ argumentis eruditorum diversas sententias studiose collegit. De libris novi Fœderis addit, quod omnia genera variantium lectionum illorum referri possint ad quatuor classes, cum aliæ præ se habeant additionem vel unius paucarumve vocum, vel integrarum sententiarum, quæ in receptis vel vulgaribus codicibus non reperiantur: aliæ significent, aliquid esse omittendum, & quidem vel singulas pluresve voces, vel integras sententias, quibus id genus accedat, quod ex mutatione ac metathesi enatum videatur. Hinc disquirit, num notæ spirituum & accentuum ad integritatem novi Testamenti pertineant? & fatetur quidem, quod voces earumque significationes dubiæ reddantur, si accentus ac spiritus desint, graviores tamen adducit rationes pro negativa. Neque minus diligenter collecta sunt, quæ de versionibus, Vulgata, Græca septuaginta Interpretum, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis aliorumque; de Syriaca, Arabica, Persica, Targumim disserit, præcipue in gratiam eorum, qui litteris Philologiæ sacræ dant operam. In capite, quo de norma interpretandi Scripturam exponit, Romanensibus opponit multa testimonia Patrum, ex quibus pateat, quod ipsi nunquam interpretationibus suis vim normæ cujusdam tribuerint, quos multa erronea admisisse, variis exemplis demonstrat. Denique quæ a publicis Codicis divini interpretibus vel vitanda, vel observanda sint, regulis distincte ac perspicue tradit.

Libro II de *Deo & operibus divinis*, fuse tractat cap. VI de præscientia futurorum contingentium. Utque ostendat, quomodo illa libertati humanæ nullam vim inferat, ponit, quod voluntas, non scientia Dei proprie sit caussa rerum, atque addit, si divinæ scientiæ attribuendæ essent operationes, quin Deus autor statuatur peccati omniumque scelerum, quæ videt & prævidet, nullo modo negari posse. Historiam inde controversiæ inter Jesuitas & Dominicanos de auxiliis & scientia media agitatæ breviter refert e Borulli tractatu de *divina scientia futurorum contingentium, præcipue media*, edito Lugduni 1656. Capite VIII de benignitate Dei, in eo imprimis est, ut ostendat, quod mala homi-

hominum atque aliarum rerum conditarum bonitati divinæ nihil detrahant. Considerat triplex malorum genus, imperfectionis, physicum & morale. Contra malum imperfectionis vindicat hanc benignitatem his rationibus: 1) quod cum omnia autorem suum agnoscere debeant, eo ipso non possint non esse imperfecta, quoniam absolute perfectum sit a se ipso; 2) quod universum constet ex diversis partibus, quæ non æqualem possint habere perfectionem, cum totum partibus suis perfectius esse liqueat; 3) quo magis aliquid distet a nihilo, eo magis sit perfectum & possit etiam aliquatenus dici, proprius accedere ad divinas perfectiones: verum cum, quam prope aliquid Deum perfectionibus contingat, aut quibus perfectionum gradibus queat gaudere, nobis sit ignotum, 4) multa nobis inutilia, immo noxia videri, quamvis non exiguum præbeant usum; 5) recte observat, quod absentia perfectionum & commodorum, quibus nonnullæ res præ aliis gaudeant, admodum improprie dicatur malum imperfectionis, cum omnia, quæ Deus condidit, in suo genere sint perfecta. Similes vindicias benignitatis divinæ adversus ea, quæ propter mala physica & moralia objiciuntur, scripsit. Hisce atque aliis attributis divinis expositis, progreditur capite XVI ad doctrinam de Trinitate. Addidit hic duas dissertationes ex historia ecclesiastica. Altera agit de *sententiis hæreticorum de Filio*, in qua disserit cum de antiquioribus hæreticis, qui veritates cœlestes de Filio Dei oppugnarunt, de Sabellio, Paulo Samosateno, Photino, Arianis eorumque sectis, quas distincte recenset, additque historiam contentionis inter Græcos & Latinos, de vocibus *hypostasis* & *personæ*; de Apollinari, Nestorio, Eutychianis atque illorum familiis, Felice & Elypando; tum recentioribus, Socino quippe atque asseclis illius. Altera vero dissertatione disputat de *controversiis & hæresibus, quæ spectant Spiritum S.* eosque, qui doctrinam de Spiritu S. impugnarunt, ad tres classes revocat. Alii enim ipsius divinitatem negant, alii personalem distinctionem confundunt, quibus illi accedunt, qui de personali illius proprietate erronea tuentur. Inter alia refert controversiam agitatam inter Græcos & Latinos de processione: num Spiritus S. etiam a Filio procedat, an vero a solo Patre? quamvis in hisce

argumentis hiſtoricis brevitatem ſit ſectatus. In ipſa hac doctrina de Trinitate, capitibus ſequentibus explicanda, eum ordinem dicendorum ſibi præſcripſit, ut primum veritatem illius confirmet, deinde ab illis, quæ Unitarii objiciunt, defendat, tum disputet, num iſta cognita fuerit paganis hominibus absque revelatione? id quod merito negat. In articulo de creatione, quem Cap. XIX ſeqq. perſequitur, ubi tractat de angelis, celebrem ſententiam *Balthaſaris Bekkeri* recenſet atque examinat, idem, quod alii jam obſervarunt, confirmans, niti ſententiam ejus falſa definitione Carteſiana ſpiritus, quod eſſentia ejus ſola cogitatione abſolvatur, ex qua fecerit concluſionem, ſpiritum non poſſe agere in corpus, id quod quam falſum ſit, demonſtrat, atque inter alia ad commercium inter corpus & animam provocat. Imprimis vero copioſus eſt in doctrina de providentia Dei explicanda.

Sequitur Liber III de *redemtione*, in quo eum dicendorum ordinem cum Limborchio ſuo ſervavit, ut expoſitis doctrinis de peccato, lege Moſis ejusque inefficacia, tranſeat ad articulum de Chriſto ejusque perſona, duplici ſtatu, atque officio triplici. Antequam vero a Moſe ad Chriſtum ſe convertat, diſſerit de Joanne Baptiſta. Negat, patrem ejus Zachariam fuiſſe ſummum ſacerdotem, iis de cauſis, quod Lucas nullam muneris hujus mentionem fecerit; in indice ſummorum pontificum a Joſepho compoſito nullum Zachariæ nomen reperiatur; nec altare ſuffitus collocatum ſit in ſancto ſanctorum, ſed extra ejus velum. Putat, quod *ἀκρίδες*, cibus Joannis, ſignificent veras locuſtas, atque veterum teſtimonia adducit, ex quibus conſtet, quod uſus locuſtarum inter cibos variarum nationum extiterit, additque, quod caput rei hujus ſit, in lege Moſis recenſeri locuſtas inter animalia munda, quibus veſci licitum, *Levitic.* II, 21, 22. Ex illis, quæ in doctrina de Chriſto copioſe dixit, attingamus ſententiam ejus de *deſcenſu Chriſti ad inferos*. Primum obſervat, quod articulus hic primis ſeculis non extiterit in ſymbolo Apoſtolico, poſthac occaſione hæreſeos Apollinarii, Epiſcopi Laodicenſis, poſt medium ſeculi quarti inſertus. Deinde diſputat de ſenſu hujus articuli, ac refutat opinionem Romanenſium de locis ſubterraneis, ſpeciatim

ciatim scholasticorum, qui negant in hoc descensu motum localem, item Calvinianorum, qui descensum hunc metaphorice explicant & per istum inferni cruciatus, quos Christus sustinuerit, intelligunt, cui opinioni in ipsa ecclesia Anglicana multi, quos Noster recenset, se opposuerunt. Tum ad ea, quæ ipse de hoc momento sentiat, exponenda accedit. Minus probat interpretationem Limborchii, qui per descensum ad inferos intelligit statum mortuorum, ea præcipue de causa, quod inter has duas propositiones symboli Apostolici: *Sepultus est: & descendit ad inferos*, hoc modo nulla fere esset distinctio. Cum principem locum Scripturæ de hoc articulo extare credat *Psalm.* XVI, 10 & *Actor.* II, 27, *non derelinques animam in inferno*, multa præmittit de significationibus vocum ᾅδης & שאול tandemque hanc opinionem proponit, quod descensus Christi ad inferos significet, quod anima ejus intraverit commune receptaculum animarum, idque utrumque & piorum & impiorum, ut itaque symboli Apostolici autores hanc confessionem exegisse videantur, quod, sicut corpus Domini in loco defunctorum fuerit, sepulcro conditum, ita etiam anima ejus transierit in locum animabus destinatum post obitum, ut hoc modo appareat, eum omnino subiisse mortem. Verba autem 1 *Petri* III, 10, quæ ex communi nostrorum Theologorum sententia omnino de descensu Christi ad inferos, tum ista ex *Psalm.* XVI, 10, quæ de statu mortis, in quo Christus versatus est, agunt, Noster ita explicat: Christum eo ipso spiritu, quo redierit ad vitam, ut olim per Prophetas, sic per Noachum ejus seculi hominibus prædicasse; verum sicut paucissimi admoverint aures, ideo propter pertinaciam carceri traditi ad diem judicii, & octo tantum, id est, paucissimi evaserint; ita pauci tantum futuri sint servandi per baptismum, cum plerique doctrinam illius adspernentur seque in perniciem præcipitent.

Liber IV de *præceptis novi Fœderis* maximam fere partem totius operis in se continet. Cum enim observaverit Cl. Autor, in libris theologicis, quæ doctrinæ Remonstrantium capita tradunt, etiam in *Limborchii Theologia Christiana*, multa desiderari, quæ ad Theologiam moralem pertinent, in id præcipue enisus est, ut hanc redderet perfectiorem. Primo loco disserere instituit

de lege naturali, conſcientia, bonis operibus, peccato ejusque variis ſpeciebus ac cauſis, de fide, reſipiſcentia ac confeſſione peccatorum coram Deo. In deſcribendo peccato in Spiritum S. accedit quidem ad ſententiam Limborchii, quod blaſphemia in Spiritum S. id peccatum deſignare videatur, quo opera miraculoſa a Servatore noſtro virtute Spiritus S. patrata adſcribantur diabolo, quamvis illi, qui eam blaſphemiam protulerint, perſuaſi eſſent, non poſſe talia, niſi virtute divina fieri; putat tamen, alia inſuper peccata in Spiritum S. committi: ex.gr. ſi quis fidem clare a Spiritu S. dictatam rejiciat; mundum hunc eſſe opus diaboli, ut veteres hæretici Marcionitæ & Manichæi fecerint, pronuntiet; fidem chriſtianam convellat & ejiciat. Secundo loco tractat de virtutibus ac vitiis, quæ ſpectant ad officia erga Deum, alios & nos ipſos. Ubi exponit de oratione Dominica, uſum illius multis argumentis adverſus eos, qui iſtum proſcribere voluerunt, vindicat, quæſtionem autem, num orationis hujus formula ex Judæorum precibus ſit compoſita? haud definit, nec illam, num Chriſtus formulam hanc bis dictaverit, *Matth.* VI, toti concioni, & *Luc.* II, ſolis Apoſtolis, an vero ſemel tantum? Producit autem egregia teſtimonia, ex quibus patet, quod veteres Chriſtiani hanc precandi formulam maximi fecerint, quamvis & aliis precum formulis ad exempla Chriſti atque Apoſtolorum ſint uſi; quod monet contra ſectam Bogomilorum. Argumentum de jurejurando fuſe pertractat, atque ad multas quæſtiones reſpondet. Memorat loca Patrum, qui exiſtimarunt, Chriſtianis haud licitum eſſe, jurejurando ſe obſtringere atque verba Servatoris *Matth.* cap. V, 33 ſeqq. explicat, quæ minime uſum jurisjurandi plane vetant. Quod cum probaverit, recenſet requiſita illorum, qui ad hunc actum religioſum rite ſuſcipiendum accedere volunt; ritus, qui heic obſervantur, explicat, omniaque alia momenta, quæ ad eum, per quem jurare quis debet, ad ipſas res, de quibus juratur, & obligationem juramenti pertinent, diligenter perſequitur. Tertio loco tractat de præceptis Chriſti ceremonialibus, ut putat, de baptiſmo quippe & ſacra cœna, in quo poſteriori ſacramento novi Teſtamenti explicando cum verſatur, inſtituit hiſtoricam narrationem de *transſubſtantione*, aliosque errores & abuſus Romanenſium refutat. Abſo-

Absoluto hoc libro IV, finis ipsi operi imponitur, quod ne justi voluminis molem excederet, ea, quæ ad Librum quintum, sextum & septimum *Theologiæ Christianæ* Limborchii addi poterant, jam prætermittere atque ad appendicem deinceps edendam reservare voluit. Quodsi eas opiniones, quas pro sectæ studio, cui addictus est, quæve a doctrina veræ religionis nostræ discedunt, excipiamus, multa omnino singulari diligentia tradidit, quæ varia eruditione sunt conspicua & capita divinioris scientiæ egregie illustrant.

ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΛΟΓΓΙΝΟΥ ΠΕΡΙ ΥΨΟΥΣ
ὑπόμνημα.
i. e.
DIONYSII LONGINI DE SUBLIMITATE Commentarius, quem nova Versione donavit, perpetuis Notis illustravit, plurimisque in locis partim autoritate optimorum MSSptorum, partim conjectura emendavit, additis etiam omnibus ejusdem Autoris Fragmentis, ZACHARIAS PEARCE, *A.M. Regiæ Majestati a Sacris Domesticis &c.*

Londini, ex officina Jac. Tonson & Jo. Watts, 1724, 4 max.
Alph. 1 plag. 8½.

Post præclaram illam *Jac. Tollii*, duasque alias *Cl. Hudsoni* editiones aureoli hujus libelli, operæ pretium se facturum putavit *Cl. Pearce*, si & ipse eundem Autorem nova veste indutum prodire juberet. Sed ut opus suum eruditis approbaret, de iis subsidiis ante omnia fuit sollicitus, quibus instructus aut emendare, aut singulariter illustrare Longinum posset. Itaque non modo editionem principem Francisci Robortelli, quæ longe fidelius, quam postea Manutiana, manum Autoris repræsentat, & discrepantes lectiones ex Vaticanis tribus MSS. collectas atque Tollianæ editioni subjunctas, nec non MS. Eliensis varietates, ab Cl. Hudsono vulgatas, omnesque editiones diligenter consuluit; sed & sibi comparavit Conr. Sam. Schurtzfleischii τȣ̃ μακαρίτȣ animad-

animadversiones in Longinum, utiles quidem, inquit Cl. Pearce,
tum ob doctrinam, quam sæpissime ostentant, tum ob variantes
lectiones, quas ille e MS. Ambrosiano exscripsit. Sed potissimum
codicem Parisiensem, præstantissimum omnium & a Tollio val-
de negligenter habitum, consulendum esse putavit. Quare Græ-
co cuidam homini docto & in his rebus multum versato ne-
gotium dedit, ut eum cum editis compararet & lectionum di-
versitates exscriberet. Specimen etiam scripturæ hujus codicis
æri incisum Præfationi inseruit, & omnium ejus foliorum ini-
tia & fines adjecit. Ex his subsidiis passim emendavit contextum,
vulgata Manutii lectione singulis paginis subjecta, rationes au-
tem emendationum, quia artis Criticæ imperitis molestæ esse
potuissent, in finem libri rejecit. Ita Sect. IX pag. 28 pro Manu-
tiana lectione: Ὁ δὲ ὑπερμεγεθύνει τὰ δαιμόνια, ex MSS. re-
posuit: Ὁ δὲ πῶς μεγεθύνει τὰ δαιμόνια; & mox in verbis
Homeri: ὑψηχέες ἵπποι, cum etiam Tollius contra MSS. &
Homeri editiones expressisset: ὑψαύχενες ἵπποι. Sect. XV init.
ex MSS. edidit: ἔτω γὖν εἰδωλοποιΐας αὐτὰς ἔνιοι λέγουσι, cum
vulgatæ editiones verba ἔτω γὖν omittant, & Tollius, qui ve-
terum codicum lectionem noverat, nihil mutandum censuisset.
Et est sane recepta lectio paullulum elegantior; sed cum illam
alteram MSS. optimi & princeps editio agnoscant, recte Cl. Pear-
ce eam prætulit. Maximam autem textus repurgandi copiam
habuit, ubi Longinus aliorum autorum verba in medium protu-
lit. Manutius enim ea omnia ad editiones autorum exegerat, &
ita apud Longinum verba legenda dederat, uti ex. gr. apud He-
rodotum & Thucydidem leguntur, cum tamen noster Dionysi-
us sive ex memoria, sive ex aliis codicibus eadem verba paullo
aliter scripserit. Quæ porro ipsi emendanda videbantur, MSpto-
rum autem autoritate carebant, ea inter vulgatas lectiones singu-
lis paginis subjecit. In quem locum etiam Sect. X redegit eam
lectionem in Carmine Sapphus, quam tamen Tollius in contextu
exhibuit, nempe:

Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν
Ἔμμεν ἢ μὴν, κ. τ. λ

In contextu scribit, inter varias autem lectiones ponit: Forte:
Ἔμμεν,

Ἔμμεν' ὠνὴρ. Sed, ut diximus, Ἔμμεν' ὠνὴρ jam edidit Tollius, qui ita in veteri codice esse testatur. Præterea illustrem Spanhemium ad Callimachi Hymnum in Lav. Pallad. v. 54 videmus eandem lectionem ex codice Vossii approbare: & cum MSS. Vaticani habeant: Ἐμμένον ἥρως τις, MSS. autem Parisiensis, Ambrosianus & Eliensis: Ἐμμένων ἥρως τις, luculenter apparet, librariorum vitio syllabas disruptas esse, quæ ita in locum suum veniunt, si legamus: Ἔμμεν' ὠνὴρ, ὅς τις. Deinde novam Versionem addidit Cl. Editor, quæ sane melius Græco textui respondet, quam Tolliana, & quilibet, vel mediocriter Græce doctus, ex ea longe melius, quam ex Tolliana Græca intelliget. Denique præter Fragmenta studiosius collecta & notulis quibusdam ornata, accedit Commentariolus in Longinum, res potissimum & præcepta sublimitatis Græcis Latinisque exemplis illustrans, & singulis paginis contextus statim subjectus. Quem ut passim utilem deprehendimus, ita etiam vulgaria multa, & omnibus dudum nota tradit: quæ res, nisi ex singulari quodam & nobis ignoto consilio provenit, non magno decori erit libro, charta alioquin & typis haud vulgariter superbienti, sed & pretio non modico venienti.

VALERII MAXIMI LIBRI IX FACTORUM Dictorumque memorabilium, cum notis integris H.L. Glareani, St. Pighii, J. Lipsii, C. Coleri & J. Vorstii, nec non selectis aliorum observationibus. Quibus accedunt Emendationes ineditæ C. Barthii, Fr. Guyeti & M. Gudii, item Notæ & Observationes perpetuæ JAC. PERIZONII, ut & A. Schultingii Exercitatio ad Valer. Max. lib. VII cap. VII de Testamentis rescissis. Ad plurimorum MSS. fidem opus recensuit & Notas adjecit ABRAHAMUS TORRENIUS.

Leidæ, apud Sam. Luchtmanns, 1726, 4.

Alph. 6 plag. 5.

IAmdudum elegantioris litteraturæ studiosi ea, quæ Celeb. *Jac. Perizonius* in Valerium Maximum quondam meditatus est, votis

votis omnibus expetierunt: haud ignari scilicet, ab exactissimo judicio viri eruditissimi nil nisi elaboratissima & elegantissima proficisci posse. Sed ipse quidem morte præventus votis illis satisfacere non potuit: id tamen egit, quod literarum amante homine dignum erat, & curas suas omnes testamento in Bibliothecam Lugduno-Batavam transferri jussit, ut aliquando per virum idoneum inde in lucem protraherentur. Evenit itaque, ut Cl. Torrenium, Gymnasii Leidensis Rectorem, sedulo in lectione Valerii versatum, cum alii, tum maxime Celeb. P. Burmannus aptum judicaret, qui Perizonii observationes & subsidia ad emaculandum scriptorem, a librariis & editoribus fœde corruptum, ita tractaret, ut inde res litteraria aliquid emolumenti caperet. Horum igitur judiciis & monitis magis magisque accensus Cl. Torrenius opus aggressus est, & primum quidem Perizoniana omnia adhibuit. Collegerat autem Vir doctissimus non modo notas ad emendationem Valerii, sed & varia ex multis MSS. excerpta, tam per se, quam per alios descripta: in quibus etiam discrepantes lectiones ex viginti amplius MSS. ab Illustri Marq. Gudio olim collectæ, item Tollii aliorumque similes curæ, nec non emendationes aliquot Casp. Barthii, quas inseruerat B. Fellerus noster excerptis diversis scripturis MS. Lipsiensis. His omnibus adjecit ipse Cl. Editor MSS. octo Bibliothecæ publicæ Leidensis, ex quibus quatuor aliquando Vossii fuerunt, duos Codd. Trajectinos, quorum variantes subministravit Celeb. Drackenborchius, &, præter editiones vetustas, virorum doctorum observationes & adnotationes in suum scriptorem. Tot atque tantis subsidiis instructus magnum quid & pereximium animo concipere poterat: & qui ab eo magnifica multa sibi promiserunt, omni certe spe ut excidant, impossibile est. Nam Perizonii observationes omnes eruditæ sunt & elaboratæ, modo historiam, modo antiquos mores, sæpissime latinitatem haud vulgariter illustrant. Et quanquam ultimam Autoris optimi manum non sunt expertæ, a qua fortasse multa decoris & elegantiæ augmenta cepissent; tamen vel sic abblandiuntur mirum in modum, &, si paucissimas excipias, sine dubio omne punctum ferant. Quædam gratiores essent & ad usum lectoris magis accommodatæ, si Cl. Editori ipsa verba

verba Autorum, quos Perizonius, ut in talibus fieri solet, nomine tantum, libris & capitibus citaverat, adscribere placuisset. De observationibus Torrenii, cum pleræque sint vulgares, & ab aliis dudum in medium prolatæ, nullas hic memorare necesse est; etsi alioquin Virum hunc studii laude neutiquam fraudandum censeamus. Laudamus etiam, quod Pighii errores, qui id egerat, ut Valerius Maximus nunquam errasse videretur, feliciter detexit, & ex vetustis libris passim emendavit. Neque culpamus, Vorstium interdum esse in ordinem coactum; quanquam inquirere nolimus, an jure Lexicon Fabri toties ipsi impingatur. Hoc sane novimus, omnes qui eum librum novis augmentis ornarunt, & Vorstium, & alios notarum scriptores sedulo exscripsisse: cumque ceteri hoc fere dissimulaverint, nuperus tamen Editor hoc præ se ferre non erubuit: adeo per alios sapiunt isti homines. Eundem reprehendit aliquoties Editor, quod nimis supine Colerum, Pighium inspexerit, autoresque ex eorum indicio in notas suas transtulerit, quos tamen ipse evolvere sit dedignatus. Pessimum profecto factum! At quid dicemus de Torrenio, qui ad lib. IX cap. II n. 1 ex schedis Perizonii adscripsit Senecam lib. III de Ira cap. XVIII. Sed vix est, ut credamus inspexisse. Lipsius enim ad eum locum corrigit Valerium Maximum, & pro verbis *M. Mario prætore*, reponit *M. Mario prætorio*. Quæ emendatio, utut supervacua esset, digna tamen erat, quæ in tali editione memoraretur. Ad Lib. VIII cap. VII n. 4 ex Diogene Laertio, ad quem Valerium respicere notaverat Menagius, refert, quod is, autore Herodoto, tradiderit, Democriti patrem Xerxi Regi epulum præbuisse, cum Valerius narret, *Xerxis exercitui epulum ex facili dedisse*. Noster ex Bælii Lexico adnotat, immane quantum differre, Xerxem solum, & tantum ejus exercitum epulis excipere, atque ita litem non componit, sed aut in dubio relinquit, aut in Valerii relationem inclinat. Cur non inspexit Rittershusium ad Guntheri lib. IX Ligur. v. 461, ubi ex vet. Codice apud Valerium reponit: *ut pater ejus* Xerxi epulum dare *ex facili potuerit*, & impossibile judicat, tanto exercitui, qui decies centenis millibus militum constitisse fertur, epulum dare? Ille autem, si controversiam non tollit, tamen quia ad vet. codicem provocat, memoran-

randus erat. Ad lib. V cap. IX n. 3, ubi autor *filio aliquantum tetriore* scripserat, pro quo vulgo dicunt *aliquanto tetriore*, nihil adnotat, nisi: *vide Cl. Burmannum ad Valer. Flacc. lib. I v. 741*, nimirum Burmannus jusserat eo loco videre Vorstium ad hæc Valerii Maximi verba, sed Flaccus nihil commune habet cum Maximo, nisi quod dicat *quantumque propinquat*, & loca Ovidii, quæ Burmannus addidit, ad Flaccum quidem, non vero exacte ad Maximum faciunt. Meliore jure Cl. Burmanni notam ad Quintilian. lib. XI cap. II pag. 787 adscribere potuisset, ubi Fabius *multum difficilior*, ut Valerius M. *aliquantum tetrior* dixit. Et cur tam timide de *exuviis* ad lib. I cap. I n. 16 pronunciat, cum id omne omittere potuisset? *Exuvias* non modo apud Virgilium VIII Eclog. v. 91 & alibi aliquoties hoc sensu reperire potuisset, sed etiam apud Statium VI Theb. v. 67, ubi ita:

Arma etiam & veterum exuvias *circumdat avorum*,

& clarius, pro vestimento, Serenus Sammonicus cap. XXXIII:

Quondam etiam nimio praceps urina fluento
Irrigat exuvias, *obscœnoque inficit imbri.*

nec non Marcianus Capella lib. II pag. 27: *verum illa* exuvias *filiæ ornatusque detulerat, quis induta Deorum sociari cœtibus non paveret*: omittimus Lucanum, Ammianum & alios; nam observationes Torrenii augere non propositum est.

T. LUCRETII CARI DE RERUM NATURA Libri VI, cum Notis integris Dionysii Lambini, Ob. Gifanii, Tan. Fabri, Thom. Creechii, & Selectis Jo. Baptistæ Pii, aliorumque, curante SIGEBERTO HAVERCAMPO, qui & suas & ABRAHAMI PREIGERI Annotationes adjecit. Accedunt Interpretatio Thomæ Creechii, variæ lectiones ex notulis If. Vossii, atque ex plus quam viginti quinque Codd. tum impress. tum MSS. ut & complures, iique locupletissimi Indices. Cum Figuris artificiosissimis atque venustissimis.

Lugduni Bat. apud Janssonios van der Aa, 1725, 4.
Alphab. 9 Tabb. æn. 7.

VIx est, quod de nova hac Lucretii editione dicere possimus, præ-

præter id, quod ipse index jam perspicue satis promittit. Eam ob causam initio nobiscum constitueramus, silentio eum librum præterire: eo magis, quod per nominum subscriptionem, ut vocant, prodiit, numerusque exemplorum impressorum vix ad 820 assurgit, quæ, ut ajunt, inter subscribentes jam sunt divisa. Hoc nempe pacto judicium nostrum non tantum, quantum alias, in commune proderit, & bonis viris, quibus consulere debebamus, sero jam operam nostram exhibemus. Sedit tandem, vel ob historiam hujus editionis, quem diximus, indícem veluti commentariolo quodam illustrare, quo illa, quæ ita præcise posita minus intelliguntur, lectori nostro manifesta magis, magisque in aperto sint. Primum Lambini, Gifanii, Fabri & Creechii notæ integræ promittuntur, & in præfatione iterum testatur Cl. Havercampus, se nihil resecuisse, cum alii, qui hoc facerent, titulo sæpe lectori imponere solerent. Et, si dicendum quod res est, hæc primaria dos est hujus editionis, quod doctissimorum illorum virorum notas junctim nunc legere licet. Sunt etiam, quantum nobis constat, integræ & minime mutilatæ notæ; nam nihil huic laudi officere credimus, quod semel atque iterum duorum nomina uni observationi adscripta sunt, quia uterque idem dixit. Deinde selectas Jo. Baptistæ Pii aliorumque annotationes additas esse legimus. Pii observationes aliquot neque doctrina, neque elegantia destituuntur, & cum Commentarius ejus in paucorum manibus sit, non inutilem operam præstitit Cl. Editor, cum observationes ex eo selegit, & publico usui denuo exposuit. *Ex Pii notis*, inquit, *selegimus, quæ mereri videbantur, ut legerentur, quave non a Lambino aliisve uberius postea & melius disposita erant.* Quæ posteriora verba cum legeremus, mirari subiit, cur ipsi Editores aliquoties adscripserint eadem illa, quæ jam alii in observationibus suis expresserant. Certe ad lib. I v. 251, ubi jam Faber notaverat, Virgilii versus ex lib. II Georg. eo referenda esse, non modo Havercampus postea eos versus appingit, sed & singulari nota & eadem pagina eosdem adlevit Preigerus. Ad lib. autem VI v. 1204, ubi Lambinus bene multis exemplis demonstraverat, *exierat* esse evitaverat & evaserat, Havercampus, veluti novam rem docturus, inde & ipse observa-

tionem construit, exemplumque ex Lucretio addit, quod Lambinus pridem ad lib. V v. 1329, quo ipse hoc loco lectorem ablegat, subjecerat. Illud ALIORUMQUE designat autores in Face Artium Gruteriana, Turnebi Adversaria, Rutgersii varias lectiones, Gronovii observationes & Vossii scripta Grammatica: ex his enim fontibus reliquæ notæ derivatæ sunt. Quasi vero hi soli essent, qui aliquid in Lucretium contulerunt, undeque nova editio insigniter augeri potuit. Sed omittimus tot præclara ingenia, quæ variis locis Lucretium emendarunt: dolemus tamen, nullam illustris Heinsii, omnium poetarum Æsculapii, rationem esse habitam. Fecisset hoc Preigerus, otium sibi factum vidisset lib. I v. 724, ubi vatem maximum infeliciter tentat, quem longe meliore ratione emendare aggressus est ille Heinsius ad Silii lib. VII v. 355. Sed ne illos quidem, quos dignos judicarunt in diversas has annotationes conjici, satis diligenter consultos esse deprehendimus. Et cujus judicii, aut diligentiæ est ad lib. I v. 1021 de suo corrigere autorem, postea vero ad lib. V v. 420 Gronovii emendationem ejusdem versus proferre, eique assentiri? Sequitur in titulo: *Curante Sigeb. Havercampo, qui & suas, & Abr. Preigeri annotationes adjecit*, de qua tamen parte silere satius esset. Nam in medium proferre, quod Havercampus lib. VI v. 793 vulgatam lectionem:

Dejicere ut pronos qui morbus sæpe suëvit

ita emendaverit:

Cum cinere ut prunas κονιορτὸς mittere suevit,

non valde commodum arbitramur. Illustrationes etiam adstrictiores sunt, ex. gr. ubi lib. V v. 204

Et mare, quod late terrarum distinet *oras*,

unico Livii loco ex lib. I cap. 15, *ne quid meam vobiscum pacem distineat*, ornatur: cum tamen in promtu sint elegantioribus non modo Livii alia loca ex lib. IV cap. 59 & lib. V cap. 20, sed etiam Prudentius lib. II in Symmach. v. 597:

Omnibus in terris, quas distinet *Occidualis*
Oceanus.

atque alii. In quem censum referas Preigeri notam ad lib. V v. 467, qua, illustraturus verba: *subtexunt nubila cœlum*, ita inquit: „Ele-

„Eleganter: cujus contrarium vidimus ad v. 268 hujus libri apud „Statium tribui auroræ & ortui Solis, *cœlum* nempe *retexere*. Hæc ille, negligens prorsus Senec. Phœniss. v. 422:

— — *vel atra* nube subtexens diem
Stymphalis.

& ea, quæ Heinsius ad Claudian. II in Eutrop. v. 451 in hanc significationem congessit, quæque ex aliis scriptoribus multum augeri potuissent. Attulere tamen & Editores novas interpretationes. Notum est, quomodo intelligant eruditi lib. I v. 62:

Nec bene promeritis capitur nec tangitur ira,

h. e. Deus neque delectatur, neque *irascitur*, vel, uti Cicero idem expressit, neque gratia, neque *ira tenetur*: ad quam formam Seneca Conf. ad Marc. cap. XIX: *non* invidia *felicitatis alienæ* tangitur: & Autor de vita contemplativa, qui Prosper Aquitanicus vulgo habetur, lib. I cap. XII: tangitur desideriis *carnalibus*, *nec consentit*: quomodo idem scripsit lib. II cap. XVIII, si quidem fides habenda veterrimis membranis quadrata littera scriptis: *non amittendæ vitæ* timor tangebat *de immortalitate securum*, ut alios omittamus. Sed Havercampus intelligit *iram* hominum, quam Deus nihil curat, qua non *commovetur*: idque probare nititur ex Tertulliani Apologet. cap. XL his verbis: *Invidia cœlum tundimus, Deum tangimus*, sed vix cuiquam persuadebit. Apud Tertullianum autem si putavit *invidiam* ita accipi, ut statuit, *iram* apud Lucretium esse capiendam, eos omnes dissentientes habebit, qui Tertullianum sedulo legerunt. Videas modo, lector, Afrum illum de Jejuniis cap. XVI; de Fuga in persec. cap. X extremo; de Pudicitia cap. XXII, & aliis locis, & videbis singularem hujus vocabuli usum, de quo latius hic differere non est necesse. Et hæc quidem de notis Havercampi & Preigeri. Sed monendum præterea, præmitti huic Lucretio etiam „Epistolam Abr. Preigeri ad „Virum Clarissimum Sigeb. Havercampum, Contubernalem „quondam suum dulcissimum, nunc in celeberrima patriæ Aca„demia, quæ Lugd. Bat. est, Professorem Historiarum, Eloquen„tiæ & Linguæ Græcæ dignissimum," qua non modo de elegantia Poetæ, sed etiam de variis emendationibus corruptionumque caussis Preigerus differit. Supereft ut de his, quæ præterea accesserunt,

runt, pauca dicamus. Cl. Creechii *Interpretatio* ſingulis paginis textui continuo ſubjicitur. Inter eam & Notas ponuntur *Variæ lectiones*, ex diverſis editionibus, & MSS. Bodleiano, Gottorpiano, 2 Heinſianis excerptis, duobus Voſſianis, aliisque editioni Veronenſi adſcriptis deſumtæ. Habemus & nos varias lectiones Fragmenti illius Gottorpiani, ex quibus hoc didicimus, non ſumma diligentia diſcrepantes eas ſcripturas congeſtas eſſe. Quod tamen de ſolo Gottorpiano ut dici poſſit, vehementer optamus. Inter varios *Indices* ſunt etiam *Conlectanea Giſanii* in Lucretium; quæ eruditis ſemper in pretio fuere; nunc autem non paginis, ſed libris poetæ & librorum verſibus reſpondent, & præterea auctorum veterum loca paullo diligentius, numeris librorum, capitum & verſuum appoſitis, citata ſiſtunt. *Figuræ* iſtæ *venuſtiſſimæ* non partem aliquam antiquitatis, aut ſingulares obſervationes illuſtrant, quarum rerum cauſa olim a viris doctiſſimis libris inſerebantur; ſed, in ornamentum & pretium novæ editionis, ſingulis libris Lucretii præfixæ & ad argumenta cujusque libri paullulum accommodatæ ſunt.

Philoſophiſches LEXICON.

hoc eſt:

LEXICON PHILOSOPHICUM, IN QUO omnium Philoſophiæ diſciplinarum termini resque ipſæ explicantur; controverſiæ Philoſophorum veterum & recentiorum recenſentur, ſcriptaque de ſingulis argumentis memorantur, editum a JO. GEORGIO WALCHIO, S. Theologiæ Doctore & Profeſſore in Academia Jenenſi.

Lipſiæ, ſumtu Jo. Friderici Gleditſchii B. Filii, 1726, 8 max. Alph. 4 pl. 12.

VArii fuerunt, qui Lexicis Philoſophicis conſcribendis operam dederunt, quamvis omnium fere ea ſit ratio, ut pro conditione, quam Philoſophia nunc præ ſe habet, exiguam afferant utilitatem. Etenim aut ſolos terminos, qui Philoſophorum ſunt pro-

proprii, explicant; aut inserviunt tantum sapientiæ Aristotelicæ & scholasticæ intelligendæ. Aliud plane operis hujus institutum est, quod ipse Cl. Autor, Collega noster honoratissimus, in Præfatione copiose exponit, simul alios horum Lexicorum autores recensens. Complectitur omnes Philosophiæ disciplinas, Logicam, Metaphysicam, Theologiam naturalem, Physicam, Pnevmaticam, Ethicam, Jurisprudentiam naturalem & Politicam, quarum omnia argumenta pro ratione Lexici secundum litterarum ordinem sunt explicata atque illustrata. Primum omnes termini, quos Philosophi usurpant, ita sunt expositi, ut quisque eorum significandi vim capere facili negotio possit, præsertim cum perspicua exempla accesserint. Plerosque horum terminorum Latina lingua, qua in usu sunt, retinuit, quod, si novas voces lingua Germanica adhibere voluisset, ex illis obscuritas exorta fuisset. Verum minima pars operis hujus pertinet ad hosce terminos. Porro enim ipsas res omniaque argumenta, de quibus Philosophi differunt, persequitur Cl. Autor, eo servato dicendorum ordine, ut non solum ipse momenta quævis clare ac distincte sit interpretatus, atque argumenta addiderit, rite cognitionis veri & falsi discrimen observans, quo ista modo sit certa, modo probabilis, modo possibilis; verum etiam doctrinarum historias accurate memoraverit. Pertinet ad has, quando dissentientium opiniones diligenter collegit: controversiasque Philosophorum & vetustioris & recentioris ævi tanto studio recensuit, ut nulla fere fuerit disceptatio, cujus heic non facta sit mentio ac ratio exposita. Quod ad recentiores attinet, provocamus ad controversias Bælii de origine mali; Thomasii de crimine magiæ; aliorum de polygamia, concubinatu, divortio; de libertate hominis, easque, quarum occasionem dederunt Leibnitius & Wolfius. Et has quidem diligenter memoravit, ita, ut quamvis a placitis hujus Philosophiæ ipse discedat, ubique tamen modestiam sectetur, ac, quæ Philosophi eclectici munus postulat, observet. Ubi in explanandis rerum naturalium causis versatur, experimenta quoque attingit, atque instrumenta, quæ illorum causa adhibentur, describit. Equidem in singulis doctrinæ philosophicæ partibus explicandis non mediocrem operam collocavit;

præ

præ reliquis tamen Jurisprudentia naturalis maximo ſtudio eſt tradita. Ut illis quoque ſatisfaceret, quibus adhuc Philoſophia Ariſtotelica placet, hujus pariter dogmata, quæ cum ad Logicam, tum ad Phyſicam aliasque diſciplinas pertinent, propoſuit. Non eſt neceſſe, ut ſpecimina quædam recenſeamus. Quisque enim ex illis, quæ generatim diximus, facile intelligere poteſt, qualis libri hujus ſit ratio, quidque in eo quærere debeat. Quare id tantum addimus, quod Autor de omnibus materiis ſcriptores idoneos adjecerit, cumque hac occaſione magnum apparatum ad Bibliothecam Philoſophicam collegerit, eam a ſe Latina lingua conſcriptam, in præfatione, exſpectari jubet.

PHILOSOPHICAL EXPERIMENTS AND Obſervations &c.

hoc eſt,

EXPERIMENTA ET OBSERVATA PHILOſophica Viri inter eruditos quondam eminentis, D. ROBERTI HOOKE, S.R.S. & Geom. Prof. Greſham. aliorumque Virorum eruditorum primi ordinis, qui illo tempore floruere, edita a GUILIELMO DERHAM, S. R. S.

Londini, apud W. & J. Innys, 1726, 8, chart. aug. Alph. 1 pl. 3 Tabb. æn. 4 c. fig. textui inſertis.

SCripta Viri celeberrimi *Roberti Hookii*, quæ ipſe luci publicæ expoſuerat, enarravimus in Actis A. 1707 p. 150, & poſthuma a *Richardo Wallero* publicata prolixe recenſuimus ibidem p. 150 & ſeqq. Promittebat idem *Wallerus* adhuc alia fragmenta, inventa & experimenta Viri egregii; ſed fatis concedens ſtare promiſſis non poterat. *Wallero* mortuo ſchedæ *Hookianæ* pervenere in manus Viri de Rep. literaria optime meriti, *Guilielmi Derham*, qui, ut de eadem bene mereri pergeret, ea inde ſelegit & ſecundum annorum ordinem digeſta publici juris fecit, quæ ad ſcientiæ phyſicæ ac mathematicæ incrementa inſerviunt, interſperſis hinc inde aliis virorum præclarorum obſervationibus ac


ac inventis. Noſtrum eſt notatu non indigna excerpere, quæ rerum naturalium curioſis grata judicamus.

Inventionem barometri *Hookius* vindicat *Boyleo*, qui in eam incidit A. 1658 vel 1659, ſuadente *Wrennio* inquiſiturus, num Luna premat atmoſphæram noſtram & ea mediante aquas marinas juxta hypotheſin *Carteſii*. Experimentum *Torricellii* A. 1643 Florentiæ inſtitutum a *Merſenno* A. 1644 & *Paſcalio* A. 1646 & 1648 in Gallia cum ſucceſſu fuiſſe repetitum: *Ottonem* vero *de Guericke*, cui A. 1654 a *Valeriano M.* Ratisbonæ id fuerit communicatum, idem poſtea ſibi arrogaſſe & *experimentum Magdeburgicum* inde fuiſſe appellatum, autor eſt *Derhamus*. Obſervationes horologii oſcillatorii marinas A. 1662 inſtituit *Kingkardinus*, motumque agitatione navis turbari aliquantiſper, deprehendit. *Robertus* vero *Holmes* illius ope longitudinem maris rectius determinavit quam ſocii in aliis navibus, qui methodo communi utebantur, etſi huic negotio non exacte ſatisfaceret. *Hookius* d. 3 Dec. A. 1662 ponderavit aerem, uſus globis hermetice ſigillatis, ex quibus vi caloris eundem expulerat. Eodem anno d. 24 & 31 Dec. illuſtri Societati Regiæ exhibitum fuit experimentum determinandi preſſionem, quam ſuſtinet medium a corpore in eodem vel aſcendente, vel deſcendente, quod a *Leibnitio* ad ſolvendum phænomena barometri commendatum in Actis A. 1711 p. 11 deſcripſimus. Recenſentur, quæ judice *Hookio* in *Grænlandia* & *Islandia* ſint obſervanda & quænam circa reſiſtentiam aeris in motu corporum ſint examinanda. *Hookius* A. 1663 inquiſivit in refractionem in glacie atque cryſtallo. Deprehendit autem refractionem in glacie minorem, quam in aqua, & in cryſtallo majorem, quam in vitro. Deſcribit idem regulas generales in experimentando obſervandas. Ex variorum literis phænomena varia recenſentur, veluti quod in bronchiis pulmonum ovium & in arteria aſpera bovis magna graminis quantitas fuerit reperta; quod in terræ motu per 32 dies atque noctes continuato ſolum cum 3000 domibus & inhabitatoribus fuerit ſubmerſum, ejusque loco lacus profundus comparuerit, & ex lacu piſcibus pleno piſces omnes in continentem fuerint excuſſi, lacu hoc evaneſcente, quamprimum ad diſtantiam milliaris Anglici

alter oriretur; quod ova reperta fuerint loco vitelli inclusa albumini aliorum ovorum &c. *Hookius* describit anemoscopium suum & vas prismaticum triangulare, ad dimetiendam quantitatem aquæ pluvialis commodum. Recensentur quædam observationes immersionum Satellitis primi *Jovialis* a *Toinardo* A. 1679 & 1680 factæ. Describuntur grandinis figuræ singulares A. 1680 mense Majo ab *Hookio* observatæ; animalcula minutissima in aqua a *Leuwenhækio* deprehensa; casus singularis hominis muti periodice loquentis nempe nonnisi ab hora 12 meridiana usque ad primam, *Grewio* a *Keiselio* communicatus; structura crinis a *Leuwenhækio* detecta & ejusdem observationes microscopicæ de alvi fæcibus, de fibris musculorum, duræ matris, cerebri, medullæ spinalis, & *moxa* herba; vermes millepedibus similes in stomacho repertæ; *Molyneusii* observata anatomica in vespertilione dissecto, in quo penitus mortuo cor ultra horæ spatium systolen atque diastolen peregit; *Hookii* experimenta varia, veluti de metallis in aliis ejusdem speciei liquefactis natantibus, de condensatione aeris ope aquæ, de pressione aquæ in tubis, de gravitate specifica aquæ & Mercurii, quam determinavit ut 1 : 15, de expansione metallorum liquefactorum, de pressione partium aquæ ab aqua, de elasticitate aeris, de pondere aquæ & ejus calore ac frigore per omnem profunditatem eodem, de singulari molendini vi ventorum agitandi genere, de impediendo lapsu ponderum rupto fune, de gravibus exactissime ponderandis, de pondere fluidorum accurate determinando, de magnetismo terebris chalybeis absque magnete conciliato, de duritie ac tenacitate glaciei, de dilatatione aquæ congelatæ, de gravitate specifica glaciei, quam facit respectu aquæ ut 8 ad 7, de ejusdem phænomenis & causa expansionis. Reperies ibi porro *Hookii* methodum verba quædam exiguo temporis spatio per maximam distantiam alteri communicandi. Commendantur ad hunc usum telescopium & loca eminentia tanto intervallo in directum a se invicem dissita, quantum istud requirit. Peculiares vero in locum literarum substituit characteres ex intervallo facile distinguendos. Invenies quoque ejusdem discursum de curru a vento agitando, sed qui in primariis deficit, cum Cl. Editor inter MSC. Autoris,

quæ

quæ huc ſpectant, reperire non potuerit. Extant ibidem experimenta *Hookiana* & obſervationes in uſum barometri perficiendi. Gravitas ſpecifica aquæ ad Mercurium determinatur ut 1 ad 15, ſpiritus vini ad eundem ut 1 ad 17, olei terebinthinæ ut 1 ad 17$\frac{1}{4}$. Si ſpiritus vini fuerit 51, oleum terebinthinæ erit 52, aqua communis 60. Exhibentur varii modi conficiendi phoſphorum, phoſphorum ſcilicet Bononienſem, phoſphorum liquidum ex cineribus clavellatis & ſpiritu urinæ, phoſphoros metallorum, phoſphorum *Brandii* ex urina & phoſphoros *Balduini*. Monet *Derhamus*, Cel. *Slarium* jam longo ante A. 1677 intervallo Societati Regiæ exhibuiſſe phoſphorum quendam. Subjicitur *Balduini* modus efficiendi germinationem metalli, & *Feburii* atque *Evelyni* modus præparandi electuarium, quod *Orvietani* nomine venit, una cum artificiis aliis utilibus & curioſis ab *Hookio* collectis. *Joannes Caſwellus*, Profeſſor *Savilianus* in Academia Oxonienſi, A. 1686 coram Societate Regia legit diſcurſum de umbra retrograda in ſciateriis ſub zona torrida, qui hic integer inſeritur. *Hookius* facili via invenire docet lineam meridianam; experimento probat, oleum vitrioli aquæ permixtum minus augere volumen quam pro ratione quantitatis affuſæ, quod ab *Hawkesbejo* iteratum legitur in Transactionibus Anglicanis A. 1711 num. 331; plantam deſcribit, quæ a Luſitanis *bangue* appellatur & ex India in Europam afferri ſolet; obſervationes de gemmis communicat; varia inſtrumenta ſiſtit ad fundum maris explorandum; de teleſcopiis & microſcopiis eorumque inventoribus diſſerit, & microſcopium reflectens exhibet, quale in Transactionibus



Anglicanis dedit *Caſſegranius* num. 83. Eſt ſcilicet AB ſpeculum

 con-

concavum, cujus focus in E; & FG alterum speculum concavum minus, reflectens radios in focum alterum D, in quo oculus K ope lenticulæ C videt objectum. His additur historia typographiæ Oxoniensis a *Wallisio* conscripta; observatio non una de lacu ingente in Suecia A. 1688 ab anonymo facta, *Walleri* animadversio in discursum *Hookii* de microscopiis. Machinam asportatoriam, qua facili negotio ingens terræ quantitas ex uno loco in alium deportari potest, a *Roberto Southwell* visam, A. 1692 cum Societate Regia communicavit *Hookius*. Reperies porro ibidem schediasma de quantitate auri in fluvio *Gambay* incerti autoris; experimenta & observationes de ferro ignito ab *Hookio* A. 1694 Societati Regiæ exhibita; ejusdem recensionem discursus *Philippi de la Hire* de frigore; instrumentum ad delineandum objecta, quod est Camera quædam obscura portatilis ita parata, ut in parte postica locus sit capiti atque manibus, ceteris corporis partibus extra eam constitutis; modum dimetiendi altitudines & distantias in mari; observationes *Greavei* in Ægypto factas, quæ obliquitatem Eclipticæ ad A. 1639 exhibent 23°, 30′, 15″, declinationem acus magneticæ a meridiano *Alexandrino* occidentem versus 5° 45′ ad A. 1638 mense Decembri, & altitudinem poli *Alexandrini* 31° 10′, vel 31° 5′, vel 31° 3′. *Hookius* ostendit, quomodo divisiones barometri augmentari queant, & quasdam de nautilo conjecturas prodit atque observationes. Tres idem de ambra discursus reliquit, quibus ejus historiam complexus. *Lowthorpius* jam d. 14 Febr. 1699 in refractionem aeris inquisivit. *Stephanus Gray* A. 1699 Cantuariæ sub latitudine 51° 15′ observavit initium eclipsis h. 8 12′, observationem maximam, quæ fuit 10½ digitorum, h. 9 24′ & finem h. 10 42′. *Wallerus* quasdam animadversiones conscripsit in historicam *Philippi de la Hire* observationem de vitris causticis veterum, quæ legitur in Commentariis Academiæ scientiarum Parisinæ A. 1708. Concedit, veteribus cognitas esse, quod sphæræ sint caustica vitra; sed negat, ipsis innotuisse lentes causticas. Recenset idem Tractatum *Dominici Mistichelli* impressum Romæ A. 1709 de apoplexia. Colophonis denique loco *Hookius* quædam inventa Anglis vindicat, quæ a *Cassino* in Tractatu

ctatu de origine & progressu Astronomiæ tributa fuerant Gallis, aut minimum sociis Academiæ scientiarum, veluti horologium oscillatorium ope cycloidis perfectum, quod ante erectam Academiam jam notum fuerit in Anglia, primum autem in Batavia jam A. 1659 fuerit inventum; lentium telescopium absque tubo usum a se inventum; mensuram universalem ope penduli obtinendam a *Christophoro Wrenno* indicatam, detecta a se causa, cur non eadem esse possit per orbem universum &c. Multum conqueritur de Academia Regia scientiarum, quod inventa Societatis Regiæ Angl. sibi arroget, ac ægre fert, quod *Cassinus* Academiam scientiarum primam Societatem Regiam prædicet, cum tamen ejus natalem anteverterit Societas Regia Londinensis.

OPERE MEDICO-PRATICHE ET FILOSOPHICHE di Giuseppe Volpini.

i. e.

JOSEPHI VULPINI, PROFESSORIS PHIlosophiæ & Medicinæ, Opera Medico - Practica & Philosophica.

Parmæ, apud hæredes Pauli Monti, 1726, 4.
Alphab. 1 plag. 8.

SEx continent Tractatus opera hæc, quorum I agit de vermibus ordinariis in corpore humano, de morbis ab eis productis & modo iisdem medendi. Vermes humanos a putredine oriri, vel ex ovulis muscarum deglutitis aut cum aere allatis excludi, fusius probat Autor Clariss. negans, per traducem eos a parentibus liberis communicari. Usum eis attribuit, ut absumant superfluas chyli particulas, agitatione sua motum intestinorum peristalticum excitent, & vilem nostram conditionem ante oculos ponendo spirituum superbiam supprimant. Inter noxas, quas producunt, nominat febrem putridam vel malignam, diarrhœam, dysenteriam, colicam, convulsiones, epilepsiam, cephalalgiam, paralysin, syncopen, singultum, vomitum cibi, vel materiæ feculentæ aut peregrinæ. Oriri vero hæc symptomata asserit vel

a vermibus ut talibus, id est, ab eorum irritatione & rosione; vel a vermibus cum materia peccante, acida, salsa, amara, phlegmatica, putrida, quæ instar fermenti sanguini vel succo nerveo effluvia communicat, combinatis; vel ab eorum glutinosa viscididitate in glandulas se insinuante, membranis adhærente & vasa obstruente. Quoniam autem dicta mala etiam absque vermium progenie aliquem invadere possunt, cautissimum in iis curandis & in vera morborum causa investiganda solertem esse jubet Medicum. In vermium igitur negotio sequentes commendat indicationes: 1) ut agitationes & inquietudines vermium sistantur, 2) ut iidem enecentur & educantur, 3) ut succi vitiosi corrigantur, 4) symptomata mitigentur, & 5) ut primæ viæ a reliquiis verminosis purgentur. Præ reliquis pro necandis & educendis vermibus sequentes commendat pilulas, quæ recipiunt Aloes lucidæ drachm. unam cum semisse, Flor. Sulph. Mercur. d. ana 2 scrup. sem. Santon. drachm. semiss. His fusius deductis quinque quæstiones circa idem argumentum resolvit, scilicet, 1) annon venæsectio in curandis vermibus locum inveniat? 2) quo jure saccharum, mel, & similia inter anthelmintica numerari valeant, cum tamen vermes chylo, lacte, aliisque succis dulcibus & temperatis delectentur? 3) cur non omnes homines æquali vermium progenie scateant? 4) quomodo vermes in quavis corporis parte nidulari queant, cum tamen nullæ dentur viæ, per quas illuc meare possint? & 5) cur in principio morborum, maxime gravium, lumbrici soli, nec ulli alii rei admisti, rubri, vel copiosi & vivi ejecti malum præbeant prognosticum, secus in declinatione? Quemadmodum autem Autor Clariss. in omnibus ductum Vallisnerii, cujus placita in Actis Supplem. Tom. V Sect. VII pag. 279, exposuimus, sequitur, ita defendit eundem contra Vercelloni insultus, qui in Tract. de Glandulis œsophagi & vermibus, quem in Actis Supplem. Tom. VI Sect. VI p. 262 excerptum dedimus, ovula vermium ab extra adduci existimans, illius theoriam, qua per traducem propagari lumbricos statuerat, evertere conatus est. Postquam igitur Clariss. Vulpinus de Cura vermium abunde disseruit, pergit in *Tr. II* de præservatione a morbis ex vermium pro-

progenie metuendis agere. Et quemadmodum pleraque remedia præservatoria ex bono vivendi regimine desumuntur, ita hac occasione regulas diæteticas explicaturus, pro fundamento ponit verba Averrhois in Paraph. in Lib. de Republ. Platon. Tract. I pag. 342, quæ sic se habent: "Civium alimenta, si modo, si" ordine, si tempore, si genere temperata sint, eodemque modo" exercitatio; consentaneum est, ita institutos non habere opus" tot Medicis, quot hac tempestate nostra & retro actis etiam" temporibus usi sumus." Notum autem est, quod infantilis ætas præ alia verminationi sit exposita, hinc ansam arripit disserendi in genere de requisitis bonarum nutricum, de modo nutriendi infantes tam lactentes quam ablactatos; inde progreditur ad exponendum usum & effectum vini, ad commodum explicandum calide vel frigide bibendi, modumque suppeditandum, quo ebrietas vel præcaveri vel arceri queat. In *Tr. III* illorum examinat opinionem, qui statuunt, vermes spermaticos esse principium generationis animalium. Quos cum Leeuwenhœckius & Hartsœckerus primi detexerint, hosque secutus sit Dalechampius cum suis asseclis, ea cum differentia, quod priores, manere vermiculos in utero, ibique nutriri & augeri, posteriores vero per tubas Fallopianas ad ovaria deferri, & ovulum ingredi crediderint; utrorumque rationes fideliter recenset atque solide refutat Noster. De quibus aliquid dicere eo magis dubitamus, quo pluribus vicibus hoc de argumento in his Actis jam locuti sumus. Sic & in *Tr. IV* respondet objectionibus, quas D. Dominicus Maria Taravazzus contra systema ovorum in animalibus viviparis moverat. In *Tr. V* Observationes quasdam communicat & specifica allegat, quæ partim a Medicis, ex. gr. Mortono, Mayerne, Boyle, &c. commendata; partim a se inventa, magni usus in morbis esse reperit. Sic pag. 193 folia viridia juglandum ad absumendum lac puerperarum, p. 194 batturam ferri ad cachexiam a mensium suppressione ortam, p. 199 Electuarium & Pilulas ad præcavendam phthisin post hæmoptysin, quæ recipiunt Rob. passul. cum Aqu. farfar. extr. unc. 3 sem. papav. alb. unc. i. cum semiss. ceruss. antim. unc. i. colchot. vitriol. dulcif. drachm. i. semiss. syr. dialth. Fern. & scabios. ana

q. s.

q. f. pag. 200 sequentes pilulas ad omnes hæmorrhagias, potissimum ad ulcera vesicæ, renum & aliarum partium internarum cum sanguinis fluxu combinata, quæ parantur ex vitriol. dulcif. sexies cum phlegmate vitriol. vel aqua sperm. ran. irrorati & exsiccati, G. Arab. ceræ albæ ana unc. semis, & balf. Peruv. drachm. 1, etiam atque etiam commendat. In *Tr. ultimo* de vero usu feroque abusu vesicatoriorum commentatur. Quæ cum parentur ex cantharidibus, sinapi, euphorbio, &c. adeoque sale volatili alcalico constent, in omnibus morbis, in quibus acidum vel viscidum peccat, & fluida tardius moventur, conducere, & quoniam urinam simul pellunt, in abundantia seri & lymphæ apprime valere dicuntur. Alias in particularibus quibusdam affectibus adhibentur, non tam ut humores p. n. versus habitum alliciantur, & extra corpus proscribantur, quam ut, dum salia eorum volatilia intimius penetrant, particulas noxias versus renes pellant, obstructiones reserent, fluidorum motum accelerent, molecularum inutilium contactum destruant, iisque novum situm, aliamque dispositionem juxta rationes mechanicas concilient. Ob has causas, imo & revellendi & spiritus excitandi gratia prosunt in febribus malignis, petechialibus, cum lethargo conjunctis, in lymphaticis diuturnioribus, ac pertinacibus, in intermittentibus pertinacibus, in gravioribus capitis doloribus, imprimis hemicrania, in melancholia & imaginatione depravata, apoplexia, catalepsi, vertigine, epilepsia, in malo ischiadico aliisque doloribus arthriticis, rheumatismo, inflammationibus partium internarum cum febre. Damnantur vero in morbis, ubi particulæ alcalico-salinæ, imprimis volatiles, & sulphureo-volatiles abundant; ut in oculorum fluxionibus, in ardore & incontinentia urinæ, inflammatione & ulcere vesicæ, in mensibus imminentibus vel profluentibus, ac lepra. Exulent quoque in subjectis gracilioribus, siccis, calidioribus, spiritibus mobilibus gaudentibus, & ad hecticam inclinantibus. Ratione temporis non applicentur nisi præmissis universalibus, & quando alia benigniora remedia frustra fuerunt adhibita. Ratione loci non admoveantur parti inflammatæ, debilitatæ, emaciatæ, vel fluxioni cuidam obnoxiæ.

JOH.

JOH. MATTHIÆ HASII, MATH. PROF. P. Witteberg. Programmata bina, de Eclipsibus Solis & Lunæ binis anni 1726, junctim edita cum schematibus.

Wittebergæ, apud viduam Gerdesiam, 1727, 4.
Plag. 3½ Tabb. æn. 2.

CL. Autor, Collega noster honoratissimus, qui A. 1715 eclipsis Solaris illius anni illustrationem variis Schematibus, Orthographicis, Stereographicis polaribus universalibus, Stereographicis particularibus, itemque profilicis dederat, recensitam a nobis in Suppl. Tom. VII Sect. I, eclipses etiam, Solarem atque Lunarem, præteriti anni binis schematibus explicare conatus est. Observat, schemata eclipsium Solarium vel terrestrium projectionibus Stereographicis polaribus exhibitarum jam esse satis frequentia, cum magno numero imprimis in elegantissimis Ephemeridibus Manfredianis occurrant. Quoniam tamen habent hoc incommodum, ut ægre integrum hemisphærium illuminatum exhibere valeant, ea de causa, & ut modum exhiberet, quo concinnius ejusmodi eclipses propius æquatorem contingentes (ad quarum repræsentationem deformationem telluris nauticam in mappa reducta adhiberi minus justum ipsi videtur) exhiberi possint & ut simul speculationem de repræsentationibus harum eclipsium nova aliqua accessione perficeret, Eclipsin Solarem, quæ superiori anno d. 25 Septembr. contigit, mappa & projectione stereographica æquatoria, & gradus longitudinis 280 in æquatore, qui per medium mappæ transit, comprehendente exhibuit. In qua vero ob spatii angustias duæ potissimum phases initii & finis, nempe deliquii terrestris & regionum omnium, quæ illo tempore diem habuerunt vel in hemisphærio illuminato constitutæ fuerunt, comparent. Modum describendi ejusmodi schema ex prædescripto schemate orthographico vel & insuper stereographico polari notum supponit. Præterea vero ut modum hunc projectionis, nempe stereographicum æquatoreum, eo magis commendaret, Eclipsin quoque Lunæ, quæ 11 Octobr. ejusdem anni contigit, scilicet phases, quibus terra per eandem affecta fuit, simili schemate expressit.

pressit. Quale nunquam antea publicatum integrum, in quo adeo hic pariter hemisphærium nocturnum (cum parte diurni) sive omnes regiones, quibus successive eclipsis Lunæ hæc visibilis existit, exhibentur, tresque speciatim phases initii, medii & finis eclipseos exprimuntur. Ubi quidem simul (propter latitudinem Lunæ, quamvis parvulam) tamen hemisphærium nocturnum ab illo hemisphærio, quod Lunam videt, quamvis ab altero modicum saltem differente, distinctum apparet.

Potiora momenta calculi harum eclipsium, secundum tabulas Hireanas administrati, adjunguntur; cœlum vero in neutra eclipsium favens observationi fuisse monetur.

OBSERVATIONES ASTRONOMICÆ, A DN. DE LA CROYERE, Cl. ejusque fratre, DE L'ISLE, in Russiam tendentibus, ut & a Cl. KIRCHIO, in Observatorio Regio Berolinensi A. 1726 institutæ, a DE L'ISLE descriptæ, & nuper Petropoli ad Collectores Actor. Erud. transmissæ.

JAn. XVI 1726, $7^h\,24'\,13''$ vesp. notata fuit emersio tertii satellitis Jovis teloscopio pedum 15 objectivo Campani: cœlum serenum, sed nihilominus Jovis discus non tam bene terminatus apparuit, quam solet. Telescopium pedum XXVI emersionem anticipavit $5''$, oculari minus distincte refringente imaginem objectivi.

Jan. XVIII, $9^h\,5'\,56''$ vesp. Mars incipit ad Lunaris disci partem obscuram emergere, telescopio 6–7 pedum, ut deprehendit frater *de la Croyere*; quamvis Luna trans nebulam cerneretur, observatio tamen exacta est, utpote instanti temporis facta. Eram tunc occupatus telescopio 15 pedum Campani collocando. Post initium emersionis a fratre observatum vidi $6''$ vel $7''$, Martis discum totum retectum a Lunari $9^h\,6'\,2''$ vel $3''$.

Altitudines meridianæ superioris limbi Solis quadrante 18 pollicum radii.

17 Jan. 17° 4' 30".
20 — 17 41 30.
21 — 17 55 15.

Obſervationes correctæ, errore quadrantis circiter 4', ſuppeditarunt fere altitudinem poli 52° 32½' in obſervatorio Berolinenſi, adhibitis declinationibus Solis, quæ extant in tabulis D. *de la Hire.*

Unpartheyiſcher Bericht vom Vorrecht der Erſtgebohrnen in illuſtren Familien.

i. e.

SINCERA INSTRUCTIO DE JURE PRIMOGENITORUM IN ILLUSTRIBUS FAMILIIS. Editio ſecunda.

Gothæ, apud Joh. Andr. Reyherum, 1727, 8.
Plag. 7.

AUtor hujus ſcripti eſt Vir ſumme reverendus, D. *Erneſtus Salomon Cyprianus*: cujus ut reliqui libri, quibus rem eccleſiaſticam & litterariam ornavit, juſſu *Sereniſſimi Ducis Saxo-Gothani*, *FRIDERICI II*, prodierunt, ex quo munus Conſiliarii Eccleſiaſtici & Conſiſtorialis ab ipſo ſibi delatum, & cum inſigni totius Eccleſiæ Evangelicæ emolumento adhuc geſtum, ſuſcepit; ita hic quoque, eodem *Sereniſſimo Principe* ita jubente, jam ante aliquot annos conſcriptus, & hoc anno recuſus eſt, continetque defenſionem juris, quo illuſtrium familiarum ſplendor conſervatur, ſolidis & perſpicuis rationibus inſtructam. Cap. I. Jura primogenitorum legi naturæ & internæ ſocietatis civilis compagi omnino congruunt. Naturali enim omnium hominum æqualitate ſublata, inſtitutaque civilis vitæ conſociatione, cujus finis eſt bonum publicum, privatæ cujusque utilitati, ubi contentio oritur, ſimpliciter anteponendum: neceſſarium utique eſt, & juri naturali, finique ſocietatum civilium conveniens, ut excluſa diviſionum licentia, vires & conjunctæ maneant, & unius arbitrio ſubſint, qui non alius, quam natu major eſſe debet, cui nemo fratrum poſt genitorum excuſate ſemet opponere, aut jus divinum & avita teſta-

teſtamenta obtendere poteſt. C. II. Jus primogenitorum ab omnibus populis agnoſcitur & approbatur: cujus rei naturalis ratio eſt, quia vires conjunctæ in agendo & ſuſtinendo plus pollent, quam diſſipatæ; unde omnes gentes non ſolum unius fratris imperium præſtantius putant eo, quod multis capitibus laborat, ſed & æquum exiſtimant, ut primogenitus imperio potiatur, quod Ariſtotelis, Herodoti, Juſtini & aliorum teſtimoniis oſtenditur. C. III. Idem jus ſacrarum quoque literarum teſtimonia comprobant. Inter loca huc ſpectantia a S. R. Autore refertur etiam ille, qui extat *Gen.* IV, 7, idque ex mente cum aliorum quorundam Interpretum, tum imprimis Heideggeri, cujus verba ex hiſtoria Patriarcharum To. I Exercit. 1 §. 18 p. 22 hic in notis ſubjecta leguntur. Ita autem ille: *Habelem fuiſſe ſervum fratris ſui Caini primogeniti, oſtendunt verba Dei ad Cainum, qui dedignatione Dei, ſacrificium ejus averſantis, perculſus timuerat, ne excidiſſet ſua in fratrem poteſtate. Deus autem illi poteſtatem in Habelem confirmat his verbis: Ad te appetitus ejus, & tu illi dominaberis.* C. IV. Adjiciuntur antea dictis plures cauſæ, quare natu minores primogeniti fortunam non debeant iniquo animo ferre. Mens generoſa ſalutem & conſervationem patriæ, Curtii, Deciorum, Codri, Philenorum, aliorumque egregiorum civium exemplo tanti æſtimat, ut ea privatam ſuam utilitatem nunquam non præponderari velit: nec privatæ vitæ commoditatem, inanem gloriam, luxumque finem bonorum conſtituit. Primogenituræ dignitas naturali, divino & gentium jure, prætereaque aurea bulla & confirmationibus Cæſarum ita juvatur, ut vana futura ſit ſine viribus ira adverſus eam aliquid molientium. C. V. Etiam poſt geniti principes, licet imperio careant, poſſunt tamen bene beateque vivere. Primam viam Principibus ineundam, ſi voluerint eſſe felices, oſtendit exploratiſſima illa, licet fere ignota veritas, veram felicitatem non in magnifico apparatu, vitæque cultu externo cum omnium rerum copia conſiſtere, ſed in animo cujusque eſſe quærendam. Secundo loco ejusmodi Principes rebus ſuis conſulere poſſunt, ſi detractis ſumtibus cupiditatis rem parſimonia retineant: porro ſi rebus belli cum prudentiæ & fortitudinis laude gerendis mature ſe idoneos reddiderint; vel etiam

in

in toga magnis Regibus, aliisque imperantibus opera & consilio præsto fuerint: quo & pertinent felices nuptiæ, minime autem veræ religionis desertio. C. VI. Jus primogenituræ in domo Saxonica non est novum, quippe quod in utraque linea jam olim usurpatum fuit, cum Ducis Alberti & Electoris Johannis testamentis esset confirmatum.

JO. PETRI DE LUDEWIG, JCTI, FRIDERicianæ Cancellarii, Reliquiæ MSptorum omnis ævi Diplomatum & Monumentorum ineditorum.

Tomus IIX.

Francofurti & Lipsiæ, 1727, 8 maj.
Alph. 2 pl. 5 Tabb. æn. 7.

POst splendidam Dedicationem Illustriss. *Frid. Ernesto* S. R. I. Baroni ab & in *Cniphausen*, Potentiss. Regis Poruss. in sanctiori Curia Administro Status, inscriptam, singularem huic Tomo, pro more suo, Præfationem præmisit Ill. Editor, in qua multum initio præfatus de Dynastia sua Bendorffio, de cujus acquisitione, quæ paulum retardavit editionem Tomi hujus, ipsi impense gratulamur, de libris hic contentis uberius disserit. Hanc solam nunc perlustrare suffecerit, maxime cum nullas monumentis hic publicatis, prout in ceteris quidem Tomis fieri suevit, notas subjectas deprehendamus. Primo loco exhibetur *Sigismundi Meisterlini*, qui circa finem seculi XV primum ad D. Sebaldum Noribergæ, ac deinde in cœnobio Grundlachiensi Antistes fuit, *Noribergensis civitatis historia*, ad A. 1470 producta, quem Autorem, mercede quippe conductum, parum æquum fuisse Burggraviis aliisque, probe observat Noster, varia ab eo tradita accurate in Præf. confutans. Qua occasione etiam Jo. Mülleri Chronica Norib. adhuc inedita, tum & alia monumenta & diplomata MSS. quæ maximam partem ipse possidet, prolixe recenset. Sequuntur inde II *Monumenta quædam geneal. & historica*, e Bibliotheca Illustriss. *Ludovici Ottonis* nob.

 Domi-

Domini *de Plotho*, Regi Porussiæ a Consiliis sanctioribus & rel. Nostro concessa, quæ quatuor Sectionibus partitus est Noster, quarum prima de Welpone Bavariæ Duce, & secunda de Saxoniæ originibus agit, tertia Catalogum Misniæ Marchionum & Landgraviorum Thuringiæ, seu, ut corrupte legitur in Codice, *Katal. Lantgravii Thuringiæ & Archi-Episcoporum Misnensium*, quarta Chronicon & Genealogiam Misniæ Marchionum complectitur. Enimvero, ut prima Sectio *historiolam etiam ab aliis incantatam*, & secunda *nænias plures & narrationes vulgares* continet, ut ipse Cl. Editor fatetur, quæ adeo hanc Collectionem desormant potius quam ornant; ita Vir Cons. postremis Sectionibus edendis supersedere utique potuisset, quæ nihil quippe sunt aliud quam excerpta ex Annalibus Vetero-Cellensibus (quorum verba ipsa, sed sæpe corrupta, exhibent) a Celeb. B. G. *Struvio* primum tum Jenæ 1720, 8, una cum Chronico Terræ Misnensis inedito, seorsim vulgatis, tum ejusdem Collectaneis MSS. seu Actis Litter. Tomo II insertis: quos & jam pridem dignos censuit *Menckenius* noster, quos & cum Chronico Montis Sereni, quocum sæpe conveniunt, & duabus ejus versionibus vetustis vernaculis, adhuc ineditis, altera e Schurzfleischiana, altera ex Imhofiana Bibl. diligentissime collatos, *Scriptoribus* suis *rerum German. præcipue Saxon. Misn. & Thuring. Tomo II*, qui sub prælo est, a p. 377 ad 416 inferret. Quas adeo editiones quicunque cum *Ludewigiana* hac conferet, vix duo in ista deprehendet loca, exigui quidem momenti, quæ ab Epitomatore hic addita, in illis non exstant, contra appendicem de Friderico Strenuo & plurima loca alia in illis obvia hic desiderabit; præterea animadvertet, in hac, sive descriptoris, sive Codicis ipsius vitio, innumera fere ita depravata esse, ut nisi illas editiones adhibeas, œdipo lectore opus sit. Quod ne gratis dixisse videamur, paucissimas e multis gustus causa afferemus lectiones Codicis hujus corruptissimas, adjunctis melioribus ex edit. *Menckeniana*.

Ludew. p. 186 lin. 21 *nata in Eysbenbilda* matre, *Menck*. p. 379 l. 32 *natam ex Suenbilda matre*; *Lud*. p. 188 l. 8 juxta *Salum* promissum, *Menck*. p. 380 l. 15 juxta *stilum* prom. *Lud*. p. 191 l. 1 Odo pugnax Marchio *lateris Rex illis tergo* vertit, *Menck*. p. 381

l. 37 Odo *laceris vexillis terga* vertit; *Lud.* p. 244 l. 14 antequam *trademuntum in castro presentarent*; *Menck.* p. 409 l. 18 antequam *tradimentum hi qui in castro erant persentirent*; *Lud.* p. 245 l. 26 filiam *Etii* Ducis, *Menck.* p. 409 fil. *Ottonis tertii* Ducis; *Lud.* p. 246 l. 29 excitatis *obtervia*, *Menck.* p. 418 l. 28. cxe. *obtalmia*, &c.

Ceterum cum occasione Plothoniani hujus Codicis Ill. Editor etiam meminerit Codicis Chronici Montis Sereni, in eadem Bibliotheca exstantis, quem se editurum pollicetur in rerum Magdeburgensium voluminibus, quæ proxime daturus est prælo; nolumus eum latere, dudum Illustrissimum Domin. de Plotho, Mæcenatem summum (qui & *Monumenta* illa Menckenio pro summa, qua pollet, in literas & literatos propensione obtulit, quibus tamen se carere posse facile intellexit) varias Lectiones sui Codicis Chronici Montis Ser. eidem liberaliter transmisisse, quas pariter cum collationibus versionum vernacularum, supra memoratarum, Scriptor. suorum Tomo II inseruit a p. 165 ad 312. Sed ut ad libri nostri contenta revertamur, succedit III *Havelbergensium Episcoporum Catalogus* ab A. 946 ad 1600, sigillis Episcoporum, minori quidem forma æri incisis, exornatus; cujus autorem se ignorare Noster fatetur. Enimvero exstat idem liber, A. 1697 vernacula ab Autore, qui nomen apposuit, *Joachimo Conrado Stein*, Senatore & Secretario Vitstochiensi exaratus, in Bibliotheca *Menckenii* nostri, quem se debere Illustri Hoffmanno, Francofurtensis ad Viadrum Academiæ ornamento, gratus profitetur: nec verbo hic ab illo Codice differt, nisi quod textus vernaculus Autoris brevis, diplomatibus quippe maximam libri partem occupantibus, Latine translatus est (quod toties addita ab Interprete verba vernacula docent, ubi de sensu exprimendo dubitat, ut cum verbis *jurisdictione*, *immunitatibus collegiisque* per parenthesin *Gulden und Gewercke*, & voci *ulnas* addit *Klaffter*) &, quæ Menckeniano Codici adjecta sunt ab Autore de victoria Suecorum ad Vitstochium A. 1636 parta, cujus in ipso libro mentionem obiter fecerat, in Ludewigiano prætermissa sunt. Nec Præfatio huic accessit, e qua discimus, Steinium non solum Henricum Haveckendahlium, (*Haventhalium* Noster falso

ſo vocat in Præf.) verum & veterem Codicem vernaculum, initio ſeculi XVI ſcriptum, ſecutum eſſe, ipſoque Archivo Curiæ uſum. Ceterum ſubjunxit Editor huic Catalogo *Hiſtoriam ſanguinis Chriſti in Wilsnage*, aliunde deſcriptam, quam nos quidem parum moramur. Denique IV *Lamberti Ardenſis Hiſtoria Comitum Ardenſium & Guisnenſium* ab A. 800 ad 1200 exhibetur e Codice, quem Noſter e Bibliotheca Nic. Joſephi Foucault ſibi comparavit; quam nunc tandem integram prodire gaudebunt, qui excerpta libri, plurima quidem & ſatis prolixa, apud Andr. Ducheſnium in probationibus ad librum *Hiſtoire Geneal. des Maiſons de Guines, d'Ardres, de Gand & de Coucy*, Par. 1631 editum, quem Noſter ſe ad manum non habere profeſſus eſt, perluſtrarunt. Acceſſit etiam Præfationi duplex Ill. Editoris Appendicula de duobus nummis aureis, altero Ludovici IV Imp. præter morem ejus ævi diademate clauſo ornati, in quo dum aquilam bicipitem obſervat, ſententiam paradoxam de hac aquila ex Brandenburgicis nummis depromta iterum tuetur; altero Ludovici XII Gall. R. ſatis noto, cum inſcr. *Perdam Babylonis nomen:* ſed de his, maxime cum neuter *vobeíως* careat ſignis, & de ultimo uberius egerit Chriſtianus Sigism. Liebe, hodie Seren. Duci Saxo-Gothano a nummophylacio, in peculiari Diſſertatione contra Harduinum Lipſ. 1717, 8, edita, dicere ſuperſedemus. Atque ita ultimam huic Collectioni manum impoſuiſſe videtur Autor, ne ſcilicet nimium excreſceret, novam tamen mox, ut non obſcure innuit, ſub novo titulo telam auſpicaturus, quod inſtitutum ut pari felicitate exſequatur Vir ſummus, toto pectore optamus.

METHODUS CONTRACTA HISTORIÆ ſive triplex Schema &c. labore P. ANSELMI DESING, Ord. S. Benedicti, Congregat. exemptæ Bavar. SS. Angelor. Cuſtod. Monaſterii Ensdorff in Palatinatu Superiore.

Ambergæ, typis Jo. Ge. Koch, 1725, fol. oblongo.

Alph. 1 pl. 4.

Hiſto-

Historiæ tum scribendæ tum legendæ methodum non inelegantem nobis dedit Rev. Autor in Tabulis ita dispositis, ut alterum quodque latus vacuum relictum sit, forte ut Lector in illo annotare possit, quæ ex re ipsi visa fuerint; quamvis & ipse spem faciat, se singulari opere deinceps omnia exemplis uberius illustraturum, eaque additurum, quæ ab aliis monita observaverit, si modo ista non displicitura lectoribus cognoverit. Et tribus quidem Schematibus omnia complectitur, quorum primo natura historiæ, materia nempe & forma, tum & propria, locus, tempus, finis expenduntur; secundo studium historiæ consideratur, quæque requirantur ab historico vel ab eodem observanda sint in scribenda historia; tertio praxis historiæ tum antiquæ tum novæ, sacræ & profanæ, omnium Imperiorum & Regnorum, ita traditur, ut adhibito imprimis Catalogo Langleto-Menckeniano historico, cum similibus libellis collato, Autores præstantissimos eorumque editiones optimas commendet; quibus postremo etiam Historiæ Litterariæ & Naturalis scriptores præcipui subjiciuntur. Nihil addimus, memores moniti, quod ultimo loco subjecit Autor, ne quis temere arbitretur, qui vel Latinitatis, vel rerum non sit peritus, & si utriusque peritus sit, ut cunctanter tamen pronuntiet & lente. Ceterum majus illud opus, cujus spem facit, plura forte nobis recensenda suppeditabit.

NOVA LITTERARIA.

Geneva nuntiatur, *Antonii Pagi* Criticæ in Annales Baronii editionem alteram, variis locis, quæ minus accurata agnoverat Autor, emendatam, auctamque ejusdem Autoris Dissertatione hypatica de Consulibus Cæsareis, quæ ad opus illud illustrandum pertinet; tum & *Francisci Pagi* Breviarii gestorum Pontificum Tomum IV, proximis nundinis Francofurtanis, e typographia *Gabrielis de Tournes* & Filii proditurum. Nec ignorare Lectores nostros volumus, eosdem Typographos libros omnes Latinos, qui Lugduni in Gallia apud Anisson & Pasuel & Parisiis apud Rigaud impressi sunt, non exiguo numero, sibi comparasse, quorum præcipui in iisdem nundinis in ipsorum officina Francofurti prostabunt.

Celebres Venetorum Typographi, Jo. Bapt. Albrizzi & Sebastianus Coleti, de ſplendido opere ſubſcriptionis lege imprimendo programma emiſerunt. Nimirum cum nova Collectio Conciliorum Harduini multis ſuſpecta, Labbeana vero & Coſſartiana adhuc maximo ſit in pretio, hanc integram, ne erroribus quidem Autorum (qui tamen in margine indicabuntur) mutatis, recudere parant XX Voluminibus, ita quidem, ut non modo Baluzianum Supplementum, verum & ea, quæ Harduinus, Holſtenius, Mabillonius, Aguirre, Dacherius, Martene, Lambecius, Pez, Beſſin aliique ſingularia habent, ad argumentum hoc ſpectantia, addant, non neglecturi etiam, ſi quid inediti conferre ad operis ornamentum velint eruditi; quibus denique Indices Labbeani, pro modo augmenti, quod accedet, inſtructiores, & ex Harduino Index Geographicus Epiſcopatuum accedent. Imprimetur opus typis elegantisſimis, quingentis exemplis, quorum 250 in charta maxima, totidemque in mediocri, pura tamen & eleganti, comparebunt. Prodibunt vero bini ſimul Tomi, quatuor menſium intervallo, pro quibus, chartæ majori impreſſis, præumerandæ ſunt, identidem acceptis & redditis chirographis, 60 libræ Venetæ; & primi quidem Tomi II, hoc ipſo Menſe typis ſubjiciendi, lucem adſpicient ſub anni hujus finem, totum vero opus tribus cum dimidio annis integrum proſtabit. Ceterum cum huic collectioni etiam Aguirrii Concilia Hiſpaniæ, Beſſini Rotomagenſia, ipſaque Harduini Gallica deſtinata ſint, miramur utique, nullam haberi rationem Anglicorum ab Henr. Spelmanno Lond. 1639 editorum. Quare hac occaſione ignorare nolumus Editores noſtros, in Bibliotheca Menckenii noſtri, ut ex nova ejus editione p. 661 patet, exſtare Codicem operis Spelmanniani præſtantiſſimum, qui manu, ut veriſimile, ipſius Autoris e MSpto Regio aliisque innumeris fere locis emendatus eſt, verſione quoque nova monumentorum e lingua Anglica in margine addita, quam editoribus, ſi ex re ipſis viſum fuerit, non invidebit.

Florentiæ haud ita pridem prodierunt *Thomæ Dempſteri Antiquitates Hetruſcæ*, cura *Thomæ Coke*, Equitis Angli, duobus Tomis

mis in Folio ex ipso MSpto Dempsteri, quod Cokius sibi comparavit, nitide excusæ: adjecit huic Operi appendicis loco *Philippus Buonarottus* Explicationes & conjecturas super ea, quæ a Dempstero dicta sunt, quibus ingens libro decus accedit. Prostat vero opus octodecim fere thaleris. Cl. *Ant. Maria Salvinius* edidit ibidem superiori anno in 4 Satyras *Persii*, in metrum Hetruscum a se translatas; eandemque operam adhibuit vertendo *Oppiano*, qui & ipse lucem jam adspexit. Præterea in eo est, ut *If. Casauboni* librum de Satirica Græcorum poesi & Romanorum Satyra cum notis suis recudat. Novissime etiam ibidem editæ: *Inscriptiones antiquæ Græcæ & Romanæ, quæ in Hetruriæ civitatibus extant, collectæ ab* Anton. Francisco Gorio, *una cum Notis* A.M. Salvinii, in *fol.* Sunt vero, qui integrum hoc opus Salvinio deberi censent, certe dubitandum non est, quod sua opera laborem Gorii multum promoverit Salvinius, cum ille, exigua alioquin eruditionis laude conspicuus, singulari cognationis vinculo huic junctus perhibeatur. Sub ejusdem *Gorii* nomine nuper in æs incisum est *Sepulchrum Liviæ*, cujus antiqua rudera ante aliquot annos in publico loco Florentiæ inventa novimus. Insignita est hujus monumenti effigies ab Autore singulis Inscriptionibus, quas ipsi monumento incisas animadverterant harum rerum periti, additæque ei sunt, Italico idiomate, a duobus Abbatibus, *Salvinio* & *Andreino*, Observationes perelegantes, ipsamque rei antiquitatem ex historiarum monumentis erudite eruentes. Ejusdem monumenti depingendi & explicandi curam olim Romæ in se susceperat Cl. *Bianchinus*, & adhuc spes superest, fore, ut brevi laborem suum ad finem perducat. Neque tacendum, Florentiæ *Alexandrum Politum*, quem constat multis abhinc annis desideratissimæ *Eustathii* editioni insudasse, nunc quidem rem eo perduxisse, ut maximam ejusdem partem jam typis absolutam habeat, spemque eruditis faciat de festinando hujus editionis negotio. Multum sibi de labore isto promittunt, quibus ad palatum fuere, quæ jam ante speciminis loco ex Eustathio publicavit, a Jos. Georgio duabus Politi

liti & Ubaldi Migronii Orationibus, pro solenni instauratione studiorum, addita, *Flor.* 1723, 4. Decem vero Tomis in folio continebitur hic Scholiastes, curabitque Cl. Editor, ne in chartarum typorumque venustate habeant Eruditi, quod desiderent. Rem omnem ita aggressus est, ut 1) Textum ipsum Eustathii ex præstantissima, quæ Romæ prodiit, editione fideliter depromat, Basileensi tamen editione non plane abstineat, sed eandem, ubi opus sit, in subsidium vocet, & cum Romana conferat; 2) versionem ejusdem, a se, quantum potuit, accurate confectam, adjiciat; 3) Observationes & Explicationes locorum intellectu admodum difficilium, quarum non exiguam copiam congessit, laudatus modo *Salvinius* Appendicis instar annectat, & 4) textum Homeri, prout per ipsam scholiorum molem licebit, cujusvis paginæ initio præmittat. Ibidem sub prelo sudant *Gassendi* Opera omnia, quorum raritate, & ingenti pretio, quo hactenus constabant, excitatus eruditus quidam Italus, nunc novam eorundem editionem parat. Novis etiam typis magnum Vocabularium seu Lexicon *della Crusca*, hactenus raro obvium, plenius atque auctius, quam olim fuerat, proxime in scenam prodibit. Hoc ipso vero anno 1727 Clar. *Michaellus*, Botanicus Florentinus, illic in lucem emisit: *Nova genera Plantarum secundum methodum Tournefortianam*, in fol. quem librum Autor centum figuris æri nitidissime incisis adornari curavit. Imprimitur & hic: *Orbis sacer & profanus*, 5 Voll. in fol. Autore *Orlando*, Lectore Pisano, quo libro id egit Autor, ut, quæ fuerit antiquis temporibus tum aliarum rerum, tum provinciarum maxime conditio, solerter excuteret. Denique conficiendo Bibliothecæ Laurentianæ exacto Catalogo opera impenditur, qui cum ad umbilicum perductus erit, ad Anglos transmittetur, ut suis eum typis curent imprimi, nisi forte jamjam res eo pervenerit, ut prelo subjectus sit. Hujus rei negotium eo sollicitius in se susceperunt Florentini, quo magis manca ac mutila cognoverunt ea, quæ de hac Bibliotheca a Celeb. Fabricio in Appendice Lambecii dicta fuerant. Ephemerides literariæ Italicæ, *Giornale dei Giornali* dictæ, quæ

auto-

autorem habent *Cataneum*, virum egregium & perpolitum, VI partibus in 4 jam absolvuntur, & publice Venetiis prostant. Cardinalis *Carpegnæ* librum, cui titulus: *Osservationi sopra alcuni Medaglioni*, omnibus antiquitatum amatoribus magni æstimatum, egregiisque figuris æri incisis ornatum, *Buanorottus* nuper nitidis typis in folio recudi curavit. Prodiit item haud ita pridem Venetiis liber de Monetis Papalibus in genere, in quo varias variorum Pontificum monetas tam recensitas quam explicatas exhibet Autor anonymus. Doctissimus *Justus Fontaninus* edidit nuper librum, quem inscripsit: *di Santa Columba, Vergine Sacra della Citta d'Aquileja, in Tempo del Pontefice San Leone Magno, e d'Attila, Re degli Unni, Commentario, scritto da Monsignore* Giusto Fontanini, *Arcivescovo d'Ancira, in Roma* 1726, qui liber quamvis autorem Pontificium non dissimulet, cum religiosum sanctorum & reliquiarum cultum videatur acriter defendere, ideo tamen lectorum omnium meretur admirationem, quod in ultima Antiquitatum illius temporis, de quo ipsi sermo est, viscera penetrat, & historiæ curiosis non parum lucis affundit. Ejusdem liber *Eloquenza Italiana*, qui docet, Italico sermone apte & ornate dicere, & cujus parti alteri appendicis instar adjecta sunt scripta Italorum quorundam, qui patrii sermonis studiosissimi fuerunt, recusus nuper admodum est, cura Anonymi cujusdam, qui tamen tantum abest, ut hoc ipso rem gratam Fontanino fecerit, ut potius supra dicto libro, *di Santa Columba*, annexa sit a Fontanino Epistola ad Lectores quosvis, qua novæ hujus editionis incomtum negotium, quantum potuit, perstrinxit, jussitque eos expectare accuratiorem hujus libri sua opera evulgandam editionem, cui pleniorem longe quam olim fuerat, Italorum Oratorum catalogum adjungere constituerit. Superiore anno Romæ Italico sermone evulgatus est liber, cui titulus: *Luigi Nono il Santo, Vita e Massime a i Principi*, di D. Gabriele di Maria Valenzicela, *Barnabita, in Roma* 1726, 4. fol. II Partibus. Singulare iste liber hoc habet, quod præmissa ei sit ad Regem Hispaniarum, Philippum V, Dedicatio, Latino, Hispanico, Italico, & Gallico sermone expressa, quæ cum quar-

tam libri integri partem conficiat, primo ſtatim obtutu æqui rerum æſtimatores a lectione ipſius libri abſterrentur.

Lugduni Batavavorum Luchtmannus ſeparatim recudit Epiſtolam Criticam antea in Britannia adverſus Phædrum Bentleji, autore, ut ferunt, *Heario* publicatam, qua fere omnes Bentleji emendationes impugnantur. *Lucanum Oudendorpii* ibidem jam ſub prelo ſudare ajunt, nec diu deſiderabuntur a Wetſteniis *Terentius* & *Phædrus Bentleji*. *Everhardus Otto* totus eſt in edenda Jurisprudentia ſua ſymbolica, & *Merillii* Synopticis Tabulis Inſtitutionum. *Drakenborchius* ſtrenue pergit in explicando *Livio*, ſed cum nimiam fere curam ei adhibeat, verendum eſt, ne tardius Typographis tradatur. *Carolus Andreas Dukerus*, cujus in ſcriptores priſci ævi ſatis conſtant merita, novam jam molitur editionem *Thucydidis*, cum editis H. Stephani & Hudſoni ac MSptis Joſephi Waſſe Notis; cui imprimendo jam etiam primæ manus admotæ ſunt. Huic Editioni pauca ab ipſo Dukero accedent, præter varias Lectiones e MSptis, Obſervationes item & Conjecturas doctorum Virorum; fallenturque adeo, qui dedita opera illuſtratum hic Thucydidem quæſiverint. Habuit idem Dukerus in animo dare novam Editionem Grammaticorum Græcorum, Ammonii περὶ ὁμόιων καὶ διαφόρων λέξεων, Phrynichi, Th. Magiſtri, Mœris & Erotiani; ſed poſtquam ex amicis intellexit, ejusdem rei curam ſuſcepiſſe in Gallia Salierium, qui in Boivinii locum ſuffectus eſt, & Sorinum, abjecit horum editionem fere omnem, niſi quod Ammonium, de quo illi parum cogitant, ſeparatim olim edere conſtituerit. Lugdunenſes novorum quotidianorum Ephemerides ſignificarunt, Trajecti ad Rhenum brevi proditurum *Horapollinem*, cum *Merceri*, *Hœſchelii*, *Cauſſini*, & J. C. *de Pauw*, ejusdem, qui nuper Hephæſtionem & Diatriben de Alea Veterum edidit, Notis. *Havercampum* ferunt cogitare de edendo *Cynegetico Grotii*, & *Eutropio*, cui famæ an credendum ſit, in poſterum patebit. Editum nuper eſt Auctarium Carminum *Broukhuſii*, quo continentur virulentiſſima ejus in Jac. Gronovium, Perizonium, Jenſium, Havercampum, & alios Epigrammata. Pauciſſima hujus libelli

belli exempla impressa sunt, & inter cultores nominis ac memoriæ Broukhusianæ distributa. Prodiit etiam Amstelodami nova Editio Carminum *Sannazarii*, in 8, cum *Ulamingi* & *Broukhusii* notis. Idemque *Ulamingus* edidit nuperrime *Propertium*, cum ejusdem Broukhusii annotationibus multo auctioribus. *Waesbergii* brevi publicabunt *Labitti* Indicem legum, cura *Abr. Wielingii* Gymnasii Amstelod. Conrectoris, jam pene ad umbilicum perductum. Wetstenii novam editionem *Itinerarii Antonini* cum Commentar. Suritæ & ineditis Altingii parant, ejusque adornandæ negotium dederunt *van der Welp*, tertiæ, vel quartæ Classis Scholarum Amstelodami præfecto. *Verburgius* occupatur in vertenda in sermonem Belgicum *Metamorphosi Ovidii*, quam cum pulcherrimis figuris æneis Latine, Gallice, & Belgice daturi sunt Wetstenii. Habetur etiam magna pars vitæ Hug. Grotii Latine in fol. impressa, & a *Gasp. Brandt* conscripta, cui partem, quæ desideratur, addet *Cattenburgius*, Theologiæ inter Remonstrantes apud Amstelodamenses Professor. *Gasp. Burmannus*, Petri filius, Senator Urbis Trajectinæ, propediem editurus est in 4 Analecta quædam hactenus recondita, quæ ad vitam Hadriani VI Papæ, Trajectini, spectant, idemque id operam dabit, ut medii ævi monumenta alia e latebris protrahat, claros etiam Ultrajectenses in lucem producturus, nisi publici officii gravitate ab his studiis paulatim abstrahatur. *Henr. Brencmannus*, cui jam olim Florentini *Xenophontem Ephesium*, cum in Italia versaretur, edendum obtulerant, sed qui tum typographum invenire non poterat, nunc, postquam libellus in Anglia prodiit, insano quidem pretio prostans, eundem Lugduni Bat. apud *Luchtmanns* recudere, eique *Charitonii Aphrodisii* Erotica, si a Florentinis obtineri possint, addere constituit. Præterea indicandum est eruditis, Typographum Lugdunensem, *Johannem van der Linden*, Jun. cui modo debemus Thesaurum Juris exquisitissimum, in eo nunc esse, ut Cujacii Opera subscriptionis lege, exemplis quidem 700, recudat hoc titulo: Jac. Cujacii, *JC. præstantissimi, Opera omnia in X Tomos distributa, quibus continentur tam Priora, sive quæ ipse superstes edi curavit; quam*

Poste-

Posteriora, sive quæ post obitum ejus edita sunt, vel nunc primum prodeunt. Opera & cura Caroli Annibalis Fabroti, *JC. Editio nova ceteris omnibus, quæ ante prodierunt, emendatior & adscriptis legum numeris aliorumque Autorum suppletis testimoniis auctior.* Jo. Gottl. Heineccius, *JC. & Antecessor, Præfationem præmisit.* Subscripturi nomina ante finem M. Aprilis apud præcipuos Orbis literati Bibliopolas profiteri possunt. Pretium in charta maxima ascendet ad 120, Floren. Holl. in ordinaria vero, quæ satis splendida, ad 83½ Flor. qui carptim solventur, nempe ubi quis nomen dedit, 13 fl. acceptis Tomis I & II 15, totidemque Tomis III & IV, it. V & VI, acceptis T. VII & VIII, 12 fl. 15 stiv. & completo opere, totidem. Lugduni Batavorum *Abrahamus Gronovius*, postquam *Cl. Æliani* variam Historiam prelo submisit in 4, jam etiam eadem forma ejusdem de natura Animalium Libros XVII, ad MS. Mediceum nunc primum recognitos & castigitos, cum vers. Lat. P. Gillii & C. Gesneri, innumeris locis emendata, & emendationibus Dan. Wilh. Trilleri nostri, notisque Gesneri & ipsius Gronovii, publicare constituit subscriptionis lege, quam cum lente hactenus processisse accipiamus, ei adhuc locum esse haud dubitamus, etsi Calendis Januarii hujus anni fuerit finienda.

Prodiit nuperrime Actorum Erud. Supplement. Tomi IX Sectio V, qua exhibentur: 1) *Clementis XI* Pont. Max. Bullarium, Romæ 1723, fol. 2) Pietro Giannone *del Historia civile del Regno di Napoli*, Tomus I, Neap. 1723, 4. 3) *Histoire Genealogique des Tatars* d' Abulgasi - Bajadur - Chan, Lugd. Batav. 1726, 12. 4) *The Life of John Colet*, by Sam. Knight, Lond. 1724, 8. 5) Sebastiano Melli *l'Arte Medico - Chirurgica, esaminata da suoi principi*, Venet. 1721, 8. 6) *Jo. Bapt. Paitoni* Vindiciæ contra Epistolas Petri Blanchi, Faventiæ 1724, 4. 7) *Jo. Rizetti* Ludorum Scientia, sive Artis conjectandi elementa ad alias applicata; & 8) Elogium *Jo. Christophori Wichmannshausen*, Prof. Linguarum Or. in Acad. Vitemb.

Pag. 77 lin. 25 l. Coelitem & *l. 30* sed per causas.

):(o):(

No. V.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Maji Anno MDCCXXVII.

CLEMENTIS UNDECIMI PONT. MAX. *Epistolæ ac Brevia Selectiora.*

Tomi II.

Romæ, ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ, 1724, fol. Alph. 18 cum fig. æn. minor. multis.

EMinentissimi Tituli S. Clementis Presbyteri Cardinalis *Annibalis Albani*, R. E. Camerarii, pietatem in Patruum *Clementem XI* Pontificem Romanum esse prorsus singularem & insignem, nemo facile negaverit, qui illius Pontificis, sane inter suos eximii, cum Orationes Consistoriales, Tomo VIII Supplem. Sect. III p. 97 memoratas, homiliasque in Evangelia, in Acta nostra anni 1723 mense Augusto p. 329 relata, tum & Bullarium, nuperrime Supplem. Tomo IX Sect. V recensitum, & has, in quibus nunc enarrandis versamur, Epistolas & Brevia Selectiora inspexerit, & hos Clementini ingenii fœtus postumos a gratissimo ex Fratre Nepote splendide & magnifice editos esse, inde cognoverit. Rerum in orbe terrarum hoc seculo gestarum non ignari simul, nobis tacentibus, animadvertent, hanc Clementinarum Epistolarum Collectionem Patribus Ecclesiæ Romanæ Purpuratis, ab ipso Clemente XI in Cardinalium Collegium cooptatis, ab Eminentissimo Collega dicatam, magni esse faciendam, majoris omnino pretii futurum, si nihil Brevium Epistolarumque omittere, & literas, quibus respondit Pontifex, aut quibus Pontifici est responsum, addere & inserere Eminentissimo Editori, aut libuisset, aut licuisset. Hoc posterius factum non est, nisi duobus in locis, Tomo I p. 579, inserto Re-

 spon-

ſponſo Regio, & Tomo II p. 213, adjecto Joannis Wilhelmi Electoris Palatini in cauſa receſſus Religionis in Palatinatu initi reſponſo; cujus equidem rei cauſas aliis inquirendas relinquimus: quod vero ad illud prius attinet, videamus, quæ in præfatione ingenue dicuntur, his verbis: *Verum ne hanc quidem ipſam collectionem, ut adornata fuerat, integram prelo committere licuit: cum multa eaque forſan luculentius exarata Brevia, tum etiam Epiſtolas non paucas graves, & fortes, ne cujusquam offenſionem aut invidiam ſubiremus, e medio tollere, alia inſuper Brevia & Epiſtolas politicis concedere rationibus oportuerit.* Simus interea hoc Catone contenti, & quidquid edere licuit libuitve, inſpiciamus. Sunt autem Epiſtolæ & Brevia quam plurima, quod vel ipſa libri moles ſatis indicat, ſecundum temporis ordinem in duos Tomos digeſta, quorum alter annos Pontificatus Clementini priores decem, alter poſteriores numero totidem complectitur. Sermone ſunt conſcripta plurima Latino, gravi, maximamque partem puro & eleganti, qualem in Orationibus Conſiſtorialibus olim deprehendimus, quamvis & multa lingua, quæ Clementi XI fuit vernacula, exarata Latinis ſint interſperſa. Cuilibet Epiſtolæ luculentum argumentum eſt præfixum, horumque argumentorum, ut & rerum memorabilium indices utrique Tomo ſunt adjecti, in altero quidem illorum Indicum nominibus eorum, ad quos datæ ſunt Epiſtolæ & Brevia, ſecundum elementorum ſeriem ordinatis. In charta etiam typisque ſplendori aliquid eſt datum, & ut S. Petri, Clementisque undecimi, literas exarantium, imagines æri inciſas, aliaque ornamenta taceamus, frontem Epiſtolarum uniuscujusque anni figuræ affabre æri inciſæ excellens aliquod Pontificis facinus exhibentes, lemmatibusque magnificis & argutis e S. Scriptura depromtis veluti animatæ, condecorant.

Hæc de Opere dicta ſunto in univerſum; ſpecimen dare, difficilius videtur, rectiusque facturi ſunt illi, quibus egregium librum oculis uſurpare licebit, ſi ipſi volumina curioſa volvent manu, &, quodcunque dignum notatu invenient, in rem ſuam vertent. Interea in gratiam eorum, qui iſto fructu carere habent neceſſe, hæc notabimus. Tom. I p. 1 fatetur Pontifex, Imperatoris

toris Leopoldi suffragio per Cardinales Lambergium, Mediceum, & Grimanum, Lambergiumque Legatum se ad summam in Ecclesia Romana dignitatem esse evectum: mox oblitus hujus beneficii, oblato Imperatori suo in gravissima controversia Hispanica arbitrio p. 12, Ludovico Francorum Regi p. 14 indicat, ea se initurum esse consilia, quæ ad reddendam ab exterorum militum incursu immunem Italiam expedire magis arbitrabitur. Sed quam retulit Pontifex Imperatori optimo gratiam, eam retulit Pontifici Philippus Hispaniarum Rex, de qua re Tom. II p. 149, gravissime conqueritur. P. 91 Universitatem Lovaniensem, ne ullius visitationem, nisi quæ ab Apostolica sede proficiscatur, admittat, quod isti sedi immediate subjecta sit, cohortatur; p. 111 Apamiensem Episcopum multas ærumnas perpessum collaudat, & ut in cœpto strenue pergat, graviter admonet, quale vero illud? ut Regi Regaliæ jus in eo Episcopatu competens vindicanti porro adversetur & obnitatur. Quam Pontifici Articulus IV Pacis Riswicensis curæ cordique fuerit, docent ea, quæ p. 133 seqq. leguntur. Jus est Imperatori primariarum precum, quod vocant; eo se demisit temporum acerbitate Cæsarum Majestas; sed & hoc jus precarium esse, & Pontificis beneficium, vult Romanæ Ecclesiæ Præsul: vide Tomo I de Precista Hildesiensi p. 308, Augustano p. 408, Monasteriensi p. 549 & 562, Basileensi p. 603, Tom. II de Argentinensi p. 17, Thorensi p. 44, Wormatiensi p. 75. Russorum Czaro Petro cum Clementi XI fuisse literarum commercium, ex duabus Epistolis colligitur, quarum altera A. 1707 d. 18 Octobr. gratias agit Pontifex, quod per Borisium Kurakinum sibi significaverit, liberum fore Religioni Catholico-Romanæ in ditionibus amplissimis exercitium, & Missionariis ad Sinas reliquumque Orientem per easdem abituris transitum, Tomo I p. 406; altera A. 1717 12 Maji idem per eundem Kurakinum sibi promissum grata mente deprædicat, & in fidem rei diploma aliquod sibi mitti contendit, Tomo II p. 612. Voluit Imperator, ut Canonici Ecclesiarum Hildesiensis, Ratisponensis, Coloniensis, & Leodiensis, Vicarium Generalem Cæsari gratum, Imperio non suspectum, e Gremio, ut ajunt, suo eligerent; sed illi non obsecuti sunt voluntati Cæsaris, & non obsequentes collaudavit Pontifex, &, ut

 non

non obſequerentur impoſterum, ſtrenue cohortatus eſt T. I p. 477, 485. Ad Pontificem hodiernum, iſta tempeſtate Vincentium Mariam Epiſcopum Tuſculanum Cardinalem Urſinum, Archi-Epiſcopum Beneventanum, exſtant Epiſtolæ IV, Tomo I una p. 512, reliquæ Tomo II p. 477, 530 & 705. Sed & ad Succeſſorem Michaelem Angelum Presbyterum Cardinalem de Comitibus, a Legatione Portugallica ad Auximanum Pontificatum evocatum, eſt una Tom. I p. 551.

Tomo II p. 48 Pontifex juſtiſſimaGlorioſiſſimæ memoriæ Joſephi Imperatoris pro vindicandis Imperii in Italia Juribus ſuſcepta conſilia reſcindi atque inverti vult, ut ejus animæ hac ratione conſultum ſit; de novi autem Imperatoris Electione, quæ Eminentiſſimis Sereniſſimisque S. R. I. Electoribus longæva conſuetudine commendata, parum aut nihil ad Romanum Epiſcopum ſpectare videtur, valde ſollicitus, p. 55 ſeqq. non modo Electorum, ſuam in ſacris autoritatem agnoſcentium, unumquemque literis fatigat, ſed Colonienſi etiam Bavaroque rem iſtam commendat, &, quæ ad Bavarum ſunt verba, *ut eam deliberationem ſua ſententia ſuoque ſuffragio promovere velit*, hortatur, ac ſi graviſſimæ in iſtos Electores latæ ſententiæ fulgura fuiſſent e pelvi; viciſſim Acatholicorum, ut loqui amat, Principum Electorum Jus in dubium vocare non veretur, & abſque populi Germanici ſuffragio creatus arbiter, omnes Electionis Cæſareæ defectus ſupplet. Sunt ipſa Pontificis p. 62 verba: *Quamvis igitur inter Electores forſan* (immo certo certius) *intervenirent Acatholici, ac etiam alias legitimo jure eligendi minime ſuffulti*, (qui vero illi, ſi diſceſſeris ab Acatholicis, an Colonienſis Bavarusque, ſi ſpreta Imperiali ſententia Electores eosdem admittere maluiſſent: ſed ad eos ut legitimo jure ſuffultos dudum dederat literas) *electioni tamen eandem vim, firmitatem & robur eſſe volumus, ac ſi ab habentibus legitimum eligendi jus, & ipſis quidem Catholicis, recte atque ordine facta fuiſſet: Nos enim hos defectus omni efficaciori ac validiori ratione, qua poſſimus, plane ſupplemus.* Quanta ſit autoritas primi inter Polonicos Pontifices Præſulis, Gneſnenſis Archi-Epiſcopi, quanta poteſtas, latere poteſt neminem, ſed ille cum exiſtimaret, ſibi hunc honorem a Nuncio Apoſtolico

ftolico deberi, ut primus invisat, eoque nomine copiosissime ad Pontificem rescripsisset, omnis responsi loco hæc habet p. 133. *Sed*, iis non obstantibus, *adhuc decere & æquum esse arbitramur, ut Fraternitas Tua ipsi Nuntio primæ visitationis honorem omnino tribuat, nec Tuæ dignitati quidquam eo officio detractum iri existimamus, cum in ejus persona Nos ipsos & Apostolicam sedem, quam ille repræsentat, respicere Tibique proponere debeas.* Ita stat pro ratione voluntas, aut si verbis istis rationem inesse credas, eadem sui momento adversus Reges & Imperatores est valitura.

Patris communis & universalis Ecclesiæ Christianæ Pastoris nomen affectare Præsulem Romanum, in vulgus notum est, quid autem ex his Epistolis eo referri possimus, non facile invenimus, nisi literas quibus liberiores Ducis Mantuani mores T. I p. 40, atque iterum Prælati cujusdam ἀνωνύμε reprobum cum femina quadam commercium lenibus admodum verbis castigat; totus potius in eo est, ut Reges & Principes, scriptis non ad ipsos modo, sed ad conjuges, liberos, vicinos, cardinales, ministros, confessionarios Epistolis de sua suorumque autoritate, dignitate, opibus fortunisque conservandis, augendis, restituendis obtundat; famosissimam illam: *Unigenitus Dei Filius* Constitutionem obtrudat & inculcet; Episcopos atque Clericos ad vindicandam libertatem immunitatemque Ecclesiasticam incitet, segnes impellat, audaces firmet, mala ideo passos soletur, obedientes Potestatibus secularibus increpet, negligentes præveniat; nunc levia nonnulla Laicis Principibus non sine multa suæ benevolentiæ prædicatione concedat, nunc alia majora, aut saltim eadem iterum, nullo nisi Canonum, in quos tamen immensum jus se habere, ait & reapse exercet, autoritatis obtentu neget. Ita Tomo I p. 160 Petro Portugalliæ Regi dispensationem in primo affinitatis gradu, pro Illustribus sine dubio personis, negat, quam olim ipse ab Apostolica sede in causa valde dubia promtissime impetraverat. Nec absque stupore utique legimus Tomo II p. 207 ad Antonium Ulricum Ducem Brunsvicensem & Luneburgensem sequentia: *Ceterum qui votis Tuis, quantum nobis licet, satisfacere omni tempore vehementer cupimus, non nisi ægro animo audire potuimus,*

mus, facultatem sub utraque specie communicandi rursus a te postulari: *Nos enim in re tam gravi discedendum nobis non esse ducimus ab exemplo sanctissimi Pontificis Pii V, Prædecessoris nostri, qui in ea semper sententia fuit, ut ejusmodi facultas nemini concederetur. — — Quamobrem — — te hortamur, ut ab ejusmodi desiderio, quo plus æquo incensus videris, discedere omnino velis, animæque tuæ hoc qualecunque solatium libenter sacrifices atque subjicias Catholicæ Ecclesiæ Legibus ac Institutis, quæ antiquissimum atque sanctissimum hunc ritum, ut Laici atque etiam Clerici non conficientes, sub Panis tantummodo specie communicent, solvi atque immutari minime patiuntur, qua in re novum etiam Pietati Tuæ meriti incrementum accedet, cum in divinis literis scriptum sit: Melior est obœdientia quam victimæ, & auscultare magis quam offerre adipem arietum. Animadvertere præterea debes, quod ubi expetita facultas a nobis Tibi concederetur, non tamen adeo occulte ea uti posses, ut rumor & fama, quæ Principum Virorum acta semper rimatur & nunciat, ad multos facile non manaret: qui deinde factum potius quam mentem tuam expendentes, obloqui possent, ideo te sub utraque specie communicare, quod persuasum adhuc Tibi sit, integrum Christum sub una panis specie nequaquam sumi. Id autem primum Catholicis magno scandalo esset, deinde hæreticis occasionem præberet opinandi, quod ea in re cum ipsis etiamnum sentires, ac demum eos, qui relicta hæresi Orthodoxam fidem amplexi sunt vel de cætero amplectentur, alliceret ad retinendam falsam, damnatamque opinionem, quod sumtio utriusque speciei universis Christi fidelibus necessaria sit ad salutem.* Maluimus ipsa Pontificis verba adscribere, ut cum enixa Principis prudentissimi doctissimique voluntas, tum exiguum sane negantis rationum robur eo luculentius certiusque intelligatur. Vigilantissimum fuisse Pontificem, & finium regni sui propagandarum studiosissimum, loca docent infinita, quamvis magnificas aliquando spes, ut Tom. I p. 498, de Eberhardo Ludovico Duce Wurtembergico, seu, ut communissimo exteris σφάλματε & hic audit, Witebergensi, & T. II p. 104, de Czarowizia conceptas, in cassum ivisse concidisseque videamus. Unum magnopere commo-

vit

vit animos noſtros, quod tam aperta ſententiæ Romanenſium hic ſe prodant veſtigia, qua ſacroſancta fidei datæ jura, æternumque ac immutabile Pactorum conventorum robur, quod gentes a religione omni atque humanitate fere averſæ tamen ex ea lege, quæ apud omnes gentes peræque cuſtoditur, ſibi non violandum eſſe, norunt & ſtatuunt, a primo Chriſtianitatis Epiſcopo nullius eſſe autoritatis omnique carere obligatione, primaque quavis occaſione impune fallendum infringendumque eſſe pronuntiatur, niſi Eccleſiæ Romanæ incrementum utilitatemque iſta pacta contineant. Ita Tom. I p. 358 Pax Weſtphaliæ *damnoſa illa Chriſtianæ Reipublicæ & omni bello deterior* audit, quam, quotquot ſunt, qui communi patriæ bene cupiunt, trium Religionum maximi, medioxumi, infimi libertatis ſacræ & profanæ palladium venerantur. A. 1711 Joannes Conradus Epiſcopus Baſileenſis cum nobiliſſimo Pago Helvetiorum Bernenſi tranſegit, at Pontifex noſter T. II p. 140, poſt vehementem Epiſcopi ejuſdemque S. R. I. Principis objurgationem *ea omnia* pronuntiat *nulla & invalida, nullius roboris aut momenti, neque Epiſcopum aut alium quempiam ad illorum ſeu cujuslibet illorum, etiamſi ratificata & juramento firmata ſint, obſervantiam teneri.* De Altranſtadienſibus Pactionibus, ſacra Sileſiorum anchora, ad quam Chriſti in illis regionibus Navicula ſub benigniſſimo Auguſtiſſimi Imperatoris Caroli VI Imperio portum tenet, Pontificis noſtri Tom. II p. 179 hæc horrifica eſt ſententia: *Majeſtati Tuæ* (eidem puta glorioſiſſimo Cæſari Carolo VI) *per præſentes denuntiamus, ac inſimul tradita nobis ab omnipotente Deo autoritate declaramus, prænarratas dicti Tractatus Altranſtadenſis pactiones, cæteraque in eo contenta, quæ Catholicæ fidei, divino cultui, animarum ſaluti, Eccleſiæque autoritati, jurisdictioni, libertati ac juribus quibuscunque quomodolibet officiunt, — — cum omnibus & ſingulis inde ſecutis & quandocunque ſecuturis, ipſo jure nulla, irrita, invalida, injuſta, reprobata, inania, viribusque & effectu penitus ac omnino vacua ab ipſo initio fuiſſe, & eſſe, ac perpetuo fore, neminemque ad illorum ſeu cujuslibet illorum, etiamſi pluries ratificata, ac juramento vallata ſint, obſervantiam teneri* &c. &c. Ejusdem fere naturæ ſunt, quæ de Receſſu

Pala-

Palatino Tom. II p. 217, 284 & 735 leguntur. A. 1718 Pax Helvetiæ reddita eſt, per ea, quæ inter Tigurinos Bernenſesque & Joſephum de Rodulphis Abbatem Monaſterii S. Galli Ordinis S. Benedicti convenere, de quibus cum Abbas ad Pontificem retuliſſet, Clemens XI Tom. II p. 678 hæc reſcripſit Abbati: *Easdem itaque Literas* (in quibus ſe in ſimili forma Brevis de omni illa Pacificatione opportune ſtatuiſſe dixerat) *ad perpetuam rei memoriam in Archivio Monaſterii prædicti cuſtodiri curabis, ac interim, juxta illarum tenorem pro comperto habeas, Te Succeſſoresque Tuos ad ea, quæ in prædicta infauſta Tractatione conventa fuerunt, obſervanda, perinde ac ſi nunquam conventa fuiſſent, nullo modo teneri.* Aderant ad manus plura, & quæ non minus mirari poterat Lector; verum hæc illi in ipſo opere evolvenda relinquimus.

DE VITA ET REBUS GESTIS NONNI *Alvareſii Pyreriæ, Luſitaniæ Comitis-Stabilis, Libri II,* *Autore* ANTONIO RODERICIO COSTIO, *Regiæ Academiæ Socio.*

Oliſipone Occidentali, apud Paſchalem á Sylva, Regis ac Regiæ Academiæ Typographum, 1723, fol.

Alph. 2 plag. 9 fig. æn. 2.

S*I quis eſt populus*, inquit Noſter in ipſo Operis ſui exordio, *cui citra ambitionem queri liceat de inopia ſcriptorum, cum profecto Luſitanum eſſe, minime dubitandum; ejus quippe res geſtæ memoria ceteroqui digniſſimæ a tam paucis melioris notæ ſcriptoribus memoratæ ſunt, ut haud dubie dicendum ſit, quemadmodum pleraſque nationes armis vicit, haud ſecus omnes hac etiam infelicitate ſuperaſſe.* Nos nobis tantum non ſumimus, ut Luſitano Viro ſupellectilis, quæ domi eſt, gnariſſimo temere obloquamur; nulli tamen dubitamus, Regiam illam Academiam, cujus Noſter Socius eſt peregregius, ſub Auguſtiſſimi literarumque amantiſſimi Principis ſanctis auſpiciis vires & robur capientem, propediem effecturam, ut illarum querelarum lætus & ſubitus ſit finis; maxime cum gens Luſitana eo ad Hiſto-

Historicam vim sit ingenio, ut jam nunc, si minus multitudine, præstantia tamen cum multis non infeliciter contendere possit. Quis quæso magno illi *Osorio* excellentibus de vita Emanuelis Regis Commentariis partam gloriam unquam reddidit dubiam? Quantum post fata Joannes II Rex maximus Illustrissimo scriptori *Emanueli Tellesio Sylvio Marchioni Alegretensi* debeat, neminem historiarum studiosum latere potest; &, si Triumviratum cupis, nostrum hunc *Antonium Rodericum Costium* adjicias, scriptorem ut eloquentissimum ita prudentissimum; qui, dum conquiritur materia & conficiuntur commentarii Historiæ Sacræ Transmarinæ, cujus scribendæ provincia Nostro Illustrissimæ Academiæ placito data est, ut aliquo modo interea Academiæ instituto satisfaciat, nec in communi omnium Academicorum labore cessare ac desidere videatur, Nonni Alvaresii Pyreriæ res gestas primoribus Lusitanorum adolescentibus exempli causa dicatas, (rem levem existimes, quod non est,) Latinis literis nitidissime consignatas edidit. Libri II sunt splendide etiam impressi, nisi quod aliquoties correctorum majorem industriam desiderare possis, adjecta duplici Nonni imagine, altera, ut Comes Stabilis bella ciere fuit solitus, altera, ut Deo sacratus Monachi specie pietatem coluit, quæ, utpote artifici Picarti manu efficta, non leve decus edito operi conciliare videntur. Sed satius est, ut nos, quod liber ante triennium quidem excusus in Germania tamen nostra sit futurus rarissimus, Nonni quandam imaginem ex pulcerrima Costii nostri tabula exiguis lineis descriptam sistamus.

Nonnus natus est anno Domini c I ɔ ccc. x, patre Alvaro Gonsalio Pyreria, Viro magno, Equitibus Rhodiensibus pro Magistro, qui genus ad regium Gothorum sanguinem referebat, & matre Irene Gonsalvia Carvaliele, femina haud obscuris natalibus, quæ passa per aliquod tempus ab Alvaro stupri consuetudinem, tam postea caste vitam instituit, ut inter Beatricis, Ferdinandi Regis filiæ, cubicularias sit allecta. Annum agebat Nonnus quartum decimum, cum, orto inter Ferdinandum Lusitanum Henricumque Bæticum bello, hostem patris jussu intrepide cauteque explorando mereretur, ut puer adhuc a Regina Eleonora solemni ritu armis indue- p. 6.

 retur.

p. 10. retur. Patris etiam voluntate factum est, ut matrimonium, a quo natura abhorrebat, cum femina primaria & divite, Eleonora Albina, iniret anno ætatis septimo decimo, ex qua liberos suscepit, duos virilis stirpis statim amissos, tertiam sequioris sexus, Beatricem, Joannis nothi notho filio Alphonso, Ducum Brigantinorum hodiernorumque adeo Regum progenitori, in matrimonium
13. postmodum collocatam. Quamprimum licuit per ætatem, fidelem Nonnus operam Regi in bello Bætico præstitit, Olisiponem urbem, quam classis Bætica premebat, sub Fratris sui
17. imperio defendit; & cum audisset instare prœlium, invito fratre erupit, viamque sibi cum comitibus per milites ad urbis portam excubias agentes & fratris jussu Nonnum exire prohibentes, stricto ferro faciens, ad castra regia pertendit, magna virtute sed incassum; non enim prœlium sed pax secuta est, pacemque
26. Ferdinandi Regis morbus & mors. Cognitissima sunt ea, quæ mortem Regis insecuta sunt, quomodo Regina Vidua rerum summæ fuerit præposita, quanta apud eandem & quam suspecta gratia floruerit Anderius Comes, quid ausus sit facinoris Joannes Avisiensium Magister, Nonno imprimis instigante, ita ut dici possit, Lusitaniam, occiso Anderio, pulsa Regina, suam libertatem duobus adolescentibus debere.

Sectatus est Nonnus Joannis Avisiensis, quem sua factio Defensorem regni constituerat, partes suo consilio, cum fratres ejus, imprimis Alvarus Rhodiensium Magister, Reginam Bæticosque
30. colerent. Audita Anderii nece, mox advolavit Olisiponem, & ut arx dederetur, partim ostensa vi, partim verborum lenociniis
35. effecit; adventante Bæticorum rege, ut urbi de cibariis prospiceretur, negotium datum est Nonno, quod non absque periculo nec
43. sine laude bellica curavit; deerat Transtaganæ Dux impiger & acer, qua in causa Comiti Alvaro Pirio Castrensi prælatus Nonnus summa diligentia administravit provinciam, suos sæpe dubios confirmavit, hostilium urbium alias tentavit, alias partibus
53. adjecit suis, apud Fronteriam etiam cum fratre Alvaro conflixit, & exiguis cum copiis longe majorem hostium vim propulit fugavitque, capta mox nova Arrucitana, Alecretaque in partes traducta. Omnis spes Olisiponensibus erat reposita in classe, quæ Por-

Portucale parabatur, quod opus ut urgeret Nonnus, jussu Joan-
nis cum comitibus eo ire cœpit; sed quod hujus rei nuncium præ- p. 56.
miserat, Gondissalvus, qui isti curæ hactenus intentus, noluit il-
lius expeditionis gloriam cum Nonno communicare, & nondum
satis a milite armisque instructus, tamen ante e portu solvit,
quam Nonnus adesse potuisset, quod ubi hic accepit, in provinci-
am reversus est. In itinere ad Scalabim hostium manum fudit; 59.
mox Castanedium intra Pacis Augustæ mœnia se recipere com- 61.
pulit; ad Odivorum rivulum suis, quod fame vigiliisque per bi-
duum essent vexati, dilabentibus, aliquid damni accepit. Mox 65.
ut urbi obsessæ opem ferret, & Palmellam & Almadam ad Ta-
gi ripam expugnavit, auditoque, Regem Bæticum, quod pestilen-
tia exercitum fere pessumdedisset, solvisse obsidionem, ipse una
navicula per mediam hostilem classem Olisiponem trajecit, eo 69.
consilio, ut, persequendum esse Regem Bæticum, Joanni persua-
deret, quod cum ei per reliquos Consiliarios, tutiora ancipitibus
præferentes, non licuisset, ad Transtaganos suos remeavit. Ibi
Portellam cepit, Villam vissosam bis frustra tentavit, (fuit enim 74.
fere impatiens moræ in obsidendis urbibus) tulit tamen suppetias
Joanni, Turres veteres obsidenti, quamvis & hæc obsidio urbe
non capta iterum soluta sit. Imminebat autem res major, Comi- 81.
tia regni a Defensore Conimbricam indicta, quæ quod celebrave-
rint Civitates, quod Regem maluerint, quam externam domina-
tionem aut paucorum potentiam, quod denique plurimi, in u-
num Joannem consenserint, Nonni potissimum fuit opus, cui
novus Rex collato Comitis Stabilis honore, qui proximus est a
Regio fastigio gradus, promeritam retulit gratiam, militari sum-
mæ potestati etiam aulæ superaddita præfectura. Post tantam 90.
rem confectam alia læta accidere novo Regi multa virtute Non-
ni, capta sunt Neivæ castellum & Viana urbs, Cerveriani & Mon-
sanenses in verba Joannis jurarunt; quod & Bracharenses fece-
runt, arce etiam a Bæticis recepta; paulo post Nonnus junctis
cum Rege copiis Pontilimæum oppidum vi cepit. Hic primi Libri
finis est.

Instabat Rex Bæticus cum validissimo exercitu Olisiponem 97.
regni caput gravissima obsidione iterum cincturus; quod mali

genus experti Olisiponenses omni modo detrectabant; adstipu-
labatur Nonnus, quod pugnas fortes, quam lenta illa obsidia,
mallet; alii contrariam sententiam tenebant, ut vel Nonno ad-
versarentur; dubia mens Regi & ad tutiora & lentiora fere pro-
clivior; quod ubi animadvertit Nonnus, cum iis quos adduxe-
rat, solus perrexit in hostem. Joannes vel isto animi ardore pe-
ne divino excitatus, vel pudore compulsus, vel metu, ne tan-
tum ducem cum fortissimis temere perire sineret, commotus,
Nonnum secutus est. Castra iterum juncta sunt ad Thomarium,
pugnatumque cum Bæticis ad Aliubarotam A. CIↃ CCC LXXXV.
Mira res: a septem hominum millibus magnam partem iner-
p. 110. mibus, bellique expertibus, triginta armatorum millia, in quibus
Bæticæ juventutis & nobilitatis flos erat, superata & concisa sunt.
Joannes Bæticus a paucis stipatus fuga se Scalabim recepit, mox
cimba ad classem suam delatus, Prætoria nave conscensa, prope-
re Hispalim profectus est. Ita Nonnus sua virtute felicique au-
114. dacia Joannis recens regnum firmavit, Comitis Aurenensis di-
gnitate eo nomine ornatus. Redux ad Transtaganos suos, col-
121. lectis copiis fines hostium ingressus, Extremaduræque Bæticæ
agros longe lateque depopulatus, hostibus etiam ad Vallem
Viridem fusis fugatisque, incolumis & cum præda insigni ad
Helvios reversus est. Interea Joannes Rex Aquas Flavias obsedit,
quo cum & Nonnus cum expedita manu venisset, urbs dedita
132. est, & Nonno a Rege in præmium reportatæ apud Extremadura-
nos victoriæ attributa. Rebus ita Joannis magis quam ante fir-
matis, de disciplina sollicitus Nonnus e sua legione scorta femi-
nasque omnes expulit, quod licet ægerrime ferrent viri mili-
tares, persuasit tamen Nonnus Regi, qui idem in exercitu, quod
134. ille in legione sua, edixit. Regi videbantur res Lusitanæ ita con-
valuisse, ut ultro Bæticas urbes oppugnatum ire posset; & tenta-
ta est Coriæ urbis obsidio, sed absque fructu, forte quod Non-
nus, in quem fortuna fere inclinare videbatur, eo bellum geren-
141. di genere non delectaretur. Ea tempestate Dux Lancastrius Jo-
annes ad litus Calaicum appulit, cum quo, ut expediebat, Joan-
nes Lusitanus & consilia, & fœdus, & castra junxit, &, ut firmio-
ra essent novæ amicitiæ jura, Britanni Ducis filiam natu ma-
jorem

jorem Philippam sibi conjugem pepigit. Castra mota sunt, obsessum Beneventum, sed re iterum infecta inde discessum est. p. 147. Paulo post Nonnus evocatus est Bracharam ad Regni Comitia, ubi, dum Nobilium majora & excellentiora jura appetentium causam, sed frustra, apud Regem prudentissimum agit, nuntius affertur de uxoris morte, quam constantissime tulit; cum vero 152. ad novas easque nobilissimas conditiones in aula urgeretur, naturæ obsecutus abnuit, & ut ingratos sermones evitaret, propere in Transtaganam suam se recepit, oblata statim rem bene gerendi nova occasione. Viticariam diripuerant hostes & prædam omnem ad novum Fraxineti oppidum avexerant; Nonnus cum paucissimis insecutus, in oppidum irrupit, hostes, præter paucos in arcem confugientes, cecidit, omnemque prædam non exiguam numero recepit. Rex Joannes expugnavit Melgassum, & Nonno comite Campum majorem, & post bimestres inducias absque fructu elapsas Tudem urbem, quibus damnis fractus Bæticus tandem in sex annorum inducias serio consensit.

Bello ita prorsus aut saltim in longum tempus confecto, Nonnus nobiles viros, omnesque illos, qui secum bello egregiam 159 operam navaverant, convocavit, collaudatisque ingentem pecuniæ vim, quam ex prædivitis uxoris dote attributisque sibi a Rege vectigalibus & oppidis, in omni vita decenti parsimonia usus, confecerat, quin & præcipuis amicorum ipsa illa oppida & reditus distribuit, qua regia largitione & sui admirationem apud plerosque auxit, & obtrectatoribus novam criminandi occasionem objecit. Rex de Nonni fide plane securus, alium rei modum adhibere statuit, & exsequi cœpit, quæ dudum mente agitaverat restituendæ Regiæ potestatis gratia. Scilicet convocatis Nobilitatis principibus & Præfectis, postulavit, ut vectigalia publica oppidaque sibi pretio redimere liceat, alia immodice donata sponte sibi restituerentur; simul ut ne cui præter Regem milites oppidanosve in sua verba adactos habere liceret. Cum ea re Nonnus unus omnium maxime peti videretur, & a reliqua etiam nobilitate, ut cui Rex & optime cuperet, & plurimum deberet, communis causæ patronus deligeretur, gravi & composita oratione multum agendo, suadendo hortandoque cum Rege collocutus est,

 quem

quem tamen, sui consilii certum, a proposito dimovere non potuit. Quod cum perspiceret, insalutato Rege in suam præfecturam se recepit, convocatisque contubernalibus bellorumque sociis Stremotium, profectionem e regno, in qua cum dignitate amplius vivere non posset, Rege nihil læso, suasit; quod consilium cum omnes, uno excepto, comprobarent, distributis lautissimis viaticis iter parare jussit, adornavitque serio ipse. Rex de his rebus certior factus, valde commotus est, quod tanto Viro carere non posset, simul quod vereretur, ne maximorum beneficiorum a Nonno acceptorum parum memor haberetur; quare primum Pontificis Conimbricensis, sodalium principem, mox Magistrum Equitum Avisiensium ad Nonnum misit, & cum nec hic quidpiam proficeret, Pontificem Eborensem, magnæ autoritatis virum, qui tandem effecit, ut Nonnus certos homines ad Regem mitteret, quorum interventu ita tandem transactum est, ut & Rex & Nonnus nonnihil de sua sententia decederent. Regi suum jus servatum est illibatum: Nonnus oppida & vectigales agros, amicis donatos, invitus licet, recepit: Rex fidem interposuit suam, egregiam illorum in bello præstitam operam a se remuneratum iri: Nonnus oppida ad libitum Regis accepta dimisit, donata in perpetuum illibata retinuit. Hoc exemplum alios imitari oportuit, quo ipso tamen multorum e Nobilitate animi sunt alienati, qui, coorto post induciarum finem cum Bæticis bello, ad hos defecerunt, & Dionysii, Petri Regis Filii, regnum a Joanne armis repe-
p. 165. tentis, castra secuti sunt. Sed hanc, quam diximus, a Dionysio excitatam belli tempestatem sui nominis autoritate Nonnus profligavit. Recruduit bellum, sed cum nec Bæticis in Lusitania, nec Lusitanis in Bætica, imprimis ad Alcantaram, res succederent, utrosque serio belli piguit. Joannes Rex Bæticus dudum obierat, obierat & Henricus Filius: cum Joanne adeo impubere Henrici Filio induciæ factæ sunt in decennium A. CIↃ CCCCVII, eædemque, annitente imprimis Catharina Bæticæ Regina, Philippæ Lusitanæ Sorore, in pacem A. CIↃ CD XII conversæ.

177. Pacatis in Europa rebus, Joannes magno animo de expeditione in Africam suscipienda cogitare cœpit, de qua quæ fuerit Nonni sententia, non constat. Comitatus tamen est Regem, cum tribus

tribus filiis in Africam tendentem, capta est Septa M.CCCCXV, Nonno bellicorum operum ultimum, cum annum ætatis ageret quinquagesimum quintum. Septem inde annos privatus vixit, rebus domesticis & perficiendo sumtuosissimo templo Deiparæ Carmelitanæ in urbe Olisipone intentus; quo perfecto, illud Instituti Carmelitani sodalibus, & se ipsum eidem sodalitati tradidit, in qua per integrum decennium sanctissime vixit mendicantis specie, donec IV Idus Majis A. M.CCCCXXXII diem extremum placidissime obiret. p. 183.

Qui hæc a nobis exsangui sermone tradita, apud eloquentissimum Costium autem prudentissime explicata & consignata, leget, facile fatebitur, Nonnum fuisse Virum omnino magnum, multis & excellentibus virtutibus conspicuum, & cum omnibus illis, quos vetustior solet celebrare ætas, componendum; licet indomitam illam virtutem, fontemque illius minus limpidum, fabularum, res heroum ultra fidem humanam tradentium, lectionem non æque laudaverimus. Sed affuit fortuna cœptis & experientia militaris ætasque confirmatior istos impetus ignesque coercuisse videtur. Unum superest quod moneamus, excidisse prudentissimo Viro, ubi de Comitum dignitate differit, sequentia: *Vulgato vero nomine* (Comitis) *& Gentilibus omnibus in Germania* 116. *& in Italia communicato, quorum plerisque opes deerant, quibus se honeste tolerarent, nedum splendorem tuerentur, cœpit apud eas gentes illustrissimum Comitis vocabulum, ut sunt res humanæ, obsolescere. Non ita tamen apud Hispanos præcipueque apud Lusitanos, semper enim apud ipsos magnum quid & excellens præferebat.* Nemo est inter nos rerum patriarum tam imperitus, qui (ut Italiam seponamus) nesciat, Comitis nomen in nostro Imperio non Illustrissimum modo, sed ejus dignationis esse, quæ proxime ad Principis Imperii majestatem accedit; ipsosque Comites iis juribus esse conspicuos, ea autoritate præditos, ut non habeant, in quo aliarum gentium omnium Comitibus concedere debeant. Quare nec opus videbatur istud moneri, nisi existimassemus, fieri posse, ut hæc Olisipone, & ab ipso Illustri nostro Scriptore forte fortuna legerentur; quod si contingat, ut sinistrum illam de Comitibus Imperii Germanici imminutoque in nostris regionibus Comitum honore

honore opinionem ſibi eripi a nobis patiatur, quam decentiſſime rogamus. Petimus etiam a doctis Luſitanis vel Hiſpanis, ut, ſi quid in lucem produxerint eximium, de quo Reip. Litterariæ conſtare interſit, id Viro S. R. *Dominico Capaſſo*, e S. J. Uliſipone credant, qui pro incredibili literarum propagandarum ſtudio recte ad nos omnia curabit.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB A. D ad MD. LUDOV. ANT. MURATORIUS collegit, ordinavit & Præfationibus auxit.

Tomus VIII.

Mediolani, ex typogr. Societ. Palatinæ, 1726, fol. Alph. 6 pl. 21.

POſtquam de Tomo ſeptimo diximus nuper in Supplementis, jam de octavo dicendum. Fulget vero hic Tomus in fronte ſplendida Dedicatione ad modernum Inſubriæ Moderatorem, *Wirricum Phil. Laurentium* S. R. I. Comitem & Dom. de & in *Daun, Theano* Principem &c. in quo Fabii patientiam & Scipionis impetum prædicat Cl. Argelatus, cui Dedicationes omnes nomine Sociorum Palatinorum conſcriptæ debentur. Sed pergimus ad ſcripta hic contenta, in quibus exſtat *I Gerardi Maurisii*, civis & judicis Vicentini, *Hiſtoria de rebus geſtis Eccelini de Romano* ab A. 1183 ad 1237, jam antea cum Albertino Muſlato a Felice Oſio, ſeu potius (illo jam A. 1631 defuncto) a Dominico Molino Venetiis 1636, iterumque a Leibnitio Script. rer. Brunſv. T. II edita, de qua bene monet Noſter, non ideo pro ſuſpecta habendam, quod Autor in rebus Eccelini, quem conſtat crudelem admodum, maxime in Patavinos, exſtitiſſe, enarrandis ea tantum tradat, quæ in ejus laudem vergunt, cum nondum pervenerit ad ea tempora, quibus virtutis ſemina abjecit. Succedunt *II Antonii Godi*, Nobilis Vicent. ejusdem fere methodi & argumenti *Chronica*, ab A. 1194 ad 1260; ut & *III Nicolai Smeregi*, Notarii Vicent. *Chronicon*, illis affine, ab A. 1200 ad 1279, cum Anonymi continuatione ab A. 1279 ad 1312; tum *IV* Anonymi *vita Ricciardi*

Comitis

Comitis S. Bonifacii, cui multum cum Eccelinis fuit negotii; *V Laurentii de Monacis Ezerinus III*; *VI Rolandini Patavini de factis in Marchia Tarvisina Libri XII* ab A. 1180 ad 1260, cum nominibus Episcoporum & Magistratuum Patavinorum; quæ omnia ex Osiana illa Editione descripta sunt, ita tamen ut multa rectius atque auctius edita compareant. Certe & *Godum* & *Smeregum* Cl. Saxius cum MSptis Ambrosianæ suæ conferre ac plurimis locis emendare gravatus non est, qui & de Godio singularia in præfatione collegit; idemque Codices suppeditavit *Rolandini*, a Cl. Argelato collatos, quibus accessit Estensis, subinde, maxime in libris duobus postremis, longe locupletior & a ceteris diversæ multis in locis lectionis, quam diligenter adhibuit Muratorius, qui & inter alia, exemplo hujus Autoris, cujus si primæ syllabæ e libris XII colligantur, hæc emergunt: *Chronica Rolandini facta Paduæ*, observat, sæpius in usu fuisse veteribus, nomen suum Libris inserere per acrostichos, ut si forte e fronte operis excideret, illud ex ipso opere colligere possent Lectores. Sequitur *VII Chronica parva Ferrariensis*, ab origine Ferrariæ ad A. 1264, quæ nunc primum prodit e Codice Ferrariensi, autore Anonymo, Gibellinis partibus addictissimo, eoque Principibus Atestinis parum æquo. *VIII Historia de rebus gestis Friderici II Imp. & filiorum* ab A. 1210 ad 1258, cum *Supplemento* ab A. 1258 ad 1265, ab Ughello primum Italiæ S. Tomo IX, iterumque ex illo A. 1723 a Cl. Eccardo Tomo I Historicorum medii ævi, & eodem anno a Carusio Bibl. Sic. Tomo II, lacunis quibusdam e Messanensi Codice suppletis, edita. Obtigit vero ea felicitas Cl. Muratorio, ut & *Historiæ* & *Supplementi* autorum nomina detegeret, illam quippe vindicans *Nicolao de Jamsilla*, Gibellinorum partibus dedito, inscriptione Codicis, quem Illustriss. D. Vincentio de Miro debet, confirmatus, hoc vero compilatori ex *Saba Malaspina*, Guelphis addicto, cujus Chron. de rebus Siculis integrum paulo infra dedit, quamvis & hic addere excerpta illa non dubitavit, quod paucula subinde interspersa essent, aliunde petita. *IX Parisii de Cereta Chronicon Veronense* ab A. 1117 ad 1278, quo vita excessisse videtur, ab aliis ad A. 1375 continuatum, quod unicum ex vetustis de rebus Veronen-

ſium, e Codice Eſtenſi nunc protraxit Editor. *X Monachi Patavini Chronicon* de rebus geſtis in Lombardia præcipue & Marchia Tarviſina ab A. 1207 ad A. 1270, primo ab Urſtiſio inter ſcriptores rerum Germ. atque inde ab Oſio cum illa Muſſati hiſtoria editum, & nunc cum Codice Ambroſiano a Cl. Argelato diligenter collatum. Benedictini Ordinis monachum in monaſterio S. Juſtinæ Patavino exſtitiſſe autorem, facile patet; & hanc forte cauſam putat Noſter, quod nomen non expreſſerit, cum hujus ordinis Monachis non paucis in more poſitum ſit, propterea quod humilitati ſtuderent, in libris a ſe compoſitis ſuum reticere nomen. *XI Hiſtoria Sicula ab ingreſſu Normannorum in Apuliam usque ad A. 1282*, autore *Anonymo*, quem *Vaticanum* Noſter vocat, quod & a Caruſio ex Vaticano Codice primum edita Bibl. Sic. Tomo II, & nunc cum alio Vaticano collata prodit. *XII Sallæ* ſive *Sabæ Malaſpinæ*, gravis ſcriptoris, *rerum Sicularum Libri VI* ab A. 1250 ad 1276, a Steph. Baluzio Miſcell. T. VI inſerti, quibus jam Raynaldus cum fructu uſus, qui nomen tamen Autoris, a Baluzio demum detectum, ignoravit. *XIII Ricordani Maleſpini Hiſtoria Florentina* ab initiis urbis ad A. 1281 Italice ſcripta, cum continuatione *Jacbetti*, ex Franciſco fratre Ricordani nepotis, ad A. 1286, pariter Italice. Etenim primum hunc vocat Noſter, qui Hiſtoriam Italica lingua ſcripſerit, quam quidem laudem in Tomo præcedenti, ut monuimus, vindicaverat Spinello. Et prodiit antea liber ille Florentiæ 1568, iterumque 1718, 4, in qua utraque editione omiſſa eſſe ea obſervat Cl. Muratorius, quæ Autor ad A. 1274 notavit, nempe Thomam Aquinatem eo anno, *dum Lugdunum ſe conferret ad Concilium, ut deſtrueret ordinem Carmelitarum*, in Monaſterio Foſſæ Novæ defunctum: forte quod iſta pietati viri præjudicio viderentur, id quod tamen minime metuendum Noſter operoſe demonſtrat. Excipit hæc *XIV Synodus provincialis* A. 1287 habita Mediolani, cum Conſtitutionibus Guifredi Legati Apoſtolici, quæ in nulla hactenus Conciliorum Collectione obvia, e Codice Ambroſiano deſcripſit Muratorius. Tandem exhibetur *XV* Anonymi Regienſis, qui circa A. 1288 vixit, *Memoriale* ſeu Chronicon *Poteſtatum Regienſium* ab A. 1154 ad 1290, prætermiſſis, quæ de rebus inde a N. C. ad

A. 1154

A. 1154 præmiserat, quippe Eruditis parum profuturis; additis vero ex eodem Codice Estensi *versibus Merlini*, opere ridiculo, & *Syllabis Abbatum S. Prosperi & Episcoporum Regiensium.*

GRATIANI DECRETORUM LIBRI V, SEcundum Gregorianos Decretalium libros titulosque distincti per JOANNEM A TURRECREMATA, Ord. Prædicat. S. R. E. Episcop. Card. Sabinum. Nunc primum prodeunt ex Codice Bibliothecæ Barberinæ, cum præfatione, scholiis & indicibus, cura JUSTI FONTANINI, Archi-Episc. Ancyrani.

Volumina II.

Romæ, typis & sumtibus Hierôn. Mainardi, 1726, fol.

Alph. 13 pl. 9.

REvivifcit ad posteritatem, auspiciis Benedicti XIII Pont. Max. opera Celeb. Fontanini, diligens Gratiani Decretorum interpres & novus Architectus, Joannes a Turrecremata, Hispanus, ex Magistro Sacri Palatii inter purpuratos Patres ab Eugenio IV cooptatus. Maximo olim pretio habiti operosi ejus in Decreta commentarii, quos, dum Romæ Gratianum ab anno 1449 inde ad viginti quinque annos publice interpretaretur, edidit, prius Nicolao V P. M. oblatos, postea Calixto III inscriptos, & qui in V volumina distincti, sed VI tomis comprehensi, primum Lugduni apud Jo. de Jonvelle A. 1519, dein Jo. Bœrii notis summariisque locupletati, ibidem A. 1555 IV tomis ex officina Blasii Guidonis prodiere. Ante vero quam commentarios hos appararet, (non post editos illos, quod Doctiss. Fontanino videtur,) conatu novo, labore improbo, totum Decretorum ædificium ab se resolutum, ad formam & ordinem librorum ac titulorum in Decretalibus Gregorii IX servatum, ex integro egessit & Nicolao V dedicavit. *Cupienti mihi*, inquit, *Pontifex Maxime, ex studiorum meorum laboribus aliquid offerre ac dedicare Sanctitati Tuæ, obtulit se liber Decretorum, nuper a me ex confusione quadam & tu-*

multuaria rerum congerie, non sine magna, ut existimo, lectoris utilitate, redactus in ordinem. Nam etsi is liber variis sacrorum Conciliorum canonibus, Pontificum decretis, sanctorum Patrum regulis ac Imperatorum legibus refertissimus sit, ut non modo utilis Ecclesiæ Dei, sed pene necessarius videri possit, nostra tamen sententia, ordine minus recto contextus, plurima incomposita, locisque incongruis continens: quæ inordinatio plurimos a studio ac lectione sui deterret ac retrahit. Cumque Gratianus luculentiorem & libris Decretalium convenientem ordinem induere aliter non posset, quam si rubricæ adderentur, ac subinde immutarentur, & capitula secarentur bene multa, quibus integris ob diversa, quæ complectuntur, sub uno titulo apte locus haud foret; utrumque solertissime præstitit Turrecremata. *Paleas* vero & inter eas quoque *c. 14, Constantinus, dist. 96* prorsus omisit, manifesto indicio, nullius exstitisse illo tempore valoris & autoritatis, neque Gratiano fuisse adscriptas. Ceterum perfecit hoc opus adhuc Cardinalis S. Xysti, *vexantibus ipsum,* ut ait, *undique ægrotationibus suis,* dicavit & obtulit Pontifici Cardinalis jam factus S. Mariæ trans Tiberim. Haud abs re credimus, eum in publica Decretorum interpretatione hoc ipso opere usum esse, quod post fata laboriosissimi senis (octuagenarius enim sub Paulo II A. 1468 decessit,) manibus excidere & in bibliothecis delitescere cœpit. Ejus exemplar chartaceum, in forma folii scriptum, servat bibliotheca Barbarina, jam a Nic. Antonio commendatum in Bibliotheca Hispana veteri *libro X c. 5 §. 525.* Codex, *Turris aurea Decretorum,* a librario, ut videtur, inscriptus fuit post Turrecrematam ad Episcopatum Sabinum e titulo S. Mariæ trans Tiberim evectum. Cujus codicis notitia olim perlata ad Vincentium Mariam Ursinum, in utroque ordine, Prædicatorum & S. R. E. Cardinalium, Turrecrematæ collegam & fratrem, jam Benedictum XIII P. M. cupido ejus animum incessit Barberinum exemplar in usus juris canonici studiosorum, præcipue inter clerum sedi Beneventanæ, cui præerat, subjectum, publicandi. Doctissimo Fontanini recognoscendi & typis excudendi codicis, annuente Eminent. Card. Francisco Barberino juniore, descripti, data est solicitudo, quam per sedecim menses gessit, ita, ut singulorum

lorum canonum citationes probas a ſpuriis diſcerneret ac ad priſtinos fontes, ubi licuit, ſecundum præſtantiores editiones recenſeret, ad editionem vero Romanam pariter omnes exigeret, & commoditatis ergo partitionem ac numeros vulgatæ editionis Gratiani ad oram ſingulorum canonum adnotaret. Adjecit brevia perſæpe poſt ſingulos canones ſcholia, quæ de ſuſpectis monent, perperam in dubium vocata, non raro adductis autoribus, tuentur. *Pithœorum curæ,* ait, *multa nobis ſubminiſtrarunt. Ex iis non ſine criſi ſelegimus, quæ ad rem noſtram facere videbantur, ſcriptorum, unde teſtimonia proferuntur, expreſſis ætatibus atque epochis certioribus, locorum etiam nominibus, ubi opera, quæ laudantur, conſcripta & quæ interdum miſſa.* Quinque Indices appoſiti, primus librorum, titulorum, rubricarum & canonum, alter canonum tantum, principiis eorum ordine literario ita recenſitis, ut & huic & reliquis editionibus accommodetur, tertius rerum, quartus hiſtoricus, poſtremus Geographicus & Hiſtoricus. Neque vulgare addit ornamentum docta Editoris diſſertatio præmiſſa de collectionibus canonum, præſertim illa Gratiani, de autoritatis decretorum cauſis & progreſſibus, de emendatione Gratiani autoritate Pontificum ſuſcepta, de Turrecrematæ demum opera in Gratianum collata. Multum ſibi obſtrinxit Celeb. Fontaninus juris canonici ſtudioſos, quod non in bibliothecarum canonicarum decus ſolum, ſed in commodiorem etiam Decretorum cum Decretalibus collationem, & in uſum accuratæ & præſtantioris Decretorum editionis, hoc opus apparaverit.

SEX. AURELII PROPERTII ELEGIARUM libri IV, ad fidem veterum membranarum curis ſecundis JANI BROUCKHUSII ſedulo caſtigati. Accedunt terni Indices, quorum primus omnes voces Propertianas complectitur.

Amſtelædami, apud Wetſtenios, 1727, 4.

Alph. 3 plag. 10.

De Observationibus Viri elegantissimi *Jani Brouckhusii* in Sex. Aur. Propertium, cum earum prima editio in lucem prodiisset, in his Actis A. 1702 M. Jul. p. 296 sq. disseruimus. Eam ob causam, & quod non modo Propertius, sed etiam Tibullus, ab eodem ingenio eadem ratione ornatus, diu eruditorum manibus versatus est, otium nobis factum videmus institutum præclarissimi viri pluribus proponendi. Notum est omnibus, quod non minus ex recentioribus, quam vetustis autoribus exempla poeticæ elegantiæ collegerit: quod varii generis observationes in unum corpus redegerit: quod denique paullo audacius receptas lectiones repudiaverit, novasque in contextum admiserit. Igitur de *secundis* tantummodo *curis* dicemus. Debemus eas V. Clar. *P. Vlamingio*, qui Codicem Propertii ex auctione supellectilis literariæ David. Hoogstratani sibi comparavit, cui Cl. *Brouckhusius* ea augmenta adeo nitide adscripserat, ut facile appareret, iterandæ editioni destinata esse. Ea, cum Wetstenii expeterent, publicæ utilitati haud negavit. Et cum ad manum haberet observationes fratris sui in hunc Poetam & alia quædam, nihil tamen, nisi *Brouckhusiana* dedit, eaque per se libro, quod vel ex numero plagularum patet, singulari augmento fuerunt. Quanquam, nemine monente, quilibet secum constituet, longe uberiores futuras fuisse has δευτέρας φροντίδας, si ipsi *Brouckhusio* hanc editionem curare licuisset. Id, quod ex prima statim pagina patet, ubi duo additamenta inseruntur. Alterum hoc est: *Super nominibus Poetæ nostri suaviter nugatur Joannes Goropius in Vertumno pag. 30.* Alterum hujuscemodi: *Antimachi Lyde. Parrhasius Epist. pag. 199.* De priore nihil addimus: at posterius additamentum nunquam ita nude, ut erat *Brouckhusius* disertissimus, adjecisset. Ad Lib. I Eleg. 1 princip. duæ notæ ex Barthii Animadversionibus in Statium accesserunt, prior, quod *Cynthia* Propertiana nupta fuerit, quod ad Lib. II Eleg. VI v. 1 pluribus docet *Brouckhusius;* posterior, quod Propertius primus homoioteleuta ejus generis, cujus est: *suis . . . . ocellis* in Elegiam invexerit. Ibidem ad v. 4 observatio de corporibus hostium devictorum conculcatis a victoribus augetur testimonio Valer. Flacci, & deinde accedunt autores, Barthius in Adversf. lib. III cap. 14, Longe-

Longepierre *sur la seconde Idylle de Bion* p. 50, l'Ariosto XXIII *del Furioso*, 66, & testimonium S. S. ex Josua X, 22 seqq. Ad v. 8 nova comparet annotatio, quæ hæc est: ADVERSOS) Seneca Troad. v. 28: *Testor deorum numen adversum mihi*. Quæ itidem contra morem primi editoris est concepta. At quantivis pretii est annotatio ad v. 13: PERCUSSUS VULNERE RAMI) *nervi* malebat Heinsius in notis nondum editis. Recte. Ovidius II Art. Amat. 191:

Sensit & Hylæi contentum saucius arcum:
Sed tamen hoc arcu notior alter erat.

Notæ super v. 20 nunc subjungitur: *v. Douza schediasm. succid. pro Tibullo p. 62.* Vs. 21 nova observatione ornatur. Citavit enim Valla *Vos agedum . . . convertite*, pro *En agedum*. Eum in libros omnes peccare docet Autor, & exemplis Ciceronis & Valerii Flacci confirmat, *agedum* & *age* cum Plurali numero conjungi: quod in Indicem etiam Annotationum recte relatum est. Notæ ad v. 24 inseritur exemplum ex ipso Propertio. Versui 26 nudus locus ex Seneca adscriptus est: quomodo v. 8 ornatum nunc demum esse, modo diximus. Atque hæ sunt accessiones Notarum in Elegiam I. Non quidem tam larga augmenta omnibus locis animadvertimus: passim tamen similia, aut etiam majora conspicere licet. Ad Lib. II Eleg. XXIV v. 12 Ciceronis autoritas frequentior est, quam olim. Circa quam observationem utinam erudito Autori videre licuisset, quæ postea monuit Jac. Gronovius ad Minucium Felicem! fortasse, isto fremente, plura loca in rem præsentem advocasset. Sic ad lib. III Eleg. II v. 28 Senecæ, Nasonis & præterea Areosti Itali autoritate antiqua observatio de verbo *pendere* in locis exstructis aut altis describendis corroboratur, & Goralli, qui nonnulla ex hac observatione sublegerat, impudentia castigatur, verbis adeo mordentibus, ut facile agnoscas ab ingenio Brouckhusii omnia profecta esse. Ita ad ejusdem libri Eleg. IX v. 53 tres accessiones deprehendimus, ubi nempe additur Solinus, Montfaucon & Vigneul-Marville. Quo loco, ut & aliis aliquot, id simul observamus, si Autor ipse hanc editionem procurasset, eum imagines antiquas, ut in Tibullo factum, fuisse additurum. Interim etiam sine his lenociniis Pro-

per-

pertius hicce gratus erit eruditis atque acceptus, eo magis, quod nitidissima & facile atramentum admittente charta, quam hodie in multis Batavorum libris desiderari videas, sit expressus, & satis emendate descriptus. Monent præterea bibliopolæ, prostare apud se non modo Tibullum eadem ratione illustratum, & *Brouckhusii* ipsius Poemata eademforma impressa, sed brevi sese etiam daturos *Catullum* ejusdem generis annotationibus ornatum.

M. TULLII CICERONIS ACADEMICA. Recensuit, Variorum Notis suas immiscuit, & Hadr. Turnebi, Petrique Fabri Commentarios adjunxit JOANNES DAVISIUS, Coll. Regin. Cantabr. Præses.

Cantabrigiæ, sumptibus Corn. Crownfield, 1725, 8.
Alph. 1.

QUi jam tot præclaris ingenii monumentis suam eruditis operam probavit Cl. *Davisius*, in eo omnium maxime de literaria re bene mereri videtur, quod tantam expoliendis Ciceronis Philosophicis curam impendere satagat; quippe quæ & pro argumenti difficultate, & nata inde librariorum corruptione, tanti viri manus auxiliatrices vel imprimis desiderabant. In qua provincia ornanda quam felici successu provectus fuerit, alibi Acta nostra docuere. Restare jam videbantur ad pertexendam, quam exorsus est Vir Cl. telam, quæ exhibemus, Ciceronis Academica. Ita enim restituere inscriptionem, ex Nonii, Marciani Capellæ, & duorum MSptorum autoritate, Nostro placuit, cum vulgo sub Academicarum quæstionum titulo circumferantur. Textui Tulliano Victorii, Camerarii, Manutii, Lambini, & Ursini integras notas, seorsim antea editas, nec non Franc. Guyeti stricturas ex ora editionis Gruterianæ, Parisiis in Jesuitarum Bibliotheca asservatæ, descriptas subjicit. His suas animadversiones immiscet, quibus tum historiam & dogmata Philosophorum, adhibitis antiquorum monumentis, explicat, tum textum suæ integritati restituit, duodecim MSptorum copia, & suo ingenio abunde adjutus. Ad calcem textus in Acad. primum Hadr. Turnebi

nebi integer Commentarius ex Commelini editione 1597 expressus exhibetur, in quo, cum posthumus fœtus sit, autoris limam Noster desiderat. Hunc excipiunt Petri Fabri in utrumque Academicum observationes, olim Parisiis 1611, jam vero Nostri cura correctius editæ; quæ nimiam in vulgata lectione tuenda sollicitudinem prodere Cl. Davisio videntur. Qua occasione quorundam eruditorum errorem refellit, qui hunc Petrum Fabrum, Arvernum, in Collegio Rupellensi Hebraicæ linguæ Doctorem, circa A. 1615 mortuum, cum Agonisticῶν autore, qui Tolosonus, Senatus patrii Præses, decessit A. 1600, confuderunt, patria adeo, muneribus, & ingenii monumentis facile a se invicem distinguendos. Agmen claudunt addenda, quorum majorem melioremque partem Amico cuidam, cujus nomen reticet, deberi, non sine ejus præconio fatetur. Nos, Cl. Davisio, ejusque Amico, ingenii ubertate Nostri simillimo, quid debeatur, ut comprobemus, aliquot emendationes exhibebimus, unde de reliquarum indole facile lectori judicium erit. L. I C. I: *Atque illum complexi, ut mos amicorum est, satis eum longo intervallo ad suam villam reduximus:* Noster sine Codd. adjumento legit, *ut mos amicorum est* SE VISENTIUM LONGO INTERVALLO, hæc verba interpunctione a subsequentibus divellens, quod longo intervallo Varronem ad villam reducere non licebat, qua se paullum abfuisse, cum eum ad se venientem viderint, superiori commate Cicero dixerat. Idcirco *intervallum*, non loci distantiam sed temporis spatium, quod intercesserat, ex quo se non viserant, hic interpretatur. Circa finem ejusdem cap. *& id studium, totaque ea res longe ceteris & studiis & artibus antecedat:* in addendis cum Amico suo opinatur, sermonem recte non procedere, nisi pro *artibus*, *rebus*, restituatur. C. II: *Nihil apta interrogatione concludunt:* Amicus in add. *argumentatione* reponit, cum interrogatio nihil unquam concludat. C. IX: *Post argumentis, & quasi rerum notis ducibus utebantur ad probandum*, sola verborum μεταθέσει eleganter refingit Noster, *& rerum notis, quasi ducibus, utebantur*, ut Cic. Fin. l. V c. XXV rerum notas dicit. In add. Amicus ingeniose conjicit, *quasi rerum nodis*, cum argumenta sint quasi nodi, quibus conclusio connectitur. C. XIII: *Ut contra omnium sententias dies jam plerosque deduceret*,

Nostro hiare oratio videtur, quamvis deducere dies idem significare ac absumere, concedat. Hinc Lambini conjecturæ subscribens pro *deduceret* legit *diceret*; & cum *dies plerique* eum quoque offendant, *dies etiam totos diceret*, substituit. In add. ab Amici conjectura non alienus est, qui legit: *ut contra omnium sententias diebus alternis diceret;* quæ, quamvis sequentibus apte satis conveniant, ex recepta tamen lectione vix exsculpuntur. L. II C. XV: *Cum animi inaniter moveantur eodem modo rebus iis, quæ nullæ sint, ut iis, quæ sint:* voci *inaniter* litem movet Noster, *frequenter*, rescribens, cum sane iis, quæ sunt, haut *inaniter*, sed *vere* moveamur; quamvis Chimærarum imagines interdum æque vividas concipiamus. C.XXII: *Et ut ii, qui sub nube Solem non ferunt, item ille, cum æstuaret, veterum ut Manianorum, sic Academicorum umbram secutus est*: absonum est, eos, qui sub nube Solem non ferunt, umbram sectari, cum apricari potius cupiant. Hinc Noster cum Joanne Clerico reponit; *qui sine nube Solem non ferunt*. Aliam, sed minus nativam conjecturam in add. exhibet: *qui, sudum dum est, Solem non ferunt:* facilior est Amici divinatio: *qui subinde solem non ferunt*. C.XXV: *Maneant illa omnia: lacerat ista causa; veraces suos esse sensus dicit*. Lacero huic & corrupto loco Noster ita medetur: *blaterat iste tamen, & veraces suos esse sensus dicit*. C.XXVI: *Sed ut minuam controversiam; videte, quæso, quam in parvolis sitis*. Noster paullo durius: *quam parum dissentiatis*, in add. felicius: *quam parva lis sit*. Hæc Davisianæ operæ experimenta ad gustum sufficiant. Nos exantlatum Cl. Autori laborem, quem Ciceronis Philosophicis adhuc non sine eruditorum plausu impendit, gratulamur.

CATALOGUS PLANTARUM HORTI PISAni, Autore MICHAELE ANGELO TILLI, in Pisano Athenæo Simplicium Lectore, & Horti Custode.


Florentiæ, apud Tartinium & Franchium, 1723, fol. Alph. 2 pl. 4 Tabb. æn. 52.

Hor-

TAB. II.

Fig. 2.

A



HOrtum Medicum Pisanum, cujus hic Catalogum exhibemus, condidit A. 1595, ut ex inscriptione ejus discimus, Ferdinandus Medices M. Dux Etruriæ, primosque illi cultores Lucam Ghinium, ejusque magni inter Botanicos nominis discipulum Andream Cæsalpinum constituit, cujus laudes Cl. Autor in præfatione potissimum commemorat, simulque proxime appendicem plantarum synonymarum Cæsalpiniano operi adjungendam exspectare jubet, cui Petrus Ant. Micheli, omnes in nativis locis a Cæsalpino indicatis sollicite perquirens, manum admovit. Plantæ in ipso opere neque ad certas classes sunt revocatæ, neque descriptiones earum adjectæ, sed sola duntaxat nomina maxime recepta una cum usitatioribus autorum synonymis secundum alphabeti seriem collocata, brevibus subinde scholiis subjectis, comparent. E quibus nonnulla notatu digna annotabimus.

Tab. 3 Agaricum squamosum fœtidum superna limbi parte ramosa supra Balenæ ossa adhuc pinguedine referta natum exhibet. Scilicet cum A. 1713 immanis belua per mare Tyrrhenum excurrens in Plumbini ac Populoniæ maritimis interierit, ossaque ejus jussu Ducis Pisas essent translata, ea ad expurgandas carnis & sanguinis sordes in horto terra tegi curaverat, atque super eadem præter expectationem autumnali tempore triginta circiter fungi & ipsi fœtentes tanquam inter se proliferi sunt enati. Inter aurantia aliquod Hierichuntium cortice tenuiore, medulla dulci, rubente & veluti sanguinea, tanquam rarissimum commemorat. Cinaræ speciebus plantam Tunetanam acaulon, ab incolis Tafga dictam, in aridiori utplurimum solo reperiundam, flore magno, suaviter olente, angustis foliis non spinosis annectit, eandemque forte unam ex cinaris orientalibus moschatis Tournefortii cor. 31 esse, suspicatur. De cranio quoque humano crusta lapidea tenuissima æqualiter circumdato, quod inter rariora musei Pisani asservatur, mentionem injicit. Multi tanquam singulare prorsus admirati sunt coralloidem supra illud enatam, quos inter Mangetum in Biblioth. Museum Kircherianum, Donzellum Theatr. Pharmac. Museum Cospianum nominatim recenset. At vero Autori non tam coralloidis excrescentia mira videtur, cum

TAB. I. Fig. 1. p. 4.

21.

41.

48.

corallii matrix fruticosa facile cum quocunque corpore solido queat concrescere, sed illud potius tanquam rarum annotat, quod petrescens illa materia totum undiquaque cranium circumdederit, quæ dein super synciput aliquantulum excrescens, tandem in coralloidem superemineat. Fungum typhoidem Liburnen-
p. 64. sem describit, eundemque simili cum Melitensi virtute in cohibendis humoribus e corpore manantibus gaudere, experimentis hunc in finem institutis compertum esse testatur. Qua occasione Bocconium notat, qui duplicem facit fungum typhoidem, alterum absque fibris, alterum fibris donatum ligneis; cum tamen neutrum fibris gaudere instituto accuratius examine deprehenderit. Quæ vero Bocconio illuserint, radicum, quas fungus circumdederat, fuisse fibras, quales etiam in hoc Liburnensi detexerit, utque eo rectius de tota controversia lectori constet, ejusdem & radici adhærentis & utrorumque a se invicem separatorum
TAB. II. figuram Tab. 25 exhibet. Graminum occasione catalogum eorum
Fig. 2. locupletem a D. Micheli sibi æque ac multis aliis Botanicis cum
p. 69-76. seminibus communicatum inserit, in quo tum locorum natalium notitia tum variæ annotationes & synonyma eorum adjecta
97. sunt. Inter rariora Musei Pisani, quæ ad regnum vegetabile spectant, non ultimum concedit locum ligno pretiosissimo, quod cum æquali sæpe auri pondere permutatum est, quod Lignum Aloes seu Xylaloe, seu Agallochum Indicum, Agallochum Arabiæ officinarum præstantia longe superans, dicit, & cum Agallocho præstantissimo C. Bauhin. Pin. 393 idem esse censet: describit vero illud tanquam lignum durum, grave, pingue, sapore amaricante, cum quadam acrimonia aromatica, suavissimum spirans odorem, insignique proceritate conspicuum, quod ultimum inter prima præstantiæ signa in ipso solo natali referri, referunt rerum naturalium scriptores. Annexa est sub finem Julii Pontederæ, Botanici Patavini, Epistola, in qua de nonnullis stirpibus suam explicat sententiam. Cum Lapathum & Acetosam nonnisi sapore differre crediderint Botanici ad unum omnes, his eas sejungit signis. „Illæ quatuor foliis oblongis instructæ, quas natura in „fructiferam & sterilem distinctas creavit, Acetosæ nomine in„dicentur. Quæ vero folia subrotunda gignentes, flores & sta-

„mina

„mina apicesque ut Lapatha ferunt, quis prohibet Lapathis adji„cere ac Lapatha nuncupare?„ De ulva itidem, ad quod genus referenda sit, quærenti Tillio, ad cyperoides pertinere, respondet. In hoc enim ab Anguillara & a Casparo Bauhino se discedere fatetur, quibus typha veterum ulva esse traditur, cum ulvam palustrem typham aquaticam fuisse, ex autorum, quos allegat, locis pateat; ulvamque potius eandem cum carice esse, ex usu non minus domestico communi, quam promiscuo harum vocum apud Virgilium usu colligit.

DELL' USO E DELL' ABUSO DELLE BEVANDE e bagnature calde o fredde.

i. e.

ANTONII VALLISNERI, PROF. PUBL. PRImarii Medicinæ Theoreticæ Patavii, & Medici Cameræ Sacr. Cæs. Cathol. Majest. Epistola de Usu & Abusu Balneorum & Potuum frigidorum vel calidorum.

Mutinæ, typis Antonii Capponi, 1725, 4.
Alphab. 1 pl. 1.

SEx præterlapsi sunt anni, cum Clariss. *Johannis Baptistæ Davini* de Potu Vini Calidi Dissertatio latine scripta in publicum produceretur, cujus nunc nova conspicitur Editio, quæ tamen, si verum fateri liceat, eadem cum priori est, novo saltem pallio induta & Epistola, quam jam præ manibus habemus, Cl. *Vallisnerii* locupletata. De Davini Dissertatione ut aliquid dicamus, non attinet, a nobis in Actis A. 1721 Mens. Martio pag. 124 satis laudata; de Vallisnerii vero Epistola pauca nunc commemorabimus. Diversæ sunt Autorum sententiæ circa potulentorum & balneorum usum, aliis frigida, calida aliis commendantibus, utrisque juxta suam hypothesin illis mediantibus valetudinem conservaturis & adversam profligaturis. Quibus suum interpositurus judicium Clariss. Vallisnerius primo loco illorum evolvit argumenta, qui frigide, imo frigidissime bibere sanitati

proficuum esse perhibuerunt. Quorum promachus cum fuerit Nicolaus Monardus, Hispalensis Medicus, qui in Tractatu de Nive ejusque efficacia, a Carolo Clusio latinitate donato, aquam frigidam, imo nive & glacie refrigeratam etiam atque etiam commendavit: rationes ejus singulas examinat Noster, easque refutat. Nec tamen negat, dari casus, ubi potus frigidus non solum utilis sed & necessarius judicandus sit, quando scilicet fibræ partium solidarum per diuturnas molestias & calorem vehementiorem ita fuerint relaxatæ, ut tensionem naturalem ac virtutem energeticam amiserint. Et licet potus frigidus ad apoplexiam, paralysin, asthma, malum hypochondriacum, colicam, tympanitidem, vigilias nimias, chylosin læsam, ardores, venena calida & corrosiva, ad præoccupanda mala ex sale & sulphure exaltato metuenda, & ad phrenitidem potissimum laudetur; nullus tamen asserere dubitat, tutius & absque ullius periculi metu efficaciorem effectum in hisce morbis præstituram esse aquam calidam, siquidem in primis viis suam potissimum vim frigidam aquam exerere existimat, per membranarum & nervorum continuitatem interioribus visceribus communicandam, ad massam sanguineam vero delatam sicque tepefactam, nonnisi humiditate sua præstare, quicquid ab ea præstari creditur. Totus igitur in eo est, ut potus calidi, vini potissimum, summam utilitatem deprædicet. Quodsi enim pars resinosa bilis a viscido & tenaci humore ligata & in actione sua propter sal alcali fixum & volatile depressum impedita fuerit, vinum calidum egregiam præstat operam, digestionem juvando, acidum infringendo, & secretionem chyli a fœcibus promovendo. Mediante enim spiritu suo oleoso volatili (bili analogo) per calorem actuato in ventriculo non solum vim suam exerit, sed & profundius penetrat, & bilem quam maxime, non solum quantitatem ejus augendo, sed & principia exaltando, actuat. Observavit siquidem Clar. Vallisnerius, calculos vesicæ felleæ, quæ nihil aliud sunt, quam resinosa & salino-terrestris pars bilis, a nullo spiritu melius quam a vino, terebinthina & similibus dissolvi. Idem etiam statuendum esse putat, si reliqui humores primarum viarum in glandulis, loculis, alveolis suis hæreant, & saporem peregrinum contraxerint, aut si reliquiæ

cibo-

ciborum salsaginosorum vel acidorum in ventriculi cavitate fuerint collectæ; sitim etiam sistere pronuntiat vinum calidum, quatenus salivæ portas hactenus obstructas aperit, & subito ad sanguinem pergens lymphæ defectui succurrit. Et cum magna insit vis aquæ calidæ herbis confortantibus infusæ, multo præsentiorem sperandum credit effectum a vino calido, vi corroborante prædito. Et licet objiciatur, Protoplastos aquam, eamque frigidam hausisse, adeoque potum hunc hominibus pariter atque cæteris animalibus maxime naturalem & universalem extitisse; putat tamen, tum temporis mundum in statu juvenili, naturam robustam, cibumque simplicem assumtum fuisse, cum e contrario ille jam ætate prematur senili, natura labefactata sit, & terræ incolæ ciborum varietate & compositione delectentur. Negat autem, frigidum potum reliquis animalibus præ calido esse amicum; siquidem pecora aquas thermales æque ac aquam frigidam hauriant, & animalia carnivora, terrestria pariter ac volatilia, sanguinem calidum & fumantem avide assumant. Et cum juxta diæteticas regulas cibi calidi deglutiendi veniant, cur potus calidus sit interdicendus, penetrare haud potest. Gustu etiam, addit, potus calidi saporem melius dignosci posse, quam frigidi, torporem & stuporem inducentis. Non enim credendum esse, frigus calorem stomachi concentrare, & concoctionem promovere; cum calidi innati, humidi radicalis & antiperistaseos nomina sint vana, calor primaria chylificationis causa haud existat, & frigus caloris gradum potius imminuat. Concedit quidem, Septentrionales populos ob clima frigidius robustiores esse, aliam tamen putat actionem esse frigoris habitum ambientis, ac interiora subeuntis. Sanum igitur corpus conservaturum illum esse pronuntiat, qui mane infusa Theæ, salviæ vel melissæ cum aromatibus dulcibus & saccharo impraegnata sorbillet, prandii vero tempore vinum calidum hauriat; siquidem calidus potus fibras roboret, humores superfluos & noxios dissipet, ac glutinosos resolvat, frigido vero primus horum effectuum saltem competat. Sed ad balnea calida & frigida nunc progredimur, quorum illa his pariter præfert. Quanquam enim Hippocrates & Avicenna aquæ frigidæ usum externum commendaverint,

rint, morem tamen hunc nobis haud imitandum esse inculcat; siquidem aqua in climate eorum tepida potius, in nostro frigida magis existat; metuendum etiam esse, ne si forsan aqua frigida in convulsionibus, cephalalgia, catarrhis, aliquid juvaminis afferat, reliquis sui qualitatibus noxam inducat. Inde etiam esse, quod veteres ægros ex balneo frigido egressos oleo fricari jusserint, donec cutis incalesceret, ut scilicet eo ipso pericula e frigore expectanda arceantur. Concludit tandem, cum potus & usus externus aquæ frigidæ sua habeat commoda, suaque incommoda, generalem aliquam regulam circa hanc Diætetices partem præscribi haud posse, suam potius facit sententiam Celsi: *Ego*, inquientis, *experimentis quemcunque in se credere debere*, *existimo*, *calida potius an frigida utatur*. De cetero methodum, qua utuntur Medici quidam Neapolitani circa aquæ frigidæ usum describit.

Der aufrichtige ASTRONOMUS.

hoc est:

ASTRONOMUS INGENUUS, DOCENS VARIA ad doctrinam Sphæricam, motum Cometarum & observationes Astronomicas spectantia &c. Autore JOANNE LEONHARDO ROSTIO, Societ. Reg. Boruss. Sodali.

Norimbergæ, apud Petrum Conradum Monath, 1727, 4.
Alph. 2 pl. 2 Tabb. æn. 14.

CL. Autor, rerum Astronomicarum peritissimus, A. 1718 edidit *Manuale Astronomicum*, in quo, præmissa versione Germanica Tractatus Astronomi eminentis *Dominici Cassini* de ortu & progressu Astronomiæ, problemata primi mobilis exemplis veris illustravit, observationibus usus observatoris celeberrimi, *Wurtzelbaueri*; instrumenta præterea Astronomica eorumque usum in observandis stellarum culminationibus, altitudinibus, distantiis, azimuthis, amplitudinibus ortivis & occiduis, maculis Solaribus, Mercurio in Sole, eclipsibus utriusque luminaris atque satelli-

tellitum Jovis, occultationibus fixarum & planetarum a Luna factis, transitu Lunæ prope planetas & fixas, ortu & occasu siderum, Cometis, stellis novis aliisque phænomenis cœlestibus describit; modum quoque computandi beneficio ephemeridum occultationes planetarum & fixarum a Luna & hujus transitum prope planetas atque fixas sub dato meridiano, nec non beneficio Tabularum *Cassinianarum* reformatarum eclipses primi Satellitis Jovis edocet, tandemque usum observationum astronomicarum in Astronomia, Geographia & arte navigandi monstrat. Quoniam vero postea plurima sese obtulerunt, quæ de iisdem argumentis non sine fructu adjici poterant, Supplementum Manualis Astronomici edere constituit, cui Autoris desiderio satisfacturus *Astronomi ingenui* nomen imposuit.

Primo itaque loco problemata quædam primi mobilis per Trigonometriam sphæricam solvit & exemplis veris illustrat, ac in *Manuali* tradita hinc inde emendat atque perficit. Concernunt illa potissimum ortum & occasum verum atque apparentem Solis & planetarum, nec non horum ortum & occasum heliacum, durationem apparitionis & culminationem, initium & finem crepusculorum, altitudines & profunditates Solis atque fixarum una cum Azimutho, conjunctionem planetarum cum fixis secundum ascensionem rectam atque appulsum ad parallelam datæ fixæ, & alia his agnata. Progreditur inde Cl. Autor ad Cometas: ubi, postquam problemata *Jo. Regiomontani* a *Tychone* atque *Hevelio* ad Cometas sui temporis applicata de determinanda longitudine & latitudine ex distantiis a fixis observatis, declinatione & ascensione recta, motu diurno, intersectione æquatoris & eclipticæ ab orbita facta exemplis illustravit, methodum *Cassinianam* declarat prædicendi loca Cometæ ad futuros dies tribus locis per observationem datis, quam sub titulo: *Theoriæ motus Cometæ anni 1664* publici juris factam *Gaudentius Robertus* Miscellaneis suis Physico-Mathematicis inseruit & *David Gregorius* in Elementis Astronomiæ Physicæ & Geometricæ exposuit, R. P. *Nicasius Grammaticus* in Exercitatione de Cometa A. 1723, Ingolstadii 1724 edita, illustravit. Supponitur in ea methodo cum *Keplero* in libellis de Cometis trajectoria linea recta: theoriam

vero veram, quæ orbitis parabolicis nititur, hac vice ſeponit. Tricis calculi expeditis, in eorum gratiam, qui illius tædia devorare vel non poſſunt, vel nolunt, absque calculo per geometricas conſtructiones ope cujusdam ſcalæ in 1000 vel 10000 partes diviſæ factas problematis de Cometis ſatisfacere docet. Affert deinde problemata varia miſcellanea, quæ in obſervationibus Aſtronomicis uſum habere poſſunt, v. gr. de motu horologii ex obſervationibus Solis atque fixarum rectificando, de vera Lunæ altitudine ad datum tempus determinanda una cum angulo, ſub quo circulus verticalis orbitam Lunarem ſecat, de azimutho Solis atque ſtellarum, de diametro Solis apparente ex tranſitu ejus per meridianum elicienda, de poſitione macularum in diſco Solari, de phaſi Lunæ ad datum tempus delineanda, de linea Solis meridiana per altitudinem Solis unicam quovis anni tempore invenienda. His abſolutis eclipſes Satellitis primi Jovis tum juxta Tabulas *Caſſinianas* correctas, tum juxta accuratiores *Jacobi Pound*, Angli, in Transact. Anglic. num. 361 publicatas, ſola additione computare docet. Totus deinde eſt in illuſtranda nobiliſſima Aſtronomiæ practicæ parte, quæ de eclipſibus luminarium agit. R. P. *Nicaſius Grammaticus* A. 1720 Friburgi Diſſertationem publici juris fecit, in qua propoſuit methodum absque calculo ope regulæ & circini eclipſes Lunares hujus ſeculi usque ad A. 1750 geometrica conſtructione repræſentandi, ut earum phænomena tam accurate innoteſcant, quam tædioſo calculo tabularum theoricarum ſubſidio determinantur. Eam igitur dignam judicavit Cl. *Roſtius*, quam ad captum tyronum perſpicuam traderet. Subjecit præterea methodum aliam eclipſes lunares per geometricam in plano conſtructionem absque calculo repræſentandi una cum calculo earundem eclipſium trigonometrico. Ut igitur methodi mechanicæ hujus, quam vocat, præſtantia appareat, momenta calculi pro eclipſibus Lunaribus A. 1722 per eam determinat & cum iisdem per trigonometriam erutis confert, ubi differentia plerumque nonniſi pauciſſimorum ſecundorum deprehenditur. Solvit deinde alia problemata ad eclipſes Lunares ſpectantia, ſcilicet quomodo loca telluris determinanda, in quibus eclipſis conſpicua erit non minus per calculum, quam ope globi terreſtris

&

& quomodo exploretur, num eclipsis Lunaris in dato quodam loco sit conspicua futura. Ab eclipsibus Lunaribus ad Solares transit. Hic denuo primo loco eclipses Solares hujus seculi usque ad A. 1750 absque calculo per projectionem orthographicam determinare docet, quomodo generaliter in superficie Telluris sint apparituræ. Eidem subnectit methodum aliam faciliorem, sed quam cum acribia calculi trigonometrici contendi non posse, ultro fatetur. Sequuntur problemata alia ad doctrinam eclipsium Solarium illustrandam necessaria, scilicet quomodo in eclipsi Solari longitudo & latitudo viæ centri umbræ in milliaribus Germanicis determinetur; quomodo eclipses Solares ab A. 1721 usque ad A. 1750 speciali delineatione pro dato loco absque calculo trigonometrico exhibeantur; quomodo in disco Telluris situs dati loci pro quolibet temporis momento dato & situs centri penumbræ determinetur; quomodo eclipsis Solis in camera obscura accurate observanda. Explicat quoque methodum uberius, quam *Keillius* in Introductione ad veram Astronomiam proposuit, eclipses Solis computandi absque tædioso calculo parallactico. Docet modum observandi eclipses per micrometra & ex chorda defectus & partibus lucidis observatis phases delineandi. Quamobrem cum *Philippus de la Hire* imperfectam dederit in Tabulis Astronomicis micrometri sui descriptionem, a Cl. *Doppelmeyero* versioni Germanicæ Tractatus *Bionis* de instrumentis Mathematicis insertam; frater vero Autoris *Joannes Carolus Rostius*, Astronomus clarus, viderit micrometrum *Labirianum*, quod Cl. *de l'Isle* secum Petropolin attulit, cum per Germaniam iter faceret, sibique artis mechanicæ peritissimus simile construxerit, ipse accuratam dedit ejusdem descriptionem. Ultimo demum loco phases Veneris delineare & diametrum planetæ in Sole visi vel a Luna tecti per calculum trigonometricum determinare docet.

PHILIPPI DAVIDIS SCHROEDELII, S. S. Theol. & Phil. Prof. Ord. Quæstiones & Responsiones de existentia & virtutibus Dei, in gratiam quorundam Auditorum suorum adornatæ.

Hanoviæ, typis Joannis Georgii Winsheimeri, 1726. 4.
Alph. 1 plag. 1½.

COmpendium hoc Theologiæ Naturalis methodo erotematica atque facili, stylo simplicissimo & perspicuo conscriptum, ut argumenta maxime ardua & intricata lectoris patientiam non fatigent. Præmissis prolegomenis de Theologiæ & religionis naturalis definitione, autoritate, utilitate, principio cognoscendi, ad existentiam Dei demonstrandam primo loco sese convertit. Etsi enim concedat, omnes homines opinionem habere de Dei existentia; philosophi tamen esse agnoscit, ut in causas aut, si mavis, rationes inquirat, cur omnes eam habeant; voluntati divinæ id conforme judicat, quod Deus per multa opera sese nobis manifestare voluerit; immo idem necessarium esse existimat, quod subinde inveniantur athei, contra quos robustissimis pro existentia Dei argumentis opus sit, quodque ipsimet convicti esse debeamus de veritate, quæ fundamentum omnium scientiarum, æternæ felicitatis omnisque ad eam ducentis revelationis. Quamobrem cum dubitatio *Cartesiana* de re nondum satis clara ideo admitti debeat, ut conquisitis argumentis opinio in scientiam vertatur, Deoque ipsi placeat, ut de existentia ejus convicti simus per argumenta certissima; de quibusdam argumentis pro existentia Dei afferri solitis dubitari posse ultro largitur, nec sollicitam argumenta colligendi curam acerbe exagitandam esse pronunciat. Urget ipse primo loco argumentum *Cartesii* de idea Dei, quam esse innatam eamque veram adstruit: hoc enim admisso, necessario sequi, Deum existere, non modo quod ipsa illa idea existentiam necessariam contineat, verum etiam quod verus & realis caussæ effectus existere non possit, nisi ejus quoque causa existat. Secundo existentiam Dei probat ex intuitu mentis & facultatum ejus. Quamobrem de natura & facultatibus quoque mentis huic instituto proficua docet. Voluntatem ad bona per intellectum proposita desideranda immutabiliter determinatam agnoscit, seu generaliter ad bonum esse determinatum, propria uniuscujusque conscientia patere defendit, & exinde hominis dependentiam & contingentem existentiam deducere nititur. Imprimis autem ex unione mentis cum corpore existentiam Numinis elucere existimat.

mat. Disputat hic contra Cel. *Clericum* & ejus sequaces, qui attributa mentis & corporis eidem subjecto inesse posse defendunt, nec animam in ipso somno actu cogitare concedunt, propterea quod confusarum perceptionum, cessante actu reflexo, non sit sibi conscia. Negat, corpori competere potentiam naturalem commovendi mentem; negat, mentem naturaliter motus in corpore producere posse. Utriusque substantiæ operationes ob naturarum immutabilitatem in conjunctione immutabiles permanere, neque adeo conjunctionem mentis cum corpore collocari posse nisi in mutua relatione inter corpus ac mentem & utriusque actiones, ut existentibus in mente talibus cogitationibus, desideriis voluntatisque decretis, tales & tales in corpore oriantur motus; vicissim positis his illisve corporis motibus, oriantur in mente respondentes eis cogitationes. Cum neutra pars hominis admirabilem huncce consensum instituere potuerit, neutra in hoc fœdere sui juris sit; Dei voluntate harmoniam hanc institutam infert. Cum sic delabatur ad harmoniam præstabilitam *Leibnitianam*, suum de hoc invento, quod a nonnullis pro divino, ab aliis pro *Spinozismo* aut saltem gradu ad illum haberi ait, judicium interpositurus monet, hanc sibi superesse difficultatem, cum in isto systemate unaquæque substantiarum independenter ab altera agat, quod suum est, quomodo nosse queamus, corpus nostrum existere re ipsa extra ideam ejus, si non sit mutua operatio partium invicem, aut quomodo sciamus, alios homines mente re ipsa præditos, si corpus easdem actiones exercere posset sine mentis auxilio; *certissimum* tamen *esse* profitetur, *quod mens non substantialiter influat in corpus, nec corpus in mentem; sed fiant actiones & passiones reciprocæ, sola interposita Dei voluntate, cujus velle sit efficere: sive ergo hæc unio, quæ fit intercedente voluntate divina, physica vocetur, sive metaphysica, sibi perinde esse.* Ceterum cum *Leibnitium*, tum *Wolfium* a *Spinozismo* quam longissime abesse, his argumentis probat, quod 1) uterque corpus & mentem consideret ut substantias a se invicem distinctas & diversissimas, 2) actionum corporis & mentis duplicem seriem statuat, 3) mentes & corpora substantias a Deo diversas affirmet, 4) Deo intellectum & ideas mundorum possibilium infinitorum

& liberam unum ex iis eligendi, qui produceretur, optionem tribuat, nec non 5) libertatem, qua ex infinitis rerum ordinibus possibilibus hunc ut optimum elegerit & ad demonstrandas omnes virtutes suas accommodatissimum: cum e contrario *Spinoza* 1) unicam duntaxat fingat substantiam, 2) unicam saltem admittat rerum seriem simul natura existentem, non solo tempore, 3) mentes & corpora habeat pro modificationibus substantiæ divinæ; 4) unicam duntaxat somniet rerum possibilium & futurarum catenam, ita ut alius mundus per ipsum Deum esse nequiverit, quam qui ex infinitis causarum successionibus & bruta fatalitate fluxit, Deoque 5) auferat omnem libertatem. Quod posito semel Dei decreto liberrimo, actionum mentis & corporis eventus necessarii (*hypothetice* scilicet) admittantur; omnes Theologos Reformatos ipse Theologus Reformatus, quod verum sit, fateri observat: perinde vero esse, sive actiones certæ evadant per harmoniam, sive per influxum physicum. Sufficere, quod cum *Wolfius*, tum *Leibnitius* fateatur, actiones fieri libere & imputari posse: quod impudenter neget *Spinoza*. Quomodo libertas voluntatis humanæ, illa scilicet *indifferentia*, cum decreto Dei immutabili consistere queat, id hactenus neque per harmoniam, neque per influxum physicum se explicatum vidisse. Monet tandem, se non perspicere, quomodo *Leibnitio* atque *Wolfio* imputari queat subordinatio causarum contingentium in infinitum, qui Deum credunt esse causam liberam, primam & independentem. Provocat ad *Leibnitii* Theodicæam & *Wolfii* scripta varia, præsertim ad Commentationem de differentia nexus rerum sapientis & fatalis necessitatis. Omnia in mundo ita esse concatenata, ut ratione eventus sint maxime necessaria, ab eo negari non posse, qui præscientiam æternam eamque infallibilem in Deo agnoscat. Originem vero idearum, quibus res in organa sensoria agentes repræsentantur, nec vi corporum speciem sui menti imprimentium, nec vi in objecto & organo simul existenti, nec facultati mentis ejusmodi visionem efficiendi, nec effluviis ex objectis egredientibus; sed cum *Cartesio* soli Deo autori tribuit, cujus voluntate nexus ille inter operationes mentis & corporis subsistat. A mente digreditur ad contemplationem structuræ hujus mundi

ac

ac inde argumentum pro existentia Numinis confirmanda petit, cujus excellentissimas virtutes eadem palam loquitur. Finit tandem hanc de existentia Dei pertractationem quæstione, num dentur athei theoretici? Eam se alibi satis superque probasse ait, nunc unico *Spinozæ* exemplo confirmat. Inter attributa Dei primo loco ponit, quod sit spiritus seu substantia cogitans: qua data occasione urget, quam periculosa & perniciosa sit ea sententia, quæ cogitationes mentis vel corporeas facit, vel saltem cogitationis subjectum corporeum esse posse ponit, cum inde via proclivis sit ad errores circa essentiam Dei abominabiles. Ex eo, quod Deus sit mera cogitatio, infert invisibilitatem, impalpabilitatem, ineffigiabilitatem & immobilitatem, atque *Spinozæ* errores perstringit. Infert porro ex eo, quod sit spiritus, vitam Dei, nempe perpetuam actuositatem ex interno principio: ubi quoque de vita mentium agit ejusque a vita Dei differentiam delineat. Sed hic quoque errores *Spinozæ* confutat. Operationes Dei vitales sese exerunt per intellectum & voluntatem. Noster igitur, postquam evicit, Deo intellectum esse tribuendum, objecta ejus considerat, quæ sunt Deus ipse & res omnes, quæ realitatem quandam extra eum involvunt. Derivat rerum possibilium omnium cognitionem in Deo ab idea potentiæ suæ, quæ cum ipsi naturalis sit, illam quoque Deo naturalem esse debere, contra *Poiretum* concludit, a liberrimo & indifferentissimo Dei beneplacito ideas rerum in Deo derivantem. Etsi autem hac ratione rerum essentias seu ideas, ab intellectu divino divelli nescias, æternas & immutabiles esse debere ultro confiteatur; in æternum tamen fieri non posse judicat, ut *fatum* ideo *Stoicum* ex eorum sententia extundatur, qui omnium rerum possibilium ideas Deo naturales statuunt: sufficere enim agnoscit ad arcendum illud, si liberrimum & indifferens in Deo decretum agnoscant, quo ex infinitis illis possibilibus quædam selegit, & in statum simplicis futuritionis tandemque subjectivæ existentiæ seu actualitatis transtulit. Omnes difficultates, quas *Poiretus* nectit, ex falsis suppositis nasci, quod ideas rerum possibilium consideret tanquam a Deo diversas & essentiæ ipsius aliunde supervenientes, atque possibilitatem conceperit tanquam attributum rerum extra Deum. Suppositis

istis

istis gratuitis sublatis, cum sponte sua ruant omnia *Poireti* argumenta, ea nullus dubitat Noster, exemplo *Pungeleri*, Theologi *Herbornensis* celeberrimi (quem data opera *Poiretum* confutasse & contrariam essentiis arbitrariis sententiam de ideis rerum omnium Deo naturalibus antecedenter ad decretum in intellectu divino concipiendis solide adstruxisse, commemoravimus Supplem. T. V Sect. XI p. 497 & sqq.) *straminea* & *ficulnea* appellare, ex quibus argui possit, quam fuerit *Poireti* cerebrum *placitis imperiosis* fœcundum. Notandum vero, Cl. Autorem ideam potentiæ divinæ talem concipere, quæ omnium possibilium ideas una comprehendat: unde concludit, Deum non posse se cognoscere tanquam potentissimum, nisi *necessario* cognosceret res omnes per potentiam possibiles. Inter argumenta, quibus futurorum omnium cognitionem Deo vindicat, provocat etiam ad nexum inter omnes res hujus mundi, quo unum semper pendet ab altero & quidem maxima sæpe a minimis, cum a minimis haud raro circumstantiis pullulent fata Ecclesiæ & ingentium regnorum mundi. Multum deinde disputat contra scientiam mediam *Jesuitarum* & contra *Socinianos*, omniscientiam Dei negantes. Disputat etiam contra *Limborchium*, præscientiam ex scientiæ divinæ altitudine repetentem. Dum vero addit: *Nonne multo sapientius naturæque Dei convenientius est statuere, ipsum ab æterno*, per simplicem intelligentiam, *infinitos rerum ordines, nexus & concatenationes infinitas possibiles vidisse, in quibus ipsi non solum bona, sed etiam mala obversata fuere; deinde vero per liberam voluntatis determinationem unam ex illis, virtutibus suis omnibus demonstrandis accommodatissimam elegisse, quam ex statu possibilitatis in statum futuritionis transferre decreverit, & quidem ea ratione, ut nonnulla saltem permittere*, scilicet mala, *nonnulla vero ipse efficere, ut omnia* naturaliter & moraliter bona, *voluerit?* ecquis non videt, quod electionem mundi optimi attributis divinis dignam nec libertati adversam statuat? Ubi de sapientia Dei agit, inter alias rationes, cur Deus sancte permiserit malum, hanc etiam allegat, quod per opus gratiæ multo se perfectius, elegantius & gloriosius exprimit, quam si in solo naturæ opere substitisset. Ab intellectu Dei ad ejus voluntatem digreditur. Postquam

quam igitur ostendit, Deo competere voluntatem, & ejus ab humana differentiam exposuit, controversiam expendit, quæ de libertate voluntatis divinæ inter *Witticbium* atque *Roellium* intercessit. Ille scilicet *libertatem spontaneitatis*; hic *libertatem indifferentiæ* quoad res creatas defendit. Dicitur autem *libertas spontaneitatis*, qua quis agit ob certas & evidentes rationes, ut nullam quidem coactionem externam sentiat, tales tamen rationes objectas habeat, quæ determinationem voluntatis ratione eventus necessariam faciunt: *libertas* vero *indifferentiæ*, ubi vel nullæ rationes, vel ab utraque oppositorum parte æquales sunt, quæ non magis in hanc, quam in aliam partem trahunt, adeoque *determinationem* ipsam prorsus *arbitrariam* reddunt. Utriusque partis argumentis in medium prolatis, neutri victoriam concedit, cum uterque non invenerit, quod quæsiverit. Consultius ipse judicat, si quis & *spontaneitatis*, & *indifferentiæ* libertatem Deo simul tribuat, nempe quicquid in utraque perfectionis est, ut voluntas quidem divina motiva habeat, nulla tamen re indigeat. Potentiam Dei duplici modo considerat, *antecedenter* nimirum & *consequenter* ad decretum. Priori respectu *absoluta* dicitur, posteriori *limitata* vel *ordinata*. Illius objectum sunt ea omnia, quorum Deus naturaliter ideas habet; hujus vero nonnisi ea, quæ decreto divino ex statu possibilitatis in statum futuritionis deducta. Quoniam igitur libertas Dei circa res creatas in eo solum consistit, quod quasdam ex iis pro arbitrio ex statu possibilitatis in statum futuritionis & actualitatis traducere potuerit; hinc conceptu facillimum judicat, quomodo Deus res, rerumque modos & accidentia aliter per decretum ordinare non potuerit, quam qualiter in immutabili possibilitatis idea ipsi obversata fuere. Monet hinc, respectu idearum rerum possibilium *impossibile* dici, quicquid contradictionem involvit; respectu vero decreti divini *impossibilia* dici merito, quæ eodem non continentur, & possibilia appellari nonnisi ea, quæ vel olim extitere, vel existunt, vel extitura sunt, quemadmodum factum a *Wolfio* in Cosmologia. Etsi autem Deus decreto suo res omnes futuras certo & immutabili cuidam orbi incluserit, non tamen ideo neganda esse miracula, probat, quod eadem quoque sapiente Dei decreto una

ſint determinata, quando & ubi ea Deus patrare velit. Quæ porro doctiſſimus Autor de Dei ſimplicitate, infinitate, incomprehenſibilitate, beatitate, unitate, exiſtentia neceſſaria, æternitate, primitate, independentia, omnipræſentia, immenſitate, poteſtate, ſanctitate, juſtitia, veracitate, bonitate atque gloria tradit; de iis ut ſpecialiora in medium proferamus, opus non eſſe judicamus.

JO. SALOM. BRUNNQUELL, D. CURIÆ Prov. Saxon. commun. Advoc. ordinar. Hiſtoria Juris Romano-Germanici, in uſum auditorii adornata.

Jenæ, apud Jo. Frid. Ritterum, 1727, 8.
Alph. 1 pl. 20.

STrenuos in Germania noſtra hiſtoriæ & antiquitatum Juris Romani patriique cultores tulit felix illa meliorum literarum cum ſtudio legum conjunctio, quæ noſtra ætate unanimi cordatiorum ſuffragio verum & præſtantem efficit Jurisconſultum. Tamque numeroſa humanioris Jurisprudentiæ monumenta & ſpecimina, quæ vel hoc ſeculo prodiere, & quorum complura in Actis noſtris extant, ſatis comprobant, eſſe noſtratium ingenia, rectis inſtructa præſidiis, acria ſatis aptaque non ad examinanda ſolum atque perpolienda aliorum inventa, ſed ad inveniendum quoque & eruendum, quicquid elegantiorum obſervationum antiquitas recondit. Quo vero ſtudio in Academiis hodie tractetur hiſtoria Juris, documento ſunt, quæ inde ab aliquot annis ediderunt viri docti, eam vel ex inſtituto explicantia, vel partem ejus aliquam, aut argumentum nobilius illuſtrantia ſcripta. Præter Ill. Hofmanni hiſtoriam juris, in uſum auditorum editam, nondum tamen habuimus concinnum aliquod compendium, quod cum prælectionibus Academicis ſubjici, tum juris cultorum induſtriæ privatæ inſervire poſſet; quale nuper dedit doctiſſimus *Brunnquellius*, ſubnatum ſibi in ſcholis, quas cum plauſu aperuit juvenibus ad ſolidiorem Jurisprudentiam adſpirantibus. His ut, quænam ſint genuina legitimæ ſcientiæ ſubſidia, luculenter mon-

monstraret, dissertationem de linguarum, philosophiæ, antiquitatum, & historiarum studio cum Jurisprudentia jungendo, præmisit, docta & accurata Autorum ad has literas pertinentium cognitione apprime commendabilem. Ipsam historiæ juris Romano - Germanici delineationem quatuor distinxit partibus. In prima parte historiam Juris Romani ante Justinianum executus, singulis capitibus egit de Legibus Regiis, de statu Legum Romanarum post ejectos Reges, & sub Decemviris, de conditione Legum XII Tabularum, de interpretatione prudentum & disputatione fori, de Jurisprudentia formularia, de Legibus atque Plebiscitis, de Prætoribus & Ædilibus horumque Edictis, de statu Legum Romanarum sub Augusto ejusque successoribus ad Hadrianum usque, in primis de Lege Regia & Senatusconsultis, de Jureconsultis eorumque responsis, de statu Legum Romanarum sub Hadriano & de Edicto perpetuo, de Constitutionibus Principum, de collectionibus Constitutionum Imperialium, in primis de Codice Gregoriano & Hermogeniano, de Codice Theodosiano, nec non Theodosii & subsequentium Imperatorum Novellis, de fatis denique Jurisprudentiæ Ante-Justinianeæ, in primis Codicis Theodosiani. In secunda parte historiam juris Justinianei, librorumque ad jus illud pertinentium, paulo exactius consideratam, quam vulgo fieri solet, recenset. Dixit proinde de Imp. Justiniano, ejusque in componendo Juris Corpore adjutore Triboniano, de Codice Justinianeo, de Digestis seu Pandectis, de illis, quæ præter meritum & merito in Digestorum libris reprehendi solent, de Pandectarum editionibus, de editione Pandectarum Florentina & MSpto Florentino, de Institutionibus Justinianeis, de Imp. Justiniani L Decisionibus, de Codice repetitæ prælectionis, de Authenticis, Novellis Justiniani, variis harum versionibus & editionibus, aliisque Imp. Justiniani Constitutionibus, de præcipuis Corporis Juris Justinianei editionibus. Tertiam partem in duo divisit membra, quorum primum Juris Justinianei fata in Oriente exponit, & de versione Juris Justin. in linguam Græcam, Theophili paraphrasi Institutionum ejusque variis editionibus, de Constitutionibus Imperatorum Orientis ad Basilium usque Macedonem, de hujus & filiorum Constantini ac

Leonis Constitutionibus, nec non libris Basilικῶν, variisque illorum editionibus, Novellis Leonis Imp. earumque in foris nostris autoritate, de glossis, scholiis, commentariis & compendiis in Basilica conscriptis, de Constitutionibus subsequentium Imperatorum ad eversum usque a Turcis Orientale Imperium, de necessaria conjunctione Juris Græci cum Juris Justinianei studio, tractat; alterum membrum juris Justinianei fata & vicissitudines in Occidente sistit, & quidem primum ante tempora Lotharii II Imperatoris; dein veras restaurati illius juris in scholis Italiæ occasiones atque causas aperit; inde differit de schola Irneriana seu de doctoribus juris civilis ab Irnerio ad Accursium usque, deque illorum sectis & controversiis, de Legistis & Decretistis, de Franc. Accursio, Glossæ collectore & ordinatore, deque glossæ autoritate & glossatis juris corporibus, de schola Accursiana, Bartolina, Cujaciana, sive doctoribus, qui elegantiores literas cum studio juris civilis conjunxerunt, de schola JCtorum Ramistica: tandem quo tempore, ex qua causa, quomodo & in quantum Jus Justinianeum in foris Germaniæ receptum sit, solide monstrat, & usum pariter atque dignitatem illius juris contra dissentientes & obtrectatores defendit. In quarta parte Legum Germanicarum tam publicarum, quam privatarum series & historia a primis Reip. Germanicæ initiis ad nostra usque tempora enarratur. Hinc secundum distinctas juris Germanici periodos explicatur conditio Legum Germanicarum ante seculum V, & post illud ad seculum usque IX, recensentur Leges Regum Francorum, Capitularia dictæ, Leges Germanicæ a seculo X usque ad famosas Speculi Saxonici & Suevici collectiones; insertum est caput de jure Germanorum manuario, von Faust- und Kolben-Rechte, tum vero Speculi Saxonici & Suevici compositio, nævi, autoritas & editiones, item jura civitatum Germaniæ statutaria, vulgo Stadt-Recht, Willkühr, jura statuum Imperii provincialia, Landes-Ordnungen und Constitutionen, exacte indicantur, & brevi tractatione de Recessibus Imperii libro finis impositus est. Singula hujus operis capita eleganti ordine quamvis partem historiæ utriusque juris positionibus brevibus delineatam sistunt, indicatis fontibus, unde haustæ sint, & autoribus, a quibus Noster profecit: & fontium qui-

quidem autorumque notitia textui subjecta est, inspersis hinc inde haud postremæ notæ observationibus. Usus est Vir doctissimus magna diligentia in consulendis florentissimorum nostri ævi JCtorum commentariis & observationibus: ceterum se ad exemplum optimorum historiæ juridicæ scriptorum, qua tractandi methodum, composuit ubique, aliis prætermissa, aut levi digito saltem tacta, studiose collegit & ad modum compendii elaboravit, controversias attigit & dissensiones, judicium tulit modeste, autorum vero & librorum, etiam rariorum, notitiam copiose accurateque suppeditavit. Eadem vero methodo conscriptam juris Canonici atque Ecclesiastici historiam, ac præterea Jurisprudentiam criminalem breve tempus expectare nos jubet.

CHRIST. GODOFR. HOFFMANNI, S.R.BOR. Maj. Consil. intimi & Facult. Jur. in Academia Viadrina Ordinarii, Historia Juris Romano-Justinianei.

Volumen II.

Lipsiæ, apud hæredes Jo. Grossii, 1726, 4.
Alph. 3 pl. 7.

POstquam de instituto Ill. Autoris primum Volumen (cujus proxime novam editionem, passim emendatam & Juris publici Romani delineatione auctam, pollicetur) recensentes, diximus in Actis A. 1719 M. Sept. p. 381, par est, ut alterius quoque Voluminis, duabus Partibus divisi, nonnullam mentionem faciamus. Exhibetur vero hic primo in priori Parte loco *Collectio Legum Regiarum & Fragmenta Juris Papiniani*, ubi id egit Noster, ut primo Legem cujusque Regis, deinde Autores idoneos, qui ad legem illam provocant, mox sententiam legis & denique usum ejus in jure posteriori ostendat, eo imprimis fine, ut Juris recentioris origo ex veteri luculenter pateat. Cum vero & multa Romani petierint e legibus Græcorum, hinc secundo loco *Leges Atticæ* e Sam. Petito, & *Lacedæmoniorum* e Nic. Cragio petuntur, quibus Ill. Autor succinctam nec inelegantem *Legum Græcarum, imprimis Atticarum, Historiam* præmisit. Subjecit his tertio

Fragmenta XII Tabularum, quæ post tot alios, quos eleganter recenset, ex restitutione Jac. Gothofredi, notis illustravit, quibus Legum sensus verborumque illis contentorum significatio investigatur, atque cum jure Attico confertur, usus que, quem hæ leges in Jurisprudentia recentiori habent, ostenditur; persuasus quippe, in hac vix ullum aliquod insigne momentum occurrere, quod non ex fœcundissimo XII Tabularum fonte queat derivari. Atque his subjecit ordinem harum Legum, tum e *Lud. Charonda*, tum e *Franc. Hotomanni, Theodori* item *Manilii* & *Fulvii Ursini* recensione. Denique quarto dedit *Fragmenta Edicti perpetui* in Corpore Juris Justinianei dispersa, & ex *Guil. Ranchini* collectione, adjectis aliorum observationibus, recusa & emendata; quibus etiam seriem librorum Edicti perpetui, prout illam Jacobus Gothofredus concinnavit, addidit. In altera hujus Voluminis Parte duo opuscula exhibet Ill. Editor, quæ rariora hactenus, certe non facile historiæ Juris cupidis parabilia, ac lectu utilissima censuit, nempe *Caroli Breti Ordinem perantiquum Judiciorum Civilium eorumque solennia*, Paris. 1604 iterumque a Cl. Salengre in Thesauro Antiqu. Rom. qui tamen ob molem ab omnibus comparari non potest, editum: qua occasione simul de aliis scriptoribus, qui Historiam fori Romani exposuerunt, docte præfatur; & *Renati Bottereau Hadrianum Legislatorem*, Pictavii 1661 vulgatum. Ceterum spem aliquam facit continuandæ pluribus Voluminibus hujus Juris Historiæ, quibus similes libellos non ubivis obvios, qui ad materiam hanc spectant, addere constituit, quo rem Lectoribus admodum gratam facturum Virum optimum, minime dubitamus.

LA CRITICA D'OGGIDI O SIA L'ABUSO DELla Critica odierna.

i. e.

DE ABUSU CRITICÆ HODIERNÆ DISsertatio, Autore JACOBO LADERCHIO, Congregationis Oratorii Romanæ sacerdote.

Romæ, apud Hieron. Mainardum, 1726, 4.

Plag. 15.

Sæpius

SÆpius jam in Actis nostris de *Jac. Laderchio*, variis ingenii monumentis inter eruditos claro, facta est mentio: ita ipsius *vitam S. Petri Damiani* A. 1703 p. 482, *dissertationem historicam de sacris Basilicis SS. Martyrum Marcellini Presbyteri & Petri Exorcistæ de Urbe*, A. 1706 p. 281, *Acta* denique *passionis SS. Crescii & Sociorum Martyrum asserta & illustrata*, A. 1709 p. 97 recensuimus. Nunc aliud nobis ejusdem Viri *de hodierna Critices abusu* exhibetur meletema, quod jam inde A. 1710 ab Autore compositum, a variis in privatos usus descriptum, eruditorum manibus Neapoli, Mediolani, Bononiæ atque alibi circumlatum est, & a multis avide perlectum. Movit hæc res *Hieronymum Mainardum*, typographum Romanum, ut, quod Neapoli sibi transmissum acceperat, Schediasmatis exemplum prelo suo submissum in vulgus edere instituerct, non exiguum, quod sperabat, lectoribus beneficium facturus.

Placuit vero Clariss. *Laderchio* integram scriptionis suæ telam quadraginta paragraphis definire, & quid sibi de plurimorum seculi nostri Criticorum audacia videatur, edisserere. Equidem id sibi minime esse animi subinde inculcat, ut omne plane Critices exercitium sublatum velit; quin probare se ait & commendare vehementer Critices sobriæ ac modestæ usum, illius scilicet, quæ genuinum a spurio, verum a falso sagaciter discernendo pristinum veritati honorem, pristinam lucem restituat, & corrigat circumspecte, quod vel temporum injuria, vel hominum malitia, vel incuria amanuensium corruptum, interpolatum depravatumque sit. Gravem etiam illis dicam scribit, qui eximio judicii defectu laborantes, inconsulto animo omnem plane Criticam contemnunt flocciquefaciunt, dignosque judicat, qui stupiditatis, credulitatis supinæque suæ ignorantiæ pœnas dent. At enimvero cum largus admodum ævo nostro proventus sit eruditorum, qui, ubi Criticos agunt, aureum illud: *ne quid nimis*, neutiquam, uti par erat, in oculis habent; quin potius, de aliorum scriptis, sententiis, rebusve gestis judicandi modeste libertate in pessimi exempli licentiam conversa, quoties ipsis fuerit visum, statuendi, corrigendi quidvis, vel rejiciendi penitus aut in dubium vocandi minimum, potestatem sibi arripiunt, quem abusum

p. 11.

5.

8. 9.

abusum utique graviter reprehendendum duxit. Hanc autem instituti se rationem constituisse sibi affirmat, ut de eo magis sollicitus sit, ut lectoribus suis genuinam Critices, qualis quidem nostris temporibus exerceri utplurimum consuevit, faciem repræsentet,
p. 5. & quantum *in modo*, quantum *in tempore*, quantum etiam *in personis*, quod *nimium* est, plerumque committi soleat, ostendat; quam ut morem hunc data opera impugnet, & quæ in causæ suæ defensionem obtendi communiter consueverunt a Criticis, operose diluat:
3. 36. cum majorem hæc res industriam, diffusamque magis eruditionem postularet, & ipse persuasus esset, non opus fore ut multa adversus rem dicantur, a qua probatus quisque facile abhorreret. Interim tamen hoc sibi commodi atque emolumenti hac ex tractatione promittit Cl. *Laderchius*, ut, qui quid rei sit Critica, quibusve illa cancellis contineatur, ignorarunt hactenus, edoceantur, mediumque tenere, si volunt, condiscant, ne in alterutram extremarum partium prolapsi, aliud semper statuant de illa quam statuere debebant, & vel cane pejus & angue ipsam aversentur, vel Palladium literatæ civitatis existiment, quo sublato, pessima quæque fata literis imminerent. Abuteremur certe Lectorum otio, si plura ex hoc libro decerpta exhibere instituereimus. Cum enim non nisi trita & ab aliis vel centies dicta heic proponantur, merito nos labore hoc supersedere posse credidimus: id tantum notandum duximus, eodem quo *Laderchius* anno, scilicet 1710, operi huic elaborando insudavit, prodiisse etiam Parisiis R. P. *Laubrusselii* eruditam *de abusu Critices in Theologia* commentationem; quam, elegantius quippe conscriptam, libentius forsitan evolvent, qui instrui in hoc eruditionis capite desiderabunt. Tacendum quippe nobis haud est, nimium fuisse Autorem nostrum in conglomerandis Ecclesiæ Patrum, Ciceronis etiam interdum atque Senecæ, allegationibus, quæ dimidiam, vel ultra, scriptionis partem efficiunt, tantoque majori lectoris tædio utraque lingua appositæ leguntur, quanto minus ille sæpissime, licet omnem ingenii nervum intendat, divinare potest, cur factæ eædem fuerint. Et bene admodum habet, quod ipse sive Autor, sive Editor peculiari præfatione monendum hac de re Lectorem esse censuerit.

):(o):(

No. VI.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Junii Anno MDCCXXVII.

WESTMONASTERIUM, OR THE HISTORY and Antiquities of the Abbey-Church of St. Peters Weſtminſter.

h. e.

HISTORIA ET ANTIQUITATES ABBAtiæ & Templi S. Petri Weſtmonaſterienſis; Autore JOHANNE DART. Acceſſit ejusdem Autoris Poema de Abbatia Weſtmonaſterii.

Tomi II.

Londini, apud Jac. Cole, ſculptorem, Joſ. Smith & alios Typogr. fol.

Alph. 3 pl. 18 Tabb. æn. maj. 136.

OPus ſiſtimus ſplendidum & jucundum, quod Principi Walliæ GEORGIO AUGUSTO conſecratum, quamvis annum impreſſionis nuſpiam additum habeat, primum tamen ejus Tomum, cui alter mox ſucceſſit, abhinc fere biennio prodiiſſe conſtat. Uti vero cuncta, quæ ad templum Weſtmonaſterienſe pertinent, antiquitates, capellæ, Epitaphia imprimis, quæ A. 1723 ſive integra ſive paſſim exeſa exſtabant, ſumma arte ad vivum delineata & æri inſculpta hic exhibentur, quæ facile omnium oculos allicere poſſunt; ita nec Cl. Autor, qui & aliis ſcriptis, poeticis maxime, amatoriis, dramatibus inclaruit, ulli labori pepercit, ut & hiſtoriam Abbatiæ, in qua jam olim *Sulgardus*,

 Mat-

Matthæus West, *Sporley* aliique laborarant, elucubratissimam daret, consultis imprimis monumentis ineditis Harlejanis; & lapidum sepulcralium inscriptiones, quas *Henr. Keepe* & *Camdenus* admodum imperfectas dederant, integras promeret & ex
p. I. XLII. historia civili & literaria eleganter illustraret. Præmisit Operi Poema heroicum, quo Abbatiæ faciem eleganter expressit, inter alia fata Mariæ Stuartæ, illic sepultæ, graviter deplorans, & Elisabethæ Reginæ minime parcens, libertatemque Anglicæ gentis passim extollens. Opus III Libris dividitur, quorum duo priores primi, tertius una cum Vitis Abbatum Westmonaster. secundi Tomi Partem priorem constituunt, epitaphiis utrique Tomo ex æquo Parte II subjectis. Libro I de fundatione templi *C. I* de ejus instauratione prima sub Eduardo Confessore *C. II*, & de altera sub Henrico III *C. III*; Libro II de reliquiis illic custoditis *C. I*, de Capellis & Altaribus vetustis *C. II*, de missarum solemnibus & anniversariis *C. III*, de veteri consuetudine piscatorum offerendi Ecclesiæ salmonem *C. IV*, (quod caput legi imprimis meretur,) de oblationibus (*Skrine*) S. Eduardo factis *C. V*, quibus conspectus architecturæ templi modernæ annectitur; Libro III de actis vetustis Ecclesiam concernentibus *C. I*, de coronis Regum & coronationibus in illa celebratis *C. II*, de Sanctuario ibidem olim constituto *C. III*, de moderno Ecclesiæ statu *C. IV* differitur. His subjunguntur, ut diximus, Vitæ Abbatum inde ab *Orbritha*, qui primus A. 604 ad Abbatiam pervenit, usque ad *Franciscum Atterbury*, qui hodie eidem magna cum laude præest. Cum vero singula recensere nimis prolixum futurum sit, rem non ingratam nos facturos arbitramur historiæ literariæ cupidis, si, ne specimen desit, eruditorum virorum dies annosque emortuales, qui in Dictionario Eruditorum Menckeniano, quod omnium hodie instructissimum est, vel omissi vel secus annotati sunt, ex ipsis eorum epitaphiis, certissimis quippe documentis, depromptos, hoc loco indicemus, eo quidem ordine, quo a Cl. Autore nostro exhibentur. Nimirum *Edmun-*
T. I. p. 75. *dus Spencer*, Poeta Anglus, natus A. 1510, obiit 1598. *Wilhel-*
76. *mus Shadwell*, Regum Wilhelmi III & Mariæ Poeta & Histori-
79. cus, decessit 1692 d. 20 Nov. anno æt. 55. *Samuel Butler*, qui re-

belli-

bellium sui temporis hypocrisin poemate ludicro, *Hudibras* inscripto, graphice depinxit, natus 1612, mortuus est 1680, epitaphium demum nactus 1721. *Matthæus Prior*, Poeta, rebus gra- Conf. T. II.
vioribus a Wilhelmo III & Anna Regina adhibitus, dum sui tem- p. 61.
poris historiam moliretur, rebus mortalibus ereptus est d. 18 Sept. 1721. *Johannes Philips*, qui in Epicis, Georgicis & Lyricis 83.
multum præstitit, n. 1676 d. 30 Dec. e vivis excessit 1708 d. 15 Febr. *Galfridus Chaucer*, pater Poetarum Angl. cujus vitam pro- 86.
lixiorem Noster nuperæ ejus Operum editioni præmisit, natus Londini A. 1328, denatus est Oct. 25 A. 1400. *Johanni Dryden* 90.
monumentum ad latus Coulæi, illius Pindari, Horatii & Virgilii Anglici (prout in epitaphio vocatur) anno 1720 poni jussit Jo. Sheffields, Dux Buckinghamiensis, cum busto ejus & paucis verbis: *I. Dryden, natus 1632, mortuus Maji 1 1700. Thomas Sprat*, 144.
pater, Episcopus Roffensis, cujus sunt eximia in linguam Angli- 147.
cam merita, d. 20 Maj. 1713, anno æt. 77, & filius ejusdem no- Conf. T. II.
minis, Patris æmulus, d. 10 Maj. 1720 anno æt. 41 decesserunt. p. XLIII.
Carolus Comes *Montague*, Marchio de *Halifax*, qui inter eru- 175.
ditos & Mœcenates Angliæ nostro tempore primus exstitit, vitam finivit d. 19 Maj. 1715 anno æt. 54. *Josephus Addison*, de T. II.
cujus operibus, nuper editis, & vita iis præmissa, dicemus alio 54.
tempore, sepultus est in hoc templo d. 26 Jun. 1719. *Johannes* 57 sq.
Spotswood Archi-Ep. S. Andreæ in Scotia, qui historiam Scotiæ omnium optime descripsit, diem obiit 1640 Londini, quo se receperat ob motus Scoticos. *Robertus Stapylton*, qui Dramata & 62.
versionem poeticam Juvenalis edidit, d. 11 Jul. 1669, & qui ei proximus tumulo, *Wilhelmus Outram*, Theologus incomparabilis, Scripturis & Patribus plane immersus, d. 23 Aug. 1679, anno æt. 54, exspirarunt. *Antonius Horneck*, S. Theol. Professor Regius, libris asceticis clarus, vivere desiit prid. Cal. Febr. 1696 æt. 56. *Thomas Knipe*, S. Th. D. in promovenda pietate pariter ac 79.
eruditione indefessus, 8 Id. Aug. 1711 æt. 73, *Henr. Wharton*, Au- 95.
tor Angliæ Sacræ, cujus vitam Noster prolixius exponit, d. 5 Mart. 1694 æt. 31, & *Guil. Sanderson*, qui vitas Mariæ Scoticæ, 125.
Jacobi I & Caroli I Regum Angliæ scripsit, d. Jul. 15, 1676 nonagenarius, mundo valedixerunt. *Guil. Johnsoni*, S. T. P. d. 4

 Mart.

Mart. 1666 æt. 57 defuncti Epitaphio adduntur verba: *Imaginem cujus si velis, illius librum consule. Aphara Behn*, quæ Dra-
p.126. matibus & poematibus aliis inclaruit, e vita excessit d. 16 Apr.
133. 1689. *Richardus Gouland*, primus Collegii Westmonast. Bibliothecarius, qui & lectissimos libros Bibliothecæ legavit, vitam finivit d. 10 Nov. 1659. Ceterum adduntur ultimo Cromwellius, Ireton, Bradshaw & reliqui infandæ rebellionis autores, qui in hoc templo olim sepulti, sed post restitutionem Caroli II effossi, aliisque in locis minus honoratis, vel infamibus, iterum defossi
144. sunt, e quibus in nostrum censum pertinent *Wilhelmus Twisse*, D. Th. strenuus disputator A. 1641 in Arminiana controversia, de-
145. functus A. 1645, & *Thomas May*, Lucani interpres & variorum carminum Autor, qui a Carolo I, cujus pariter ac regiæ conjugis gratia fruebatur, ad rebelles transiens, & ab his Historiographi munere donatus, obiit A. 1650.

MEMORIE CONCERNENTI LA CITTA DI Urbino, dedicate alla S. R. M. GIACOMO III Rè della Gran Bretagna.

h. e.

COMMENTARII AD HISTORIAM CIVItatis Urbinatis spectantes, JACOBO III R. M. B. inscripti.

Romæ, apud Jo. Mar. Salvioni, Typogr. Vatic. 1724, fol. Alph. 1 Tabb. æn. 148.

PAucæ admodum sunt Italiæ urbes, reliquis vel Principum gloria, vel civium toga sagoque illustrium litterisve ac vitæ integritate celebrium virorum fama, vel ædificiorum, divitiarumque splendore præstantes, quarum non typis publicis vulgata exstet historia, memoriæque posterorum sit commendata. Est inter has Ducatus Urbinatis metropolis, ejusdem cum provincia nominis, Principali olim, jam Episcopali sede nobilis, quæ, duobus licet abhinc, quæ præterlapsa sunt, seculis, uno vel altero gavisa fuerit civium, qui hoc præstiterit patriæ pietatis atque officii, ut data quavis occasione urbem illam vel publicis quo-

quoque scriptis celebraret; perfectam tamen numerisque suis absolutam sui historiam, qua tot aliæ superbiunt civitates, hactenus desideravit. Movit hæc res *Clementem XI*, Pontificem Ecclesiæ Romanæ maximum, cum Urbinati is adhuc Episcopus præesset cœtui, ut sollicito, quo quippe in patriam ferebatur, studio illorum, qui de ipsius rebus ac laudibus scripserunt, Commentarios conquireret, luci aliquando publicæ tradendos. Æri simul is eleganter incidi curavit operum anaglyphorum, machinarum militarium, antiquarum pariter atque recentiorum, instrumentorum itidem varii generis mechanicorum, quæ Principis palatium magnifice ornant, typos. Enimvero & Pontificalis fastigii negotia, & mors deinceps impedimento fuerunt Clementi, quo minus destinata efficeret. Ipsius itaque necessarius ac civis Card. ANNIBAL de Sto Clemente manum operi adjecit, curamque publicandorum, quos diximus, Commentariorum suscepit. Constitutum autem ipsi est quatuor distinctis Tomis syntagma illud scriptorum comprehendere, quorum primus, nunc editus, illos complectatur, qui vel generalem aliquam urbis notitiam suppeditant, vel de situ atque structura commentati sunt civitatis: secundus vitas Principum continebit, qui sedem ibi aliquando fixerunt: tertius eos commendabit cives, quos vel res pace belloque fortiter ac præclare gestæ, vel vitæ innocenter actæ exemplum, vel litterarum studia a reliquo populi grege distinxerunt: quartus denique opera eorundem ipsa referet, quibus nomen illi suum memoriæ perpetuitati addixerunt: copiosum etiam, coronidis loco, illorum indicem exhibebit, qui extra urbem nati, fortunarum ibi suarum sedem constituerunt, suaque arte vel ingenio, æquali cum civibus ardore, famam civitatis amplificare allaborarunt.

Prima hæc est, quam manibus tenemus, operis pars, Jacobo III a Collectore dicata, qui paullo ante quam prelo illud liberaretur, per menses aliquot Urbini in Palatio Apostolico fuit commoratus. Dedicationem præfatio sequitur, cujus præcipua, quæ instituti rationem declarant, momenta modo excerpta dedimus. Ipsi post hæc variorum Commentarii legentium oculis sistuntur. Agmen ducit inter hos *Bernardini Baldi*, Abbatis p. 1.

Guastallensis, Urbinatis, Encomium patriæ, nativa eloquentia conscriptum, & coram Principe Francisco II ultimo Urbini duce, seculo decimo sexto ad finem jam vergente, publice recitatum. Sequitur ejusdem Autoris descriptio Palatii Ducalis, a Friderico Principe (cujus vitam peculiari quodam scripto daturum se p. 40 pollicetur) ad omnem, quæ concipi potest, magnificentiam exstructi, ad Card. de Aragona A. 1587 data, & septemdecim capitibus plenam illius ideam complexa. Tertium occupat locum *Francisci Bianchini*, Veronensis, Benedicti XIII & qui illum antecesserunt, Pontificum duorum Camerarii, *Spiegazione delle Scolture contenute nelle LXXII Tauole di marmo, e bassi rilievi collocati nel basamento esteriore del palazzo di Urbino.* Latino primum idiomate concepta fuit hæc anaglyphorum marmoreorum descriptio, plurium machinarum bellicarum sive antiquioris sive recentioris ævi, aliorumque id genus instrumentorum imagines exhibentium, sed Collectoris hujus syntagmatis precibus in Italicum sermonem ab ipso autore translata est. Varia heic, quæ & antiquitatibus lucem commodent eximiam, & Architecturæ civilis ac militaris æstimatoribus jucunda & utilia sint observatu, reperias licet. Accessit denique ejusdem Bianchini *Notizie e Pruove della Corografia del Ducato di Urbino, e della Longitudine e Latitudine Geografica della città medesima*, &c. specimen Geographiæ Italiæ, quam pridem is meditatur, absolutioris elegantissimum. In eo determinat altitudinem poli Urbinatis ope gnomonis palmorum Roman. 151 unc. $4\frac{40}{100}$ ex observationibus solaribus 43° 48′ 32″ ex Lucida Lyræ 43 48 34; ut intra 2″ de latitudine constet. Longitudinem ex angulis positionum ad meridianum Urbinatem captis, & suo tempore cum omnibus huc pertinentibus prodituris, elicit talem, ut Romano 6$\frac{1}{2}$ mill. Italicis orientalior sit, cujus positionem alibi declarabit; deinde ex observationibus Eclipsium Lunæ & Satellitum Jovis intra 50″ temp. versus orientem a Romano distantiam Urbinatis confirmat.

RELAZIONE DELLA STATUA EQUESTRE di Carlo Magno.

h. e.

h. e.

RELATIO DE STATUA EQUESTRI CAROLO M. in porticu Vaticani posita; accedunt carmina quædam Etrusca.

Senis, apud Franciscum Quinza, 1725, fol.

Plag. 12, cum figura statuæ ænea.

POsuerat Alexander VII P. M. gloriosæ Constantini M. Imperatoris memoriæ statuam marmoream, eandemque in porticu templi Vaticani ad dextrum latus collocari jusserat. Hinc Clemens XI, uti erat in hujus generis delitias animo propensissimo, sociam Imperatoris imagini ad lævam portæ partem Caroli M. statuam equestrem poni voluit, sculptorique artis suæ callentissimo Augustino Cornacchini illius effingendæ provinciam demandavit. Perfecta autem illa demum est anno MDCCXXV sub Benedicto XIII & hac epigraphe; p. 2.

CAROLO MAGNO
ECCLESIÆ ROMANÆ VINDICI
ANNO IUB. M. DCC. XXV.

characteribus æneis deauratis insignita. Nummus etiam cusus est hanc in rem, ex omni metallorum genere, cujus altera facies Benedicti Pontificis imaginem, altera statuæ typum refert. Summa hæc est relationis, vix sex paginas implentis. Addita vero sunt a typographo variorum Academistarum Italiæ sociorum epigrammata quadraginta, Pontificum partim, Clementis & Benedicti, partim *Violantæ Beatricis* Hetruriæ Principis, quæ prima scilicet statuam hanc perfectam & absolutam conspexit, honoribus atque laudibus, Italæ gentis more dicata; quæ & ab autorum ingenio & typorum nitore atque elegantia lectoribus se commendant.

PUBLII OVIDII NASONIS OPERA OMNIA, cum integris JAC. MICYLLI, HERCULIS CIOFANI & DAN. HEINSII Notis, & NIC. HEINSII

curis

curis secundis, & aliorum in singulas Partes, partim integris, partim excerptis, Adnotationibus, cura & studio PETRI BURMANNI, *qui & suas in omne opus notas adjecit.*

Volumina IV.

Amstelodami, apud Wetstenios & Waesbergios, 1727, 4. Alphab. 23.

TAnta fuit apud meliorem partem eruditorum visendi *Ovidii Burmanniani* exspectatio, ut solo nuncio, tandem aliquando hoc opus claustra, quibus tam diu coercitum est, perrupisse, lætitiam communem & publicas gratulationes nos excitaturos esse confidamus. Non opus est addere, satisfactum esse tantæ exspectationi. Qui enim Burmannum norunt, quique in aliis ejusdem monumentis viderunt, quam sæpe ad has in Ovidium adnotationes lectorem remittat, erudita omnia & elaborata non possunt non animo & opinione præcipere. Inanissima illa obtrectatorum natio, qui nihil, nisi quod ipsi fecerunt, rectum putant, quorumque mens nugis, aut invidia obsessa, tenebrisque oppleta veram litterarum majestatem non recipit, adspiciat, &, nisi plane periit pudor, erubescat. Gaudeant amici, & litterarum cultores, arripiant thesaurum, in quo pleræque omnes elegantioris litteraturæ observationes, & quidquid in secretiori doctrina est admirabile, non tam reconditum, quam diligentia Celeb. Burmanni communi usui est expositum. Batavi singulatim colant ac observent venerandum hoc caput, quod solum fere, cum duobus aut tribus aliis, & dignitatem litterarum, & gloriam, qua olim iste terrarum tractus ad sidera sese extulit, tuetur. Sed & nos familiarem lætandi causam habemus. Non pauci enim, qui adhuc inde ad nos perlati sunt libri per quorundam non optimæ notæ pædagogorum, pæne dixerim, ineptias adeo corrupti fuerunt, ut Hercules tertium decimum laborem sibi venisse putare potuisset, si ex eorum adnotatiunculis aliquid dignum hac charta & lectoris patientia in medium proferendum esset. In hoc vero Ovidio tot egregia singulis paginis nobis occurrunt, ut nullo negotio, nulloque habito selectu, plu-

plurimas observationes, emendationes, illustrationes lectori afferre possemus, quibus de opera ab Cel. Burmanno optime collocata convincatur. Verum res postulat, ut per partes enumeremus, quid nova hæc editio contineat: deinde pauca eruditionis Burmannianæ specimina dabimus: tandem, quid lector in hoc opere, sine ulla doctissimi editoris culpa, desiderare possit, subjungemus. Primum quidem in universum opus habemus integras notas *Jacobi Micylli*, *Herculis Ciofani*, *Dan.* & *Nicolai Heinsiorum*. Et Micylli quidem adnotationum in solam Ibin excerpta, ob nimiam Commentatorum copiam, in reliqua opera integræ, ut diximus, exhibentur: Nicolai autem Heinsii ex curis ejus secundis minimum tertia parte auctiores apparent. Deprehendet autem lector, virum illustrem hæc observationum augmenta non modo ex vetustioribus, sed etiam recentioris ævi scriptoribus, v. gr. Gunthero, aliisque depromsisse, &, qui mos ejus erat, sæpe membranarum, non editionum lectiones repræsentasse beneque multos autores obiter emendasse. Ex aliorum autem commentariis accessere ad *Epistolas Heroidum* Jo.Baptistæ Egnatii adnotationes; ad *libros Amorum* & ad *Medicamina Faciei* selectæ ex commentario Dominici Marii Nigrini; ad *Halieuticon* Conradi Gesneri Scholia, qui hoc poema illustravit in libellis tribus novis de piscibus & aquatilibus, sive in progymnasmatibus in historiam aquaticûm; adduntur etiam, quæ Janus Vlitius in Venatione novantiqua ad hoc scriptum attulerat. In *Epicedion Drusi Cæsaris* non omissa sunt, quæ Pithœus, Scaliger & Lindenbrogius notarunt. *Nux Elegia*, præter alias, Georgii Fabricii notis illustratur; sed *Sabini Epistolæ* nullo novo augmento, nec reperiebantur digna, honoratæ sunt. Hæc de primo Tomo. Tomus secundus complectitur libros *Metamorphoseon*, illique, præter communes illas observationes, Jacobi Constantii Fanensis & Henr. Lor. Glareani integras notas, selectas autem Raphaelis Regii, Pontani aliorumque additas habent. Deinde non modo *Series Compendiosa Metamorphoseon* ex Guilielmi Canteri novis lectionibus, quam & in Heinsiana editione legimus, præmittitur; sed etiam singulis Fabulis *Argumenta Lactantii*, notis Munckeri & aliis quibusdam illustrata, præfixa sunt; & fini in-

tegræ *Jo. Guilielmi Capoferrei Animadversiones* adjiciuntur. In tertio Tomo ad libros *Fastorum* non magnam rationem habuit Cl. Editor Fanensis & P. Marsi, sed integram Car. Neapolis Anaptyxin ceteris observationibus inseruit. Ad libros *Tristium* nihil singulare ceteris observationibus est adjectum: sed ad libros *Epistolarum ex Ponto* accessisse videmus quasdam observationes Georgii Fabricii, & Autoris Electorum Etonensium, qui selecta quædam Ovidii poemata, in usum Scholæ Etonensis in Anglia, eruditis adnotationibus illustravit. Et cum hæ curæ paullo serius in manus Celeb. Editoris pervenerint, his quidem Epistolis statim subjungi potuerunt, reliquæ vero in Addenda conjectæ sunt. In quarto Tomo primo occurrit *Ibis*, cui multorum aliorum notæ, & integer commentarius Dionysii Salvagnii Boessii subjungitur. Sequuntur pauca quædam fragmenta Ovidii: deinde *Appendix*, in qua primum *Vita Ovidii* a variis autoribus conscripta legitur, sed omnium optime per *Joannem Masson* ordine Chronologico digesta: cui subnectitur ejusdem Massonii *Dissertatio de antiquo Veidii Pollionis Nummo*, quem viri docti Ovidio Nasoni adscripserant. Mox excipiunt *Dedicationes & Præfationes* eruditorum, qui Nasonem ediderunt, & *Testimonia* atque *Judicia* veterum. Postea Addenda & Emendanda locum habent. Agmen claudunt Indices, tam rerum in adnotationibus expositarum autorumque ibidem emendatorum aut vindicatorum, quam omnium, aut potissimarum locutionum Ovidii, quem postremum *H. Dreux* confecit, & longe meliorem illo a Maittairio confecto judicat Celeb. Burmannus. De opera Celeb. Editoris hoc testamur, quod non modo omnia ista eleganter disponi & ordinari curaverit, sed etiam, præter memoratas observationes, passim *Naugerii*, *Merulæ*, *Bersmanni* aliorumque, & ineditas adhuc *Jani Douzæ & Petri Francii* notas subjecerit. Deinde judicium suum de his omnibus interposuit, neque tantum de illis, qui ex instituto in Ovidium scripserunt, sed etiam qui obiter in aliis autoribus illustrandis, aut aliud agendo Nasonem tentarunt, citarunt aut illustrarunt. Quo loco omittere non debemus, illa etiam, quæ in his Actis A. 1717 & alibi in Ovidio tentaverunt viri docti, probe ab Celeb. Editore expensa & docte plerumque con-

confutata esse. In contextu Poetæ secutus est quidem editionem Heinsianam A. 1668, sed ita secutus est, ut libere ab Heinsio recedat, veteremque lectionem præferat, ubicumque ille nimia novandi libidine abstractus est. In notis ipsis pluribus sæpe exemplis, pro diffusa sua eruditione, rationem reddit lectionis suæ, dubia confirmat, obscura illustrat, aut conjecturas suas de locis dubie sanis profert, aut etiam obiter, quod in aliis suis operibus paullo rarius fecit, varios autores emendat, atque adeo in omnem partem officio boni Critici satisfecit. Sic ad 1 statim Epist. Heroid. v. 3 pro vulgato:

Troja jacet certe *Danais invisa puellis*,

ex sola conjectura melius putat, si legatur:

Troja jacet per te *Danais i. p.*

& v. 9 ex duobus MSS.

— — Spatiosas *fallere* noctes,

pro *spatiosam noctem*, moxque ad v. 24 demonstrat, quando Poetæ singulari numero, pro plurali, utantur. Deinde ad v. 25 ritum, quo ob felicem reditum & victoriam ubique altaria disponebant & diis sacrificabant, illustrat. Ad v. 28 de *fatis majoribus & minoribus*, de *fatis victis & victricibus* erudite & copiose egit. Ad v. 41 repetitionem illam *nimium nimiumque oblite* illustrat, & v. 42, melius Heinsio, *tangere castra* interpretatur. V. 75 elegantem pro vocabuli *qui* usum cum aliis agnoscit, & illustrat. V. 86, ubi bene de verbo *frangere*, mallet Criticus:

— *& vires temperat* inde *suas*,

Vulgo: *ipse suas*; Heinsius: *ira suas*; Francius:

— *&* voces *temperat ipse suas*.

V. 104 *curam* accipit, pro eo, qui curam gerit, & v. 111, *Est mihi, sitque*, illud *sitque* explicat *sitque diu*. Ad v. 114 de verbo *sustinere* proba habet. Hæc & plura ad unam eamque breviorem Epistolam. Similiter se gessit in reliquis. Lib. 1, Amor. Eleg. III v. 8 legit:

— si *nostri sanguinis autor eques*,

ubi male Heinsius ediderat: nec *nostri s. autor eques*. Ovidius enim ex equestri stirpe erat. Ad lib. II Amor. II v. 29 ostendit, quid sit *versare domum*, cum Heinsius frigidiuscule, *servatque*

domum, pro *versatque* reponere tentasset. Ad lib. II Art. Amat. v. 81 observationem Heinsii, quod sæpe verbum plurale præmittatur, cui subjungantur duo nomina singularia, insigniter auxit. In Remed. Amor. v. 593 verbum *referre* vindicat. In Elegiam de morte Drusi per imperitiam nuperi Editoris plures egregiæ observationes subnatæ sunt Celeb. Burmanno, quæ illis, qui genuinum verborum sensum amant, & ad interiora penetrare cupiunt, non poterunt non esse gratissimæ. Sed neque aliis locis Clerici peccata impunita omisit, ut ad lib. II Trist. v. 507; Remed. Amor. v. 383, & alibi. Ad Metamorph. lib. II, v. 220, cum in uno MS. reperisset:

Ardet in inmensum geminatis viribus *Aetne*,

pro vulgato: *ignibus Ætna*, elegantius illud τῷ πάνυ visum, quam quod ab librario proficisceretur, quia apud Ovidium & de Ætna, & de igne *vires* sæpius dicuntur. Ad lib. VII Metam. v. 90 recte Regium reprehendit, qui *summissa voce* acceperat pro *suppressa*, ostenditque *summissa* esse hic supplici: versu autem 129 *effecta*, pro *perfecta*, probe tuetur. Sed finis non esset, si animo nostro obsequi vellemus, & eas in medium ex Burmanni observationibus proferre, quæ eruditionis ejus singularis sunt egregia specimina. Pauca sufficiant, eaque, uti diximus, sine delectu ex tanto thesauro descripta. Restat, ut de his, quæ lector in hac editione desiderare posset, quædam dicamus, quæ vero omnia illis, quorum sumtibus liber exscriptus est, tribuenda esse, res ipsa docet. Primum enim eorum rixis, & deinde voluntate, permotus brevissimam tantummodo Præfationem præmisit Celeb. Editor, cum longissimam haberet paratam, quam vero isti homines publici juris fieri noluerunt, quia in se quædam durius viderent dicta. Et qui ingenium Burmanni norunt, aut Præfationem ejus eruditissimam in Valerium Flaccum legerunt, ii profecto hunc defectum ægerrimo animo ferent, si inde conjecturam capere volent. Ita sane multi lectores, ut alia taceamus, ignorabunt, quos MSS. Codices ipse Burmannus contulerit, & quid de earum fide & ætate sit statuendum: ignorabunt etiam multa de Hubertino, Aarone Battaleo aliisque autoribus, quorum notæ & emendationes passim proferuntur. Deinde nec typis, nec char-

chartæ ea cura est adhibita, quam olim Batavi in libris suis desiderari non patiebantur; præsertim Tomis posterioribus. Sed, quod vix timere quisquam potuisset, operarum sphalmata tanto numero occurrunt, ut non modo sensum ridicule sæpe pervertant, sed tædium legentibus & odium creent. Pædagogus enim Amstelodamensis, cui operarum emendatio permissa fuit, tam somnolenter & stupide officio suo functus est, ut Celeb. Editor ne monere quidem debuisset, alius hanc provinciam fuisse & Amstelædami opus excusum esse, cum & tirones hoc facile deprehensuri sint. Ea fortasse causa fuit, cur Burmannus secundas curas, & quæ alia in Præfatione monenda fuerint, occasione magis favente, sese cum eruditis communicaturum promiserit. Fatetur etiam, de quibusdam locis sese nunc aliter censere: quamobrem ea, quæ dubia nobis visa sunt, memorare merito supersedimus. Sufficit, Celeb. Burmannum vel sic monumentum exstruxisse ære perennius, & de re litteraria optime esse promeritum. Nos longum & tædii plenum laborem ipsi exantlatum gratulamur, exspectantes interim avide non modo quæ de Ovidio promisit, sed & Phædrum, Catalecta Pithoei, Claudianum, hunc quidem curis tertiis Heinsii, omnes novis ipsius ornatos, quosque partim affectos habere Virum diligentissimum, fama ad nos pertulit.

THE WORKS OF WALTER MOYLE.

h. e.

GUALTERI MOYLII, BAKA-CORNUBIensis, Armigeri, Opera posthuma.

Volumina II.

Londini, apud J. Darby, A. Bettesworth, &c. 1726, 8.

Alph. 2 pl. 7.

QUod Lucianus in Hæresibus de Phidia statuario narrat, eum inspecto leonis duntaxat ungue, quantus esset totus leo, perpendisse, totumque ex indicio unguis effinxisse; idem facile continget æquo ingeniorum æstimatori, quicunque hæc Moy-

lii opera perlustraverit. Pauca ea sunt & miscellanea; sed quæ Autorem non minore animi virtute, quam vegeto ingenio & acri judicio præditum, tum plurimarum rerum scientia & varia lectione ornatum produnt. Vir probus optimusque civis, antiquitatum tam Græcarum quam Romanarum maxime peritus, tum etiam artis Criticæ, Historiæ, Chronologiæ, rei nummaticæ, Politices, Physices & Botanices gnarissimus ubivis Moylius apparet, ut merito doleamus, hoc reipublicæ literariæ lumen in ipsa meridie ætatis, cum vix annum 49 implesset, d. 9 Junii 1721 occidisse. Sed opus, quod præ manibus habemus, recensere aggrediamur.

In *Volumine I*, post epistolam dedicatoriam, quæ Josepho Moylio, Autoris fratri, ab Editore, *Thoma Sergeant*, inscripta est, postque tabulam contentorum utriusque Voluminis, conspicitur elegans Discursus politicus, *de Imperio Romano;* quo eruditionis & civilis prudentiæ specimine Autor imprimis causas internas, cur Imperium Romanum, a statu Monarchico limitato in Aristocratiam, ab hac in gubernationem popularem, & hinc in tyrannidem delabi oportuerit, investigat & demonstrat. Sequitur Autoris pia ac morata *Oratio*, qua gloriosissimæ quondam Annæ Reginæ de excitanda virtute, supprimendis vero vitiis, impietate & malis moribus, *Proclamationem*, summis judicibus juratis (*the Grand-Jury*) Lescardiæ, A. 1706 aperuit & commendavit. Porro continentur hoc Volumine sedecim Epistolæ varii argumenti, ad Guilielmum Musgravium a Moylio datæ, quarum *prima* & *secunda* inscriptionem quandam Balneis (*at the Bath*) inventam, quæ *Julii Vitalis Fabriciensis* cujusdam epitaphium est, explicat & a mendis lapidicidæ restituit. *Tertia* & *quarta* Cippum in Cornubia, prope oppidum *Fowey*, in medio agro stantem, cum hac inscriptione: *Cerusius hic jacet Cunomori filius*, graphice describit. Epistola *quinta*, cum duabus sequentibus, columnam sepulcralem in parochia Maddernensi humi jacentem, cui hæc verba insculpta sunt: RIOLOBRAN-CVNOVAL-FIL-depingit. *Octava* maniam illam epidemicam, circa A. 1713, per seditiosas *Sacheverelii* prædicationes in Angliam invectam, cum morbo Abderitarum, cujus Lucianus memi-

meminit in exordio Regularum ſcribendi hiſtoriam, & cum poſſeſſione dæmonica, quæ omnem populum Ægypti quondam exagitavit, ſi Victori Tunetenſi fides habenda, facete comparat. In epiſtola *nona & decima* lis erudita Musgravium inter & Cuperum orta, *de materia Aquilarum Romanarum*, an ſcilicet ex ſolido auro vel argento conflatæ, an vero his metallis tantum obductæ fuerint, expenditur: & quidem in epiſtola nona Autor noſter contra Cuperum demonſtrat, vocabulum *aureus* non ſemper apud antiquos ſcriptores ſignificare rem quandam ex auro puto puro confectam, eumque in finem adducit diſtichon *Ovidii* de arte amandi l. 3:

Aurea quæ pendent ornato ſigna theatro,
Inſpice quam tenuis bractea ligna tegat.

In decima autem epiſtola non tam minutas Aquilas, ut intra baltei latebras a ſignifero geri potuerint, ceu *Florus* lib. 4 c. 12 referre videtur, ſed ingenti mole conſpicuas fuiſſe, ex ſcriptis nummisque veterum docte evincit. Huic epiſtolæ adjunguntur notæ quædam in *Getam Britannicum* Musgravii, qui hanc diſſertationem, priusquam in publicum ederet, cum Moylio communicaverat. Eædem notæ continuantur per epiſtolam *undecimam*, ubi ſtatuas illuſtrium virorum, licet publica autoritate deſtrui juſſas, non raro tamen ſervatas & reſtauratas eſſe, exemplis Saturnini, Caſſii, Bruti, Pompeji, Syllæ, Neronis aliorumque probatur. Duæ epiſtolæ ſequentes, *duodecima* ſcilicet & *decima tertia*, iterum quasdam inſcriptiones antiquas in Cornwallia obvias repræſentant. Epiſtola *decima quarta*, veneratione & affectu in GEORGIUM Regum optimum plena, de rebellione Preſtonienſi agit, quam A. 1715 Jacobitæ excitaverant. *Decima quinta* in Musgravii *Belgium Britannicum*, *ultima* vero in Haymii *Theſaurum Britannicum* ſive collectionem numismatum veterum, Britanniam concernentium, obſervationes exhibent, quæ de Autoris notitia haud vulgari antiquitatum reique numismaticæ abunde teſtantur. Sequitur in eodem Volumine Diſſertatio epiſtolica ad Dn. K—— *de vera ætate Philopatridos*, Dialogi, vulgo Luciano attributi, quem nec Luciani eſſe, nec ſub Neronis, nec Trajani, nec Antonini, nec Severi, ſed ſub Dio-

cletia-

cletiani imperio, & quidem anno Christi 302 conscriptum, contra Marcilium, Micyllum, Bullium & Dodwellum docte, & nisi omnia nos fallunt, solide Autor comprobat. Juncta est huic dis-
p. 312. sertationi alia Dodwelli de eodem argumento, sententiæ quidem diversæ, dum hunc Dialogum sub Gallieno A.C. 261 compositum esse statuit, eruditione autem & profundis meditationibus Moyliana minime inferior. Sed & hanc Noster modeste
367. examinat, & solita eruditione refutat. Corollidis loco huic volumini primo additur fasciculus Epistolarum ad familiares, quibus diversa argumenta tractantur, præsertim ad historiam naturalem spectantia, e. g. de Aurora boreali, de Meteoro quodam insueto, quod M. Mart. 1718 in aere visum & auditum est, de ave quadam marina, vulgo *Petrel* vocata, de nonnullis avibus & plantis rarioribus, quæ in Anglia, præsertim vero in Cornwalliæ provincia, inveniuntur. Tandem, ne dubitemus, quin Autor noster in historiæ Ecclesiasticæ adyta quoque penetraverit, elegantissima ejus Epistola ad Neylorium, *de origine Fanorum vel templorum inter Christianos*, suadet. Atque hæc de Volumine primo sufficiant.

Volumine II duo tantum Tractatus continentur, quorum alter animadversiones quasdam in *Humphridi Prideaux Connexionem V. & N. Testamenti* exhibet, alter de *Legione fulminatrice* agit. Prior sex epistolis Autoris & quatuor Pridæi (liceat ita nomen inflectere) responsionibus conficitur. Pridæus Part. I L. I, *omne rerum commercium*, inquit, *quod regiones mundi occidentales, ab eo tempore* (quo Ptolemæi prævalebant in Ægypto) *cum Persia, India & Arabia, cumique oris occidentalibus Africæ, habebant, per mare rubrum & os Nili unice gerebatur.* Huic sen-
3. tentiæ Moylius in Epistola prima contradicit, non tantum quod Strabo, a Pridæo citatus, addit: ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, sed quia Appianus, Marcellinus, Plinius & Tacitus contrarium quoque referunt. Verum Pridæus se *de commercio maritimo* solum, non de terrestri, loqui respondet. In Epistola secunda ea, quæ Pridæus P. I L. 4 *de Zoroastre* narrat, Moylius impugnare aggreditur, illumque, vel diu ante regnum Darii Histaspis vixisse, vel duos Zoroastres fuisse, tanto rationum & autoritatum cumulo de-

mon-

monſtrat, ut Pridæus, poſtquam diu repugnaverat, tandem ſe in Autoris noſtri ſententiam non ire, ſed rapi, jamque credere fateatur cum Plinio Lib. XXX C. I, duos fuiſſe Zoroaſtres, alterum fundatorem ſectæ Magicæ, reformatorem alterum, huncque ultimum eſſe Perſarum *Zerdusht*, & tempore Darii Hyſtaspis floruiſſe. Inter multa alia Pridæus P. I Lib. V in *Joſepho* & hoc reprehendit, quod Artaxerxem Longimanum pro penultimo Perſarum Rege habuerit, qua occaſione & reprobat emendationem Iſaaci Voſſii, qui in Joſephi Antiqu. Lib. XI C. VII pro: τῦ λαῦ Ἀρταξέρξυ, legendum eſſe putat: τῦ ἄλλυ Ἀρταξέρξυ. Moylius vero in *Epiſtola* hujus tractatus *tertia*, ſepoſita Voſſii lectione, locum Joſephi nihilominus mendoſum, & ϛρατηγὸς τῦ λαῦ Ἀρταξέρξυ, non Græcam, ſed barbaram phraſin, & Joſephi elegantia indignam, exiſtimat: legendum ergo credit: Βαγώσης ὁ ϛρατηγὸς τῦ Ὤχυ Ἀρταξέρξυ. *Bagoſes* autem ipſi eſt Bagoas, famigeratiſſimus Artaxerxis Ochi amicus. Hanc correctionem ſibi in mentem veniſſe confitetur, cum in Scaligeri Συναγωγῇ ἱϛοριῶν p. 379 legeret: ϛρατηγὸς τῦ Ἄχυ &c. quæ lectio, neſcio in quo MSto a Scaligero reperta, ſenſu caret, unius autem literulæ mutatione convertitur in ϛρατηγὸς τῦ Ὤχυ. Ad hæc Pridæus nihil reſpondet; fortaſſe, quia in *Connex. V. & N. T. l. c.* jam dixerat, verba Joſephi nec de Mnemone, nec de Ocho Artaxerxe commode poſſe intelligi. In *Epiſt. quarta* Autor celebrem illam narrationem de Alexandri M. *itinere Hieroſolymitano*, quam Pridæus P. I L. VII multa verborum gravitate profert, una cum duplici ſomnio Alexandri & Jadduæ, explodit & inter *ſacras fabulas* numerat. Pridæus quidem Plinii autoritate ſe tueri contendit: at in *Epiſt. ſexta* Moylius fortius adhuc inſiſtit, & neque Plinium adventum Alexandri in urbe Hieroſolyma affirmare, neque Alexandrum in ullam regionem Judææ, ſtricte ſic dictæ, unquam veniſſe, compluribus argumentis probat. Tandem in P. II Connex. L. VII, *edit. primæ*, Pridæus dixerat, *Octaviani poſteritatem nunquam imperaſſe*: ſed Moylius, Agrippinam filiam Juliæ, filiæ Auguſti, fuiſſe matrem *Caligulæ* & Agrippinæ, matris *Neronis*, adeoque Caligulam neptis Auguſti filium, Neronem vero neptis ejus ne-

p. 22.
26.
64.
65.
76.

potem fuisse monet. Hunc errorem in sequentibus editionibus
p. 77. correctum esse putamus; Pridæus certe in literis ad Moylium, quæ hunc tractatum claudunt, senilis capitis sui vitio se errasse ingenue fatetur. Sed & in eo erravit optimus senex, quod se istam hiemem pervivere non posse, confidenter hic asserit, cum tamen tredecim annis post adhuc superstes fuerit. Obiter enim notamus, ex hac Pridæi epistola, quam d. 6 Sept. 1711 exaravit, veram ejus ætatem posse cognosci. Namque scribit, se tunc annum vitæ suæ septuagesimum finiisse: igitur cum d. 13 Nov. 1724 ex hac vita excederet, 83 annos, 3 menses, 7 dies natus fuit. Tra-
81. ctatus hujus Voluminis secundus, ad Dn. K——, per quem & hic, & supra Vol. I p. 285 *Kingium* intelligi, ex Epistola quarta Moylii ad Musgravium suspicamur, narrationem illam Eusebii Hist. Eccl. V, 5, *de Legione* Marci Antonini Pii, quam in bello contra Quados suis precibus tempestatem & fulgura in hostes concitasse, atque hinc *fulminea* vel *fulminatricis* nomen retulisse perhibent, examinat. Rem totam quinque articulis Autor noster conficit, quorum argumenta tantum dabimus. Art. I. *In Antonini exercitu non fuisse integram Legionem Christianorum, imo vero paucos vel nullos plane Christianos sub hoc Imperatore militasse.* Art. II. *Legionem fulminatricem nomen hoc non accepisse ab isto miraculo.* Art. III. *Antoninum nunquam hoc miraculum precibus Christianorum tribuisse.* Art. IV. *Post hoc miraculum Antoninum nunquam publicasse ullum edictum in favorem Christianorum; sed potius gravi persecutione eos vexasse.* Art. V. *Liberationem exercitus Romani, quantumlibet verissimam, non fuisse miraculum.* Singula hæc argumenta doctissime ab Autore pertractantur, singulis pari eruditione a Kingio respondetur, responsiones istæ a Nostro discutiuntur, discussæ a Kingio defenduntur, defensæ a Moylio denuo impugnantur, ita ut nihil docta hac disceptatione possit esse lectu jucundius.

OF THE THUNDERING LEGION.

h. e.

TRACTATUS DE LEGIONE FULMINA-trice,

trice, sive de miraculosa liberatione exercitus Marci Antonini per preces Christianorum; nec non de Alexandro M. summo Pontifici Judæorum obviam eunte; occasione operum Moylii nuperrime editorum conscriptus a GUILIELMO WHISTONO, *M. A. Mathematum quondam in universitate Cantabrigiensi Professore.*

Londini, apud J. Senex, W. Innys J. Osborn &c. 1726, 8.
Plag. 8½.

QUasi non satis de *Legione fulminatrice* Moylium inter & Kingium disputatum esset, post pugnam pugnatam Whistonus quoque in arenam descendit, & clypeo & gladio instructus.

Præmittit scilicet complura testimonia & monumenta veterum ad hanc rem spectantia, sicuti 1) Marci Antonini Imperatoris *Epistolam* ad S. P. Q. R. ex Justini Martyris Apologia in fine; 2) *Nummum* eodem anno, quo hoc miraculum contigit cusum, caput Antonini laurea cinctum cum epigraphe: MARCUS. ANTONINUS. AUG. facie altera autem Mercurium, qui dextra calicem, sinistra virgam tenet, repræsentantem, cum lemmate: RELIG. AUG. 3) *Apollinarii* testimonium ex Eusebio & Nicephoro; 4) *Columnam* striatam in honorem Antonini erectam, res gestas hujus Imperatoris, interque eas hoc miraculum referentem; 5) historiam martyrii Apollonii sub Commodo, ex *Euseb. Hist. Eccl. V, 21*; 6) *Tertulliani* testimonium *Apolog.* §. 5, 40 & *ad Sap.* §. 4; 7) *Dionis*, historici, narrationem ex Xiphilini Lib. LXXI; 8) testimonium *Lampridii* in *Heliogab.* §. 9; 9) testimonium *Julii Capitolini* in *vit. Aurel.* §. 24; 10) *Eusebii* testimonium in Chronico ex versione Hieronymi, nec non ejusdem Eusebii testimonium in *Eccl. Hist. V, 5*; 11) *Gregorii Nysseni* testimonium in oratione ad 40 Martyres *Op. Vol. III p. 505, 506*; 12) testimonium *Themistii* in oratione ad Imp. Theodosium *ap. Vales. Not. in loc. Euseb.* 13) *Claudiani* testimonium in *VI Consulat. Honorii*; 14) *Orosii* testimonium Hist. VII, 15; 15) testimonium *Suidæ* in *Arnuphis* & *Julianus*; 16) testimonium *Xiphilini* in *Lib. 71 Dionis*; 17) testimonium *Zo-*

nara, Annal. in Marc. 18) Denique *Nicephori Callisti* testimonium, *Hist. Eccl. IV*, 12.

Hac testium nube Whistonus, uti credit, satis munitus, historiam secundum genium suum adornat, & pro veritate hujus miraculi, quod plagis Ægypti Exod. IX, 23, 24, ac pluviæ Eliæ, 1 Reg. XVIII, 41. 46 æquiparat, cum Moylio, jam vita defuncto, conflictat. Hac ergo causa, tantis utrinque patronis, usque ad *quadruplicas* deducta, nunc jam licebit judicibus Reip. literariæ competentibus, discessione facta dinumeratisque sententiis, quæ pars major videatur, pronunciare.

Ut vero Alexandrum M. Hierosolymas pervenisse & summum Judæorum Pontificem ibi salutasse probet, eadem fere methodo Autor noster procedit. Primo enim adducit celebratam illam relationem *Josephi Antiq. Lib. XI*, 8 suis parenthesibus & interpolationibus ornatam; tum *Origenem* contra Celsum V p. 265; porro *Eusebii Chronicon* secundum versionem Hieronymi; tandem quoque Judæorum Talmud, Josephum *Ben Gorion* & recentiores *Rabbinos* in partes suas vocat, neque Alexandri M. vitæ scriptores, *Curtium, Diodorum, Arrianum* & *Plutarchum*, qui hujus rei nullam mentionem faciunt, adeoque nec contradicunt, prætermittit. Ex hisce testimoniis, tum etiam ex fide Judæorum erga Alexandrum, ex Alexandri clementia versus Judæos, ex more Pontificum Judæorum monstrandi Regibus ethnicis (e. g. Cyro, 2 Chron. XXXVI, 23) vaticinia Scripturæ S. ex more itidem Alexandri Diis peregrinis sacrificandi, tandem etiam ex crudelitate Samaritarum in Andromachum, *Curt. Lib. IV*, 8, conventum Alexandri & Jadduæ verum, nec somnia utriusque ficta esse, concludit, Moyliumque & omnes, qui istam Josephi narrationem *sacris fabulis* annumerant, vel Judæos illius temporis hujuscemodi fabulis addictos fuisse ajunt, *stultitiæ, credulitatis* & *enthusiasmi* arguit: quam bilem, per imputationem *Quixotismi*, Moylius Cl. Autori in nares concivisse videtur. *Vid. Op. Moylii Vol. I p. 371, 374.*

JO. LAUR. MOSHEMII, ABBATIS VALL.

Mar.

Mar. S. Theol. D. & P. P. Ord. Institutiones Historiæ Ecclesiasticæ N. T.

Francof. & Lipsiæ, ex offic. Meyeriæ, 1726, 8.

Alph. 2.

QUam acri studio nostra ætate exculta sit Historia Ecclesiastica, vel ex eo patet, quod integrum magnæ molis opus habemus *Sagittario - Schmidianum*, quo Scriptorum hujus historiæ rite digestus exhibetur catalogus. In hoc vero pelagus cum inconsultum sit immittere tirones hujus disciplinæ, omnino rudimenta quædam ipsis proponenda sunt ac primæ quasi lineæ, integrumque esse debet unicuique ejus professori, eam sequi methodum, quam ipse judicaverit optimam. Jure igitur Summe Rev. Autor in *Præf.* contendit, non sibi verti oportere vitio, quod novam concinnarit Historiæ Ecclesiasticæ epitomen. Imo vero studiosa juventus multum ei debere censenda est, quod ex optimis hujus generis scriptoribus disertissimum confecit Breviarium. Nos ea, quæ eruditis etiam cognitu jucunda fore credimus, hinc excerpturi, generatim primo observamus, tam nervose, argute ac nitide conscriptam hic in compendio esse historiam ecclesiæ, ut doctiores quoque cum voluptate remensuri videantur hoc duce campum istius historiæ: prætereaque de hæresium originibus probabiles afferri conjecturas, de scriptoribus cujusque seculi ecclesiasticis plerisque breve addi judicium, denique de ritibus sacris critice non minus, quam historice agi. Ut singularia nonnulla attingamus argumenta, *p. 33* statuit, narrationem Eusebii de Abgari & Christi mutuis literis veram esse, illas vero, quas profert Eusebius epistolas, esse supposititias. *P. 66 sq.* dirimit controversiam inter clarissimos viros agitatam de jure episcopali, censens, Apostolorum certe quidem tempore Episcopos fuisse superiores Presbyteris, sed hinc non sequi, hoc esse juris divini ac perpetui. *P. 74* de disciplina arcani ita judicat, eam ex prudentiæ lege in ipsis ecclesiæ initiis jam locum habuisse, sed diversam fuisse a tertii sequentiumque seculorum disciplina arcani, exacta quippe ad normam mysteriorum ethnicorum. *P. 82 sqq.* systema exhibet errorum Gnosticorum, quos

non ex Platonis philosophia, sed ex dogmatibus orientalium derivandos censet. *P. 110 sqq.* de legione fulminatrice differens, tandem concludit, sibi nec negandum videri, miraculosam fuisse hanc pluviam, neque confidenter affirmandum. *P. 309* dubitat de veritate narrationis, quæ perhibet, quosdam in persecutione Africana seculi quinti excisis linguis locutos esse: ac recordamur, nos quoque in his *Actis A. 1714 p. 338 sq.* eam repudiasse. *P. 356* narrat, se possidere Aprigii Pacensis, seculi sexti scriptoris, MS. commentarium in Apocalypsin, quem periisse adhuc creditum est. Sed addit, nil bonæ frugis in eo inesse, meritoque eum carere luce publica. *P. 470* historiam de Joanna Papissa relinquit in medio.

Ceterum quatuor in Libros divisit hoc opus Celeb. Autor, *primo* progressus ab ortu nostræ religionis ad Constantinum M. *secundo* ad Carolum M. *tertio* ad Lutherum. *Quartum*, quippe tironibus maxime necessarium, brevi subsecuturum esse, speramus. Ipse in Præfatione pollicetur, se editis accessionibus suis ad Spanhemii *Introductionem in Hist. eccl.* quæ jam sub prelo esse dicuntur, quartum quoque librum illum exhibiturum. Ultimo loco ut methodum Nostri indicemus, historiam singulorum seculorum dispescit in externam & internam, priore loco cum prospera, tum adversa ecclesiæ fata persequens, posteriore describens primo statum eruditionis, hinc historiam doctorum, tum historiam doctrinæ, post historiam hæresium, denique historiam rituum. Illud dolemus, tam pulchrum corpus tot tantosque habere nævos typographicos, ut ne Præfationi quidem verus subscriptus sit annus. Ac vix criticum acumen suffecerit ad menda quædam tollenda, ut cum *p. 667* occurrunt *puriorita*, & *p. 475 Rhetiani*.

PETRI FRIDERICI ARPE, JCTI, FERIÆ æstivales, sive de Scriptorum suorum historia Liber singularis.

Hamburgi, impensis J. C. Kisneri, 1726, 8.
Alph. 1 pl. 7½.

Cl. Au-

CL. Autor, præmissa ad *Præsidium & dulce decus suum* Dedicatione, in qua rationes exponit, quibus permotus de scriptis ipse suis librum edat; ordine recenset libros a se cum editos, tum edendos, variaque inspergit lectu haud injucunda, simul indicans, etiam editos a se libros magnis auctibus amplificatos futura editione comtiores esse prodituros locupletioresque. Omnium primum nomine suo non satis clare expresso A. 1711 Guelferbyti edidit *Epistolarum Decadem sive Brevem delineationem Musei scriptorum de divinatione, majoris operis prodromum;* eodemque anno *Pyrrhonismi historici argumentum;* ac sequenti *Theatrum fati seu notitiam scriptorum de providentia, fortuna, & fato,* Roterod. 1712. Quæ tria scripta non solum Clericus in *Bibliotheca* sua selecta T. XXIV p. 451 sqq. commemoravit, sed nos quoque in his *Actis* A. 1711 p. 235 sq. & A. 1712 p. 526. Hinc A. 1717 edidit librum *de prodigiosis naturæ & artis operibus, Talismanes & amuleta dictis*, quem tamen dolet mendis typographicis turpiter deformatum esse. Summaria suo quæque capiti præfixa hic repetit subinde auctiora. Nos brevissima recensione defuncti sumus eodem anno p. 79 sq. Pari modo deinceps recognoscit modo memoratum *Theatrum fati:* progressus hinc ad ἀνωνύμως editam & a nobis non sine ἐπαινέσεως commemoratam A. 1713 p. 173 sq. pro *Jul. Cæs. Vanino Apologiam;* denique producens suum *de Jure Pontificali utriusque Romæ* libellum, itemque librum *de jure laicorum, præcipue Germanorum, in promovendo religionis negotio.* Horum postremorum scriptorum hunc se narrat cepisse fructum, ut in Acad. Kilon. Professor Juris publici & patrii constitueretur. Sed *jam*, inquit, elapso lustro, *urgentibus Academiæ fatis, cum viris optimis, collegis carissimis, alia ineunda est vitæ ratio.* Venimus *P. II* ad libros edendos, inter quos primo loco sistitur *Hierophantes sive de hierologia & hierographia sive variis occulta animi sensa tegendi & detegendi modis.* Apparet ex hujus operis recensione, Cl. Autorem diligenter acturum de fabularum & ænigmatum scriptoribus, de literis hieroglyphicis, de symbolis & ænigmatibus, de notis sive figlis librariorum, de steganographia, similibusque argumentis. Sequitur supplementum operis Naudæani percele-

p. 42.

Conf. p. 45.

bris,

bris, inscriptum a Cl. nostro Autore *Apologia pro viris illustribus de magia falso postulatis*: quorum hic exhibentur cumulate nomina. Recenset hinc *Bibliographiam* suam *physiologicam*, quale opus adhuc desideravit Resp. literaria; itemque duos *Fortuitorum* libros, quorum priore *de rebus scitu dignis*, posteriore *de codicibus MSS. bibliothecæ suæ* differet. Scilicet *lib. I cap. I* aget de harmonia philosophiæ mysticæ, antiquæ & novæ; *Cap. II* de lite & amicitia, firmissimo universi vinculo; *Cap. III* de illiciis amoris & erotomania; *Cap. IV* de censura libidinis in libris, statuis, numismatibus & picturis; *Cap. V* de mutatione hominum in bestias, tam physica, quam morali; *Cap. VI* de superstitione, maximo veritatis impedimento; *Cap. VII* de numero mundorum; *Cap. VIII* de somniis vigilantium; *Cap. IX* continebit Sermones convivales; *Cap. X* inscriptum erit Aristarchus literarius; *Cap. XI* aget de bibliothecarum sacris pignoribus; *Cap. XII* de locustis Apocalypticis sive de calumniatoribus. *Libro secundo* sequentes recensebuntur MSS. libri: 1 Fr. Benzonis de rebus ad historiam Henrici IV Imp. pertinentibus libri septem: 2 Trithemii Clavis omnium rerum abstrusarum: 3 Pelagii Eremitæ libri duo pro anacriseos operatione cum sancto numine, & libri tres de prænotionibus hypnoticis: 4 Abrahami Wormatiensis, Judæi, liber de vero veteris Magiæ usu: 5 Theophr. Paracelsi libri novem Magiæ: 6 Jo. Bodini Colloquium de rerum sublimium arcanis: 7 Godofredi Vallæ liber de arte nihil credendi: 8 Frid. Wilh. Stossii Apologia pro sua Concordia rationis & fidei: 9 Corn. Duplicii Scepperi Epistolæ: 10 Olai Rudbeckii Apologia Atlantices: 11 Hamiltonii liber in aureas sententias Horatii: 12 Borboniana. Hactenus Pars hujus operis secunda. *Tertia* Cl. Autor recenset suum *Pyrrhonem*, hoc est, opus *de historicorum veterum dubia & incerta fide* pluribus capitibus, quorum hic argumenta repræsentat copiose, acturum. Denique *quarta Parte* commemorat Juridica sua opera edenda. Primum inter ea locum tenet *Historia Juris Cimbrici*; secundum *Institutiones Juris Cimbrici*; tertium *Codex Juris Cimbrici repetitæ prælectionis*, & hic quidem aliquot impleturus Volumina. Primi ex his operis, *Historiæ* scilicet *Juris Cimbrici*, hic statim Compendi-

pendium exhibet Cl. Autor ſatis ſucculentum, quippe a p. 197 procedens ad p. 406, adeoque ad finem totius hujus operis. Apparet, Cl. Autorem totum eſſe addictum literis curioſis, adeoque non dubitamus, eos, quos modo promiſit orbi, libros eximio applauſu exceptum iri.

JOHANNIS DANIELIS SCHOEPFLINI, Hiſt. & Eloq. in Acad. Argent. Prof. Publ. de ſacris Galliæ Regum in Orientem expeditionibus Commentatio hiſtorica.

Argentorati, apud J. R. Dulſſeckerum, 1726, 4.
Plag. 10.

UTriusque ſui muneris ratione habita Cl. Autor & eloquentiæ & hiſtoricæ diligentiæ ſpecimen hic edere conſtituit, idque tam feliciter exſecutus eſt, ut & accuratus & diſertus hiſtoricus jure maximo ſit dicendus. Quatuor capitibus totum Opus abſolvitur, quorum *primo*, præmiſſa cauſa ſacrorum bellorum, quæ *cruciatas expeditiones* vocant, Godefridi Bullionii res geſtas perſequitur; *altero* Ludovici VII Galliæ Regis expeditionem ad tuendum novum regnum Hieroſolymitanum ſuſceptam deſcribit; *tertio* Philippi Auguſti Regis facta in Oriente & fata exponit; *quarto* Ludovici Sancti hiſtoriæ eam partem, quæ huc pertinet, exhibet. Singula, quæ narrat, in imo cujusque paginæ margine affirmat præcipuorum ſcriptorum teſtimoniis. Noſtrum eſt, omiſſis notioribus excerpere ex nitido hoc libello ſingularia. *Cap. I* obſervat, cum ſacræ illius expeditionis primum conſilium captum fuerit in regno Francorum, cumque ducum militumque maxima pars Franci eſſent, hinc eveniſſe, ut Chriſtiani Europæi omnes in Oriente vocati ſint & adhuc vocentur *Franci*. Judicat etiam, Latinos ſcriptores in deſcribendo Imp. Alexio affectui ſuo indulgere: non eſſe quidem eum prorſus abſolvendum a perfidiæ crimine, ſed nec reticenda eſſe, quæ Alexium vehementer irritarint, cruciatorum militum flagitia. *Pag. 13* eorum refellit errorem, qui Godefridum Bullionium perhibent præfuiſſe toti cruciatorum exercitui & ſum-

mum gessisse imperium. *P. 15* suspicatur, fabulam de lancea tum reperta, qua Christi latus apertum, ideo effictam fuisse, ut labantes militum animi revocarentur ad fortitudinem: nec male pium hunc dolum inventoribus successisse. *C. II p. 40 sq.* pro falsa fabula habet, quod recentiores historici communiter tradunt de Ludovico VII Rege, fuisse scilicet illum in reditu in patriam a Græcis in mari captum, ac paulo post a Siciliæ Regis legato, illud mare forte pervagante, liberatum: silentibus enim τοῖς συγχρόνοις a solo id referri Roberto Montensi, Sigeberti continuatore, integro fere post seculo. *Cap. III p.* 47 Fridericum Barbarossam scribit in quodam Ciliciæ fluvio, in quem lavandi refrigerandique sui causa descenderit, vel certe ex morbo inde contracto periisse. *P. 53* Saladinum censet maximorum heroum numero accensendum esse. *Cap. IV p. 61* suspectus ipsi & fabulis commixtus videtur Tartaricæ gentis in castra Christi hoc tempore transitus, narratus licet a pluribus. Denique *p. 74, 75, 76* rationibus rite subductis judicium fert de expeditionibus hisce cruciatis accuratissime collectum, & omnia eorum puncta laturum, qui horum historiam temporum cognitam habent ac perspectam.

JO. ALBERTI FABRICII, SS. THEOL. D. ET Prof. Publ. Delectus argumentorum & Syllabus Scriptorum, qui veritatem Religionis Christianæ lucubrationibus suis asseruerunt: præmissa sunt EUSEBII CÆSARIENSIS Procemium & Capita priora Demonstrationis Evangelicæ, hactenus desiderata.

Hamburgi, sumtu Theod. Christoph. Felginer, 1725, 4.
Alph. 4 pl. 6.

POstquam multis modis de litteris immortaliter meritus est Celeb. *Fabricius*, rursus novo eoque duplici eadem opera beneficio, non literatum modo, verum Christianum in universum orbem, sibi obstrinxit. Nam & per tot secula desiderata Eusebianæ demonstrationis Capita priora cum Procemio & paucis in fine operis, primus tandem e Celsissimi Valachiæ Principis

cipis MAUROCORDATI Bibliotheca, obstetricantibus *Joanne Scarlati*, Archicamerario & cognato ejusdem, & *Stephano Berglero*, Græce pariter & Latine protraxit in lucem; & Scriptores pari opera plurimos qui religionis Christianæ veritatem contra Atheos, Epicureos, Deistas seu Naturalistas, Idololatras, Judæos & Muhammedanos (Socinianos & hujus furfuris alios parcius tangit) asseruerunt, eorumque argumenta, eximio eruditionis apparatu collegit, ea paulo fusius deducens, quorum primas lineas duxerat Bibl. Græcæ Volumine VII, adeo ut nostrum opus Tomi illius vel Commentarius vel Supplementum dici queat. Et ut *Eusebium* lectoribus relinquamus; L omnino Capitibus argumentum suum complexus est Cl. *Fabricius*, quæ vel strictim commemorare lubet. Ubi eos recenset *C. I*, qui de scriptoribus pro veritate Christiana commentati sunt, commendat *Houttevillium*, cujus Differt. Hist. Critica Gallice prodiit Paris. 1722, 4, & imprimis *Henricum Ludolphum Benthemium*, eximiis scriptis inclytum, sed A. 1723 d. 9 Jul. vivis ereptum, qui de simili materia librum vernaculum reliquit, nuperrime, ut hic spes facta, editum. *C. II*, quo de Patribus, qui hanc rem aggressi sunt, agit, inter alia nuntiat, editionis *Montfauconii* operum Chrysostomi jam quatuor Tomos, I & II 1718, III & IV 1721, Parisiis prodiisse. Subjungit & de scriptis Græcis Judæorum & Ethnicorum, veritati Christianæ suffragantibus, appendices, ut & *C. III & IV* scripta Græca & Latina deperdita. Quibus succedunt *C. V* Scriptores Latini veteres, qui ad nostram ætatem pervenerunt, iisque docte percensitis & nonnullis inde in rem suam delibatis, Autor ad argumenta contra Atheos convertitur, & commendatis iis, qui maxime necessarium religionis studium docuerunt; *C. VI* argumentum producit ab eo quod est tutius; *C. VII* a rerum natura, motu & finibus, quæ autorem optimum demonstrant, adductis scriptoribus, qui eo ex professo usi sunt; *C. VIII*, quod admodum lectu dignum, a consensu omnium gentium, & quod athei theoretici nunquam exstiterint, qua occasione eos producit, qui veterum gentilium de Deo sententias proposuerunt; *C. IX* ab eo, quod sine religione consistere Respublica non possit, additis iis qui contra Machiavellistas

p. 31. 32 sq. 93.

de Principe plo &c. scripsere; *C. X* ab idea Dei Cartesiana, & alia argumenta Metaphysica, de quibus, num sint alicujus ponderis, inter Autores, Nostro memoratos, disputatur; denique *C. XI* argumentum a pugna & inconstantia ipsorum Atheorum petitum, ubi simul, Atheismum neutiquam tolerabiliorem superstitione, probat. Hinc ad Scripturæ assiduam lectionem provocans, *C. XII* Scriptores alios, qui contra Atheos aliquid commentati sunt, ordine Chronologico, quo in lucem prodiere, recenset, *C. XIII* contra Spinosam de mundo æterno, allegatis, qui origines mundi Mosaicas excusserunt, *C. XIV* contra Epicurum, de vita hominis sine religione haud suavi & Epicureis pœnis coercendis, *C. XV* de origine mali & scriptis huc facientibus, Bælianis imprimis, Leibnitianis & Wolfianis, & *C. XVI* de libertate contra fati, Astrologici imprimis, necessitatem & vitæ terminum, autoribus idoneis, & controversiis etiam Jansenii ac Malabranchii memoratis, disputat. *C. XVII* de divina providentia & cur bonis viris mala fiant, disquirit, & inter Scriptores de Julio Cæsare Vanino etiam agit, quemadmodum *C. XVIII* de animorum humanorum immortalitate scriptorum Græcorum & Latinorum veterum, Judæorum item & Christianorum recentiorum magnam nubem producit, quibus accedunt scriptores de origine animæ, contra animorum præexistentiam, contra Metempsychoseos fabulam, & de natura animæ & conjunctione cum corpore. Subjunguntur nonnulla *C. XIX* de divina justitia & pœnis; hinc *C. XX* Theologiæ naturalis scriptores, ut & de cognitione naturali, sive ideis, quas vocant, innatis, *C. XXI* scriptores contra Ethnicos & Idololatras, *C. XXII* contra Naturalistas & Deistas, *C. XXIII* contra Scepticismum, Indifferentismum & Libertinismum, producit, & *C. XXIV* de concordia rationis & fidei conscriptum est. Tum *C. XXV* scriptores de necessitate revelationis, *C. XXVI* de veritate & divina autoritate Scripturæ S. *C. XXVII* de Canone ejus & integritate, *C. XXVIII* de V. T. in Novo allegato ac Prophetiarum sensu, *C. XXIX* de Harmonia S. Scriptorum, *C. XXX* de veritate religionis Christianæ, *C. XXXI* adversus Judæos, vaticinia Prophetarum de Christo detorquentes, *C. XXXII* de testimoniis Ethnicorum religioni naturali, Judaicæ & Christianæ

suf-

ſuffragantium, *C. XXXIII* de factis veritati fidem facientibus, *C. XXXIV* de felicitate, quam religio Chriſti præſtat hominibus, *C. XXXV* de religionis hujus præ ceteris omnibus excellentia, *C. XXXVI* de cauſis incredulitatis & impietatis, ſpeciatim inter Chriſtianos. Ad calumnias adverſus Chriſtianos & blaſphemias in Chriſtum *C. XXXVII* progreſſus, *C. XXXVIII*, vitam impiam multorum Chriſtianorum & diſſidia non poſſe veritati religionis officere, licet Judæis Ethnicisque ſint ſcandalo, Muhamediſmo portam aperuerint, & jam diu fuerint in mora, quo minus totus, qua patet, orbis Chriſtianus factus ſit, *C. XXXIX*, non indignam rem eſſe Deo, hominem induere, *C. XL*, Chriſtum tempore idoneo natum eſſe, *C. XLI*, ſalutem in Chriſto noſtram pulcherrimum eſſe miſericordiæ, ſapientiæ & juſtitiæ divinæ ſpecimen, *C. XLII*, non iniqua eſſe, quæ a Chriſtianis officia exiguntur, & jus naturale cum præceptis Chriſti probe conſpirare, optimorum Autorum teſtimoniis probat, & *C. XLIII* de Chriſti miraculis, *C. XLIV* de ejus reſurrectione, *C. XLV* de reſurrectione mortuorum, *C. XLVI* de fine mundi & extremo judicio, *C. XLVII* de præmiorum pœnarumque æternitate, *C. XLVIII* de Angelis & Dæmonibus, *C. LXIX* de propagatione Chriſtianiſmi, denique *C. L* de ſcriptoribus contra Mahumedanos diſſerit. Quibus omnibus acceſſit duplex Appendix, 1 de ſalute ſperanda vel non ſperanda gentium a Chriſto alienarum, 2 de gravioribus ſuppliciis manentibus Chriſtianos, qui malitioſa impietate ſua conculcare, quo redemti ſunt, ſanguinem & nomen Chriſti blaſphemare ſcelerata vita ſua non dubitant. Habes hic Bibliothecæ Theologicæ ſpecimen exquiſitum, cui præter ſcriptorum titulos, & judicia de illis, paſſim etiam prolixa Autorum loca & propria meditata inſeruit. Optandum vero eſſet, ut adduci ſe patiatur Celeb. Autor, ut integram Bibliothecam Theol. ſimili methodo edat, cui ſcribendæ neminem tanto Viro aptiorem futurum, nobis perſuademus.

PHILOSOPHICAL TRANSACTIONS &c.

h. e.

TRANSACTIONES PHILOSOPHICÆ, IN

 qui-

quibus referuntur molimina, studia & labores Virorum ingeniosorum nostri temporis in variis orbis partibus. Volum. XXXI, pro annis 1720, 1721.

Londini, apud W. & J. Innys, 1723, 4.

Alph. 1 pl. 13. Tabb. æn 9.

TRansactiones Philosophicæ, quæ a Secretariis illustrissimæ Societatis Regiæ Londinensis editæ huc usque fuere, natalem suum habuere ante Acta nostra. Cum A.1705 Cl. *Lowthorpius* viginti & unum volumina, quæ usque ad annum 1700 prodierant, in compendium misisset & in iis contenta per generalia capita disposuisset; tria operis præclari ac utilissimi Volumina recensuimus *Supplem. Tom. IV* p. 290. 362, 494, ut constaret lectori, quænam in 21 istis voluminibus *Transactionum Anglicanarum* sint quærenda. Similiter cum A. 1721 Cl. *Mottius*, opus *Lowthorpianum* continuaturus, duobus Voluminibus in ordinem digesta comprehenderet, quæ novem voluminibus ab A. 1700 usque 1720 editis continebantur; eadem quoque in *Actis A.* 1723 *p.* 89, 242 enarravimus, ut non minus constaret lectori, quænam imprimis in istis voluminibus quærere debeat. Quoniam igitur historia litteraria nobis curæ cordique est, ad quam haud exiguum momentum conferunt *Transactiones Anglicanæ*; singula in posterum Volumina eodem instituto commemorare decrevimus, quo Historiam & Commentarios Academiæ Regiæ Scientiarum perlustrare hactenus suevimus. Initium itaque in præsenti facimus a Volumine trigesimo primo, propterea quod trigesimum ultimum eorum fuit, quæ compendio suo complexus est *Mottius*. Non integra Volumina simul in lucem prodeunt; sed potius partes sigillatim publici juris fiunt, in volumina colligendæ, quam primum molem constituere judicantur. Numerantur partes a prima origine usque ad præsens tempus continuo ordine, atque ideo Volumen trigesimum primum, quod hic sistimus, incipit a *Numero* 364.

Numerus hic 364 pro mensibus Januario, Februario, Martio & Aprili A. 1720 datus primo omnium loco exhibet aliquot animadversiones *Halleji* in *Cassini* junioris tentamen parallaxin &

& magnitudinem *Sirii* per obſervationem determinandi, propoſitum in Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum A. 1717, quemadmodum indicavimus in Actis A. 1721 p. 192. *Caſſinus* diametrum *Sirii* ſtatuit 5 vel 6 ſecundorum: *Hallejus* dubitat, quod tanta eſſe poſſit, cum *Aldebaran* & *Spica Virginis* in occultatione a Luna facta in inſtanti diſpareant & emergant, utut earum diameter ſuppoſita obſervatione *Caſſiniana* tanquam vera quatuor circiter ſecundorum eſſe debeat, quam ne unius quidem ſecundi eſſe aliunde certum ſit. Inquirere igitur eum jubet, annon ſenſibilis magnitudo apparens ſit fallacia optica a nimis contracta vitri objectivi apertura profecta. Differentiam declinationis maximam per totum annum *Caſſinus* deprehendere ſibi viſus eſt ſex ſecundorum, quam radio trium pedum, quo is uſus, dirimi haud poſſe oſtendit *Hallejus*, quod ſubtenſa 6 ſecundorum non ſit niſi $\frac{1}{1000}$ unius digiti. Denique ex *Hauksbeji* experimentis coram Societate Regia iteratis oſtendit, quod ob variationem denſitatis aeris refractio variari poſſit 7 circiter aut 8 ſecundis, quæ variatio tota parallaxi 6 ſecundorum major. Suadet igitur, ut obſervationem in Lucida Lyræ inſtituat *Caſſinus*. Glandulas externas maxillares & alias ſalivales una cum inſertionibus vaſorum lymphaticorum in venas accurate deſcribit *Richardus Hale*, propterea quod Autores illas vel plane omittunt, vel de iisdem veritati minime conſentanea tradunt. *Emanuel Timonius*, qui per multos annos *Conſtantinopoli* Medicinam fecit, de peſte *Conſtantinopolitana* commentatur, quam ad amuſſim reſpondere monet peſti *Noviomagenſi* annorum 1636 & 1637 a *Diemerbræckio* deſcriptæ. Carnem porcinam in peſte præſentaneum venenum eſſe, & nil magis ad eam diſponere quam animi pathemata, mœrorem præſertim intenſum ac terrorem inopinatum. Commendat ſuffumigia ex baccis juniperi, pice, ſulphure diu noctuque continuanda, odoramenta ex aceto, oleum ſuccini naribus illitum, vinum moderate ſumtum, hilaritatem animi, bonam victus rationem, pro præſervatione: damnat vero phlebotomiam & ſcarificationem in infectis, quibus prodeſſe ait vomitoria levia, non fortia, cum purgantia ſtatim enecent. Solam ſpem ſupereſſe in ſudore bezoardicis promovendo

vendo & summum remedium haberi oleum naphthæ seu petroleum albicans ad duas usque drachmas epotum in vehiculo ad libitum. *Philippus Percival* d. 12 Januarii A. 1720 *Dublini* phænomenon quoddam luminosum observavit, auroræ boreali non absimile. Varias successive induit figuras & cum per amplum spatium extenderetur, lumen in colores iridis degeneravit; contractum vero rursus in lumen rediit. *Hallejus* infinitudinem sphæræ fixarum probat, quia alias stellæ in extima superficie in eas, quæ centro sunt propiores, motu accelerato ruerent, ut tandem omnia corpora mundi totalia coalescerent, cum contra in spatio infinito subsistere possit æquilibrium fixa qualibet a viribus contrariis attracta. Addit alia, quæ ex hac hypothesi consequuntur, quod Sol sit fixarum una, de numero, ordine & lumine fixarum. *Paulus Dudley* describit modum parandi sacharum ex succo aceris. *Patricius Blair* singularem describit casum, quo juvenis quidam Scotus 15 annos natus a tertia Februarii 1716 usque ad d. 9 Jun. 1719 aliquoties incidit in febrim, omni autem tempore sive æger, sive sanus ab omni prorsus cibo ac potu abstinuit, nec per omne illud tempus vel alvi fæces deposuit, vel urinam emisit. Idem contendit, virtutes plantarum beneficio structuræ externæ detegi posse, cum similis structura sit indicium ejusdem virtutis. Commendat quoque infusionem in menstruo conveniente, quemadmodum Senna particulas salinas aquæ, jalappa resinam spiritui vino, utraque vero hac ratione vim purgativam menstruo communicat. Tandem *Colini Mac Laurin* Geometria organica recensetur, de qua nos diximus in Actis A. 1722 p. 323.

Num. 365 pro mensibus Majo, Junio, Julio & Augusto A. 1720 *Deverel* chirurgus casum singularem describit, quem pro fractura patellæ communiter falso haberi contendit. *Wilhelmus Beckett* in antiquitatem luis venereæ inquirit, & probat, jam aliquot seculis ante in Anglia talem morbum fuisse familiarem, quam illa lues in oras Europæas delata fertur. E. gr. ex MSC. *Thomæ Gascoigne* adducit hæc inter alia verba: *Novi ego — — qui hæc scripsi & collegi, diversos viros, qui mortui fuerunt ex putrefactione membrorum suorum genitalium & corporis sui; quæ corruptio*

ruptio & putrefactio, ut ipsi dixerunt, causata fuit per exercitium copulæ carnalis cum mulieribus. Nominat ex iis *J. de Gount*, Ducem, qui magnus fornicator fuerit & *Richardo* II Regi Angliæ ægrum invisenti putrefactionem ostenderit, atque *Willum* quendam, sibi notum, qui A. 1430 hac lue extinctus. Citat quoque remedia *Joannis Gadisden*, Medici celebris, qui circa annum 1340 floruit, ex *Rosa*, quam vocat, *Anglica*, ubi, postquam de infectione ex coitu leprosæ vel leprosi verba fecit, jubet virgam statim a coitu lavari cum aqua mixta aceto, vel urina propria, ut membrum ab omni corruptione servet, qui a muliere de immunditie suspecta recedit. Fœminis commendat decoctum in vino ex plantagine & rosis statim a coitu hauriendum, ne inficiantur. De eodem contagio ex coitu contracto adducit testimonia *Gilberti Anglici* & *Bartholomæi Glanvile*, qui circa A. 1360 floruere. *Rogerius Cotes* d. 6 Mart. 1716 observavit auroram borealem, de qua plurima dicta sunt a nobis in Actis A. 1716 p. 357 & seqq. *Joannes Quinus* in operationes medicamentorum inquirit, imprimis purgantium. *Steigerthalius* duos casus Chirurgicos extraordinarios communicat. *Desagulierius* experimento vacuum disseminatum probare conatur, quod deprehendit eandem quantitatem Mercurii in aqua calida calefacti majorem gradum caloris thermometro communicare, quam aquæ eodem modo calefactæ. Denique *Michelotti* Tractatus de contagio boum anni 1711 recensetur.

Num. 366, pro quatuor postremis mensibus, primo loco occurrit historia portionis intestini coli ex vulnere per 14 annos propendentis, ab *Abrahamo Vatero* communicata. Succedunt *Leeuwenhœkii* observationes de ossibus & periosteo, quibus evincitur, ossa maximam partem componi ex minutissimis vasculis a spongiosa substantia ortum trahentibus & per substantiam corticalem periosteum ingredientibus, ac inde tandem ulterius in corpus continuatis. Hic autem vasculis istis assignatur usus, quod fluidum oleosum ex ossibus ad singulas corporis partes, ipsas digitorum extremitates vehant. Observationem *Ruyschianam* de spina bifida novo exemplo confirmat *Ruttyus*. Observationes duas hortenses communicat *Henricus Cane* de mutatione coloris

in uvis & Jessamino. *Stephanus Grayus* experimenta quædam electrica describit. Detexit electricitatem in pennis avium, pilis animalium, filis sericeis, linteis, lana, charta, cute, ligno, membrana pergamena, quæ per affrictum calefacta non modo a digitis fuere attracta, verum etiam ipsamet materias alias leves attraxerunt. Quodsi ad ignem calefiant, antequam affrictu incalescant, non modo vim attractivam fortiorem sortiuntur, verum etiam ad affrictum digitorum instar tubi vitrei vacui & hermetice sigillati lumen emittunt. *Wilhelmus Becket* in epistola ad *Hallejum* historiam de antiquitate luis venereæ ab objectionibus nonnullis vindicat. *Desagulierius* experimento accurate instituto determinat rationem libræ Parisiensis ad Londinensem ut 576 ad 476, nempe uncia Parisina 576 granorum est æqualis granis Londinensibus 476. *Hallejus* monet nonnulla de methodo observandi differentias ascensionum rectarum & declinationum mediantibus crinibus seu filis in foco telescopii sese mutuo intersecantibus. Hac methodo *Poundius* & ejus nepos *Bradlejus* in oppositione Solis & Martis, præsente *Hallejo*, parallaxin Solis determinarunt, quod non sit major 12, nec minor 9 scrupulis secundis. *Patricius* usum scalæ ampliatæ in barometris commendat in dimetiendis altitudinibus. Utitur eum in finem tubo in parte superiori graciliori, in inferiori autem ampliori absque vasculo. Pars superior ad inferiorem inclinatur. Etenim cum per tubum exigui orificii seu luminis Mercurius non effluat, qui ponderi atmosphæræ æquilibratur, pondere atmosphæræ aucto in partem graciliorem truditur, ut columna longior evadat, eadem semper existente Mercurii quantitate. Longitudo tubi inflexi est quinque circiter pedum. *Wilhelmus Sandersonius* A. 1720 in mari Baltico observavit declinationem acus magneticæ sub latitudine boreali 58° 58' versus occasum 14° 53', sub latitudine 58° 21' vero 14° 56', differentia longitudinum locorum existente 1° 50'. Observatio prior facta mense Junio, posterior Julio. Mense vero Octobri sub latitudine 56° *Bornholmiæ* eandem deprehendit 14° 44'. *Derhamus* observationem describit a *Robio* sibi communicatam de ingente quantitate salis alcali ex ligno quercino putredine infecto extracti. Id singulare notatur, quod

quod, dum lignum combureretur, ſal in maſſas duras, candidas & perſpicuas conflueret. Cetera quæ Partem II hujus Vol. atque adeo Acta A. 1721 ſpectant, vide in Supplem. Tom. IX Sect. VI p. 255.

DESIDERATA MEDICA, AUTORE D. JOHANNE HERMANNO FURSTENAU, Medicinæ Profeſſore Ordinario in Academia Rintelenſi.

Lipſiæ, apud Johannis Friderici Gleditſchii B. Filium, 1727, 8. Alph. 1 plag. 10½.

QUæ in ſcientiis in genere deſiderantur, poſt *Henricum Cornelium Agrippam*, *Franciſcus Baro de Verulamio*, Anglus quidam, nomine *Waſſe*, & alius inſuper in Mercurii Francofurtenſis P. IV monuerunt; in arte vero ſalutari, præter laudatum *Verulamium*, *Georgius Hieronymus Velſchius* primus & ſolus exſtat, qui deſiderata Medicinæ per ſumma veluti capita in *Somno Vindiciani* indigitavit, quem imitatus eſt *Johannes Daniel Major* in *Genio Errante*. Poſtquam etiam noſtro ævo non defuerunt Medici eruditi, & de incremento artis ſolliciti, qui deſiderata Medica paſſim & quaſi aliud agendo recenſent, ingemiſcunt, & medelam optant, *Thomas*, puta, *Sydenhamius*, *Georgius Baglivius*, *Bernardinus Ramazzini*, & *Bartholomæus de Moor*, ac Clariſſ. *Furſtenau* a Præceptoribus ſuis, quos in Academiis Saxonicis audivit, varia in variis artis partibus occurrere deſiderata, in quibus poſterorum induſtria ſemet poſſit debeatque exercere, comperit, incitamento hæc ipſi fuerunt, primamque ſuppeditarunt occaſionem, deſiderata Medica paulo accuratius inveſtigandi. Inde factum, ut anno ſeculi hujus nono deſiderata Anatomico-Phyſiologica publice & pro Licentia ſummos in arte ſalutari honores adipiſcendi in Academia Halenſi ad diſceptandum propoſuerit. Secuta ſunt A. 1712 deſiderata Pathologico-Semiotica, quæ Diſſertationis forma Epiſtolaris ad Theodorum Janſonium ab Almeloveen, & A. 1720 deſiderata Practica, quæ ad Godofridum Thomaſium, Medicum Norimbergenſem primarium, exaravit. A Sereniſſimo Haſſorum Principe hinc ad munus Profeſſorium obeundum Rintelium vocatus, anno poſt in Actu ſolenni Docto-

rali desiderata Physico - Chymica exposuit, & sequenti anno desiderata Chirurgica Dissertatione publica & solenni comprehensa vulgavit. Quæ vero circa Materiam Medicam occurrunt desiderata, A. 1724 oratione, qua magistratum Academicum auspicatus est, enarravit, demumque anno sequenti desideratis suis, habita de desideratis Medico - Forensibus Oratione, colophonem imposuit; prout Autor in Præfatione Epistolari ad Celeb. Collegam nostrum inde a multis annis plane indefessum, D. Mich. Ernest. Ettmullerum Prof. Publ. testatur. Has igitur schedas in unum fasciculum collegit Clariss. Fursteuau, ut uno obtutu paterent Lectorum oculis, & IX Partes exhibuit, quarum I desiderata Anatomico - Physiologica, II Pathologica, III Semiotica, IV Practica, V in Materia Medica, VI Physico - Chymica, VII Chirurgica & IIX Medico - Forensia exhibet, quibus addita est IX de docta Medicorum Ignorantia. Et cum priora desiderata, sub Dissertationum aut Epistolarum forma divulgata, vel ex hoc capite se commendaverint, quod Historiam Literariam variis in capitibus simul exhibeant, & in omnium jam versentur manibus, de illis plura addere non attinet, de ultima solummodo monemus, quod agat illa de docta ignorantia Medicorum tam in genere, quam quoad τὸ θεῖον in morbis & causam proximam, pulsus ad mentem medicorum Sinensium contrectationem, uroscopiam promiscuam, panaceas, speciatim adversus senectutis vitia, visus hebetudinem, & mortem, quibus adjecti sunt scriptores de docta ignorantia. Et quemadmodum Clariss. Autor in omnibus hisce desideratis summorum in arte virorum verbis potius quam suis usus est, ne scilicet sibi occinatur: tu, quod nescis, & in desideratorum serie collocas, aliis forsan te doctioribus dudum cognitum atque perspectum est; ita & hanc Partem claudit verbis Lactantii: *Alii putarunt, sciri posse omnia, hi sapientes utique non fuerunt; alii nihil, neque hi sapientes fuerunt; illi, quia plus homini dederunt, hi, quia minus. Utrisque in utramque partem modus defuit. Ubi ergo sapientia est? ut neque omnia te scire putes, quod Dei est, neque omnia nescire, quod pecudis; est enim aliquid medium, quod sit hominis, scilicet scientia cum ignorantia conjuncta & temperata.*

THEO-

THEODORI CRUGERI ORIGINES LUSATIÆ, *historiam Geronis primi Lusatiæ inferioris Marchionis complexæ. Fasciculus primus.*

Lipsiæ & Lubenæ, apud Georg. Voss, 1726, 4.
Alph. 1 pl. 5 & fig. æn. 1.

SOlertiam suam in disquirendis historiarum antiquarum monumentis jam probavit Vir Clariss. Lycei Luccaviensis Rector, per Stricturas, quas vocat, disquisitionis Historico-moralis, quinquennio abhinc Wittebergæ evulgatas, de martyriis falsis, præsertum atheis pseudomartyribus, contra Petrum Bælium aliosque. Cujus etiam schediasmatis continuationem, si quidem exspectare velint Eruditi, per certas classes instituendam, imprimis autem atheorum pseudomartyrium, justo aliquo volumine pro evincenda religionis Christianæ veritate consignandum, in se recepit. Hæc itaque quemadmodum historiam ecclesiasticam maxime illustrabunt, ita descriptio Lusatiæ, pluribus libris persequenda, historiæ politicæ amplificandæ cumprimis inserviet. Certe liber iste primus, qui jam prodiit, memorabilia non solum Lusatiæ sed & Germaniæ totius continet, rebusque obscurissimis seculi post Christum natum decimi lucem aliquam affundit. Ab hoc nimirum seculo orditur Autor rerum Lusaticarum historiam, in eoque gentis suæ originem exquirit, quatenus Germanici primum facta est juris. Ita vero in argumento suo pertractando & nunc versatus est, & postea versabitur, ut per singula secula Lusatiæ Principes & res ab iis domi militiæque gestas enumeret primo, deinde in reliqua gentis memorabilia, sacra præsertim & literaria excurrat, simulque scriptores rerum Lusaticarum omnes justa serie recenseat. In quibus tamen cum pauci fide digni ipsi videantur reperiri, & plenaria adhuc desideretur Lusatiæ, præsertim inferioris, historia; hac potissimum causa induci se passum esse tradit ad lacunam istam Germanicæ historiæ tandem supplendam. In primo igitur hocce fasciculo vitam magni illius Geronis, Marchionum Lusatiæ omnium primi, exponit, secutus quidem in ea colligenda non *Poppenrodii* fidem dubiam, nec *Hroswithæ* fœminæ fidem poeticam, sed autoritatem potius scriptorum

coævorum, *Vitichindi* Corbejensis, *Ditmari*, cujus tamen Chroni-
con ab illustri Leibnitio nondum penitus emendatum restitutum-
ve arbitratur, & *Odilonis*, Abbatis illius Cluniacensis seculo X ce-
lebratissimi. Veritatis scilicet adeo tenacem se profitetur, ut nihil
pro certo assumat, nisi quod diplomatibus authenticis, qualia ma-
gno numero per totum opus in notis afferuntur, testimoniisque
scriptorum æqualium possit confirmari; rogans historiarum a-
mantes, ut, si quæ diplomata & cujuscunque generis documenta
rerum Lusaticarum possideant, benevole secum communicare
velint. Cap. I de ortu & fatis Geronis, antequam Marchionis ti-
tulum adipisceretur, agitur. Hic in patria, natalibus, prosapia &
p. 5. parentibus Geronis designandis, cum certi quid ex historiarum
monumentis colligere non liceret, conjecturis indulgere neces-
sum habuit Autor. Id autem pro certo habet, eum rerum in
9. militia fortiter feliciterque gestarum gloria tanto magis floruis-
11. se, quanto majorem gratiam Ottonis M. Imp. demeruerit, a quo
nova dignitate auctus dicitur Marchionis Lusatiæ, cap. II dili-
16. gentius explicata. Cum vero Gero antea Comes fuerit, Autor
oportunam hic nactus est occasionem de Comitibus, quo modo,
quove ordine & officio seculo IX & X in Germania originem
ceperint, differendi. Uti vero in dubium vocat adversus Schurz-
fleischium & Meibomium (quo jure alii viderint) an Marchio-
25. natus Germaniæ plures, uti re ipsa quidem, ita etiam nomine
sint constituti ab Henrico Aucupe; ita Goldastum recte erroris
arguit, quando ab eodem leges illas tredecim ludis equestribus
impositas arcessit. Id etiam recte asseritur, non ab Henrico, sed
27. ab Ottone I Lusatiam, tanquam Marchionatum novum, regendam
accepisse Geronem. Num vero idem Burggravius Magdeburgi-
34. cus dicendus sit, integro capite III disputat Noster, tandemque in
negativam concedit. Atque hinc ad ea, quæ præcipue sibi expen-
denda sumsit, transit Autor, enumerans cap. IV res a Gerone, post-
quam obtinuerat jam Lusatiæ inferioris Marchionatum, gestas,
58. sane maximas & præclarissimas. Ita v. g. una aliquando nocte
trucidasse triginta Slavorum Duces, eorundemque exstirpatione
61. Germaniæ fines per Marchiam Brandenburgicam multum am-
pliasse; funestum illud & atrocissimum bellum, quod patrem in-
ter

ter & filium, Ottonem M. & Ludolfum, gerebatur, cujusque cau-
sa & eventus accurate hic describitur, sua potissimum virtute p. 64.
composuisse; omnem quoque Poloniam, Miescone duce bis acie 83.
victo, tributariam Germaniæ reddidisse, docetur. Jamque equi- 98.
dem per multa lustra Lusatis Marchionis nomine præfuerat, cum
denuo rebelles expertus, acerrimo conflictu, qui graphice hic
depingitur, & victoria maxime cruenta de illis reportata Lusati- 101.
am tandem in provinciæ formam redegit, servitute tum quoque 106.
illa Slavis superinducta, quæ vel hodie in isto terrarum tractu su-
perest. Sequuntur tandem cap. V Geronis fata suprema, quibus
priusquam defungeretur, ætate ingravescente, cœnobium Ge- 110.
renrodense, quod hodie ditionis Anhaltinæ est, in quo etiam se-
pultus jacet, fundavit & nurum suam, tum viduam, primam illi
præfecit Abbatissam. Romam quoque antea eo consilio profectus
est, unde redux factus a monachis Sangallensibus in transitu soci-
us & frater pro pecunia numerata cooptatur, *in remedium* scili-
cet *animæ;* quæ formula frequens erat istis temporibus, quibus
avaritia clericorum late grassabatur, prout hic ex Joachimo Va- 114.
diano, apud Goldastum, annotatur. Cujus viri integerrimi, qui
Consulis apud Sangallenses seculo XVI officio functus, scripta
quævis tum historica tum exegetica, quibus imprimis Scripturæ
sacræ Geographia illustratur, ut tandem in lucem protrahantur,
merito optamus. Sed ut & cetera Nostri capita strictim per-
censeamus, cap. VI de insignibus Lusatiæ ante seculum X usita-
tis, singulatim num Gero jam rubicundi bovis insigni usus sit,
disquiritur; ubi jucunda simul fit digressio de gryphe alite 134.
ejusque in signum a gentibus pluribus adhibiti hieroglyphica
ratione. Nec utile magis quam jucundum caput VII, inscriptum 143.
de originibus Lusaticis proprie ita dictis, videlicet de nomine,
gente & incolis, titulis, limitibus, urbibus, situ & habitu Lusatiæ
inferioris seculo X. Antagonistam hic se præbuit Autor celeber- 152 & 175.
rimo *Jo. Hubnero* & Illustri *Jo. Petro de Ludewig*, quo jure, ipsi
viderint. Nobis interim mire placent, quæ de duplici Marchia 180.
orientali, in titulis Principum Saxonicorum veteris ævi nominata,
& de utriusque discrimine afferuntur, consensu quoque magni
Leibnitii probata, quas demonstrationes verius quam conjectu-

ras

ras dixeris, ad ea quæ ſuperiori Menſe Febr. p. 79 & 80 obſervavimus, referendas. Ceterum ut ſuperſedere poſſet Cl. Autor nonnullis hic denuo recoquendis, provocavit ad beati anteceſſoris ſui, *Godofredi Hechtii*, Viri quondam doctiſſimi, binas diſſertationes de gente & Ducatu Geronis, easque cum Supplemento & notis ſuis ſub finem hujus operis annectere voluit quidem, ſed propter impedimentum aliquod non potuit, unde eas Faſciculo ſecundo Originum Luſaticarum reſervavit.

POLYCARPI LYSERI, JUR. MED. ET PHIL. Doctoris, Poeſeos P. P. in Acad. Helmſtadienſi, Commentatio de Contraſigillis medii ævi, juſto operi de re Diplomatica Germanorum præmiſſa.

Helmſtadii, literis Seb. Bucholtzii, 1726, 4.

Pl. 5½.

p. 3. CUm Opus Mabillonianum Francicas cumprimis res reſpiciat, in Germania vero uſus diplomatum ſatis pateſcat, penitior utique artis diplomaticæ cognitio utilis habenda eſt. Multas vero in hac re lacunas explendas ſupereſſe, hæc de Contraſigillis tractatio luculenter docet. Sigilla plurimum diplomati-
6. bus robur adjiciunt, digna, de quibus *Joh. Mich. Heineccius* peculiari libro ageret, quamvis, judice Cl. Autore noſtro, in multis a vero tramite abſcedat, in plurimis jejunus nimis & mancus ſit. Eandem auctoritatem habent Contraſigilla, quæ raritate ſua præ-
7. cipue commendantur. Contraſigillum vero eſt, quod averſæ ſigilli principalioris majoris aut ordinarii faciei imprimitur. In his ſunt, quæ perpetuum contraſignandi uſum habent, nec alia ratione uſurpantur; ſunt & quæ non niſi ob magnitudinem diverſam imprimi ſueverunt, ſeorſim non raro adhibita, & plerumque *Secretorum* nomine notata. Alia itaque ex re ipſa & per ſe, alia ex accidenti & uſu Contraſigilla ſunt. Per ſe talibus accenſentur I illa averſæ faciei impreſſa ſigilla, quæ Contraſigilli nomen in ipſo ſigillo habent expreſſum. Exempla
9. plura ex Oliv. Vredii Sigilli Comitum Flandriæ proferuntur. II. Quæ ſine prævio majori alio ſigillo adhiberi non potuiſſent, nexum

nexum itaque cum primario habent expressum, ita ut continuatio
alterius dici debeant. Sic in majori sigillo apud Vredium: *Sigillum Philippi Comitis Flandriæ;* in minori vero: *& Viromandiæ.* III Sigilla aversa, qualia sunt Bullæ plumbeæ Pontificum p. 10.
Romanorum. Qua occasione tria plumbata sigilla Episcopi vel
potius Concilii alicujus Halberstadiensis cum contrasigillis producuntur. IV quæ nullum quidem cum primario sigillo nexum 16.
habent, seorsim tamen adhiberi nequeunt: quale producitur
Volradi Episc. Halberstadiensis, cum triplici contrasigillo singulis liliis ornato. Altera classis Contrasigillorum ab usu consti- 19.
tuitur. Hinc V sequuntur ea, quæ etiam extra Contrasigillationem adhibita fuerunt, inque his sigillatim occurrunt *Sigilla minora;* VI *Secreta;* VII quæ fere eandem faciem aut epigraphen 20.
sistunt, quam primarium habet. Hic producitur Sigillum Rudol- 30.
fi Ep. Halberst. quod cum Contrasigillo suo ipsi membranæ impressum erat. VIII quæ prorsus ad verum & primarium sigillum 35.
non pertinent, sed alius cujusdam, cujus ne quidem inter testes
mentio fit, sigillum exhibent. Appendicis loco additur Contra- 39.
sigillum, quod ad nullam præcedentium classium referri potest.
Est enim Contrasigilli Contrasigillum, cujus raritas vel ideo satis
est conspicua, quod annum æræ Christianæ exhibeat, quem alias
sigilla medii ævi ignorant.

Figuræ Sigillorum & Contrasigillorum æri incisæ & suo loco insertæ variæ adsunt, & integra quoque diplomata, quæ vero Lectoribus parvo admodum erunt usui, quia nomina personarum & locorum omissa sunt. Sub finem Autor Cl. promittit *Usum Historiæ Medii ævi in dijudicandis & decidendis controversiis fori,* 42.
& aliud opus, quo *Advocatiæ,* cujus sæpius in Diplomatibus mentio fit, natura fere obscura & ignota evolvetur.

AMOENITATES LITTERARIÆ, QUIBUS variæ Observationes, scripta item quædam anecdota & rariora opuscula exhibentur.

Tomus VI.

Francof. & Lipsiæ, apud Dan. Bartholomæi, 1727, 8.
Plag. 20.

TOties jam de hoc laudabili instituto *Cl. Schelhornii* diximus, ut jam modo simplici enarratione eorum, quæ *Tomo* hoc *sexto* contineantur, defungi possimus. I leguntur *Analecta ad historiam Confessionis Tetrapolitanæ*, in quibus simul haud pauca Reformationis Ecclesiæ Memmingensis historiam concernentia exhibentur. Sistit nempe ecclesiæ patriæ faciem a primis repurgatorum in ea sacrorum initiis ad exhibitam usque confessionem; confessionis fata describit, ejusdem historiam litterariam adjicit, inspersis passim eximiis documentis, quæ ex publico tabulario Memmingensi cum Cl. Autore communicata sunt. II sequitur *Appendix, sistens quædam documenta ad superiorem commentationem pertinentia*, eaque omnia ex autographis descripta sunt, si excipias libellum supplicem a legatis Argentin. Norimberg. Constant. Ulmens. &c. Cæsari oblatum, qui littera G. insignitur. In his primum est, & littera A notatur *Vibani Regii Consilium* & Responsum de colloquio Memmingæ sub Magistratus auspiciis a D. Christ. Schappelero A. 1525 cum Pontificiis habito. B. *Jo. Eccii ad Senatum Memmingensem Epistola*, cum de Missa abroganda consilia agitaret. C. altera *Eccii epistola* ejusdem argumenti. D. *Rationes, ob quas Jo. Kellerus*, Memmingensis aliarumque civitatum ad fœderis Suevici conventum legatus, *a consessu repudiatus fuit*, ex ipso confœderatorum decreto descriptæ. E. *Excerpta ex Apologia civitatis Memmingensis* ad fœderis Suevici socios post repudiatum a consessu Kellerum missa. F. *D. Martini Lutheri litteræ* ad magistratum Memmingensem scriptæ, cum rumor ad eum perlatus fuisset, prorsus ibi locorum Eucharistiæ usum sublatum esse. G. *Libellus supplex* Cæsari in Comitiis Augustanis A. 1530 exhibitus a civitatum Protestantium legatis. H. *Ulrici Zwinglii* ad Senatum Memmingensem litteræ. Hæc documenta III excipit *Discipuli de Temporibus monitum de præjudicio Hermeneutico*, accuratiorem Apocalypseos explicationem etiamnum impediente. IV *Notitia rarissimæ versionis Germanicæ libri Psalmorum* a D. Ottmaro Nachtigallo sive Luscinio confectæ, exhibita a *Jacobo Bruckero*. V *de ejusdem Luscinii Latina Psalterii Versione*

ne æque rara', *aliisque scriptis* Commentatiuncula, quam Cl. Schelhornius studio illo Bruckeri sui excitatus, concinnavit. VI Specimen *Supplementorum Ge. Hier. Welschii* ad bibliothecam Gesnero-Simlero-Frisianam, quod Specimen Cl. Editor ex Supplementorum exemplo descripsit, quod servat M. Georgius Ruprechtus, verbi divini in Ecclesia Augustana minister. VII *Julii Cæsaris Scaligeri Epistolæ nonnullæ*, ex MSto bibliothecæ Zach. Conradi ab Uffenbach. VIII *Epistolæ quædam ineditæ Henrici & Hadriani Valesiorum* ad Jo. Alb. Portnerum, Camerarium quondam & Proto-Scholarcham Reip. Ratisbonensis, quas communicavit cum Cl. Editore S. R. D. Gust. Georg. Zeltnerus, & sunt illæ non modo facundissimæ, sed & multa eruditione refertissimæ. IX *Epistolæ quædam ineditæ* Theologi de Christi ecclesia meritissimi, *B. D. Phil. Jac. Speneri*, ad Jo. Schilterum, JCtum & Polyhistorem quondam Argentoratensem celeberrimum, desumtæ ex bibliotheca D. Jo. Christ. Simonis, JCti & Syndici Campidonensis. X *Elogium Thomæ Lansii*, Autore B. Theophilo Spizelio, quod inter reliquias MSStorum bibliothecæ Spizelianæ, cum aliis in posterum vulgandas, a Cl. Editore inventum, forsan Autor inserere voluit Corpori vitarum selectarum, seu Theatro Litteratorum universali. XI. Ejusdem *Elogium J. B. Schuppii.* XII. Ejusdem *Elogium Hartmanni Creidii.* XIII. Agmen claudunt *varii generis Observationes*, Autore Cl. Schelhornio, quibus tam alibi dicta auget atque illustrat, quam nova quædam in medium profert memorabilia.

ULYSSES LITERARIUS, SIVE ORATIO DE singularibus & novis quibusdam ex orbe literato, JOACH. NEGELINI, Æd. D. Mar. Antistitis. Additur CASP. DORNAVII Ulysses Scholasticus, cum CASP. HOFMANNI Oratione de barbarie imminente.

Norimbergæ, ex officina Endteriana, 1726, 8.

Plag. 18.

QUantum per breve Orationis inauguralis spatium licuit, hic Max. Rev. Autor lustratis animo literati orbis regionibus præcipua refert, quæ memoratu laudatuque digna ipsi occurrerunt. Hodiernam igitur Græciæ faciem miseratus, in Italia fervere literarum studia jucunde observat, in Gallia literatas Academias perpetua scientiarum incrementa polliceri gaudet, in Hispania frigentes Musas vitam nuper recepisse in vicina Lusitania, Ipso Rege in earum salutem intento, commemorat: in Britannia beatissimam esse omnis generis disciplinarum sedem; in Belgio summos literatores certatim augere commoda literatæ reip. Nec Daniam Sueciamque carere laude eruditionis, imo Russiam auspice Petro suo caput efferre cœpisse inter regiones literarum studiis claras: denique Germaniam nostram animadvertit nulli Europæ parti cedere gloria ingeniorum omni literarum genere excultissimorum. Hæc postquam ornatissime edisseruit, oculis lectorum subjicit duas *Dornavii* dissertationes *de erroribus scholarum trivialium:* quarum, quippe jam olim editarum, argumenta paucis enarrabimus. Exponuntur scilicet hic non tam errores, quam causæ corruptarum scholarum. Et Oratione quidem *prima* graviter reprehendit Dornavius magistratus eos, qui scholarum curam in postremis habent, iisque Caroli M. exemplum proponit, Principis Scholasticæ rei curiosissimi. Hinc, quod pietatis cultura in scholis vulgo negligitur, inter maximos earum nævos refert. Tum incongruum existimat, quod pueri tribus quatuorve continuis horis sedere cogantur in subselliis, suadetque, ut singulis horis acroamaticis succedat hora otiosa ad prævertendum tædium. Nec illud non in vitio ponit, quod nobilium plebejorumque liberi iisdem instituuntur modis. Maxime in eo errari statuit, quod nec discentibus tribuantur præmia, nec satis docti præficiantur scholis magistri, nec iis, si forte sint electi, digni honores tribuantur dignaque salaria. Hæc postquam sine ulla dissimulatione metuque offensionis ornate persecutus est, *secunda* Oratione vitia virtutesque docentium sigillatim describit, tantumque scholasticæ sapientiæ ostendit, ut laudandus sit Cl. Negellinus, qui hoc par Orationum reduxerit in lucem, dignarum profecto, quæ non perfunctorie legantur a scho-

ſcholarum ſive magiſtris ſive curatoribus. Nec *Hoffmanni* Oratio, quæ ultimum locum tenet, nova luce indigna eſt: quanquam ejus recenſione ſuperſedemus brevitatis ſtudio.

HISTORIA MANUSCRIPTA PRIMORUM quadraginta ſex Patriarcharum Alexandrinorum, e lingua Coptica in Arabicam verſa.

UT inter reliquas Eccleſias Orientales, cum ob antiquitatem, tum ob doctiſſimos, qui ei præfuerunt, Patres, Alexandrina caput maxime effert, ita hiſtoriam illius paulo accuratius noſſe, permultum refert. Etiamſi enim variis jam monimentis tradita, virorumque & linguarum peritia, & omnis doctrinæ cultu excellentium, *Seldeni, Pocokii, Vanslebii, Renaudotii*, opera, dudum explicata fuerit, attamen ad ſtatum illius plene ac perfecte cognoſcendum, haud pauca ſuperſunt. Quam ob rem, poſteaquam Illuſtris Dominus *ab Uffenbach*, pro mirabili ſuo in litteris juvandis provehendisque ſtudio, Codicem Arabicum eo pertinentem, ultro nobiſcum communicavit, de eo publice nonnulla diſſerere, operæ pretium eſt. Scilicet Codex ille, quem ex Bibliotheca *Salomonis van Til*, clariſſimi apud Batavos olim Profeſſoris, poſſeſſor celeberrimus emit, ut ex illius Catalogo p. 154 n. 16 patet, trecentis quinquaginta foliis, in forma paulo minore quarta, conſtans, ſimplici nec adeo eleganti charactere exaratus eſt, ductu literarum pingui & craſſo, linearumque interſtitio ſatis amplo, at cum punctis diacriticis literæ ubique fere careant, lectorem acutum, attentum, ac linguæ Arabicæ valde gnarum ejusque notitia haud leviter tinctum requirit. Autor nec initio nec fine libri nominatur, ſectam vero ſi ſcire velis, eum Monophyſitam, ſeu ut Arabes hiſtorici appellant صاحب الطبيعة واحدة i. e. *unius naturæ in Chriſto aſſertorem*, fuiſſe videtur, quia Dioſcorum, in Synodo Chalcedonenſi, ob conſenſum cum Eutyche, damnatum, ſanctis in vita ejus accenſet, aliter ac hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Orientalis Scriptores facere ſolent, qui illum & Eutychem, ac Jacobum Baradæum hujus aſſeclam, non قديس ſanctum, ſed مخالف *hæreticum*, كافر *abnegantem* ملعون *maledictum* vocare conſueverunt. Titulus autem in fronte

libri rubro colore notatus hic est: *Liber sanctorum Patriarcharum, quae prima pars est, continens quadraginta sex Patriarchas.* Et foliis aliquot interjectis, eas ex Patris Macarii, ubi fixa Jacobitarum cathedra fuit, aliisque Thebaidos monasteriis collectas, & quasdam a Diacono quodam Michaele filio Nadiri ex Coptica lingua in Arabicam versas esse, dicitur, ac in ultima pagina, scriptionem ejus die Sabbathi, decimo quarto Mensis Meschri A. DCCCCLXXX aerae martyrum, seu Diocletiani, absolutam esse annotatur. Series autem Patriarcharum non a Marco Evangelista, Ecclesiae Alexandrinae fundatore, incipit, cujus vitam se alio commentario descripsisse Autor perhibet, quaeque ab *Saido Ebn Batrik* seu ut post promotionem ad Cathedram Patriarchalem appellatus fuit, *Anba Eutychio* in *Annalibus* sub titulo نظم الجوهر *Nodhm algiaubar*, i. e. *Contextionis gemmarum* scriptis p. 329 seqq. memoratur. Secundus igitur eorum est Anianus, Batricidi Hananias dictus. III Melius, Elmakino Abilianus, Batricidi Philetius. IV Cardanus Elmakino Gordianus, Eutychio Gordius. V Abrimius seu Primus, in Nicephoro Scaligeri Priamus. VI Justus. VII Ammonius seu Eumenes. VIII Marcianus. IX Cladanus, Eutychio Clarius, nisi forsan Rhe pro Dal posito legendum Cladius, Celadion. X Agribius seu Agrippas. XI Julianus. XII Demetrius. XIII Heraclas & Jeraclas. XIV Dionysius. XV Maximus. XVI Theonas, Eutychio Neron. XVII Petrus, ubi textus mutilus est. XIX Alexander. XX Athanasius ubi textus etiam mancus est, sed post Sectionem 46 infra Sectiones occurrunt hic inserendae. XXIII Theophilus. XXIV Cyrillus. XXV Dioscorus. XXVI Timotheus. XXVII Petrus. XXVIII Athanasius Junior. XXIX Johannes. XXX Johannes Solitarius. XXXI Dioscorus Junior. XXXII Timotheus. XXXIII Theodosius. XXXIV Petrus. XXXV. Damianus. XXXVI Anastasius. XXXVII Andronicus. XXXVIII Benjaminus. XXXIX Agathas. XL Johannes Samnudensis. XLI Isaacus. XLII Simeon. XLIII Alexander. XLIV Cosmas. XLV Theodorus. XLVI Chajilus. Et primae quidem horum Patriarcharum Vitae breviores, ceterae autem prolixae sunt, ac merito optamus, ut qui necessarios sumtus ad praestantissimi hujus libri solam versionem elargiri velint, liberaliter sese offerant, aut per modum subscriptionis ea promoveri queat.

NOVA

NOVA LITTERARIA.

QUi tot Scriptis historicis fide dignissimis jam dudum immortalem famam meritus est, Celeb. *de Vertot*, novam nuper Historiam Equitum Melitensium Gallice IV Voluminibus in 4 vulgavit. Quam cum relegisset, non parum miratus est, Typographos id sibi sumere ausos, ut aliqua deleverint, plura corruperint aut ad extollendos imprimis quorumdam, qui meritis clarere non poterant, natales, addiderint. Is ergo a vili ista adulatione magnopere abhorrens, e re sua putavit, ut se minime suam agnoscere hanc editionem, in Diario Trevoltiensi Mense nupero Februario publice profiteretur. Enimvero cum Autores hujus Diarii, a Typographis, ut videtur, conducti, protestationem illam Vertoti e plerisque exemplis rursus postea exemerint, & superiore Mense Majo ejusdem Diarii palam testati fuerint, se nescire, quo pacto eadem in M. Februarium irrepserit, Autorem potius probare editionem & in fide Typographorum nihil desiderare, asseverantes; vel per nos mature innotescere Orbi erudito voluit Cl. Autor, se adhuc serio editionem illam detestari, & in eo esse, ut novam eamque genuinam propediem procudat. Ceterum doctissimus *Camusat* in Diodoro Siculo, quem cum variis MSSptis contulit, eoque lacunas non unas supplevit, plura etiam subsidia ab eruditis aliis sibi promittens; & Abbas *Capperonerius* in Rhetoribus Latinis, tum editis tum hactenus ineditis, vulgandis occupantur.

Duisburgi S. R. *Daniel Gerdesius*, S. Theol. D. & Ecclesiastes quondam Wageringanus, postquam anno superiori Professionis Theol. munus ibi Oratione *de docta in Theologia ignorantia* auspicatus est, nuper die X Martii *de Particulari Judicio animarum a corpore separatarum* edidit disputationem, publice sub ejus præsidio defensam, ubi & multa in genere de statu animarum a corpore separatarum adversus Socinianos aliosque Psychopannychitas traduntur, Patrumque sex priorum imprimis seculorum sententiæ inter se conferuntur, & Rev. Doctoris Angli, *Guil. Sherlocki*, de judicio particulari sententia propius ad examen revocatur, atque argumenta ipsius adversus

hoc

hoc judicium excutiuntur & refutantur, variaque Scripturæ loca, imprimis vero Ecclesiast. XII, 9 & Ecclesf. III, 21 explicantur. Ejusdem *Gerdesii* Tractatus, sub titulo *Vesperarum Vadensium*, sive *diatribarum Theologico - Philologicarum DE HYPERBOLIS EX SCRIPTURA SACRA ELIMINANDIS* &c. propediem edetur Trajecti ad Rhenum. 4.

Apud nos Mauritius Georgius Weidmannus, qui nuper nobis *Kehvenhülleri Annales Ferdinandeos* integros incredibili sumptu dedit, nuper *Corpus Scriptorum de Augustissima Bibliotheca Vindobonensi*, jussu & auspiciis CAROLI VI Imp. edendum, prelo submisit, quo ea continebuntur, quæ *Zellerus*, *Tengnagelius*, *Lambecius* & *Nesselius* de hac Bibliotheca edita dedere, immani hactenus pretio vendita. Imprimetur hoc Corpus V Tomis, subscriptionis lege, ab indigenis usque ad finem hujus anni, ab exteris vero ad finem Julii anni sequentis admittendæ. Constabit vero opus in charta ordinaria 24 Imperialibus, cujus summæ pars una tempore subscriptionis, altera editis tribus prioribus, tertia absoluto opere numerabitur; chartæ regiæ altero tanto, mediæ parte tertia majus erit pretium. Spem quoque facit idem Weidmannus, se opere absoluto (absolvi vero posse sperat vergente Anno MDCCXXVIII) ea quæ plurimis Voluminibus operi adjecit nuperus Bibliothecarius, *Jo. Bened. Gentilot ab Engelsbrunn*, pariter typis commissurum.

Prostat Actor. Er. Supplem. Tomi IX Sectio VI, qua continentur sequentia: 1 Lud. Ant. Muratorii *Rer. Ital. Scriptores, Tomus VII;* 2 Leonh. Bohneri *Institutiones Catecheticæ;* Casp. Brantii *vita Jac. Arminii, it. Ejusd, ed. altera, per* J.L. Moshemium; 3 Sam. Frid. Lauterbach *Historia Ariano - Socinismi in Polonia;* 4 Jo.Bapt.Mazini *Mechanices morborum Pars I & II;* 5 *Transactiones Philosophicæ, seu Recensio Partis II Vol. XXXI;* 6 Jo.Bernoulli *Continuatio materiæ de Trajectoriis præcipuis, imprimis de Pantogonia &c.* 7 Petri Zornii *Bibl. Antiquaria & exegetica in Script. S. Tomi I Pars IV - X.* Nuntiamus quoque proxime & ante quam M. Julius prodire possit, comparituram Supplem. Sectionem VII.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii Anno MDCCXXVII.

DANUBIUS PANNONICO-MYSICUS, OBservationibus Geographicis, Astronomicis, Hydrographicis, Historicis, Physicis, perlustratus, & in SEX TOMOS digestus, ab ALOYSIO FERD. COM. MARSILI, Socio Regiarum Societatum Parisiensis, Londinensis, Monspeliensis.

Hagæ Com. apud P. Gosse, R. Chr. Alberts, P. de Hondt.

Amstelod. apud Herm. Vytwerf & Franc. Changuion.

Ex Typographia & Iconographia Rutg. Christ. Alberts, 1726.

In forma maxima, const. 407 foliis & 288 tabb. æneis majoribus.

Opus hoc loco exhibemus oppido magnificum atque excellens, cujus quidem Prodromum jam in Act. A. 1701 p. 84 recensuimus; & quamvis ab Illustrissi. Autore, propter adversa fata, quibus jam diu conflictatus & tantum non oppressus est, prorsus ex voto perfici atque expoliri minime potuerit, tot tamen ac tam egregias res complectitur, ut universo orbi litterato rem factam gratissimam esse nihil dubitemus, quod tandem eo se adduci passus est Vir summus, ut illud e pulvere ac tenebris, in quibus plusquam viginti annos jacuit, extractum publicæ nunc luci exponeret. Cum jam alia singularis ejus ingenii & incredibilis solertiæ monumenta, quæ maximo cum applausu ab eruditis sunt excepta, in Actis nostris recensuerimus, longiori in præsentia procemio facile supersedere, statimque nos accingere ad tradendam laudatissimi operis œconomiam licet. Distributum illud est in *Tomos sex;* quorum primus *tribus Parti-*

bus absolvitur, Geographica, Astronomica, & Hydrographica. In *parte Geographica* primo quidem Tabulæ sive Mappæ viginti occurrunt; quarum una totum Danubium, cum fluviis, qui in eum se exonerant, complectitur: alia partem integram hujus amnis sistit, quæ inter montem Cætium sive *Kalenberg*, paullo supra Viennam, & inter Jantram fluvium, infra Nicopolim in Bulgaria, interjacet (hanc enim sibi potissimum illustrandam sumsit Excellentissimus Comes noster:) reliquæ eandem partem, in minores tractus divisam quam distinctissime exhibent. Succincta deinde addita est totius Hungariæ, ejusque originis, provinciarum, limitum, & regiminis descriptio, cum Topographia Danubii, in qua de Danubii etymo, de Cætio monte, de regionibus & locis cum insignioribus tum etiam minus insignibus, circa partem hujus fluvii commemoratam sitis, de nationibus denique & insulis, in tractu isto reperiundis, accurate differitur. In *Parte Astronomica* observationes nonnullæ extant altitudinis fixarum & Solis meridianæ, Satellitum Jovis, Mercurii solem transeuntis, & phasium lunarium. Quas cum in lucem proferre Comes illustrissimus identidem dubitasset, inter castrorum quippe strepitus & militaria incommoda peractas, celeberrimus tamen *Cassinus* Senior, a quo se habitum loco filii commemorat, ipsi constanter autor fuit, eas ut haudquaquam aboleret, sed, etiamsi Danubiale opus typis non committeretur, separatim ederet, cum, quod nunquam constet, habitas in Pannonia fuisse hujusmodi observationes, tum, quod a milite, rebus omnibus ad earum perfectionem necessariis destituto, tantum expectari nequeat, quantum ab aliis majori commoditate gaudentibus. Rem non ingratam lectoribus nos facturos arbitramur, si ipsas observationes circa altitudines stellarum meridianas exhibeamus.

Et *VIENNÆ* quidem, die 17 April. A. 1696, cœlo sereno, observata est altitudo meridiana *Lucidæ in dorso Leonis* (Bayero δ) 63 gr. 58 min. *caudæ Leonis* (Bayero β) 48°, 4': die 20 ejusdem mensis, aere sereno sed flatibus irrequieto, altitudo merid. *Lucidæ in dorso* ♌ 63°, 59', *caudæ* ♌ 58°, 4': eodem die altitudo merid. minima stellæ *Polaris* (Bayero α) 45°, 53': die 21, cœlo puro,

ro, flante Zephyro, altitudo merid. *Lucidæ in dorso* ♌ 63°, 58', *caudæ* ♌ 58°, 6', *Polaris* 45°, 53'.

BUDÆ, die 27 Maji ejusdem anni, aere dispersis hinc inde nubeculis maculato, reperta altitudo merid. *spicæ virginis* (Bayero α) 33°, 2'; *Arcturi* (Bayero *Bootis* α) 36°, 26'; stellæ *Polaris* 45°, 6'. Ibidem, d. 27 Aug. anni commemorati, cœlo serenissimo, altitudo merid. *ultimæ in cauda serpentis* (Bayero θ) fuit 46°, 29'; *Lucidæ in cauda Aquilæ* (Bayero ζ) 56°, 4'; *Lucidæ in scapulis Aquilæ* (Bayero α) 50°, 43'. Die 28 ejusdem mensis, cœlo iterum sereno, *ult. in cauda serp.* 46°, 28'; *Lucida in cauda aquilæ* 56°, 5'. Die 29, aere etiamnum sereno, *ult. in cauda serp.* 46°, 29'; *Lucid. in cauda Aqu.* 56°, 0'; *Lucid. in scap. Aqu.* 50°, 44'.

BAIÆ, die 2 Jun. cœlo admodum sereno, fuit altitudo merid. *Arcturi* 64°, 40'; *Lancis libræ Austr.* (Bayero α) 29°, 9'; *Humeri Ursæ min.* (Bayero β) 60°, 44'. Die 6 ejusdem mensis, cœlo sereno, fuit altitudo mer. *Arcturi* 64°, 38'; *Lancis libræ Austr.* 29°, 6'; *Humeri Ursæ min.* 60°, 45'.

Ad *CONFLUENTES DANUBIUM ET DRAVUM*, d. 12 Jun. aere defæcatissimo, inventa fuit alt. merid. *Arcturi* 65°, 13'; *Humeri Ursæ min.* 60°, 11'; *manus sinistræ Ophiuchi Bor.* (Bayero *Serpentarii* δ) 41°, 35'; *Lucida in collo serpentis* (Bayero α) 51°, 50'. Die 13 ejusdem mensis, aere ventoso & pluviosis nubibus inquinato, fuit alt. merid. *humeri Ursæ min.* 60°, 9'; *Lucid. in collo serp.* 51°, 49'. Die denique 14, cœlo nubibus maximam partem obvoluto, fuit alt. mer. *Arcturi* 65°, 13'.

SEGEDINI, d. 15 Jun. ejusdem anni, cœlo serenissimo, deprehensa fuit altitudo merid. *capitis Herculis* (Bayero α) 58°, 31'; *capitis Ophiuchi*, (Bayero *Serpentarii* α) 56°, 36'; *cordis Scorpii* (Bayero α) 18°, 7'. Die 4 Jul. cœlo itidem serenissimo, altitudo *capitis Herc.* 58°, 26'; *capitis Ophiuchi* 56°, 34'. die 9 ejusdem mensis, cœlo sereno, flante Circio, altitudo *cordis* ♏ 18°, 9'; *capitis Hercul.* 58°, 31'; *cap. Ophiuchi* 56°, 38'. Die 11, cœlo purissimo, flante Circio, *cap. Herc.* 58°, 33'; *cap. Ophiuchi* 56°, 34'. Die 12, cœlo purissimo, silentibus ventis, *cap. Oph.* 56°, 36'. Denique d. 13,

cœlo pulcherrimo, ſpirante leniter Nothapeliote, *cap. Herc.* 58°, 33′; *cap. Oph.* 56°, 35′.


In *Caſtris*, prope *TITUL*, in angulo confluxus Danubii & Tibiſci citeriori poſitis, d. 18 Jul. cœlo ſereno, obſervata eſt altitudo merid. *capitis Herc.* 59°, 27′; *capitis Ophiuchi* 57°, 29. Die 20, aere ex heſterna pluvia impuritatis aliquid fovente, *cap. Herc.* 59°, 31′; *cap. Oph.* 57°, 32′; *manus Ophiuchi Auſtr.* (Bayero μ) 35°, 1′. Die 21, cœlo ſereniſſimo, *cap. Herc.* 59°, 27′; *cap. Oph.* 57°, 31′; *Serpentis caudæ penult.* (Bayero η) 41°, 46.

SOLNOCI, d. 9 Aug. cœlo ſereno, inventa fuit alt. mer. *Lucidæ in cauda aquilæ* 56°, 19. Die 10, nubibus undique diſperſis, alt. mer. ejusdem ſtellæ iterum fuit 56°, 19′. Die 11, nubibus poſt imbrem largiſſimum relictis, altitudo ejusdem ſtellæ denuo reperta fuit 56°, 19′; *Lucid. in ſcap. Aquilæ* 50°, 58′.

AGRIÆ ſive *Erlæ*, d. 18 Aug. cœlo nubiloſo, altitudo *ultimæ in cauda ſerp.* definita fuit 45°, 56′; *Lucid. in cauda Aquilæ* 55°, 28′; *ſtellæ in extremitate alæ aquilæ ſiniſtræ* (Bayero δ) 44°, 39′. Die 19, aere nubibus non plane vacuo, flante valide zephyro, *ult. in cauda ſerp.* 45°, 53′; *Lucid. in cauda aquilæ* 55°, 30′. Die 20, aere puro, *ult. in cauda ſerp.* 45°, 53′; *Lucid. in cauda aquilæ* 55°, 28′.

Ex collatione harum obſervationum, aſſumtis fixarum declinationibus ex Hevelio, ſupputavit Ill. Auror *latitudinem* ſive *Elevationem Poli VIENNÆ* 48°, 14′; *BUDÆ* 47°, 29′; *BAJÆ* 46°, 10′; ad *CONFL. DANUB. & DRAV.* 45°, 36′; *SEGEDINI* 46°, 16′; in *Caſtris* 54°, 20′; *SOLNOCI* 47°, 9′; *AGRIÆ* 48°, 0′.

Obſer-


TAB. III. ad A... Danubii.
Fig: 2.
Verticalis ad horam egressus
Semita Mercurij
Demirkapi sive Porta Ferrea, cataracta maxima
Millaria quorum 15 efficiunt gradum.
Babakaja rupes
Kolumbatz
Pont. Trajani Rudera

bus absolvitur, Geographica, Astronomica, & Hydrographica. In *parte Geographica* primo quidem Tabulæ sive Mappæ viginti occurrunt; quarum una totum Danubium, cum fluviis, qui in eum se exonerant, complectitur: alia partem integram hujus amnis sistit, quæ inter montem Cætium sive *Kalenberg*, paullo supra Viennam, & inter Jantram fluvium, infra Nicopolim in Bulgaria, interjacet (hanc enim sibi potissimum illustrandam sumsit Excellentissimus Comes noster:) reliquæ eandem partem, in minores tractus divisam quam distinctissime exhibent. Succincta deinde addita est totius Hungariæ, ejusque originis, provinciarum, limitum, & regiminis descriptio, cum Topographia Danubii, in qua de Danubii etymo, de Cætio monte, de regionibus & locis cum insignioribus tum etiam minus insignibus, circa partem hujus fluvii commemoratam sitis, de nationibus denique & insulis, in tractu isto reperiundis, accurate differitur. In *Parte Astronomica* observationes nonnullæ extant altitudinis fixarum & Solis meridianæ, Satellitum Jovis, Mercurii solem transeuntis, & phasium lunarium. Quas cum in lucem proferre Comes illustrissimus identidem dubitasset, inter castrorum quippe strepitus & militaria incommoda peractas, celeberrimus tamen *Cassinus* Senior, a quo se habitum loco filii commemorat, ipsi constanter autor fuit, eas ut haudquaquam aboleret, sed, etiamsi Danubiale opus typis non committeretur, separatim ederet, cum, quod nunquam constet, habitas in Pannonia fuisse hujusmodi observationes, tum, quod a milite, rebus omnibus ad earum perfectionem necessariis destituto, tantum expectari nequeat, quantum ab aliis majori commoditate gaudentibus. Rem non ingratam lectoribus nos facturos arbitramur, si ipsas observationes circa altitudines stellarum meridianas exhibeamus.

Et *VIENNÆ* quidem, die 17 April. A. 1696, cœlo sereno, observata est altitudo meridiana *Lucidæ in dorso Leonis* (Bayero δ) 63 gr. 58 min. *caudæ Leonis* (Bayero β) 48°, 4′: die 20 ejusdem mensis, aere sereno sed flatibus irrequieto, altitudo merid. *Lucidæ in dorso* ♌ 63°, 59′, *caudæ* ♌ 58°, 4′: eodem die altitudo merid. minima stellæ *Polaris* (Bayero α) 45°, 53′: die 21, cœlo puro,

ro, flante Zephyro, altitudo merid. *Lucidæ in dorso* ♌ 63°, 58′. *caudæ* ♌ 58°, 6′, *Polaris* 45°, 53′.

BUDÆ, die 27 Maji ejusdem anni, aere dispersis hinc inde nubeculis maculato, reperta altitudo merid. *spicæ virginis* (Bayero α) 33°, 2′; *Arcturi* (Bayero *Bootis* α) 36°, 26′; stellæ *Polaris* 45°, 6′. Ibidem, d. 27 Aug. anni commemorati, cœlo serenissimo, altitudo merid. *ultimæ in cauda serpentis* (Bayero θ) fuit 46°, 29′; *Lucidæ in cauda Aquilæ* (Bayero ζ) 56°, 4′; *Lucidæ in scapulis Aquilæ* (Bayero α) 50°, 43′. Die 28 ejusdem mensis, cœlo iterum sereno, *ult. in cauda serp.* 46°, 28′; *Lucida in cauda aquilæ* 56°, 5′. Die 29, aere etiamnum sereno, *ult. in cauda serp.* 46°, 29′; *Lucid. in cauda Aqu.* 56°, 0′; *Lucid. in scap. Aqu.* 50°, 44′.

BAIÆ, die 2 Jun. cœlo admodum sereno, fuit altitudo merid. *Arcturi* 64°, 40′; *Lancis libræ Austr.* (Bayero α) 29°, 9′; *Humeri Ursæ min.* (Bayero β) 60°, 44′. Die 6 ejusdem mensis, cœlo sereno, fuit altitudo mer. *Arcturi* 64°, 38′; *Lancis libræ Austr.* 29°, 6′; *Humeri Ursæ min.* 60°, 45′.

Ad *CONFLUENTES DANUBIUM ET DRAVUM*, d. 12 Jun. aere defæcatissimo, inventa fuit alt. merid. *Arcturi* 65°, 13′; *Humeri Ursæ min.* 60°, 11′; *manus sinistræ Ophiuchi Bor.* (Bayero *Serpentarii* δ) 41°, 35′; *Lucidæ in collo serpentis* (Bayero α) 51°, 50′. Die 13 ejusdem mensis, aere ventoso & pluviosis nubibus inquinato, fuit alt. merid. *humeri Ursæ min.* 60°, 9′; *Lucid. in collo serp.* 51°, 49′. Die denique 14, cœlo nubibus maximam partem obvoluto, fuit alt. mer. *Arcturi* 65°, 13′.

SEGEDINI, d. 15 Jun. ejusdem anni, cœlo serenissimo, deprehensa fuit altitudo merid. *capitis Herculis* (Bayero α) 58°, 31′; *capitis Ophiuchi*, (Bayero *Serpentarii* α) 56°, 36′; *cordis Scorpii* (Bayero α) 18°, 7′. Die 4 Jul. cœlo itidem serenissimo, altitudo *capitis Herc.* 58°, 26′; *capitis Ophiuchi* 56°, 34′. die 9 ejusdem mensis, cœlo sereno, flante Circio, altitudo *cordis* ♏ 18°, 9′; *capitis Hercul.* 58°, 31′; *cap. Ophiuchi* 56°, 38′. Die 11, cœlo purissimo, flante Circio, *cap. Herc.* 58°, 33′; *cap. Ophiuchi* 56°, 34′. Die 12, cœlo purissimo, silentibus ventis, *cap. Oph.* 56°, 36′. Denique d. 13,

 cœlo

cœlo pulcherrimo, ſpirante leniter Nothapeliote, *cap. Herc.* 58°, 33′; *cap. Oph.* 56°, 35′.


In *Caſtris*, prope *TITUL*, in angulo confluxus Danubii & Tibiſci citeriori poſitis, d. 18 Jul. cœlo ſereno, obſervata eſt altitudo merid. *capitis Herc.* 59°, 27′; *capitis Ophiuchi* 57°, 29′. Die 20, aere ex heſterna pluvia impuritatis aliquid fovente, *cap. Herc.* 59°, 31′; *cap. Oph.* 57°, 32′; *manus Ophiuchi Auſtr.* (Bayero μ) 35°, 1′. Die 21, cœlo sereniſſimo, *cap. Herc.* 59°, 27′; *cap. Oph.* 57°, 31′; *Serpentis caudæ penult.* (Bayero η) 41°, 46′.

SOLNOCI, d. 9 Aug. cœlo ſereno, inventa fuit alt. mer. *Lucidæ in cauda aquilæ* 56°, 19′. Die 10, nubibus undique diſperſis, alt. mer. ejusdem ſtellæ iterum fuit 56°, 19′. Die 11, nubibus poſt imbrem largiſſimum relictis, altitudo ejusdem ſtellæ denuo reperta fuit 56°, 19′; *Lucid. in ſcap. Aquilæ* 50°, 58′.

AGRIÆ ſive *Erlæ*, d. 18 Aug. cœlo nubiloſo, altitudo *ultimæ in cauda ſerp.* definita fuit 45°, 56′; *Lucid. in cauda Aquilæ* 55°, 28′; *ſtellæ in extremitate alæ aquilæ ſiniſtræ* (Bayero δ) 44°, 39′. Die 19, aere nubibus non plane vacuo, flante valide zephyro, *ult. in cauda ſerp.* 45°, 53′; *Lucid. in cauda aquilæ* 55°, 30′. Die 20, aere puro, *ult. in cauda ſerp.* 45°, 53′; *Lucid. in cauda aquilæ* 55°, 28′.

Ex collatione harum obſervationum, aſſumtis fixarum declinationibus ex Hevelio, ſupputavit Ill. Auror *latitudinem* ſive *Elevationem Poli VIENNÆ* 48°, 14′; *BUDÆ* 47°, 29′; *BAJÆ* 46°, 10′; ad *CONFL. DANUB. & DRAV.* 45°, 36′; *SEGEDINI* 45°, 16′; in *Caſtris* 54°, 20′; *SOLNOCI* 47°, 9′; *AGRIÆ* 48°, 0′.

Obſer-


TAB. III. ad A. s. Danubii.
Fig: 2.
Semita Mercurij
Demirkapi sive Porta Ferrea, cataracta maxima
Millaria quorum 15 efficiunt gradum.
Babakaja rupes
Kolumbatz
Pnt. Trajani Rudera

Obſervatas altitudines merid. Solis ſequens oſtendit Tabula:

Nomina locorum.	Menſes & dies.	Alt. merid. Gr.	min.	Nomina locorum.	Menſes & dies.	Alt. merid. Gr.	min.
VIENNÆ	1696, Maji 10	59.	42	SEGEDINI.	1696, Jul. 4	66.	23
	15	60.	54		5	66.	27
	16	61.	6	IN CASTRIS.	13	65.	27
	1697, Febr. 7	26.	46		19	65.	26
	23	32.	21		2	65.	13
	28	34.	14		21	65.	0
	Martii 1	34.	36		22	64.	47
BAIÆ.	1696, Jun. 3	66.	18		25	64.	10
AD CONFLUX.	13	67.	42	SOLNOCI.	Aug. 10	58.	10
	14	67.	44		11	57.	48
	23	67.	10		12	57.	31
SEGEDINI.	24	67.	9	AGRIÆ.	13	57.	14
	25	67.	8		20	54.	11
	26	67.	4	BUDÆ.	21	53.	52
	27	67.	0		28	52.	0
	29	66.	54		29	51.	39

Situm ſatellitum Jovis & diſtantias eorundem a Jove, quas diverſis in locis iterum ac ſæpius obſervavit, & Schematiſmis etiam expreſſit Autor, itemque phaſes Lunares, quoad marginem potiſſimum, quo tunc creſcebat vel decreſcebat Luna, eleganter depictas, ne longi ſimus, prætereundas arbitramur. Obſervatio vero Mercurii Solem transeuntis, quam Viennæ, 1697, die 3 Novemb. ſt. n. mane, cœlo ſereno, habuit Illuſtr. Comes noſter, quamque jam alibi in peculiari deſcriptione latius expoſitam brevi ſaltim tabula hoc loco & ſchemate exhibet, omittenda non videtur. Ea eſt hujusmodi: TAB. III. Fig. 1.

cœlo pulcherrimo, ſpirante leniter Nothapeliote, *cap. Herc.* 58°, 33′; *cap. Oph.* 56, 35.


In *Caſtris*, prope *TITUL*, in angulo confluxus Danubii & Tibiſci citeriori poſitis, d. 18 Jul. cœlo ſereno, obſervata eſt altitudo merid. *capitis Herc.* 59°, 27′; *capitis Ophiuchi* 57°, 29. Die 20, aere ex heſterna pluvia impuritatis aliquid fovente, *cap. Herc.* 59°, 31′; *cap. Oph.* 57°, 32′; *manus Ophiuchi Auſtr.* (Bayero μ) 35°, 1′. Die 21, cœlo ſereniſſimo, *cap. Herc.* 59°, 27′; *cap. Oph.* 57°, 31′; *Serpentis caudæ penult.* (Bayero η) 41°, 46.

SOLNOCI, d. 9 Aug. cœlo ſereno, inventa fuit alt. mer. *Lucidæ in cauda aquilæ* 56°, 19. Die 10, nubibus undique diſperſis, alt. mer. ejusdem ſtellæ iterum fuit 56°, 19′. Die 11, nubibus poſt imbrem largiſſimum relictis, altitudo ejusdem ſtellæ denuo reperta fuit 56°, 19′; *Lucid. in ſcap. Aquilæ* 50°, 58′.

AGRIÆ ſive *Erlæ*, d. 18 Aug. cœlo nubiloſo, altitudo *ultimæ in cauda ſerp.* definita fuit 45°, 56′; *Lucid. in cauda Aquilæ* 55°, 28′; *ſtellæ in extremitate alæ aquilæ ſiniſtræ* (Bayero δ) 44°, 39′. Die 19, aere nubibus non plane vacuo, flante valide zephyro, *ult. in cauda ſerp.* 45°, 53′; *Lucid. in cauda aquilæ* 55°, 30′. Die 20, aere puro, *ult. in cauda ſerp.* 45°, 53′; *Lucid. in cauda aquilæ* 55°, 28′.

Ex collatione harum obſervationum, aſſumtis fixarum declinationibus ex Hevelio, ſupputavit Ill. Auctor *latitudinem* ſive *Elevationem Poli VIENNÆ* 48°, 14′; *BUDÆ* 47°, 29′; *BAJÆ* 46°, 10′; ad *CONFL. DANUB. & DRAV.* 45°, 36′; *SEGEDINI* 46°, 16′; in *Caſtris* 54°, 20′; *SOLNOCI* 47°, 9′; *AGRIÆ* 48°, 0′.

Obſer-


TAB. III. ad A. Danubii.
Fig: 2.
Semita Mercurii
Demirkapi siue Porta Ferrea, cataracta maxima
Millaria quorum 15 efficiunt gradum.
Babakaja rupes
Kolumbatz
Pont. Trajani Rudera

Obſervatas altitudines merid. Solis ſequens oſtendit Tabula:

Nomina locorum.	Menſes & dies.	Alt. merid. Gr.	min.	Nomina locorum.	Menſes & dies.	Alt. merid. Gr.	min.
VIENNÆ	1696, Maji 10	59.	42	SEGEDINI.	1696, Jul. 4	66.	23
	15	60.	54		5	66.	27
	16	61.	6	IN CASTRIS.	13	65.	27
	1697, Febr. 7	26.	46		19	65.	26
	23	32.	21		2	65.	13
	28	34.	14		21	65.	0
	Martii 1	34.	36		22	64.	47
BAIÆ.	1696, Jun. 3	66.	18		25	64.	10
AD CONFLUX.	13	67.	42	SOLNOCI.	Aug. 10	58.	10
	14	67.	44		11	57.	48
	23	67.	10		12	57.	31
SEGEDINI.	24	67.	9	AGRIÆ.	13	57.	14
	25	67.	8		20	54.	11
	26	67.	4	BUDÆ.	21	53.	52
	27	67.	0		28	52.	0
	29	66.	54		29	51.	39

Situm ſatellitum Jovis & diſtantias eorundem a Jove, quas diverſis in locis iterum ac ſæpius obſervavit, & Schematiſmis etiam expreſſit Autor, itemque phaſes Lunares, quoad marginem potiſſimum, quo tunc creſcebat vel decreſcebat Luna, eleganter depictas, ne longi ſimus, prætereundas arbitramur. Obſervatio vero Mercurii Solem tranſeuntis, quam Viennæ, 1697, die 3 Novemb. ſt. n. mane, cœlo ſereno, habuit Illuſtr. Comes noſter, quamque jam alibi in peculiari deſcriptione latius expoſitam brevi ſaltim tabula hoc loco & ſchemate exhibet, omittenda non videtur. Ea eſt hujusmodi: TAB. III. Fig. 1.

Series Obſervationum.	Altitudo Solis, ſubtracta refractione juxta Ricciolum. Gr.	Min.	Tempora ex altitudinibus ſupputata. Hor.	Min.	Sec.	Intervalla Temporum. Min. Sec.	Diſtantiæ ☿ a limbo ☉, in partibus, quarum radius eſt 10000.
1	8	49	8	12.	24	8–36	3070
2	9	58	8	21.	0	9–8	2625
3	11	11	8	30.	8	9–20	2300
4	12	23	8	39.	28	6–32	1850
5	13	11	8	46.	0	5–20	1550
6	13	50	8	51.	20	5–20	1350
7	14	26	8	56.	40	7–40	1100
8	15	22	9	4.	20	2–20	700
9	15	39	9	6.	40	12–16	550
10	17	0	9	18.	56		Exitus.

Igitur

ex conſequentia tabulæ:

	Hor.	Min.	Sec.
1 Mercurius ſuperatis vaporibus notanter in oculos incurrens in Sole morabatur, - - - - -	1.	6.	32
acto autem calculo ab ortu Solis, - -	2.	8.	53
2 Tota in diſco ſolari mora erat - -	4.	44.	26
3 Egreſſus vero totalis contingebat - -	9.	18.	56

Et quidem

4 Circa gradum peripheriæ 77, numerando a Nadir.

Memi-

Meminit quidem Ill. Autor, in præfatione huic Parti præmissa, tabulæ declinationum quatuor diversarum acuum magneticarum, in diversis locis observatarum, quam addere in fine hujus ipsius Partis voluisse videtur; sed ea deest. Neque etiam satis nobis constat, an inter observationes hactenus commemoratas illæ omnes comprehendantur, quas statim post jacturam Belgradi, A. 1690, se aggredi constituisse asserit, misso ea re exercitato in his studiis Juvene, *Jo. Mullero*, cum Quadrante Astronomico orichalceo (cujus radius erat 2¼ ped. Noric.) in loca varia insigniora, ut ibi fixarum altitudines meridianas dimetiretur. Sed nunc quidem ad *Partem tertiam*, sive *Hydrographicam*, nobis progrediendum est.

Hic primum locum occupat Mappa Potamographica, in qua fluvii ac fluvioli nominatiores fere omnes, qui in Monarchia Hungariæ ad Danubium, sive immediate sive mediate, confluunt, lacus item ac paludes, idea generali repræsentantur. In hac mappa, quatuor lineis rectis, a montibus australibus ad septentrionales transversim ductis, totidem respondent in sequenti tabula sectiones sive *Profila* integrarum regionum, quibus ostenditur, quanta depressione Danubius aliique insigniores quidam fluvii, respectu unius lineæ horizontalis terrarumque & montium circumjacentium, alveo suo decurrant. Addita etiam est tabula synoptica fluviorum, qui a monte Cætio ad Jantram fl. in Danubium illabuntur, cum provinciis & locis ostiorum atque originum, itemque magnitudine eorundem. Sequitur de alveo Danubii, de diversis ejus solis ac ripis, nec non de variis secundum latitudinem hujus & aliorum majorum fluminum sectionibus; porro de diversis horizontibus in superficie aquarum Danubii, de constitutione paludum Danubialium, harumque cum paludibus Tibisci subterranea communicatione; denique de variis motibus, incrementis, decrementis, vorticibus, qualitatibus & misturis aquarum Danubii, de fontibus ad metallifodinas, & iis quæ sulphureo-venenatæ creduntur, deque aquis thermalibus & balneorum circa Budam. Exempli gratia hoc loco tabulam exhibemus, varias declivitates superficiei Danubii, inter oppidum *Columbaz* & *Banul* Inf. repræsentantem, ac duabus potissimum constantem partibus; TAB. III.

tibus; quarum altera, five superior, ostendit, quomodo aqua a tribus cataractis sustentata & de iisdem præcipitata, in majorem semper, respectu lineæ horizontalis A A, declivitatem delabatur; altera, five inferior, ipsum Danubium, cum flexibus ejus naturalibus, & claudentes ac coarctantes eum montes; lineæ vero B B B, cataractarum in Danubio loca demonstrant. Ubi notandum, hanc nostram tabulam ex pluribus tabulis Illustr. Autoris contractam esse, scilicet ut uno obtutu aspici possint, quæ circa hæc Danubii loca imprimis notatu digna videntur.

TAB. III. Fig. 2. Exprimendam etiam curavimus, in adjecta figura secunda, sectionem aliquam Danubii, tempore depressionis aquarum, ut constitutio paludum intelligi exinde queat. In hac figura litterarum adjectarum sequens est explicatio:

A. Horizon Danubii in magna excrescentia.

B. Elevatio ambarum riparum, nempe unius penes vivum decursus fluminis, alterius habentis paludem quæ eam separat a Danubio.

C. Altitudo aquarum Danubii, tempore ipsarum depressionis.

D. Arundines palustres in solo, quod primum exsiccatur.

E. Foramina cancrorum. F. Terra nigra fœtida.

G. Terra cretacea mollis, per quam transeunt aquæ ad Danubium, per lacrimationes &

H. Canales, dictos *Foch*.

I. Notandum est pari modo eas lacrimationes fieri per planities, ad replendas paludes in iis existentes.

L. Terra cœrulea humida, per quam transit alter

M. Canalis major, qui defluit a lacu N.

Si aqua Danubii decresceret plus quam sit altitudo C, denuo alter canalis *Foch* fieret, & sic usque ad finem profunditatis lacus, magnaque copia piscium periret, cum universali aeris infectione. Ceterum hujusmodi paludes, quippe satis amplæ, profundæ & frequentes, in causa sunt, tum ut illuvies Danubii in provinciis inferioribus non statim persentisci queant, (replendæ enim antea sunt paludes;) tum ut amnis iste non adeo subitum aquarum decrementum patiatur, deficientibus nivibus ac pluviis; restituunt enim, quod abstulerant aquarum, paludes.

Jam

Jam quod attinet ad velocitatem Danubii, ea variis locis, in ſuperficie, in medio, & prope fundum, examinata eſt, idque ope quadrantis, in extremitate navis collocati & aquæ imminentis, ex cujus centro funem cum bolide demiſſum a vario undarum impetu varie propelli atque inclinari neceſſe fuit. Deprehenſum autem eſt hac ratione, tam quoad profunditatem, *undas, quo viciniores ſint fundo, eo agi velocius*, quam quoad diverſas ſtationes (quibus, eadem fluminis latitudine, eædem obſervationes repetitæ ſunt) *aquas, quo litoribus ſint propiores, eo tardiori motu, citatiſſimo autem in media fluminis latitudine, defluere:* id quod clarius patet ex ipſis tabulis harum obſervationum, quæ in *Tomo ſexto* reperiuntur.

Ex iis, quæ circa incrementum & decrementum Danubii experiri licuit, concludit Autor, *fontes ordinarium quoddam alimentum, ſive per circulationes Oceani, ſive aliunde per vias ſubterraneas, de grandi illa maſſa elementi aquæ habere, illasque reſervationes nivium ac pluviarum, quæ per occultos meatus inter ſaxa montium decurrant, alimentum illud augere potius quam dare.*

Et hactenus de *primo Tomo* magni hujus operis. *Altero* de Antiquitatibus Romanorum, in Pannonia, Dacia, Miſia, & imprimis ad ripas Danubii, ſatis frequentibus copioſe atque eruditiſſime tractatur. Harum Antiquitatum pleræque, judicio Illuſtr. Autoris noſtri, de Romanorum olim prudentia, tam in debellandis hoſtibus, & imperii ſui limitibus proferendis, quam his ipſis, circumſpecta admodum & ſollicita muniminum diſpoſitione, contra illos defendendis, clariſſime teſtantur. *Is*, inquit, *cui militiæ artibus inſtructo de his judicium ferre fas eſt, haud fieri poteſt quin hæc videns demiretur ſummopere. Nec aſſerere refugiam, Cæſareos exercitus in iis habere quod addiſcant, quod imitentur. Nec enim in hac parte Antiquitatem ita rudem ac ſimplicem exiſtimemus, quin utplurimum non modo ad eum, ad quem ſeculi noſtri prudentia extollitur, apicem pervenerit, ſed etiam frequenter altius aſſurrexerit, & huic quodammodo facem prætulerit. Propria id nos docuit experientia, quandoquidem haud raro evenit, ut curæ noſtræ faciendum aliquid ex-*

truendumque commissum fuerit, quod idem a Romanis olim fuisse præstitum, fidem vestigia faciebant. Hæc Noster; qui deinceps, ut anquitates illas recte a se Romanis adscribi doceat, id partim ex adjunctis inscriptionibus, partim ex conditis in illis locis numismatibus Romanis, ex ipso etiam ordine & constructione operum, aliisque argumentis demonstrat. Divisus autem est hic *Tomus* in *Partes duas;* quarum altera Antiquitates militares, altera miscellaneas complectitur. In priori Fortalitia, Valla, Aggeres, Castrametationes, & alia quæ huc referri possunt; in posteriori Inscriptiones, monumenta, ornamenta, lateres hieroglyphicis inscriptos, Metas, Scapos columnarum, & horum similia, reperire licet. Priorem partem ita rursus divisit Illustr. Autor, ut primo, ad modum itinerarii, ea commemoret, quæ ad utramque ripam Danubii existunt, ipsique proxime adjacent; deinde mediterranea, quæ in continenti longius distant, tum cis Danubium tum etiam ultra. Inter hæc primas merentur, agger ille altissimus longissimusque, qui a Danubio ad Tibiscum ultra sex milliaria integra excurrens, angulum ab utriusque fluminis confluxu factum includit, *die Rœmer - Schantz* a militibus Cæsareis vulgo appellatus; & celeberrimæ Trajani pontis ruinæ, quæ secundum omnes circumstantias depictæ, & luculenta descriptione illustratæ exhibentur; nec non vestigia pontis lignei, a Constantino, multa milliaria infra pontem Trajani, constructi. Ultimum inter has antiquitates locum occupant diversa genera viarum, per descriptas provincias olim stratarum; de quibus, tum quod ad formam, tum etiam quod ad materiam pertinet, erudite ab Illustr. Autore differitur.

Pergimus ad *Tomum tertium Mineralogicum*, qui *octo Partes* habet. In *prima* de arenis, maxime Danubialibus, quæ partim pro limatura lapidum, partim etiam pro petrificationis quibusdam inchoamentis habentur, de variis earum generibus, de magnitudine cum naturali tum per microscopium visa, de figura, colore, sapore, & proportione ad commixtum lutum; deinde de ipsis quoque lapidibus, tam nobilioribus & quasi pretiosis, quam minus nobilibus atque arenosis, in hoc fluvio & prope illum obviis, deque eorum forma, duritie, & anatomia, exponitur.

tur. In *altera* tabulæ mineralographicæ ac metallographicæ, fodinas fere omnes Hungariæ, variasque earum sectiones luculentissime exhibentes, cum succinctis descriptionibus afferuntur. *Pars tertia* de organica montium structura, de cortice terreo, superpositis stratis, interstitiisque cum glutine illo humido atque arenoso, (dicto *Klufft*) nec non de venis & lineis metallicis, harumque rerum situ & figura tractat. *Pars quarta*, quæ est de mineralibus mediis, tribus sectionibus absolvitur. Harum una de sale fossili communi agit; ubi sub finem annexa est descriptio aquæ salsæ amaræ, quæ scaturit in Transilvania, ad pedes collium vitibus refertorum. Neque vero salsedo & amaritudo hujus aquæ tantum affert admirationis, quantum alia ejus proprietas, ardendi, igne admoto. Hi mirabiles fontes sunt in sede Saxona, aut districtu *Megyes*, inter utrumque fluvium *Cocul* majorem & minorem. Distant 1½ hora a territorio *Bastra*, suntque principium rivuli fluentis per vallem. Solum collium & vallium vitibus & frumentis fertile; collibus textura de marmore, nec sine Gypso: aqua nuncupatur a Saxonibus *Saltz-Wasser*, a Wallachis *aqua ardens*. Fons constat duobus receptaculis, majore & minore, per quæ exit aqua, quæ cursu 400 passuum immiscetur duobus aliis rivulis, qui scaturiunt a vivo silice. Receptaculum majus habet diametrum palmorum 3½, & sua majori profunditate 6 palmos æquat: minus & diametro & profunditate palmos 1½ æquat. Minori unum, majori duo sunt orificia, per quæ sine interruptione fit ebullitio, quæ perpendiculariter a fundo ad superficiem, cum stridore ascendit. Aqua limpida & tactu frigida est, sed nihil obstante universali gelu non erat conglaciata per tota receptacula, sed confluens deinde in rivulum succubuit vi glaciei. Dimidia hujus aquæ amphora, post evaporationem, in fundo vasis deposuit sal crassum amarum, quod projectum in accensos carbones nequaquam arsit. Affuso spiritu vitrioli nihil fermentationis observatum; per oleum Tartari vero exigua quædam detecta fuit conturbatio in aqua, unde orta est præcipitatio coloris albi: ex quo colligere licuit, acido potius quam alcalico accedere. Parvam facem e palea composuit Illustr. Comes noster, qua accensa & superficiei fontis

imposita, post aliquot momenta plures elevatæ fuerunt flammæ, æquantes longitudine digitum & crepitantes ad instar pulveris projecti in accensos carbones: post 4 aut 5 alias vibrationes evanuerunt & paullo post in conspectum rediere. In minori receptaculo experimentum promtius & facilius fuit, dum fax aquæ admota, atque etiam palmo uno cum dimidio distans, in causa fuit, ut surgerent descriptæ flammæ, quæ spatio 60 pulsus vibrationum perstiterunt, & admota rursus face pariter assurrexerunt. Experimenta hæc molitus fuit Autor mense Januario, magno frigore & multa nive rigente; qui cum tractaret facem paleæ, decideretque forte in terram modica palea accensa, continuo flamma surrexit & elevata fuit ultra digitum unum cum dimidio, perstititque 120 vibrationibus. Quo loco, remota diligenter nive, novum perexiguum in solo receptaculum detectum est. Quod cum ad latitudinem duarum unciarum per quadratum esset productum, ita ut aqua cum impetu ebulliens atque effluens appareret, tum igne rursus admoto, flamma quidem exorta, sed non diutius quam 40 vibrationibus perstitit. Quo experimento intellectum est, latitudinem receptaculi contrariam esse vi flammæ. Ceterum aqua, tempore descriptarum flammarum, nec augetur nec imminuitur, nec mutat naturalem frigoris gradum, nec colorem; nisi quod interdum spuma prope effluxum observata fuit, præsertim in majori receptaculo, cum ignis admoveretur. Flamma in aqua coloris est similis colori paleæ, & naturæ consistentis, quandoquidem & ipsa accendit alia corpora, quæ ei admoventur. Denique aqua extracta e suo receptaculo confestim ardendi virtute destituitur. Descriptionem fontis non dissimilis, in Polonia reperti, vide in Actis nostris A. 1684 Mens. Jul. p. 326. Sectio altera *Partis* hujus *quartæ* de corporibus agit petrefactis; atque imprimis de radicibus arborum prope ripas fluminis *Unnæ* in Croatia; quas radices crusta lapidea, ex granulis constante nonnihil mollibus, albis ac friabilibus, obductas ferme omnes, quin & ipsas arbores penitus aridas, fractisque earum nonnullis, substantiam ligneam absumtam notavit Autor, relicto duntaxat pulvere in tubulis petrificatis: id quod ex eo fieri arbitratur, quod undæ hujus fluminis, quantumvis aspectu limpi-

limpidæ, multas minutiores arenulas, a ſaxis molliotibus, per quæ fluant, abraſas, ad arbores illas earumque radices & poros continuo deferre conſueverint. Omiſſa ſectione tertia de vitriolo, ad *quintam* hujus Tomi *Partem* progredimur, quæ rurſus in Sectiones quatuor diviſa eſt. In prima tractatur de lapidibus minus pretioſis majoribus mollibusque, Gypſo, Amiantho, Talco; in altera de minoribus ac duris, Magnete, lapide Lazuli, Aetite, Saponario; in tertia de lapide pretioſo majore, Cryſtallo, qui nihil eſſe aliud docetur, quam ramificatio ſeu propagatio duriſſimi ſilicis *Quartz*, cujus puriores ac tenuiores partes, ubi interius in ipſo ſilice aliquid vacui ſortitæ ſint, ibi tanquam in proprio nido concreſcere, atque adeo in anguloſas illas & acuminatas cryſtallos ſeſe explicare ſoleant, ſicut in adjecto ſchemate oſtenſum eſt, TAB. III. ubi AAA exteriorem rudioremque ſilicis corticem deſignat, Fig. 3. BBB interiorem ac magis candicantem, intra quem dum vacuum, ſive ſpatium aliquod CCC nanciſcitur ſilex, ibi vegetat cryſtallus, in anguloſos apices DDD deſinens, quam comitantur nonnunquam & ambiunt, tanquam tenerioris muſci filamenta, fibræ purioris argenti EEE. In *quarta* denique ſectione de lapidibus pretioſis minoribus, ſive gemmis, de Granato, Hyacintho, Turcoide, Opalo, diſſerit Illuſtr. Autor; quos quidem lapides, perinde ut cryſtallos, ex ſilice *Quartz* oriri, atque inde aquarum alluvionibus, vel etiam aliter divelli, coloribus autem diverſis ab halitibus cinnabaris, vitrioli, & forſan auripigmenti, imbui exiſtimat. *Pars ſexta* ſectiones habet duas: quarum altera eſt de metallis veris atque perfectis, auro & argento; altera de imperfectis, ære ſive cupro & ferro. Aurum non modo in fodinis, ſed & extra eas in fluminibus inter arenas, & annulorum ſpecie circa arbuſta & culmos triticeos, imo in acinis uvarum aliquando reperitur. De cupro notabile eſt, quod ferrum in illud transmutari videtur, ope aquæ, a magiſtris fodinarum *Ciment* nuncupatæ. Scaturit hæc aqua a certis fontibus, originem & curſum per cuprifodinas *Gerrn-Grund* vel *Neuſol* habentibus. Purum ineſt vitriolum, ex quo alias notum, totam fere ſuam ſubſtantiam trahere cuprum. Colligi in fodinis aqua illa magno ſtudio in receptacula quædam aſſervatoria ſolet, non alio fine, niſi ut laminæ fer-

reæ ipsis immersæ haud quidem patiantur ridendam illam vulgo creditam transmutationem unius metalli in alterum, puta ferri in cuprum, sed ut ferri saltim auxilio (quod est cupri veluti magnes) habeatur segregatio particularum cuprearum, una cum aquis defluentium, & quæ facile ibi cum ferro societatem ineunt ipsique affiguntur. Porro in hac naturæ operatione sequentia observavit Illustr. Autor: laminæ ferreæ rubra aut lutea pellicula operiuntur, quæ 3, 4, vel etiam plurium hebdomadum spatio consolidatur, constans granulis subrotundis, & figuram illius ferri quod investit assumens; idcirco solent identidem artifices ferrum figuratum illi aquæ immergere ad curiosorum oblectamentum. Perfecta dicti corticis consolidatio non fit, donec ferrum fuerit penitus consumtum; etenim aqua ista, instar aquæ regiæ, permeat ferri fibras, & ferrum penitus solvit: qua fermentatione seu solutione durante, incassum solida coagulatio expectatur: durat vero ea longius vel brevius, juxta majorem minoremve ferri dissolvendi crassitiem; nec lamina crassitiem unius digiti æquans minus quam 6 vel 8 hebdomadas requirit. Porro observatum est, tacta illa cuticula, cum adhuc ferrum cum aquis istis fermentesceret, eam statim dissiluisse, instar pulveris dispersam, totumque opus perturbatum fuisse. Affuso fluido alcalico suborta fermentatio in aqua; qua durante, quædam frustula concreverunt, & se ad fundum præcipitarunt: verum aqua ipsa, post demissum sedimentum, alba evasit, cujus etiam moles plus aut minus intumescebat, prout plus vel minus aciditatis sortiebatur. Denique nec artificialem hujus humoris compositionem pertentare intermisit Illustr. Comes. Aquam quippe simplicem in vase vitreo cum ferro sociavit, & cum vitriolo e fodinis extracto, ubi aqua *cimenti* defluit: quo facto observavit, floccos seu metallicam lanuginem ferro adhæsisse, quoad analogiam atque effectus omnes antea expressos similem. Aquarum hujusce generis copia fluit etiam intra viscera fodinarum *Deselmnitz*, in Sepusiensi Comitatu, quæ ferro affusæ similiter particulas cupreas deponunt: imo ibi major aquarum ubertas, viribus tamen minus potentium: id quod Autor tribuit negligentiæ tegendi locum illum, ubi est receptaculum asservatorium pro ferro immergendo, quandoquidem spi-

spirituosiores Vitrioli particulæ aquis immistæ, uberius ac facilius evolant. Hinc quod in Newsoll tribus quatuorve hebdomadis, id hic loci non nisi trimestri spatio perficitur. De cetero nec istud prætermittendum, quod, ubi ferri aliqua pars non fuerit aquis illis obtecta, tunc cortex puri vitrioli, albi coloris, eam superius involvere observatur, quia scilicet tenuissimi ac defæcatiores halitus vitriolici copiose per ambientem aerem eo loco disseminati, dum in partem ferri aquis non obtectam impingunt, facile illi adhærent, & simul in formam crustæ colliguntur.

Pars septima hujus Tomi de metallis agit improprie sic dictis sive spuriis, de Bismuto seu Marchasita argentea, Antimonio, & Minio seu Cinnabari nativa; de Mercurio item & plumbo, quod quidem in Hungaria invenitur, sed propter mineræ paupertatem non effoditur. *Parte* denique *postrema* de seminio ac generatione metallorum ad hunc fere modum philosophatur Excellentissimus Comes Marsili: Halitus, inquit, seu metallici spiritus, in montibus non tam facile perviis irretiti sistuntur, in metallum progressu temporis coagulandi; quod fit auxiliante humore, argillosæ terræ insito, & magna ex parte communicato a pluviis, nec non ab aere vaporoso, poros terræ *Klufft* jugiter subeunte: quo sane humore, ope hujusmodi terræ aliquatenus præparato, indeque in lapides montium, retinentes metallicum spiritum, se insinuante, tandem halitus ac spiritus illi ita digeruntur atque coagulantur, ut metallum ipsum resultet. Et paullo post, quod vero halitus, inquit, seu metallicus spiritus in metallum denique digeratur, hoc valde comprobat aurum, metallorum omnium purissimum; siquidem hoc vel in puncta seu granula, vel in strata, ibi solum ordinaria naturæ lege coagulari cernimus, ubi durissimus habitat lapis, metallorum fossoribus *Quarz* appellatus; quoniam insignis volatilitas partium tenuissimarum, ad compagem auri necessariarum, satis retineri ac densari non potuisset, nisi densissimo hujusmodi silice terram istam, *Klufft* dictam, circumambiente, & ita spiritui metallico apta vincula injiciente. Confirmationem dictis suggerit mons Juniperinus, prope civitatem *Alt-Sol*, ubi aurum non intra montem, sed supra terram, circa triticeos culmos atque arbusta interdum coagulatur in crassiuscula

fila-

filamenta, spiralis aut parum absimilis figuræ; idque ob defectum, (ut Autor judicat) duriorum lapidum montem ipsum componentium, cum mons tantummodo lapidibus constet arenosis maximeque porosis, quemadmodum discere licuit ex fodina ab incolis aperta, spe inveniendi ingentes auri thesauros, qui radix essent aureorum corpusculorum supra terram se elevantium; veruntamen spe infeliciter frustrati non nisi purum vitriolum cum ferri frustulis ac talco invenerunt. Ceterum verisimile putat Vir illustrissimus, in ipso aere, superficiem hujus montis ambiente, licet nullum ibi sit Quarz, spiritus metallicos sistens, latere tamen aliquid, quod idem efficere valeat. Id autem quale sit, aliis inquirendum relinquit.

Nunc ad *quartum & quintum Tomum* hujus operis progrediendum esset, ubi pisces atque aves, in aquis Danubii, & circa eas, viventes sistuntur. Sed ne longi simus, lectores qui his rebus delectantur, ad ipsum incomparabilem Autorem ablegare, statimque ad *postremum Tomum* accedere constituimus. Comprehenduntur eo observationes miscellaneæ, quæ partim circa priora magis illustranda, partim etiam circa res plane novas versantur; quarum singulas si fusius tractasset Excellentissimus Comes noster, quod ipse quidem tot curis negotiisque vetantibus facere non potuit, compluribus adhuc Tomis augendum opus fuisset. Et primo quidem loco de veris Danubii fontibus disquirit, quos perperam vulgo in *Doneschinga* arce, paullo infra *Villingen*, assignari docet; quippe multo altius, prope *Brukelrein*, in summitate montis *Abnobæ*, nunc *Schvvartz-Wald* dicti, a se ipso repertos. Ceterum præter tabulas, quibus hanc rem luculenter ante oculos ponit, etiam aliam adjecit mappam, qua *Æni* fluminis origo, simul cum duplici illa Danubii origine (falsa scilicet seu Doneschingiana, & vera) exhibetur, ut ex utriusque comparatione cuilibet proclive sit judicare, *annon forte Ænus, qui satis longum decursus sui spatium emensus, tandem Danubio, æquali circiter cum hoc aquarum copia auctus, miscetur, fontes vero multo altiores habet* (nempe in excelso illo Helvetiæ monte *Septimo*) *jure magis naturali pro ipso Danubio reputari possit*; ut adeo summitas montium totius Europæ maxima, omnes etiam

maxi-

maximos Europæ fluvios emitteret. Sequuntur Observationes quædam Anatomicæ, in Aquila potissimum, Onocrotalo, Husone & Lutra factæ, tabulisque æneis accurate atque elegantissime expressæ. Porro experimenta afferuntur, quibus velocitas Danubii ad pontem Petrowaradini, itemque velocitas Tibisci ad pagum *Sabbia* atque ad pontem *Betz*, ope Quadrantis, de quo supra dictum, explorata fuit. In majori profunditate Danubii, quæ loco commemorato 7 orgyas æquavit, deprehensa est velocitas superior 12, media 26, inferior 30 graduum; unde colligitur, tanti fluminis velocitatem paullo minus triplo majorem esse in inferiori quam superiori parte. In Tibisco, ad pontem *Betz*, ubi major profunditas sex orgyas æquavit, velocitas inferior superiorem sexies superare inventa est. Posthæc de varietate aquarum fluentium, stagnantium, putealium, mineralium, glacialium, pluvialium, thermalium, quæ multoties Danubio immiscentur, ea ratione agit Illustr. Autor noster, ut primo quidem experimenta ipsa compluribus tabulis exhibeat, ac deinde annotationes quasdam & conclusiones subnectat. In tabulis experimentorum, præter loca & tempora habitarum observationum, colores, sapores, odores, fermentationes, mutationesque post decoctionem, evaporationem ac destillationem, itemque pondera istarum aquarum quam curiosissime definit. Ex observationibus circa aquas fluviatiles factas colligit:

1. Nullam esse pejorem aqua Tibisci circa Segedinum, in ripa Septentrionali, utpote quæ odorem valde terreum reddebat, & saporem virosum, obscurique erat coloris: contra nullam meliorem esse aqua fluminis Marusii, circa *Makort*, in ripa quoque Septentrionali, utpote coloris clari columbini, nullius odoris, saporis optimi:

2. Advertit, aquas ripæ Septentrionalis (excepta illa Marusii circa *Makort*) esse impuriores ac deteriores meridionalibus. Meridionales autem & septentrionales nuncupantur aquæ fluviorum, respectu Danubii.

3. Annotat, nullas aquarum illarum, tam ripæ meridionalis quam Borealis fermentationem fecisse, affuso ipsis vel Alkali Tartari vel Acido Vitrioli, exceptis solum aquis ipsius Danubii circa

Viennam & Briam; quarum illa, ſaporis pinguiter amari, cum acido vitrioli viſa eſt excitare parvulos globulos, hæc, ſaporis itidem pinguiter amari & terrei, cum Alkali Tartari excitavit quid ſimile albidæ nubi.

4. Obſervat, nullum dictarum aquarum ſedimentum, evaporato humore, paſſum eſſe accenſionem, ob inopiam fortaſſe particularum ſulphurearum, vel quia hæ nimis a terreſtribus obrutæ.

Ex præmiſſis circa aquas puteales experimentis concludit:

1. Eas, utpote omnes coloris clari, nullius odoris, ſaporis vero dulcis, longe meliores eſſe ac defæcatiores, quam vel aquas fluviatiles vel ſtagnantes ad ripas Danubii.

2. Obſervat, nullam iſtarum aquarum, affuſo acido vitrioli, paſſam fuiſſe fermentationem ſenſibilem, at vero omnes, affuſo Alkali Tartari, excitaſſe nubeculas albas, ad fundum deſcendentes, quod indicare videtur, particulas ſalium acidorum teneriores, ſeu ſpirituum hujus generis, deliteſcentes in ipſis.

3. Annotat, ſedimentum hujusmodi aquarum, poſt evaporationem, nullam ſenſibilem flammam concipere, at fumare tamen, ſtridere, & pinguedinem ex ſe præbere. Quoad ſaporem vero, tametſi aqua putei ad Arborem viridem Budæ ſit dulciſſima, & dulcis etiam ad molendinum Bajæ, nihilominus prioris ſedimentum ſaporem habet valde nitroſum, poſterioris autem ſapor quoque nitroſus eſt, ſed non adeo intenſus.

Ex obſervationibus circa aquam nivalem, ad ripas Danubii habitis, colligit:

1. Eam habere ſaporem acrem, linguam mordicantem (ſedimento erat ſapor cinerum) forſan a particulis nitro-ſalinis excitatum, quæ prius coagulationem nivis genuerunt.

2. Tam ipſam aquam, quam ejus ſedimentum odorem nullum præbere; quod refundi poſſit in particularum ſulphurearum defectum; quamvis ſedimentum ſuſciperet accenſionem ſine fumo, forſan quia non niſi particulas ſalino-nitroſas ſuggerebat.

3. Aquam illam, affuſo ſive Alkali Tartari, ſive Acido Vitrioli, nullam excitaſſe fermentationem.

Circa aquam glacialem Danubii obſervat, eam in multis quidem

dem convenire cum aqua nivali, ceterum discrepare tum sapore, qui in aqua glaciali terreus Alkalicus vel amaricans fuit, tum quoad sedimentum, quod tentata accensione fumum ex se statim dedit, odoremque vini habuit. Porro ut aqua nivalis levior aqua pluvia, sic glacialis levior aquis omnibus reperta est.

Post observationes hactenus commemoratas sequitur catalogus satis copiosus plantarum, quæ circa Danubium, in nemoribus, insulis, collibus, aliisque finitimis locis sponte proveniunt, quasque, pro temporum ac graviorum munerum conditione, observare potuit Illustr. noster Marsilius. Hunc catalogum excipit brevis tractatio de Quadrupedibus ad ripas Danubii. Proximæ sunt observationes habitæ cum Barometris & Thermometris. Ubi primo quidem tabulæ exhibentur, quæ qualitatum aeris variationes, a mense Decembr. 1696 ad Augustum 1697, quam luculentissime repræsentant; ac deinde annotationes quædam subjiciuntur, minime profecto negligendæ: exempli causa, quod Mercurius in barometro meridionali, tota hyeme, & magna veris parte, nempe a mense Decemb. ad d. 8 Maji, semper altior, contra sub finem veris, & æstatis progressu, semper depressior fuit, quam in barometro septentrionali; quod, non quidem semper, at sæpius tamen accidit, ut Mercurius in uno atque eodem barometro plures attingeret gradus ante, quam post meridiem; quod identidem evenit, ut, crescentibus ante meridiem, & decrescentibus post meridiem graduum particulis, in barometro meridionali, eodem die in barometro septentrionali, plane contrario modo, particulæ istæ ante meridiem decrescerent, & crescerent post meridiem; quod barometrum singulis diebus, licet inter se aeris conditione similibus, hoc est, quibus singulis Sol splendebat, vel cœlum erat nubilum, vel ningebat &c. quod, inquam, barometrum, diebus illis similibus, similem altitudinem graduum minime servavit; quod interdum cœlo sereno altitudo barometri major fuit quam nubilō, & cadente nive, interdum plane contra; quod cum frigore intensissimo ac remisso non semper conjuncta fuit diversa altitudo Mercurii in barometro; quod in Thermometro orientali altitudo graduum semper major fuit quam in occidentali, habita in utroque eadem hora observatione; quod in thermometro meridio-

ridionali, a die 23 Jan. ad diem 23 Martii, constanter altitudo graduum major observata fuit quam in septentrionali, cum postea contrarium usu veniret, atque altitudo illa major reperiretur in thermometro septentrionali quam meridionali; quod frigus intensissimum nec pendere a peculiari vento, nec absolute ab ullo vento compertum est, quanquam flante Africo fere semper in aere aut nullum frigus aut exiguum fuit; quod neque serenitas aut nubes, nec calor ipse in aere ambiente connexionem servavit cum particulari vento, imo nec absolute cum vento; ut alias hujus generis annotationes nunc prætereamus.

Sed & judicium nonnunquam suum interponit Excellentissimus Autor noster, de causis observationum commemoratarum. Verbi gratia, de contraria excessuum altitudinis permutatione in Barometro meridionali ac septentrionali, ad hunc modum sententiam suam exponit: Cuinam causæ, inquit, sit tribuenda ista mutatio, mihi non videtur tam promtum statuere, nisi forsan variationi ortus Solis, in diurnis circumlationibus, quæ scilicet hyeme & post veris initia fiunt propius plagam meridionalem; unde hæc magis forsan a Sole alteratur, tuncque major est altitudo in Barometro meridionali, respectu septentrionalis; at vero appropinquante veris fine, & succedente æstivo tempore, tunc Solis exortus, diurna circulatione, fiunt magis prope plagam Borealem; unde hæc magis forsan a Sole alteratur, tuncque major evadit altitudo in septentrionali Barometro, respectu Meridionalis. Veruntamen admodum hæsitanter sint dicta; oportet enim animadvertere, an cetera bene consentiant.

Postremus in egregio hoc opere locus tributus est insectis; quorum alia sunt terrestria, quæ ad ripas Danubii & Tibisci reperiuntur, alia circa aquas vagantia, alia denique in ipsis aquis degentia. Horum omnium variæ species oculis exhibentur; nonnulla etiam, prout per microscopia apparuerunt, sunt delineata. Atque ex his universis satis superque constare arbitramur, quanta industria, eruditione, atque ingenio, quanto etiam ad posteritatem fructu, Illustriss. Autor res propositas pertractaverit.

Schau-

Schau-Platz der Brücken und Brücken-Baues &c.

hoc est,

THEATRUM PONTIFICIALE, AUTORE JACOBO LEUPOLDO, Mathematico & Mechanico, Consiliario Pot. Regis Poloniar. & Elector. Saxon. diversarum Societatum Regiarum Membro.

Lipsiæ, sumtibus Autoris, 1726, fol.
Alph. 1 pl. 21 Tabb. æn. 57.

AUtor industrius & ingeniosus, qui initio hujus anni diem supremum obiit, antequam opus cœptum absolvere potuit, in præsenti Tomo Theatri machinarum, quem *Theatri pontificialis* nomine insignivit, consueta industria collegit, quicquid de pontibus eorumque structura reperire licuit. Postquam igitur institutum suum aperuit & pontes in sua genera divisit, hæc vero C. 1.
denuo in suas species subdivisit; varios exponit modos flumina trajiciendi. Occurrunt hic inter alia *Francisci Kœsleri* hydraspis C. 2.
una cum cingulo & caligis aquaticis; campana urinatoria, cujus ex *Lorini* Architectura militari figuram duplicem, ex *Georgii Sinclari* autem Arte magna & nova gravitatis & levitatis figuram emendatam describit, non neglecto *Sturmii* experimento in ipsius Collegio curioso, factaque mentione eorum, quæ *Nicolaus Wisten* in opere Belgico de Architectura navali & celeberrimus *Hallejus* in peculiari tractatu Anglico de arte sub aquis vivendi, eam in rem moliti sunt; duo genera cingulorum, lorica, ocreæ, lectus & alia machinamenta in eandem usum excogitata. Describit quoque Autor inventum *Borelli*, de quo diximus in his Actis A. 1683 p. 75, & quæ in iisdem p. 553 *Jacobus Bernoulli* eidem opposuit, fideliter recenset; modum, quo utuntur piscatores in Brasilia ad flumen trajiciendum, ex *Frezierii* Itinerario; inventum recentissimum, quod potentissimo Regi nostro obtulit artifex quidam, facto apud nos A. 1724 d. 28 Jan. experimento, cui ipse Autor interfuit, atque *Wagenseilii* hydraspidem ex Actis A. 1691 p. 40 & seq. Digreditur inde ad structuram pontium & C. 4.

C. 4. generalia quædam præmittit Architecto observanda: & mox specialiora tradit, veluti de distantia pilarum & altitudine arcuum in pontibus lapideis, de distantia palorum in ligneis atque de anteridibus.
C. 5. Exponit artificia ad eludendum impetum aquarum excogitata, ubi, ut & in sequentibus, duce utitur *Gautierio* in opere
C. 6. & seqq. Gallico de pontibus. Eidem accepta referenda sunt, quæ de aquis ex flumine aliorsum deducendis, ubi pons condi debet, de lignorum usu, qualitatibus, mensuris; & de aliis in struendis pontibus necessariis in medium profert, quamvis hinc inde quædam interspergat aliunde hausta. Generalibus absolutis, ad singula ponti-
C. 13 & seqq. um genera pergit, nec hic Ducem suum deserit. Primo igitur loco sistit pontes ligneos, ubi pensiles quoque delineat, omnium sane artificiosissimas. Pontium ligneorum pensilium genera viginti duo describit passim vel extructa, vel apud autores obvia.
C. 17 & sqq. Similiter postquam regulas quasdam architectonicas de structura pontium lapideorum proposuit, eorum octodecim genera delineat, sive ipso opere extructa, sive apud Autores, qui de Archite-
C. 19. ctura civili argumenta particularia attingunt, obvia. Accidit sæpissime, ut pontes ab aquis, imprimis autem a glacie damnum patiantur: quamobrem Noster ex *Gautierio* atque *Furtenbachio* docet, quomodo reparatio fieri in isto casu debeat, sive pontes li-
C. 20 & sqq. gnei fuerint, sive lapidei. Accedit ab hisce ad pontes sublicios, quales communiter portis urbium præstrui solent, & his ductarios jungit una cum iis, qui navibus imponuntur, & quorum in bello
C. 23. usus esse solet, ubi plurima inventa describuntur. Agmen denique claudunt inventa quædam de pontibus singularia, quæ aliis locis commode inserere non licuit. Comparet hic *Gærtneri*, nuper quoque rebus humanis exemti, pons pensilis ad 400 pedum intervallum extendendus, una cum aliis nonnullis ejusdem artificis inventis agnatis. Et ex *Fischeri* opere augusto architectonico, de quo diximus in Actis A. 1723 p. 326, repetitur pons Sinarum ex catenis structus.

DAVIDIS GREGORII M.D. ASTRONOMIÆ Professoris Saviliani Oxoniæ & Regalis Societatis Londinensis sodalis, Astronomiæ Physicæ & Geometricæ Elementa.

Secun-

Secunda editio revisa & correcta. Accesserunt præfatio Editoris; Cometographia Hallejana in modum Appendicis; brevis ad calcem Horologiorum Scioterocorum tractatus, & duplex Index, primus Sectionum & Propositionum, alter rerum & verborum copiosus.

Tomi II.

Genevæ, apud Marc. Mich. Bousquet & Socios, 1726, 4. chart. maj.

Alph. 5 pl. 16 Tabb. æn. 47.

CUm opus præclarum primam lucem in Anglia adspexisset, de eo fuse diximus in Actis A. 1703 p. 452 & seqq. Rarissimum cum esset, extra Britanniam præsertim, *Bousquetus*, bibliopola Genevensis, de rerum Astronomicarum cultoribus bene meriturus cum Sociis, novam ejus dedit editionem. Inscripsit eam Serenissimo Principi *Ludovico* Aurelianensium Duci, cujus imago æri nitide incisa operi præfigitur, & in Dedic. fatetur, quod eam Germanis imprimis destinaverit, apud quos studia Matheseos acrius vigeant, quam ubicunque terrarum. Cl. Editor, cujus opera usus *Bousquetus*, nomen suum post præfationem profitetur: est nimirum C. *Huartus*, qui Mathesin & Philosophiam colit. Secutus is est editionem Oxoniensem A. 1702, quam in his Actis *loc. cit.* commendavimus; correxit errata, quæ in eam irrepserant & schemata, quæ ligno erant incisa, textuique inserta, in Tabulas retulit atque ut ea æri eleganter inciderentur, autor fuit editoribus. Promiserat annotationes aliquot in totum opus distribuendas, sed cum per typographorum in adornanda hac editione, ut ait, diligentiam stare non posset, ne suas cum auro *Gregorii* quisquilias misceret, aliqua tantum in prolixa præfatione adjecit tyronibus ad intelligendas *Gregorii* propositiones utilia & ad corrigendas assertiones nonnullas, in quibus *Gregorium* a vero aberrasse censet Noster. *Gregorius* opus cum Sole & Luna duraturum daturus a numeris abstinuit, quos continuata per secula secutura observatorum industria immutare solet. Quamobrem ut tyrones demonstrationes ipsius geometricas & physicas cum Astronomorum recen-

recentium obſervationibus & rationibus arithmeticis comparare poſſent; hunc defectum Cl. *Huartus* ſupplevit. Brevem igitur totius mundani ſyſtematis conſpectum exhibet, numeris ex optimis autoribus, *Commentariis* ſcilicet Academiæ Regiæ ſcientiarum *Pariſinæ, Keplero, Philippo de la Hire*, *Caſſino*, *Nevvtono*, *Hugenio* & *Keillio* in theoriis planetarum, eorumque revolutionibus, diſtantiis item atque magnitudinibus veris definiendis tranſcriptis. Subjungit conſpectum totius operis Gregoriani, qui Introductionis loco inſervire poteſt tyronibus, tum illis etiam ſatisfacit, qui hiſtoricam operis profundi notitiam anhelant, immo hiſtoricam Aſtronomiæ notitiam expetunt. Explicat denique anomalias planetarum non minus in hypotheſi circulari, quam elliptica in eorum gratiam, qui calculi Aſtronomici ideam quandam animo concipere geſtiunt. *Aſtronomiæ Cometicæ* ſynopſis Aſtronomi celeberrimi *Halleji*, quæ in Appendice primo loco comparet, deſumta eſt ex Tranſactionibus Anglicanis A. 1705 *Num.* 297, & legitur in Actis A. 1707 p. 218 & ſeqq. Brevem horologiorum ſciathericorum tractatum, qui alteram appendicis partem abſolvit, Editor compoſuit; quatuor ejus ſunt capita, quorum primo faciliora quædam Gnomonices problemata continentur; ſecundo modus horologia regularia in plano delineandi declaratur; tertio modus deſcribendi horologia declinantia, inclinata & mixta exponitur; quarto denique horologia ſolaria per angulorum calculum deſcribi docentur. Praxi contentus Autor demonſtrationes prætermittit.

THE NATURAL HISTORY OF THE EARTH, illuſtrated &c.

i. e.

JO. WOODWARDI HISTORIA NATURALIS Telluris, illuſtrata, aucta, defenſa; atque nunc ex Latino in Anglicanum ſermonem converſa, addita demonſtratione phyſica exiſtentiæ & providentiæ divinæ, aliisque ſchedis

Wood-

Woodwardianis antea nunquam impressis, a BENJ. HOLLOWAY, *L. L. B. & Societatis Regiæ Sodali.*

Londini, apud Thom. Edlin, 1726, 8.

Alphab. 1.

TRedecim jam præterlapsi anni sunt, ex quo *Historiam Naturalem Telluris illustratam & auctam* in lucem edidit celeberrimus *Woodvvardus*: in quo libro, lingua latina conscripto, id potissimum egit, ut doctrinæ, in elaboratissimo suo *Tentamine* propositæ, præcipua quædam capita & luculentius explicaret, & ab objectionibus Cl. *Eliæ Camerarii* defenderet. Hoc scriptum in sermonem Anglicanum nunc convertere, introductionemque præmittere satis amplam, operæ pretium judicavit Vir Nobilissimus, *Benj. Hollovvay*. Nec dubitare licet, quin rem gratissimam fecerit iis omnibus, qui Philosophiam Naturalem rite colunt, & quid in ea illustranda præstiterit Cl. *Woodvvardus*, non ignorant. Agit autem in laudata Introductione cum de hoc ipso, tum & de aliis, partim jam editis, partim nondum editis operibus *Woodvvardianis*. Imprimis ex opere illo majore, de Historia Naturali Telluris, quod jam diu ab eruditis desideratum etiamnum premit celeberrimus *Woodvvardus*, præclara quædam loca, ipsius Autoris verbis, & bona cum ejus venia, transscripsit. Unus horum locorum demonstrationem physicam complectitur existentiæ & providentiæ divinæ, ex mutata ac renovata rerum natura post diluvium, itemque ex gravitate corporum naturalium, hoc est ex nisu eorum ad certum centrum, atque ex ipsa denique animalium admirabili fabrica desumtam: ubi imprimis de generatione disserit doctissimus Autor, hypothesinque *Leeuvvenhœkianam* de vermiculis seminis masculini coarguit, atque prima futuri fœtus stamina in systemate vasorum sanguineorum, cum corde, consistere docet, ita ut universæ reliquæ partes pedetentim, & primo quidem cerebrum, oculos, medullam spinalem, novissime musculos atque integumenta formari contendat. Alius locus narrationem de Diluvio Mosaicam, justam, sinceram, non ab imaginatione, non a traditione, non ab observatione naturæ, sed a

ſola revelatione ortam evincit. Tertio de anathemate, quod telluri, poſt lapſum primi hominis, dictum fuit divinitus, deque veſtigiis hujus anathematis in univerſo mundo vegetabili obviis, de carduis & tribulis, itemque de iride, tanquam ſigno fœderis cum Noacho icti; ac tandem quarto de dogmate Moſis, quod vita animalium in ſanguine eorum conſiſtat, diſputatur. Poſt de tribus aliis tractatibus Woodwardianis, ſua opera in lucem producendis, cum jam per annos pluſculos apud optimum Autorem, nimiis negotiis impeditum, latuerint, mentionem facit doctiſſimus Holloway. Uno Annotationes continentur in caput primum Geneſeos, de creatione mundi; alter eſt de origine gentium Americanarum; & tertius de ſapientia Ægyptiorum. Poſtremo etiam quatuor Epiſtolæ additæ ſunt, quas ad Dom. *Robertum Southvvell* ſcripſit Cl. Woodwardus. Harum duabus prioribus agitur de mutationibus Barometri, & de aſcenſu ac deſcenſu hydrargyri propter immutatam tempeſtatem: quam quidem rem ita explicat, ut halitus illos e tellure identidem, ac præcipue ante ortum pluviarum, inſigni copia & vi ſurſum ejectos, aeremque pari directione impellentes, hujus preſſionem atque gravitatem notabiliter imminuere exiſtimet. Tertia Epiſtola de œconomia ingentis abyſſi, in viſceribus terræ latentis, deque perpetua communicatione atmoſphæram inter & abyſſum; ac quarta denique de diſſolutione & vaſtatione telluris, tempore diluvii, disquiritur. Atque ut aliquid ſpeciminis loco afferamus, ex hac ipſa poſtrema epiſtola nonnulla hic excerpere placet. Negat in ea Cl. Autor, ſe in abſurda illa opinione verſari, quaſi totus terrarum globus vel ſolis aquis diluvii, vel neſcio quo menſtruo diſſolutus fuiſſet, atque adeo de iis magnopere conqueritur, qui ejusmodi ſibi ſententiam affingere haud dubitaverint. Deinde cum multi concipere non potuiſſent, quomodo lapides, metalla, & duriſſima quæque corpora foſſilia, tempore diluvii, omnino diſſoluta fuerint, ſalvis animalium vegetabiliumque partibus etiam ſatis teneris, primo quidem ita reſpondet, ut, cum ſufficienter demonſtraverit, rem ipſam non aliter ſe habere, tum quidem demonſtrationem modi, quo iſtud factum ſit, a ſe jure poſtulari poſſe neget. Deinde nec illum ipſum diſſolutionis modum adeo diffi-

difficilem atque incomprehensibilem judicat, ut plerisque videtur. *Jam olim*, inquit, *indigitavi rationem, qua partes fossilium cohærent, oppido distare a cohæsione partium in animalibus ac vegetabilibus. Hæc tota fibris constant, mirifice implicatis atque inter se contextis. Illa non nisi particulis contiguis componuntur, quas aer, æther, atque ambiens atmosphæra, pressione & gravitate sua continet. Ergo ad dissolutionem corporum fossilium nihil aliud requirebatur, quam ut causa soliditatis eorum, hoc est, gravitas, divina voluntate, cessaret. Quo facto universa illa corpora sponte & absque auxilio menstrui aut vis externæ, in partes minimas dilabi necesse erat. Non item vegetabilia atque animalia; quorum implicatæ fibræ, quamvis causa gravitatis cessaret, ipsa a dissolutione facile præstare potuerunt secura.* Hæc Vir præstantissimus: in cujus explicatione perquam ingeniosa illam unicam superesse difficultatem arbitramur, an non fibrarum, quamvis hæ ex minoribus fibris, atque hæ iterum ex minoribus componantur, tamen postremas ac minutissimas partes, perinde ut partes corporum fossilium, sola pressione atque gravitate subtilissimi fluidi circumfusi contineri statuendum sit. Sed hæc difficultas fortassis tanta non est, quin expeditam responsionem doctissimus Autor habeat in promtu.

AUGUSTINI LEYSERI, IN MAGNÆ BRItanniæ Regis & Brunsvicensium Ducis Aulis Consiliarii, in Tribunali Guelphico Assessoris, & in Academia Julia JCti, Meditationes ad Pandectas, quibus præcipua Juris capita ex antiquitate explicantur, cum Iuribus recentioribus conferuntur, atque variis celebrium Collegiorum Responsis & rebus judicatis illustrantur.

Volumina III & IV.

Lipsiæ & Guelpherbyti, apud Joh. Christoph. Meisnerum, 1725, 4.
Alphab. 7. pl. 14.

Volumina V & VI.

 Ibidem,

Ibidem, apud eundem, 1727, 4.
Alph. 7 pl. 5.

De Consultissimi Autoris instituto methodoque dictum, dum Volumina duo priora in Actis nostris A. 1723 Mens. Octobri pag. 444 laudabamus. Prodiere inde, Volumen tertium, quod a *Lib. XIII Pand. Tit. II*, ad *Lib. XIX Tit. II* pertingit, & Volumen quartum, quod in *Tit. V Lib. XXII* finit, annexa dissertatione *de iniquitate & recto usu exspectantiarum.* Nuper vernalibus nundinis accepimus Volumen quintum & sextum, quorum posterius meditationes ad *Librum XXXIX* integrum claudunt. Atque sex Voluminibus destinaverat Noster omnem harum commentationum laborem absolvere, ut in Dedicatione ad Illustriss. Bernsdorffium Voluminibus IV & V præfixa spem fecit. Sed jam, currente rota, amplius exit opus, unique adhuc & alteri fasci materia superest. Nihil vero mutavit Autor de veteri libere, quod sentit, profitendi more, atque opinationibus vulgo receptis, seque vel magnorum nominum autoritate, vel doctrina & assensu communi tuentibus, alia omnia opponendi studio. *Equidem suaserunt mihi nonnulli*, ipse inquit, *ut viris eruditis & illustribus, qui passim contra me scripserunt, atque aliquot ex prioribus meditationibus meis refutarunt, accuratius responderem, sententiamque meam tuerer. At ego mihi hoc persuaderi non sum passus, nec patiar imposterum.* Nos etiam more, cujus studiosi sumus, nonnihil recentium Nostri meditationum strictim indicabimus. Volumine IV, specimine 141, de jurejurando suppletorio, docet contra *Mevii* opinionem, illud ob præsumtiones quaslibet, non solum juris, verum & hominis decerni posse; impugnat vulgarem DD. regulam: *in caussis arduis, & ex quibus ingens ad actorem perventurum est lucrum, jusjurandum suppletorium decernendum non esse, sed purgatorium:* & ostendit, personarum caussæque expendendas esse qualitates, secundum has statuendum fore. Asserit ibidem porro usum jurisjurandi suppletorii in caussis matrimonialibus, etsi plus quam semiplene probatum non sit, confutata vulgari *c. 34 X, de jurej.* applicatione: asserit quoque jurisjurandi suppletorii de credulitate usum in omnibus negotiis contra *Brunnemannum, Strykium & Lauterbachium.*

chium. Specimine sequenti, de jurejurando purgatorio, defendit, inquisito de perjurio suspecto loco purgatorii egressum e civitate recte imperari; posse enim civem noxium, etsi delicti nullius convictum, a magistratu municipali expelli; quam in rem memorabilem JCtorum Helmstadiensium sententiam subjicit. Specimine 144, de morte vim jurisjurandi habente, tria constituit ad hoc, ut jusjurandum a judice impositum propter mortem pro præstito habeatur, integritatem vitæ, seriam oblationem, & impeditionem adversarii: ibidem casum proponit, quo jusjurandum ob mortem ejus, cui impositum fuit, pro deserto habetur, scilicet, cum senex morbidus callide moras nexuit, & in lucrum heredum, expectatione mortis, elusit præstationem jurisjurandi, quibus potuit artibus. Specimine 147, de condictione ob turpem causam, contra sententiam *Ill. Thomasii* probat, Condictioni huic in debitis pecuniariis esse locum, per *L. 9. §. 1. ff. de condict. ob turpem*, item condictioni eidem exceptionem transactionis non obstare. Eodem specimine, enarrato facto, quod D. Augustinus *lib. 1 de sermone Domini in monte, cap. 16* refert, Noster defendit, turpe non esse uxori, consentiente marito, pro servanda ejus vita cum alio concumbere. Specimine 148 inter alia asserit, quamvis debitori, usuras indebitas solventi, condictio recte denegetur per *l. 26 pr. ff. de condict. indeb.* creditores tamen usuras a debitore obærato indebite solutas repetere, per *L. 6 §. 1 ff. quæ in fraudem creditor. j. l. 10 & 17 de condict. indeb. & L. 10 §. 12, quæ in fraud. credit.* Volumine IV, specimine 216, adstruit, conductorem prædii, cui jurisdictio adnexa est, jurisdictionem, etsi de ea nihil in contractu dictum, consequi; conductorem, qui jurisdictionem simul conduxit, ei jurisdictioni, cui reliqui incolæ ejus provinciæ subsunt, subjici; conductorem vero, qui jurisdictionem simul non conduxit, locatori extra causas locationem concernentes subjectum fore. Specimine 235, de creditore in alienationem pignoris consentiente, contra JCtorum Vitembergensium sententiam evictum it, Magistratum, qui alienationem rei sibi oppignoratæ confirmat, jus pignoris remittere. Specim. 255, de probatione negativa, contra *Coccejum* veritatem regulæ, *quod negantis per rerum naturam nulla probatio sit*, asserit,

asserit, nec probare negativam illum, qui in ea se fundat, teneri; nec probationem negativæ, etsi aliquando possibilis sit, imponi debere. Ceterum notabile est specimen 283, de arbitrio judicis, unico doctrinæ de testibus fundamento, conspicuis exemplis illustratum. Accedimus ad recentiora duo Volumina V & VI. Specimine 289, de ignorantia & errore, improbato discrimine inter ignorantiam juris & facti, mavult potius in decidendis caussis sequi discrimen inter ignorantiam vincibilem & invincibilem. Specim. 290, de consensu sponsalitio, contra JCtos Halenses disputat, consensum simpliciter declaratum, das Ja-Wort, perfecte obligare, etsi non accesserint sponsalia solennia. Specim. 292, de sponsalibus inter consanguineos, memorabile responsum affert & confirmat, quo statuitur, Equitem Imperii immediatum, eumque Principis ministrum, cognatam suam, vel affinem uxorem ducere sine dispensatione posse. Specim. 293, de Actione ex sponsu, novum nomen hujus Actionis ex sponsalibus descendentis profert e Gellii *Noct. Attic. lib. IV cap. 4*, ubi de hoc nomine testatur Servius Sulpicius, idque Noster præ alio nomine, quo *Actio matrimonalis* dicitur, commendat. Ibidem proponit, quibus casibus ex sponsalibus non ad consummationem matrimonii, sed ad interesse agatur, & quibus judex, etsi in libello consummatio matrimonii petita, possit tamen in sententia ab eo recedere, atque reum in pecuniam condemnare. Specim. 302, de discrimine bonorum uxoriorum, ostendit, discrimen inter bona dotalia, paraphernalia & receptitia nec in jure Romano, nec in prisco Germanico fundari, sed deberi moribus hodiernis: indeque jura singulorum bonorum distincte exponit. Specim. 308, de pactorum dotalium per modum contractus & ultimæ voluntatis discrimine, commonstrat, doctrinam de pactis dotalibus in vim ultimæ voluntatis conditis liberaque eorum revocatione, nec juri Romano, nec Germanico convenire; pacta dotalia in dubio per modum contractus inita censeri, in iisque voces *hereditas*, *successio*, item *legitima* adhiberi posse, vocem erblich contractum magis indicare, quam ultimam voluntatem; clausulam codicillarem adjectam nil operari ad mutandam pactorum dotalium inter vivos naturam, nec solam quin-

que

que testium adhibitionem, nec dispositionem de omnibus omnino bonis, nec mortis mentionem, & verba auf den Todes-Fall; denique pacta dotalia inter vivos, etsi nullus testis adhibeatur, valere. Sed satis erit hæc hactenus degustasse.

ELOGIOS DOS REYS DE PORTGAL COM OS mais verdadeyros Retratos.

h. e.

ELOGIA REGUM LUSITANIÆ, CUM VERISSIMIS eorum, quæ inveniri potuerunt, imaginibus, in ordinem disposita a FRANCISCO BERNHARDO DE BRITO, Historico Generali & Monacho Ordinis S. Bernhardi, novis supplementis aucta a JOSEPHO BARBOSA, Clerico Regulari & Historico Serenissimæ domus Bragantinæ; oblata Serenissimo Principi Lusitaniæ, D. JOSEPHO, a DIOCO DE MENDONZA, Secretario Status Regio.

Ulyssipone Orient. ex officina Ferreyniana, 1726, 4.

Alph. 1 pl. 7½ Icon. Tab. 25.

INter eos, qui Icones Regum Lusitaniæ dedere, maxime se omnibus hactenus probavit Antonius Vasconcellius, qui Anacephalæosin suam Regum Lusitan. non modo elegantibus, verum & genuinis Regum iconibus exornasse fertur. Nec multum ab iis abludunt in hoc opere repræsentatæ imagines, quamvis paulo rudiori Minerva exprimantur, ultimis tantum, *Alphonso VI, Petro II* & moderno Rege *Johanne V* exceptis, quos Belgas artifices habuisse proclive est. In hoc libro vitæ Regum Lusitanicorum ab *Henrico* Comite Lusitaniæ usque ad Johannem V succincte per modum elogiorum enarrantur, quas breviter percurremus. Elogio primo *Henricus*, patria Bisantinus, &, cum ejus natales controversi sint, secundum meliorem sententiam, filius Comitis Varnonensis & Johannæ, filiæ Geroldi Ducis Burgundiæ, fuisse dicitur. Matrimonio junctus Theresiæ, Alphonsi VI Regis Castellæ filiæ, Lusitaniam sub Comitatus nomine accepit. p. 1. 3.

Ad

Ad ſacrum bellum irrito per Imperatoris Alexii Comneni fraudes
p. 11. molimine cum Hugone Comite Luſignano, affine ſuo, & aliis
14. Principibus Borealibus profectus eſt. II Elog. *Alphonſus I*, pe-
dibus diſtortis natus, miraculoſe per preces, quas Egas Moniſius
Pædagogus ad ædem Mariæ de Carquere, ut appellant, miſerat,
ſanatus eſt. Scutum, quo Reges Luſitaniæ utuntur, Chriſtus in
prœlio Orichienſi contra Mauros ipſi oſtendit, ac ut titulum Regis
aſſumat, jubet. Oliſſiponem Mauris eripit. III Elog. *Sancti-*
us I cum Saracenis undique irruentibus ac eum divexantibus in-
ducias per quinquennium facit, quas inuſitata Solis defectio cum
24. horrendis terræ motibus crebroque imbrium defluxu ſecuta fuit.
IV Elog. *Alphonſus II*, Luſitanice *O gordo* dictus, i.e. obeſus, cum
fratribus & ſororibus ingens diſſidium habuit, Pontificis opera
29,30. ſopitum. Mauros ex Salacia ſeu Alcacer Do Sal ejecit. V Elog.
31. *Sanctius II Capello*, hoc eſt, Cucullus dictus eſt, quod more Cano-
nicorum Regularium S. Auguſtini in Cœnobio ſanctæ Crucis vo-
to Matris, ob valetudinem eius concepto, adſtrictus, usque ad
35. XII ætatis annum linteatus cucullatusque incederet. Ex in-
conſulto matrimonio afflictis Regni rebus, Alphonſus frater in
ejus locum ſuffectus eſt, ac ipſe interim Toleti exulavit. VI Elog.
Alphonſus III Turdetaniam a Rege Caſtellano ſub certis condi-
tionibus accepit, ac Luſitaniæ ac Turdetaniæ Regem ſe ſcripſit,
hinc Regii inſignis oræ bracteata ex auro caſtella ceu vetera
46. Algarbiæ inſignia addidit, ac Mauros ex ea omnes expulit. VII
49. Elog. *Dionyſii I* mira in litteras humaniores ac Poeſin propen-
50. ſio laudatur. Matrem ad regni ſocietatem admittere noluit, di-
cens: viro ignominioſum eſſe, ſi ab undecimo anno aliena mo-
51. deratione egeret. Cum Sanctio Caſtellæ Rege ob fidem violatam
in his, de quibus in liberorum nuptiis inter eos convenerat, bellum
52. geſſit. Regis Caſtellani & Arragonii lites compoſuit. Summa
56. ejus liberalitas prædicatur, ac tanta felicitas, ut in proverbium ab-
ierit, *El Rey Diniz fez tado que quiz*, hoc eſt, Rex Dionyſius
omnia, quæ voluit, fecit. Uxor ejus Eliſabetha ſancta & miracu-
lis clara fuit, cujus vita ex Vaſconcellio ſupplenda. Ordo Tem-
plariorum ejus tempore ſublatus & novus Equitum Chriſti
58. conſtitutus fuit. IIX Elog. *Alphonſus IV*, *O bravo* i. e. fortis
dictus,

dictus, venationi maxime deditus, libero Consiliariorum monito ab ea destitit. Contra Regem Marrocanum Haliboazem & Granatensem Hispanias invadentem Castellano auxilium eventu felici tulit, quæ celebris pugna *de Salado* a flumine prope quod ge- p. 61.
sta est, vocatur. IX Elog. *Petrus I*, rigidus justitiæ satelles & 68.
liberalitatis amans adeo fuit, ut laxius se vestiri juberet, quo liberius brachia ad donandum extendere posset, ac neminem Regem appellari posse dixit, nisi eo die quo beneficia contulisset. Mortuus jam, S. Bartholomæi precibus, quem maxime coluerat, in vi- 69.
tam revocatus est, ut peccatum aliquod, quod vivo memoria exciderat, confiteretur. X Elog. *Ferdinandus*, Castellæ Regnum hæreditario jure ad se pertinere prætendens, bellum contra Henricum Regem Castellanum temere suscepit. Quod Pontificis opera compositum, postea recruduit, Anglis etiam in auxilium advo- 74.
catis. Henrico mortuo, Johanni ejus filio ad pacem firmandam 76.
Beatricem in matrimonium dedit. Olissipponem & Eboram muris cinxit. XI Elog. *Johannes I*, bonæ memoriæ (*de boa memoria*) quod nomini ejus ob insignes virtutes adjectum est, cum Rege Castellano, Lusitaniam subigere parante, cruentum bellum 83.
gessit & prœlio ad Albigarrotam (*Aliubarrota*) Castellanorum Cannas, illum superavit ac in ejus victoriæ memoriam singulare Monasterium, *de Batasha* i.e. prœlii, dictum, exstruxit, cujus rudera hodienum supersunt. Septam quoque Mauris eri- 86.
puit. Leges utiles sanxit & Codicem Justiniani in linguam vulgarem transferendam curavit. XII Elog. *Eduardus I* Judæi cujusdam Astrologi prædictiones in auspiciis inaugurationis contemnit. Tingitana expeditio male ei cessit, & Ferdinandus frater 91.
Mauris obses datus inter eos obiit. Philosophiam moralem & civilem maxime excoluit & varios libros politicos conscripsit. 93.
XIII Elog. *Alphonsus V* urbem maritimam munitissimam Alcacer Seguor in Africa expugnavit, quam recuperaturus Fessæ 103.
Rex frustra obsedit, ac postea Arzillam nobilem & antiquam Africæ urbem ac Tingin cepit. Cum Johanna Henrici Regis Castellani filia dotis loco jura in Castellæ & Legionis regna accepit, magno Lusitaniæ incommodo: ipse ea tueri conatus, prœlio memorabili apud Taurum victus est, & ad Regem Galliæ Ludovi-

Ss cum

cum XI profectus, frustra auxilium petiit. XIV Elog. *Johan-*
p.114. *nes II* Patri, ex Gallia reduci, titulum Regis, quem obtinuerat,
summa modestia concessit. Famosum illud promontorium, Ca-
put bonæ spei, detexit. Scutum Lusitanicum ad eam qua hodie
conspicitur, reduxit formam. XV *Emanuel I*, boni ominis cau-
sa dictus, quod Eucharisticæ pompæ præ foribus Palatii ductæ
127. tempore natus esset, felicissimus Regum, fines imperii per Indi-
131. am plenius detectam & Æthopiam dilatavit. XVI Elog. *Johan-*
nes III sacrum quæstorum hæreseos tribunal primus instituit.
Ac ejus cura Evangelii lux per Orientis regiones late dispersa
132. fuit. Academiam Conimbricensem, a Dionysio fundatam &
postea Ulyssiponem translatam, Conimbriæ restauravit, videns, ut
Autor ait, Musis quietem amantibus cum strepitu aulæ & merca-
torum ob negotia ibi confluentium non bene convenire, ejusque
139. reditus plus triginta millibus aureorum adauxit. XVII Elog.
Sebastianus I, die S. Sebastiani natus, Principes Orientis, Lusita-
143. nos India ejecturos, bello felici aggressus est. In Africa autem cum
Rege Maurocano Muley Abdolmelecho, qui Muley Moham-
metem, ejus auxilium implorantem, expulerat, infeliciter manum
conseruit. XIIX Elog. *Henricus I*, Regni Gubernator impube-
re Sebastiano constitutus, & tandem eo extincto ad fastigium re-
150. gni evectus est, at variis competitoribus ortis, postquam annum
156. regnaverat, tabe obiit. XIX Elog. *Philippus I*, Emanuelis ex
majori filia nepos, Lusitaniæ hæres, occupavit eam & Antonii
166. funestos conatus oppressit. XX Elog. *Philippus II* nova regna,
Peguanum & Canadense, suo adjecit. Leges Lusitanicas in unum
volumen contrahi jussit, ac cum Regum Persiæ & Congi legatis
170. belli contra Turcas & religionis causa egit. XXI Elog. *Philip-*
171. *pus III* Principem Anglicanum de Gales Madriti pompose exce-
pit. Bahiam a Batavis obsessam liberavit. Catalaunos & Lusitanos
179. rebelles habuit. XXII Elog. *Johannes IV*, Dux Bragantiæ, Rex
181. proclamatus, Castellanos variis prœliis fugavivit. A morte, in sacra
processione publica ipsi intentata, miraculose liberatus, Batavos a
196. Pernambuco repulit. XXII Elog. *Alphonsus VI* Regno exutus
197. fuit, fratre Petro surrogato. XXIV Elog. *Petrus II* Carolum
Regem Hispaniæ magnifice excepit & magno exercitu Castellam
intravit.

intravit. Monetam in Sabaudiæ Ducis nuptias memorabilem cudi jussit. XXV Elog. *Johannes V* Academiam Historiæ Ecclesiasticæ & Civilis A. 1720 die 8 Decembr. instituit.

SYNOPSIS TOMI QVINTI DE ACTIS sanctorum Julii, collectis, digestis & illustratis a JOAN. BAPT. SOLLERIO, JOAN. PINIO, GUIL. CUPERO, PETRO BOSCHIO, Societatis Jesu Presbyteris.

Antwerpiæ, prostat apud Jacobum du Moulin, 1727, 4, pl. ʒ.

TRigesimus hic ordine est accrescentis indies operis tomus, Sanctos centum & undeoctoginta nominatim referens, anonymos centum sex & viginti, præter manipulos alios, quorum numerus non exprimitur. Dies quinque, ut bini præcedentes, continet, a vigesima ad vigesimam quartam. Sancti porro, de quibus agitur, in solitas hic classes distribuuntur; viri primum juxta triplicem Ecclesiæ statum, *Ecclesiasticum, Monasticum* & *Secularem*, servato regionum ordine; feminæ autem, cujuscunque status aut conditionis sint, quartam & postremam classem constituunt. Antiqui fœderis Sancti *Elias* & *Daniel* extra hunc ordinem positi, non minori tamen quam ceteri gloria in Ecclesia Catholica illustres sunt: & Sanctus quidem ille, arisque sacris admotus, tametsi in vita, nescitur quo modo, superstes; cujus cultus apud Græcos æque ac Latinos receptus, templa & oratoria ei dicata, nec non miracula recensentur, totaque vitæ ex sacro textu series accurate deducitur, ad raptum usque, de quo palliique ejus reliquiis satis fuse disceptatur. Neque ipso minus celebris est *Daniel*, Propheta in paucis mirabilis, de cujus captivitate, sanctitate, virtutibus, sapientia, auctoritate apud reges ethnicos, deque visionibus, somniorum interpretationibus, prophetiis, sepulcro, epitaphio, statuis, cultu sacro, reliquiis & sacris ædibus nil prætermissum est.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Ætate & spectata sanctitate præcipuo *Josepho*, alias *Barsabæ*,

 utpo-

utpote in ipsa Scriptura sacra *Justo* declarato, primus debetur locus; is vero cum Barnaba confundendus non est, nec cum Jose, aut Justo Hierosolymitano Episcopo. De gestis pauca memoriæ tradita sunt. Neque de *Cyrillo* patriarcha Antiocheno multo plura dici potuere, quam quæ in ipsa serie Patriarcharum dedimus, ut cujus Acta scripta non videntur; ipse vero in sacris Fastis vix notus, neque a Baronio in Actis Claudii, Nicostrati & sociorum satis apte repertus. Breviora longe sunt, quæ de *Zotico*, Comanæ in Armenia Episcopo, ex Eusebio eduxit Romanum Martyrologium.

Paulo ampliorem materiam præbuit *Apollinaris*, Ravennæ Proto-episcopus, S. Petri Apostoli discipulus; non quod miranda ejus Acta sincera censuerimus, sed quod longe illustrior sit gloria ejus posthuma per dilatatum solennissime cultum & miracula, per historiam inventionis corporis seculo XII factam, & per ejus possessionem Classensi monasterio pluribus argumentis assertam, unde acceptas oportet sacras reliquias, alibi venerationi expositas, de quarum translationibus satis operose disseritur. Temporibus nostris vicinior est *Joannes*, a loco natali *Tausignianensis* dictus, ex Jesuatorum Ordine Ferrariensis Episcopus, non sine miraculo electus; stupenda in pauperes misericordia aliisque prodigiis inclytus, ad cujus cultum probandum, aliaque monumenta procuranda, quibus gesta ejus illustrarentur, non parvo labore, nec minori diligentia opus fuit. *Hieronymus* Episcopus ad Papienses pertinet, *Lucanus* in eadem dignitate præfuit Sabionensibus, *Severus* Cassini depositus est.

Liborius, Cenomanensis Episcopus, translatione Paderbornensi atque innumeris signis quam rebus gestis illustrior, singularissimus est adversus calculum patronus, non Westfalis solummodo sed & Italis aliisque gentibus mire propitius; ex quo sacræ ejus exuviæ, bello Suecico a furioso Halberstadensi Lutherano Episcopo surreptæ, sed postmodum restitutæ, in alias orbis partes & in Belgium nostrum transfusæ sunt, ubique, etiam Romæ, in summa veneratione. *Pavacii*, Cenomanensis itidem Episcopi, sacra pignora, non in sede episcopali, sed alibi quoque miraculis clara sunt, præsertim in Vastinensi Castro Reinardi,

que

quo quando aut quomodo pervenerint, satis incertum est; Hugonotorum furori feliciter subtracta, tota ea vicinaque regione præsens morbis variis medela censentur. De *Ursicino* Senonensi & *Valerio* seu *Valeriano* Niciensi pauca, quæ dici possent, subministrata sunt.

Arbogastum, Argentinensem Episcopum, Franciæ an Germaniæ adscribas, parum interest: sub Francis Regibus floruisse, imperante in Austrasia Dagoberto II, cujus filium Sigebertum vitæ restituit, atque ab eo possessiones multas ecclesiæ suæ aliisque impetrasse, compertum est. De patria certant Hiberni & Scoti, quorum rixas composueris, si Aquitanum fuisse, melius asseras: Episcopatus tempora, annus obitus & controversa alia recte explicantur. *Bernardi* Hildesiensis Præsulis cultus extra dubium positus est, Acta & varia ejus miracula illustrata. *Dictinus* Asturicensis Episc. felici casu locum inter Sanctos obtinuit. *Declanus* Ardmoriæ in Hibernia stupenda gessit, si Actis fides haberi possit. Veriora sunt, quæ de *Paulo* Cordubensi diacono inclytoque martyre retulit S. Eulogius.

EX STATU MONASTICO.

Classem hanc ducit *Joannes* anachoreta in Palæstina, & propriis virtutibus & eo nomine laudatus, quod famosissimi Symeonis Sali socius fuerit, ut ejus gesta in alterius Actis 1 Julii quærenda sint. *Antonius* ex Ordine Eremitarum S. Augustini Aquilam in Vestinis non parum illustravit. Frustra quæsita est ejus Vita Latina, fuitque adeo ex verbosiori Italica Latine vertenda & contrahenda, cum longiori multorum miraculorum serie. In Gallia Abbates celeberrimos exhibet hic tomus, *Ioannem Cassianum* imprimis, scriptis suis & peregrinationibus per Orientis Ægyptique asceteria, tum vero præclaris virtutibus & exemplis Massiliæ atque in finitimis regionibus æstimatissimum, ibique a seculis ecclesiastico cultu donatum. Vita, hactenus nunquam scripta, ex libris ejus operose colligi debuit: ab erroribus autem, quos nonnulli perperam ipsi impegerunt, ex aliorum apologiis probe vindicatus est, quemadmodum & patria, huc usque satis dubia. *Wandregisilum*, Fontanellensis in Normannia cœnobii conditorem, cujus pretiosis reliquiis ditatum olim fuit Blandini-

ense apud Gandavum cœnobium, satis ferme est nominasse; usque adeo vulgata sunt præclara ejus gesta & merita, ex duobus scriptoribus a nobis recensita, cum copiosis signis & translationis historia. Neque de *Ansegiso*, in eodem cœnobio postmodum Abbate, multa hic memoranda sunt: notissimus & ipse est æque ac *Vulmarus* in Picardia, *Meneleus* apud Menatenses in Arvernia, atque etiam *Euspicius* monachus in monasterio Miciacensi: sic nec recentior *Francisci Solani* ex Ord. Minorum, nuperrime Sanctis adscripti, memoria hic prædicanda: sufficiat, dixisse, Americæ ipsum & Peruani præcipue regni apostolum & thaumaturgum fuisse.

EX STATU SECULARI.

Plato Ancyranus M. apud Græcos potissimum celebris, multisque ornatus elogiis, ædes sacras plures sibi dicatas habet, innumeris clarus miraculis, ut ejus sepulcrum miserorum perfugium appelletur. Fidei etiam insigne testimonium dedit *Theophilus*, dictus *junior*, ordinis senatorii & dux strenuus, qui ab Arabibus captus, sanguinem fundere quam eorum promissis acquiescere maluit. Sebastenos MM. S. Athenogenis discipulos, non recte distinctos ostendimus. Non adeo noti sunt *Hymenæus* & *Capiton*; *Cyrillus* & socii Antiocheni; *Trophimus* item, *Apollonius*, *Miniseus* cum suis: tum Melitinenses, Chalcedonenses, Bulgari, Corinthii atque Ægyptii. In Africa clariores MM. *Maxulitani*, deinde & *Victor* cum variis sociis. Romam præcipue ornat *Vincentius* M. nisi forte Tiburtinis debeatur; Amiternum *Victorinus*: adde MM. *Cæsenates* & *Siculos*, & confessorem *Fantinum* in Calabria haud sane ignobilem. Inter Galliæ martyres illustrissimus est *Victor* Massiliensis cum sociis; de quorum reliquiis, gestis & miraculis fusius agitur. *Arnulfus* Mosomensis a synonymis distinguitur, vix aliunde quam ex signis notus. *Rasiphus* M. non unus, sed *Ravenni* socius, cum ipso a Normannis honoratur; *Wulfadus* & *Ruffinus* in Anglia. Gratiæ miraculum fuit *Josephus comes*, ex Judæo confessor egregius, cujus conversionem & adversus Arianos constantiam S. Epiphanio acceptam referimus. In Italia habes *Gualterium* Laude Pompeja; *Oddinum Barottum* Fossani in Pedemontio: in Gallia *Serenedum* apud Cenomanos.

EX

EX SEXU FEMINEO.

Syntyche Philippensis præclariori elogio ornari non potuit, quam quod, teste Apostolo, cum ipso laboraverit in Evangelio. *Margarita* diffusissimo in Ecclesia cultu longe nobilior quam rebus gestis, saltem quæ ad nos sincere scriptæ pervenerint. *Niceta* & *Aquilina* ex S. Christophori Actis desumptæ sunt; *Anna* apud solos Græcos nota. *Praxedes* V. Romæ, cum sorore Pudentia, nominatissima est. *Christina* V. M. Margaritæ haud multum absimilis, utpote cultu ubique & miraculis celebratissima, verum cujus Acta aut varias Passiones frustra expurgare conatus est, qui magno volumine id nuper tentavit. De *Primitiva* V. M. paucis agi potuit; *Romulam, Redemptam* atque *Hirundinem* laudavit magnus Gregorius. *Maria Magdalena*, Provinciæ asserta, in signum posita videtur, cui a seculis contradicitur: nos eam & Lazari sororem, & peccatricem, & a septem dæmoniis liberatam cum Ecclesia Catholica agnoscimus. *Julia* V. M. cum nescio quo *Claudio* imperatore & aliis MM. Trecensibus debetur; *Segolena* vidua Albigensibus: *Mera* V. Lectoræ colitur; *Severa* apud Treviros. *Wilgefortes* seu *Liberata* cujas fuerit, quando vixerit, quid egerit, ignoratur: hoc scitur, ut a multis malis liberatricem passim invocari. *Columba* apud Lusitanos innotuit. *Christina* V. Belgica *mirabilis* nomen merito consecuta est; eo mirabilior, quo stupendissima Acta solidiori auctoritate nituntur. *Levvinna* M. Angla apud Bergenses in Flandria miraculis claruit: *Vastrada* vidua, Sanctorum mater, Sustereni ad Mosam. *Kingam* seu *Cunegundem* virginem maritatam, ex Poloniæ duce sanctimonialem, admirabili sanctitate vitæ ac miraculis vere regni istius prodigium dixeris.

Atque hi sunt præcipui Sancti quorum Acta aut breviora etiam elogia hoc tomo illustrantur: quo autem die quibusve paginis quærenda sint singula, docet index alphabeticus eorundem, toti volumini præfixus; ætatem porro chronologicus; cetera in subjunctis aliis indicibus quærenda sunt.

Erunt fortasse, qui a nobis apologiam exspectent adversus ea quæ non ita pridem vulgavit Odoacer *quidam* Ilbachius, *in Actis Sanctorum discernendis aut vindicandis ut minimum*

sum-

summe peregrinus. Odiosas is controversias, ab annis fere triginta exstinctissimas, lævo prorsus sidere renovavit: ipsum nos, dum longe utilioribus occupamur, ad tunc abunde dicta probataque remittimus. Quæ si sufficere non existimet; adeat, obsecro, Librum apologeticum *ab Eminentissimo Card. Baronio, sub Antonii Gallonii nomine, A.* MDCIV *Romæ editum & Clementi P.P. VIII inscriptum, ad Constantinum Cajetanum,* EX BREVIARIO S. Gregorii monachatum Benedictinum *adstruentem: ubi quid de Breviario, & consequenter de S. Catharinæ contractis in eo Actis censendum, nisi volens cæcutiat, apertissime perspiciet.*

D. JOACHIMI LANGII, S. THEOL. PROF. ORD. *in Acad. Fridericiana, Causa Dei ac religionis revelatæ, & quidem Christianæ adversus Judæos, nec non Evangelicæ adversus Socinianos & Pontificios, methodo demonstrativa asserta.*

Halæ, impensis Orphanotrophii, 1727, 8.
Alph. 3.

TErtius hic est & ultimus Tomus Causæ Dei, quam Ven. Langius Tomo I adversus atheismum & deismum pseudophilosophorum, Tom. II adversus naturalismum vindicaverat, quamque hoc III Tomo adversus Judæos, Socinianos ac Pontificios defendit. Tomum *primum*, qui nunc auctior luculentiorque prodit, in Actis nostris A. 1723 p. 454; Tomum *secundum* A. 1726 p. 412 recensuimus; nunc *tertii* quoque Tomi argumentum eo libentius exhibendum putamus, quo digniorem judicamus librum, qui ab omnibus rerum sacrarum cupidis cum cura legatur.

Tractationi præmittitur *protheoria*, quæ continet 1) *postulata XX*, de digna inquisitione in veritatem religionis Christia-
p. 1--13. næ, scholiis illustrata, 2) *theoremata III*, de libris sacris novi fœ-
13--20. deris, eorumque ætate, auctoribus & auctoritate canonica, integritate, collectione & receptione in canonem.

Protheoriam excipit *tractatio*, cujus *Liber I*, isque dogmaticus,

ticus, in veritate historiæ rerum Christianarum asserenda versatur, uti Tomi secundi initium in historiæ Mosaicæ ac Judaicæ veritate extra dubium ponenda occupatum fuerat. Huic deinde superstruitur demonstratio præstantiæ ac divinitatis, qua religio Christiana radiat, & adversus Judæorum exceptiones triumphat.

Libri I pars prior *historica* tribus capitibus constat. Caput I
agit *de veritate historiæ Christianæ*, quæ 1) per duodecim ar- p. 20–25.
gumenta insita & propria asseritur, 2) per Judæorum testimonia 45–78.
ipsasque calumnias confirmatur, 3) per hominum paganorum, 78–115.
imprimis philosophorum, testimonia ac obtrectationes corro-
boratur. Caput II agit *de præstantia religionis Christianæ*,
12 characteribus evicta, ubi *propositio 1*, tractat de religionis chri- 117. 118.
stianæ antiquitate & veritate historica; *prop. 2*, de eo, quod re- 120–122.
ligio Christiana religionem naturalem continet, & defectus ejus
supplet; *prop. 3*, de ejusdem universalitate & rituum simplici- 122–126.
tate, universo generi humano accommodata; *prop. 4*, de scri- 126–129.
ptorum sacrorum ἀξιοπιστία & de sermonis dignitate; *prop. 5*, 129–132.
de doctrinis fidei & vitæ, & de utrarumque harmonia, perfe-
ctione ac sublimitate; *prop. 6*, de interna conscientiæ libertate, 134–164.
& de externæ disciplinæ æquitate. Caput III denique agit *de* 164–170.
divinitate religionis Christianæ, in 12 characteribus aliis, per
sex propositiones deductis. *Prop. 1*, de veritate & eventu tum 170–174.
prophetiarum de persona, officiis & duplici statu Messiæ, tum
typorum; *prop. 2*, de religionis propagatione ac conservatione; 174–184.
prop. 3, de insigni rel. Christ. habitu ad vitam præsentem & fu- 184–197.
turam; *prop. 4*, de religionis Chr. capitibus duobus præcipuis,
lege & Evangelio, mere divinis; *prop. 5*, de confessione marty- 184–197.
rum cruenta, & de viva quorumvis aliorum Christianorum ex-
perientia; *prop. 6*, de prophetiarum, ipsi religioni Christianæ 197–203.
in libris N. T. propriarum, eventu; nec non de Christi & ejus
Apostolorum miraculis, ubi 1) de eventu prophetiarum, 2) 203–246.
de θαυματουργία Christi & Apostolorum sex propositionibus
agitur.

Libri I pars posterior *dogmatica* præcipua sistit religionis Christianæ capita, eorumque harmoniam cum doctrinis V. T.

luculentissime ob oculos ponit. Sectio I, agit *de mysterio S. Tri-*
nitatis ac simul de persona Christi, & quidem cap. I, *de myste-*
248–254. *rio Trinitatis generatim*, ubi *prop. 1*, de locis XXV, primariis;
254–274. *prop. 2*, de locis XXV, subordinatis aliis, cui vindiciæ aliquot
274–278. locorum anti-Socinianæ subjiciuntur; *prop. 3*, de locis quam
plurimis, quæ de divinitate Christi & spiritus sancti agunt. Cap.
II, agit *de divinitate Jesu Christi* per seriem decem propositio-
279. num. *Prop. 1*, de illis L. & amplius oraculis, cap. I citatis quæ
in N. T. de mysterio S. Trinitatis, atque ita simul de divinita-
279–282. te filii Dei, agunt; *prop. 2*, de illis locis, in quibus Christus
283–343. promisisse & misisse dicitur spiritum sanctum *prop. 3*, de VII
locis, in quibus Christo nomen *Deus* expresse tribuitur, cum vin-
343–348. diciis Anti-Socinianis; *prop. 4*, de illis scripturæ locis circiter
349–354. D. in quibus nomen *Κύριος* de Christo adhibetur; *prop. 5*, de
355–362. CVII locis, in quibus Christus vocatur Dei filius; *prop. 6*, de il-
362. 363. lis locis, quæ ipsius divinitatis descriptionem habent *prop. 7*, de
locis, in quibus Christo attributa mere divina adscribuntur; *prop.*
363–366. *8*, de locis, in quibus Christo opera mere divina assignantur;
366–369. *prop. 9*, de locis, in quibus Christo cultus mere divinus tribui-
369. 370. tur; *prop. 10*, de locis V. T. e quibus divinitas Christi jam To-
372–376. mo II, demonstrata est. Cap. III, probat *divinitatem spiritus*
sancti, ubi VII locorum & argumentorum classes exhibentur,
377–381. tandemque demonstratio de vera spiritus sancti personalitate
subjicitur.

Sectio II partis posterioris tractat reliquas relig. Chr. do-
ctrinas, præcipue ad *Christologiam* pertinentes: ubi cap. I, agit
de officio Christi *sacerdotali*, & in eo de salutis nostræ funda-
382–483. mento & acquisitione; cujus membrum 1, agit de satisfactione
484–533. forensi, XXXIV propositionibus tractata, membr. 2, de justifi-
catione, tanquam satisfactionis applicatione. Cap. II, de officio
Christi *prophetico*, & in eo de partæ salutis promulgatione, & sic
536–549. de salutis ordine, ubi membr. 1, de regeneratione, 2 de fide, quæ
549–628. justificat. 3 De fide quatenus justificat. Cap. III, de officio
628–686. Christi *regio*, & in eo de applicatæ salutis possessione, amplifi-
686. catione & consummatione; ubi membr. 1, *de juribus ac bene-*
ficiis, quibus Christi cives in regno gratiæ ac salutis fruuntur, re-
feren-

ferendis partim ad Deum *patrem*, ut sunt adoptio, cura Dei pa- 690–696.
terna, curatorum hereditas æterna; partim ad Dei *filium*, ut sunt 696 – 711.
justitia, pax & libertas spiritualis; partim ad *Spiritum* sanctum, 711 – 729.
ut sunt illuminatio, lætitia & rectio Spiritus sancti: quibus sub- 729 – 742.
junguntur alia charismata & beneficia, ad *Deum trinunum* refe-
renda, ut sunt unio cum Deo, robur spirituale & certitudo salutis,
quorum omnium complexus est inunctione, & inde oriente di-
gnitate sacerdotii spiritualis & regalis. Membrum 2 agit *de of-* 242.
ficiis civium in regno Christi, ubi seposita ipsa officiorum tra- 748 – 784.
ctatione, agitur de criteriis, quibus opera gratiæ ab operibus
naturæ sunt distinguenda, tum V generalibus, tum VII spe-
cialibus.

Liber II est argumenti *elenchtici*, ejusque Pars I *Anti-Judai-
ca*, ubi cap. I exhibet Isagogen generaliorem in elenchum An- 767–783.
ti-Judaicum & in dialysin objectionum Judaicarum, cap. 2 dialy- 783 – 798.
sin specialem objectionum adversus Christi Genealogiam. Pars 800.
II *Anti-Sociniana*, ubi cap. I agit 1) de *mysterio S. Trinitatis*, 804 – 845.
2) de divinitate *Filii*; 3) de divinitate *Spiritus S.* disjectis ubique
Socinianorum objectionibus, Cap. II de *statu* Christi duplici; 846 – 856.
Cap. III de *officio* Christi triplici; Cap. IV de aliis circa salutis 856 – 912.
ordinem Socinianorum erroribus. Pars III, *Anti-Pontificia*, ubi 912 – 987.
errores Pontificiorum disponuntur secundum officium Christi
triplex, adeoque agitur de erroribus, 1) qui officio *sacerdotali* 987–1027.
repugnant, ut de satisfactione Christi, de sacrificio Missæ incru-
ento, de purgatorio, de invocatione Sanctorum, de cultu reliquia-
rum & imaginum religioso, de potestate indulgentias dispen-
sandi, de re monastica, de pœnitentia, fide, justificatione & bonis
operibus; 2) qui officio Christi *Prophetico* repugnant; ut de 1028–1060.
Scriptura sacra, de statu integritatis ac imagine Dei, de peccato,
de libero arbitrio, de sacramentis, de ministerio ecclesiastico;
3) qui officio Christi *regio* repugnant, ut de vicario ecclesiæ ca- 1061–1075.
pite & notis ecclesiæ.

Tantam rerum copiam, mirum profecto est, quomodo Ven. Autor tanta brevitate complecti potuerit, ita tamen, ut illorum omnium, quæ alias in integris voluminibus diffuse tractantur, nervos omnes, cum in confirmanda thesi, tum in refel-

lendis dissentientium argumentis & objectionibus, præmisso controversiæ cujusvis statu, exhibeat. Statuerat secum, elenchum *Anti-Muhammedanum* adjicere, sed indignos judicavit absurdos errores, qui operose refutarentur. Tractationem vero controversiarum, quæ nobis cum ecclesia *Reformata* intercedunt, quo minus adjecerit, tomi mensuram, quæ plura non ceperit, impedivisse, in præfatione profitetur. Demonstrationis, quam singuli causæ Dei Tomi conjunctim exhibent, summam his quinque positionibus Ven. Autor includit. 1) *Datur religio naturalis.* 2) *Et hæc nos deducit ad revelatam, traditam in Scriptura sacra.* 3) *Scriptura sacra, & doctrina in ea contenta, est divina.* 4) *Systema doctrinæ evangelicæ est Scripturæ sacræ conforme, ideoque verum.* 5) *Systema Theologiæ Judaicæ hodiernæ, nec non Socinianæ ac Pontificiæ, Scripturæ sacræ repugnat, ideoque falsum est.* Sub finem præfationis Autor indicat, se, hoc labore absoluto, ad labores *exegeticos* reverti, cœptasque *commentationes in singulas N. T. epistolas Apostolicas*, una cum *Isagoge in lectionem & anacrysin Apocalypseos*, uno volumine majori edendas, sedulo pertexere; ad quod opus feliciter absolvendum largam divinæ gratiæ mensuram ipsi apprecamur.

J. C. S. EXPLANATIO INSCRIPTIONIS *cujusdam veteris.*

NOta est Inscriptio illa Bononiensis:

D. M.
ÆLIA LÆLIA CRISPIS
NEC VIR, NEC MULIER,
NEC ANDROGYNA,
NEC PUELLA, NEC IUVENIS,
NEC ANUS,
NEC CASTA, NEC MERETRIX,
NEC PUDICA,
SED OMNIA,
SUBLATA
NEQUE FAME, NEQUE FERRO,

NEQUE

NEQUE VENENO,
SED OMNIBUS.
NEC COELO, NEC TERRIS,
NEC AQUIS,
SED UBIQUE IACET.
LUCIUS AGATHO PRISCIUS,
NEC MARITUS, NEC AMATOR,
NEC NECESSARIUS,
NEQUE MOERENS, NEQUE GAUDENS,
NEQUE FLENS,
HANC
NEC MOLEM, NEC PYRAMIDEM,
NEC SEPULCHRUM,
SED OMNIA,
SCIT, ET NESCIT, CUI POSUERIT.

II Satis celebres ſunt interpretationes Richardi Witii, Joannis Turrii, Franciſci Scoti, Nicolai Barnaldi, Andreæ Nesmondii, Joannis Caſperii Gevartii, Octavii Boldonii, Marci Zoerii Bocks-hornii, Fortunii Liceti, Ovidii Montalbani, Aldrovandi, Achillis Voltæ, Zachariæ Pontini, Caroli Cæſaris Malvaſiæ, Heumanni, Franciſci Maſtrii, & multorum aliorum. Sed nihilo minus novæ conjecturæ erit locus. III Nos quidem nihil addubitamus, quin *Ælia Lælia Criſpis* ſit Eccleſia, qualis fere his in terris eſſe ſolet. Nam cœtus Chriſti, qui uno capite a Deo eſt ornatus & corporis Chriſti nomine honeſtatur, de ſententia ipſius Pauli *nec vir eſt, nec mulier*, Galat. III, 28, ſed ex viris tamen & mulieribus & puellis & juvenibus conjunctus. IV Autor inſcriptionis fœminæ nomen dedit eccleſiæ, quia ſponſa Chriſti eſt Eccleſia. Caſta tamen non eſt, nec pudica hæc ſponſa, ſi veterem ejus conditionem ſpectes, & eam identidem propter imbecillitatem humauam a ſponſo deſciſcere memineris. Meretrix tamen non eſt, quia ſponſo reconciliata per ejus exuperantiam caſtitatis & honeſtatis condecoratur, ut ipſa quoque caſtiſſima eſſe videatur. V Cœtus hujus membra alia aliis ſuppliciis excruciata occiderunt, & poſt mortem alia alibi ſuum ſortita ſunt locum. Nullum quidem mortis genus eſt, quod non alios Chriſtianos alibi

sustulerit. Eorum autem corpora cum misere fuerint dilacerata & dispersa: *ubique* jacere vere dicuntur. VI *Lucius Agatho Priscius* Autor hujus inscriptionis existimandus est, sive verum hoc ejus nomen fuit, sive commentitium. Dicitur autem nec *maritus* esse, nec *amator*. Maritum quidem ecclesiæ nemo se dixerit sanus. Neque magis amatorem se quisquam appellaverit. Cum enim ecclesiæ his in terris degentis membra multa sæpe sint peccatis contaminata, peccatis autem nemo non recte sit offensus & infestus: amatorem talium personarum nemo se temere profitebitur. VII Idem Priscius nec *mærere* nec *gaudere* nec *flere* dicitur. Cum enim singula cœtus Christiani membra vitæ rationibus mirifice discrepent: profecto nec amoris nec gaudii nec mœroris materia queunt esse promiscue. VIII Monumentum autem quod cœtui illi Christiano posuerat autor, moles fuit pyramidis speciem quoquo modo imitata, quæ sepeliendi, item ut pyramides Ægyptiæ, locum daret. Magnifica quidem moles illa non fuit, si artem spectares: magnifica tamen satis, si situm ac naturam loci. Moles autem de operibus artis potiore quodam jure vulgo dici putatur. Multa quidem loca & opera ex alio atque alio loco considerata vel moles vel pyramides videantur, quæ ipsa tamen per se & aliis rursus e locis spectata nihil molis nec pyramidis habere videntur. IX Et quia monumentum idem, cum hæc inscriptio confingebatur, nondum cadavera hominum sepulta continebat, & aliis item usibus sacratum erat, uti templa nostra fere sacrata sunt: fidenter sepulcrum esse negatur, quamvis etiam sepulcrum esset, & esse deberet. X Sed Priscius cum nesciret, qui tandem forent ii, qui huc inferrentur aut mole illa uterentur, quanquam hominum usum facile prævidere poterat & eum ipse spectaverat: belle ait se & *scire & nescire, cui monumentum istud posuerit*. Scienter quidem loquitur tam inscienter, uti inscienter fecerat monumentum illud & scienter. XI Neque vero quenquam offendi velim literis *D. M.* quæ gentilium monumenta tam crebro insigniunt. Certum est enim ex libris Fabretti, Gruteri & aliorum qui inscriptiones collegerunt, easdem a monumentis Christianorum non magis abesse solere. Et quoniam illæ *Deum Magnum* signare possunt, saltem in Christianorum monumentis cum

cum unum signare debent, propterea quod religio illorum præter unum Deum nihil augusti nec summo honore digni agnoscit: non poterunt eæ hic certe in aliam sententiam detorqueri. XII Nam quod caput causæ nostræ est, inscriptio hæc a Christianis profecta est, & eo quidem tempore proponi cœpit, cum jam dudum orbis terræ & præsertim etiam Italia religioni sibi duxisset, religionis non esse Christianæ. Insculpta est quoque templo, cui convenientissima erat & jure suo debita. Et quia *ecclesiæ* nomen jam eo tempore ad *templa* quoque adhæserat: Autori Inscriptionis utraque vocabuli hujus vis ante oculos obversata videtur. XIII Ita igitur consilium quoque scriptoris perspectum nobis est & exploratum. Quando ergo nihil est totius inscriptionis, ad quod non quadret nostra interpretatio: eruditi judicent, satisne fecerimus operæ pretium.

NOVA LITTERARIA.

CUm nuper in manus nostras inciderit scheda Typographi Veronensis, qua liber novus nuntiatur, eam hoc loco describere non gravabimur: est vero hæc: *Officii mei esse duxi, ego Albertus Tumermannus, Typographus Veronensis, ut omnibus significarem, intra proximum Januarii mensem proditurum e typis meis Marchionis* Scipionis Maffeji *Opus, cui titulus: Ars Critica Diplomatica, seu ejus specimen duobus libris prioribus comprehensum, in quibus Historia continetur documentorum cujuscunque generis. Ex iis satis apparebit, quam erroris plena hactenus fuerit eorum opinio, qui rem hanc operibus in lucem præterito seculo editis exhaustam omnino & absolutam putant. Etenim quæ ferme omnia duobus hisce libris continentur, nova sunt, quæque nemo alius animadverterit, etsi ab iis reliqua omnia tanquam a radice sua oriantur. Veruntamen, cum & libro primo pateat, instrumentorum usum vel apud Etruscos invaluisse, addita est de primis antiquissimis Italis Dissertatio, qua Autor idem ignotam adhuc Etruscorum originem pandit, Etruscæque linguæ vestigia ostendit, quæ Bochartum, Scaligerum ceterosque omnes hactenus latuere. In*

eadem

eadem Dissertatione ostenditur, quaenam prima fuerit Latina lingua, ac linguae ejusdem monumenta a nemine hactenus agnita ostenduntur. Cum autem eodem in opere monumentorum series utilissima promittatur, idcirco & specimen quoddam hujus rei hic exhibetur, ex duobus ineditis Historicis, itemque instrumentis tribus seculi sexti, quorum authentica servantur in philyra. Cum vero liber Sardiniae Regi inscriptus sit, in calce nuncupatoriae Epistolae icon Arcus collocatur, qui Secusiae est, cum sculptili ejus opere universo, cumque ejus integra plenaque inscriptione, in qua complura ignotarum gentium nomina insunt, veteri Geographiae nondum comperta, aliaque scitu dignissima. Eam inscriptionem complures eruditi, qui ad invisendam se contulerunt, hactenus frustra exscribere conati sunt. In libri fine placuit opusculum aliud addere Auctoris ejusdem, quod ferme ineditum dici potest, adeo pauca ejusdem exemplaria excusa fuere: qua de re, ab iis qui ultra montes degunt, quotidie efflagitatur: id est Epistola S. Jo. Chrysostomi ad Caesarium, prout in codice Florentino visitur, cum fragmentis duobus ex Graeco originali noviter repertis, & animadversionibus tam celebrem quaestionem demum enodantibus. Veronae Kal. Dec. A. 1726.

Prodit cum hoc Mense Supplem. Tomi IX Sectio VII, qua exhibentur: *1 Eustachii Manfredi* Mercurii Solis congressus observatus, Bonon. 1724, 4; *2 Jo. Rizzetti* Diss. de Lunae defectu; *3 Ejusd.* Ludorum Scientiae Continuatio; *4 Frid. Sim. Laefleri* Specimen Exegeseos sacrae in explanatione parabolae de Patre-familias & operariis in vinea. Lips. 1726, 4. *5 Maximil. Wietrovvsky* Historia de magno Schismate Occidentis, Vetero-Pragae 1724, fol. *6 Jac. Paul. a Gundling* Atlas Brandenburgicus, Potsdami 1724, 8; *7 Ejusd.* Atlas Pomeranicus, ib. 1724, 8; *8 Jo. Gottlieb Heineccii* Elementa Juris Civilis &c. Amstel. 1725, 8. it. eadem Elementa cum Animadv. *Jo. Georgii Estor*, Giessae 1727, 8. *9 Morelli de Mautour* Observatio de Ara Apollinis Colmariae nuper reperta &c.

No. VIII. 337

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCXXVII.

HISTORIÆ COELESTIS BRITANNICÆ Volumina tria; Autore JOANNE FLAMSTEDIO, Astronomo Regio.

Londini, apud Henr. Meere, 1725, fol. maj.

Alph. 13.

J*Oannes Flamstedius*, hujus libri Autor, natus *Derbiæ* A. 1646 d. 19 Aug. & defunctus *Grenovici* A 1719 d. 31 Dec. primum in patria sua, deinde ab A. 1676 Grenovici, prope Londinum, observationibus Astronomicis, annis fere 50, auspiciis & sumtibus regiis vacavit. Cujus quanto majora sunt in astrorum scientiam merita, tanto etiam hic, qui nunc prodit, collectarum tam longe tempore observationum thesaurus magis a rerum peritis æstimabitur. Opus integrum *Flamstedius* ipse quidem absolvit, sed cum magna ejusdem pars typis jam exscripta esset, eidem immortuus est.

Volumen primum continet stellarum fixarum & planetarum omnium observationes, sextante & micrometro peractas, subjunctis locis, quæ ex observationibus deducta sunt. Partibus constat septem. Pars I observationes Derbienses, P. II Grenovicenses habet, quæ quidem spectant ad stellarum fixarum distantiam. Pars III refert observationes cometarum & planetarum primariorum. Narrat ibidem de cometa A. 1677, quod caput ejus, diametri unius minuti, telescopio consideratum, non rotundum sed asperum apparuerit, caudamque traxerit, latam $\frac{1}{4}$ diam. lunaris, & 6 gradus longam. Parte IV appulsus Lunæ ad fixas, P. V satellitum Jovialium, P. VI macularum Solarium, P. VII altitu-

titudinum & diſtantiarum Solis a vertice, itemque diſtantiarum Veneris a Sole, obſervationes, ab A. 1676 ad A. 1689 factas, comprehendit.

Volumen ſecundum complectitur fixarum ſtellarum & planetarum omnium tranſitus per planum arcus meridionalis, & diſtantias eorum a vertice, nec non Solis, Lunæ & ſatellitum Jovis obſervationes arcu meridionali habitas, & loca planetarum inde derivata, ab A. 1689 ad A. 1720.

In *Volumine tertio* occurrunt ampliſſima prolegomena, catalogo ſtellarum præmiſſa. In iis uberius diſſerit Autor de hi-
p. 1. ſtoria Aſtronomiæ. Putat igitur, ex hiſtoria Moſaica apparere, quod Patriarchæ annos ſolares, ab exordio mundi computatos, & præterea menſes lunares habuerint, quos abſque aliqua motuum ſolarium & lunarium notitia definire haud potuerint, & inde colligit eos Aſtronomiam coluiſſe. A Patriarchis, ſecundum
9. Flamſtedii ſententiam, pervenit hoc ſtudii genus ad Iſraelitas, a quibus, cum inter Babylonios captivi tenerentur, Chaldæi eandem ſcientiam didicerunt. Eodem fere tempore Pythagoram in Babyloniam veniſſe, & a Judæis principia Aſtronomiæ accepiſſe,
16. arbitratur. Ptolemæi Catalogum eſſe Hipparcheum, traductum ad initium regni Antonini, addendo Hipparchi longitudinibus 2 gr. 4 min. ſed erraſſe Ptolemæum, quia annis 265 motus fixa-
19. rum antrorſum eſt 3 gr. 41 min. De armillis Eratoſthenis ex Procli hypotypoſ. Aſtron. C. II colligit, diametrum earum 3 pedum,
20. & gradus in 5 minuta diviſos fuiſſe. Arabes tales non ſolum armillas habuiſſe, ſed eas ampliores feciſſe, & quadrantes quoque
34. & ſextantes eſſe fabricatos. Regem Alphonſum, cum novas ſuas tabulas componeret, id tantum propoſitum habuiſſe, ut eas conformaret Ptolemaicis, & obſervationibus notatu dignioribus fuiſ-
36. ſe deſtitutum. Obſervationes recentiorum, Joannis Regiomontani, Bern. Walteri, & Nicolai Copernici, vel proterea meliores eſſe cenſendas, quia regulis parallacticis, quæ armillis multum
43 ſq. præſtant, factæ ſunt. Agit etiam copioſius de Tychonicis inſtrumentis, & totam fere Aſtronomiæ inſtauratæ mechanicam a Tychone editam, inſertam prolegomenis ſuis, repetit, nec veretur Tychonicis inſtrumentis ſuum ſextantem & quadrantem, inſtru-

ſtructum duabus cochleis perennibus, & duobus ſemicirculis dentatis, præferre. Hinc exponit de ſuis obſervationibus. Anno nimirum 1676 ingreſſus eſt obſervatorium regium Grenovicenſe, adhibuitque cœli ſpectaculis ſextantem, cujus limbus erat cochleatus, & duo pendula, hisque primum fixarum diſtantiam, inde etiam planetas menſurare eſt auſpicatus. Sextantem & quadrantem meridionalem, muralem, poſtea paratum, uberius deſcribit. Tandem de catalogo ſuo fixarum, & harum figuris ſpeciatim diſſerit, & monet, ſe debuiſſe recedere a Bayeri mappis, in Uranometria exhibitis, tum, quoniam figuras ex Catalogo Tychonico deſumſit, quasdam etiam viſu tantum æſtimatas addidit, tum etiam quia omnes formas humanas, præter Bootem, Andromedam & Virginem, depinxit, partibus poſterioribus ad nos converſis, qua ratione aſtra, quæ veteres Aſtronomi collocarunt in partibus dextris, cadunt ſecundum eum in ſiniſtras. Putat autem, Bayerum deceptum eſſe lexicographorum interpretatione vocum *ἐν νώτῳ*, in dorſo, & *ἐν μεταφρένῳ*, in interſcalpilio, quæ apud Ptolemæum leguntur. Flamſtedius *νῶτον* coſtas, *μετάφρενον* ſpatium inter lumbos & ſcapulas interpretatur, & quidem non ſolum a poſteriore, ſed etiam ab anteriore parte.

p. 102 ſq.
107 ſq.
154 ſq.
156.

Prolegomenis hiſce pars prima voluminis abſolvitur. *Pars ſecunda* continet præcipuos Catalogos fixarum ante ſe editos: *Ptolemaicum* ex MS. correctum, *Ulugbeighii*, *Tychonis*, *Guilielmi* Haſſiæ Landgravii, & *Hevelii*, nec non *Abr. Sharpii* indicem fixarum auſtralium, in noſtro hemiſphærio haud conſpicuarum. *Parte tertia* ſequitur *Catalogus Britannicus*, ad A. C. 1689, a Flamſtedio elaboratus. Et ſubjunguntur eidem ſeparatim longitudines & latitudines ſtellarum fixarum, quas Luna & planetæ tegere poſſunt. Additur etiam appendicula tabularum aſtronomicarum a *Sharpio* conſtructarum.

THE RELIGION OF NATURE DELINEATED.

i. e.

RELIGIO NATURALIS DELINEATA.

Londini, apud B. Lintot, W. & J. Innys & rel. 1726, 4.

Alph. 1 plag. 6.

OCcaſio hoc ſcriptum elaborandi Cl. Autori, *Wilhelmo Wollaſton*, qui nomen in titulo omittens, adſcripſit tamen in fine operis, ſuppeditata fuit, cum Vir quidam illuſtris ab eo quæreret, an detur religio naturalis? & ſi talis exiſtat, quidnam ſit? ac quibus mediis homo aptus fieri queat, ut de variis religionibus rectam ferre ſententiam, quidve de controverſis dogmatibus ſit judicandum, ſolide cognoſcere & hoc modo vera animi tranquillitate frui poſſit, ita ut neque aliis ſit moleſtus, neque ab aliis ſuam ſibi tranquillitatem eripi patiatur? Ut ad haſce quæſtiones Autor accurate reſponderet, totum Syſtema ſuum certis ſectionibus ac propoſitionibus incluſit, quas in textu ſubjuncto fuſe explicat; ſub ſingulis autem paginis notæ conſpiciuntur, teſtimonia ex Philoſophis Græcis, Romanis & Hebræis continentes, ita tamen ut neque in ſermonem vernaculum transferantur, neque loca, ex quibus depromta ſunt, indicentur. Prima Sectio agit de bono & malo morali. Nam fundamentum religionis Autor collocat in diſcrimine inter actiones vel moraliter bonas vel malas vel indifferentes intercedente, & ad talem actionem requiri ait, ut ab agente intellectus ac liberæ voluntatis compote ſuſcipiatur. Ubi imprimis ceu certum axioma ponit: hominem æque factis ac verbis veritati contradicere ac negare poſſe, quod res ſint id, quod tamen revera ſunt; nullam vero actionem hominis rationalis, cui bonum vel malum morale imputari poteſt, pro bona haberi poſſe, quæ veritati contradicat, aut neget, rem eſſe id, quod reapſe eſt. Quæ cum ita ſint circa actiones cum veritate pugnantes; exinde manifeſtum eſt, idem dicendum fore de quacunque omiſſione, qua res homini rationali agenda negligitur: nimirum per hujusmodi omiſſionem veritas itidem læditur, nam tum homo ita ſe gerit, ac ſi falſum eſſet, rationem ac legem naturalem tale quid præcipere, quod tamen revera præcipit, & tum tales omiſſiones ex eodem fundamento paulo ante allegato ſunt moraliter malæ & injuſtæ, ſiquidem bonum & malum morale cum juſto & injuſto ſint unum idemque. Hinc actiones cum veritate pugnantes eſſe vitandas ceu moraliter malas, & e contrario actiones veritati convenientes eſſe ſuſcipiendas ceu moraliter bonas. Ex hiſce principiis

fuſe

fuse deductis, nimirum existentia boni & mali moralis, jam Autor concludit, dari omnino religionem, quæ proprie dici queat naturalis. Per religionem autem se intelligere dicit obligationem, vi cujus teneamur illud facere, quod non est omittendum, ac omittere ea, quæ non sunt facienda. Omne igitur Ens intellectu ac libera voluntate præditum se ita gerere debet, ut in nulla actione contradicat veritati, sed de quacunque re veritati ac naturæ rei convenienter sentire, loqui & agere pro virili satagat, id quod Autor multis testimoniis Ethnicorum, Judæorum & Christianorum confirmat, & simul ad objectiones respondet, quæ contra hæc principia, omnia religionis naturalis officia, quin etiam discrimen essentiale inter bonum & malum morale continentia, afferri possent. Quo facto in Sect. II inquirit in naturam ac indolem veræ felicitatis, ubi capita primaria eo redeunt, veram felicitatem nulla re, quæ veritati sit contraria, effici posse, & veritatem ejusque exercitium homines non posse reddere infelices, adeo ut genuina via ad veram felicitatem & constans veritatis exercitium sint unum idemque; omnque doctrina de religione naturali nitatur discrimine boni & mali in ipsa rerum natura fundato, quandoquidem, Cicerone teste L. I de legibus, honesta & turpia in opinione, non natura posita existimare dementis sit: omnino religio naturalis exacte convenit cum ea doctrina, quæ veram hominis felicitatem pro scopo habet præfixam, quatenus ea quoque nititur hoc discrimine, quod inter delectationem aut tranquillitatem & dolorem aut anxietatem deprehenditur. Quapropter cum omnia ad veritatem redeant, in Sect. III disquiritur, quid sit ratio, & quibus mediis veritas obtineri queat. Ubi per rationem intelligit facultatem Entis intelligentia præditi, cujus beneficio veritates ignotæ ex magis notis ac perspicuis eliciuntur ac deducuntur. Hic Autor supponit ideas generales, immediatas, neutiquam ope sensuum acquisitas & abstractas, cujusmodi multas ad Logicam, Metaphysicam & Mathematicam pertinentes in nobis deprehendimus, de quarum certitudine nobis intime sumus conscii, & quarum beneficio ratiocinationes ac demonstrationes fiunt, qua occasione contra Scepticos & Pyrrhonios rectam rationem ac veri-

OCcaſio hoc ſcriptum elaborandi Cl. Autori, *Wilhelmo Wollaſton*, qui nomen in titulo omittens, adſcripſit tamen in fine operis, ſuppeditata fuit, cum Vir quidam illuſtris ab eo quæreret, an detur religio naturalis? & ſi talis exiſtat, quidnam ſit? ac quibus mediis homo aptus fieri queat, ut de variis religionibus rectam ferre ſententiam, quidve de controverſis dogmatibus ſit judicandum, ſolide cognoſcere & hoc modo vera animi tranquillitate frui poſſit, ita ut neque aliis ſit moleſtus, neque ab aliis ſuam ſibi tranquillitatem eripi patiatur? Ut ad haſce quæſtiones Autor accurate reſponderet, totum Syſtema ſuum certis ſectionibus ac propoſitionibus incluſit, quas in textu ſubjuncto fuſe explicat; ſub ſingulis autem paginis notæ conſpiciuntur, teſtimonia ex Philoſophis Græcis, Romanis & Hebræis continentes, ita tamen ut neque in ſermonem vernaculum transferantur, neque loca, ex quibus depromta ſunt, indicentur. Prima Sectio agit de bono & malo morali. Nam fundamentum religionis Autor collocat in diſcrimine inter actiones vel moraliter bonas vel malas vel indifferentes intercedente, & ad talem actionem requiri ait, ut ab agente intellectus ac liberæ voluntatis compote ſuſcipiatur. Ubi imprimis ceu certum axioma ponit: hominem æque factis ac verbis veritati contradicere ac negare poſſe, quod res ſint id, quod tamen revera ſunt; nullam vero actionem hominis rationalis, cui bonum vel malum morale imputari poteſt, pro bona haberi poſſe, quæ veritati contradicat, aut neget, rem eſſe id, quod reapſe eſt. Quæ cum ita ſint circa actiones cum veritate pugnantes; exinde manifeſtum eſt, idem dicendum fore de quacunque omiſſione, qua res homini rationali agenda negligitur: nimirum per hujusmodi omiſſionem veritas itidem læditur, nam tum homo ita ſe gerit, ac ſi falſum eſſet, rationem ac legem naturalem tale quid præcipere, quod tamen revera præcipit, & tum tales omiſſiones ex eodem fundamento paulo ante allegato ſunt moraliter malæ & injuſtæ, ſiquidem bonum & malum morale cum juſto & injuſto ſint unum idemque. Hinc actiones cum veritate pugnantes eſſe vi[illegible] ceu moraliter malas, & e contrario actiones veritati c[illegible] tes eſſe ſuſcipiendas ceu moraliter bonas. Ex hi[illegible]

fuse deductis, nimirum existentia boni & mali moralis, jam Autor concludit, dari omnino religionem, quæ proprie dici queat naturalis. Per religionem autem se intelligere dicit obligationem, vi cujus teneamur illud facere, quod non est omittendum, ac omittere ea, quæ non sunt facienda. Omne igitur Ens intellectu ac libera voluntate præditum se ita gerere debet, ut in nulla actione contradicat veritati, sed de quacunque re veritati ac naturæ rei convenienter sentire, loqui & agere pro virili satagat, id quod Autor multis testimoniis Ethnicorum, Judæorum & Christianorum confirmat, & simul ad objectiones respondet, quæ contra hæc principia, omnia religionis naturalis officia, quin etiam discrimen essentiale inter bonum & malum morale continentia, afferri possent. Quo facto in Sect. II inquirit in naturam ac indolem veræ felicitatis, ubi capita primaria eo redeunt, veram felicitatem nulla re, quæ veritati sit contraria, effici posse, & veritatem ejusque exercitium homines non posse reddere infelices, adeo ut genuina via ad veram felicitatem & constans veritatis exercitium sint unum idemque; cumque doctrina de religione naturali nitatur discrimine boni & mali in ipsa rerum natura fundato, quandoquidem, Cicerone teste L. I de legibus, honesta & turpia in opinione, non natura posita existimare dementis sit: omnino religio naturalis exacte convenit cum ea doctrina, quæ veram hominis felicitatem pro scopo habet præfixam, quatenus ea quoque nititur hoc discrimine, quod inter delectationem aut tranquillitatem & dolorem aut anxietatem deprehenditur. Quapropter cum omnia ad veritatem redeant, in Sect. III disquiritur, quid sit ratio, & quibus mediis veritas obtineri queat. Ubi per rationem intelligit facultatem Entis intelligentia præditi, cujus [illegible] ignotæ ex magis notis ac perspicuis [illegible] deduc[illegible]c Auto[illegible] supponit ideas generales, [illegible] sensu acquisitas & abstractas, cujus [illegible] ad [illegible] physicam & Mathe[illegible] [illegible]

sustulerit. Eorum autem corpora cum misere fuerint dilacerata & dispersa: *ubique* jacere vere dicuntur. VI *Lucius Agatho Priscius* Autor hujus inscriptionis existimandus est, sive verum hoc ejus nomen fuit, sive commentitium. Dicitur autem nec *maritus* esse, nec *amator*. Maritum quidem ecclesiæ nemo se dixerit sanus. Neque magis amatorem se quisquam appellaverit. Cum enim ecclesiæ his in terris degentis membra multa sæpe sint peccatis contaminata, peccatis autem nemo non recte sit offensus & infestus: amatorem talium personarum nemo se temere profitebitur. VII Idem Priscius nec *mœrere* nec *gaudere* nec *flere* dicitur. Cum enim singula cœtus Christiani membra vitæ rationibus mirifice discrepent: profecto nec amoris nec gaudii nec mœroris materia queunt esse promiscue. VIII Monumentum autem quod cœtui illi Christiano posuerat autor, moles fuit pyramidis speciem quoquo modo imitata, quæ sepeliendi, item ut pyramides Ægyptiæ, locum daret. Magnifica quidem moles illa non fuit, si artem spectares: magnifica tamen satis, si situm ac naturam loci. Moles autem de operibus artis potiore quodam jure vulgo dici putatur. Multa quidem loca & opera ex alio atque alio loco considerata vel moles vel pyramides videantur, quæ ipsa tamen per se & aliis rursus e locis spectata nihil molis nec pyramidis habere videntur. IX Et quia monumentum idem, cum hæc inscriptio confingebatur, nondum cadavera hominum sepulta continebat, & aliis item usibus sacratum erat, uti templa nostra fere sacrata sunt: fidenter sepulcrum esse negatur, quamvis etiam sepulcrum esset, & esse deberet. X Sed Priscius cum nesciret, qui tandem forent ii, qui huc inferrentur aut mole illa uterentur, quanquam hominum usum facile prævidere poterat & eum ipse spectaverat: belle ait se & *scire & nescire, cui monumentum istud posuerit*. Scienter quidem loquitur tam inscienter, uti inscienter fecerat monumentum illud & scienter. XI Neque vero quenquam offendi velim literis *D. M.* quæ gentilium monumenta tam crebro insigniunt. Certum est enim ex libris Fabretti, Gruteri & aliorum qui inscriptiones collegerunt, easdem a monumentis Christianorum non magis abesse solere. Et quoniam illæ *Deum Magnum* signare possunt, saltem in Christianorum monumentis

cum

cum unum signare debent, propterea quod religio illorum præter unum Deum nihil augusti nec summo honore digni agnoscit: non poterunt ex hic certe in aliam sententiam detorqueri. XII Nam quod caput causæ nostræ est, inscriptio hæc a Christianis profecta est, & eo quidem tempore proponi cœpit, cum jam dudum orbis terræ & præsertim etiam Italia religioni sibi duxisset, religionis non esse Christianæ. Insculpta est quoque templo, cui convenientissima erat & jure suo debita. Et quia *ecclesiæ* nomen jam eo tempore ad *templa* quoque adhæserat: Autori Inscriptionis utraque vocabuli hujus vis ante oculos obversata videtur. XIII Ita igitur consilium quoque scriptoris perspectum nobis est & exploratum. Quando ergo nihil est totius inscriptionis, ad quod non quadret nostra interpretatio: eruditi judicent, satisne fecerimus operæ pretium.

NOVA LITTERARIA.

CUm nuper in manus nostras inciderit scheda Typographi Veronensis, qua liber novus nuntiatur, eam hoc loco describere non gravabimur: est vero hæc: *Officii mei esse duxi, ego Albertus Tumermannus, Typographus Veronensis, ut omnibus significarem, intra proximum Januarii mensem proditurum e typis meis Marchionis* Scipionis Maffeji *Opus, cui titulus: Ars Critica Diplomatica, seu ejus specimen duobus libris prioribus comprehensum, in quibus Historia continetur documentorum cujuscunque generis. Ex iis satis apparebit, quam erroris plena hactenus fuerit eorum opinio, qui rem hanc operibus in lucem præterito seculo editis exhaustam omnino & absolutam putant. Etenim quæ ferme omnia duobus hisce libris continentur, nova sunt, quæque nemo alius animadverterit, etsi ab iis reliqua omnia tanquam a radice sua oriantur. Veruntamen, cum & libro primo pateat, instrumentorum usum vel apud Etruscos invaluisse, addita est de primis antiquissimis Italis Dissertatio, qua Autor idem ignotam adhuc Etruscorum originem pandit, Etruscæque linguæ vestigia ostendit, quæ Bochartum, Scaligerum ceterosque omnes hactenus latuere. In*

eadem

eadem Dissertatione ostenditur, quanam prima fuerit Latina lingua, ac linguæ ejusdem monumenta a nemine hactenus agnita ostenduntur. Cum autem eodem in opere monumentorum series utilissima promittatur, idcirco & specimen quoddam hujus rei hic exhibetur, ex duobus ineditis Historicis, itemque instrumentis tribus seculi sexti, quorum authentica servantur in philyra. Cum vero liber Sardiniæ Regi inscriptus sit, in calce nuncupatoriæ Epistolæ icon Arcus collocatur, qui Secusiæ est, cum sculptili ejus opere universo, cumque ejus integra plenaque inscriptione, in qua complura ignotarum gentium nomina insunt, veteri Geographiæ nondum comperta, aliaque scitu dignissima. Eam inscriptionem complures eruditi, qui ad invisendam se contulerunt, hactenus frustra exscribere conati sunt. In libri fine placuit opusculum aliud addere Autoris ejusdem, quod ferme ineditum dici potest, adeo pauca ejusdem exemplaria excusa fuere: qua de re, ab iis qui ultra montes degunt, quotidie efflagitatur: id est Epistola S. Jo. Chrysostomi ad Cæsarium, prout in codice Florentino visitur, cum fragmentis duobus ex Græco originali noviter repertis, & animadversionibus tam celebrem quæstionem demum enodantibus. Veronæ Kal. Dec. A. 1726.

Prodit cum hoc Mense Supplem. Tomi IX Sectio VII, qua exhibentur: 1 *Eustachii Manfredi* Mercurii Solis congressus observatus, Bonon. 1724, 4; 2 *Jo. Rizzetti* Diss. de Lunæ defectu; 3 *Ejusd.* Ludorum Scientiæ Continuatio; 4 *Frid. Sim. Læsteri* Specimen Exegeseos sacræ in explanatione parabolæ de Patrefamilias & operariis in vinea. Lips. 1726, 4. 5 *Maximil. Wietrovvsky* Historia de magno Schismate Occidentis, Vetero-Pragæ 1724, fol. 6 *Jac. Paul. a Gundling* Atlas Brandenburgicus, Potsdami 1724, 8; 7 *Ejusd.* Atlas Pomeranicus, ib. 1724, 8; 8 *Jo. Gottlieb Heineccii* Elementa Juris Civilis &c. Amstel. 1725, 8. it. eadem Elementa cum Animadv. *Jo. Georgii Estor*, Giessæ 1727, 8. 9 *Morelli de Mautour* Observatio de Ara Apollinis Colmariæ nuper reperta &c.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCXXVII.

HISTORIÆ COELESTIS BRITANNICÆ Volumina tria; Autore JOANNE FLAMSTEDIO, Astronomo Regio.

Londini, apud Henr. Meere, 1725, fol. maj.

Alph. 13.

JOannes Flamstedius, hujus libri Autor, natus *Derbiæ* A. 1646 d. 19 Aug. & defunctus *Grenovici* A 1719 d. 31 Dec. primum in patria sua, deinde ab A. 1676 Grenovici, prope Londinum, observationibus Astronomicis, annis fere 50, auspiciis & sumtibus regiis vacavit. Cujus quanto majora sunt in astrorum scientiam merita, tanto etiam hic, qui nunc prodit, collectarum tam longe tempore observationum thesaurus magis a rerum peritis æstimabitur. Opus integrum *Flamstedius* ipse quidem absolvit, sed cum magna ejusdem pars typis jam exscripta esset, eidem immortuus est.

Volumen primum continet stellarum fixarum & planetarum omnium observationes, sextante & micrometro peractas, subjunctis locis, quæ ex observationibus deducta sunt. Partibus constat septem. Pars I observationes Derbienses, P. II Grenovicenses habet, quæ quidem spectant ad stellarum fixarum distantiam. Pars III refert observationes cometarum & planetarum primariorum. Narrat ibidem de cometa A. 1677, quod caput ejus, diametri unius minuti, telescopio consideratum, non rotundum sed asperum apparuerit, caudamque traxerit, latam $\frac{1}{4}$ diam. lunaris, & 6 gradus longam. Parte IV appulsus Lunæ ad fixas, P. V satellitum Jovialium, P. VI macularum Solarium, P. VII al-

titudinum & diſtantiarum Solis a vertice, itemque diſtantiarum Veneris a Sole, obſervationes, ab A. 1676 ad A. 1689 factas, comprehendit.

Volumen ſecundum complectitur fixarum ſtellarum & planetarum omnium tranſitus per planum arcus meridionalis, & diſtantias eorum a vertice, nec non Solis, Lunæ & ſatellitum Jovis obſervationes arcu meridionali habitas, & loca planetarum inde derivata, ab A. 1689 ad A. 1720.

In *Volumine tertio* occurrunt ampliſſima prolegomena, catalogo ſtellarum præmiſſa. In iis uberius differit Autor de hi-
p. 1. ſtoria Aſtronomiæ. Putat igitur, ex hiſtoria Moſaica apparere,
quod Patriarchæ annos ſolares, ab exordio mundi computatos, &
præterea menſes lunares habuerint, quos absque aliqua motu-
um ſolarium & lunarium notitia definire haud potuerint, & in-
de colligit eos Aſtronomiam coluiſſe. A Patriarchis, ſecundum
9. Flamſtedii ſententiam, pervenit hoc ſtudii genus ad Iſraelitas, a
quibus, cum inter Babylonios captivi tenerentur, Chaldæi eandem ſcientiam didicerunt. Eodem fere tempore Pythagoram in
Babyloniam veniſſe, & a Judæis principia Aſtronomiæ accepiſſe,
16. arbitratur. Ptolemæi Catalogum eſſe Hipparcheum, traductum
ad initium regni Antonini, addendo Hipparchi longitudinibus
2 gr. 4 min. ſed erraſſe Ptolemæum, quia annis 265 motus fixa-
19. rum antrorſum eſt 3 gr. 41 min. De armillis Eratoſthenis ex Pro-
cli hypotypoſ. Aſtron. C. II colligit, diametrum earum 3 pedum,
20. & gradus in 5 minuta diviſos fuiſſe. Arabes tales non ſolum ar-
millas habuiſſe, ſed eas ampliores feciſſe, & quadrantes quoque
34. & ſextantes eſſe fabricatos. Regem Alphonſum, cum novas ſuas
tabulas componeret, id tantum propoſitum habuiſſe, ut eas con-
formaret Ptolemaicis, & obſervationibus notatu dignioribus fuiſ-
36. ſe deſtitutum. Obſervationes recentiorum, Joannis Regiomon-
tani, Bern. Walteri, & Nicolai Copernici, vel proterea meliores
eſſe cenſendas, quia regulis parallacticis, quæ armillis multum
43 ſq. præſtant, factæ ſunt. Agit etiam copioſius de Tychonicis in-
ſtrumentis, & totam fere Aſtronomiæ inſtauratæ mechanicam a
Tychone editam, inſertam prolegomenis ſuis, repetit, nec veretur Tychonicis inſtrumentis ſuum ſextantem & quadrantem, inſtru-

ſtructum duabus cochleis perennibus, & duobus ſemicirculis dentatis, præferre. Hinc exponit de ſuis obſervationibus. Anno nimirum 1676 ingreſſus eſt obſervatorium regium Grenovicenſe, adhibuitque cœli ſpectaculis ſextantem, cujus limbus erat cochleatus, & duo pendula, hisque primum fixarum diſtantiam, inde etiam planetas menſurare eſt auſpicatus. Sextantem & quadrantem meridionalem, muralem, poſtea paratum, uberius deſcribit. Tandem de catalogo ſuo fixarum, & harum figuris ſpeciatim diſſerit, & monet, ſe debuiſſe recedere a Bayeri mappis, in Uranometria exhibitis, tum, quoniam figuras ex Catalogo Tychonico deſumſit, quasdam etiam viſu tantum æſtimatas addidit, tum etiam quia omnes formas humanas, præter Bootem, Andromedam & Virginem, depinxit, partibus poſterioribus ad nos converſis, qua ratione aſtra, quæ veteres Aſtronomi collocarunt in partibus dextris, cadunt ſecundum eum in ſiniſtras. Putat autem, Bayerum deceptum eſſe lexicographorum interpretatione vocum ἐν νώτῳ, in dorſo, & ἐν μεταφρένῳ, in interſcalpilio, quæ apud Ptolemæum leguntur. Flamſtedius νῶτον coſtas, μετάφρενον ſpatium inter lumbos & ſcapulas interpretatur, & quidem non ſolum a poſteriore, ſed etiam ab anteriore parte. p.102 ſq. 107 ſq. 154 ſq. 156.

Prolegomenis hiſce pars prima voluminis abſolvitur. *Pars ſecunda* continet præcipuos Catalogos fixarum ante ſe editos: *Ptolemaicum* ex MS. correctum, *Ulugbeighii*, *Tychonis*, *Guilielmi* Haſſiæ Landgravii, & *Hevelii*, nec non *Abr. Sharpii* indicem fixarum auſtralium, in noſtro hemiſphærio haud conſpicuarum. *Parte tertia* ſequitur *Catalogus Britannicus*, ad A. C. 1689, a Flamſtedio elaboratus. Et ſubjunguntur eidem ſeparatim longitudines & latitudines ſtellarum fixarum, quas Luna & planetæ tegere poſſunt. Additur etiam appendicula tabularum aſtronomicarum a *Sharpio* conſtructarum.

THE RELIGION OF NATURE DELINEATED.
i. e.
RELIGIO NATURALIS DELINEATA.

Londini, apud B. Lintot, W. & J. Innys & rel. 1726, 4.
Alph. 1 plag. 6.

Occasio hoc scriptum elaborandi Cl. Autori, *Wilhelmo Wollaston*, qui nomen in titulo omittens, adscripsit tamen in fine operis, suppeditata fuit, cum Vir quidam illustris ab eo quæreret, an detur religio naturalis? & si talis existat, quidnam sit? ac quibus mediis homo aptus fieri queat, ut de variis religionibus rectam ferre sententiam, quidve de controversis dogmatibus sit judicandum, solide cognoscere & hoc modo vera animi tranquillitate frui possit, ita ut neque aliis sit molestus, neque ab aliis suam sibi tranquillitatem eripi patiatur? Ut ad hasce quæstiones Autor accurate responderet, totum Systema suum certis sectionibus ac propositionibus inclusit, quas in textu subjuncto fuse explicat; sub singulis autem paginis notæ conspiciuntur, testimonia ex Philosophis Græcis, Romanis & Hebræis continentes, ita tamen ut neque in sermonem vernaculum transferantur, neque loca, ex quibus depromta sunt, indicentur. Prima Sectio agit de bono & malo morali. Nam fundamentum religionis Autor collocat in discrimine inter actiones vel moraliter bonas vel malas vel indifferentes intercedente, & ad talem actionem requiri ait, ut ab agente intellectus ac liberæ voluntatis compote suscipiatur. Ubi imprimis ceu certum axioma ponit: hominem æque factis ac verbis veritati contradicere ac negare posse, quod res sint id, quod tamen revera sunt; nullam vero actionem hominis rationalis, cui bonum vel malum morale imputari potest, pro bona haberi posse, quæ veritati contradicat, aut neget, rem esse id, quod reapse est. Quæ cum ita sint circa actiones cum veritate pugnantes; exinde manifestum est, idem dicendum fore de quacunque omissione, qua res homini rationali agenda negligitur: nimirum per hujusmodi omissionem veritas itidem læditur, nam tum homo ita se gerit, ac si falsum esset, rationem ac legem naturalem tale quid præcipere, quod tamen revera præcipit, & tum tales omissiones ex eodem fundamento paulo ante allegato sunt moraliter malæ & injustæ, siquidem bonum & malum morale cum justo & injusto sint unum idemque. Hinc actiones cum veritate pugnantes esse vitandas ceu moraliter malas, & e contrario actiones veritati convenientes esse suscipiendas ceu moraliter bonas. Ex hisce principiis

fuse

fuſe deductis, nimirum exiſtentia boni & mali moralis, jam Autor concludit, dari omnino religionem, quæ proprie dici queat naturalis. Per religionem autem ſe intelligere dicit obligationem, vi cujus teneamur illud facere, quod non eſt omittendum, ac omittere ea, quæ non ſunt facienda. Omne igitur Ens intellectu ac libera voluntate præditum ſe ita gerere debet, ut in nulla actione contradicat veritati, ſed de quacunque re veritati ac naturæ rei convenienter ſentire, loqui & agere pro virili ſatagat, id quod Autor multis teſtimoniis Ethnicorum, Judæorum & Chriſtianorum confirmat, & ſimul ad objectiones reſpondet, quæ contra hæc principia, omnia religionis naturalis officia, quin etiam diſcrimen eſſentiale inter bonum & malum morale continentia, afferri poſſent. Quo facto in Sect. II inquirit in naturam ac indolem veræ felicitatis, ubi capita primaria eo redeunt, veram felicitatem nulla re, quæ veritati ſit contraria, effici poſſe, & veritatem ejusque exercitium homines non poſſe reddere infelices, adeo ut genuina via ad veram felicitatem & conſtans veritatis exercitium ſint unum idemque; cumque doctrina de religione naturali nitatur diſcrimine boni & mali in ipſa rerum natura fundato, quandoquidem, Cicerone teſte L. I de legibus, honeſta & turpia in opinione, non natura poſita exiſtimare dementis ſit: omnino religio naturalis exacte convenit cum ea doctrina, quæ veram hominis felicitatem pro ſcopo habet præfixam, quatenus ea quoque nititur hoc diſcrimine, quod inter delectationem aut tranquillitatem & dolorem aut anxietatem deprehenditur. Quapropter cum omnia ad veritatem redeant, in Sect. III diſquiritur, quid ſit ratio, & quibus mediis veritas obtineri queat. Ubi per rationem intelligit facultatem Entis intelligentia præditi, cujus beneficio veritates ignotæ ex magis notis ac perſpicuis eliciuntur ac deducuntur. Hic Autor ſupponit ideas generales, immediatas, neutiquam ope ſenſuum acquiſitas & abſtractas, cujusmodi multas ad Logicam, Metaphyſicam & Mathematicam pertinentes in nobis deprehendimus, de quarum certitudine nobis intime ſumus conſcii, & quarum beneficio ratiocinationes ac demonſtrationes fiunt, qua occaſione contra Scepticos & Pyrrhonios rectam rationem ac veri-

ritatem evertere satagentes disputat, & vanissimos eorum conatus esse ostendit. Etenim a falsis ratiocinationibus hominum, facultatibus a Deo concessis propter negligentiam vel pravos affectus male abutentium, inepte concludi, nullam dari rectam rationem. Hinc Propos. X Autor observat, quod rectæ rationi convenienter agere, & secundum veritatem actiones humanas informare, reapse sint unum idemque. Quicunque igitur sequitur rectam rationem, cujus est verum a falso discernere, ille necessario est asfecla veritatis, eidemque convenienter agit. Hæc autem est lex generalis, quam Autor naturæ omnibus creaturis, quarum excellentissima facultas est ratio, præscripsit, ut sedulo auscultare rationem, eidemque obedire debeant, utpote cujus decisiones in casibus particularibus sint leges particulares, quæ ipsas obligent. Unde iterum manifesto elucescat, dari omnino religionem, quæ sit naturalis. Nam obedire legibus autoris naturæ suæ rationalis, est sine dubio quædam religio: ac obedire legi, quæ exinde nobis innotescit, quod facultatibus naturalibus recte utamur, nil aliud est, quam habere religionem naturalem, adeoque veritati addictum esse, viam veræ felicitatis ingredi, eaque facere, quæ rationi conveniunt, sunt revera unum idemque. Hinc religio naturalis fundatur in triplici eodemque arctissimo nexu *veritatis*, *felicitatis* ac *rationis*. Quæ sunt res ad eundem finem tendentes eademque methodo utentes ad debitam perfectionem naturæ humanæ conciliandam. Ac proinde religio naturalis appellari potest inquisitio felicitatis beneficio rationis ac veritatis. Quam ob causam Autor quoque agit de criterio veritatis, id est certa cognitionis nostræ nota, quæ nos plene convincit, quod hæc vel alia doctrina sit vera, ubi omnia redeunt ad evidentiam idearum internam earundemque nexum, uti & consequentiarum exinde deductarum. Ceterum in hac doctrina de certitudine quoque sensuum, nec non probabilitate, quatenus hominum actiones dirigere possunt, Autor agit Propos. XIII & sqq. Cum vero dubium moveri possit, an homo sufficientibus sit instructus viribus secundum veritatem actiones suas instituendi, quamvis concessum fuerit, eum veritatem satis & abunde cognoscere: hinc Autor Sect. IV agit de obligatione Entium imperfectorum

ctorum ratione virium agendi, quibus sunt instructa, ubi Autor, uti alias sæpe, rem altissime repetit & talia haud raro affert, quæ instituto parum inservire posse videbantur. Quo pertinet sine dubio prima propositio in hac Sectione, qua Autor pronunciat, Non-Ens haud esse capax ullius obligationis, addita hac ratione: nam obligare Non-Ens idem est ac non obligare. Sic etiam frustraneum videtur, peculiari propositione indicare, obligationem in Entia vita ac sensu destituta cadere non posse. Quod autem ad Entia intellectu prædita attinet, illa tenentur facere, quantum vires permittunt, ea, quæ rationi conveniunt, ita ut neque verbis neque factis veritatem lædant. Ubi non necessarium esse putat de libertate hominis multa disputare, cum ipsa experientia homines, si serio agere, neque studio nugas agere velint, satis convincat, voluntatem ipsorum neutiquam absolute esse determinatam ad faciendum illud, quod faciunt, neque hac in parte prædestinationem esse, neque fatalem necessitatem, sed pleraque ad agendi rationem spectantia hominis arbitrio esse omnino relicta. Postquam igitur Autor hactenus ostenderat, in quo natura boni & mali moralis consistat, nimirum in convenientia vel pugna cum veritate, ac rebus eodem pertinentibus, ratione scilicet ac felicitate, item quomodo veritas ab hominibus acquiratur, nimirum vel per rationem, vel per sensus, vel per utrumque simul: jam de illis veritatibus speciatim agit, quæ in vita humana sunt maximi momenti, ac respiciunt potissimum vel Deum, vel nosmet ipsos, vel alios. De prioribus igitur agit Sectione V, in quem finem ante omnia demonstrat existentiam Dei, ejusque providentiam, & summam perfectionem. Existentiam Dei probat argumento notissimo, jam ab Aristotele in hoc negotio quam optime adhibito, & a subordinatione causarum desumto. Unde hanc primam format propositionem: ubi est subordinatio causarum & effectuum, ibi necessario est prima causa, prior reliquis omnibus, nullamque aliam causam agnoscens; vel hoc modo: ubi est series, in qua existentia unius rei dependet ab alia, hujusque existentia iterum ab alia, & sic porro, ascendendo demum deveniendum est ad causam primam independentem, a qua omnes reliquæ causæ dependent. Hæc probat

bat ac deducit Autor methodo Algebraica, & confirmat locis variis non Ariſtotelis ſolum & Simplicii, verum etiam Philoſophorum Judæorum, & ad dubia, quæ opponi poſſent, itidem reſpondet. Ex qua prima propoſitione jam prono alveo ſequitur altera, ut nimirum cauſa, quæ non habet cauſam ſuperiorem in natura, ſit per conſequens independens ac per ſe exiſtens, i. e. exiſtentia ipſi eſſentialis ſit neceſſe eſt, vel natura ejus ita comparata eſt, ut non poſſit non exiſtere: nam omne Ens exiſtit vel per ſe, vel non exiſtit per ſe. Omne quod non exiſtit per ſe, originem trahit ab alio, & ab eo per conſequens dependet. Hinc tertio ſequitur, neceſſario eſſe Ens, quod omnibus reliquis Entibus exiſtentiam dederit; nam niſi tale Ens exiſteret, nullum Ens unquam exiſtere potuiſſet. Etenim nulla res neque hoc univerſum neque ulla ejusdem pars ſemet ipſam producere potuit, nam hoc idem foret, ac ſi quis diceret, rem extitiſſe, antequam extiterit, vel rem vi agendi præditam fuiſſe prius, quam extiterit, id quod manifeſtam involvit contradictionem & abſurditatem. Hanc eſſe rationem Autor dicit, cur Deus Moſi nomen ſuum ab eo quærenti reſponderit אהיה אשר אהיה *ero qui ero*, vel uno verbo אהיה, quod in ore alterius, qui de Deo loquitur in tertia perſona, eſt יהיה vel יהוה, neque aliud quid ſignificaſſe nobilem illam templi Delphici inſcriptionem *Ἐῖ Tu es*, quam hoc ipſum Dei nomen, quo in ſecunda perſona compellatur, unde Plutarcho dicitur *αὐτοτελὴς τȣ̃ Θεȣ̃ προσαγόρευσις καὶ προσφώνησις*. Tale Ens, prout hactenus deſcriptum fuit, quarto non ſolum neceſſario eſſe æternum, ſed etiam infinitum, adeoque etiam quinto eſſe ſupra omnia Entia, quæ ſub noſtram cadunt cognitionem, & perfectiſſimum & unicum, nam ſi Deus perfectus eſt, non poteſt eſſe niſi unus, id quod VII propoſitione deducitur. Hoc Ens unicum, ſupremum, perfectiſſimum eſſe Autorem naturæ, a quo exiſtentia & proprietates reliquorum Entium originaliter dependeant, ac uno verbo, nimirum nomine Dei exprimi, quod propoſitione VIII, IX, X probatur. De Deo porro probat, eum neque eſſe corporeum, vel materiam infinitam, quod in materia talia ſint, quæ naturæ divinæ penitus repugnent, neque ſpatium infinitum, Propoſ. XI, XII,

nam

nam ſpatium nihil aliud eſſe quam ſimplex vacuum, & ſi quis dixerit, infinitum ſpatium eſſe Deum, vel Deum eſſe infinitum ſpatium, idem eſſe ac ſi dicatur, Deum eſſe infinitum vacuum, quam propoſitionem maxime abſurdam imo blaſphemam eſſe Autor cenſet. Quomodo enim ſpatium, quod nil aliud eſt, quam vaſtum vacuum, ac potius idea negativa, quam poſitiva, poſſet eſſe prima cauſa omnium rerum? quorum attributorum, ſi extenſionem & penetrabilitatem excipias, quarum quæſo perfectionum eſt illud capax? Quando autem Rabbini Deum מקום appellant, quamvis etiam Cabbaliſtica ratio ſubeſſe videatur, imprimis Dei omnipræſentiam & immenſitatem hac appellatione exprimere volunt. Quo itidem ſpectat locus Act. XVII, ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν, καὶ κινέμεθα καὶ ἐσμέν. Propoſ. XIV & XV, ex diſpoſitione mundi, ejusque ſtupenda magnificentia, variis item phænomenis, quæ ibidem conſpiciuntur, &c. nec non ex vita, ſenſu, cogitatione & omnibus facultatibus animæ noſtræ rationalis probat Autor exiſtentiam Entis ſupremi, omnipotentis, omniſapientis, nimirum Dei, qui hæc omnia condidit, ubi rejicit eorum opinionem, qui animam corpoream vel materialem eſſe cenſent, id quod vel exinde eluceſcat, quod de materia ſatis convicti ſimus, in ea nihil eſſe, quod cum facultate cogitandi conveniat. Hinc neceſſario ſequi, aliud genus ſubſtantiarum præter corporeas dari, nimirum Spiritus, in quorum claſſem anima omnino noſtra ſit referenda. Poſtquam Autor exiſtentiam Dei, omniaque Entia a Deo producta eſſe probavit, providentiam quoque Dei probare aggreditur Propoſ. XVIII, ubi, quod ad providentiam ſpecialem circa homines attinet, oſtendit, præſcientiam Dei libertatem hominis neutiquam tollere. Nimirum Deus actiones liberas præſcit, quoniam a Creaturis rationalibus in tempore ex libera voluntate ſuſcipientur, ſed non propterea fiunt, quia Deus præſcit; ſi creatura rationalis aliter actiones ſuas determinaret ſive ad bonum ſive ad malum, Deus pro infinita ſua ſcientia aliter quoque prævidiſſet. Sicut tu, inquit Auguſtinus, memoria tua non cogis facta eſſe, quæ præterierunt; ſic Deus præſcientia ſua non cogit facienda, quæ futura ſunt. Neque hæc præſcientia Dei preces hominum fru-

ſtraneas aut irritas reddit. Nam Deus hoc quoque prævidit, fore ut homines pœnitentes ac fideles in tempore precibus ſuis devotis gratiam ac miſericordiam ſuam ita ſibi conciliaturi ſint, ut bona ſpiritualia ac temporalia ipſis clementiſſime impertiturus, varia itidem mala averruncaturus ſit. Hanc providentiam Dei Autor quoque a valde communi objectione vindicat, quod nimirum boni ſæpe in hac vita cum magnis conflictentur calamitatibus, mali e contrario haud raro inſigni floreant felicitate. Autor imprimis oſtendit, haud facile eſſe juſtam ferre ſententiam de virtute ac vitiis, nec non felicitate ac infelicitate hominum. Multi videntur & non ſunt, multi ſunt, & non videntur. Ceterum Autori, circa providentiam Dei, qua omnia gubernat, illud a veroſimilitudine abhorrere non videtur, multas res in hoc mundo geri per ſecretas ac ſubitas inſpirationes mentibus hominum a Deo ſuggeſtas. Saltem Ethnicos huic ſententiæ fuiſſe addictos, quemadmodum Homerus Deos ſuos hoc ipſum facientes ſæpiſſime introducat:

Τῷ δ' ἄρ ἐπὶ φρεσὶ θῆκε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη.

Quem & alios hujusmodi locos quamplurimos Poetæ Plutarchus ita explicat, ut Poetam ſignificare velle dicat, quod Deus homines in rebus magnis gerendis adjuvet: *τῆς ψυχῆς τὸ πρακτικὸν καὶ προαιρετικὸν ἀρχαῖς τισι, καὶ φαντασίαις καὶ ἐπινοίαις, ἐγείροντες, ἢ τοὐναντίον ἀποστρέφοντες, καὶ ἱστάντες.* Id quod Cicero his fere verbis confirmat: *Fuit profecto quibusdam ſummis Viris ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta fortuna.* Sic etiam fieri poſſe & valde probabile eſſe etiam ſecundum lumen rationis, Autor exiſtimat, quod exiſtant ſubſtantiæ inviſibiles & ſpirituales noſtra natura longe ſuperiores & excellentiores, quas alias Spiritus vel Angelos appellamus, quorum opera ac miniſterio providentia Dei in gubernatione hujus orbis terrarum, & ſingulorum quoque hominum ſæpiſſime utatur. Nam affirmare, tales omnino dari ſubſtantias, nullam prorſus implicare contradictionem vel abſurditatem: e contrario maximam adeſſe rationem credendi, dari creaturas rationales nobis longe excellentiores ac perfectiores, cum de noſtra imbecillitate ac imperfectione abunde convicti ſimus, & quamvis ſubſtantiæ ſpirituales ſub

ſub noſtram imaginationem cadere non poſſint uti corporeæ: nihilo ſecius tamen ſuperiori ac rationali parti mentis humanæ ideam ſubſtantiæ ſpiritualis, æque ac corporeæ, claram & perſpicuam eſſe, illosque, teſte Platone, eſſe Philoſophos admodum ineptos, omnisque veræ ſapientiæ expertes, qui nihil exiſtere putant, niſi quod manibus contrectare, vel oculis uſurpare queant.

Exiſtentia igitur ac providentia ſummi Dei certo demonſtrata, neceſſario ſequitur, ut homines Creatorem ac gubernatorem ſuum rite colere teneantur. Hic cultus autem veritati ac ipſius Dei naturæ debet eſſe conveniens. Hoc Propoſ. XIX ab Autore tractatur. Ergo non debemus Deum ſub ulla imagine vel figura picturave, quæcunque demum ſit, nobis repræſentare, nam hoc ipſo negaremus naturam ejus incorpoream ac incomprehenſibilem. Ergo etiam de Deo ejusdemque attributis divinis cogitare ac loqui debemus cum maxima reverentia ac modo, quoad ejus fieri poteſt, Deum decente, ita ut quando de Deo talia dicimus, quæ hominibus quoque competunt, in ſenſu longe ſublimiori ac excellentiſſimo hæc intelligamus, certo perſuaſi, Deum omnes noſtros conceptus de eo longiſſime ſuperare. Quando laus honor & gloria Deo tribuitur, vel ipſe dicitur propter manifeſtationem gloriæ ſuæ omnia feciſſe, item quando noſtras actiones ad Dei gloriam promovendam ceu ultimum finem dirigimus, hæc non eo ſenſu accipi debent, quo accipiuntur inter homines, ubi de gloria, honore & applauſu loquuntur, quæ a multis tanto molimine affectantur. Quæ tamen gloriæ ſitis, ſi nimirum ab homine quæratur tantum propter ſe ipſum, ambitionem & vanitatem ſpirat, ac reapſe eſt ſomnium & phantaſia, id quod pluribus Autor probat. Adeoque ubi Deus dicitur omnia feciſſe propter gloriam ſuam, ſententia eo redit: quod ſumma naturæ divinæ excellentia ejusque ſapientia ac potentia infinita abunde eluceſcat ex forma hujus mundi omniumque rerum gubernatione, item ubi gloriam omnium, quæcunque a nobis facta ſunt, Deo adſcribimus, hoc ipſo ſignificare volumus, nobis nullam deberi gloriam, qui nulla potentia inſtructi ſimus, ſed toti ex Deo pendeamus, & ſi quid boni in nobis fuerit, hoc Deo ut vero autori penitus in acceptis referendum eſſe. Neque tamen

Deum quisque solum pro se intra privatos parietes, verum etiam publice colere vi religionis naturalis tenetur. In Sect. VI, VII & VIII Autor agit de veritatibus sive officiis, quibus homines inter se obligantur in statu naturali prius, quam leges humanæ in statu civili conditæ fuerunt. Item de veritatibus, quæ tum ad primas generis humani societates vulgo simplices dictas, nimirum conjugum, parentum & liberorum, Dominorum ac servorum, tum ad societates compositas & maximas civitates nimirum pertinent. Sectione tandem IX eæ veritates proponuntur, quæ alias officia hominis erga se ipsum dici solent, quæ singula Autor methodo hactenus observata pertractat, imprimis etiam Propos. VII & VIII immaterialitatem & immortalitatem animæ rationalis demonstrat, ita ut multa omnino egregia hic occurrant, quæ tamen specialius recensere velle, nimis longum & ab instituto alienum foret. Quam ob causam eadem ipsis lectoribus talium cupidis perlustranda relinquimus. Ceterum notamus, librum hunc jam antea, A. 1722, sed in gratiam fere amici A. F. ad quem scripsit, paucissimis exemplis editum, & jam demum publici juris factum tanto omnium plausu exceptun esse, ut & Ill. *Fridericus Christianus Weberus*, M. Brit. Regis Consil. ac Cel. *Jo. Laur. Mosheim*, Theol. Prof. Helmstad. Germanicam ejus versionem cum notis ubertimis moliantur, & nova ejus versio Gallica A. 1726 Hagæ Comitum 4 prodierit satis elegans, sub tit. *Ebauche de la Religion naturelle, par Mr. Wollaston, avec un Supplement & autres Additions considerables*, in qua nihil omisit Interpres, quod ad ornandum illustrandumque opus pertineret. Nam & a Cl. Viro *de la Faye*, Linguar. Orient. Hagæ Professore, loca Hebraica ad Græca omnia, paulo negligentius ab Autore citata, evolvi magna cura & accurate indicari curavit, verum & ipse novas notas passim subjecit, & sub finem addidit Supplementa, ubi 1) de Systematis hic propositi genuina ratione exponit, & cur ipse in Notis nonnullis ab Autore dissentiat, indicat, 2) quid Critici in hoc opere desideraverint, enarrat, & 3) de actione Dei in creaturas & de præmonitionibus physicis ingeniose disquirit. Ex eodem etiam interprete didicimus, Autorem paulo post editum librum e vivis excessisse, dolendumque adeo, hunc

opus

opus alterum de religione relevata, quod molitum fuisse censet Interpres, perficere non potuisse. Quanquam inventus sit in Anglia, qui librum non inelegantem *The Religion of Jesus delineated*, Londini 1726, 4 eadem methodo edidit, de quo proxime in Actis nostris dicemus.

AN INQUIRY INTO THE ORIGINAL OF OUR Ideas of Beauty and Virtue &c.

hoc est,

DISQUISITIO DE ORIGINE IDEARUM, quas de pulchritudine & virtute habemus, in duos Tractatus divisa, quorum prior de pulchritudine, ordine, harmonia & consilio, posterior de bono & malo morali agit. Editio secunda, correctior & auctior.

Londini, apud J. Darby, A. Bettesworth, F. Fayram &c. 1726, 8, chart. aug.

Plag. 22.

AUtor duplicis hujus Tractatus est *Franciscus Hutcheson*, Hibernus, qui sub finem dedicationis nomen suum profitetur. In notionem pulchritudinis, inquisiturus definitiones quasdam & observationes præmittit, quæ perceptiones nostras concernunt, *sensationum* nomine venientes & actiones mentis inde consequentes. Per *sensationes* intelligit ideas, quæ oriuntur in mente præsentibus objectis, in organa sensoria corporis externa agentibus. Observat, menti competere facultatem ideas separatim receptas componendi & in complexis involutas sigillatim perpendendi. Nos non alias habere substantiarum ideas, quam compositas ex variis simplicibus una menti impressis, dum eidem ipsæ substantiæ præsentes sistuntur. Quodsi instructio, educatio vel præjudicium quoddam excitare debeat desiderium vel aversionem objecti, opus esse opinione de perfectione vel defectu illarum qualitatum, quas in eo percipimus. Sensationes quasdam immediate animum voluptate perfundere, vel tædio affi- Tract. I. Sect. I.

cere. Ideas simplices ab eodem objecto in diversis subjectis ortas probabiliter differre, immo differre in eodem subjecto diverso tempore, pro diversa imaginationis dispositione. Voluptatem vulgo quæri nonnisi in ideis simplicibus, sed majorem offerri in complexis objectorum, quæ pulchra, regularia, harmonica appellantur. Sumit autem vocem *pulchritudinis* pro idea in mente exorta, *harmoniam* pro ideis, quæ placent, ortis ex compositione sonorum. Pulchritudinem enim ad visum, harmoniam ad auditum refert. Facultatem percipiendi illas ideas *sensum internum* appellat, propterea quod etiam pulchritudinem deprehendamus in objectis sensui non obviis, veluti in theorematis & causis generalibus. Sensum appellat, quia ex confusa oritur voluptas ideæ pulchritudinis adhærens, non ex distincta cognitione. Ideas vero pulchritudinis & harmoniæ cum voluptate necessario esse conjunctas, quæ differat a gaudio ex utilitate, quam ab objectis speramus, percepto. Dividit pulchritudinem in *originariam* sive *absolutam* & *comparativam* sive *relativam*. Illa oritur absque comparatione objecti percepti cum re aliqua externa, quam referre supponitur; hæc vero, dum objecta quædam tanquam aliorum

Sect. II. imitamina seu imagines consideramus. Inquirit deinde in qualitates objectorum, quæ vel excitent, vel sint occasio pulchritudinis & harmoniæ idearum. Primo loco hic producit figuras regulares, quæ placeant ob uniformitatem varietati admixtam, ut major sit pulchritudo, si major varietas cum æquali uniformitate vel major uniformitas cum æquali varietate occurrat. Digreditur inde ad naturæ opera, ubi itidem ex varietati infinitæ admixta uniformitate pulchritudinem oriri probat. Ad pulchritudinem originariam, de qua hic agit, refert quoque harmoniam seu soni pulchritudinem, quam etiam ex uniformitate varietati admixta deri-

III. vat. Theorematum seu veritatum universalium demonstratarum pulchritudinem deducit ab unitate infinitatis objectorum in iis inclusa, qua infinite varia ad canonem generalem reducuntur. Axiomata minus pulchra haberi, propterea quod unitas pæne non advertatur ob vagam determinationem eorum, quæ ad eam reducuntur. Propositiones obvias & faciles minus placere a cognitione nostra magis remotis. Et theoremata imprimis placere, quæ in-

gen-

gentem corollariorum numerum suppeditant. Pulchritudinem phantasticam appellat, quam *Cartesius* ex principio, *cogito ergo sum*, Scholastici ex principio contradictionis, *Leibnitius* ex principio rationis sufficientis, *Pufendorffius* ex principio juris naturæ, socialitate, percepere. Placere quoque theoremata, quæ distincte cognita vera deprehenduntur, cum confuse agnita viderentur falsa. Exempli loco affert *asymptotas* curvis continuo appropinquantes, nunquam tamen ipsis occurrentes. Pulchritudinem operum artis ab uniformitate seu unitate derivat, quæ a ratione partium inter se & ad totum pendeat. *Pulchritudinem comparativam* a conformitate seu unitatis quadam specie inter prototypon & ectypon arcessit, ut adeo in hoc casu nulla pulchritudo inesse possit prototypo. Exempli loco profert descriptiones poeticas, metaphoras, similitudines, intentiones artificum in operibus artis, ubi quoque pulchritudinem considerat, quam intentioni Dei in operibus naturæ acceptam refert. Considerat deinde nostra ratiocinia de fine & sapientia causæ a pulchritudine & regularitate effectuum petita. Stabilire nititur principium, quod, si in systemate aliquo, ad alias formas indifferente, regularitas deprehendatur, causa destinato consilio egerit. Multus est in eo, ut ostendat, casui regularitatem tribui non posse ex lege vel probabilitatis, quod irregulare ad regulare sit ut infinitus numerus ad unitatem. Concludit tandem, si effectus aliquis sæpius recurrat, quam per legem casus determinari potest, præsumi consilium agentis, & combinationes, quæ per vim absque intentione agentem explicari non possunt, idem probare; probabilitatem vero esse tanto majorem, quanto magis multitudo casuum, in quibus contrarium contingere potest, superat omnes casus, in quibus aliquid fieri posse concipitur. Similitudinem quoque individuorum probabilissime arguere causam destinato consilio in mundo producendo agentem. Nec minus huc facere dissimilitudinem individuorum ejusdem speciei. Unde Hypothesin *Epicuri* atque *Cartesii* absurditatis redarguit, quod formam universi deducant a vi citra directionem causæ destinato consilio agentis materiæ infinitæ impressa. Etsi autem contendat, ex regularitate probari posse destinatum consilium agentis, negat tamen ex irregularitate argui

Sect. IV.

V.

posse

posse ejus defectum. Inquirit tandem, quando sapientia & prudentia per pulchritudinem operis probari possit. Intelligit autem per sapientiam prosecutionem finis optimi per media optima. Huc refert mechanismum, quo plures partes invicem complicatæ ad eundem finem tendunt, quemadmodum Cl. *Wolfius* in Metaphysicis demonstravit, mundum & corpora ideo fieri opus sapientiæ divinæ, quod sint machinæ. Huc refert porro plurium effectuum utilium seu pulchrorum dependentiam a causa generali, ut adeo generales leges motus & causæ universales in natura rerum loquantur sapientiam Numinis.

Sect. VI. Hunc sensum pulchritudinis omnibus hominibus competere ostendit. E contrario autem contendit, sensum doloris esse externum, non perinde ac sensum pulchritudinis internum. Universalitatem sensus pulchritudinis a posteriori probat, & dubia quædam removet, quæ suboriri poterant.

VII. Docet deinde, sensum pulchritudinis objecto inhærentis dari in hominibus ante omnem consuetudinem, educationem & exemplum.

VIII. Et ultimo denique loco removet præjudicium nonnullorum, qui sibi persuadent, inter steriles nugas referri debere sensum pulchritudinis internum. Omnium enim hominum molimina eo tendere, ut sensui interno, qui voluptate nos perfundit, satisfaciant. Hunc esse primarium finem, cur homines divitias appetant atque potentiam. Ceterum Autor sibi imaginatur, sensum istum pulchritudinis esse arbitrarium quid respectu Dei, ita ut Deus efficere potuisset, si libuisset, ut non placerent, quæ nunc placent, aut ut prorsus displicerent. Ac ideo in causas finales hujus sensus inquirit.

Tract. II. Sect. I. Progredimur ad Tractatum alterum, in quo Cl. Autor inquirit in originem idearum virtutis & boni moralis. Per *bonum morale* intelligit qualitatem actionum, ob quam eas approbamus & in eo laudamus, qui nullam inde utilitatem recipit; per *malum* vero *morale* actionum qualitatem contrariam, ob quam eas aversamur. Primum igitur probat, sensum quendam moralem competere homini, quo bonum & malum morale percipit, diversum prorsus ab eo, quo percipit bonum & malum naturale: id quod exinde probat, quod ex actionibus aliorum bonis percipiamus voluptatem, etiamsi nulla inde in nos redundet utilitas, quodque dete-

deteſtemur hominum ante plurima ſecula mortuorum actiones malas. Provocat quoque ad diverſos mali phyſici atque moralis in animo hominis effectus. Refutat eorum ſententiam, qui actionum honeſtatem ex utilitate metiuntur. Senſum moralem non pendere a religione contendit, propterea quod honori, fidei, generoſo animo, juſtitiæ ingens pretium ſtatuatur ab hominibus, qui vix ullam Dei notionem habeant, aut de præmio poſt hanc vitam obtinendo cogitent, & e contrario ab eo, quod eſt injuſtum, ſceleſtum atque crudele, abhorreant, etiamſi pœnam poſt hanc vitam metuant nullam. Imprimis urget, quod nullis præmiis pœnisque nullis adduci quis poſſit, ut aliorum laudet atque reprehendat actiones, quæ ipſum prorſus non tangunt. Oſtendit denique, ſenſum moralem nec conſuetudini, nec educationi, nec exemplis, nec ſtudio tribui poſſe, conſequenter Deum determinaſſe mentem noſtram, ut ex actionibus aliis voluptatem, ex aliis tædium percipiamus, quamprimum eas obſervamus, antecedenter ad commodi vel detrimenti opinionem, quod inde in nos redundare valet, perinde ac figura regularis primo adſpectu nobis in Geometria placet, etſi nullum inde in nos redundet commodum. Præter hunc ſenſum moralem agnoſcit quoque in homine determinationem quandam naturæ ipſius ad promovendum bonum aliorum, antecedenter ad omnem rationem utilitatis inde expectandæ. Atque in ea immediatum actionum virtuoſarum motivum conſtituit, rejectis aliis, quæ ab amore ſui ac utilitate ducuntur, locum habiturum, etiamſi non attendas ad ſtatum futuri ſeculi. Principium itaque virtutis ſtatuit benevolentiam ſeu ſtudium felicitatis aliorum, ita ut omnes actiones judicentur moraliter bonæ, quia benevolæ erga alias, nequaquam autem aliis perniciosæ. Hinc ipſam derivat religionem ſeu devotionem naturalem, cum non evidentius demonſtrari poſſit benevolentia adverſus benefactorem, quam ſincera laude & gratitudine, ſincero ſtudio agendi, quicquid a nobis requirit, infucata inclinatione ad deſideria ejuſdem complenda & animo contento ſorte, quam noſtram eſſe voluit. Monſtrat porro, quomodo benevolentia ſit principium virtutis ſocialis. E contrario ſummum vitii gradum eſſe defendit malitiam minime lucroſam, ſeu

Sect. II.

III.

 læti-

lætitiam ex alterius infelicitate perceptam. Fontem vitiorum ordinariorum esse amorem præposterum sui ipsius, adeo violentum, ut benevolentiam superet. Amorem sui in sensu morali esse indifferentem, ubi alios non respicit. Hominem fieri objectum benevolentiæ propriæ, quatenus se ipsum consideret tanquam partem systematis rationalis, quæ utilis esse potest toti. Pulchritudinem moralem non alterari per morales qualitates objecti, nisi quatenus benevolentia actionis vel bonum publicum ea intentum augetur: inde nimirum esse, quod amor inimicorum iniquissimorum inter summas virtutes numeretur. Ubi ex pluribus actionibus virtuosis una eligenda, hæc observari theoremata sensui morali conformia. 1) Si a pluribus actionibus idem felicitatis gradus expectandus, virtutem esse ut numerum personarum, ad quas sese felicitas extendit. 2) Si numerus hic personarum fuerit idem, virtutem esse ut quantitatem felicitatis ab actione procedentis. 3) Virtutem adeo in genere esse in ratione composita quantitatis boni & numeri personarum, quæ ejusdem participes fiunt. Quodsi bono sive felicitati substituas malum seu infelicitatem; habebis theoremata, quæ condit Autor pro æstimando vitii gradu. Quodsi actiones fuerint mixtæ, partim aliis proficuæ, partim noxiæ; dignitatem personarum & gradum felicitatis vel miseriæ compensare numerum personarum. Hinc concludit, electionem esse maxime virtuosam, quæ tendit ad maximam plurimorum agentium rationalium felicitatem. Ad dispositiones morales seu habilitates ad virtutem refert omnes animi dispositiones naturales atque habitus acquisitas, quibus homo redditur potens ad aliorum felicitatem promovendam. Et ad computandam moralitatem actionum sequentes canones commendat. 1) Quantitatem boni publici ab agente productam M esse in ratione composita benevolentiæ B & habilitatum A, hoc est, $M = B.A$: 2) Momentum boni privati I esse in ratione composita amoris proprii S & habilitatum A, hoc est, $I = S.A$: 3) Habilitatibus igitur duorum agentium existentibus iisdem, esse M ut A: 4) Benevolentia existente eadem, esse M ut A: 5) Virtutem adeo agentium seu benevolentiam B esse ut M directe & ut A reciproce, seu $B = M : A$. Inde porro deducit Noster, esse 6)

B=

$B = (M-I) : A$, quando amor proprius & benevolentia conspirant; sed 7) $B = (M+I) : A$, quando actio bona cedit in detrimentum agentis. Porro 8) quoniam benevolentia seu virtus agentis est ut $M : A$, vel ut $(M \pm I) : A$, nec agens potest agere ultra vires seu habilitates suas, perfectionem virtutis fore summam, si $M = A$, consequenter cum in hoc casu virtus sit ut unitas, si vel maxime $A = \infty$, qui casus in Deo obtinet; hinc patere ait assertum Stoicorum, quod creatura innocens, tota vi, qua pollet, virtutem persecuta, sit virtute Deo æqualis. Non absimiles canones condit ad computandum malum morale ac ex utrisque varia corollaria deducit. Sensum moralem, quem Noster virtutis principium esse statuit, universalem esse probat, quod omnis homo interrogatus, cur actionem aliquam laudet, perpetuo alleget utilitatem publicam, in quam cedit, nunquam vero utilitatem privatam; defensurus autem actionem, hanc rationem reddat, quod in neminem sit injuria. Si quis ostendere velit, dari homines sensu morali carentes, is, Nostro judice, afferre debet exempla actionum crudelium & malitiosarum, quas in aliis probamus, etsi nullum inde expectemus commodum, sive verum, sive apparens, aut exempla hominum, quibus perfidi, crudeles & ingrati in eodem censu sunt ac generosi, fidi, humani atque grati. Respondet deinde ad unam alteramve objectionem, quæ contra universalitatem illius sensus in medium afferri poterat. Homini ideo rationem a Deo datam esse agnoscit, ut de actionum suarum tendentia ad publicum bonum judicare possit, nec in eo, quod primum apparet, acquiescat. Ulterius confirmat, naturæ hominis implantatas esse dispositiones practicas ad virtutem. Huc refert amorem parentum erga liberos, nec non amorem erga agnatos, quem universalem esse affirmat, nisi privata quædam utilitas obstet. Huc porro refert animum gratum erga benefactores, amorem honoris & pudorem. Universalem illam benevolentiam erga omnes homines comparat cum gravitate universali *Nevvtoniana*, vi cujus omnia corpora versus se invicem tendunt. Multus quoque in eo est, ut ostendat, quantum momentum ad felicitatem præsentem afferat sensus moralis & quomodo in negotia humana influat. Provocat ad voluptatem, quam inde percipimus, ceteris vo-

Sect. IV.

V.

VI.

luptatibus omnibus longe anteferendam, & multis argumentis stabilitam. Ultimo tandem loco notiones quasdam morales ex suo sensu morali derivat, veluti obligationis, juris cum perfecti tum imperfecti &c. Facile vel divinare licet, Nostrum admittere obligationem naturalem antecedenter ad legem vel voluntatem alicujus superioris. Atque ideo urget, ad promovendum virtutis studium incumbere philosopho, ut ostendat, quomodo benevolentia universalis tendat ad felicitatem benevolentis. *Jus* vocat facultatem aliquid faciendi, postulandi vel possedendi, quod ad bonum commune tendit, & gradus juris constitui per majorem minoremve tendentiam ad bonum publicum existimat. *Jus perfectum* appellat, sine quo vita humana foret intolerabilis, admissa scilicet universali violatione: *Jus imperfectum* ipsi est, quo universaliter violato, genus humanum non fit miserum.

Sect. VII.

BIBLIOTHECA JURIS IMPERANTIUM, quadripartita, sive Commentatio de Scriptoribus Jurium, quibus summi Imperantes utuntur, Naturæ & Gentium, publici universalis & Principum privati.

Norimbergæ, apud Petr. Conr. Monath, 1727, 4.
Alphab. 2 pl. 2.

FElicitatem seculi Bibliotheca hæc ultro jubet agnoscere. Rari olim nantes in gurgite vasto. Jam tantus extat Autorum de juribus, quibus summi Imperantes utuntur, proventus, ut Bibliothecam conficiant. Vix ullum restat jurium illustrium, quod non scriptorem nactum sit, argumentum. Itaque fieri nunc potuit felici successu, ut ordine systematico & secundum methodum, qua hodie singula Jura, Publicum jus universale, jus Gentium & jus Principum privatum proponi tractarique solent, insigni cum apparatu Commentatores potuerint recenseri. Institutum est nobile, utilissimum & quavis laude dignum, cujus conscientia & publico plausu fruatur, qui latere maluit, Autor doctissimus, ni conjectura fallit, librorum juridicorum & historicorum censuris, per aliquot fasciculos editis, clarus. Quatuor illa, quibus hæc commen-

mentatio absolvitur, capita, vel ut rubrum, quod supra adscripsimus, indigitat, singulorum capitum methodum & argumenta succinctæ positiones constituunt, quas specialius exequuntur subjecti paragraphi, & sub his distinctim recensiti singuli scriptores, ut omnia in oculos statim incurrant tædioque sublevent Lectorem. Imitatur liber bibliothecam bene instructam, quæ voluminibus per forulos, loculosque accurate dispositis, auget usum suum, Eruditorum suspensis iconibus & Elogiis additis docet simul & delectat. Nam & majorum gentium scriptores in hac Bibliotheca cum cura laudati, eorum vitæ repræsentatæ, doctorum hominum de ipsis judicia addita. Caput I complectitur *scriptores Juris Naturalis generaliores*, scilicet Historiæ & Bibliothecarum juris Naturæ, de juris Nat. existentia, principio & certitudine, desideratis, systematibus *Mevii, Græningii, Thomasii*. Recensetur opus *Grotianum*, præmissa *Grotii* vita, & enumeratis reliquis ejus scriptis, referuntur de eo judicia, indicantur ejus editiones, versiones, commentatores, epitomatores. Sequuntur *Pufendorfii* vita, scripta, adversarii, commentatores & enucleatores, parique cura de *Thomasio, Seldeno* & *Hobbesio* dicitur. Demum promiscui scriptores juris Nat. ordine Alphabetico recensentur, itemque Dissertationes de Jure Nat. singulares. Capite II comparent *scriptores Juris Publici universalis*, & quidem primo systematici, scriptores jurium Majestaticorum, ubi sigillatim enarratur *Bodinus*, succedunt dissertationes de Majestate, subditis, Principibus, eorumque sanctitate, officiis & juribus, regalibus. Sequuntur *Machiavellistæ, Monarchomachi*, & singulorum refutatores. Sistuntur deinde scripta de origine Majestatis & modis constituendi eam, successione, pactis successoriis, inauguratione & homagio, de limitibus Majestatis & potestate summorum Imperantium in Jus Divinum & Naturale, legibus fundamentalibus, de modis amittendi Majestatem, abdicatione & depositione, de Tyrannis, de emigratione, de juribus Principum personalibus, de Crimine læsæ Majestatis & de Principum delictis, de juribus circa sacra, ubi & singulorum horum jurium & scriptorum Belgarum, Gallorum, Anglorum, Germanorum distincta ratio habita, de jure Pontificis Romani in Principes, ubi itidem de Pontificiis, præfer-

 tim

cum Bellarmino, ejusque adversariis & defensoribus, Principum denique contra usurpationem Pontificis vindicibus. Hinc exhibentur scriptores de potestate Legislatoria, jurisdictione, jure puniendi, torquendi, multandi, privilegia concedendi, dispensandi, aggratiandi, asyla constituendi; scriptores de jure Majestatis circa dignitates, de fama, nobilitate, hujus origine, speciebus, de jure civitatis & nundinarum, Academiarum, quarum alii catalogos, alii originem, alii jura & privilegia recensuerunt; scriptores de dominio eminenti extraordinario, de alienatione & oppignoratione subditorum, de jure Regio Ebræorum, de dominio eminente ordinario, in specie de jure tributorum, fisci & ærarii, domaniorum, venationum, metallifodinarum, monetarum, viarum publicarum & postarum, residentiarum & Palatiorum, Archivorum, Diplomatum & sigillorum. Caput III agit *de Scriptoribus Juris Gentium*, quorum extant labores de dominio maris & de legibus nauticis, de commerciis, in specie maritimis & bellicis, de pactis Gentium expressis & tacitis, v. c. moribus Gentium, derelictione, præscriptione, clientela, de legationibus & de his, quæ ad Legatorum jura vel officium spectant, de juribus belli singulis, de duello, de pace, amnestia, induciis & obsidibus, arbitris, mediatoribus, de neutralitate & assecuratione, de jure ceremoniarum, de dignitatibus, de præcedentia Ecclesiastica & seculari, de prærogativa Hispanorum, Gallorum, Anglorum aliorumque, Apanagiatorum, Legatorum, fœminarum. Capite IV colliguntur *Scriptores Juris Principum privati*, de jure illustrium personarum, in specie fœminarum, Ministrorum Principis, conjugiis Principum, speciatim iis ad Morganaticam, de dote, dotalitio & viduitate illustri, de foro causarum matrimonialium, de patria potestate Principum, de liberis naturalibus, adoptione illustri, unione prolium, emancipatione & tutela illustri, de Principum dominio & hereditate, tum ab intestato, ubi de obligatione successoris illustris, jure Senioratus, primogenituræ, apanagii, tum ex testamento, vel pacto successorio, Confraternitatis, Ganerbinatus; de Principum pactis, stipulationibus, contractibus, delictis, denique de principum judiciis & foro, processibus, prætensionibus, deque jurium illustrium deductionibus. Ceterum, cum nobilissima

hæc

hæc pars jurisprudentiæ, jus privatum Principum, adhuc desideret idoneum interpretem, neque præter Generosum Dn. de Ponikau, qui ad mentem Præceptoris sui G. G. Titii primas lineas duxit in Dissertatione *de conditione Statuum Imperii privata*, quisquam ambitum hujus disciplinæ, distinctæ a reliquo jure publico & privato, complexus sit, operæ erit pretium exhibuisse methodum jurisprudentiæ privatæ Principum, quam Autor hujus Bibliothecæ in tabula repræsentat. Primum spectandum *Jus Personarum Illustrium*, quæ considerantur vel ratione sexus, ubi agitur de jure fœminarum Illustrium, vel ratione status & Societatis, in qua vivunt, herili, seu dominica, ubi de ministris Principum; conjugali, ubi de matrimoniis Principum; paterna, ubi de liberis naturalibus, adoptione, unione prolium, modis solvendi patriam potestatem, v. c. emancipatione, morte parentis, & tunc loco patriæ potestatis est tutela, quæ iterum solvitur venia ætatis impetrata. Deinde expendendum *Jus in re*, quale est dominium, quod & acquiritur præscriptione, & donatione; hæreditas, quæ acquiritur ab intestato, ubi de successione, obligatione successoris illustris, Senioratu & Majoratu, jure Primogenituræ & Apanagio; ex testamento; per pacta successoria, Confraternitatis, Ganerbinatus, dotalia & feudalia. Sequitur *Jus Principum ad rem*, quod est obligatio, quæ oritur vel ex pacto & contractu Principum, quales sunt stipulatio, emtio, locatio, mandatum; vel ex delicto, v. c. duello. Denique agendum de *actionibus & judiciis personarum Illustrium*, ubi de earum foro, modo in eo procedendi & prætensionibus illustribus.

JURISPRUDENTIA RESTITUTA, SIVE Index Chronologicus in totum Juris Justinianei corpus, ad modum JAC. LABITTI, ANT. AUGUSTINI & WOLFG. FREYMONII. Accesserunt opuscula IV &c. In usum Auditorum animadversiones passim adjecit ABRAHAM VVIELING, J. U. D. & Pro-Rector Amstelædam.

Amstelædami, apud Janssonio-Waesbergios, 1727, 8, chart. maj. Alph. 2 pl. 22.

Egre-

EGregie consuluit Cl. Editor masculæ & interioris jurisprudentiæ studiis, dum illos Triumvirorum aliosque in juris Justinianei corpus Indices, quorum ope omnis jurisprudentia vetus in libris juris reliqua restitui novaque optime illustrari potest, methodo commodiore adornatos & multa luce circumfusos, reddidit in manus studiosorum, quibus illi, si Labitti indicem, paucis abhinc annis in Germania recusum, excipias, antea frustra commendabantur, ob raritatem & pretium minime parabiles. Nihil in luculentissima hac editione prætermissum, quod usum Dædalei illius inventi, Indicum inquam juris, vel commendatiorem, vel amœniorem, vel faciliorem, vel uberiorem denique juris cultoribus præstare possit. Ad commendationem faciunt & præfatio Doctiss. Wielingii, &, quæ præmissa sunt, *Jacobi Labitti dedicatio Indicis sui ex editione prima Parisiensi 1557, præfatio editionis Genevensis 1585, dedicatio & præfatio Guil. Schmuccii ex editione Lipsiensi 1616*, porro, *judicia* virorum eruditissimorum *de usu Indicis Legum Chronologici, Ludov. Russardi, Franc. Balduini, Franc. Duareni, Joan. Mercerii, Georg. Beyeri, Anton. Schultingii, Nic. Hier. Gundlingii, Jo. Salom. Brunquelli*. Amœnitatem conciliant non solum externus voluminis totius nitor & elegantia, sed potissimum doctæ, quas Cl. Editor passim adspersit, notæ, ad *jurisprudentiam historicam*, cujus ipse meditatur Systema, spectantes. Commoditatem in evolvendo affert facilior, quæ nunc adhibita, methodus; quippe indices & Pandectarum & Codicis, nunc Alphabetico, secundum nomina Jurisconsultorum & Imperatorum, ordine sunt digesti, quorum olim alter sequebatur Indicis Florentini, alter temporum seriem. Uberiorem denique usum efficiunt cum Indices noviter inserti, quos infra singulos enumerabimus, tum præstantissima *quatuor opuscula*, quæ partem voluminis posteriorem conficiunt, numeris nunc primum distincta & summariis aucta, scilicet *usus Indicis Pandectarum per Labittum, cum notis Wilh. Schmuccii, Henr. Hahnii oratio, de usu Chronologiæ in Jure, Henr. Brenemanni dissertatio, de Legum Inscriptionibus, & Bern. Henr. Reinoldi oratio, de Inscriptionibus legum digestorum & Codicis*; quibus singulis vel lucem, vel emendationem, vel spicilegium præstant,

ſtant & notulæ cum aſteriſco contextui ſubjectæ, & *auctaria* atque *prætermiſſa* ſeparatim in calce opuſculorum adjecta. Sed indicandum eſt plenius, quæ priore & præcipua voluminis parte contineantur. Partis hujus ſectiones ſunt duæ. Prima *Indices* ſiſtit *Pandectarum*, puta 1) Indicem *Florentinum*, 2) Indicem veterum Juriſconſultorum Chronologicum, 3) Alphabeticum Librorum Veterum, ex quibus fragmenta Pandectarum decerpta ſunt, 4) Alphabeticum Juriſconſultorum, eorumque Librorum, etiam citatorum, cum notis, 5) Indicem Legum omnium Pandectarum, & Juriſconſultorum in iisdem laudatorum, ſecundum Alphabeticam inſcriptionum ſeriem digeſtum, 6) Indicem Alphabeticum Autorum veterum, ex quorum libris nulla legum capita deſumta ſunt, ſed qui tantum nomine citantur, 7) Indicem Regum Romanorum, qui in digeſtis laudantur, Chronologicum, 8) ſimilem Conſulum, cum quibusdam notulis, 9) ſimilem Imperatorum, 10) Alphabeticum legum veterum, quæ in digeſtis citantur, 11) ſimilem Senatusconſultorum, 12) ſimilem Actionum, 13) Cautionum, 14) Decretorum, 15) Edictorum, 16) Interdictorum, 17) Poſſeſſionum, 18) Regularum, 19) Stipulationum, 20) ſimilem Autorum Græcorum, 21) ſimilem denique Autorum Latinorum in Digeſtis laudatorum. Sectione ſecunda comparent *Codicis*, *Novellarum*, *Edictorum* & *Inſtitutionum Indices*, 1) Index legum *Codicis* ſecundum Alphabeticum Imperatorum ordinem, 2) Chronologicus *quinquaginta Deciſionum* Juſtiniani, cum notulis 3) Alphabeticus Juriſconſultorum veterum, qui in Codice laudantur, 4) Index legum Codicis per Novellas Conſtitutiones mutatarum, 5) Index Alphabeticus Notarum, ſive potius Siglarum, in inſcriptionibus quæ & ſubſcriptionibus legum Codicis conſpiciuntur, 6) Chronologicus Imperatorum, quorum in Codice extant Conſtitutiones, 7) ſimilis *Novellarum*, cum animadverſionibus nonnullis, 8) Alphabeticus JCtorum veterum, qui in Novellis citantur, 9) Chronologicus *Edictorum* Juſtiniani, 10) Index *Deciſionum*, quarum fit mentio in *IV Inſtitutionum Libris*, 11) Conſtitutionum Græcarum Juſtiniani in iisdem libris laudatarum, cum aliquot annotationibus, 12) Conſtitutionum Latinarum Juſtiniani ibidem citatarum, adjectis quibus-

dam notulis, 13) Index Chronologicus Constitutionum aliorum Imperatorum, quæ in iisdem Institutionum libris referuntur, cum animadversionibus nonnullis, 14) Alphabeticus legum veterum, quarum ibidem fit mentio, 15) similis Senatusconsultorum, quæ in iisdem libris memorantur, 16) similis JCtorum, cum notulis, 17) similis aliorum Autorum, ibidem laudatorum, 18) Index locorum singularium, quibus similes in Jure alii, præterquam in libris Institutionum, non reperiuntur, 19) Index Novellarum, atque excerptarum inde Authenticarum, quibus nonnulla Institutionum loca emendata sunt. Sequuntur *Auctaria* ad Indices Codicis, Novellarum & Institutionum, in quibus & prætermissa quædam notarum superioribus Indicibus adjectarum, & singularis Index Consulum, quorum in Institutionum libris fit mentio, cum annotationibus, exhibentur. Claudit volumen Index Legum, quæ in laudatis supra quatuor opusculis emendantur, vindicantur atque illustrantur.

CHRISTIANI ULRICI GRUPEN TRACTAtio de Uxore Romana, cum ea, quæ in manum convenit, farre, coemtione & usu, tum illa, quæ uxor tantummodo habebatur.

Hanoveræ, apud Nic. Fœrsterum & fil. 1727, 8.
Alph. 1 pl. 2 cum fig. ær. incis.

NObile multaque laude condignum est Consultissimi Autoris, Consulis Hanoverani, utramque Romanarum uxorum formam, unde permultis veterum jurisque nostri locis egregia lux accenditur, nova diligentia repræsentandi studium, singulari hoc libello navatum. Enimvero dictum & tractatum erat hoc argumentum summis Viris, *Pithœo, Rævardo, Balduino, Hottomanno, Sigonio, Brissonio*, sed ita, ut non spicilegio, verum integræ tractationi, vel potius retractationi locus relictus videretur. Multis implicarunt Viros doctos erroribus commenta Servii Boethiique, adeo, ut a juris etiam ratione subinde in hac doctrina defecerint, amplexi parum solida, & quæ nec veterum stant autoritate. Vidit hoc *Illustr. Thomasius*, remque diligentia Jurisconsulto-

rum

rum magis obſcuratam & intricatam, quam in luce poſitam, in ordinem redigere tentavit, Diſſertatione *de uſu practico circa Nuptias*; qua de judicat Noſter, quamvis in ea multa docte ſint diſputata ac plurima diligenter collecta, quæ alibi fruſtra quæſiveris, non potuiſſe tamen ſibi cum Viro egregio convenire, aliter conſtitutis conventionis in manum modis, forma, vi atque poteſtate. Cl. *Heineccius* de uxore, quæ farre, coemtione in manum convenit, & de illa, quæ uſucapta, docte diſſeruit in *Syntagmate* ſuo *Antiquitatum Romanarum*, *Jurisprudentiam illuſtrantium*. Verum nec cum eo in omnibus conſpirat Noſter, & quoniam nimis ſero, jamque abſoluta præſenti commentatione, illum inſpexerat, notavit in præfatione capita illa, in quibus a Viro doctiſſimo diſcedit, additis diligenter diſſenſus rationibus. Namque primum *Heineccio* viſum, jam ante Romuli tempora molæ ſalſæ uſum in ſacrificiis in Latio fuiſſe receptiſſimum, ducto argumento ab *immolandi* verbo ex loco *Varronis* apud *Servium Æneid. IV. 541*. Noſter quidem probat, confarreationem a Romulo inſtitutam, ſic tamen, ne fides *Plinii* damnetur, qui *Lib. XIIX cap. 2* Numam refert, inſtituiſſe mola ſalſa ſupplicare, atque far torrere. *Immolare* eſt, farre molito hoſtiam aſpergere, imo idem, quod ſacrificare, quippe *Varro II de Re Ruſtica*, Græcos, qui integras nec molitas fruges libationibus affundebant, *porcam immolaſſe* dixit. Et fuerit licet ante Romuli tempora farris uſus receptiſſimus, farris torrendi, atque molæ ſalſæ conficiendæ ratio haud dubie Numæ debetur. Non magis placet Noſtro, quod Vir egregius dixit, in farreatis nuptiis tam neceſſariam fuiſſe domum deductionem, ut, quia fixa fuerint Penatium ſacra & hæreditaria, nemo per confarreationem uxorem accipere potuerit, niſi cui eſſet domus ac lararium, in quo uxor cum eo communibus ſacris uteretur. Noſter enim deductionem quibusvis nuptiis communem docet, ſic tamen, ut ſolo conſenſu ſine deductione matrimonium conſtet. Eum effectum omnis conventionis in manum & generatim omnis patriæ poteſtatis fuiſſe, ut quotque perſonæ unius parentis ſubjectæ eſſent poteſtati, Deorum aras uno eodemque communi ſacrificio honorarent, & in univerſum publice privatimque iisdem ſacris adſtringerentur, quibus teneretur familiæ

princeps. Nihil certe domum atque lararium ſive ad conventionem in manum perficiendam, ſive ad faciendas nuptias vulgatas potuiſſe attinere. *Ducere domum* eſſe ducere eo, ubi maritus habitat, *l. 203. ff. de V. S.* & deductionem factam in mariti domum, quaſi in domicilium matrimonii, *l. 5 ff. de R. N.* Domicilium ut ubique conſtitui, ita Lares ad illud conſtituendum ubique collocari potuiſſe, *l. 7 C. de incolis*, inde habuiſſe quemvis domum, ubi Larem matrimonio collocaſſet, *l. 1 §. 2 ff. de agnoſc. & alend. lib.* Difficile ſane, ſine domicilio eſſe quenquam, *l. 27 §. 2 ff. ad municip.* ſed quod ſi is, qui eſt ſine domicilio, puta qui domicilio relicto navigat, vel iter facit, quærens, quo ſe conferat, atque ubi conſtituat Lares, rerum & fortunarum ſummam, potuit habere juſtam uxorem, & liberos ex eadem natos in poteſtate, quod nemo negaverit, quidni & ei, qui ſine domicilio eſt, conveniri in matrimonium & manum ſimul, ſive poteſtatem potuiſſet? Neque vero apud Romanos ſacra Penatium ædibus affixa, ſed ex jure Pontificio iis perſonis adjuncta fuiſſe, ad quas morte patrisfamilias pecunia perveniſſet. Denique & filio uxorem in manum conveniſſe, quamvis neque domum, neque Lararium ſibi habuiſſet, ſed eſſet in domo atque ſacris parentis. Quæ porro autumavit Heineccius, ſponſum coemtum æque eſſe ac ſponſam, *Nonium XII, 50 & Cic. de Orator. I, 56* de coemtione uxorum ſenſiſſe, & in ſolennibus hujus coemtionis verbis mulieres *Cajas* vocatas, autore *Cicerone pro Muræna II, 12*, procul dubio ad formulam: *ubi tu Cajus, ibi Caja*, reſpiciente; ſenes coemtionales in coemtione adhibitos fuiſſe teſtes, libripendem, & qui alias in mancipationibus adeſſe ſolerent; coemtionem in confarreatione adhibitam, tanquam ritum acceſſorium, & poſtremis temporibus, neglecto primario confarreationis ritu, retentum ſolum acceſſorium i. e. coemtionem; uſu denique omnino in manum uxores non conveniſſe: hæc etiam ſingula aliter propoſuit Noſter, docuitque, in conventione in manum per coemtionem ſponſum nunquam coemtum; loca *Nonii & Ciceronis* ad coemtionem nuptialem prorſus non pertinere: *Caji* quoque & *Cajæ* appellationes minime fuiſſe proprias coemtionis ſolennitati; ſenes coemtionales nihil omnino ad hanc coemtionem facere; conventionem

nem in manum usu, confarreationem & coemtionem distinctos utique conveniendi in manum modos esse semperque mansisse, neque hanc successisse illius in locum. In alia quoque omnia abit Noster a Viro Celeberrimo, in coemtione sponsam juxta *Nonium* statuente, primo asse, quem manu teneret, virum, secundo, quem in pede haberet, & in foco Larium poneret, Lares & Deos Penates coemisse, tertium viro assem, quem in marsupio condidisset, tum demum resignasse, cum in compito vicinali, (quod interpretatur cum *Ill. Gundlingio* maceriam in horto,) in domum mariti transiret & materfamilias efficeretur. Prorsus, eam explicationem Varroni aptam esse, dubitat. Nihil enim apud eundem dici de coemtis Laribus, eo asse, quem in pede haberet, & in foco Larium poneret; primum assem emendi causa dedisse sponsam, an emendi mariti causa? non expedire Varronem; secundum assem in foco Larium posuisse, quem in finem, emendi, an supplicandi causa? non adjectum esse: deductam vero aliquando in quibusvis nuptiis in hortos fuisse sponsam, ibique separata diæta sive maceria egisse, antequam nuptiæ fierent, & in domum ipsa deduceretur, ex *Terentio Adelph.* & *L. 66 §. 2, ff. de Donat. int. V. & U.* recte quidem colligi; sed eandem deductionem in hortos deductioni in domum præcessisse semper & debuisse præcedere, non inde evinci, neque significari uspiam, maceriam idem fuisse, quod compitum vicinale. Compita quippe, monet Noster, fuisse viarum concursus, loca in quadriviis, quasi turres per omnes quatuor partes patentes, in urbe viisque publicis, ubi viæ competebant, in quibus sacrificatum Laribus vialibus, ex instituto Servii Tullii, a vicinia, singulis familiis liba conferentibus. Diætam, docet, esse habitationem, sive mansionem in hortis, quæ dicatur *diæta separata, d. l. 66 §. 1, diæta amœna, l. 13 §. 8 ff. de usufr. diæta in uxoris hortis*, quos in dotem acceperat, *l. 43 §. 1 ff. de Leg. 1.* Confer. *Plin. II Epist. 17*, de diætis in hortis villæ Laurentinæ, *Anton. Velseri epistola de Diæta, apud Solerium de Pileo, pag. 571. Noodt I de usufr. 2.* Maceriam autem, autore V*arrone*, esse fabrile sepimentum, factum e lapide, aut lateribus coctilibus, vel crudis, aut ex terra & lapillis compositis. Maceriam positam ductamve *l. 17 ff. comm. præd.* circa hortos, *Liv. XXIII, 9*, monu-

menta & ſepulchra, *l. 73 §. 7 ff. de contr. emt. Sueton. in Neron. c. 33.* Dirutam horti maceriam fuiſſe, cum ex ſeparata horti diæta virgo domum ducenda eſſet, ex verbis Demeæ, apud *Terentium* ad conſequentias non producendum fuiſſe, ſiquidem peculiaris diruendæ maceriæ ratio ab eodem addita: *multo rectius eſt*, inquit Demea, *quam illam puerperam huc nunc duci per viam ægrotam*. Igitur, cum aſſem tertium, quem in ſacciperio condiderat ſponſa, in compito vicinali ſoleret reſignare, i. e. deponere, magis intelligendum id fore de compitis a vicinia extructis, in quibus Laribus ſacrificabatur, & conſueverant aliquando poni & alia, v. c. juga, a ruſticis, finita agricultura, neque id fingendum eſſe de horti diæta aut maceria, ſive ſepimento. Hæc hactenus Noſter, ut diximus, in præfatione. Ipſe libellus ſeptem conſtat capitibus, quorum argumenta ſigillatim indicabimus. *Cap. I*, agit *de uxore Romana, ejusque duplici forma*, in quo hæ duæ uxorum formæ probantur ex *Cicerone*, *Quintiliano*, *Gellio*, *Livio*, ex juris autoribus, ex *Servio*, *Nonio*, *Boethio*; commonſtratur deinde, invaluiſſe eas jam ætate Romuli; indicantur matrisfam. & matronæ variæ appellationes, item promiſcua matrisfam. & matronæ, pro notæ autoritatis fœmina, nuncupatio; denique matremfam. eſſe ſuæ poteſtatis fœminam. *Caput II* eſt *de conventione in manum generatim, & quibus modis fiebat*. Dictum ibi, quid convenire in manum; patriæ poteſtatis eſſe varias, & in uxorem easdem appellationes; conveniri in manum tribus modis, confarreatione, coemtione & uſu, qui poſterior modus aſſeritur contra opinionem *Ill. Thomaſii*. *Servii* & *Boethii* commenta de conventione in manum, quaſi ea fieret per ſolam coemtionem, tres vero illi modi non eſſent conventionis in manum, ſed nuptiarum, refelluntur, oſtenſa utriusque obſcuritate & inconſtantia in hoc argumenta, variæque doctorum ſententiæ de conventione in manum recenſentur. *Cap. III* explicat *effectum conventionis in manum, cum uſu, tum confarreatione, tum coemtione*: effectum conventionis in manum non recte ſoli coemtioni a quibusdam adſcribi, conventione in manum veniri in poteſtatem, examinata *Thomaſii* ſententia, negantis, uxores confarreatione patrio jure exiiſſe inque viri poteſtatem tranſiiſſe, excepta

saltem Flaminica Diali, quæ olim ante Tiberii legem patrio jure exierit, post eam legem tantum sacrorum causa in potestate viri, in reliquis, ut ceteræ uxores, a non Flaminibus sine confarreatione ductæ, in potestate patris manserit. Asseritur porro marito jus occidendi uxorem, quæ in manu erat, & quæ sine conventione in manum uxor habebatur, quamvis limitatum, & in duobus tantum delictis, adulterii & si vinum bibisset, adhibito cognatorum judicio, idque marito Lege Julia ademptum, patri in filia adultera tributum. Jus vendendi vero, quod patri in liberos erat ex lege Romuli, marito negatur. E contra jus omnia acquirendi per uxorem eidem vindicatur, adeo, ut nec opus ei fuerit successione; unde nulla marito cum uxore actio, nec inter conjuges donatio; uxori, quæ in manu scripti hæredis, sub conditione legatur, ipsi vero non est jus testamenti faciendi; Conventionem in manum esse capitis diminutionem, quia mutatur familia: jus sui hæredis in intestatorum ingenuorum hæreditatibus uxori in manu existenti & in civis Rom. liberti hæreditate legitima, item in causa testati quale fuerit, jusque consanguinitatis uxoris, quæ in manu est, luculentissima patriæ potestatis mariti in uxorem talem argumenta, explicantur. Elegans sequitur conjectura de optione tutoris a marito uxori in manu testamento data, deque jure legitimarum hæreditatum & tutelarum manumissori sive marito sive parenti fiduciario in uxore remancipata, competente, quam in rem hujus remancipationis ratio, vis & effectus exponitur. Jus sacrorum & sepulchri non uxori, quæ in manu, soli, sed & ei, quæ uxor tantum, dispari tamen cum obligatione asseritur. De nomine uxorum in manu, censas eas maritorum gentilitiis nominibus & modo maritorum, modo parentum cognominibus nuncupatas, sententia *Reinesii*, argumento ab adoptione ducto, probatur, brevique tandem juris dotium & rei uxoriæ actionis illustratione caput hoc finitur. *Capite IV* sigillatim enarratur *modus conventionis in manum confarreatione*. Præmissis autorum de confarreatione testimoniis, de Legum Romuli & Numæ sensu, & quid in illis per *sacratas leges* intelligatur, de farris usu in quibusvis sacrificiis & de sacrificiis in quibusvis nuptiis, deque farris usu in confarreatione disseritur.

Ipsa

Ipsa confarreationis forma non adeo perspecta esse potest, cum requisita illa, quæ memoravit *Ulpianus*, certa verba, decem testes præsentes & solemne sacrificium nusquam veterum monumentis explicata reperiantur. Quæ in *Servio Danielis* ad confarreationis formam referuntur, sunt omnibus matrimoniis, etiam sine conventione contractis, plane communia, id quod per singulas solennitates eundo confirmat Noster, adjectis quoque illustrationis causa duobus nummis Aurelii & Commodi, item parte monumenti sepulchralis inferiore, ex *Boissardo*, in quo maritus & uxor ad aram dextras jungere, virque manu sinistra tabulas tenere nuptiales visitur. Origine conventionis in manum ex sacris LL. sive per confarreationem, ad Romulum relata, sententiæ de confarreatione *Huberi, Thomasii, Bachovii, Nic. Abrami, Greg. Tholosani, Ravardi* & *Mercerii*, quibus plerumque confarreatio & coemtio miscentur, confutantur. Singularis confarreationis effectus, ut Patrimi & Matrimi inde nascantur, ejus contrarium, diffarreatio, successio jurium apud Romanos circa divortia, & ratio divortiorum in conventione in manum diligenter illustrantur ac recensentur. Colophonem huic capiti imponunt observationes *Laur. Begeri* de nuptiis confarreatis, ex ejusdem *contemplatione Gemmarum Dactyliothecæ Gorlæi*, scriptæ ad gemmam, in qua oblatio primitiarum, ut & ad Marmor Romanum, in quo solennitates nuptiales, a *Jac. de Rubeis, Casp. Bartholino* & *Begero* editum, adjectis Nostri animadversionibus, quibus non confarreatas, sed vulgatas nuptias utrobique repræsentari, docet; utrumque vero antiquitatis monumentum, & posterius quidem bifariam, æri incisa ob oculos ponuntur. Succedit *Caput V, de conventione in manum coemtione.* Rara hujus apud scriptores veteres & juris Autores mentio, nec si a *Cicerone, Festo, Arnobio, Servio, Boethio, Isidoro* discesseris, apud alterum unum obvia. Nec ipse *Cicero* ejus meminit sæpius, quam uno loco, *pro Flacco cap. 34.* Quæ vero a *Servio* eo referuntur loca, & a Viris doctis eam in rem citari solent, ex *Ciceronis de Orat. I c. 56, Orat. pro Muræna cap. XII*, ex *Varrone* apud *Nonium*, ex *Gregorio Nazianzeno, Euripide, Stobæo, Chrysostomo*, ex inscriptione Patavina, & de *Caji* & *Cajæ* appellationibus in sacris nuptialibus usurpari

pari solitis ex *Plutarcho, Plinio, Quintiliano*, autore de nominibus apud *Valer. Maximum lib. X* atque *Festo*, aut ad coemtionem nihil videntur attinuisse, aut certe dubia suspectaque debent haberi. Cavendumque sedulo, cum *coemtionis* & *coemendi* verbum, *coemtoris* nomen, mulieres atque *senes coemtionem facere* leguntur, ne hæc statim ad conventionem in manum coemtione referantur. Coemtio ipsa fiebat per nuncupationem: unde de mancipationis forma, de nexu, de mancipationis usu vario disserendi occasio sumta. Coemtionis ritus non magis in luce positus, quam superior confarreationis. Id constat, coemtionem, sive patre sive tutoribus autoribus, expeditam fuisse, nihil quidem habuisse nuncupationi simile, sed solo consensu perfectam, licet ad ejus impletionem mancipatio, tanquam legitima traditio ad effectum consequendi dominii ex jure Quiritium adhibita fuerit, non fuisse mutuas emtiones, intercessisse vero rogationes. Ceterum nihil ad coemtionem donatio ante nuptias, nihil taxatio dotis, utut *Isidorus* & *Servius* aliter doceant, nihil quoque ad eam faciunt senes coemtionales, contra opinionem *Ræↄardi, Manutii, Hottomanni, Alciati, Gronovii*. *Caput VI* tractat *de conventione in manum usu*. Productis hic iterum veterum autoritatibus, ipse conveniendi in manum modus explicatur. Convenit enim uxor in manum usu, autore sive patre, sive tutore, cum matrimonii causa anno cum viro, licet sine legibus i. e. solennitate coemtionis vel confarreationis fuisset & sic annali usu capta in manu sive mancipio & potestate viri esse cœpit, nisi trinoctium, quod abesse a viro usurpandi causa ex XII tabb. deberet, usurpatum isset, *Gell. III, 2, Cicero pro Flacco, c. 34, Serv. I, Georg. ad v. Teque sibi generum.* Usus variæ significationes; in conventione in manum usus est possessio, varie tamen usus, quo uxores factæ, intellectus doctis. Sed uxores, tanquam res mobiles mancipi, annuo usu, sive continuata anni possessione ex justa causa animoque dominii sive b. f. captæ atque mancipatæ. Possessio uxoris apiscenda erat corpore, puta matrimonii consuetudine & simul animo sibi habendi. Quare traditio facta, autore patre vel tutoribus, marito, ut sibi haberet. Justa causa aderat, *matrimonii causa*, quam suggerit *Mucius*

apud *Gellium*. Usucapionis effectus, acquisitio dominii pleni, legitimi & Quiritarii, obtenta marito a patre, si uxor in ejus mancipio, ab ipsa uxore, si sui mancipii fuerit. Mire de usurpatione uxorum ad locum Gellianum discrepant eruditorum sententiæ. Vera *Conani*, de uxore, interrumpendæ usucapionis causa, per trinoctium usurpatum eunte, sive usucapionem interruptura. Annus in hac uxorum, ut in alia usucapione, computatur. Suntque hoc capite singula demonstrata, quæ Ill. *Thomasius*, usucapionem uxorum negans, a doctis sibi demonstrari postulavit. Superest *Caput VII de uxore tantum*. Hæc vulgo confundi solet sæpe cum uxore, quæ confarreatione usu in manum convenit, sæpe cum uxore injusta, concubina, & pellice. Uxor tantum convenit in matrimonium, intercedente connubio, quo interveniente liberi patrem sequuntur. Hæ sunt nuptiæ *vulgatæ*, sive *nuptiæ tantum*, de quibus sunt *tituli* in libris juris de *ritu Nuptiarum*, neque in his libris alia uxorum species, quam uxorum tantum occurrit, excepto conventionis vestigio, quod inadvertente *Triboniano* remansisse videtur in *l. 195 ff. de V. S.* Matrimonii verbo omnia matrimonia demonstrantur, *l. 13 §. 1 ad L. Jul. de adulter.* cum ea, quæ jure Gentium, tum illa, quæ ex jure Quiritium fiunt, quæque sunt proprie juris civilis, *legitimæ*, sive *justæ nuptiæ*, quas inter se cives Romani contrahunt connubii jure. *Connubium* est uxoris jure ducendæ facultas, quod habent cives Romani cum civibus Romanis; cum Latinis autem & peregrinis ita, si concessum sit. Differunt uxor tantum & quæ in manu est forma & effectu, quam differentiam vel ipsa particula *tantum* a *Cicerone* & *Gellio* notanter addita indigitat. Forma distant: nam illa fit solo consensu atque declaratione *liberorum procreandorum causa*, sive expressa sive tacita, etiam sine solennitatibus nuptialibus: hæc vero fit non per nuptias tantum, sed requiritur solennitas confarreationis aut coemtionis, aut forma usurpationis. Distant effectu: illi nulla familiæ jura, sed tantum jura connubiorum possunt accommodari, estque *matrona*: huic applicantur omnia familiæ jura, supra indicata, estque *materfamilias*. Differunt quoad dotem & paropherna, jureque successionum. Hactenus utraque justarum uxorum forma plene descripta, jura-

que

que earum examinata: paucis jam dicitur de *uxore injusta*, *concubina* & *pellice*. Injusta uxor est, quæ *contra Leges* nupta, *l. 24 ff. ad L. Jul. de adult. l. 17 ff. de Act. rer. amot.* licet liberorum procreandorum causa habeatur. Contra Leges ducta est uxor, si ætas nuptiis conveniens, aut parentum consensus, aut consensus contrahentium deficiat, aut cognatio, affinitas aliave causa, puta dignitas, tutela, curave, it. metus potentatus impedimento sit. Cessant ergo omnes effectus justarum nuptiarum. Concubina ab uxore *solo dilectu* separatur & *sola animi destinatione* æstimatur, *Paul. II Sent. 20 l. 31 ff. de donat. l. 4 C. de concub.* In uxore est *destinatio liberorum procreandorum* & consuetudo matrimonii causa: in concubina conjunctio solum consuetudinis causa: neque hæc in muliere honestæ vitæ & ingenua libere permissa, *l. 3 ff. de concub.* Pellex est, quæ corpus miscet cum illo, qui uxorem sive in manum, sive sine in manum conventione habet, *Gell. IV, 3, l. 144 ff. d. V. S.* neque enim eodem tempore, quo uxorem quis haberet, concubina potuit haberi, *Paul. II Sent. 20.* Sed ohe! jam totius libelli compendium dedimus.

Ruhe des jetzt-lebenden Europä, dargestellet in Sammlung der neuesten Europäischen Friedens-Schlüsse ꝛc.

h. e.

QUIES EUROPÆ MODERNÆ, SEU COLLECTIO Instrumentorum Pacis fœderumque sub Imperio Imp. CAROLI VI inde a Pace Ultrajectina usque ad A. 1726 compositorum, cum remissionibus, notis & indicibus.

Pars I & II,

Gallica & Hispanica complectentes.

Coburgi, apud Paulum Guntherum Pfotenhauerum, 1726, 4.

Alph. 5 pl. 20.

Pars III & IV,

Ea exhibentes, quæ ad pacem in Oriente & Septentrione spectant; Autore JOHANNE JACOBO ZINCKE, *Consil. Aulico Ducali Saxon.*

Ibid. apud P. G. Pfotenhauerum & Fil. 1727, 4. Alph. 5 pl. 14.

CОnstat hoc maximæ utilitatis opus quatuor Partibus, quarum duæ priores uno volumine A. 1726 absque autoris nomine prodierunt; posteriores autem, quæ hoc anno lucem aspexerunt, secundumque volumen constituunt, Autorem produnt *Joh. Jacobum Zinckium*, Consiliarium Saxonicum, Virum in rebus publicis admodum versatum. Et prioris quidem Voluminis, præter collectionem, non omnem sibi adjudicat laborem, cum ob iter, quod Principum nomine instituere debuit, & alia negotia, cura atque revisio horum magno labore multisque sumtibus collectorum documentorum alii commissa fuerit. Ceterum prima operis pars fœdera cum Gallis; altera cum Hispanis; tertia cum Porta Ottomannica, & quarta cum regnis, quæ circa Septentrionem jacent, sancita, continet; quibus coronidis loco additum est Supplementum, quod varios tractatus, fœdera, constitutiones & documenta, præsentem imprimis statum concernentia, exhibet, quibus nemo paulo curiosior carere poterit, uti exemplo est sanctio illa pragmatica, qua successio domus Austriacæ, deficiente sexu virili, definita, & Bruxellis 1724 publicata est; item privilegium illud, quod Imperator Societati, quæ Ostendæ floret, A. 1722 dedit; tum amicitiæ fœdus Imperatorem inter Rom. & Hispaniarum Regem Viennæ 1725 conclusum, aliaque inter Angliæ, Sueciæ, & Poloniæ Reges A. 1719 & 1720 conclusa, quæ omnia maximam historiæ seculi nostri afferre lucem nemo dubitabit. Præmisit Nobiliss. Editor cuique Volumini, præter præfationem, seriem accuratam seu syllabum tabularum & instrumentorum ibidem contentorum, quorum in IV Tomis & Supplemento CXXX reperiuntur. In quibus colligendis laudanda utique singularis ejus sollicitudo, qui ut undique hæc ex archivis colligeret, nulli operæ aut sumtibus pepercit. Præterea non solum cuilibet paragrapho summam ejus præfixit, sed etiam omnia fere instrumenta


menta lingua, uti dicitur, originali seu primaria & simul accurate in vernaculam linguam translata exhibuit. Quædam quidem fœderibus adjecta, quæ ad illa primario non pertinent, faciunt tamen ad illorum illustrationem accuratioremque historiarum seriem; imo quædam, quæ in Supplemento occurrunt alio commodiori loco inseri potuissent; quas tamen objectiones ipse Nob. Autor in præfatione secundo Volumini præmissa removit. Notas quod attinet, quas Cl. Autor passim operi subtexuit, etsi multæ earum omitti potuissent, præsertim quæ priori Volumini adjectæ (illæ enim sæpe in præfatione aut textu jam dicta recoquunt) multæ tamen ex illis magnam præstant utilitatem, & ex antiquitatibus historiam illustrant. Quod denique ad ordinem, placuit Autori secundum regna procedere, nec sine ratione, cum id ad historiam cujuslibet regni facilius addiscendam faciat. Universo demum operi Autor indicem subjecit locupletissimum, personas non solum & res, quarum in opere fit mentio, sed provincias etiam, urbes, castella, ceremonias, jura aliaque indicantem, unde operi non exigua utilitas accedit. Nos merito operam Autoris Nobilissimi deprædicamus, eumque, ut in instituto utilissimo strenue pergat, etiam atque etiam hortamur.

D. JOH. GEORGII LIEBKNECHT, IN ACAdemia Giessensi P. P. Ordinarii, Observationes de antiquitatibus quibusdam Solmensibus, VVetteraviam subterraneam, quam meditatur, illustrantibus, ex Epistola ejus ad Virum Doctissimum N. N. excerptæ.

UTi compluribus abhinc annis *Wetteraviam subterraneam*, multis ac variis rebus notabilibus, a natura, vel arte, vel quomodocunque relictis, abundantem, promisi publice: ita interea temporis hujus generis non pauca, antiquam & medii ævi Geographiam imprimis illustrantia, monumenta collegi; ab illo præsertim tempore, quo arbor in mineram ferri mutata in Salmio - Laubacensi Comitatu eruta, mihi clementissime exhibebatur examinanda. Quo studiosius igitur promtiusque huic

me tunc operi accingebam, eo plura occurrebant, adeo ut observationes solæ in integrum excrescerent tractatum, quem A. 1714 publicavi. Ubi quidem Cap. I §. XXVII inter alia indicavi, fossores urnam quandam in primo superficiei strato deprehendisse; unde mox Capite IV §. XII p. 337 conjicere cœpi, extra dubium esse, hanc urnam testari de sepulchrali loco, seu busto quodam communi, in quo gentilium corpora combusta & sepulta fuerint: nec dubitandum esse, quin complures ejusmodi urnæ in hacce regione inveniri possint. Quæ sane conjectura vana non fuit. Multæ enim urnæ eo ipso A. 1714 fuerunt detectæ ad pagum *Villingen*, parum a Laubacensium oppido distantem. Et sicuti has, prout memini, egregie descripserat Generosiss. Vir *de Galliardi*, Gallicis de hac materia literis ad Illustriss. Comitem Solmio - Braunfelsensem datis: ita & ipsæ mihi clementissime exhibitæ fuerunt, una cum speciali regionis & urnarum quoad altitudinem & latitudinem delineatione. Quæ singula ulteriori consideratione digna reputavi, cum præsertim A. 1718 mihi Geometricum exercitium cum auditoribus meis instituenti occurrerent in sylva quadam prope Giessam nonnulli tumuli & colles ordine dispositi: quos ego protinus sepulchra gentilium antiquissimo tempore has regiones incolentium, ossa continentia, pronuntiabam. Quibus dictis & simul antiquarum rerum cupiditate moti nonnulli studiosi, die sequenti unum alterumve collem perscindunt, itaque tandem in fundo quodam urnam studiose dispositam offendunt. Nec multo post omnes fere tumuli effossi, pluresque inventæ urnæ fuerunt, publica imprimis succurrente militum opera. Qua de re peculiare schediasma Celeberrimus, dum viveret, *Weberus*, Academiæ quondam hujus Cancellarius meritissimus, publicavit. Sed cum has urnas beatus Vir solis adscriberet Romanis, me quidem & Celeb. Academiæ hujus Professorem *Ayrmannum* semper dissentientes habuit. Nam quæ de nonnullis nummis Romanis prima studiosorum opera erutis narrat, parum certitudinis habent: quia hi nummi a studiosorum uno alterove primum fuerunt injecti, ut fortassis reliqui ad majorem excitarentur laborem, ceu mihi confessi sunt aliqui. Neque tales nummi in reliquis effossis collibus fuerunt inventi. Quare puta-

TAB. IV ad A. 1727 M. Aug. pag. 375.



putarem, tales colles a Cattis, vel Tencteris, Usipiis, aliisque indigenis gentibus, Romanorum quidem armis semper vicinioribus, olim erectos fuisse. Etsi vero cuilibet in rebus ejusmodi conjectandi sentiendique libertatem relinquam, placuit tamen nonnulla cum eruditis communicare, partim ut nostra ab illis studia adjuventur, partim ut suis ipsi inventis accommodent, quæ forsan aliquam cum illis convenientiam habere videbuntur. Primo loco annulum æneum repræsentamus, quales quatuor in urna Laubacensi A. 1719 reperti sunt, omnes ejusdem formæ & magnitudinis, ex una parte nodosi, ex altera plani: de quibus Vir præclare doctus *Jo. Mich. Heusingerus*, Illustrissimæ Juventutis Solmio-Laubacensis tunc temporis formator, ac studiorum moderator, nunc Scholæ Laubacensis Rector, in Epistola ad me data egregie exponit. In eadem urna duo conditi fuerunt orbiculi, subrubri, pari magnitudine, conulum detruncatum imitantes, circa centrum autem concavi & perforati, qualem exhibemus: quorum alter igne exploratus odoramenti genus videtur referre, vel ex thure, vel ex succino factum; alter vero durior, nec ferro, nec igni cedens, calefactus sulphureum odorem emisit. Subjeci proxime urnæ Villingensis, operculo tectæ, schema, cujus altitudo unius pedis est, materia nigra & friabilis. Et sane regionem, ubi hujusmodi urnæ inventæ sunt, si respiciamus, notabilis admodum est, quippe ubivis fere ejusmodi tumulos exhibens: quorum explicationi supra allegata epistola Generosissimi *de Galliardi* multam potest lucem addere. Continet nimirum isthæc regio vicum *Inheiden* dictum; in cujus agro etiam diversis temporibus variæ inventæ sunt antiquitatis reliquiæ, imprimis versus molendinum *Riedmühle* dictum. Est autem vicus *Inheiden* ad Wetteraviæ propriæ limitem in Comitatu Solmensi situs, ad radices jugi *Vogelsbergensis*. Locus ipse paululum ac leviter ex cetera planitie undique editus, & ab ortu hiberno in occidentem æstivum porrectus est, quem ab oriente angusta atque uliginosa, a meridie vero spatiosior vallis, æque tamen palustris, quippe in quam nivibus atque imbribus auctus amnis *Horlof* sæpe exundare solet, ab imminentibus altioribus montibus dividit; ab occidente vero rivus, e subjectis pratis aquosissimis collectus, præterfluit.

TAB. IV. Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Ae-

Accolarum ſeniores referunt, toto hoc fere tractu paludes quondam fuiſſe, quæ unicum a Septentrione aditum reliquerint: quod verum eſſe, altius ductæ paſſim foſſæ confirmant, quibus ſuperfluus humor nunc quidem temperatur, ſed nec ſiccioribus æſtatibus plane exhauritur. Multa in hoc colle dirutorum murorum rudera, integraque ædificiorum incendio deletorum fundamenta eſſe audio, in quæ agreſtes, cæmentorum quærendorum cauſa altius terram rimantes, incidunt; atque aliqua in ſummo ſolo adhuc exſtantia conſpici poſſunt: unde forſan is tractus jam dudum auf der Mauer dici conſuevit. *Inheidam*, oppidum quondam ſatis celebre, hic ſitum fuiſſe, vetus fama eſt: quam antiqui ſcriptoris teſtimonio probatam, ex beato Cancellario *Hertio*, iſtarum rerum peritiſſimo, Illuſtriſſimus Comes CAROLUS OTTO in SOLMS audiviſſe ſe aliquando meminit, & ea, quæ ab agricolis ſubinde eruuntur, magis confirmant. Videas enim hic magnam coctilium lapidum & tegularum vim, teſtas inuſitati plane operis ac coloris per agros ſparſas, vaſculorum a vulgatis uſu abhorrentium fragmenta, oſſa, ni fallor, humana: audias hic erui ſæpe ferramenta vetera, clavos, nummos, multaque alia ruinarum veterum veſtigia. Ad pedem quoque hujus *collis*, qua Auſtrum ſpectat, defoſſa fuit urna ſatis capax, tres nimirum pedes alta, quæ ſola fere illæſa manſit. Circumpoſitæ,
TAB. IV. ſi inventoribus credimus, patellæ fictiles fuerunt coloris rubri:
Fig. 4. quarum fragmenta plura habeo (nulla enim integra ſervata eſt) uniusque baſin ab interiori parte literis antiquis eminentibus inſcriptam, quas adeo forma aliqua impreſſas eſſe apparet. Quales autem hæ literæ ſint, quidve ſignificent, aliis quidem dijudicandum relinquo. Proxime ab hac piſcina in agro ejusdem collis, eo-
Fig. 5. demque fere tempore *tauri ſignum* illud æneum inventum eſt, quod in vera ſua magnitudine heic exhibeo. Qualem uſum habuerit, & quid ſignificet, varia proſtant judicia: & quia pes ille poſticus dexter deficit, quem punctulis ſolum indicamus, ut & caudæ pars media, ſunt, qui pro ornamento quodam, armis forte antiquorum annexo, habent. Materia ex vulgari ære eſt, ceu quidem hydroſtatica prodit, & gravitatem 7 ſemiunciarum refert. Artificium ſigni rude quidem, ſed tamen ex omni parte curate fuſum

fusum conspicitur. Hæc & similia ibidem quotidie eruuntur. Habet enim laudatus Illustrissimus Comes etiam minutum gladium, quem se mecum communicaturum promisit; & superiori demum mense inter adventantes rusticos quidam calcaris rotulam ferream mihi roganti dedit; ut alia taceamus. Inter talia quoque ferramenta non immerito *sagittarum* & *telorum* reliquias referimus, qualem in Fig. 7 exhibemus. Quod *nummos* attinet, quos vulgo *Heydenkœpfe* vocant, vix memini ullum in Germania esse locum, qui plures det, quam nostra Wetterauia; hosque, si ænei fuerint, a plebecula ut plurimum pueris crepundiorum loco dari, sin argentei, aut aurei, ad Judæos deferri, vulgarique moneta permutari, certo certius est. Et quia inter varios usus, quos olim *Spanhemius* in conquirendis nummis antiquis annotavit, meo quidem judicio minimus non est, si regiones, ubi eruuntur, probe connotentur, dubium non est, quin & Wetterauiæ antiquæ faciei, istiusque fatis singularibus, ex tali collectione nummorum, ibidem inventorum, maxima lux addi queat. Libet in præsentiarum illos saltem nominare quos idem ille Illustrissimus Comes, ex prædicto Wetterauiæ tractu non adeo multis abhinc annis collectos, pro sua in me gratia inspiciendos concessit. Sunt autem argentei sequentes:

TAB. IV. Fig. 6.

Fig. 7.

1) ANT. III. VIR R.P.C. Triremis.
LEG. VII. Aquila legionaris inter duo signa miliaria.

2) CÆS. VESP. AUG. Laureatus.
AUGUR. TRI. POT. Instrumenta auguralia.

3) IMP. CÆS. NER. TRAIANO OPTIMO HIS. GER. DAC. PARTHICO. Effigies laureata.
P. M. TR. P. COS. VI. P. P. S. P. Q. R. Mars gradiens.

4) ANTONIUS AUG. PIUS. Laureatus.
COS. IV. Salus ad aram stans & sacrificans.

5) ANTONINUS AUG. PIUS. P. P. IMP. II. Laureatus.
TR. POT. X. COS. IIII. Victoriæ sedentis imago.

6) FAUSTINA AUGUSTA. Uxoris Antonini effigies.

JUNONI REGINÆ. Juno ſtans. Eſtque hic nummus ideo notabilior, quia ſubæratus apparet.

7) M. COMM. ANT. P. FEL. AUG. BRIT. Laureatus.

P. M. TR. P. XI. IMP. VII. COS. V. P. P. Æquitas ſtans.

8) L. SEPT. SEVER. - - - - - - -

HERCULI DEFENS. Hercules ſtans cum clava, arcu & leonis exuviis.

9) JULIA AUGUSTA - - - Sinceri uxor. Caput reticulo ornatum.

JUNO REGINA. Stans.

10) IMP. MAXIMINUS PIUS AUG. Laureata effigies.

PAX AUGUSTI. Stans ramum prehendens.

11) M. ANTONINUS AUG. Radiatum caput.

- - - XXI IMP. V - - - - S. C. Alata effigies.

12) DIVA FAUSTINA.

ÆTERNITAS velata cum Sceptro S. C. Hic ſolus alio in loco, Münzembergæ ſcilicet, duarum horarum ſpatio diſtante, eſt inventus.

13) IMP. ALEXANDER PIUS AUG.

MARS ULTOR. Sagatus cum haſta & clypeo.

15) Numulus æneus plane detritus, ſed tamen Imperat. Rom. effigiem monſtrans.

15) SALL. BARBIA ORBIANA AUG. Caput reticulo ornatum.

CONCORDIA AUGG. Hic nummus eſt argenteus, *Inbeidæ* ante aliquot dies inventus, elegantiſſimus.

Ceterum cum inter hos ſæpiſſime etiam inveniantur nummi argentei, & ex auro, licet non ex obryzo illo maxime pretioſo, facti, concavi & ſolidi, quos cum *Wedelio* in Med. Philolog. Dec. IX exercit. X *Gothicos* vocant, vel cum aliis *Germanos*: nos duos nunc tantum, qui cum Romanis ſimul inventi, producemus, quorum alter Fig. 8 exhibitus argenteus eſt, concavus, ſolidus, ſolitoque craſſior, utrinque ſignatus, ponderis ſesqui drachmæ vul-

TAB. IV. Fig. 8.

vulgaris; alter ejusdem soliditatis & formæ, quem itidem terra Solmensis in Wetteravia nuper dedit, in Figura 9, aureus est, decem florenorum pretio & pondere æstimatus. De quibus ut & reliquis Wetteraviæ antiquitatibus mox plura. Scr. Giessæ Mense Nov. 1726. TAB. IV. Fig. 9.

J.C.S. INTERPRETATIO NUMMI CUJUSdam veteris.

I. VAillantius in Numismatibus æreis Imperatorum, quæ in coloniis cusa sunt, Tomo I pag. 5 habet nummum, qui caput Julii Cæsaris ostentat, circumscriptis hisce literis: C. ARRI. A. F. C. AQ. C. JUL. T. ANC. In altera ejusdem nummi parte conspicitur aratrum circumfusis literis illis: II VIR. QUINQ. EX. D. D.

II Has literas Vir literatissimus ita interpretatus est: *Caio Arrio, Auli filio, Caio Aquilio, Caio Julio, Tito Anchario, Duumviris quinquennalibus ex decreto Decurionum.*

II Porro fatetur Vir eruditissimus, se nescire, cui tandem Coloniæ nummum hunc attribuat. Neque animadvertit, se peccare in eo, quod cum nummus Duumviros prædicet, ipse quatuor nobis obtrudat nomina, &, quod ei consequens est, quatuorviros.

III Nos, bona literatorum venia, utramque nummi partem conjunctim ita legi malimus: *Caio Arrio, Auli filio, Caio Aquilio Duumviris quinquennalibus ex decreto Decurionum. Colonia Julia Togata Ancona.*

IV Nam Anconam coloniæ nomine insignitam fuisse, diserte memoriæ prodidit Plinius Histor. Natur. lib. III cap. XIII.

V Plura quæ ad nummi hujus interpretationem pertinent, proposuimus in *Monumentis ingeniorum* Tomo II p. 65.

THREE DIALOGUES, BY GEORGE BERKELEY &c.

hoc est,

TRES DIALOGI INTER HYLAM ET PHIlonoum, quibus veritas & perfectio humanæ cognitionis, incorporea animæ natura, & immediata Dei providentia,

 contra

contra Scepticos atque Atheos plane demonstratur, novaque methodus pro majori scientiarum facilitate, usu & compendio aperitur; Autore GEORGIO BERKELEIO, Magistro Artium & Collegii Trinitatis Dublinensis Socio.

Londini, apud Wilhelmum & Joannem Innys, 1725, 8.
Pl. 11½.

SUmmus Aristoteles, si Berkelejo credimus, male rerum cacumina trutinavit, cum, quicquid in orbe est, in duo divideret.
Tribus enim his Dialogis hoc unum agitur, ut negetur, dari *sub-*
p. 3. *stantiam*, quam Philosophi vocant *materialem*. Hanc opinionem nec phantasticam, nec sensui communi adversam, nec Scepticismi matrem filiamve esse; sed *realitatem rerum sensibilium* earumque naturam longe melius demonstrare atque explicare, quam communem philosophorum de *existentia materiæ* doctrinam, confidenter Autor affirmat.

In *Dialogo I* ergo sequentia axiomata constabilire instituit.
7. I) *Omnes res sensibiles non mediate, sed immediate a sensibus percipiuntur;* cum *concludere* & *inferre* non sit *sensuum* sed *rationis:* adeo ut visu, præter lucem & colores, auditu, præter sonum, palato, præter gustum, olfactu, præter odores, tactu præter qua-
9. litates tangibiles, nihil percipiamus. II) *Realitas objectorum sensibilium in hoc solo consistit, ut percipiantur*, nec differunt inter se *τὸ existere* & *τὸ percipi*. Dolor igitur & voluptas, cum in materiam, tanquam ens nec sensibile, nec cogitans, cadere non possint, nullo modo distinguuntur ab *idea* vel *sensatione*, inque
16. sola *mente* existunt. Hinc Autor concludit, calorem non magis esse in igne, quam dolor est in acu, qua digitus compungitur; saccharum non esse dulce, absinthium non amarum; nec odorem vel fœtorem in materia odorifera, nec sonum in corpore sonoro, vel in aere, aerisve motu esse; colores denique corporibus externis non inhærere; sed omnia isthæc in sola *mente*, *sensatione*
32. & *idea* existere. Concludit porro: ipsas *qualitates primarias*, extensionem, figuram, gravitatem, motum, & quietem in corporibus non quærendas, nec quidquam nisi totidem *sensationes* atque

que *ideas* esse, nullibi nisi in *mente* existentes. III) *Objecta non differunt a sensationibus*, tum quod in objecto e. g. tulipa, præter colorem, figuram & extensionem, nihil videmus; hujusmodi ideæ autem, vel potius combinationes idearum in substantia non cogitante & ab omni mente remota non possunt existere; tum quia perceptio nihil *actionis* habet, sed lumen, color, gustus, sonus &c. nil sunt, nisi meræ *passiones*, seu *sensationes* animæ. IV) *Non datur substratum materiale nec substantia*, cui qualitates sensibiles inhæreant, vel quæ subjaceant accidentibus; cum tale substratum talisque substantia non differat ab *extensione*, quam ideam esse, nec extra mentem existere, Autor supra asseruit.

p. 44.

49.

In *Dialogo II* initio reprobatur sententia modernorum, qui statuunt, objecta externa, dum organa sensuum tangunt, nervisque certos motus vibrativos communicant, varia vestigia cerebro imprimere atque sic animam ideis afficere; id quod Autori nostro nihil aliud est, quam *ideas* in rebus sensibilibus, i. e. *in ideis*, collocare. Tunc absurdum esse demonstratur, tot rebus in sensus cadentibus, sylvis, speluncis, fluminibus, oceano, cœlo denique & astris omnem *existentiam realem* denegare, atque sic in crassissimum Scepticismum velle delabi. Cum tamen hæc entia a mentis nostræ cogitatione nequaquam dependeant, sed existentiam habeant a *perceptione* nostra plane distinctam, hinc certissime concludendum: *oportere esse mentem aliam, in qua hæc omnia existant*, atque hanc mentem, hunc spiritum infinitum & omnipræsentem, qui continet & suffulcit omnia, esse *DEUM*. Directam hanc & immediatam ait Autor esse demonstrationem *existentiæ divinæ*, ab evidentissimo principio deductam. Cum enim vulgus Philosophorum sic ratiocinetur: *Deus est, ergo percipit omnia*; Berkelejus argumentum invertit: *Entia sensibilia vere existunt, quæ si vere existunt, a mente quadam infinita percipiuntur; est ergo mens quadam infinita*, sive *DEUS*. Porro, cum omnia, quæ immediate percipiuntur, sive ideas vocare velis, sive sensationes, a mente quadam vel spiritu producantur; nos vero harum idearum non sumus autores, utpote in quorum facultate positum non est, dum aures oculosve aperimus, quibus ideis velimus affici, argumentatur, *esse mentem*, *quæ omnibus impressioni-*

68.

71.

75.

79.

bus ſenſibilibus, quas percipimus, continue nos afficiat. Ex varietate, ordine & modo autem harum impreſſionum concludit, eas habere autorem *ſapientiæ, potentiæ* atque *bonitatis* incomprep.80 henſibilis. Reliqua pars hujus Dialogi ſecundi nova argumenta contra *exiſtentiam materiæ* expromit, quam nec *cauſam*, nec *inſtrumentum*, nec *occaſionem* idearum eſſe, imo plane exiſtere non poſſe, Autor diſputat.

107. *Dialogo III* Berkelejus probare allaborat, 1) *ſententiam, quam hactenus defendit, ab omni Scepticiſmo eſſe alienam.* Se enim de ente incognito, quam materiam vocant, minime ſolicitum, cum vulgo ſenſibus fidere, entiaque vera putare ea, quæ videmus, ſentimus, percipimus. Se nivem albam, ignem calidum, cum ſimpliciſſimis credere. Rem quandam vere percipi, & ſimul non vere exiſtere, videri ſibi plane contradictorium; adeoque ſe non eſſe Scepticum, ſive naturam rerum ſpectes, ſive exiſtentiam; ſed
113. *cognitioni humanæ* jura ſua ſarta tecta ſervare. 2) *Cum ſenſui communi, tum Chriſtianiſmo, examuſſim convenire hanc ſententiam*, quippe cujus hæc ſumma ſit: *Omne ens vel percipit, vel percipitur*: ſive: *Omne ens cogitationis expers neceſſario, & per naturam exiſtentiæ ſuæ, percipitur ab ente quodam cogitante, ſeu mente, ſi non finita & creata, certe tamen infinita*
130. *ſive Deo, in quo vivimus, movemur & ſumus.* 3) *Sententiam hanc non eſſe novam;* ſed opponi potius novitatibus & paradoxis Scepticorum, e. g. quod objecta non habeant qualitates, quas percipimus; quod ſenſibus non ſit credendum; quod materia, h. e. res ſtupida, cogitationis actionisque incapax, poſſit operari in
144. ſpiritum, &c. 4) *Hanc ſententiam Scripturæ S & hiſtoriæ creationis non contradicere;* cum Moſes nullibi dicat, Deum creaſſe *quidditates ignotas, ſubſtantias corporeas, occaſiones, ſubſtrata,*
155. verbo, *materiam* in ſenſu philoſophico. 5) Tandem maximam utilitatem, quæ ex doctrina *Immaterialiſmi*, tam in *religionem*, quam in *ſcientias humanas*, redundet, Autor commendat. Quippe Dei exiſtentiam, ſpiritualitatem, omnipræſentiam, providentiam, omniſcientiam, infinitam potentiam & bonitatem, neque minus incorruptibilitatem animæ, clare, conſpicue & evidenter hoc modo probari, tum intricatas quæſtiones, obſcuritates, & contradi-

traditiones *philosophiæ naturalis*, circa continuitatem, homogeneitatem, gravitatem, divisibilitatem materiæ, per suppositionem Immaterialismi, ceu nodum Gordium, uno ictu dissolvi, affirmat, aliosque hujus doctrinæ usus in *Moralibus, Metaphysicis* & *Mathematicis* subjungit. Atque ita Berkelejus paradoxon suum de *non-existentia materiæ* speciose satis defendit, de cujus veritate alii judicent; de origine, quicquid Autor dissimulet, sic sentimus, ex *Cartesii, Malebranchii* & *Spinosæ* philosophiarum mixtura prognatum hoc λυβικὸν θηρίον. Cæterum ea, quam sub manibus habemus, horum Dialogorum editio altera est; prior jam prodiit A. 1713, cujus amplam doctamque recensionem Lector inveniet in Diario Gallico *le Journal literaire Tom. I art. 16.*

NOVA LITTERARIA.

PRodiit Neapoli superiori anno vergente liber admodum elegans, cui titulus: *Camilli Eucherii de Quintiis, e Soc. Jesu, Inarime seu de Balneis Pithecusarum Libri VI, Sereniss. Lusitaniæ Regi Joanni V dicati*, in 4 minori. Carmen est heroicum, ad Lucretii fere morem compositum, notisque historicis ac physicis eruditis illustratum ac figuris aliquot bellissimis exornatum. Prodiit & ibidem nuper liber sub tit. *Principj d'una nuova Scienza*, 8. Cujus libri Autor quamvis nomen suum eruditos celet, certiores tamen facti sumus per amicum quendam Italum, esse eundem Abbatem Neapolitanum, cui nomen *Vici* fit. Agitavit Autor in isto libello novum Juris Naturæ Systema aut figmentum potius, ex aliis longe, quam hactenus sueverunt Philosophi, principiis deductum, magisque ad ingenium Pontificiæ ecclesiæ accommodatum. Multo labore contra Grotii & Pufendorffii doctrinas & principia disputat, ingenio tamen hic magis indulget quam veritati, longaque conjecturarum mole tandem sibi ipsi deficiens ab ipsis Italis tædio magis quam applausu excipitur.

Genevæ Perachon & Cramer, Typographi, in duobus Operibus, altero Juridico, altero Medico, recudendis valde occupantur. Illa sunt rara hactenus *Joannis del Castillo Sotomajor* Opera, una cum *Jo. Pauli Melii* Additionibus & Observationibus, & *N. Antonii* J. U. Doct. & Prof. Repertorio generali, X

Tomis

Tomis distributa, quæ ut nunc emendatiora & ad usum magis accommodata, ita & ad calcem additionum Melianarum recentissimis S. Rotæ Romanæ Decisionibus, hactenus ineditis, aucta prodibunt. Hæc vero sunt *Richardi Morton* Opera omnia, quæ jam olim una cum scriptis aliorum, *Gualtheri* nempe *Harris*, *Cole*, *Listeri*, *Sydenham*, praxin pariter & materiam Medicam concernentibus, iidem Typographi ediderant, nunc aliis insuper scriptis, *Caroli Leigh* Phthisiologia Lancastriensi, *Gualtheri Harris* ultimis Operibus, *Vinc. Kattelaer* M. D. Commentario de Aphthis, & Dissertationibus quorundam de nova methodo inoculationis & transplantationis Variolarum aucta; quæ quidem Opera hoc ipso anno proditura speramus.

Londini Cl. *Edmundus Chisbull* novum opus promisit, publico programmate proposito, quo inter alia hæc refert: *Titulum feret :* Antiquitatum Asiaticarum Reliquiæ: *sive nobiliores quædam ab Asia Minore Inscriptiones Græcæ. Opus in tres Partes divisum.* Prima *dabit Inscriptionum duarum Sigearum, cum commentario & notis, editionem novam. Accedent eidem Latina Monumenta duo: unum Ancyranum, ex autographis schedis Tournefortianis, longe quam antea auctius & emendatius: alterum Stratonicense, ex Itinerario Sherardiano nunc primum in lucem datum.* Secunda *complectetur Inscriptionum Græcarum seriem, numero circiter trecentarum, partem longe maximam hactenus ineditarum, a Teo, Lebedo, Epheso, Mileto, Stratonicea, Magnesia ad Meandrum, Trallibus, Aphrodisiade, Laodicea, Hierapoli, Philadelphia, Sardibus, Thyatiris, Pergamo, Lesbo Insula, Smyrna, aliisque Urbibus Asiaticis. Adjicientur passim breves notæ criticæ, cum non paucis, de singulari quarundam Inscriptionum materia, & locis ubi repertæ sunt, Proœmiis.* Tertia *exhibebit Alphabeticum ad rariora & difficiliora Inscriptionum Commentarium; variosque, secundum methodum Scaligeranam & Reinesianam, Indices.* Ceterum quod ad specimen, huic programmati ab Autore subjunctum, attinet, eo describendo facile supersedemus. Evolvant, qui legere cupiunt, Diarium Hagiense *Histoire Litteraire de l'Europe* M. Jun. 1727 p. 180.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXXVII.

FLAVII JOSEPHI, QUÆ REPERIRI POtuerunt, Opera omnia, Græce & Latine, cum Notis & nova Versione JOANNIS HUDSONI. Accedunt nunc primum Notæ integræ D. Eduardi Bernardi, Jacobi Gronovii, &c. ut & ineditæ Joannis Cocceji, Ezechielis Spanhemii, Hadriani Relandi & rel. Autore SIGEBERTO HAVERCAMPO, Linguæ Græcæ, Histor. & Eloquent. Profess. in Academia, quæ Lugduni est, Batava.

Tomi II.

Amstelædami, apud R. & G. Wetstenios,
Lugd. Batav. apud Sam. Luchtmans,
Ultrajecti, apud Jacobum Brœdelet, 1726, fol. maj.
Alph. 22 pl. 18, cum tribus Tabulis æneis.

FLavium Josephum tandem post diuturnas eruditorum cunctationes in lucem prodire, lacunas, quibus antiquiores ejus editiones scatebant, Codicum MSS. ope suppleri, veramque Græci, ubi aut luxatus, aut plane corruptus erat, textus lectionem restitui, quorum intererat, gratum iis acceptumque omnino erit, illustris adeo Scriptoris, elapso nondum decennio, bis vulgata fuisse, quotquot habentur, Opera, tanto molimine elaborata, ut vix in iis sit, quod jure desiderare possint intelligentes hujus rei æstimatores. Priorem illarum editionum quæ Oxoniensis est, Cl. *Hudsono* debemus, posteriorem *Sigeberto Havercampo*,

campo, Linguæ Græcæ, Historiarum & Eloquentiæ in Academia Lugdunensi Batava Professori. Et de Hudsoniana quidem diximus in Actis A. 1722 M. Majo, quæ cum pretiosa esset pro more gentis, nec facile comparanda omnibus, præclaro utique instituto laudatissima Bibliopolarum apud Batavos Triga de revocandis ad suos Josephi Operibus typos cogitavit, suumque illa consilium aperuit Cl. *Havercampo*, qui id a studii officiique sui ratione alienum haud fore, ratus, præsentem nobis post nonnullorum annorum labores Josephi editionem dedit, quæ cum denuo ad Codices MSS. castigata, novis accessionibus & doctissimorum Virorum curis auctior prodeat, suam etiam præ cæteris dignitatem præstantiamque facile tuebitur. Quibus autem subsidiis instructus, ad opus accesserit, ipse edisserit in Præfatione præmissa Cl. *Editor*. Inter Codices MSS. quibus usus est, principem locum merentur Codices duo, qui in Bibliotheca Lugduno-Batava habentur, scripti in charta, sed notæ valde bonæ & antiquæ, quos olim possedit *Isaacus Vossius*. Prior Antiquitatum Libros novem posteriores integros continet; posterior septem de Bello Judaico Libros omnes complectitur, in initio tantum & fine paululum mutilus. Horum Codicum copia facta non fuerat Cl. *Hudsono*, præter quædam ex iis excerpta: diligenter vero eos inspexit Cl. *Havercampus*, passimque varietatem eorum, ubi a lectionibus *Hudsonianis* discrepabant, literis *L. B.* notavit in subjectis animadversionibus. Usui deinde ejus inserviit, quod in Græcis ante defuit & in eadem Bibliotheca asservatur, Fragmentum Josephi ex Libro Antiquitatum XIV, descriptum ex priori illo, Antiquitatum nimirum Codice Lugduno-Batavo. Comprehendit Decreta Romana & Asiatica pro Judæis ad cultum divinum per Asiæ minoris urbes secure obeundum, quæ cum Emendationibus quibusdam in Suidam singulari libello duodecimo Seculi præsentis anno primus vulgavit *Jacobus Gronovius*. Ingentem hanc lacunam in editione Oxoniensi suppleverat quidem *Hudsonus*, sed pauca in adjectis animadversionibus sua fecerat ex illis *Gronovianis*, quæ suis insertæ locis integræ in hac nova editione comparent. Ad hæc reperta ipsi fuit Agrippæ Regis, Judæos a bello cum Romanis gerendo dehortantis, Oratio, &

Tom. I. p. 706.

& quas ab editis discrepantes in Codice lectiones invenit eas
inter addenda Tomo II retulit. Unam quoque & alteram p. 181,
Josephi editionem ab *Isaaco Vossio* multis in locis cum MSS.
suis, & ab aliis collatam, ob oculos habuit, Basileensem nimirum
& Genevensem editiones, quem apparatum universum in præ-
stantissima illa Lugduni Batavorum Bibliotheca servatum in usus
suos convertit. Et hæc propius adeo ad manum fuerunt Cl. *Editori*.
His vero auxiliis, quamvis egregiis, adjutum esse, cum nondum
satis haberet, de plurimorum Eruditorum votis bene merendi
studio ductus, doctos ubique Viros, a quibus opis quid sibi la-
tum iri, existimavit, laudando sane consilio, quod & successu non
caruit, literis solicitavit. Possedit *Fred. Rostgardus*, Nobilissimus
Danus, præstantissimum, quadringentorum circiter annorum, de
Bello Judaico, Codicem MS. Græcum, eundemque integrum &
nullo modo interruptum, in cujus calce adjectum fuerat illustre
illud Josephi de Jesu Christo testimonium. Ad hoc MS. exem-
plar edita contulerat *Joannes Grammius*, Linguæ Græcæ in Aca-
demia Hafniensi Professor, & quas in illo varias lectiones nota-
verat, manu sua descriptas ad nostrum transmiserat, una cum iis
in Josephi contra Apionem Libros. Priores sub Codicis Rostgar-
diensis, sub Hafniensis nomine posteriores citantur, & harum
nonnisi paucissimas, illarum nullas ad *Hudsonum* pervenisse, col-
latis invicem utriusque Editionis libris, unicuique facile appare-
bit. Mox in immensum auctus fuit ille variantium lectionum
numerus, ex quo nonnullos Josephi libros, ad Codices MSS. in
Bibliotheca Christianissimi Regis recognitos e Gallia transmisit
ad Virum Cl. *Jacobus Philippus d'Orville*. Feracissima est lectio-
num illarum in molem vix tolerandam fere excrescentium seges,
quæ cum serius venissent, adjectæ sunt Tom. II additionibus. I.
Complectuntur de Bello Judaico Libros ad septem Codices MSS.
collatos, inter quos Regius seculi undecimi & insigne Bibliothe-
cæ Coislinianæ exemplar; librum porro de Maccabæis & vitam 157.
Josephi. Ordo tum sequitur & lectio Capitum Librorum Josephi 171.
de Bello Judaico, cum fragmentis quibusdam, ex Regiis quoque 176.
Codicibus. His accesserunt variæ lectiones in Antiquitates Judai- 180.
cas, ex quatuor Codicibus Regiis descriptæ, quarum magna parte

usus fuit *Bigotius*. Excerpta illa *Bigotiana* in plurimorum Eruditorum manus & Bibliothecas pervenerant, quo etiam nomine passim in *Hudsonianis* memorata leguntur, verum sine ulla Codicum, unde depromtæ fuerant, autoritate. Ultimam hanc lectionum farraginem, notatis ubique Codicibus, qui eam subministraverant, Parisiis misit *D. Sallierus* ad Cl. *Editorem*, qui, cum
p 424. conspectum illius invidere Lectori noluit, in Tomum II totum
479. conjecit, quo præter Antiquitatum Libros, ii simul, quos de vita sua & contra Apionem scripsit Josephus, cum MSS. collati exhibentur.

Tot subsidiis instructus, tandem opus aggressus est Cl. *Havercampus*, & ad Codices cum impressos, tum MSS. præcipue Lugduno-Batavos, Græca Josephi recensuit, præclaro certe conatu, sed qui, ut verum fateamur, valde simul adjutus fuit ope & auxilio, quod illis tulerat *Hudsonus*, qui suas aliquando manus afferre Josepho velint. Quantum enim in Literarum Græcarum scientia excelluerit *Hudsonus*, quanto ingenii judiciique acumine polluerit, quam in discernendis lectionibus veris a falsis aut suspectis sagacem, quam in vertendo ex Græco in Latinum fidelem & doctum se præstiterit, supervacaneum foret, hic multis repetere. Quare etiam Græca Josephi ad illa *Hudsoniana* ita imprimenda curavit doctissimus Editor, ut ubique fere utriusque Editionis consensus atque concentus, rarissime dissensus appareat. Scilicet cum plures Codices inspiciendi data fuisset Cl. *Havercampo* copia, prima ipsi cura fuit, Græca Josephi cum illis conferre præcipue Lugduno-Batavis, qui etiam utramque fere in hac nova Editione paginam faciunt. Hinc quando lectionum, quas genuinas *Hudsonus* agnoverat, ab illis in Codicibus nulla erat varietas, studiose hoc notatum Cl. Viro in animadversionibus. Si qua deinde erant in *Hudsonianis*, quæ a MSS. leviter variabant, sensum vero nec corrumpebant, nec in adversa detorquebant, Græca Josephi ob leve illud discrimen castigare, religioni quidem sibi duxit, differentiam tamen iterum indicavit in *Notis*. Tandem cum in Codicibus, imprimis Lugduno-Batavis, lectiones comparerent significantiores utique & ab editis illis *Hudsonianis* valde discrepantes, quæ magis ad mentem Josephi accederent,

rent, addita interdum voce, quam librarii manu temere adjectam fuisse, suspicandum non erat, tum illas gravioris momenti lectiones textui etiam inserere, haud dubitavit, hujusque suæ castigationis causas & rationes sufficienter in animadversionibus exposuit. Notandæ hinc lectiones, quas perlustrantibus nobis Græca Josephi obviam inter legendum factas speciminis loco damus Lectori Benevolo. Antiquitat. Judaicar. Libr. XII Cap. IV §. 9 Tom. I.
lin. 38 editis *Hudsonianis* in editione præsenti ex Codice Lug- p.605.
duno-Batavo accesserunt illa πρὸς ἕκαστον, quæ ob præcedentium similitudinem ex aliis Codicibus excidisse videbantur, longe significantius, quando coram singulis simulasse dicitur Hyrcanus.
Libr. XVI Antiquit. Cap. X §. 1 lin. 20 τιμώμενος legitur pro 814.
νικώμενος, & Libr. XVIII Cap. IX lin. 2 προχωρεῖν πρὸς αὐ- 908.
τὸν, cum in ante editis προσχωρεῖν; optima conjectura *Hudsoni*, qui ad hunc locum in subjecta animadversione, *forsan* προσχωρεῖν πρὸς αὐτὸν, scribit; cui lectioni cum faveret Codex Lugduno-Batavus, Textui eam inseruit Cl. *Editor*, sicut & ibidem lin. 31 nomen Ἀνιλαῖον cum Articulo τὸν, ejusdem Codicis autorita-
te ductus. Sic porro Libr. IV, de Bello Judaico, Cap. I lin. 25 Tom. II.
edita habebant πολλοῦ δέους συνεργήσαντος, lectione quidem non 268.
contemnenda, sed dubio procul elegantiori, πολὺ τοῦ δέους συνεργήσαντος, qua etiam priorem illam emendavit Cl. *Editor*, cum præter Codicem Lugd. Bat. eam Rostgardiensis exhiberet, ad quorum autoritatem etiam illa in editis, ἣν παρ᾽ αὐτῶν ἐπλήγησαν ἀπόντος Ῥωμαῖοι, castigata, nunc emendatiora leguntur ibid.
lin. 30, ἣν παρ᾽ αὐτὸν ἐπλήγησαν ἀπόντα Ῥωμαῖοι. Nec præte- 269.
rire possumus, quæ ad finem Capitis hujus observata sunt Viro doctissimo. Nimirum Gamalæ urbis obsidionem & excidium hoc Capite describit Josephus; tandem ad finem ejus victricibus Titi Vespasiani armis horrendam Judæorum stragem in urbe editam fuisse, neminemque præter duas mulieres, easdemque Philippi sororis filias, interitum effugisse, refert. Jam de Philippo dicturus, quis fuerit, ait: Αὐτὸς δ᾽ ὁ Φίλιππος Ιακίμου τινὸς ἀνδρὸς ἐπισήμου στρατιαρχήσαντος Ἀγρίππᾳ τῷ βασιλεῖ, quæ quidem ultima verba in editis omnibus inepta hæc sequebantur φίλος τυγχάνων, ut adeo juxta sensum eorum Philippum fuisse

oporteat amicum Jacimi illius, qui Agrippæ, Regis, exercitui præfuerat. Et ita quoque visum Cl. *Hudsono*, qui lectionem eandem exhibet, simul tamen infra observat, illa φίλος τυγχάνων a *Bigotianis* abesse & *Vossianis*, nec ea agnoscere veterem Interpretem, *Rufinum*; nec tamen deleverat Vir doctus. Subintelligenda autem necessario est in iis Josephi vox υἱὸς; Philippum enim Jacimi illius filium fuisse, Autor est ipse Josephus Antiquitat. Judaicar. Libr. XVII Cap. II §. 3: καὶ Ἰάκειμος ἐν γήρᾳ τελευτῶν, Φίλιππον ἄνδρα χεῖρας ἀγαθὸν κατέλιπε τὸν υἱόν. Quare cum præter Rostgardiensem, etiam Codices Parisini illa φίλος τυγχάνων ut ab inepto Glossatore profecta, haud agnoscerent, recte omnino ea expunxit, &, quæ ad mentem Josephi probe accedit, *filii* vocem versioni Latinæ inseruit Cl. *Editor*. Atque in hunc modum etiam in reliquis ad Codices suos Græcam Josephi dictionem castigavit, rarius tamen, nec nisi cum illorum lectiones magis ad rem accommodatæ, atque adeo dignæ essent, quæ editis *Hudsonianis* præferrentur.

Non omnis vero in iis labor versatur, quem suo Josepho impendit Cl. *Havercampus*. Quod enim præclaro ejus de præstantissimo Scriptore bene merendi studio debemus, exhibentur etiam nobis Doctorum Virorum curæ, animadversiones & notæ, editæ & ineditæ, quibus tot novæ huic Editioni factæ sunt accessiones, ut longe ea auctior, illa *Hudsoniana*, prodiisse omnino dicenda sit. Quanto conatu, quam varia instructus doctrina ad edendum Josephum animum applicuerit *Edvvardus Bernardus*, Vir undecunque doctissimus, & linguarum præcipue Orientalium callentissimus, norunt omnes, & abunde exposuit, qui Josephi Bernardini, veluti abortivi fœtus, Historiam in vita ejus libro peculiari complexus est *Thomas Smithus*. Editæ autem fuerant in quatuor Archæologiæ Judaicæ Libros & partem quinti *Bernardi* annotationes & scholia, quorum nonnisi pauca, quæ ad lectionis varietatem facerent, in usus suos *Hudsonus* transtulerat; in hac vero Editione integra comparent, ea nimirum, quæ Græcam Josephi dictionem, aut Historiam ejus illustrant; quæ enim indoctam illam & Græco Textui in quamplurimis parum congruam interpretis veteris versionem latinam spectabant animadversiones,

siones, nullum ex hic locum merebantur, quia novam eamque elegantem *Hudsonianam* suam etiam fecerat Cl. *Editor*. Præter illa *Bernardi*, *Henrici* quoque *Aldrichii* in librum primum & partem secundi de Bello Judaico animadversiones leguntur. Fuit *Aldrichius* Rector in Ædibus Ecclesiæ Christi Oxonii, literarum humaniorum studiis egregie excultus; & succinctæ sunt ejus notæ & breviores *Bernardianis*, sed multiplici doctrina refertæ, quæ ex antiquioris recentiorisque ævi Scriptoribus lucem sæpissime fœnerant iis, quæ obscura videri poterant in Josepho. Librum de Maccabæis Commentario quondam illustraverat *Franciscus Combefisius*, cui nec suus in præsenti editione defuit inter notas doctorum locus; quibus tandem *Jacobi Gronovii* in locum illum hiantem & primum ab isto expletum, scilicet Decreta Romana & Asiatica pro Judæis, adjectæ sunt animadversiones integræ.

Adeo utiles & doctas summæ existimationis Virorum curas, quæ sparsim editæ fuerant, uno jam fasce collectas exhibuisse, multum ad operis commendationem faciebat; verum longe majorem huic dignitatem conciliabit, legi simul, quæ lucem nondum aspexerant, ac tantum in Bibliothecis, ad quas non facilis æque accessus patebat, hucusque delituerant. Hujus generis sunt *Johannis Cocceji*, *Hadriani Relandi* & *Ezechielis Spanhemii*, in omnia Josephi Opera notæ & scholia, jam pridem votis doctorum expetita, quibus nunc, quasi e pulvere extractis, primum exornata procedit hæc nova editio. *Johannis Cocceji* exemplar, quod jam ante magno pretio sibi comparaverant laudatissimi supra Bibliopolæ, ad oras ubique habebat MSS. collationes, *Bigotianas* ex duobus optimæ notæ Codicibus ad X priores Antiquitatum Libros; *Vossianas* ad reliquos, ut & de Bello Judaico Libros. Multa insuper ad marginem *Coccejus* scripserat, quæ non Codicum autoritate nitebantur, sed conjecturis, quorum omnia, quot & quanta fuerunt, summa fide sub celeberrimi Viri nomine in notis publicavit Cl. *Havercampus*. Non minora sunt *Hadriani Relandi* in Josephum merita. Notas ille suas & animadversiones, charta pura exemplari inserta, ubique seminaverat, in majorem dubio procul numerum augendas, nisi acerbiora fata adeo præclaros

tanti

tanti Viri, qui omnem, qua patet, Musarum orbem eruditionis laude nobilitavit, interrupissent conatus. Interim cedant in Lectorum usus, quæ conservatæ nobis sunt in hoc opere ejus curæ; sunt enim tales, quæ scribentis doctrinam mirifice commendabunt, & quod doctissimis suis scriptis sibi paravit nomen, plane ab oblivione vindicabunt. Præter hæc magnam ineditorum partem constituunt elaboratissimæ in Josephum notæ *Ezechielis Spanhemii*, Viri meritorum in rempublicum civilem æque ac literariam amplitudine illustris; asservabatur exemplar Josephi in Bibliotheca Potentissimi Borussiæ Regis, manu Spanhemii notatum & emendatum, quod ex gratiosa indulgentia *L.B. de Printzen* transmissum fuit ad nostrum a Cl. Viro *Maturino Veyssiere la Croze*, Regiæ Majestati a Bibliotheca. Breves plerumque sunt Viri illustris Notæ, sed elegantes; etenim Josephi dictiones & narrationem ubique inter se contulit, rariora deinde verba & voces significantiores, quarum multæ in nobili scriptore occurrunt, ex *Homero, Æschylo, Euripide, Sophocle, Hesychio*, aliisque illustravit, excrescentibus in magnum numerum istis *Spanhemianis* animadversionibus, quibus sane tantum dignitatis attulit huic editioni *Cl. Editor*, quantum quidem detracturus ipsi fuisset, si carere illa debuisset tam egregio omnisariæ eruditionis thesauro. Particeps vero illarum factus est, ubi typi jam pervenissent ad finem Libr. V Archæologiæ Judaicæ, nec prius inter aliorum notas locum iis dare potuit, nisi ad Libri VI Antiquitatum initium; quæ autem notata fuerant ad Libros V priores, ea inter Tomi II Addenda retulit.
p. 416. Exemplari *Spanhemiano* adjectæ fuerant chartæ solutæ, manu Viri doctissimi scriptæ, quæ præter Indicem Geographicum aliosque, comprehendebant Stemma & Prosapiam Herodis Magni, Chronologica Josephi, Æras apud Josephum in Historia sacra & externa observatas, Syriæ porro & Judeæ Rectores, Præsides Judeæ & Procuratores, nomina quoque aliorum Præsidum in Josephi scriptis occurrentia, observationes de Josepho ipso, loca & verba in Josepho suspecta & notanda, verba denique Josephi apud Hesy-
402. chium observata, quæ omnia exhibentur Tomo II.

Selectioribus his doctorum Virorum animadversionibus, quæ ante ineditæ in usus paucissimorum pervenerant, omnibus

Inter *Hudsonianas* locum dedit in opere præsenti Cl. *Havercampus*, easdemque suis subinde notis & correctionibus auxit, adjecto ubique Autoris nomine, cui unaquæque illarum debetur. Quibus additum nomen non est, ea *Johannis Hudsoni* sunt, *Hudsoniana* enim omnia in hanc novam editionem recepta sunt, una cum scholiis *Ibbetsoni* & *Lauthii*, quorum nomina hinc & inde ille laudaverat. Ad finem quoque primi Antiquitatum Libri *Johannis Sibrandæ*, Franequerani, & in patria ibidem Academia Literarum Græcarum quondam Prælectoris, leguntur Notæ postumæ, quæ tamen ultra primum Antiquitatum Librum non pergunt. Tom. I. p. 60.

Ex iis, quæ diximus, abunde apparet, quanta a Viro doctissimo cura requisita fuerint, quæcunque ad Josephi aut dictionem, aut Historiam illustrandam factura esse, existimavit. Neque vero in his posita est omnis operis hujus dignitas. Quæ enim commode ad scriptionem Josephi trahi poterant, ea etiam solicite collegit, & in Tomum posteriorem, ut sua priorem mole æquaret, conjecit. Unde præter eas, quas nominavimus, varias Codicum lectiones, ibi sistuntur *J. Wasse* specimen examinis V. L. *Hudsonianarum*; Tom. II. 51. & mox excerpta e *Joh. Alberti Fabricii* Bibliotheca Græca de Flavio Josepho, longe auctiora, quam edita fuerant. 57. Sequuntur *Arnoldi Peraxyli Arlenii* ad *Diegum Hortadum de Mendoza*, apud amplissimum Senatum Venetum olim Legatum Cæsareum, in Josephi Opera Præfatio, editioni Basileensi præfixa, aliarumque simul subsequentium editionum Præfationes, inter quas *Thomæ Ittigii* doctissima in Josephum Prolegomena, omnium consensu dignissima, quæ in hac nova editione locum invenirent. 72. 78. Appendix deinde ad Fl. Josephi Opera, Autore Cl. *Fabricio*, qua continentur Aristeas de LXX interpretibus; fragmentum ex Libro περὶ παντὸς, sub Josephi nomine quondam a *Davide Hæschelio* editum, *Stephano le Moyne* interprete: tum præterea habetur excerptum de Josepho ex *M. Andreæ Franckenbergeri*, in Academia Wittenbergensi olim Professoris, Institutionibus Antiq. & Histor. quod excipiunt *Caroli Daubuz* pro Testimonio Josephi de Jesu Christo Libri duo, quorum posteriori γνησιότητα testimonii hujus probare & ab aliorum objectionibus vindicare conatus est Autor ejus Cl. Versantur hi Libri circa nobile argu- 99. 182. 189.

Ddd men-

mentum, de quo gravis jam dudum agitata est inter doctores concertatio, aliis spurium, aliis ab ipso Josepho locum hunc scriptum esse, contendentibus. Multorum igitur commodis consuluit Cl. *Havercampus*, quod, quæ utrinque de hoc argumento ab eruditis prolata fuerunt, præter illos *Caroli Daubuz* Libros, simul in hoc opere exhibeat. Huc referendæ sunt *Reinesii*, *Snellii*, *Gronovii*, *Wagenseilii*, *Bœcleri*, aliorumque
p.235. celebriorum in literis Virorum XXX de Testimonio Josephi Epistolæ Philologicæ & Historicæ, quæ seculo superiori Norimbergæ junctim quidem vulgatæ fuerant cura *Christophori Arnoldi*, sed eruditorum usui minus patebant. Ad sententiam eorum, qui hunc locum ipsius Josephi esse, affirmant, Noster accedit, memoratque peculiarem de hoc argumento scriptam a se Diatribam, ad finem Tomi II adjiciendam, quo etiam in nota ad hunc locum
Tom. I. Antiquitat. Jud. Libr. XVIII Cap. III, §. 3. brevitatis studio Lectorem
p.876. rem remittit. Sed, ut verum fateamur, attente licet totum opus perlustrantibus nobis obviam ea facta non est, neque in Syllabo, primo Antiquitatum Libro præmisso, mentionem illius factam fuisse, deprehendimus. Inter addenda Tomi II porro occurrit
290. *Petri Brinch*, Collegii Medicei apud Danos Inspectoris, Chronologiæ & Historiæ Fl. Josephi Examen, quo universa V. T. Chronologia a mundi creatione ad mortem usque Herodis M. qualis in scriptis Josephi impressis hodie extat, examinatur, simul ex ejusdem Antiquitatibus notantur & examinantur, quæ sacris V. T. scriptoribus parum consentanea, vel certe illis memorata non sunt. Esse enim nonnulla in Josepho, quæ Scriptoris astutiam prodant, eruditis jam pridem est observatum, imprimis *Blberto Albertboma*, Ecclesiæ Lugd. Bat. quondam Pastori, qui Josephum manibus diligenter versaverat, & ad frontem libri animadversiones nonnullas apprime huc facientes adscripserat; Operis Præfationi eas ordine suo inseruit Cl. *Editor* Selectiores cum sint & multa nonnisi Josephi lectione paratæ, potiores illarum & hic adduxisse, non pœnitebit, ut sciant, quid animadvertendum sibi sit, qui ad lectionem Josephi accedunt. *Josephus varia Historiæ Sacræ adtexuit, quorum sola fides penes Autorem est. Imprimis notandum est, Josephum sollicite cavisse, ne narrationes de rebus*

sacris

sacris minus placeant gentilibus. Hinc miracula a Deo olim edita, ad captum ethnicorum vulgo exponit. Eo spectat formula, saepe ab Autore usurpata; sed de his, ut cuique licet, ita sentiat. Porro somnia, quae Viris quibusdam sanctis divinitus contigerunt, interpretatur fere (ut videtur) ex regulis Oneirocriticis veterum. Divina oracula (quae Romanum Imperium spectant) ita vulgo exponit, ne ingrata queant esse Romanis. Reliqua apud *Editorem* videnda in Praefatione. Ejusdem fere argumenti sunt *J. B. Ottii* in Josephum animadversiones, quae omissa varia a scriptore continent, & Centuriam locorum N. T. cum Flavianis vel p. 305.
Phrasibus vel Historiis aliquid commune habentium; quibus additum est specimen Lexici Flaviani eodem Autore *Ottio*. Ottiana 319.
haec sequitur Cl. Viri, *Christophori Cellarii*, contra *Johannem* 324.
Harduinum Dissertatio, qua Fl. Josephi de Herodibus Historia a *νοθείας* suspicione justis vindiciis asseritur & nummis antiquis conciliatur; quam tandem excipit *Christiani Noldii* Historia 333.
Idumaea, seu de Vita & Gestis Herodum Diatribe. Universum opus V Indices claudunt, I Autorum, quorum testimonio utitur Josephus. II Vocum Graecarum, quae observatu digniores apud eundem occurrunt. III Geographicus, Regionum, Urbium & Locorum, multum ex schedis *Spanhemianis* suppletus & emendatus. IV Hominum rerumque memorabilium. V Autorum, qui in Notis illustrantur, notantur & emendantur. Tomo priori praemissa leguntur editionis *Hudsonianae* Dedicatio & Praefatio; veterum testimonia de Josepho ejusque scriptis; Syllabus eorum, quae in integro Opere continentur: ad haec duae Tabulae aeneae *XLI Nummorum*, pro illustrandis variis Josephi locis: Nummi inter eos haud vulgares occurrunt & nonnulli, qui nunc primum ex Cl. *Editoris* Musaeo, vel incogniti antea, vel integriores prodeunt, quibus brevem sed eruditam interpretationem addidit. Ce- 17.
terum nullis pepercerunt Bibliopolae sumtibus, quibus splendorem conciliari posse existimarunt Operi, quod sua se dignitate oppido commendat, quodque singulari plausu ab eruditis exceptum iri, cur dubitemus, causam habemus plane nullam.

JOANNIS FRIDERICI SCHANNAT DIOECESIS *Fuldensis, cui annexa sua Hierarchia &c. omnia ex monumentis authenticis historice dilucidata.*

Francof. ad Mœn. apud Jo. Benj. Andreæ & Henr. Hort, 1727, fol.
Alph. 4 pl. 14 cum mappa Geogr. ut & Tabb. æn. 3
& figuris passim insertis.

PErgit bene mereri de Fuldensibus suis Celeberrimus *Schannatus*, & Corpori Traditionum, Clientelæque beneficiariæ, hanc Diœcesin cum Hierarchia sua succenturiat. Volumen tribus partibus constat, Diœcesi, Hierarchia, & probationum Codice, locupletissima & utilissima Operis parte, utpote quæ monumentis omnis ætatis centum nonaginta quinque superbit. Diœcesis Fuldensis capitibus explicatur duobus, quorum alterum de Diœcesis Fuldensis origine, incrementis, fatis ac denique statu etiam
p. 1. moderno, alterum de Abbatum Fuldensium exemtione omnimo-
37. da, nec non Jurisdictione quasi Episcopali in Clerum ac populum
Præfat. tractat. Diœceseos vocabulum novum videri poterat, cum non Abbatibus sed Episcopis Diœcesanum Jus competat: verum enimvero & Gregorius XIII ista voce usus est, dum Abbatis calamitatem & miserum *ejus diœcesis* statum Cæsari Rudolpho II exposuit, & novissime Reverendissimus Abbas Adolphus, obtinendarum anni Jubilæi 1725 gratiarum ac indulgentiarum causa, Benedicto XIII supplicans, his verbis usus est: *Beatissimo Padre, L'Abbate e Prencipe di Fulda* Nullius, Provinciæ Moguntinæ *desiderando, che il suo* populo e Diœcese *di Fulda venghi a partecipare delli Tesori di santa Chiesa* &c. Curia Romana tacente & consentiente. Hoc autem ita, invitis Præsulibus vicinis, obtinuit: ipsi jam Sturmioni cum Lullo Archi-Episcopo Moguntino fuit dimicandum, de decimis cum Lulli successoribus variæ ortæ lites, Episcopi etiam Herbipolenses Jus suum diœcesanum in Fuldense territorium extendere præsumserunt; sed & illi dudum ab injuriis antiquis abstinuerunt, & cum his novissime, post varias Rotæ Romanæ pro Fuldensi sententias A. 1722, Carlstadii ad Mœnum per legatos transactum est. Ad hanc Diœcesin adeo pertinent, præter Basilicam, Præposituræ Regulares VIII, Parthenon I,

Ecclesiæ Collegiatæ tres, Parochialium autem Ecclesiarum in V Decanatus Rurales distributarum LX, cum filiabus XCIV. Multum autem debent Abbates cum Imperatorum benevolentiæ, tum Pontificum favori, quo factum, ut Abbas Fuldensis habeat Ecclesiam, nullius alterius Ecclesiæ Jurisdictioni subjectam, & præter mitram & baculum, aliaque Pontificalia ornamenta, jus primatus, sedem & suffragium decisivum in generalibus ac œcumenicis conciliis, facultatem convocandi Synodos, absolvendi subditos suos ab hæresi, ad Apostolicam sedem Episcoporum more appellandi, accipiendi Chrisma a quocunque Antistite Catholico, illiusque opera utendi tum ad consecrandas Ecclesias, tum ad conferendos ordines sacros: nam ipse Fuldensis Abbas a solo Romano Pontifice ordinandus est, ejusque Diœcesis a nemine, præterquam ab hoc aut a Nuntiis Apostolicis ad id specialiter deputatis perlustratur. p. 37.

In Hierarchia Fuldensi primum Templum Fuldense primarium seu Basilica S. Salvatoris, post varia eaque gravissima incendia novo luxu constructa & A. 1712 perfecta, deinde sacrarium Fuldense describitur, repetitis iis, quæ de antiquissimis Bonifacii Codicibus in Vindemiis literariis dicta sunt. Succedunt Monasteria Virorum Ecclesiæ Fuldensi immediate ac pleno jure subjecta. Quibus proxima Monasteria Virginum, tum Ecclesiæ Collegiatæ; Religiosi Ordines in diœcesin Fuldensem liberaliter admissi, eosque inter principe loco Societatis Jesu Sodales, non tamen absque difficultate Fuldæ recepti, agmen claudunt. Addidit ubique Celeberrimus Autor Ecclesiarum Monasteriorumque fata, Abbatissarum, Præpositorumque Catalogos, & quæ ei memoratu digna visa, ea quidem diligentia, ut diligentissimi Broweri lapsus 135.
& defectus subinde correxerit suppleveritque. Erunt & passim, 216.
quæ in rem suam vertere poterunt Viri docti. Non injucunda nobis visa est memoria officii claustralis, Magistræ Fidelium, vulgo *Seelgeretherin*, quæ in Monasterio S. Mariæ in Blanckenau Ord. Cisterc. oblationes pro defunctis factas suscipere fuit solita. Alia privato cujuslibet studio relinquimus. Observavimus autem, in hoc scripto immitius nobiscum agere Autorem, & *nefanda hæ-* 44.
rescos, dira hæresees passim mentionem fieri, quod eo magis mi- 178.

 ramur,

ramur, tum, quod ad hæc in lucem edenda utatur opera Bibliopolarum Francofurtanorum, nefandorum, si diis placet, hæreticorum, tum quod Abbates ipsi Principes modestioribus nostros homines compellare soleant nominibus, ut ex Abbatis Joachimi diplomate intelligere est. Hoc equidem monere voluimus, non tam nostri causa, qui in Controversistis hæc impotentis animi indicia suaviter ridere dudum sumus edocti, quam ipsius doctissimi Schannati gratia, quem æqui moderatique Historici nomen, quo nobis laudatus est, in posterum quoque tueri non dedecebit.

p. 204.

ACTA PHYSICO-MEDICA ACADEMIÆ Cæsareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curiosorum, exhibentia Ephemerides sive Observationes, Historias, & Experimenta a celeberrimis Germaniæ & exterarum Regionum Viris singulari studio collecta.

Volumen I, cum Appendice.

Norimbergæ, prostat in officina W. M. Endteriana, & apud Julium Arnoldum Engelbrecht, 1727, 4.

Alph. 4 pl. 7, cum fig. ænear. tabulis 18.

ILlustris Naturæ Curiosorum Academia, quæ superioris seculi anno 52 fundata, quadringentos fere numerat Collegas, postquam Observationes, Historias, Experimenta & Inventa sua Decuriis primum tribus, hinc Centuriis decem cum orbe literato communicavit, Acta nunc sistit Physico-Medica, ut omnes atque singuli ejusdem Collegæ palam demonstrent, se nunquam otiosos esse. Hoc certe Volumen, observationes 250 continens, multa exhibet, quæ Historiam Naturalem, Chymiam, Physiologiam, Anatomiam, Pathologiam, & Praxin egregie illustrare possunt. *Historiam Naturalem* quod concernit, obs. 26 cœli ardentis phænomena in Hassia observata, & obs. 233 effectus radiorum solarium loco phosphori scotophorum producentium recensentur. In specie

pecie ex *Regno Vegetabili* obs. 24 Cheiritis coralloidis albi Americani, 29 radicis Mexicanæ Contrayervæ novæ, 70 Hyssopi Ratisbonensis e maceria crescentis, 101 Arboris Caffée Lipsiæ florentis, 219 fungi querni in insula Mœna monstrosi, 129 graminis abscissi, radice in loco natali relicta, filo in fasciculum collecti, in hypocausto calido inverso modo suspensi, omni aqua & terra destituti, media hyeme augmentum capientis, 135 Carlinæ in Hassia inventæ, 175 rosæ triplicis, rex rosarum dictæ, & 219 regenerationis rosarum rubrarum spontaneæ [in aceto rosarum, mentio fit. Ex *Regno Minerali* obs. 115 Turfum Batavum, 118 Crystallus Islandica in Amethystum mutata, 156 Osteocolla figurata Giessensis commemoratur. Quemadmodum & 6 D. Johannes Friedericus Henckelius de thermis artificialibus, scoriarum dictis, uberius loquitur, tabulamque de aquis mineralibus factitiis Freybergensium subnectit, ac 167 D. Antonius Vallisnerius fontem mirabilem in regno Neapolitano describit, qui quibusdam horis diurnis penitus siccatur, & hinc absque ordine modo subito, modo tarde eadem aquæ abundantia, quam antea habebat, repletur. Ex *Regno Animali* obs. 5 phocæ, 131 ardeæ stellaris, 157 & 210 vespertilionis anatome suppeditatur, cujus & latibula majora in montium speluncis 211 investigantur. Præterea 21 calva serpentis | Americani diademata, 22 penna anserina duplici caule prædita, 73 manus in sepulcro ultra seculum ab omni putredine conservata, 117 naturæ lusus in ovis gallinaceis, 132 cuculus a rubecula enutritus, 185 pediculi seu pulices muscarum & 218 hippolithus sistuntur. In *Physiologicis* obs. 31 menses in vetula, 77 gemellæ, quarum nigra altera, altera alba fuit, commemorantur, 143 venenositas sanguinis menstrui probatur, 183 uterus in gravidis crassior quam in non-gravidis asseritur, 184 communicatio sanguinis matrem inter & fœtum stabilitur, 186 sanguinis circulum veteribus cognitum fuisse, ex loco veteris Scholiastæ Euripidis & Plutarchi deducitur, & c. 212 de sanguine & sero lacteo disseritur. Ad *Anatomica* spectat, quando obs. 82 de appendice præternaturali cœca intestini ilei, 90 de vesica urinaria per intermediam membranam in duas cavitates divisa, 177 de glandulis

dulis labii superioris, 178 de glandulis linguæ, & 179 de laryngis facie interiori & ventriculis ejus sermo est. Suum etiam obs. 178 D. Laurentius Heister interponit judicium de ductibus linguæ salivalibus a Vatero, Coschwizio, & Walthero detectis, putatque, ductum a Vatero descriptum magnum illud esse linguæ foramen, quod ante 40 annos Collinus, Anatomicus Anglus, in sua Anatomia sub nomine foraminis cœci descripsit, creditque, glandulosum illud corpus, circa radicem linguæ situm, si adest, (nam in omni lingua non reperitur) liquidum aliquod per hoc orificium in os effundere. Coschwizii ductus pro venis potius linguæ habet, quam pro canalibus salivalibus. Waltheri vero ductus a Verheyen & Morgagno jam indicatos esse docet. Obs. 224 D. Joh. Heinricus Schulze modum, quo ductus thoracicus facile inveniri possit, communicat, dum intestinis tenuibus a nexu mesenterii liberatis & extra abdomen protractis, mesenterium, qua parte colo in dextro latere adhæret, levi prius facta incisione digitis separatur, & removetur, tum ductus chyliferus, qui in conspectum se dat, cera rubra repletur, quæ ad ductum usque Pecquetianum penetrat. Ex *Chymicis* commemorandus venit obs. 71 Pulvis Acherontis ab aere flammam concipiens, sequenti modo parandus. Aluminis roch. unc. ij. farin. secal. unc. semis, sulphur. citr. drachm. j. subtilissime pulverisata miscentur, & in sartagine torrentur, agitando materiam continuo cum spatula, ne cohæreat. Calcinatione peracta massa subtilissime pulverisatur, & hoc pulvere impletur phiola vitrea ad collum usque & igni arenæ subjicitur, massaque tamdiu calcinatur, donec russescat. Quo viso orificium phiolæ clauditur, & post refrigerationem cera obturatur. Monetur simul, si solo alumine rupeo paretur pulvis, mox eum suas perdere vires, nova calcinatione restituendas. Describitur etiam obs. 72. Pulveris fusorii compositio, quo nomine insignitur ob virtutem, qua pollet, maxime fusoriam. Monetam enim quamcunque interpositam argenteam & cupream in momento liquat in globulum, ad quam fusionem nec candela nec carbone opus est pro accensione, modo pulvis Acherontis ad manus sit. Paratur hic ex nitri unciis ij, scob. min. & sulph. citrin. ana unc. semis. Quodsi ergo ovi putamen ad medietatem

usque

usque pulvere fusorio repleatur, grossus superponatur, & eodem pulvere tegatur, supra hunc particula pulveris Acherontis charta bibula involuta ponatur, hac ab aere accensa pulvis fusorius mox flammam concipiet & moneta una cum ovi putamine liquabitur igne fortissimo. Denique obs. 210 spiritum vini tartarisatum haud aptum esse pro extrahenda ex antimonio tinctura demonstratur. Plures prostant observationes, quæ *Pathologiam* respiciunt. Sic describuntur obs. 1 febris epidemica Lipsiensis A. 1720 grassata, 3 gravida tonitru perculsa, fœtu mortuo & rigente; obs. 4 cachexia incurabilis, 7 hydrophobia tardius enata, 12 falsa plethoræ conceptio, 13 polypus pendulus cum urina excretus, 14 labiorum coalitus ex variolis, 15 tumor cruris monstrosus, 16 tumor brachii œdematosus & scirrhosus, 17 fistula scroti a calculo vesicæ, 18 pedes melancholici ex cera putati, 23 calculi renum octaedri, 25 epilepsia hysterica cum amaurosi, 27 arthritis ex dysenteria, 30 enema per os rejectum, 32 febris surda, obs. 34 urina frigida in febre maligna, 35 lacrymæ sanguineæ ex metu & tristitia, 36 mania ex vulnere capitis, 37 ex levi percussione mors, 38 quartana in surditatem conversa, 39 pus ex parotide per urinam emissum, 41 ophthalmia contagiosa, 42 hæmoptoe anniversaria, 45 cephalalgia æquinoctialis, 55 tumor præcordialis internus, 63 sternutationes in tertiana continua lethales, 64 calculi in ventriculo reperti, 90 ex obesitate fœminæ septuagenariæ asthma lethale, 95 dolor capitis quartanus, 96 icterus a morsu felis, 107 lacerta aquatica per vomitum reddita, 108 scroti, penis & pedum scirrhi ex erysipelate contracti, 109 mictus cruentus per octiduum affligens, 110 ulcus cancrosum in faucibus, 111 ex polypo cordis dependens plenaria cachexia, 112 aphonia sex hebdomadum post variolas, 120 excrescentia carnosa in dorso infantis circa vertebras lumbares enata, 124 pseudoischuria periodica, obs. 136 mictus & vomitus magici, 137, 193 & 197 fascina, 141 mors repentina ex subitanea profusione sanguinis in cavum thoracis, 149 dolor lumbaris cum motu femoris abolito ex abscessu interno & carie vertebrarum, 150 ulcus in dorso magnum ad pleuram penetrans cum carie

costarum, obs. 151 asthma grave cum hernia umbilicali, 154 vesicula fellis insolitæ magnitudinis, 162 tussis Epidemica Augustana puerilis, 163 difficultas mejendi ex prostatis tumefactis, 164 mors ex ischuria ob tumorem prostatarum glanduliformem, 166 partus vesicularis, obs. 170 dubia hydropis pectoris & pericardii diagnosis, 172 lumbrici in cavo abdominis reperti propter perforata intestina, 176 ruptura uteri in partu difficili, 181 calculus in vesicula fellea juglandis magnitudine, obs. 189 nævi materni hæreditarii, 195 massa polyposa per alvum rejecta, 196 massa carnosa instar venæ cujusdam per tussim excreta, 201 ex renis exulceratione & tumore urethræ adnato hectica & ischuria, 202 ambustio pedis chartæ lusoriæ folio sebo illito facta, 203 hæmorrhoides consolidato gingivarum ulcere pristina relegentes vestigia, 205 scabies manuum primo mensium erupturorum conatu, singulis denuo mensibus contingens, 207 vasorum umbilicalium ruptura in partu, obs. 209 ureteres utrique a calculis obturati, 213 hydrops pulmonum, obs. 215 transformatio febrium una serie facta, 217 hæmorrhoides menstruæ in puero decenni, 220 *polypus σάρκος* circa divisionem venæ cavæ in ramos iliacos, œdematis pedum & exulcerationis cum copioso lymphæ effluxu, causa, 227 urinæ stillicidium perpetuum post partum difficilem, non ex urethra, quæ clausa erat, sed foramine colli vesicæ, 229 aneurisma verminosum in arteria mesocolica equæ, 230 equiserum abortuum in integro grege crebriorum causa, 235 pædarthrocace pro luxatione falso habita, 247 urina chylosa ex ventriculi debilitate, 248 motuum serosorum multiplices valde & proteiformes successus alternationesque a prima infantia ad 50 usque annum, 250 syncope convulsiva pro ecstasi habita. Spectat & huc, quando 223 surditatis causam in ove invenit D. Joh. Henr. Schulzius membranam tympani utraque sui superficie verrucis quasi, capitula acicularum minimarum æquantibus, & manifeste vasorum quorundam implicationes & conglomerationes præ se ferentibus, obsessam. Præterea *Curationes felices* delineantur obs. 2 anasarcæ post convulsiones, 8 leprosi, obs. 33 hydropici per abstinentiam a potu, 43 vertiginis per tubarum soni-

sonitum, obs. 52 noxarum a radicum cicutæ esu variis inducta-rum, melancholiæ puta, somni profundi, abdominis cruciatuum, maniæ &c. per emeticum, 56 hydropis, 60 mictus cruenti, obs. 61 & 62 asthmatis, 65 ophthalmiæ per urinæ fotum, 66 colicæ per nivem, 67 cæcitatis ex impetigine, 89 hemicraniæ vehementis & inveteratæ per corticem Peruvianum, 91 affectus hysterici per urinæ potum, 100 cachexiæ ad asciten tendentis, 202 maniæ per gelidum balneum, 103 mensium fluxus nimii per lintea frigida & aceto imbuta, 104 capitis doloris contumacissimi per vesicatoria, 125 rupturæ internorum, passionem Colico - Iliacam mentientis, per arnicam, 139 ex colica hypochondriaca tumoris inflammatorii inguinis sinistri cum intestinis incarceratis in abscessum abeuntis cum septem lumbricorum exitu, 140 paralyseos palpebræ superioris post morbillos, 141 diabetis spuriæ in variolis & morbillis, 143 vomitus, tumoris abdominis & furoris ex sanguine menstruo philtri loco propinato, 159 amaurosis, 161 doloris acerbissimi maxillæ sinistræ partes occupantis & per paraxysmos recurrentis, 192 phthisis per acidulas, & 244 inflationis tympaniticæ pertinacis per venæ sectionem. Nec minus legi merentur, quæ hinc inde in *Praxi Medica* fuerunt observata, dum obs. 10 methodus Timæana febrem quartanam per purgantia, quinque vel sex horis ante paroxysmum propinanda, curandi confirmatur, 11 empirica hæmorrhoidum per emetica curatio describitur, 50 & 51 arthritis a lumbricis terrestribus impositis insolentior, a catello succumbente remissior facta, 101 ex tertiana continua cortice Peruviano expugnata magna & pertinax nervorum distensio observata, 123 psychrolusia variolis funesta, 130 felis a frigore hyemali congelata sub fimeto vitam recuperans, 168 uteri inflammatio cum aucta febre, intestinorum lævitate, & lochiorum suppressione per diarrhœas soluta, 190 venæsectio, purgatio, acidularum internus & externus usus in gravida salutaris, 214 deformitatis in variolis præcautio dubia, obs. 216 scirrhus uteri stupenda & fœtida uteri hæmorrhagia solutus, 238 melancholia hypochondriaca paralysi judicata perhibetur, 75 de insitione variolarum Londini instituta differitur, 175 ne

 gra-

gravidæ mortuæ terræ mandentur, donec fœtus exſciſſus fuerit, monetur, & obſ. 249 variolarum malignarum Francofurti ad Mœnum 1723 graſſantium deſcriptio & curatio ſubjungitur. Phœnomena etiam deſcribuntur in *ſectionibus* obſ. 49 tympanitici, 53 rhachitici cum alba oſſium carie, 59 hectici, 76 nephritici, 78 hydrope thoracis, 86 abſceſſu ſpinæ dorſi a caſu ab alto, 87 abſceſſu meſenterii denatorum, 98 hydropici, 160 hydrope ſaccato, 171 amauroſi, 173 phthiſi ex hæmoptyſi, 174 empyemate laborantium, & 226 puellæ cum hernia umbilicali natæ obſervata. *Virtutes* porro *medicinales*, obſ. 40 olei olivarum anodyna, 44 caffæ potus in diarrhœa ſalutaris, 48 lupinæ carnis antepileptica, 57 Chenopodii folio triangulari Tournefortii, vulgo boni Heinrici, hydragoga & traumatica in ſcabie, 61 decocti raparum ad reſpirationem difficilem, 69 ſaponis in dyſtocia, 97 lactis caffeati, 126 eſſentiæ dulcis Halenſium in epilepſia infantum meſenterica periodica, 127 lactis in podagra, 128 corticis Peruviani adſtringens, 133 ſeminis petroſelini antiphthiriatica, 134 narciſſo-levcoji radicis emetica, 191 decocti viſci querni in arthritide, cachexia, colica, & acrimonia bilioſa, ſyſtema nervoſum roborans, 194 corticum ulmi in hydrope, 222 æthiopis mineralis in glandularum colli, maxillarum, parotidumque tumore inveterato & fiſtula pone aurem, admodum deprædicantur. Ex Compoſitis obſ. 58 In dyſenteria epidemice 1719 Gieſſæ graſſante Pilulæ probatæ fuerunt Philippo Eberh. Dillenio, quæ Rec. rhab. el. unc. j. extr. aloes, drachm. iij, theriacal. angel. ana drachm. ij ſem. tinct. alexiph. Stahl. q. ſ. F. l. a. Pilulæ, grani ponderis, conſpergendæ cum antim. diaph. D. omni veſperi 25, præmiſſo ex infuſo rad. ipecacuanhæ vomitorio, & 153 ſequens unguentum ophthalmicum a D. Joh. Georg. Brebiſio commendatur: Rec. butyri caprini recentis libr. iij. herbæ loti odorati florentis, minutiſſime conciſæ Manip. IV, rutæ hortenſis conciſæ, Manip. j ſemis, frixentur in ſartagine ferrea lento ignis gradu, donec omnis humiditas conſumpta fuerit, cujus ſignum eſt, quod non amplius ſtridet, quo facto transcolentur per pannum lineum. Porro ad *Chirurgica* refertur obſ. 17 calculus veſicæ ex pueri ſcroto exulcerato protractus,

Fig. 1




Fig. 4.




Fig: 5.




Fig. 2.




Fig. 3.





Fig: 6.



Krügner sc. Lips.

ctus, 28 tumor magnus ingens osseoque folliculo inclusus, feliciter ablatus, 55 phlegmone brachii scarificatione curata, 80 uteri prolapsi resectio non lethalis, 158 vulnus abdomen utrinque penetrans sanatum, 165 polyporum narium rara species curata, 182 digitus enormiter cancrosus seu cariosus resectus, & 208 percussio bregmatis cum sanguine extravasato trepanatione curata. Ad *Medicinam forensem* denique spectat obs. 188, in qua incertum infanticidii signum ex pulmonis fœtus innatatione vel submersione declaratur. Sed nec possumus cum L. B. aliquot figuras non communicare ex D. Laur. Heisteri relationibus desumptas, qui obs. 177 glandulas labri superioris a nullo hactenus Anatomicorum exhibitas, 178 linguam humanam, & præsertim ejus glandulas in superficie positas, & o. 179 interiorem laryngis faciem, imprimis ejus ventriculos depictos dat.

EXPLICATIO FIGURARUM TAB. V.

TAB. V. Fig. 1.

Fig. 1. Sistit maxillam superiorem.

A A Palatum.

B B Dentes maxillæ superioris.

C C C Labii superioris facies interna, ubi membrana oris ablata glandulæ figuræ & magnitudinis variæ conspiciuntur.

D D Labii hujus partes posteriores, seu potius pars genarum membrana oris adhuc tecta, ubi tales glandulæ non amplius reperiuntur, & hinc male a quibusdam oris membranæ adscribuntur, quæ vix in genis demonstrari poterunt.

Fig. 2. Linguam humanam & præsertim glandulas in superficie ejus positas, prout se in subjectis, quæ vel laqueo suffocata fuerunt, vel aliqua faucium inflammatione laborarunt, offerunt, delineat. Fig. 2.

A Foramen, Collino cœcum dictum.

A B C D Glandulæ in hoc spatio conspicuæ.

D Ligamentum anterius epiglottidis, cujus ope linguæ jungitur.

E Epiglottis, quomodo linguæ cohæreat.

F Ligamentum epiglottidis laterale.

GG Os hyoides seu linguale.

HH Papillæ linguales.

TAB. V. Fig. 3. Fig. 3. Interiorem laryngis faciem, & imprimis ejus ventriculos repræsentat.

AA Cartilago scutiformis.

BB Cartilago cricoides.

C Cartilago epiglottis a facie posteriori.

D Aritænoides cartilagines cum incumbentibus glandulis aritænoideis Morgagni.

EE Ligamenta lateralia epiglottidis.

FF Sinus sive ventriculi laryngis, aut potius eorum orificia.

Circa EE & FF itemque in epiglottide parva conspiciuntur foraminula, quæ excretorii sunt ductuli glandularum subjectarum, quibus liquidum pro laryngis humectatione excernitur.

De cetero in Appendice hujus Voluminis leguntur: I Canellæ sive cinamomi cujuscunque generis, arborumque hoc cortice obductarum Historia curate scripta a Procuratore id genus mercium primario, operisque ad hujus aromatis selectionem conductis Præfecto, ex Germanico sermone Latine reddita. II *Historia* Epidemica Hungariæ, conscripta ab Andrea Löw, Nobil. Sempron. Hung. Phil. & Med. Doctore & Physico Semproniensi, nunc vero communicata a filio, Carolo Friederico Löw, Regiæ Legationis Suecicæ Medico ordinario. III Biga Disquisitionum Physiologicarum de humanitate, seu, cur homo sit? qualisque humanæ naturæ sit destinatio & indoles in genere, Autore Johanne Kanoldo, M. D. IV L. Immanuelis Henrici Garmanni Epistola ad illustrem Præsidem Academiæ Naturæ Curiosorum, qua pro Receptione gratias agit. V M. Johannis Ernesti Grundleri Medicus Malabaricus, seu brevis Relatio de statu artis Medicæ inter gentes Malabaricas. VI D. Michaelis Schendi R. C. Equ. van der Beck Epistola de quibusdam rarioribus Indiæ utriusque Exoticis, imprimis de Terra Sinica Bezoardica Tanzuè dicta. VII Ejusdem Status Russiæ literatæ. VIII D. Gottlob Schoberi Dissertatio de Mumia Persica. IX Memoria D. Georg. Christoph. Petri ab Hartensels & X D. Rudolphi Jacobi Camerarii.

F. E. BRUCK-

F. E. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. *Cæsar. Leopold. Carol. Nat. Curios. Collegæ & Practici Brunsuicensis, Historia Naturalis Curiosa Lapidis* τȣ ἀσβέςȣ.

Brunsuigæ 1727, 4.

Plag. 6.

IN lapidum Historiis Naturalibus consignandis admodum studiosum esse Clariss. Bruckmannum, de Oolitho, Arachneolitho, Lapide violaceo & nummali hactenus edita ejus specimina abunde testantur. Postquam igitur ante hos tres annos fodinam Amianthi in Hungaria investigandi copiam nactus est, hunc lapidem, si quem alium, solidiori contemplatione dignum agnoscens, præsentem ejus Historiam Naturalem Curiosam pertexere & cum orbe erudito communicare constituit. Exposita itaque Etymologia, Synonymia & Homonymia Amianthi seu Asbesti, definitionem ejus format sequentem: *Est lapis mineralis opacus, non adeo durus, albo-gryseus, nitens, fibrosus, e fibris rectis, plus minus longioribus, argenti instar splendentibus, constans, omni ignis flammæ resistens, nec a menstruis resolubilis, flagrans, & materiam, ligno vegetabili analogam, præbens pro ellychniis, panno linteo, & charta; quæ res ex lapide parantur, de ejus incombustibilitate participant, & igni haud secus ac lapis ipse fortiter & sine noxa resistunt.* Addita paraphrasi hujus definitionis, explosaque de Salamandræ pilis fabula, ex quibus Amianthus oriri creditur, in patriam ejus inquirit, & differentiam a talco exponit. Proprietates hinc lapidis explicat, dum ignis vehementiæ resistit, materiam præbet chartæ conficiendæ aptam, & instar lini in fila subtilissima duci se patitur; qua occasione modum chartam incombustibilem ex charta sic dicta grysea bibula parandi docet. Quanquam autem ex lapide hoc ellychnia, quæ affuso oleo lumen de se fundunt splendidum, parentur, talia tamen ad lucernas veterum sepulchrales adhibita fuisse negat, cum Asbestus sine pabulo oleoso non ardeat, sed eo deficiente extinguatur, & in loco clauso circulationi aeris liberæ non exposito flammam haud retineat, sed mox suffocetur; existi-

existimat potius, multos deceptos fuisse a flamma quadam ex sepulchris clausis & post longum demum annorum cursum apertis eructante, quam pro ardente lucernæ flamma habuerunt, præsertim quando simul lampada invenerunt, quam veteres Romani ex superstitiosa religione in honorem animæ immortalis sepulchris suorum indiderunt. Usum in Medicina Amiantho nullum adscribit, qui ei ab autoribus tribuitur, de alumine plumoso potius interpretandum ratus, operam etiam illos atque oleum perdere, qui oleum incombustibile ex eo destillare allaborant, perhibet.

LEONHARDI EULERI, A. L. M. METHODUS inveniendi Trajectorias reciprocas Algebraicas.

QUum temporis spatium, quod Anonymo illi Anglo ad aperiendam, quam invenire potuerit, trajectoriam algebraicam illam tertii ordinis sequentem, concesseram, elapsum sit, meam hujus quæstionis solutionem, una cum aliis insuper ad algebraicas trajectorias reciprocas pertinentibus inventis cum publico communicare constitui. Cum primum istud problema examinare atque de solutione ejus meditari animum subiit, præcipue eam, quam commendavit Celeb. D. Joh. Bernoullius, Præceptor meus hisce in rebus atque Patronus summe colendus, selegi viam per rectificationes curvarum; & strenuam, quantam potui, navavi operam in indagatione ejusmodi curvarum algebraicarum, quæ rectificari possent, ut exinde æquationes algebraicas pro trajectoriis reciprocis eruerem. Hoc in negotio occupatus, in istam incidi æquationem, $yy + \frac{2}{3}aa = a\sqrt[3]{axx}$, quæ est ad curvam, diametro & vertice in diametrum normali gaudentem, ac insuper rectificabilem. Ut itaque ex ista æquatio algebraica pro trajectoria reciproca inveniri possit, sit (Fig. 4) MBM ista curva, ABP diameter & A initium abscissarum, ut scilicet AB sit, $a\sqrt{\frac{8}{27}}$, atque est $AP = x$. $PM = y$. Sit curva $BM = S$. & ex M ducatur diametro parallela MQ, occurrens lineæ AQ normali in diametrum in Q, assumaturque in ea $MN = BM$ erit N in trajectoria quæsita. Sit $AQ = t = y$, & $QN = z = x - t$. Est

TAB. V. Fig. 4.

Est autem per æquationem $x = \frac{(yy+\frac{2}{3}aa)^{\frac{3}{2}}}{aa}$ ideoque $dx = \frac{3ydy\sqrt{yy+\frac{2}{3}aa}}{aa}$, ergo $ds^2 = dx^2 + dy^2 = \frac{9y^4dy^2 + 6aayydy^2 + a^4dy^2}{a^4}$, ergo $ds = \frac{3yydy + aady}{aa}$, consequenter $s = \frac{y^3}{aa} + y$ posito loco y, t, invenietur substituendo in ista æquatione $z = x - s$, pro x & s valores inventos, habebitur $z = \frac{(tt+\frac{2}{3}aa)^{\frac{3}{2}}}{aa} - t - \frac{t^3}{aa}$. Ergo $aaz + aat + t^3 = (tt+\frac{2}{3}aa)^{\frac{3}{2}}$ & reducendo ad rationalitatem reperietur ista æquatio pro trajectoria reciproca, $a^4zz + 2a^4tz + 2aat^3z = \frac{4}{3}a^4tt + \frac{8}{27}a^6$; quæ dividendo per aa reducitur ad hanc $aazz + 2aatz + 2t^3z = \frac{4}{3}aatt + \frac{8}{27}a^4$, seu ponendo $aa = \frac{3}{2}bb$, ad hanc, $12t^3z + 18bbtz + 9bbzz - 3bbtt - 4b^4 = 0$). Quæ est æquatio ad quarti ordinis curvam. Ad istam ergo æquationem perventum est ope rectificationis curvæ, quæ solutio proinde soli fortunæ esset adscribenda, nisi comperta mihi fuisset peculiaris methodus inveniendi curvas algebraicas rectificabiles, unde & æquatio illa, quam ad constructionem istius trajectoriæ reciprocæ selegeram, promanavit.

Postmodum vero problema istud inveniendarum trajectoriarum algebraicarum reciprocarum, ex immediata earum natura discutiens, in istam incidi æquationem, (Fig. 5) appellando AQ, x; QN, y. $dy = dx(x+\sqrt{xx+1})$ denotante, n, numero quocunque. Quæ æquatio, ut facile patet, est ad trajectoriam reciprocam, ponendo enim in expressione ipsius dy. pro x, $-x$. invenietur $dy = -dx(-x+\sqrt{xx+1})^n$. quæ duæ æquationes respective invicem ductæ dant $dy^2 = -dx^2$, id quod est de essentia trajectoriarum reciprocarum. Est autem ista æquatio $dy = dx(x+\sqrt{xx+1})^n$ generaliter integrabilis, exceptis duobus casibus, ubi n est vel 1 vel -1, quibus in casibus integratio dependet a logarithmis. Antequam vero integretur ista æquatio TAB. V. Fig. 5.

tio, monendum est, sive, n, sit affirmativum sive negativum, æquationem ad eandem esse curvam, una quippe obtinet, cum abscissæ A Q cis axem conversionis A B sumuntur, altera cum illæ trans A B accipiuntur. Conveniens scilicet deprehendetur hæc æquatio, $dy = dx(x + \sqrt{xx+1})^{-n}$ cum ista $dy = dx(-x + \sqrt{xx+1})^n$. Ideo vero istud præmoneo, ne quis substituendo pro, n, valores negativos, se problematis solutionem ulterius promovisse existimet. Integretur jam æquatio ista $dy = dx(x + \sqrt{xx+1})^n$ id quod facile fieri poterit ponendo $x + \sqrt{xx+1} = t$ ut habeatur $x = \frac{tt-1}{2t}$ & $dx = \frac{dt}{2} + \frac{dt}{2tt}$ ut adeo esset $2dy = t^n dt + t^{n-2} dt$. Quocirca erit $2y = \frac{1}{n+1} t^{n+1} + \frac{1}{n-1} t^{n-1} = \frac{1}{n+1}(x + \sqrt{xx+1})^{n+1} + \frac{1}{n-1}(x + \sqrt{xx+1})^{n-1}$.

Quæ æquatio generalis pro trajectoriis reciprocis ad casus speciales applicata suppeditat ex quolibet curvarum ordine, exceptis secundo & tertio, ad minimum unam trajectoriam reciprocam. Si enim pro n ponatur, Q. reperietur hæc quarti ordinis æquatio, conveniens cum jam inventa $12yx^3 + 18xy - 9yy + 3xx + 4 = 0$. Si substituatur loco n, 3, reperietur ista quinti ordinis trajectoria reciproca, $128yx^4 + 192yxx + 48y - 64yy - 8xx - 9 = 0$. Sit $n = 4$, reperietur ista sexti ordinis $720yx^5 + 1200yx^3 + 450yx - 225yy + 15xx + 16 = 0$. Si $n = 5$, reperietur æquatio septimi ordinis, & in genere quicunque numerus loco n substituatur, curva inde generata erit ordinis $n+2$, si n sit numerus integer, sin vero sit fractus, $n + 2$, reducitur ad fractionem in minimis terminis, & indicabit numerator fractionis ordinem curvæ inde natæ. Ex. gr. sit $n = \frac{1}{2}$ invenietur ista ordinis 5, cum sit $\frac{1}{2} + 2 = \frac{5}{2}$. $72yyx^3 - 81y^4 + 144x^4 - 216yyx - 96xx + 16 = 0$. Hinc itaque colligi potest, quot, beneficio istius æquationis generalis, ex quovis ordine trajectoriæ reciprocæ inveniri queant. Scilicet ex 4 unam, ex 5 duas, ex sexto unam, ex 7 tres, ex 8 duas, &c. Superest mihi praeterea alia

alia methodus inveniendi trajectorias reciprocas algebraicas, ex qua quidem difficilius æquationes pro illis eruuntur, verum hoc ea se commendare potest, quod sit universalis, & omnes, quotquot existunt, curvas satisfacientes algebraicas suppeditare queat. Est illa quidem affinis methodo per rectificationes, a Celeb. D. Joh. Bernoullio detectæ, & non difficulter exinde elicitur. Dependet scilicet ea ab inventione curvarum diametro & cuspide in vertice gaudentibus; quas curvas possibiles omnes cujusvis ordinis cum invenire in promtu sit, omnes trajectoriæ reciprocæ algebraicæ possibiles inde elicientur. Cum enim omnes trajectoriæ algebraicæ inveniri queant, ex curvis rectificabilibus diametro & vertice in diametrum perpendiculari præditis, ejusmodi vero curvæ omnes sint evolutæ totidem curvarum algebraicarum cuspidatarum & diametro instructarum, hinc quoque trajectoriæ reciprocæ reperientur, hoc nempe modo. (Fig. 6) Sit C A M curva ejusmodi cuspidata, A B ejus diameter, ducatur A Q eidem normalis, & sumtæ pro lubitu abscissæ A P ducatur respondens applicata P M, ducatur radius M S circuli osculantis curvam in M, erit punctum S in evoluta A S, eritque M S = curvæ A S. Si itaque radius M S circa centrum S moveatur in S N ita ut fiat diametro A B parallelus, erit punctum N in trajectoria reciproca, cujus axis conversionis erit linea A B. Sequenti vero modo æquatio pro ea reperietur, data æquatione ad curvam A M. Dicantur A P, x. P M, y. A Q, t, & Q N, z. Sit brevitatis gratia $ds = \sqrt{dx^2 + dy^2}$, invenietur instituto calculo, posito elemento dy constante, quod sit A Q, $t = x + \frac{ds^2}{ddx}$ & Q N, $z = y + \frac{ds^2 \cdot \overline{ds - dx}}{dy\, ddx}$ unde data relatione y ad x, reperiri poterit æquatio inter t & z, seu coordinatas trajectoriæ reciprocæ. TAB. V. Fig. 6.

Sunt autem æquationes ad curvas ejusmodi cuspidatas ex quovis ordine sequentes. I. Ex ordine tertio, $a + by.\ xx = y^3 + cy^2$. II Ex ordine quarto, $ax^4 + b + cy + eyy.\ xx = y^4 + fy^3 + gy^2$. Sunt scilicet in æquationibus generalissimis ad cujusvis ordinis curvas omittendi sequentes termini. Primo illi termini

in

in quibus continentur potentiæ ipsius x imparium exponentium. Secundo terminus in quo meræ constantes, & tertio terminus in quo y unius tantum est dimensionis. Cum autem ex istis æquationibus difficulter ad æquationes pro trajectoriis reciprocis perveniatur, etiamsi eæ admodum faciles atque simplices reperiantur, operæ pretium esset, si quis ad ulteriorem rei analyticæ promotionem, perpendat, quomodo minori negotio æquationes pro trajectoriis reciprocis, determinatis t & z in x & y, dataque insuper relatione inter x & z, erui possent, quomodo exterminata alterutra x vel y, altera quoque exterminanda sit, atque æquatio, quam nonnisi t & z una cum constantibus ingrediantur, inde elici possit.

JO. HENR. A SEELEN, SS. THEOL. LIC. ET Gymn. Lub. Rect. Selecta Litteraria, quibus varia Sacra, Civilia, Philologica, Philosophica ac alia continentur, libri MSS. rarissimique accurate recensentur, & præ reliquis notabilia ex iisdem suppeditantur. Editio secunda, novorum speciminum Pentade multisque accessionibus aliis aucta.

Lubecæ, sumpt. Petr. Bœckmann, 1726, 8.

Alph. 2 pl. 8.

CL. Autor, apum ad instar, quotidiana diligentia ex rarioribus monumentis, quasi ex optimis floribus, loculos suos complere annisus, in communes quoque usus, quæ prodesse judicat, liberalissime effert. Selecta hæc maximam partem sunt Programmata in Gymnasii Lub. solennioribus actibus edita, totusque horum numerus XXV observationibus continetur. Alteri huic editioni se multa inseruisse, in nova Præfatione fatetur, quam altera, quam priori editioni præmiserat, excipit, de moderato rei litterariæ studio. Primum locum in Selectis his concessit pleniori notitiæ Bibliothecæ Hispanicæ *Nicolai Antonii*, Equitis S. Jacobi Regiique Consiliarii, cujus vitam & scripta recenset, & eundem 1617 natum & 1684, contracto multo ære alieno, denatum p. 4. esse, commemorat. Inter scripta ejus eminet, quam Seelenius hic recenset, Bibliotheca illa, quam in veterem & novam distinxit, qua-

quarum hæc quidem Autore adhuc superstite, illa vero demum 1696, Autore jam fatis functo, lucem adspexit. De hac quidem nos quoque diximus in Actis, nec est, ut repetamus cum Nostro specimina e Bibliotheca Nova depromta, laudes nempe immodicas Ximenii Cardinalis & Ariæ Montani vitam & scripta, quæ recenset, ut alia taceamus. Sequitur *II* recensio rarissimorum librorum *Mich. Serveti* de Trinitate. Præmissis variis testimoniis de raritate libri hujus, de vita & fato Serveti Noster varios affert Autores, annumque supplicii 1553 non 1555 fuisse, docet, & de ipso ut blasphemo, non ut hæretico, mortis pœnam esse sumtam, judicat. In libro de Trinitatis erroribus, 1531 edito, Servetus contra Trinitatem, duas item naturas in Christo, aliaque sanctæ fidei dogmata insurgit, imo Cl. Autor autumat, ipsum Servetum *fol.* *86* jam prælusisse Christophoro Sandio, quod Spiritus S. sit chorus angelorum; quod tamen non adeo liquidum arbitramur. Recenset & eadem quasi opera Serveti Dialogos de Trinitate 1531 editas, in quibus Servetus eadem, quæ in præcedenti libro, propugnat. An liber *Thesaurus animæ Christianæ*, Serveti nomen præferens, & a Mennonistis magno in pretio habitus, hujus vel alterius cujusdam Serveti fœtus sit, in dubio relinquit Noster, alterius etiam rarissimi Servetiani libri, *Christianismi restitutio* dicti, mentionem faciens. *III* de *Hermanni Korneri*, M. Theol. & Lubec. Sec. XV in cœnobio Dominican. lectoris, Chronico MS. differit, in quo historia Biblica, Romana & recentior exponitur. Inter alia libere Kornerus fatetur, Johannem VIII Papam fœminam fuisse, & H. de Hervordia id ideo silentio præteriisse, *ne forte seculares literas scientes scandalizentur*. Hic vero Noster cum eruditis communicat specimen variantium lectionum hujus MS. quas cum editione Cel. Eckardi contulit. Sic *IV* e *Mſ. Detmari Chron. Lubecensi* excerpta sistit: qui Detmarus quidem non satis indicavit, quis fuerit, cum Cl. Mellio tamen Noster conjicit, eum Lectorem ad D. Catharinam fuisse, & circa A. 1387 hoc Chronicon conscripsisse. Cl. Seelenius hac occasione varias variorum de nomine *Lubecæ* conjecturas promit: & deinde, præmissis nonnullis generalioribus, varia Ecclesiastica ex illo MS. recenset. Inter alia de secta *Pastorum* 1251 Lubecæ clero Pa-

p. 34. sqq. | 52. | 57. | 64. | 66. sqq. | 70. | 77. sqq. | 88. sq. | 99. sq. | 134. sqq. | 142. | 135. sq. | 149. sq.

pro se opponentium, & de Flagellantibus nonnulla hic exponit. Ex historia quoque Literaria de Richardo de S. Victore, Bernhardo, Lombardo, Joachimo Abbate Calabriæ, it. Academiis, Erfurtensi & Gryphica, quædam refert. In quibus memoratu dignum
p. 157. est, quod Joachimus ille asseruerit, tempus durationis mundi respondere literis Alphabeti, ut quælibet litera centum comprehendat annos: ex qua hypothesi cum Joachimus asseruerit, Christum sub H esse natum, Autor MS. colligit, se vivere sub X; vi-
160 sqq. xit autem Detmarus Sec. XIV, ut terminus mundi, a Joachimo constitutus, jam præterierit. *V* de rarissimo Codice Bibliorum Luthe-
184 sqq. ri, dialecto Saxon. inferior. 1533 impresso, agit. Ex his Bibliis multa producit loca, ubi vel Germanicæ voces clarius, vel pressius Ebræus textus exprimitur, quam in nostris, e. gr. *Lev. XVI, 29,* תענו את־נפשתיכם schöle gy juwe Seelen demodighen, i. e. *animas vestras humiliabitis. Coh. V, 5,* secundum fontes: ne permittas ori tuo, (dat du dyn Flesch sündigen latest) *ut carnem*
201 sqq. *tuam peccare sinas.* Contra loca non pauca, in quibus Saxonicus interpres, male Lutherum deserens, erraverit, subnectuntur. Inter singularia hujus editionis refertur, quod *Jer. XII, 6, XV, 10,*
202 sq. vox *Tyodute* occurrit, unde Noster occasionem arripit, de *Jodut*, qua voce Saxones in inquisitionibus criminalibus utuntur,
204 sq. disserendi. Dictum *1 Joh. V, 7* in hac quoque editione desiderari,
211 sqq. notatur, & de similibus codicibus disseritur. *VI* de rarissimo Codice Bibliorum glossatorum, lingua Sax. Lub. 1494 fol. edito, disseritur, & hac occasione de Lyræ Judaismo, aliisque varia adducuntur judicia. Profert etiam Vir Cl. farraginem dictorum, in quibus versio hæc Lutheri versionem collustrare queat; e. gr. *Gen. XXX, 14,* Dudaim vertuntur Alrunen, *Ruth II, 1,* איש גבור חיל ein weldig Mann van groten Rieckdagen, i. e. *vir divitiis potens, &c.* E singularibus autem glossis affert illam ad *Gen. III, 16,* qua subjectio uxoris exponitur, dy vackene to pynegbende und to slande, i.
241 sq. e. *ut sæpe te excruciet & verberet;* id quod jam Sec. XII *Hugonem de S. Victore* fere docuisse, Noster notat. *VII Caroli M.* Homiliarium Spir. 1482 in f. excutiens, longe plurima de Caroli M. meritis in literas affert, quæ lectu sunt jucundissima. *VIII A-*
310 sqq. *drianum Turnebum* veritatis testibus accensendum esse, ex testamen-

mento ipſius probat, quod integrum exhibet, variaque ſimul de
Grotii aliorumque religione obiter tangit. *IX MS. Chron. Dith-*
marſicum Jo. Detleſi, cui ſcribendo is 1634 initium fecit, recen-
ſet Cl. Seelenius, multa hic Civilia, Eccleſiaſtica, & Litteraria eno-
tans. *X Hippolyti Marraccii Bibliothecam Marianam* curatius p. 354 ſqq.
delineat, Autorumque, qui in B. Mariæ Virginis laudem quicquam
ſcripſerunt, nomina & ſcripta huc ſpectantia ſedulo annotat.
XI Bibliorum lingua infer. Sax. Halberſtadii 1522 vulgatorum no-
titiam exponit, cujus verſionis Autor, ſacris licet Romanis initia- 398.
tus, ſæpe admodum Ebræum textum preſſit, e. gr. *Gen. XXIV, 53.*
כלי זהב gülden Gerethe, *vas aureum*, vertitur, *Gen. XXXIV, 25.*
בטח trüwelicken, fidenter, &c. Fatetur tamen Noſter, quod hæc
editio cum ſuperius recenſita Lubecenſi valde conveniat, ut *Con-*
ringius non male judicarit, Halberſtadienſem e Lubecenſi eſſe
expreſſam. *XII Ottonis Sperlingii Comm. MS. de antiquitate* 427 ſqq.
Stadæ recenſet, in quo ſunt varia memoratu digna, quamvis non
neget Noſter, vera urbis initia adhuc ignorari. *XIII de ador-* 555 ſqq.
nanda Bibliotheca Chriſtiana, ſive notitia ſcriptorum de Chriſto,
conſilium aperit, & Alphabethico ordine varios citat Autores, qui
de Chriſto ex profeſſo quædam pertractarunt. *XIV Maximilia-* 488 ſqq.
ni I Cæſ. Aug. *Diploma* de inſtaurandis ſtudiis humanitatis do-
ctis illuſtrat notis. *XV MS. Ludolphi Naamani*, varia Theolo- 519 ſqq.
gica, Juridica, Medica complexum, deſcribit. Et Theologica
quidem facile Papiſtam produnt, ubi e. gr. Evangelium, ut
Evangelicos feriat, Egenwillion appellat, qua occaſione Au-
tor ſcommatis Rabbinorum meminit, qui Evangelium vocant
vel עון גליון, vel און גליון, quaſi librum peccati aut perver-
ſitatis. *XVI, XVII, XVIII, XIX, Supplementa ad Michaelis Mai-*
taire Annales Typographicos ex libris Lubecæ ante Sec. XV edi-
tis ſuppeditat; quæ hic repetere velle, nimis eſſet prolixum.
XX Petri Calannæ Philoſophiam Seniorum, Sacerdotiam & Pla- 693 ſqq.
tonicam, Panormi 1599 editam, recenſet. Hic liber, ut vel titulus
docet, Platonicam Philoſophiam Ariſtotelicæ longe præfert, at-
que adeo homini animam, ſpiritum & corpus tribuit, & ex aqua
& igne hominem regenerari, evincit. *XXI Præcocis ingenii* 719 ſqq.
pueri Lubecenſis, Ch. Henr. Heineken, ſiſtit elogium, de cujus pue-

ri A.

ri A. 1721 nati, & 1725 denati, vita cum alias satis constet, non est, ut multa hinc excerpamus. XXII *de Casparis Ammani Psal-*
p. 732 sqq. *terio* rarissimo agitur. Hæc Psalterii versio ex Ebræo facta, prodiit Aug. Vind. 1523, ex qua h. l. nonnulla specimina exhibentur, v. c. *Ps. I*, 2, sondern yn dem Gesatz Gottes ist sein Begerung; *Ps. II*, 7: Jch wird erzölen das Gesatz Gottes, Gott hat gesagt zu mir, mein Sun bistu, ich hab heut geadelt dich, ubi *adeln* pro *gignere* dici,
748 sqq. Noster observat. XXIII *MS. quoddam Alchymisticum*, repetitis contentorum titulis, brevissime Noster recenset, ac contra eos, qui vel *Apoc. II*, 17, vel in *Cantico Canticorum* philosophice explicato, quod MS. exstat in Bibliotheca Krafftiana Ulmensi, lapidem Philosophorum describi putant, item qui Symbolo Apost. abusi, Symbolum Philosophorum super lapide ipsorum inde conficiunt, in-
759 sqq. surgit. XXIV *Jo. Malderi Anti-Synodicorum*, seu animadversionum in decreta conventus Dordraceni, *Notitiam* Autor nobis impertit, Malderi responsiones ad præcipua Dordracenorum argumenta refert, & inter alia indicat, *Wolfburgum* in Observ. ad N. T. fateri, quod, ut locus *Ebr. V*, 7, ubi Malderus vocem εὐλά-
777. *βειαν metum* vertit, interpretandus sit, ignoret. Denique XXV
799 sqq. *de Conrado Vorstio* nonnulla disserens, orationem *R. Winwoodii*, R. Angliæ ad Belgas legati, qua errores Vorstianos, ab ipso Rege ex ejus scriptis collectos, proponit, integram exhibet, una cum epistola R. Angliæ ad Winwoodum, qua eam comprobat. Hæc, ut putamus, B. L. salivam movere poterunt, ut Seelenii librum ipse evolvat, & ejusdem confutationem Hypotheseos Ænigmatico-Biblicæ, quam ipsum parare scimus, avide exspectet.

JO. HENR. A SEELEN, SS. THEOL. LIC. ET Gymn. Lubec. Rect. Selecta Nummaria, quibus variæ res, Sacræ, Civiles, ac Litterariæ, imprimis Lubecenses, illustrantur.

Rostochii, sumtu M. C. Schwechtenii, 1726, 8.

Plag. 6½.

CONjunxit hoc libellulo Cl. Seelenius sex Programmata scholastica, quæ separatim antea emiserat ad illustrandos aliquot

quot nummos. *Primo* ſcilicet decem exhibet nummos in totidem Conſules Lubecenſes cuſos inde ab A. 1636 usque ad A. 1717. *Secundo* diſſerit *de ſtudio conſervandi religionem per nummos*, non ſolum ethnicorum nummos memorans illos, in quibus Deorum fit mentio, ſed etiam Hebraicos, in quibus cum perſonæ religioſæ, tum etiam res ſacræ & loca ſacra repræſentantur. Ad nummos Chriſtianæ religioni dicatos progreſſus, poſtquam adulterinos illos, qui Chriſtum exhibent, rejecit, commemorat nummos *Huſſi* memoriæ conſecratos, itemque *Lutheri*, addito promiſſo, ſe alio tempore id argumenti expoſiturum eſſe uberius. *Tertio* pro ſpecimine *Hiſtoriæ literariæ ex nummis illuſtratæ* producit & illuſtrat tres nummos in honorem Ariſtotelis, Hugonis Grotii, & Joannis Hevelii cuſos: ſimul tamen docens, primum horum nummorum inter adulterinos rejectum fuiſſe a Cl. noſtro Collega, Heumanno, in *Actis Philoſ. T. III p. 70 ſqq. Quarto* exhibetur nummus in honorem Nicolai a Brœmſen, Conſulis Lubecenſis, A. 1537 cuſus. *Quinto* illuſtratur nummus A. 1710 cuſus, quatuor Lubecenſium Conſulum facies exhibens. *Sexto* denique occaſione ſimilis nummi Cl. Autor, cujus ſingularem induſtriam jam plures libri in his *Actis* laudati loquuntur, ſiſtit inſcriptiones nummorum, memoriæ M. Jo. Caſp. Schadii, Theologi, & Jo. Alb. Fabricii, Polyhiſtoris, dicatorum, cognitu haud ſane indignas. Una ex hujus libelli plagulis plerosque hic tractatos nummos æri inciſos exhibet admodum eleganter.

CHRISTOPH. AUG. HEUMANNI POECILE, ſive Epiſtolæ miſcellaneæ.

Tomi II Liber III.

Halæ, in officina Rengeriana, 1727, 8.

Plag. 1. 0

PRima hujus libri Diſſertatione, quis ſit ille Ezechielis prophetæ *Gogus* & *Magogus*, inquiritur, ſtatuiturque, capite hujus prophetæ trigeſimo octavo exhiberi excidium reip. Judaicæ per Romanos, & capite ſequenti excidium religionis Romanæ ſive ethnicæ per Chriſtianos factum. Addit Cl. Autor, vetuſtiſſimos

jam Theologos per *Gogum* significari indicasse *Romanorum imperium*, idque recte fieri, e *Genes.* X docet. *Diss. II* illustrat verba Christi Joan. X, 8: *Omnes, qui ante me venerunt, fures sunt & latrones*, eorumque confirmat sententiam, qui hunc in modum ea interpretantur: *Omnes, qui ante me venerunt & pro Messia voluerunt haberi.* Commendat hac occasione & pluribus exemplis illustrat distinctionem propositionum in *absolutas & relativas.* Hinc locum illum *Actor. II, 3*, considerat, de quo nuper tres prodierunt disputationes, Soleichtii, Wokenii, Eckhardi: statuitque, hunc inesse verbis Lucæ sensum, *ante descensum Spiritus S. in Apostolos his contigisse divinitus ecstasin, eaque correptos eos vidisse linguas veluti igneas per conclave sparsim volitantes: tandemque ignem illum, qui antea dispersus circumvolitare videbatur, resedisse in capitibus Apostolorum, tanquam symbolum demissi in eos sancti Spiritus, ipsosque impertituri dono linguarum.* Ultimo loco integritatem vindicat loci *Joan. XI, 35*, ubi quidam putarunt excidisse voculam καὶ. *Tertia* Dissertatio exhibet *Hieronymi* inclytam illam ad *Magnum oratorem epistolam*, tum ex codicibus partim manuscriptis, partim ultimæ vetustatis excusis emendatam, tum annotationibus aliquot philologicis illustratam. Qua occasione etiam *ignotum* Pauli *Deum Actor. XVII, 23*, Cl. Autor contemplatur, non solum versionem Germanicam ita corrigens: einem unbekannten Gotte, sed etiam eos refellens, quibus visi sunt autores illius inscriptionis in animo habuisse verum illum & unum Deum. *Quarta* Dissert. exhibentur emendationes aliquot Prudentii, Basilii M. & Hieronymi: & appendicis instar eruditis interpretanda proponuntur hæc verba Lutheri: *Liber hic mihi fuit everberatus a linguis tertiis.* *Quarto* loco particula *itaque*, hoc est, *& ita*, Tursellino ejusque commentatoribus præterita, illustratur exemplis non solum perspicuis, sed etiam difficilioribus, ad quæ hæserunt Viri doctissimi. Adjungitur *vita Gottfridi Gleitsmanni*, Lycei Cizensis Rectoris optime meriti, non ita pridem defuncti. *Sexta* Dissert. de serpente Paradisiaco agens, primo ostendit, Mosem satis perspicue significare, eum fuisse Satanam: deinde solvit quæstiones illas duas: *cur non tota cohorruit Eva ad alloquium ser-*

ſerpentis? cur ſermones cum eo miſcuit? *Geneſ.IV*, 23, 24, nova interpretatione illuſtrat. *Septima* Diſſ. plura Virgilianæ *Æneidos* loca partim emendantur, partim explicantur. Accedit emendatio Livii *lib.I cap.34.* *Octavo* loco *Juſtini* perobſcurus locus *lib. II,3,8*, emendatur, ſimulque, quod in præſtantiſſimo illo Fabri Lexico omiſſum eſt, multis & Græcis & Latinis exemplis docetur, *legatos* dici conſueviſſe *legationes*. *Nona* Diſſ. aliquot hymni ſacri Germanici illuſtrantur, ac ſimul ſtatuitur, *Epheſ. V*, 14, (qui locus tantas interpretibus offudit tenebras,) exhiberi tres verſus Anacreonticos ex cantico quodam eccleſiaſtico. *Decima* Diſſ. docet, duas exſtare editiones *Faſtorum Academiæ Lovanienſis* Valerii Andreæ: ac gaudet Cl. Autor, ſibi in ſententia de Nicolaitis ex hæreticorum catalogo expungendis Celeb. Janum, Theologum Wittenbergenſem; ac in interpretatione loci *Rom.IX*, 15 *ſqq*. Celeb. Buddeum, Jenenſem Theologum, aſſenſiſſe, novasque iſtas ſententias ſuo muniiſſe ſuffragio. Poſtremo quis ſit Autor libri ſub titulo *Lutheri ante Lutheraniſmum* emiſſi, manifeſtum facit. *Undecimus* locus dicatus eſt Excerptis ex Berneggeri epiſtolis exaratis ad Lud. Lucium, Mart. Opitium, Frid. Spanhemium, Glaſerum, Forſtnerum, Hohenfelderum, Voſſium, Mareſcotum, Rebhanium, Schickardum, Jac. Gothofredum, Gronovium, Freinshemium, Diodatum, Lingelshemium, Rauſcherum, Hug. Grotium. Pari modo ſequuntur excerpta ex epiſtolis ad Bœclerum ſcriptis a Jo. Val. Andreæ, Buxtorfio, Freinshemio, Gronovio, Boxhornio, Buchnero, Jo. Rhodio, Loccenio, Schradero, Heniſio, Styrzelio, Scheffero, aliisque. *Decima tertia Diſſertatio* docet, in ſecunda Joannis Apoſtoli Epiſtola per ἐκλεκτὴν κυρίαν deſcribi Chriſtianam mulierem, nomine *Cyriam*. Demonſtratur igitur, non ſolum apud Græcos id nominis in uſu fuiſſe, ſed etiam inter Romanorum nomina propria reperiri *Dominos* & *Dominas*, idemque apud Germanos fieri ac Syros. *Decimum quartum* locum occupat Diſputatio Academica *de miraculis Imp. Veſpaſiani*, qua contenditur, ea deberi ſoli ſolertiæ cum ipſius Veſpaſiani, tum etiam ſacerdotum Ægyptiorum. *Ultima* in hoc ordine eſt Diſſertatio de noto illo *Petri Lotichii* poetæ ſomnio, quod non propheticum, ſed mere poeticum fuiſſe, eique occaſionem eſſe præbi-

tam a Magdeburgensi obsidione seculo XVI facta, satis perspicue ostenditur.

SUMMA BREVISSIMA UNIVERSALIS Theologiæ, Speculativæ, Dogmaticæ, Positivæ, Moralis, &c. assertiva locutione composita a CACCIATURO ARACHIEL, Missionario Apostolico Armeno.

Romæ, typis Hier. Mainardi, 1726, 4.

Alph. 1 pl. 15.

REv. Autor in Dedicatione ad Cardinales sacræ Congregationis de propaganda fide scripta docet, se Romam ab iis vocatum esse ad prædicandum anno Jubileo verbum Dei in lingua Armena, & ad docendos Christianam doctrinam Armenos, hoc Jubileo Romam confluentes, eorumque audiendas confessiones pœnitentiarias. Id dum fecit strenue, simul composuit Theologiam hanc Scholasticam, simplicissime ejus dogmata cum speculativa, tum moralia, proponens, & verboso dicendi genere lectoribus inculcans. Totum opus exscriptum est literis admodum minutis, alterum tantum foliorum impleturum, si mediocris magnitudinis literis uti libuisset typographo. Ceterum cum non eruditis scriptus sit hic liber, sed Scholasticæ Theologiæ tyronibus, non est, quod ejus descriptioni diu immoremur. Ut tamen methodus Autoris cognoscatur, tria decerpemus capitula, non dubitantes, his lectis nostros lectores secum cogitaturos esse: *Ohe, jam satis est.* En igitur primi Capitis primum paragraphum: *Theologia est sermo & locutio de Deo. Instruit hominem in iis, quæ spectant ad Deum. Sicuti scientia naturalis est ea, quæ tractat de natura, & de eis, quæ spectant ad naturam; ita Theologia est scientia, quæ tractat de Deo, & de eis, quæ spectant ad Deum. Desiderabilior est Theologia, quam scientia naturalis, quia desiderabilius est, scire de Deo, qui est creator noster & finis noster; quam scientia, quæ est de creaturis. Desiderabilior est domina, quam serva. Theologia domina: scientia naturalis quærenda, ut serviat Theologiæ. Theologia quærenda, ut serviamus Deo. Hæc efficit, ut lux Evangelica clarius illucescat nobis. Hæc sapientia sapientiæ.* Primus par-

paragraphus Capitis LXXII, *de locutione cum Maria* inscripti, ita fluit: *In hoc Capite sermonem tecum habeo, o sacratissima virgo Maria. Summopere desidero te una vice videre. Felicem me haberem, si te una tantum vice viderem. Non vidi te in tua specie, sed pretiositatem tuam novi ex sacris literis de te loquentibus, ex sancta matre Ecclesia, te mirifice magnificante, ex sanctis Patribus, te magnis elogiis, encomiis & laudibus efferentibus, & ex Sanctis specialiter te diligentibus. Ex his omnibus formavi speciem, te pretiosissimam mihi repræsentantem. Secundam hanc meam imperfectam de te formatam speciem, inveni te ita amabilem, ut verbis exprimere non possim. Suavitas mea, quam gusto secundum hanc meam debilem & imperfectam speciem, ita magna est, ut non possim significare, nisi ei, qui gustat talem suavitatem, ut per suavitatem, quam gustat, agnoscat suavitatem meam. Ita magna est suavitas tua, ut valeam dicere: Tu suavitas mea, tu dulcedo mea, tu cibus meus, tu potus meus, tu hortus meus, tu divitiæ meæ, tu honor meus, tu thesaurus meus, tu solatium meum, tu gaudium meum, tu lætitia mea, tu jubilum meum, tu refugium meum, tu protectio mea, tu mater mea, tu filia mea, tu soror mea, tu consolatio mea, tu fiducia mea, & tu hæreditas mea.* Denique centesimi ejusdemque ultimi Capitis, quod *de Paradiso* agit, hoc est exordium: *Paradisus est status includens omnia desiderabilia & optabilia bona, & excludens omnia formidabilia mala. In paradiso possessio omnium bonorum, & exclusio omnium cruciatuum & omnium tormentorum. Paradisus contrarius inferno. In inferno damnati privantur bonis. In Paradiso beati possident bona. In inferno torquentur & cruciantur iniqui. In paradiso lætantur & exultant justi. In inferno captivitas, in paradiso libertas. In inferno vincula, in paradiso ornamenta. In inferno tenebræ, in paradiso splendor. In inferno stridor dentium, in paradiso nullum tormentum. In inferno fœtor, in paradiso suavissimus odor. In inferno fames & sitis, in paradiso saturitas. In inferno inquietudo, in paradiso requies. In inferno turbatio, in paradiso pax & tranquillitas. In inferno confusio, in paradiso ordo. In inferno vermis mentes crucians, in paradiso visio beatifica delectans. In inferno ignis crucians, in paradiso lux lætificans. In*

inferno supplicium æternum, in paradiso vita æterna. In inferno semper nox, in paradiso semper dies. In inferno desperatio boni, in paradiso nullus timor mali. In inferno fletus, in paradiso gaudium. In inferno dolor, in paradiso deliciæ. In inferno miseriæ, in paradiso felicitas. In inferno dæmones immanissimi, sævissimi & crudelissimi tortores, in paradiso sancti Angeli, suavissimi & amabilissimi socii.

GODOFREDI HOFFMANNI, D. ET PROfessoris Tubingensis, rel. Commentarius in Augustanam Confessionem cæterosque Ecclesiæ nostratis libros symbolicos.

Tubingæ, apud Theod. Mezleri viduam, 1727, 4.
Alph. 2 pl. 4.

CUm libri Ecclesiæ Evangelicæ Symbolici, atque inter eos Augustana maxime Confessio, non sine singulari Numinis directione conscripta, puriorem doctrinæ cœlestis veritatem e sanctioribus litteris haustam exhibeant, sedulaque eorundem *lectio*, iis præsertim, qui ad munus aliquod publicum in Ecclesia olim obeundum formari atque præparari debent, necessaria admodum sit atque utilis; non abs re futurum existimavit S. R. Autor, si post alios succinctam ipse in Aug. Conf. Commentationem luci publicæ exponeret, inque ea typum veræ doctrinæ in LL. Symbolicis comprehensæ cultoribus Theologiæ tanto plus inculcaret, *quanto magis*, ut ipse in dedicatione scribit, *novaturienti hoc seculo venerabile piis mentibus Orthodoxiæ nomen vilescere & ludibrio fere haberi videmus.* Institutum vero, quod sibi sectandum in hoc opere proposuit Cl. Autor, non hoc est, ut prolixum in Ecclesiæ nostræ Symbola Commentarium conscriberet, quod pridem egregie præstiterunt Viri de puriori cœtu meritissimi, Arcularius, Balduinus, Calovius, Gerhardus, Grauerus, Schmidius, Pappus, Osiander, Hutterus, Menzerus, alii; sed ut ea, quæ ab illis fuse elata sunt, in concinnum aliquod Compendium redigeret, facemque adeo sacrarum litterarum Cultoribus in illorum lectione occupatis præferret. In Prolegomenis Autor, præmissis iis, quæ de LL. Sym-

Symbol. autoritate, necessitate, subscriptione aliisque id genus tradi solent, ad ipsam tractationem de Symbolis Apostolico, Nicæno & Athanasiano descendit, atque Augustanæ imprimis Confessionis historiam paucis pandit, eaque, quæ de variis ejusdem editionibus atque versionibus notatu digna se offerunt, breviter edisserit. Ubi tamen, ut de recentioribus A.C. editionibus nihil jam memoremus, vetustissimam ejusdem & Apologiæ editionem, *Tubingæ* A. MDXXXV typis exscriptam, itemque *Conventum Naumburgensem* ab Ordinibus Protestantium A. MDLXI institutum, in quo de genuina A. C. editione, quam *invariatam* dicunt, servanda, nec *variata* tamen reprobanda, actum fuit, Autorem silentio præteriisse vidimus. Circa ipsam denique LL. Symbol. expositionem hanc methodum servat, ut, leviter tactis quæ ex historia ad inlustrandum titulum atque præfationem A. C. repetenda veniunt, singulos ejusdem articulos ordine percurrat, ea, quæ de uno eodemque doctrinæ argumento in LL. Symb. sæpius diversis locis repetita occurrunt, in unum colligat, præcipua fidei dogmata dilucide exponat, & vel maxime difficultates passim forte occurentes tollat, dubiaque a dissentientibus, *Laurentio* imprimis *Forero*, *Joanne a Daventria*, Card. *Bellarmino*, *Th. Henrici* aliisque mota solide solvat, ita quidem, ut in allegandis Concordiæ paginis editionem *Rechenbergianam*, quæ scilicet omnium manibus versatur, utique sequatur. Præterea id quoque sibi negotii impositum esse credidit Autor clarissimus, ut mutationes in A. C. a Philippo Melanchthone factas in Reformatorum, quos vocant, gratiam, quæ tamen, paucis exceptis, magni ut plurimum momenti haud sunt, cum cura annotaret, succinctamque nonnullorum veteris Ecclesiæ hæreticorum, a quibus LL. Symbolici abhorrent, notitiam tironibus suppeditaret, atque egregiam imprimis *Augustanam Confessionem* inter atque *Wirtembergicam*, quæ peculiare Wirtembergicæ Ecclesiæ Symbolum est, atque nomine illustrissimi Wirtembergiæ Ducis Domini CHRISTOPHORI A. MDLII, a d. XXIII Januarii Congregationi ad Tridentinum Concilium præsenti oblata fuit, harmoniam, adductis ipsis ejusdem verbis ostenderet. Cum vero in Confessione, quam diximus, Wirtembergica vel ejus Apologia de nonnullis doctrinæ capitibus vel plane nihil,

vel

vel pauca saltim annotata sint, Cl. Autor excerpta quædam ex scriptis *Joannis Brentii* articulis quibusdam subjunxit, quæ de doctrina Ecclesiæ Wirtembergicæ, cujus is interpretem egit, luculenter satis testari possunt. Superessent singularia non nulla passim in hoc libro obvia, a quibus tamen recensendis propter instituti brevitatem jam abstinemus; id unum adhuc notantes, Cl. Autorem in explicandis prioribus A. C. articulis prolixiorem fuisse; in reliquis vero expediendis certis, ut ipse ait, de causis brevitati studuisse.

THEODORI HASÆI, SS. THEOL. D. ET PROF. itemque Ecclesiæ ad D. Virg. Pastoris, Dissertatio historico-theologica de monumento Paneadensi.

Bremæ, typis H. C. Jani, 1726, 8.

Plag. 10.

Tribus Capitibus Max. Reverendus Autor complexus est, quæ dicenda habuit de monumento Paneadensi, commemorato ab Eusebio *Hist. eccl. lib. VII cap. 18. Primo* scilicet, postquam ipsam historiam ex Eusebio recitavit, nominatim producit veteres, qui post Eusebium idem retulerunt, ponens etiam ob oculos tot narrationum diversitates. Meminit item epistolæ, quam fœmina ad Herodem regem scripsisse fertur ad impetrandam libertatem ponendæ statuæ: quam quidem epistolam νοθείας convincit abunde. Nec illos præterit, qui dejectam a Juliano Imp. fuisse illam statuam, perhibent. Ultimo loco copiose agit de urbe Paneade & pluribus ejus nominibus, observans, nullam occurrere urbem tot insignitam nominibus. *Secundo Capite* hanc narrationem severe examinat, præmissis de ea sententiis cum Pontificiorum, tum Lutheranorum & Reformatorum. Ac illos quidem ostendit uno ore eam defendere & propugnare: e Lutheranis paucos, e Reformatis multos eam e censu verarum narrationum ejecisse, docet. Quod si vel maxime vera esset hæc narratio, tamen inde male a Pontificiis probari cultum sacrarum imaginum, manifestum facit. Tum, nullam ab illa fœmina Christo positam fuisse statuam, ex eo evincit, quod nec potuerit id facere, quippe pau-

per-

percula; nec voluerit, quippe Judæa, gentis suæ more imagines aversans. Addit, nec Judæos id passuros fuisse, nec ethnicos in eam statuam non fuisse sævituros. Observat etiam, neminem hujus rei mentionem fecisse ante Eusebium, qui tamen & ipse loquatur dubie; & post Eusebium perpaucos injecisse illius statuæ mentionem. Illud tamen concedit, imo defendit, talem statuam, qualem descripsit Eusebius, Paneade exstitisse. Ad miraculosam herbam quod attinet, quæ statuæ illi accrevisse dicitur, statuit Cl. Autor, vix quidem potuisse ei non accrescere herbam, sed vulgi fabulam, non veritatem, tradere Eusebium, cum miraculosas ei vires tribuit. *Capite tertio* originem fabulæ eruit, ostendens, in honorem Hadriani Imp. positam hanc fuisse ab ethnicis statuam. Hoc fine demonstrat plurimis exemplis, similes Paneadensi illi statuas ponere consuevisse civitates Principibus εὐεργέταις. Eam in rem e nummariæ rei scriptoribus plurimos profert nummos, in quorum multis etiam titulus *Restitutoris* occurrit. Speciatim nummos Hadriani gloriæ dicatos adducit, in quibus vocatur *restitutor Achajæ, Africæ, Arabiæ, Asiæ, Bithyniæ, Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, Macedoniæ, Mauritaniæ, Nicomediæ, Phrygiæ, Siciliæ*: ostendens simul, quantam in plurimas urbes benignitatem expromserit hic Hadrianus, quantisque idcirco affectus fuerit honoribus. Nec proinde mirandum putat, ei idem accidisse a Paneadensibus, præsertim cum notum sit, eum sæpius in Syria & Palæstina fuisse, & in ipsa urbe Paneade. Observat præterea, forma, barba, & vestitu similem Christo fuisse Imp. Hadrianum: ut adeo facile imago Hadriani pro Christi haberetur effigie. Cum etiam Hadriano cognomen σωτῆρος, itemque *Dei*, fuerit tributum, hinc factum esse credit, ut, deleto Hadriani nomine, statua illa Christo videretur esse posita. Id quo minus dubites, similium errorum, qui circa veteres contigerunt statuas, exempla producit. Denique ingenii experiundi gratia & Latinas exhibet & Græcas inscriptiones, quarum una quo minus illi statuæ incisa fuerit, nil obstare existimat. Imo aliam quoque Latinam inscriptionem ab se contextam profert, quam censet a muliere illa Paneadensi non inepte inscribi potuisse statuæ Christo dicatæ. Illud neutiquam prætermittere debemus silentio, quod *Cap. III §. 2* tradit, Dallæum pri-

mum fuiſſe tam acutum, ut videret, illam ſtatuam non fuiſſe a muliere Evangelica poſitam, ſed ab ethnicis; Jac. Gothofredum vero longius provectum animadvertiſſe, ſtatuam hanc exhibere ipſius urbis Paneadis ſimulacrum, cui ab Imperatore aliquo ſalus ſua reſtituta fuerit. Colophonem itaque felicibus hiſce conjecturis impoſuit Cl. Autor, ipſum illum Imperatorem nominans, eamque ſententiam tantis doctrinæ variæ luminibus illuſtrans, ut gratiæ agendæ videantur Euſebio, qui errore ſuo occaſionem præbuerit effundendis tantis reconditæ eruditionis opibus.

AN HISTORICAL AND CRITICAL ACCOUNT of the Life and Writings of Mr. William Chillingworth &c.

h. e.

RECENSIO HISTORICO-CRITICA VITÆ & ſcriptorum GUILIELMI CHILLINGWORTHI, *Eccleſiæ B. Mariæ Sarumenſis Cancellarii.*

Londini, apud Thomam Woodward & Joh. Peele, 1725, 8. Alph. 1 pl. 3.

G*Uilielmus Chillingworth*, Gulielmi filius, Oxonienſis, anno ſalutis 1602 natus, & a Guilielmo Laud, qui Archi-Epiſcopus Cantuarienſis poſt hæc evaſit, e ſacro fonte ſuſceptus eſt. A teneris literis innutritus, cum Græcis, tum Latinis, tanta facilitate Claſſes Logices, & Philoſophiæ transcurrit, ut ſub finem A. 1623 Magiſter in Artibus, & d. 10 Junii 1628 Collegii Trinitatis Socius crearetur. Sacris ſe imprimis myſteriis dicaverat, in quorum ſtudio adeo profecit, ut celeberrimus ſui temporis Anglicanæ Eccleſiæ Theologus fuerit habitus. Sed intra ſolius Theologiæ fines ægre ſe continens, Mathematica quoque tractavit, nec ſpernendus Poeta fuit. Amicis uſus eſt Lucio Carẑo, Comite Falcklandiæ, Johanne Haleſio aliisque, præ cæteris autem Gilberto Sheldono, qui Juxono in ſede Cantuarienſi ſucceſſit. Strenuus, pro more ejus ſeculi, Diſputator, puer adhuc cum condiſcipulis, adultior cum Romanæ factionis emiſſariis, qui ſub Jacobo & Carolo I licentius quam fas erat, Angliam pervaga-

vagabantur, congredi gestiebat. Erat inter hosce famosissimus Jesuita, Johannes Fisherus, industrius proselytorum suæ religionis venator, qui cum multum Oxonii versaretur, præstantissimum quemque studiosæ juventutis, & inter hos quoque Chillingworthum, disputando aggrediens, tanta subtilitate gravissimum Romanistarum locum topicum *de necessitate judicis infallibilis viventis* in rebus fidei, juveni commendabat, ut is, quod ad Sophistæ argumenta reponeret, statim non inveniens, supposita semel hac necessitate, facile induceretur, ut crederet, judicem istum infallibilem in Ecclesia Romana inveniri, adeoque hanc veram esse Ecclesiam. Quanta animi alacritate Chillingworthus ab Anglicanæ Ecclesiæ communione ad castra Romanæ religionis transfugerit, quantaque persuasione doctrinam Jesuitæ susceperit, satis apparet ex literis ejus ad amicum suum Gilbertum Sheldonum tunc scriptis, cui inter alia has duas quæstiones serio pensitandas proponit: 1) *An non ex Scriptura S. ex Patribus, ex sana ratione, tum etiam ex bonitate Dei & necessitate hominum, evidens sit, quod oporteat esse Ecclesiam quandam in rebus fidei infallibilem?* & 2) *An ulla societas mortalium, præter Ecclesiam Romanam, certa autoritate, vel quovis alio modo, privilegium infallibilitatis in rebus fidei possit sibi attribuere?* Interim Fisherus, quo prædam suam tutius servaret, Chillingwortho persuaserat, ut in Artesiam ad Collegium Jesuitarum, quod Duaci habent, se reciperet, ibique *Causas & Rationes*, quibus permotus religionem Romanam amplexus erat, publico scripto exponeret. Hæc cum audiret Laudus, tunc temporis Episcopus Londinensis, intimis sensibus afflictus, literas tam efficaces ad Chillingworthum hac de re dedit, ut is, perspecta ratiuncularum, quibus seductus fuerat, levitate, Collegium Jesuitarum subito relinqueret, & in patriam A. 1631 reverteretur: ubi a Laudo summa humanitate acceptus, Oxonii, cum proposito in religionis veritatem libere inquirendi, consedit. Diu animo suspensus, re tandem dextro judicio ponderata, clare perspexit, principia Protestantium & Scripturæ & rationi optime convenire, adeoque ad pristinam fidem rediit, quam publice iterum professus, & colloquiis & scriptis contra Pontificios

 mascu-

mascule defendit. In his eminet tractatus, quo demonstrat, doctrinam de infallibilitate, quam tanti faciunt Romani, neque veritatis evidentia, neque certitudine rationis, nec ulla Scripturæ authoritate niti. Porro duo alii, quibus probat, Ecclesiam Romanam quondam errasse: primo scilicet, cum admitteret infantes ad Sacramentum Eucharistiæ, statueretque, eos alias salvari non posse; tum etiam, cum publice tueretur Chiliasmum, quam utramque doctrinam Ecclesia Romana, ut falsam & hæreticam, hodie damnat. Scripsit præter hæc multa alia, & in his quædam hactenus ἀνέκδοτα, ut *Responsionem ad quinque quæstiones Peakii, de natura fidei & resolutione ac consequentiis fidei Protestantium*; 2) *discursum de natura fidei*; 3) *quod absurdum sit ab Ecclesia Anglicana discedere, ob defectum successionis confessorum visibilium, per omnes ætates*; 4) *brevem responsionem ad quosdam textus Scripturæ, hunc in finem allegatos, ut probetur, Ecclesiam esse unam, visibilem, universalem, perpetuam & infallibilem.* Anno 1635 vero majus opus noster aggressus est, quo & principia Romanæ Ecclesiæ funditus subrueret, & Protestantium religionem vindicaret. Lis orta erat A. 1630 inter D. Potterum Collegii Oxoniensis, quod Reginæ vocatur, Præpositum, & Eduardum Knottum Jesuitam, de quæstione: *Num Catholici agant contra charitatem, dum statuunt, Protestantismum seu fidem Protestantium destruere salutem æternam?* Hanc quæstionem Knottus negabat, edito libello sub rubro: *Charity mistaken*, i. e. *Charitas erronea*; Potterus affirmabat, in responsione, cui titulus: *Want of Charity*, i. e. *Defectus Charitatis, jure Romanistis imputatus*, &c. Cum vero Jesuita non adquiesceret, sed libro Potteri alium iterum opponeret, quem inscripserat: *Mercy and Truth*, i. e. *Misericordia & veritas, seu Charitas a Catholicis propugnata*, &c. Chillingworthus, tum Comitis Falcklandii, amici sui, doctissima opera, tum lectissimorum librorum armario adjutus, hanc litem suam facere, & Knotto fuse pariter ac solide respondendo, causam pro religione Protestantium contra Pontificios accurate dicere constituit. Quisnam fuerit hujus conaminis eventus, pauso post videbimus. Accidit eodem anno, cum beneficium

quod.

quoddam Ecclesiasticum in Anglia vacaret, ut Chillingworthus commendaretur ab amicis Thomæ Coventrio, Magni Sigilli Custodi. Nihil huic accidere poterat gratius, quam occasio hominem, cujus virtutes perspectas habebat, cuique maxime favebat, seu opibus, seu honore augendi: cum a subsidiis omnibus, quibus virtus & cultus acquiritur, videretur tunc maxime destitus. Sed subscribenda erat Ecclesiæ Anglicanæ confessio *triginta novem Articulis* comprehensa, & promittendum, se *Libro communium precum*, quod nihil eo contineatur verbo divino adversum, in publicis precationibus uti velle. Hic aqua hærebat. Insertum scilicet communium precum libro Symbolum, quod vulgo Athanasio tribuitur, & suppositițium & verbo revelato contrarium Chillingworthus credebat. In eodem libro præceptum decalogi, quod nobis tertium, Anglis quartum est, cum integra illa appendice, qua in Deuteronomii capite vigesimo a commate 8 usque ad 12 exstat, populo prælegi, populusque, *Domine inclina corda nostra, ut hanc legem observemus*, respondere jubetur. Hoc instituto Christiani ad observantiam Sabbathi Judaici obligari; adeoque nec Librum communium precum verbo & voluntati divinæ convenire, nec 39 Articulis, conscientia salva, subscribi posse videbatur. Tunc Chillingworthus animo angi, dubia cum Sheldono suo communicare, ad amici solutiones respondere, objectiones objectionibus cumulare, usque eo, ut tandem Sheldonus tantæ obstinationis pertæsus plane, rescriberet: *Se quidem nemini, ut contra conscientiam, quamlibet erroneam, agat, velle persuadere, nec tamen pruritum contradicendi honorifico conscientiæ titulo posse appellare; vereri denique, ne amicus hic se ipsum perdat, & pro altera vita parum proficiat.* Dum hæc agebantur, Eduardus Knottus, fama certior factus, Chillingworthum præparare responsionem ad Librum suum contra Potterum, & causæ diffidens, & judicium publicum de utroque opere metuens, vili atque infami libello, sub titulo *Directionis præviæ* &c. intervenire decrevit, hoc maxime instituto, ut odium & contemtum Chillingworthо conciliaret. Quamobrem imprimis *Socinianismi* maculam ipsi adspergere,

 tum

tum religionis mutationem objectare, tum quod causas & rationes, cur olim Catholicismum amplexus fuerit, nondum refutarit, vitio vertere, tum etiam quod 39 Articulis Ecclesiæ Anglicanæ subscribere ambigat, exprobrare non erubuit; denique diversa postulata & conditiones circa modum, quo sibi responderi vellet, subjunxit. Interim Chillingworthus, Jesuitæ intempestiva dicacitate & calumniis minime deterritus, in opere cœpto gnaviter pergit, quod sub initium A. 1637 jam proxime ad finem perduxerat. At Laudus, qui tunc Archi-Episcopatum Cantuariensem tenebat, non permisit, ut in publicum prodiret, priusquam a consummatissimis Theologis, Pridæo, Baylæo & Fellio diligenter esset examinatum. Tandem circa finem A. 1635 liber iste Oxonii impressus, publice comparuit, titulum præ se ferens: *The Religion of Protestants a save Way to Salvation*, i. e. *Religio Protestantium tuta via ad salutem: sive Responsio ad librum, qui inscribitur:* Misericordia & veritas, seu Charitas propugnata a Catholicis, *quo contrarium probari intenditur; Autore Guilielmo Chillingworth, Artium Magistro in Universitate Oxoniensi.* Ex epistola dedicatoria ad Jacobum I manifestum est, ipsius Regis jussu Chillingworthum hanc operam suscepisse. Quanto vero plausu defensio ista purioris religionis excepta fuerit, vel inde apparet, quod, licet grandi volumine, *in Folio* vocamus, comprehensa, nihilominus intra primos quinque menses altera vice typis fuit excudenda. Neque Jesuitarum Floydii & Lacæi, neque ipsius Knotti, qui pro duce & coryphæo cæterorum se gerebat, infamationes & cavilli, quos in hunc librum evomuerunt, obstitere, quin octava vice hactenus in Anglia fuerit editus. Post publicationem Rex Jacobus & Archi-Episcopus Laudus, excellentissimi tanti operis judices, dignum arbitrati sunt ejus Autorem, cui conferrent munus quoddam Ecclesiasticum cum magna dignitate & amplo reditu conjunctum. Anno igitur 1638 die vigesimo Julii, ad *Cancellariatum Beatæ Mariæ Sarisberiæ*, una cum *præbenda de Brixworth, alias Brikleswortb, in Comitatu Northamptonii, Petriburgensis Diœceseos, Cancellariatui annexa*, admissus & institutus est. Neque tunc amplius dubi-

dubitavit omnibus Ecclesiæ Anglicanæ Articulis, & singulis in eisdem contentis, volens & ex animo subscribere, ceu patet ex formula, quam Libro subscriptionum Ecclesiæ Salisberiensis eodem die 20 Julii 1638, subscripsit. Circa idem tempus etiam Magister Xenodochii de *Wygstans*, nec non veteris Burgi *Leycestriensis* renunciatus est. A. 1640 ad Convocationem Cleri, quæ eodem tempore cum summo regni concilio, quod Parliamentum vocant, convenerat, *Procurator Capituli Salisberiensis* ablegatus, Regi fidem suam dextre probavit, quam & in tristibus illis ac turbidis temporibus, quæ paulo post & Regnum & Ecclesiam affligebant, usque adeo non fefellit, ut scriptis non solum & publicis orationibus, sed manu quoque atque opera rem Principis contra perduelles adjuvarit. Interea cum intestino bello omnia flagrarent, nonnulli rigidiores verbi Ministri, parliamenti protectione fulti, aliud pugnæ genus ciebant, non tantum contra Episcopatum & Liturgiam, sed contra optimos quosque Theologos Ecclesiæ Anglicanæ, quos omnes, imprimis vero Laudum, Potterum, Halesium & Chillingworthum, ut in vulgi odium adducerent, *Arrianismi*, *Socinianismi* & *Papismi* postulabant. At Chillingworthus in zelo versus Ecclesiam, vel fide erga Principem, nihilo remissior, castra Regis constanter sequebatur; donec sub initium A. 1644 Castello Arundeliano a Wallero, exercitus Parliamentarii duce, expugnato, & ipse in potestatem hostium veniret, morboque & frigore pœne consumtus, Cicestriam abduceretur: in qua captivitate circa finem mensis Januarii prædicti anni decessit.

Ceterum quod ad ipsum libellum, ex quo hanc Chillingworthi vitam contraximus, attinet, is *Petro Kingio*, Magnæ Britanniæ hodie Cancellario, dedicatus, & secundum methodum, quam Bælius in Dictionario Historico-Critico tenet, ab editore *P. des Mazeaux* concinnatus est, ex quo pauca insuper, hactenus dicta illustrantia, memorabimus. Pag. 5 & 44 in *Notis* ex *Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu* demonstratur, Johannis Fisheri & Eduardi Knotti nomina fuisse adscita, illumque vero nomine *Johannem Perseum*, hunc autem *Matthiam*

am

am Wilsonum appellari. Pag. 49 seq. in *Textu* legitur epi-
stola Chillingworthi ad amicum anonymum, quæ doctrinæ Ar-
rianorum nimis favet. Pag. 86 alia epistola ad Sheldonum
textui inserta est, ex qua apparet, Chillingworthum eo tempo-
re, quo 39 Articulis subscribere dubitabat, ære alieno obrutum
& patre avarissimo usum fuisse. A pag. 104 usque ad p. 265
scripta eristica Knotti & Chillingworthi prolixe magis, quam
accurate, recensentur. Pag. 280 legimus, Chillingworthum
in obsidione Glocestriæ Regi Carolo I suasorem & autorem
fuisse, ut machinæ quædam bellicæ, ad modum *Testudinum*
cum pluteis, quorum usus apud Romanos frequens erat, exstru-
erentur. A pag. 315 usque ad p. 366 libellus sarcasticus: *Chil-*
lingworthi novissima, quo orthodoxus nimium *Cheynellius*
mortuo leoni insultavit, satis operose recensetur. Tandem
Autor finem suæ narrationis facturus, conqueritur, Virum tanta
virtute, pietate & moderatione præditum, *Pontificiorum* æque
ac *Protestantium* injuriis fuisse lacessitum, ab utrisque *Sociniа-*
nismi nota ipsi impacta. Sed hanc communem excellentissi-
morum ingeniorum sortem esse observat, inque ejus rei testi-
monium pag. ultima in *Textu* Tillotsonii notabile effatum, in
Notis vero *Cl. Clerici* verba, *Art. Crit. Vol. III Ep. X p.* 272, 273 ad-
ducit. Finitur opusculum Indice satis locuplete.

R. MOSIS MAIMONIDIS CONSTITUTIO-nes de Siclis, quas Latinitate donavit & Notis illustra-vit JOANNES ESGERS, Amstelo-Batavus.

Lugd. Bat. apud Jo. Arn. Langerak, 1727, 4.

Plag. 20.

LIbrum hunc in *Actis* nostris *A.* 1720 *p.* 41 *sq.* recensuimus, & vel
paginarum collatio docere videtur, eandem esse editionem,
novo tantum titulo exornatam, in quo alterius Bibliopolæ fit men-
tio. Quoniam itaque nil novi hic deprehendimus, nova recensione
non est opus. Monemus tantum nunc, quod non semper in versio-
ne totus exhauriatur sensus, cum v. c. *Cap.* 2 §. 1 *p.* 33 omit-
tantur voces כמין שופר *ad instar*
tubæ.

):(✲):(

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Octobris Anno MDCCXXVII.

JO. FRANCISCI BUDDEI, THEOL. D. ET P.P. Isagoge Historico-Theologica ad Theologiam universam singulasque ejus partes.

Lipsiæ, ex officina Thomæ Fritschii, 1727, 4. Alph. 10 plag. 12.

Quamvis eum inter nostros, tum a religionis nostræ placitis dissentientes Theologos haud defuerint, qui de ratione ad cognitionem litterarum sacrarum perveniendi, sive de methodo Studii Theologici sunt commentati; gratissimam tamen Summe Reverendus Autor litteris operam præstitit, quod hanc Isagogen historico-theologicam juris publici fecit, hocque novo ingenii præstantissimo monimento singularem eruditionis laudem ac famæ decus non mediocriter auxit. Namque uti post fata doctissimorum virorum, qui in argumento hoc explanando jam versati fuerant, omnium litterarum, eoque nomine illarum quoque, quæ ad eruditionem sacram pertinent, insignis facta est mutatio, quæ Autori nostro occasionem dedit, quam plurima capita ab aliis aut plane prætermissa, aut leviter exposita, egregie ac copiose illustrandi; ita & aliam Isagogen hanc tradendi tenuit rationem. Non solum enim de indole singularum disciplinarum, quibus Theologia absolvitur, deque modo discendi illas accurate disseruit; verum etiam eundo per omnia secula ad nostra usque tempora, quæ in hoc doctrinæ genere ac singulis illius capitibus contigerunt mutationes, enarravit, præcipuosque simul autores eorumque scripta ita recensuit, ut quæ laudanda ac vituperanda sint, moneret, aliosque, quæ debeant imitari, quæque rursus evitare,

re, condoceret. Hac ratione Iſagoge hæc pleniorem hiſtoriam litterariam totius Theologiæ comprehendit, omniaque diligenter, quæ cum ad fata omnium eruditionis ſacræ diſciplinarum, tum ad libros illarum pertinent, commemorat. Ipſum opus diviſum eſt in duas partes, quarum prior quatuor capitibus de fine Studii Theologici: de Theologiæ cultore ejusque indole ac virtutibus: de mediis, quibus Theologiæ habitus comparatur, ac de propædevmatibus theologicis exponit. In hiſce argumentis rite explicandis ad id præcipue Autor operam ſuam contulit, ut & eruditionis ac ſapientiæ nexum arctiſſimum demonſtraret, ac diligenter inculcaret; ubi autem verba fecit de propædevmatibus theologicis, ſingulas partes cum humanioris, tum philoſophicæ doctrinæ ita perſecutus eſt, ut quid ex illis a Theologiæ cultoribus diſcendum ſit, indicaret, ac multa, quæ hiſtoriam harum diſciplinarum illuſtrant, moneret. In poſteriori Parte hujus Iſagoges deſcendit ad ſingulas Theologiæ diſciplinas, & primo loco poſuit Theologiam theticam, ſive dogmaticam, quo nomine & catecheticam comprehendit Enarravit illius originem, progreſſus & fata per ſingula fere a Chriſto nato ſecula ad noſtram usque ætatem: *nec nævos & incommoda, a doctoribus ſcholaſticis invecta & interdum* repudiata, mox iterum recepta, prætermiſit. Eadem ratione ſequenti capite de Theologia, quam vocant, ſymbolica expoſuit, ubi veterum pariter ac recentiorum ſymbolorum hiſtoriam, eamque variis obſervationibus illuſtratam, juſta ſerie exhibuit. Capite tertio egit de Theologia Patriſtica, nec tantum hiſtoriam & fata illius deſcripſit, ſed etiam haud paucas obſervationes de Patrum lectione recte inſtituenda, deque juſto, quod illi ſtatuendum ſit, pretio, adjecit. Cum ſe capite quarto ad Theologiam moralem contuliſſet, de Patrum quoque doctrina morali diſſerit, ſimulque de Theologia myſtica & jurisprudentia divina, prudentia item chriſtiana & paſtorali, verba fecit. De jurisprudentia eccleſiaſtica capite quinto ejusmodi tractationem inſtituit, quæ & illis, qui prima tantum principia illius cognoſcere volunt, & eis, qui ulterius progredi cupiunt, inſervire poteſt, quoniam itidem hiſtoriam illius diligentiſſime proſecutus eſt, multasque controverſias, quæ hodie inter viros eruditos agitantur, illuſtravit. Sed cum ex iſtarum, quas

quas hisce capitibus enarravit, Theologiæ partium, præsertim Jurisprudentiæ ecclesiasticæ, consideratione abunde pateret, quam eximius in his omnibus Historiæ Ecclesiasticæ sit usus, pro boni ordinis ratione statim subjunxit, quæ de ista fuerunt observanda. Capite septimo egit de Theologia polemica, ubi pro multitudine controversiarum theologicarum amplissimum differendi campum invenit, multaque momenta, quæ in hac parte historiæ litterariæ adhuc confusa & perturbata fuerunt, perspicue ac distincte proposuit. Nam quamvis non defuerint, qui nostrorum Theologorum scripta polemica recensuerunt, id tamen plerumque factum est perfunctorie, ita ut haud observaverint, quænam illorum fuerit occasio, an & qua ratione ab adversariis, quos sibi oppugnandos sumserunt, fuerint refutata? an & quid iterum his responsum sit? & quæ reliqua sunt ejusdem generis. Proinde in nostratium scriptis polemicis recensendis maxima quidem Autori nostro suborta est difficultas; quam tamen, quantum fieri potuit, feliciter superavit, omniaque copiose satis ac justo ordine proposuit. Ultimo loco pertractavit Theologiam exegeticam, in qua ita versatus est, ut primum textus originalis, tum versionum, tandem Commentatorum, quos vocant, veterum pariter ac recentiorum, historiam traderet, nævos pariter ac virtutes illorum, qui in hoc sanctioris doctrinæ genere vires suas exercuerunt, itemque vicissitudines, quæ hic se offerunt, indicaret, regulasque simul iis, qui & heic recta via incedere volunt, præscriberet. Quumque ab eo tempore, quo opus hoc typis exscribi cœpit, non tantum novi libri, sed etiam novæ editiones prodierint, ea quæ hoc loco erant prætermissa, Autor in addendis & supplendis, quæ extremo operis hujus subjecta sunt, observavit.

Hæc est ratio & summa operis hujus generatim a nobis indicata. Verum præstantia illius postulat, ut ex tanto scientiæ theologicæ & litterariæ apparatu lectori nostro specimina quædam exhibeamus. Capite igitur *primo* Libri prioris *de fine Studii Theologici* accurate recenset scriptores methodi theologicæ, atque inter alios imprimis commemorat *Institutiones Theologicas Patrum antiquorum* Josephi Mariæ Tommasi: *Bibliothecam selectam de ratione studiorum* Antonii Possevini: Petri Annati *Methodicum* p. 5. 10.

p. II. *ad Theologiam positivam apparatum:* Joannis Mabillonii librum de *Studiis Monasticis*, quorum scriptorum non solum summam exhibet, sed etiam de iis judicat, atque imprimis controversiam
20. & attingit, quæ Mabillonio cum Armando Joanne Bouthillerio Ranceo, Abbate Trappio, super quæstione: an monachis litterarum
1797. 14. studia conveniant? intercessit. De Hyperio observat, quod posset dubitari, quo jure reformatæ Ecclesiæ doctoribus annumeretur, cum Academiam Marpurgensem, in qua docuit, eo tempore nostræ ecclesiæ sacra secutam esse constet, simulque libri, quem de *ratione Studii Theologici* scripsit, capita sedulo recenset. In eodem capite disserit Autor de usu & abusu eruditionis in theologicis, at-
25. que imprimis explicat usum & abusum vocis *Theosophiæ*, monetque, quod Theologia sive accipiatur de doctrina, sive de habitu, utroque modo recte Theosophia appellari possit: quamvis haud negandum sit, inter Theosophiam & Theologiam hoc discrimen constitui posse, ut per hanc aut cognitio ipsa rerum divinarum, aut doctrina de iisdem designetur, per illam autem facultas sive virtus bona a malis discernendi & illa amplectendi, hæc fugiendi. Hisce expositis, addit quoque abusum hujus vocabuli, atque ex historia vetustiori & recentiori originem illius ostendit. *In capite tertio* libri hujus prioris, in quo tractat de *mediis, quibus Theolo-*
85. *giæ habitus comparatur*, deprehendimus copiosum indicem scriptorum, ex quibus speciatim librorum studio theologico inservi-
92. entium notitia haurienda, itemque characteres, quibus libri boni a malis sunt discernendi, cujusmodi sunt: si argumentum, quod Autor aliquis tractandum sibi sumsit, utile sit, magnique momenti; si plene illud tractaverit, nihilque eorum, quæ de illo scitu necessaria sunt, omiserit; si solide illud tractaverit, hoc est, si circa principia & fundamenta rite constituenda sollicitus potius fuerit, quam circa ea, quæ curiositati hominum blandiuntur; si ἀλλότρια non admiscuerit, & a digressionibus, nihil ad rem facientibus, se abstinuerit; si denique perspicue & sermonis genere puro, quantum res ipsa permittit, & eleganti cuncta proposuerit. Hisce cha-
74. racteribus, qui illustrantur, additæ sunt regulæ in librorum lectione observandæ, quæ sequentes sunt: quidam libri plane non sunt legendi; quidam non nisi ab iis legendi sunt, qui cuncta rite discer-

nere

nere atque dijudicare possunt; legendi sunt, qui cujusque ingenio, & scopo, quem sibi constitutum habet, conveniunt; lectioni modus ponatur, ne aut memoria obruatur, aut vis judicii suffocetur; lectio semper cum meditatione & δοκιμασίᾳ sit conjuncta; ita denique instituatur, ut quæ usui nobis esse possunt, seligantur, diligenterque retineantur. Caput *quartum de propædevmatibus theologicis* maxime copiosum est, de quo generatim monemus, quod in isto Autor historiam non solum litterarum humaniorum, artis criticæ, oratoriæ, poeticæ, ipsius historiæ civilis ac litterariæ, sed etiam disciplinarum philosophicarum strictim tradiderit. Speciatim notatu digna sunt, quæ habet de controversiis ad linguam p. 117.
Græcam atque Hebræam & utriusque necessitatem spectantibus: neque non de certamine inter Conringium & Wasmuthum agi- 125.
tato. Namque cum autoritate Augusti, Ducis Brunsuicensis & Luneburgensis, administro Joanne Sauberto, consilia de nova Scripturæ sacræ versione Germanica adornanda caperentur, Conringius, socer Sauberti, institutum hoc probavit, atque arbitratus est, de versionibus ad textum Hebræum exigendis & corrigendis non adeo laborandum esse, cum mediocris etiam versio, eaque in multis a textu Hebræo discrepans, sufficiens sit, ut fideles Christiani ad vitam æternam deducantur. Punctis etiam vocalibus accentibusque non multum tribuit, atque affirmavit, nullum saluti creari periculum, si quis vel maxime contendat, codicem Hebræum corruptum hinc inde & depravatum esse. Huic igitur Conringio Wasmuthus se opposuit, quorum virorum scripta in hac controversia edita heic recensentur. Ubi Autor progreditur ad artem oratoriam, 157.
maxime commendat Quinctilianum, ac judicat de eo, quod, licet ethnicus fuerit, longe tamen rectius de eloquentia senserit, quam plurimi Christianorum, etiam eorum, qui omnino de eloquentia sacra præcipiant. In tradenda historia Poeseos copiose illustravit 161.
originem artis hujus, atque multa attulit, quæ ad Poesin sacram per- 168.
tinent. Quæ habet de Historia civili, de qua copiosissime dictum 176.
est, ad tria capita possunt revocari: primum tractat de methodo studii historici ordineque legendi historicos ac scriptores, qui methodum studii historici tradiderunt, recenset: deinde viam monstrat, quomodo notitia historicorum sit comparanda, ac denique

characteres boni historici significat. Historiam litterariam di-
stribuit in tres classes: in historiam litteratorum, historiam li-
p. 199. brorum & historiam artium & scientiarum, de quibus singulis iti-
dem fuse dictum est. Ad ultimam classem etiam refertur historia
217. philosophica, de qua ita agitur, ut non tantum scriptores, qui ge-
neratim de ea commentati sunt, indicentur, sed & speciatim de
singulis sectis tum scriptores præcipui, tum alia observatu digna
commemorentur. Quando de ipsa Philosophia tractatio institui-
tur, regulæ quædam præmittuntur ab illis observandæ, qui rite hic
progredi cupiunt. Istæ sunt sequentes: utilia & profutura ubique
237. consectanda sunt, nec vanis inanibusque inhærendum speculatio-
nibus; ex ipsa naturæ consideratione sapere, hoc demum est phi-
losophari; naturæ interpretes, seu philosophi, ita audiendi, ut
nullius in verba juremus, sed, cunctis accurate consideratis ponde-
ratisque, retineamus, quæ veritati maxime consentanea deprehen-
dimus; recentiores ita consulendi, ne contemnamus veteres; non
statim id pro optimo habendum est systemate, in quo cuncta bene
cohærent, sed quod phænomenis præcipuis explicandis sufficit, du-
biaque non secat, sed solvit; falluntur, qui, omnium *omnino* re-
rum se reddere posse rationem, existimant, &, ejusmodi *systema*
se invenisse, jactitant, in quo rationi nihil ignotum aut impervium
relinquatur; cavendum, ne rationi plus, aut minus, quam decet,
tribuamus; de sententia Philosophi cujusdam tum demum judi-
candum, si integrum ejus systema perspectum habeamus; notio-
241. nes unius disciplinæ caute ad aliam sunt transferendæ. Ipsa quo-
que singularum Philosophiæ partium historia traditur, ubi impri-
246. mis multa erudite dicta sunt de Theologia naturali, ejusque scri-
ptoribus, cum de illis, qui de spiritibus creatis eorumque operatio-
nibus exposuerunt, ubi & vetustiores & recentiores de hoc argu-
mento controversiæ occurrunt; tum de ipso Deo tractarunt, qui-
bus additi sunt, qui Theologiam hanc naturalem methodo, uti di-
citur, systematica exhibuerunt.

Nunc accedimus ad Librum posteriorem Isagoges hujus, cu-
jus caput *primum* exponit de *Theologia thetica*, sive *dogmatica*.
In principio illius Autor explicat nomina hujus Theologiæ, cum
modo *dogmatica*, modo *thetica*, sive *positiva* appellatur, simul-
que

quæ differit de diſcrimine inter Theologiam poſitivam & ſcholaſticam ex mente Pontificiorum. Fuerunt enim nonnulli, qui inter Theologiam poſitivam & ſcholaſticam hocce conſtituerunt diſcrimen, quod poſitiva nitatur tantum Scriptura ſacra & traditione Conciliorum & Patrum; ſcholaſtica vero his addat humanæ mentis ratiocinia, & quæ Philoſophia aliæque ſcientiæ ſuppeditant. p. 336.
Ubi progreditur ad hiſtoriam Theologiæ theticæ rite tradendam, obſervat, quod Symbolum Apoſtolicum pro compendio quodam aut theologico, aut catechetico, ab ipſis Apoſtolis condito, haud haberi poſſit, ac varia notatu digna monet de *Libro didaſcaliarum;* itemque cum oſtendit, quod in doctoribus eccleſiæ ſeculi 342.
ſecundi & tertii ſyſtematicæ methodi veſtigia haud deprehendantur, de Clementis Alexandrini libris ὑπολυπώσεων & Origenis libris quatuor περὶ ἀρχῶν. De ſcriptis doctorum eccleſiæ ſeculi 345. 377.
quarti & quinti obſervatur, quod in quibusdam lineamenta quidem inſtitutionum doctrinæ ſacræ occurrant, ſed tamen id, quod in methodo ſyſtematica præcipuum ſit, nondum inveniatur; qua occaſione copioſe dictum eſt de Cyrilli Hieroſolymitani catecheſibus, quæ obſervationes in addendis augentur. Cum in orientali 348. 812.
eccleſia Joannes Damaſcenus ſeculo octavo eam tractandi Theologiam ingreſſus eſt rationem, quæ proxime accederet ad ſcholaſtico-ſyſtematicam, copioſe heic Damaſceni hujus libri de *fide orthodoxa* recenſentur, ac de illis judicatur, quod, quamvis in opere hocce contineantur, quæ minime ſint contemnenda, occurrant tamen, quæ omnibus placere nequeant, imprimis quod ſuo exemplo alios invitaverit, ut in doctrina ſacra ſimplicitatem Chriſtianam migrarent & Theologiam ſubtilibus interdum, vanis & otioſis ſpeculationibus corrumperent. Addidit Autor ſententiarum collectores, & cum perveniret ad tempora recentiora, differuit de Philippo Melanchthone ejusque *Locis communibus:* de diverſis illorum editionibus harumque diſcrepantia: porro de fatis Theologiæ ſyſtematicæ inter Lutheranos: de ſtudio quorundam ex Pontificiis Theologiam ſcholaſticam emendandi; neque non de fatis Theologiæ hujus inter Reformatos, quarum obſervationum doctiſſimarum ſummam ſi vellemus exhibere, nimis eſſet copioſum. Quocirca convertimus nos ad caput *ſecundum* libri hujus, 355. 357. 383. 388. 404.

jus, quod agit *de Theologia symbolica*, atque itidem refertum est singulari apparatu doctrinæ theologicæ & litterariæ. Recenset Autor symbola ecclesiæ cum vetustiora, tum recentiora, istaque diligenter illustrat. Quod ad vetustiora attinet, deprehendimus heic multa notatu digna de Symbolo Apostolico, de quo probat,
p. 44. quod ab ipsis Apostolis conditum haud sit, sed ex formula baptismi solemni enatum, simulque adducit copiose scriptores de hocce symbolo. Cum magni momenti ac celebritatis sit symbolum Ni-
448. cænum, illius quoque historia accurate exhibetur, quam & habemus de symbolo Athanasiano, de quo Autor luculenter ac solide
451. ostendit, quod illud Athanasio perperam tribuatur. Sequuntur symbola, quibus controversiæ cum Arianis occasionem dederunt, quæ omnia justo ordine recensentur, item Symbolum Constan-
455. tinopolitanum, Symbola Pelagianorum, quorum nonnulla ab il-
463. lis edita sunt; sed maximam partem ad fallendos incautos comparata. Postquam hæc de symbolis vetustioribus copiose fuerunt exposita, Celeberrimus Autor ad symbola recentioris ætatis progreditur, quæ recenset hoc ordine, ut primum de Augustana Confessione, ceterisque ecclesiæ nostræ symbolis, deinde de symbolis ecclesiæ Romanæ propriis, tum de ecclesiæ Græcæ ac denique de Reformatæ ecclesiæ symbolis disserat, nec quidquam, quod ad historiam & ecclesiasticam & litterariam horum symbolorum pertinet, prætermittat. Caput *tertium* tractat de *Theologia Patristica*. Heic notatu digna sunt, quæ Autor habet de scriptoribus Patrum
587. notitiam suppeditantibus. De Patrum eruditione censet, quod ista
189. minime quidem contemnenda, ex istius tamen, quo vixerunt, temporis ratione æstimanda; atque probat, quod nonnulli illorum historiarum & antiquitatis non fuerint imperiti, in gentilium quoque scriptorum lectione haud perfunctorie versati. De Philo-
552. sophia illorum speciatim judicat, quod, quamvis Platonem quidam præ reliquis laudent ejusque approbent placita, reliquos tamen non plane contemnant Philosophos: unde dicendum sit, eos eclecticos potius, quam Platonicos fuisse, id quod exemplis diserte comprobat. Addit rationem, cur hisce doctoribus Physica displi-
562. cuerit, eam quippe, quod, qui Physicam ex gentilium Philosophis tractabant, eorum simul Theologi censebantur, & in libris, in qui-
bus

bus rerum naturalium principia explicabantur, simul de rebus divinis, de providentia, de immortalitate animæ, de quibus omnibus gentilium Philosophi plerumque longe aliter, quam Christiani sentiebant, agebatur. Post hæc copiose explicat originem Theologiæ Patristicæ atque notitiam suppeditat de Dionysii Petavii *dogmatibus Theologicis*, quod opus maxime laudat, simulque censuras, quas varii eruditi contra illud susceperunt, commemorat, quasdam illarum examinans, in quibus est judicium Huetii, qui judicaverat, quod ipsemet ex operis hujus lectione incertus dubiusque evaserit. Monet Autor noster, dubitandum esse, num Petavio, cui ad ἀκρίβειαν nihil defuerit, an potius Romanæ Ecclesiæ, quam secutus sit, de traditione, ceu fidei principio & fundamento, sententiæ hoc tribuendum sit. Nec minorem laudem merentur, quæ Autor singulari studio collegit atque observavit de illis, qui Augustini Theologiam exhibuerunt: de editionibus Patrum: de bibliothecis illorum. Id tantum ex capite hoc addimus, quod longiorem atque eruditam simulque modestam disputationem instituerit adversus Honorium de Sancta Maria, qui in *animadversionibus super regulas & usum artis criticæ* id occulte egit, ut artis criticæ usum in iis præcipue, quæ ad historiam Ecclesiasticam, Theologiam Patristicam & traditionem spectant, suspectum redderet. Ad ea igitur, quæ objecit Autor, Noster heic respondet, & legitimum artis criticæ usum vindicat; & de hoc argumento in addendis copiosius dictum est. Ordo nos ducit ad caput *quartum* de *Theologia morali*, Libri posterioris. In hoc capite pleniorem Theologiæ moralis historiam deprehendimus. Primum Autor disputat de Theologia morali Patrum; antequam vero ipsa Patrum, quæ huc spectant, scripta recenset, disserit de Barbeyracii præfatione Pufendorffiano operi præmissa, in qua istum de morali doctrina Patrum non adeo præclare sensisse constat. Adversarium nactus est Remigium Cellierium: quorum scripta Autor noster ita examinat, ut interdum Barbeyracius contra Cellierium defendatur, interdum vero & corrigatur. In hac tractatione de doctrina morali Patrum imprimis copiosus est in exponenda Theologia morali Augustini, cujus scripta, quæ huc pertinent, diligenter recenset; summam illorum exhibet, eumque, ubi salva veri-

P. 566. 579. 582. 589. 593. 599. 822. 636.

p. 11. *ad Theologiam poſitivam apparatum:* Joannis Mabillonii libros
de *Studiis Monaſticis*, quorum ſcriptorum non ſolum ſummam
exhibet, ſed etiam de iis judicat, atque imprimis controverſiam
20. & attingit, quæ Mabillonio cum Armando Joanne Bouthillerio Ran-
1797. ceo, Abbate Trappio, ſuper quæſtione: an monachis litterarum
14. ſtudia conveniant? interceſſit. De Hyperio obſervat, quod poſſet
dubitari, quo jure reformatæ Eccleſiæ doctoribus annumeretur,
cum Academiam Marpurgenſem, in qua docuit, eo tempore no-
ſtræ eccleſiæ ſacra ſecutam eſſe conſtet, ſimulque libri, quem de
ratione Studii Theologici ſcripſit, capita ſedulo recenſet. In eodem
capite diſſerit Autor de uſu & abuſu eruditionis in theologicis, at-
25. que imprimis explicat uſum & abuſum vocis *Theoſophia*, monet-
que, quod Theologia ſive accipiatur de doctrina, ſive de habitu,
utroque modo recte Theoſophia appellari poſſit: quamvis haud
negandum ſit, inter Theoſophiam & Theologiam hoc diſcrimen
conſtitui poſſe, ut per hanc aut cognitio ipſa rerum divinarum, aut
doctrina de iisdem deſignetur, per illam autem facultas ſive vir-
tus bona a malis diſcernendi & illa amplectendi, hæc fugiendi.
Hiſce expoſitis, addit quoque abuſum hujus vocabuli, atque ex hi-
ſtoria vetuſtiori & recentiori originem illius oſtendit. In capite
tertio libri hujus prioris, in quo tractat de *mediis, quibus Theolo-*
85. *giæ habitus comparatur*, deprehendimus copioſum indicem ſcri-
ptorum, ex quibus ſpeciatim librorum ſtudio theologico inſervi-
92. entium notitia haurienda, itemque characteres, quibus libri boni
a malis ſunt diſcernendi, cujusmodi ſunt: ſi argumentum, quod
Autor aliquis tractandum ſibi ſumſit, utile ſit, magnique momen-
ti; ſi plene illud tractaverit, nihilque eorum, quæ de illo ſcitu ne-
ceſſaria ſunt, omiſerit; ſi ſolide illud tractaverit, hoc eſt, ſi circa
principia & fundamenta rite conſtituenda ſollicitus potius fuerit,
quam circa ea, quæ curioſitati hominum blandiuntur; ſi ἀλλότρια
non admiſcuerit, & a digreſſionibus, nihil ad rem facientibus, ſe
abſtinuerit; ſi denique perſpicue & ſermonis genere puro, quan-
tum res ipſa permittit, & eleganti cuncta propoſuerit. Hiſce cha-
74. racteribus, qui illuſtrantur, additæ ſunt regulæ in librorum lectio-
ne obſervandæ, quæ ſequentes ſunt: quidam libri plane non ſunt
legendi; quidam non niſi ab iis legendi ſunt, qui cuncta rite diſcer-
nere

nero atque dijudicare poſſunt; legendi ſunt, qui cujusque ingenio, & ſcopo, quem ſibi conſtitutum habet, conveniunt; lectioni modus ponatur, ne aut memoria obruatur, aut vis judicii ſuffocetur; lectio ſemper cum meditatione & *δοκιμασία* ſit conjuncta; ita denique inſtituatur, ut quæ uſui nobis eſſe poſſunt, ſeligantur, diligenterque retineantur. Caput *quartum de propædevmatibus theologicis* maxime copioſum eſt, de quo generatim monemus, quod in iſto Autor hiſtoriam non ſolum litterarum humaniorum, artis criticæ, oratoriæ, poeticæ, ipſius hiſtoriæ civilis ac litterariæ, ſed etiam diſciplinarum philoſophicarum ſtrictim tradiderit. Spe-
ciatim notatu digna ſunt, quæ habet de controverſiis ad linguam p. 117.
Græcam atque Hebræam & utriusque neceſſitatem ſpectantibus:
neque non de certamine inter Conringium & Waſmuthum agi- 125.
tato. Namque cum autoritate Auguſti, Ducis Brunſuicenſis & Luneburgenſis, adminiſtro Joanne Sauberto, conſilia de nova Scripturæ ſacræ verſione Germanica adornanda caperentur, Conringius, ſocer Sauberti, inſtitutum hoc probavit, atque arbitratus eſt, de verſionibus ad textum Hebræum exigendis & corrigendis non adeo laborandum eſſe, cum mediocris etiam verſio, eaque in multis a textu Hebræo diſcrepans, ſufficiens ſit, ut fideles Chriſtiani ad vitam æternam deducantur. Punctis etiam vocalibus accentibusque non multum tribuit, atque affirmavit, nullum ſaluti creari periculum, ſi quis vel maxime contendat, codicem Hebræum corruptum hinc inde & depravatum eſſe. Huic igitur Conringio Waſmuthus ſe oppoſuit, quorum virorum ſcripta in hac controverſia edi-
ta heic recenſentur. Ubi Autor progreditur ad artem oratoriam, 157.
maxime commendat Quinctilianum, ac judicat de eo, quod, licet ethnicus fuerit, longe tamen rectius de eloquentia ſenſerit, quam plurimi Chriſtianorum, etiam eorum, qui omnino de eloquentia
ſacra præcipiant. In tradenda hiſtoria Poeſeos copioſe illuſtravit 161.
originem artis hujus, atque multa attulit, quæ ad Poeſin ſacram per- 168.
tinent. Quæ habet de Hiſtoria civili, de qua copioſiſſime dictum 176.
eſt, ad tria capita poſſunt revocari: primum tractat de methodo ſtudii hiſtorici ordineque legendi hiſtoricos ac ſcriptores, qui methodum ſtudii hiſtorici tradiderunt, recenſet: deinde viam monſtrat, quomodo notitia hiſtoricorum ſit comparanda, ac denique

characteres boni hiſtorici ſignificat. Hiſtoriam litterariam di-
p. 199. ſtribuit in tres claſſes: in hiſtoriam litteratorum, hiſtoriam li-
brorum & hiſtoriam artium & ſcientiarum, de quibus ſingulis iti-
217. dem fuſe dictum eſt. Ad ultimam claſſem etiam refertur hiſtoria
philoſophica, de qua ita agitur, ut non tantum ſcriptores, qui ge-
neratim de ea commentati ſunt, indicentur, ſed & ſpeciatim de
ſingulis ſectis tum ſcriptores præcipui, tum alia obſervatu digna
commemorentur. Quando de ipſa Philoſophia tractatio inſtitui-
tur, regulæ quædam præmittuntur ab illis obſervandæ, qui rite hic
237. progredi cupiunt. Iſtæ ſunt ſequentes: utilia & profutura ubique
conſectanda ſunt, nec vanis inanibusque inhærendum ſpeculatio-
nibus; ex ipſa naturæ conſideratione ſapere, hoc demum eſt phi-
loſophari; naturæ interpretes, ſeu philoſophi, ita audiendi, ut
nullius in verba juremus, ſed, cunctis accurate conſideratis ponde-
ratisque, retineamus, quæ veritati maxime conſentanea deprehen-
dimus; recentiores ita conſulendi, ne contemnamus veteres; non
ſtatim id pro optimo habendum eſt ſyſtemate, in quo cuncta bene
cohærent, ſed quod phænomenis præcipuis explicandis ſufficit, du-
biaque non ſecat, ſed ſolvit; falluntur, qui, omnium omnino re-
rum ſe reddere poſſe rationem, exiſtimant, &, ejusmodi ſyſtema
ſe inveniſſe, jactitant, in quo rationi nihil ignotum aut impervium
relinquatur; cavendum, ne rationi plus, aut minus, quam decet,
tribuamus; de ſententia Philoſophi cujusdam tum demum judi-
candum, ſi integrum ejus ſyſtema perſpectum habeamus; notio-
241. nes unius diſciplinæ caute ad aliam ſunt transferendæ. Ipſa quo-
que ſingularum Philoſophiæ partium hiſtoria traditur, ubi impri-
246. mis multa erudite dicta ſunt de Theologia naturali, ejusque ſcri-
ptoribus, cum de illis, qui de ſpiritibus creatis eorumque operatio-
nibus expoſuerunt, ubi & vetuſtiores & recentiores de hoc argu-
mento controverſiæ occurrunt; tum de ipſo Deo tractarunt, qui-
bus additi ſunt, qui Theologiam hanc naturalem methodo, uti di-
citur, ſyſtematica exhibuerunt.

Nunc accedimus ad Librum poſteriorem Iſagoges hujus, cujus caput *primum* exponit de *Theologia thetica*, ſive *dogmatica*. In principio illius Autor explicat nomina hujus Theologiæ, cum modo *dogmatica*, modo *thetica*, ſive *poſitiva* appellatur, ſimulque

que differit de discrimine inter Theologiam positivam & scholasticam ex mente Pontificiorum. Fuerunt enim nonnulli, qui inter Theologiam positivam & scholasticam hocce constituerunt discrimen, quod positiva nitatur tantum Scriptura sacra & traditione Conciliorum & Patrum; scholastica vero his addat humanæ mentis ratiocinia, & quæ Philosophia aliæque scientiæ suppeditant. Ubi progreditur ad historiam Theologiæ theticæ rite tradendam, observat, quod Symbolum Apostolicum pro compendio quodam aut theologico, aut catechetico, ab ipsis Apostolis condito, haud haberi possit, ac varia notatu digna monet de *Libro didascaliarum;* itemque cum ostendit, quod in doctoribus ecclesiæ seculi secundi & tertii systematicæ methodi vestigia haud deprehendantur, de Clementis Alexandrini libris ὑποτυπώσεων & Origenis libris quatuor περὶ ἀρχῶν. De scriptis doctorum ecclesiæ seculi quarti & quinti observatur, quod in quibusdam lineamenta quidem institutionum doctrinæ sacræ occurrant, sed tamen id, quod in methodo systematica præcipuum fit, nondum inveniatur; qua occasione copiose dictum est de Cyrilli Hierosolymitani catechesibus, quæ observationes in addendis augentur. Cum in orientali ecclesia Joannes Damascenus seculo octavo eam tractandi Theologiam ingressus est rationem, quæ proxime accederet ad scholastico-systematicam, copiose heic Damasceni hujus libri de *fide orthodoxa* recensentur, ac de illis judicatur, quod, quamvis in opere hocce contineantur, quæ minime sint contemnenda, occurrant tamen, quæ omnibus placere nequeant, imprimis quod suo exemplo alios invitaverit, ut in doctrina sacra simplicitatem Christianam migrarent & Theologiam subtilibus interdum, vanis & otiosis speculationibus corrumperent. Addidit Autor sententiarum collectores, & cum perveniret ad tempora recentiora, disseruit de Philippo Melanchthone ejusque *Locis communibus:* de diversis illorum editionibus harumque discrepantia: porro de fatis Theologiæ systematicæ inter Lutheranos: de studio quorundam ex Pontificiis Theologiam scholasticam emendandi; neque non de fatis Theologiæ hujus inter Reformatos, quarum observationum doctissimarum summam si vellemus exhibere, nimis esset copiosum. Quocirca convertimus nos ad caput *secundum* libri hujus,

p. 336. 341. 345. 377. 348. 812. 355. 357. 383. 388. 404.

jus, quod agit *de Theologia symbolica*, atque itidem refertum est singulari apparatu doctrinæ theologicæ & litterariæ. Recenset Autor symbola ecclesiæ cum vetustiora, tum recentiora, istaque diligenter illustrat. Quod ad vetustiora attinet, deprehendimus
p. 44. heic multa notatu digna de Symbolo Apostolico, de quo probat, quod ab ipsis Apostolis conditum haud sit, sed ex formula baptismi solemni enatum, simulque adducit copiose scriptores de hocce
448. symbolo. Cum magni momenti ac celebritatis sit symbolum Nicænum, illius quoque historia accurate exhibetur, quam & habe-
451. mus de symbolo Athanasiano, de quo Autor luculenter ac solide ostendit, quod illud Athanasio perperam tribuatur. Sequuntur symbola, quibus controversiæ cum Arianis occasionem dederunt,
455. quæ omnia justo ordine recensentur, item Symbolum Constan-
463. tinopolitanum, Symbola Pelagianorum, quorum nonnulla ab illis edita sunt; sed maximam partem ad fallendos incautos comparata. Postquam hæc de symbolis vetustioribus copiose fuerunt exposita, Celeberrimus Autor ad symbola recentioris ætatis progreditur, quæ recenset hoc ordine, ut primum de Augustana Confessione, ceterisque ecclesiæ nostræ symbolis, deinde de symbolis ecclesiæ Romanæ propriis, tum de ecclesiæ Græcæ ac denique de Reformatæ ecclesiæ symbolis disserat, nec quidquam, quod ad historiam & ecclesiasticam & litterariam horum symbolorum pertinet, prætermittat. Caput *tertium* tractat de *Theologia Patristica*.
537. Heic notatu digna sunt, quæ Autor habet de scriptoribus Patrum
189. notitiam suppeditantibus. De Patrum eruditione censet, quod ista minime quidem contemnenda, ex istius tamen, quo vixerunt, temporis ratione æstimanda; atque probat, quod nonnulli illorum historiarum & antiquitatis non fuerint imperiti, in gentilium
552. quoque scriptorum lectione haud perfunctorie versati. De Philosophia illorum speciatim judicat, quod, quamvis Platonem quidam præ reliquis laudent ejusque approbent placita, reliquos tamen non plane contemnant Philosophos: unde dicendum sit, eos eclecticos potius, quam Platonicos fuisse, id quod exemplis diserte comprobat. Addit rationem, cur hisce doctoribus Physica displi-
560. cuerit, eam quippe, quod, qui Physicam ex gentilium Philosophis tractabant, eorum simul Theologi censebantur, & in libris, in qui-
bus

bus rerum naturalium principia explicabantur, simul de rebus di-
vinis, de providentia, de immortalitate animæ, de quibus omnibus
gentilium Philosophi plerumque longe aliter, quam Christiani
sentiebant, agebatur. Post hæc copiose explicat originem Theo- p. 566.
logiæ Patristicæ atque notitiam suppeditat de Dionysii Petavii *do-* 579.
gmatibus Theologicis, quod opus maxime laudat, simulque cen-
suras, quas varii eruditi contra illud susceperunt, commemorat,
quasdam illarum examinans, in quibus est judicium Huetii, qui
judicaverat, quod ipsemet ex operis hujus lectione incertus dubi-
usque evaserit. Monet Autor noster, dubitandum esse, num Peta-
vio, cui ad ἀκρίβειαν nihil defuerit, an potius Romanæ Ecclesiæ,
quam secutus sit, de traditione, ceu fidei principio & fundamen-
to, sententiæ hoc tribuendum sit. Nec minorem laudem meren-
tur, quæ Autor singulari studio collegit atque observavit de illis,
qui Augustini Theologiam exhibuerunt: de editionibus Patrum: 582.
de bibliothecis illorum. Id tantum ex capite hoc addimus, quod 589.
longiorem atque eruditam simulque modestam disputationem 593.
instituerit adversus Honorium de Sancta Maria, qui in *animad-* 599.
versionibus super regulas & usum artis criticæ id occulte egit, ut
artis criticæ usum in iis præcipue, quæ ad historiam Ecclesiasti-
cam, Theologiam Patristicam & traditionem spectant, suspectum
redderet. Ad ea igitur, quæ objecit Autor, Noster heic respondet,
& legitimum artis criticæ usum vindicat; & de hoc argumento in 822.
addendis copiosius dictum est. Ordo nos ducit ad caput *quartum*
de *Theologia morali*, Libri posterioris. In hoc capite pleniorem
Theologiæ moralis historiam deprehendimus. Primum Autor
disputat de Theologia morali Patrum; antequam vero ipsa Pa-
trum, quæ huc spectant, scripta recenset, disserit de Barbeyracii
præfatione Pufendorffiano operi præmissa, in qua istum de mo-
rali doctrina Patrum non adeo præclare sensisse constat. Adversa-
rium nactus est Remigium Cellierium: quorum scripta Autor no-
ster ita examinat, ut interdum Barbeyracius contra Cellierium
defendatur, interdum vero & corrigatur. In hac tractatione de
doctrina morali Patrum imprimis copiosus est in exponenda
Theologia morali Augustini, cujus scripta, quæ huc pertinent, 636.
diligenter recenset; summam illorum exhibet, eumque, ubi salva

veritate fieri poteſt, ab accuſationibus Barbeyracii defendit. Hac parte hiſtoriæ Theologiæ moralis abſoluta, progreditur eum ad
p. 823. doctores ſcholaſticos, ſpeciatim ad Abælardum, de quo in addendis multa dicta ſunt; tum ad ſcriptores recentiores, ubi ea, quæ
652. beatus Lutherus de moribus Chriſtianorum præcepit, egregie illuſtrantur, ac iſta quoque obſervantur, quæ in Theologia morali
667. Reformatorum a nonnullis fuerunt deſiderata. Horum enim doctorum ſcripta moralia quibusdam ſuſpecta ſunt, quod ejusmodi principia foveant, quæ prima genuinæ doctrinæ moralis fundamenta evertere prorſus videntur, cujusmodi cumprimis illorum doctrina de abſoluto prædeſtinationis decreto eſſe cenſetur. Ea de cauſa ab utraque parte nonnulla ſcripta fuerunt edita, quæ Autor noſter memorat.
672. Exhibet quoque Hiſtoriam Theologiæ myſticæ, in qua lectu digna occurrunt, de Dionyſio Areopagita, de Thoma Kempiſio, de Joanne Arndtio, de Poireto, de Fenelonio, de libris pœnitentialibus. Subſequitur caput *quintum de Jurisprudentia eccleſiaſtica* Heic primum Autor conſiderat, quænam
742. Eccleſiæ a Chriſto inſtitutæ ſub ipſo Servatore & Apoſtolis fuerit indoles, qua occaſione diſſerit cum de canonibus Apoſtolorum, atque ea tradit, quæ de numero, tempore atque autoritate illorum diſputata fuerunt; tum de conſtitutionibus Apoſtolicis, quarum
746. hiſtoriam litterariam itidem exhibet. Progreditur ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſeculi ſecundi & tertii, ubi Conciliorum canones & horum collectiones in cenſum veniunt, inter quas ea, quæ Codicem canonum Eccleſiæ univerſæ exhibet, eminet, quam aliæ de-
750. inceps in Eccleſia orientali ſubſecutæ ſunt. Igitur Autor exponit de Codice canonum Eccleſiæ univerſæ atque non ſolum originem illius, verum etiam ſummam atque autoritatem cauſamque, cur
753. vocetur Codex canonum Eccleſiæ univerſæ, oſtendit. Ab hoc codice ſedulo diſtinguendus eſt Codex Eccleſiæ orientalis, de quo etiam multa dicta ſunt, ut & de origine & ſcriptoribus nomo-ca-
757. nonum. Quum in occidentali Eccleſia poſt Innocentii I Romani Epiſcopi tempora ſtudium colligendi Eccleſiæ Canones invaluerit, atque hac in re maxime enituerit diligentia Dionyſii Exigui; ſeculo vero nono impoſtor quidam ſub Iſidori nomine novam collectionem figmentis plenam orbi obtrudere auſus ſit, hæc capi-

ta

ta itidem ab Autore nostro multum sunt illustrata, qui & disserit de Collectione Canonum a Dionysio Exiguo instituta, & de Pseudo-Isidoro, & productis ab eo primum veterum Episcoporum Romanorum Epistolis decretalibus. Ad reliqua secula dum se confert, lectu digna proponit de Reginone, Abbate Prumiensi, qui primus in occidente canonibus conciliorum & decretis Pontificum adjunxit sententias Patrum & leges Codicis Theodosiani: p. 770.
porro de jure Canonico a Luthero combusto: de præcipuis autoribus, qui Acta Conciliorum collegerunt; de provocationibus, seu appellationibus, quas vocant, ad sedem Romanam, de quo postremo momento orta est disceptatio. Nonnulli enim antiquissimis etiam temporibus usitatum fuisse, ut ad Episcopos Romanos provocaretur, contendunt, quibus tamen alii & quidem cordatiores ex ipsis Romanensibus repugnant. Controversiæ hujus causa varia scripta ab utraque parte edita sunt, quæ Autor noster recenset. Hisce addidit defensores libertatis Ecclesiæ Gallicanæ, ac speciatim egit de scriptis ac controversiis Natalis Alexandri, Petri de Marca, Edmundi Richerii, simulque ostendit, quæ inter Venetos & Paulum V Pontificem de limitibus sacerdotii & imperii acriter sint disputata, ut taceamus de iis, quæ disserit ac suppeditat de limitibus potestatis Ecclesiasticæ inter Reformatos; de Hierarchia Ecclesiastica; de antiquis Pontificum Catalogis; de Philippi Mornæi *Mysterio iniquitatis*. Caput *sextum* tractat de *Historia Ecclesiastica*, in quo Autor agit primum de fontibus Historiæ Ecclesiasticæ veteris Testamenti, speciatim de Flavio Josepho; de scriptoribus, qui singulas Historiæ Ecclesiasticæ veteris Testamenti partes illustrarunt, ubi seorsim quædam dicit de Spenceri opere de *Legibus Hebræorum ritualibus*, atque illos adducit, quos hac in re præeuntes sibi quodammodo habuit, quique istum refutarunt. Deinde accedit ad scriptores Historiæ Ecclesiasticæ novi Testamenti, ac primo loco illos recenset, qui Historiam Ecclesiasticam novi Testamenti justis operibus complexi sunt, quam in rem accurate tradidit Historiam Centuriarum Magdeburgensium, easque contra Antonium Pagi defendit. Neque non illustravit originem & Historiam Martyrologiorum; indicem exhibuit scriptorum Hæresiologicorum veterum & recentiorum & antiquitatum Ecclesia-

Margin: 780. 1827. 772. 818. 828. 835. 843. 846. 868.

ſticarum. Hiſce dictis præcipua Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ novi Teſtamenti intervalla ſpeciatim conſiderat, fontesque ac documenta, ex quibus lux illis affundi queat, indicat. Primum, quod conſtituit, intervallum progreditur a Chriſto nato usque ad tempora Caroli M. ſecundum a Carolo M. usque ad Eccleſiæ reformationem, a Luthero ſuſceptam; tertium ab hac emendatione Eccle-
p. 943. ſiæ ad noſtra usque tempora. Scriptores, qui ad reformationis hujus hiſtoriam pertinent, revocavit ad tres claſſes. Recenſuit enim primum eos, qui ipſam reformationis hiſtoriam tradiderunt, aut quædam, quæ eo ſpectant, peculiaribus expoſuerunt commentationibus, tum eos, qui vitam resque geſtas beati Martini Lutheri, aliorumque, quorum miniſterio Deus in Eccleſia emendanda uſus eſt, deſcripſerunt; porro eos, qui generatim iſtorum, ut & ſequentium temporum, hiſtoriam ita condiderunt, ut ad res Eccleſiæ ſimul reſpicerent; quibus denique & illos adjunxit, qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam ad noſtra usque tempora deducere aggreſſi ſunt.

Caput *ſeptimum* agit de *Theologia Polemica.* Poſtquam Autor recenſuit concertationes Apoſtolorum virorumque Apoſtoli-
967. corum cum variis hæreticis, commemorat Apologias veteris Ec-
993. cleſiæ doctorum pro Chriſtianis, ubi multa diſſerit de Ignatio, Juſtino Martyre ejusque Dialogo cum Tryphone Judæo, ac quæ ſuper iſto exortæ ſunt, diſceptationibus eruditorum virorum: de Athenagora, Theophilo aliisque cum ſecundi, tum reliquorum ſeculorum ſcriptoribus Apologeticis. Poſt hæc diſſeritur de Phi-
1007. loſophis, qui Chriſtianæ religionis veritatem impugnarunt, iisque, qui Philoſophos quosdam gentilium Chriſto oppoſuerunt. Dum in hæreticis ſeculi tertii verſatur atque errores Manichæorum explicat, inter alia multa lectu digna obſervat de Archelao,
1027. Carrharum Meſopotamiæ Epiſcopo, qui gentilium Philoſophos judices in controverſia cum Manichæis eſſe voluit, id quod haud reprehendi poſſe Autor noſter putat, ſi ex principiis rationis, ſecundum quæ Philoſophi iſti tantum judicare poterant, diſputatio fuiſſet inſtituta, quemadmodum & omnino inſtitui poſſet. Quum vero præcipue Scripturæ ſacræ dictis utrinque pugnatum ſit, gentilium Philoſophi heic munere judicum haud fungi potuiſſe.

Ad-

Addit alia de hoc Archelao, de ejus indole mentis, deque, quos litteris consignaverat, libris. Quando ad reliqua secula progreditur, copiose exponit de Athanasio ejusque scriptis polemicis atque ob- p.1033.
servat, quid nonnulli desiderent in ejus methodo tractandi controversias. Ipse putat, quod concertationes cum Arianis feliciori successu processissent, nisi Hebreæ linguæ ignorantia obstitisset, quo minus Athanasius in dictorum Scripturæ, quæ Arianis opponebat, explicatione semper satis feliciter versaretur. Eadem dili- 1037.
gentia persequitur, quæ dicenda erant de Hilario Pictaviensi, aliis- 1045.
que, qui Arianos refutarunt: de Epiphanii Theologia Polemica: 1049.
de Augustino ejusque methodo disputandi: de Vincentio Leri- 1062.
nensi, de quo varia observatu digna heic occurrunt: deque con- 1071.
troversiis Pelagianis. Imprimis legenda sunt, quæ hac occasione de Augustino & certaminibus de ejus sententia ortis dicuntur. Augustinus enim gratiam adversus Pe[illegible]gianos asserendo non potuit omnem suspicionem evitare, quo m[illegible]us in contrarium quodammodo prolapsus errorem & absolutæ prædestinationi plus, quam decet, tribuere censeretur. Sed cum magna ejus semper in Ecclesia fuerit autoritas, disputatum acriter ad nostram usque ætatem fuit, aliis eum accusantibus, aliis defendentibus. Quæ igitur hac 1075.
in causa ab utraque parte scripta edita sunt, horum indicem exhibet Autor noster, atque addit, quomodo in certamine contra Pelagianos Pontificum Romanorum enituerit industria, quæve sint incommoda Theologiæ Polemicæ in controversiis cum Pelagianis vel maxime conspicua, cujusmodi etiam de certaminibus cum Nestorianis observat. Ex illis, quæ tradidit de scriptoribus polemicis seculi octavi & noni, imprimis commendanda sunt, quæ habet de Joannis Damasceni scriptis polemicis; de Agobardo, de quo o- 1098.
stendit, cur ille contra Judæos scripserit; de Paschasio Radberto; 1106.
de Berengario eorumque controversiis. Cur seculo decimo ter- 1143.
tio acrius, quam in præcedentibus, cum Judæis pugnatum sit, hanc causam indicat atque illustrat: apud Judæos quippe, per varias gentes dispersos, post Talmudis compositionem seculo sexto finitam subsecuta esse tempora sterilia; at cum in media ista nocte apud Arabes nova lux bonarum artium orta fuerit, ex Judæis quoque haud paucos ad litterarum studia tractanda se accinxisse.

Hinc ſeculo decimo & ſequentibus præſtantiſſimi in omni doctrinæ genere inter eos exſtiterunt doctores. Quumque hactenus in oriente maximam partem commorarentur; ſeculo undecimo contigit, ut Babylone expulſi, ſcholisque ſuis ſpoliati, magno agmine in Europam, præſertim in Hiſpaniam, ſeſe reciperent. Novam hinc paſſim certaminum cum Judæis occaſionem ſuppeditatam fuiſſe Chriſtianis, Autor obſervat. Explanat quoque rationem
p. 1147. controverſiarum inter Eccleſiam Orientalem & Occidentalem ſe-
1157. culo decimo tertio & decimo quarto, atque adducit lepidam pro-
1175. bationem Joannis de Raguſio, quod ſacra Cœna ſub una tantum
1172. ſpecie ſit adminiſtranda, quoniam in oratione dominica a Deo panem noſtrum quotidianum petamus; per panem autem intelligatur corpus Chriſti, quod in Sacramento Altaris accipiamus, & quum Chriſtus nullam mentionem fecerit potus & vini, manifeſtum ſit, quod ſufficiat panis: alioquin inſufficienter Chriſtus ſuos diſcipulos docuiſſet orare. Quæ diſſerit de ſcriptoribus ſeculi
1182. decimi quinti, inter alia de Hieronymo a Sancta Fide, quædam obſervatu digna continent. Quum ſe contulerit ad tempora recentiora, primum enarravit ſcripta polemica noſtratium Theologorum, imprimis beati Lutheri & Philippi Melanchthonis; deinde Pontificiorum, ubi multa collegit de Roberto Bellarmino, de Jacobo Perronio, de Jacobo Benigno Boſueto, de Antonio Arnaldo: de autoribus, qui Eccleſiam Romanam cum noſtra conciliare voluerunt, deque methodiſtis: denique Reformatorum, in qua parte commemorata ſunt diligenter ſcripta polemica Joannis Calvini, Theodori Bezæ, Jacobi I Angliæ Regis & præcipuorum tum in Belgio, tum in Anglia Galliaque Theologorum, ut taceamus de iis, quæ ſpeciatim ad controverſias cum Pontificiis, Reformatis, Socinianis, Fanaticis aliisque ſpectant, & heic fuſe propoſita ſunt. Reſtat ultimum caput ſive *octavum* de *Theologia exegetica*. Heic
1443. copioſe diſputatur de libris Canonicis veteris Teſtamenti eorumque autoribus: de lingua eorum originali: de præcipuis Codicis Hebræi editionibus ac de omnibus eruditorum controverſiis,
1480. quæ de hiſce capitibus ſunt exortæ. Pari ratione de Codice Græco novi Teſtamenti agitur & cumprimis Hiſtoria conſtituti Canonis
1509. traditur: præcipuæ veteris & novi Teſtamenti verſiones enarrantur,

tur, ac cumprimis verſiones Græcæ, quæ ſeptuaginta Interpretum dicitur, Hiſtoria exhibetur, & cum inter Latinas *vulgata*, quæ vocatur, emineat, quæ ejus ratio ſit, exponitur, ac denique fuſe diſſeritur de translatione Germanica beati Lutheri. Hiſce præmiſſis, Autor labores exegeticos virorum eruditorum enarrat. In hac Hiſtoria primum commemorantur ſcripta exegetica Patrum, præſertim Origenis, Euſebii, Auguſtini, Hieronymi, Caſſiodori, quibus adduntur, qui librorum quorundam Biblicorum metaphraſes dederunt, & ſimul agitur de catenis Patrum. Sequitur Hiſtoria Theologiæ exegeticæ apud Judæos, ubi varia tradita de Karaitis. Recentiori ætate inſignia ſunt merita beati Lutheri in hanc Theologiæ partem, quæ ut & Joannis Brentii aliorumque Eccleſiæ noſtræ Theologorum Autor prædicat, ſeque, poſtquam hoc labore feliciter perfunctus eſt, convertit ad recenſendos libros exegeticos Pontificiorum, ubi cumprimis diſſerit de Cornelio a Lapide, item Reformatorum, ubi ſpeciatim multa dicta ſunt de Bibliis criticis. Quo pacto apud Reformatos per Joannem Coccejum alia exorta ſit Theologiæ exegeticæ facies, ac qualis Theologiæ Propheticæ a Coccejanis maxime cultæ ſit ratio, itidem fuſe declaratur, quod & in aliis argumentis factum eſt, de typica Scripturæ explicatione, itemque de Hugonis Grotii & Joannis Clerici laboribus exegeticis. Denique in hoc capite deprehendimus elegantem atque accuratam Hiſtoriam ſcriptorum harmonicorum, præſertim quoad quatuor Evangeliſtas, ac Concordantiarum Biblicarum. Prout ex hiſce ſpeciminibus, quæ ex Iſagoge hac, opere ſane præſtantiſſimo, dedimus, facili negotio colligi poteſt, quantus apparatus doctrinæ divinioris ac Hiſtoriæ litterariæ aliarumque ſcientiarum in iſta ſit collectus; ita omnia ea ſcribendi ratione ſunt tradita, quæ celeberrimi Autoris eſt propria, id eſt pura, perſpicua atque eleganti. Præterea tam nitide atque accurate opus hocce impreſſum eſt, ut vix in illo quædam operarum errata deprehendantur. Meritorum igitur, quibus S.R. Autor noſter jam per plures annos & Eccleſiam purioremque religionis noſtræ doctrinam ac rem litterariam egregie exornavit, ut & celebritatis nominis per Iſagogen hanc inſignis facta eſt acceſſio.

p.1517. 1543. 1624. 1635. 1672. 1720. 1727. 1738. 1765.

PHÆDRI,

PHÆDRI, AUGUSTI LIBERTI, FABULArum Æsopiarum Libri V, cum novo Commentario PETRI BURMANNI. Accessit Epistola Critica Anonymi de BENTLEJI Emendationibus Phædri.

Leidæ, apud Sam. Luchtmans, 1727, 4.
Alph. 2 pl. 12.

POst tres editiones Phædri, quas diversis temporibus in lucem emisit Celeb. *Burmannus*, haud facile novum hunc Commentarium adornare in animum induxisset, nisi ortæ haud ita pridem Criticorum duorum in Anglia concertationes & in Phædro tentatæ emendationes eum excitassent. Vix ediderat Vir summus *Rich. Bentlejus* Phædrum suum, Terentio annexum, cum Anonymus quidam, quem *Franciscum Harium* esse nonnulli suspicantur, Epistola Critica omnes Bentleji notas & emendationes expenderet, plerasque rejiceret, earumque loco alias substitueret. De utroque scripto, & Phædro Bentleji, & Anonymi Epistola Critica, (quæ & novæ huic Burmannianæ editioni subjuncta est, sed nunc a nobis silentio transmittetur) diximus in Actis hujus anni M. Jan. p. 18 & 22. In utroque autem audacter nimis Phædrum suum emendatum videbat Celeb. Burmannus. Indignabatur, vulgatam lectionem toties sine causa rejectam esse, ipsas conjecturas tam nudas proponi, denique MSptorum Codicum, & olim impressorum nullam fere rationem haberi, sed ab utroque Viro docto conjecturis nimium quantum tribui. Hac re impulsus novum hunc Commentarium concinnavit, quo veterem lectionem contra novas conjecturas late tuetur ea modestia, quæ debetur summo Critico & amico veteri Bentlejo, eaque eruditione, quæ jam pridem litterarum elegantiorum cultoribus nota est. Et ne forte exemplum hoc Anglorum Criticorum in magnum Reip. litterariæ detrimentum vergeret, eruditam Præfationem præmisit, qua & consilium suum pluribus tuetur, & contra Criticam temeritatem egregie disputat: quam ut omnes ferociores & audaculi hujus artis alumni legant, optamus. Rumor quidem fuit, Celeb. Bentlejum, facto Burmanni vehementer accensum, multa illi mala minari: sed humani-

manitas & modestia optimi Burmanni, qua in examinandis aliorum conjecturis usus est, cum satis munire videntur: neque adeo verosimile est, Bentlejum hanc operam Amici in pessimam partem posse accipere. Aliud etiam meritum eruditæ Præfationis memorare debemus. Absoluto jam Phædro nunciatur Celeb. Editori ab erudito Batavo, in Italia cum maxime degente, *Jacobo Philippo Dorvillio*, repertum illic esse codicem Perotti, cui Fabulæ quædam Phædri, licet mutilæ, insertæ sint. Triginta fere erant, quas omnes una cum aliis eodem codice comprehensis descriptas ad Burmannum misit Dorvillius. Harum varias lectiones Præfationi subjunxit, quæ multas emendationes Heinsii, Gudii, Gronovii aliorumque confirmant. De Commentario ipso hoc dicimus, cum vere novum, ut Celeberr. Autor nominat, esse: adeo parum aut nihil potius cum observationibus, quas olim vulgavit, commune habet. Non autem tantum ad loca, tentata ab aliis & sollicitata, multa contulit; sed etiam ubi aliæ dictiones singulares, aut obscuriora quædam, quæ ad ipsas Fabulas pertinent, occurrebant, operam suam desiderari non passus est Burmannus, quin ex antiquis Latinis Græcisque scriptoribus lucem fœneraretur. Ad genus posterius annotationum ea imprimis pertinent, quæ principiis Fabularum plerarumque ex diversis scriptoribus adjecta sunt, ut Lib. IV Fab. II, III, VII, VIII, & passim: nec non quæ Lib. III Fab. XIV v. 4 de *Derisore*, Fab. III v. 1 de *usu perito*, & aliis infinitis, ut & de sensu historico aliquot fabularum hic illic notantur. Hoc etiam addendum est, hic illic conjecturas suas eruditissimum Editorem attulisse, quæ non improbandæ videntur: obiter etiam semel atque iterum aliorum autorum loca emendasse. Sed id non agimus, ut omnia laudabilia hujus editionis conquiramus: cum inter omnes jam abunde constet, qualia a politissimo ingenio in hoc litterarum genere proficisci soleant. De priore tamen notarum genere, quibus vetus scriptura contra novas sollicitationes vindicatur, necessario quædam dicenda sunt, ut appareat, quam bene hæ vindiciæ cesserint. Lib. I Fab. I v. 3 Bentlejus cum Rittershusio maluit: *tunc* fame *improba Latro incitatus*, sed rectissime Burmannus MS. lectionem: *fauce improba incitatus* tuetur, quam diversa ex ratione defendebat Anony-

 mus.

mus. Fab. II v. 14, *vadi motu*, & v. 22, *alium* rogantes *regem misere ad locum*, pro Bentleji *vadis* & *rogatum* servat. Fab. IV v. 4 non improbat Bentleji emendationem, quam & suam facit Anonymus: *Aliamque prædam ab alio* cane *ferri putans*; meliorem tamen putat eam, quam Cl. Cuninghamius ex Nilantiano scriptore hausit:

Aliamque prædam ab altero *ferri putans.*

Fab. V v. 7 scribebat Bentlejus: *Ego primam tollo* nomine hoc, *quia* sum *leo*; at Burmannus ex Nilantiano Anonymo, unica tantummodo littera addita, succurrit vulgatæ: *Ego primam tollo partem, quia* dominor *leo*: Gudii conjecturam alteram: *nominor quia Creon*, plane rejicit, & applaudit alteri: *nominor* Rex *quia Leo.* Fab. VI ineunte emendabat Bentlejus: *Vicini* ut *furis celebres vidit nuptias Æsopus*, sic *continuo narrare incipit.* Hoc displicuerat Anonymo Bentleji censori, & Burmannus probe docuit, neque Phædri concisum naarrandi modum, neque Ovidii aliorumque mores has particulas admittere, sed recte vulgatam habere: *Vicini furis c. vidit. n. Æsopus*, & *continuo narrare incipit.* Fab. XI princ. Bentlejus reposuit: *Virtutis expers, verbis jactans* gloria *Ignotos fallit*; sed interpretatione vulgatum: *verbis jactans gloriam*, tuetur Burmannus. Fab. XIII v. 2 malebat Bentlejus ex MS. & edd. primis: *Fere dant pœnas turpi pœnitentia*, sed Burmannus aliorum: *Seræ dant pœnas turpes pœnitentiæ*, præfert, & bene ipsam pœnitentiam pœnam esse ait, sed exempla: *pœnas oppetere superbiæ, pœnas pendere erroris* &c. diversa omnino sunt a Phædri locutione, & sensu, quem notavit Cl. Editor. Lib. II Fab. I v. 12 emendabat Bentlejus: *Verum* hodie *aviditas dives est, pauper pudor*, sed id nulla specie factum esse, affirmat Burmannus, qui vulgatum: *Verum est aviditas dives, & pauper pudor*, servat. Fab. IV princ. malebat Bentlejus: *Aquila in* suprema *quercu nidum fecerat*, quia sequitur *media* & *ima* quercus. Sed Burmannus vulgatam: *in sublimi quercu*, defendit. Verum enimvero non adeo occupatus est amore vulgatæ lectionis Cl. Burmannus, ut nunquam eam vitiosam judicet: sed hic illic etiam emendationes Bentleji aliorumque laudat. Præterea & de reliquis interpretibus, eorumque curis, ut de Jac. Gronovio, Gudio, Hoogstra-

tano,

tano, Richtero aliisque judicium suum attulit, adeoque in omnem partem, ut solet, optime de Phædro suo promeritus est.

TIBULLUS CORVINIANUS, SEU ALBII TIBULLI Triumviri Poetices, quæ supersunt. E Codice MS. Matthiæ Corvini Regis Hungariæ recensuit SAM. KOELESERIUS a KERES-EER.

Claudiopoli, impressit Samuel Pap Telegdi, 1727, 8.
Plag. 5.

INter illas causas, quæ Illustrem *Kœleserium* impulerunt, ut hunc Tibullum luci exponeret, primaria fuit, quod inciderit in MSptum Codicem Tibulli, ex libris, qui quondam Matthiæ Corvini Regis Hungariæ fuerunt. Hunc quia ab editione principe Veneta, quam solam tunc in manibus habebat, multum discrepare animadvertebat, operæ pretium se facturum credidit, si Tibulli contextum ita, ut in dicto codice exstat, eruditis repræsentaret. Inde & appellatio *Tibulli Corviniani* fluxit: quanquam & propter Corvinum Messallam, in cujus contubernio Tibullus aliquando fuit, Poetam hoc veluti cognomen mereri, censeat Illustr. Editor. Aliam inscriptionem, quæ erat in codice: Tibulli *equitis Regalis*, recte errori tribuit librarii, qui forte nullos, nisi Regales noverat equites, & litteram R, quæ *Romani* notabat, non melius, quam per *Regalis* interpretari poterat. Ejusdem inventum est titulus: *Triumviri Poetices*; cum fortasse Triumvirum Amorum vocare voluisset. Codicem ipsum Corvinianum non valde vetustum, sed ipsa editione Veneta viginti circiter annis juniorem esse, ex Præfatione discimus. Nihilo minus scripturæ ejusdem, & maxime ordo versuum, qui mirum quantum ab recentioribus editionibus passim diversus est, non semper rejicienda videntur. Nempe jam Jos. Scaliger de turbato versuum ordine in Tibullo conquestus est, & multum sibi placuit, quod confusionem istam ipse primus, in prima potissimum Elegia, sustulerit. Ex hoc genere quædam afferre, institutum nostrum non patitur: at lectionum aliquot diversitates, speciminis causa, adscribemus. Eleg. I v. 74 Codex Corvinianus habet: *Et tenear moriens deficiente manu;*

manu; ſed melius vulgatæ edd. *te teneam moriens deficiente manu.* Eleg. II v. 54 ille: *ter dictis* exſpue *carminibus;* at vulgatæ: *deſpue.* Eleg. III v. 34 ille: *maſcula tura*, more Maronis: quod etiam Brockhuſius ex duobus MSS. annotavit, vulgato tamen *menſtrua tura* non prætulit. Eleg. IV v. 7 ille: *Bacchi reſpondit ruſtica pubes;* vulgo: *reſpondet r. proles.* Verſ. 38 habet *picea ferrugine*, non *picta:* illud in quatuor MSS. etiam Heinſius reperit. Eleg. VI v. 4, quæ tamen Elegia in MS. ſuperiori quintæ, ut in Scaligeri, Grævii aliisque edd. factum eſt, annectitur: *Admonuit domina* deſtituit*que Venus*, pro vulgato: *deſeruitque Venus*, quæ verba perpetuo a librariis confunduntur: qualis & illa varietas eſt Eleg. VII v. 46: *Et fluit effuſo cui toga laxa ſinu*, ubi editiones: *Effluit.* Eadem Eleg. v. 78 memorabilis lectio occurrit: *propria proripiarque manu*, ubi vulgatæ: *properus proripiarque vias*, Brockhuſius ex conjectura Heinſii: *pronas per rapiarque vias.* Ex his jam ſatis apparet, non male collocaſſe operam ſuam Illuſtr. Editorem, cum ſcripturam Corviniani Tibulli publici juris fecit, omnesque, qui interiores litteras amant, vel propterea ſtudio illi favebunt, quod Virum illuſtri dignitate conſpicuum, in ultima Dacia rebus agendis aliquod tempus ſubtrahere videant, quo de politiore litteratura bene mereatur; multo magis ſibi devincturum harum literarum ſtudioſos, ſi Catullum quoque & Propertium Corvinianum, ut ſpem fecit, pari modo in publicum emittat.

MISCELLANEA BEROLINENSIA, AD INcrementum Scientiarum ex Scriptis Societati Regiæ Scientiarum exhibitis edita Continuatio II, cum figuris & Indice materiarum.

Berolini, ſumptibus Ambroſii Haude, 1727, 4.
Alph. 1 pl. 21.

PRimam hujus Operis Continuationem recenſuimus in Actis noſtris A. 1723 p. 521 & ſeqq. Prodiit nunc ſecunda, in tres partes diſtributa; quarum una continet res Phyſicas & Medicas, in priori Continuatione omiſſas; altera Diſſertationes Mathematicas

ticas & Mechanicas, tertia literarias. In Parte prima primum locum occupant *D. Aug. Buddei* Obſervationes Anatomicæ ſelectiores quatuor; de Fabrica Sinuum Cranii, eorumque aperturis in Cava Narium; de ſectione Maniacæ & in ea reperto Ovario intus Steatomatoſo-piloſo; de Excreſcentia ſcirrhoſa piriformi adhærente externæ ſuperficiei fundi uteri; de Colica lethali ex rupto Apoſtemate ſub Diaphragmate, convexam hepatis partem occupante. Sequitur *J. H. B.* Med. Doctoris Annotatio de polline plantarum, ex epiſtola ad Amicum, cum Excerpto ex Reſponſione. *J. L. Friſchius* novam rationem proponit ſolvendi quatuor poſteriores verſus ænigmatis Baſilii Valentini, cujus Tomo I horum Miſcellaneorum mentio facta eſt. Idem ſingularem & antea inauditum oſtendit modum, quo renovare corticem arborum fructiferarum ſolitus eſt cum optimo ſucceſſu Vir Generoſiſſ. *de Hüneken.* Is, inquit, ſi quam pomorum aut pirorum videt cortice aſperiore, aut ceraſum reſinam exſudantem & tuberibus deformem, vel alia quacunque ratione ſuſpectam, qua fœcunditas arboris propter corticis defectus impeditur, aut ſequentibus annis impediri, vel ſtipitis pulchritudo maculari poſſit, non vulgari modo de ſanitate earum ſollicitus eſt; non partem aliquam exterioris corticis ſolvit & aufert; non reſcindit nodulos & emplaſtris vulnus curat; non venas ſecat; ſed, quod mireris, totius ſtipitis corticem, a primo ſive inferiori ramo, vel a corona primorum ramorum, quam inferiores ſcienter cultarum arborum rami formant, usque ad terram detrahit. Et quidem non tantum exteriorem & duriorem, ſed & interiorem & ſubtiliorem fibram, ita ut album lignum, ablatis etiam tenuiſſimis & viridioribus fibris, ubique æque appareat. Circa quam curandi methodum ſequentia notari debent: 1) *Tempus ſolſtitii æſtivi obſervetur*, quo tempore ſuccus arboris liquidior & copioſior fluit; habita ſimul ratione ſitus horti vel loci arborum, quia in ſitis verſus meridiem citius fluere incipit ſuccus, alibi tardius. 2) *Cortex omnis in ſtipite detrahatur;* inæqualitas enim manentis & renaſcentis partis arborem valde deformem redderet. 3) *Succus exſudans penna anſerina æquetur, ubicunque ſtagnat, & ad ſpatia nondum tecta trahatur.* 4) *Ne Solis æſtus hæc ſucci effluvia impediat, umbra*

 ſtipiti

stipiti nudato fiat; potissimum in parte meridionali, expansis linteis, vel connexis & erectis arundinibus, vel quocunque alio modo pro loci commoditate; eodemque pacto etiam ventorum impetus arceatur, ne pulvere vel arena noceant. 5) *Absint denique omnia, quæ tactu quocunque novum & adhuc mollem corticem maculare possint,* cujus teneritas tanta est, ut vel minima frictione lædatur. Idem *J. L. Frischius*, qui Descriptionem Insectorum Germaniæ suscepit, & imprimis Marchiæ Brandenburgicæ, jamque Partes V hujus laboris edidit, Indicem hoc loco Historiæ suæ Insectorum exhibet. Sequuntur ejusdem Autoris Observationes variæ, de Eruca Canalicola, & de Papilione qui ex ea fit; de Insecto, quod foliorum pediculos, gallice *pucerons*, vocant; de Ispida sive Halcyone; de tæniis in anserum intestinis, itemque in piscibus, avibus & muribus; de Anatomia lumbricorum in visceribus, ad confirmandam hypothesin, lumbricos illos esse larvas seu (ut vocant) nymphas tæniarum. Has Observationes excipiunt nonnullæ relationes & meditationes *G. Holstii*, *Casp. Neumanni*, & Autoris anonymi, de aqua per putrefactionem rubra, vulgo pro tali in sanguinem versa habita. Sequentes paginas occupant, *Ern. Conr. Holzendorffii* Observatio Practico-Chirurgica, de inflammatione oculi, cum carie orbitæ; Excerptum ex *M. D. Johrenii* Dissertatione inedita, de novo hygroscopio, quod ex semine Geranii mediæ magnitudinis & cauda dotato (quale est Geranium Cicutæ folio moschatum) confecit; *Casp. Neumanni* Disquisitiones de camphora, de experimento perquam usitato sed plane falso, probandi spiritum Vini Gallici, (infunditur scilicet solutio martis in acido vitriolico, quo facto flavus color spiritus vini in cœruleum mutatur, quod idem in spiritu frumenti effici posse docet Autor, si illi antea color flavus spiritus vini, ope vegetabilis adstringentis, imprimis ligni quercini, fuerit conciliatus) & de spiritu urinoso caustico; *N. Spiessii* Eductio salium vegetabilium magis Essentialium, per spiritum vini rectificatissimum; *Jo. Henr. Pott, M.D.* Historia Experimentorum & Φαινομένων in solutione calcis vivæ cum spiritu nitroso occurrentium; tandemque *Jo. Jac. Scheuchzeri* Observationes Meteorologico-Medicæ.

In

In Parte secunda primo loco comparent Observationes *Jac. Hermanni* in schediasma, quod Dom. *Rolle* cum hac Inscriptione: *Eclaircissements sur la Construction des Egalitez*, in Commentariis Academiæ Regiæ Scient. 1708 edidit. His proxima est *C. G. Hertelii* methodus, alibi & peculiari libro ab Autore jam exposita, qua lentes parabolicæ, hyperbolicæ & ellipticæ, facili negotio elaborari atque poliri possunt. *Christfried Kirchius* de Diametro Jovis apparente, de antiquissima Observatione Astronomica, scilicet notabili illa Conjunctione Planetarum, sub Chuen-hio Sinarum Imperatore facta, de variis Conjunctionibus & occultationibus stellarum, de latitudine Brandenburgensi & Hamburgensi, de declinatione magnetis A. 1725 Mense Jun. observata, de Cometa, qui apparuit A. 1718, deque illius longitudine, latitudine, declinatione, ascensione recta, culminatione, ortu & occasu, velocitate, distantia a terra, perigæo, & parallaxi, tandemque de Eclipsi Lunæ totali A. 1725, diligenter atque accurate disserit. *Phil. Naudæus*, Senior, Collectionem notarum quarundem affert, Geometriæ practicæ facilitatem afferentium. Junior vero *Naudæus* sequentia tria theoremata demonstrat. Primum ad Geometriam practicam seu rectilineam spectans atque ab Ozanamo sine demonstratione exhibitum ita sese habet: *Additis in unam summam quatuor Quadrilateri circulo inscripti lateribus, de dimidia summa seorsim tollatur quodvis latus, & in se invicem multiplicentur quatuor illi excessus, ut in producti illius planoplani radice quadrata obtineatur area quæsita.* Longam hujus propositionis demonstrationem excipiunt duæ breviores duorum theorematum ad Arithmeticam infinitorum pertinentium: quorum alterum hoc est, *summam seriei infinitæ quartarum potentiarum numerorum naturalium a cifra incipientium, se habere ad totidem terminos maximo æquales ut 1 ad 5:* alterum istud, *summam seriei infinitæ quintarum potentiarum se habere ad totidem terminos maximo æquales ut 1 ad 6.* Hæc duo theoremata nec geometrice nec algebraice, sed eodem fere modo, quo usus est Celeb. Wallisius pro potentiis inferioribus, per inductionem demonstrat Clariss. Autor; scilicet ostendendo, quo plures seriei termini sumantur, eo propius illorum summam, respectu summæ totidem ter-

terminorum maximo æqualium, ad rationem commemoratam accedere; id quod subducto rite calculo ante oculos ponit. Atque *sic tandem*, inquit, *patet veritas Propositionis Wallisianæ pro potentiis quartis & quintis, quam in Tractatu suo de Arithmetica Infinitorum tradidit, opere sane omni laude majori; etenim vero est simillimum, huic potissimum deberi nunquam satis demirandum opus Illust. Newtoni de Quadratura Curvarum*, - - - *Tractatum autem illum de Quadratura Curvarum* (ita pergit Cl. Naudæus) *quem summum quendam humani ingenii apicem vere dixeris, paucis extra Angliam rite perspectum intellectumque fuisse, multa sunt quæ mihi persuadent.* - - - *Docet enim peregregius libellus, quantitatum integrabilium omnium Integrales restituere, cum interim videam, maximi nominis Mathematicos tantum desudasse circa illam materiam, nec dum alium dari quempiam, qui completum calculi integralis Tractatum ediderit.* Ceterum *quod ad illas differentiales attinet* (sunt etiamnum verba *Naudæi*,) *quarum Integrales terminis numero finitis Algebraicis exprimi nequeunt, nonnullarum quidem docet laudatus liber reddere atque exprimere Integrales, per areas sectionum conicarum; hic autem, ubi desinit Illust. Newtonus, incepit invito nimis atque immaturo fato præreptus Cl. Rogerus Cotesius, in aureo illo suo de Harmonia mensurarum tractatu. Cujus perinde ut prioris Tractatus mihi nuper explicationem conscribere contigit, olim forte, si qua tulerit occasio, publici juris faciendam.* Hæc Vir doctissimus; qui deinceps, ne forte nimiis laudibus horum Tractatuum præstantiam extulisse videatur, aliquo id exemplo comprobare satagit, dum scilicet, coronidis loco, Problema quoddam proponit, universaliter ac serie transscendentali solutum, cujusque solutionem omni alii integrandi viæ vix perviam, atque illi de *Quadratura Curvarum* Tractatui potissimum esse debitam, pronuntiat. Est autem Problema hujusmodi: *Quæritur arcus rectificatio, sive recta linea, geometrice æqualis arcui Parabolico, ab axis vertice ad quamlibet usque ordinatim axi applicatam intercepto, cujus quidem Parabolæ natura hac æquatione possit exprimi,* $x^{m} = a z^{m-1}$, *ubi* m *designat integrum numerum quemvis imparem; id est, parabolarum omnium, in quarum*

æqua-


æquatione Index dignitatis ordinatim applicatæ ſit integer numerus quilibetcunque impar, abſciſſæ autem dignitas ſit idem ille numerus unitate minutus. Solutio hæc eſt: Si ponatur $P = \frac{mm - 2m + 1}{mm}$; $Q = \frac{x}{a}$; $n = \frac{m-3}{3}$; $r = \frac{2}{m-1}$; F æquale producto terminorum omnium poſitivorum in ſe invicem ductorum, m; m − 2; m − 4; m − 6 &c. atque A æquale producto terminorum omnium negativorum in ſe invicem ductorum, 3-m; 5−m; 7−m &c. erit ſemper linea recta propoſito cuicunque arcui parabolico geometrice æqualis, $-\frac{Am}{F}\,a \times P^{n:2} + \frac{1}{2}\,am\,r\,(P + Q^r)^3$ ductum in $\frac{2AP^{n} - \frac{3}{2}BP^{n-1}Q^r - \frac{5}{4}CP^{n-2}Q^{2r} - \frac{7}{6}DP^{n-3}Q^{3r} - \frac{9}{8}EP^{n-4}Q^{4r}}{F}$ &c. Illa autem ſeries, quæ ſemper converget, eatenus eſt Newtonianis ſeriebus ſimilis, quod hic quælibet quantitas B, C, D &c. ſemper deſignet coefficientem integrum termini immediate præcedentis, atque ita B = 2 A; C = $-\frac{3}{2}$ B; D = $-\frac{5}{4}$ C &c. At contra hæc ſeries a Newtonianis in eo differt, quod cum in iis ſemper evaneſcat terminus, in quo occurrit A vel B = o, hic contra ille terminus manere debet, citra ullam per A vel B multiplicationem. Poſtremo notandum, quod hic æque ac in Newtoniana illa ſerie, in qua expreſſit cujuscunque gradus potentiam quamlibet perfectam imperfectamve omnis Binomii, obſervari debeat, quod ille terminus, in quo ipſius P index dignitatis *n*, vel *n−1*, vel *n−2* &c. fuerit nihilo æqualis, debeat eſſe terminus ultimus, in quo quidem ſeries definit atque convergit. Sed nunc ad ſequentem *Olai Rœmeri* epiſtolam progrediendum eſt, quam ſcripſit ad *G. G. Leibnitium*, de Inſtrumento Aſtronomicis obſervationibus ſerviente, a ſe invento. Et quidem non modicum ſe recedere ait Vir incomparabilis ab eorum ſententia, qui hucusque Obſervatoria adornarunt, ad pompam magis quam ad uſum, & inſtrumenta potius ædificio, quam ædificium inſtrumentis accommodarunt. Pariter ſe abire ab aliorum opinione in ordinandis inſtrumentis commemorat, cum Quadrantum & Sextantum uſum plane abrogandum cenſeat, magis fidens

Mmm inte-

integro circulo 4 pedum, quam Quadranti circuli decempedalis. Divisiones instrumentorum, inquit porro, nec per transversales nec per cochleas rite fieri posse autumo, imo ne in gradus quidem, seu determinatas circuli partes, effingere allaboro, sola æqualitate, exiguitate punctorum, & æquabilitate intercapedinum contentus. Et paullo post, ex magna proinde, inquit, cogitationum farragine hac vice desumam articulum de instrumento, cui uni aptum ædificium jam per 25 annos exoptavi, sed nunquam obtinere licuit, omni ex parte voto satisfaciens. Instrumentum est

Fig. 1.


Fig. 1.



axis meridiani sex pedes longus, volubilis circa polos A, B, muris solidis innixos, in medio portans firmiter affixum circulum E, meridianum 4 vel 5 pedum diametri, cum tubo C D, 6 vel 8 pedum, qui volutus in axi A B totum meridianum prosequitur ad ipsos horizontes, ut 4 vel 5 gradibus non absit. Ipsum instrumentum inclusum esse debet Cameræ tectæ, cujus latitudo 6 pedum, quæ murorum est distantia; longitudo secundum meridianum 30 vel 25 pedum ad minimum; altitudo non infra 20 pedes. Ut vero tubo circumvoluto meridianus totus pateat, & tectum & parietes rimam continuam habebunt 4 pollicum, par-

Fig. 2.

Fig. 2.



tibus Cameræ ita fere bisectæ saltem per aliquot trabeculas ferreas cohærentibus. - - - Usus instrumenti erit in determinandis Ascensionibus rectis & Declinationibus omnium punctorum visibilium in cœlo; istis quidem per horologia, his per circulum axi tuboque cohærentem.

Quæ hanc Epistolam sequuntur disquisitiones mathematicæ hæ sunt: *M. Gothofr. Teuberi* Conamen ad probandam Lunæ atmosphæram; *Petri Varignonii* Schediasma de dimensione superficiei coni ad basin circularem obli-

obliqui, ope longitudinis curvæ, cujus, (licet non ordinariæ sed transſcendentis) conſtructio a ſola circuli quadratura pendet; additio *G. G. L.* oſtendens explanationem ſuperficiei conoidalis cujuscunque, & ſpeciatim explanationem ſuperficiei coni ſcaleni, ita ut ipſi vel ejus portioni cuicunque exhibeatur rectangulum æquale, interventu extenſionis in rectam curvæ, per Geometriam ordinariam conſtruendæ; denique *Jo. Wilh. Wagneri* Obſervationes & Annotationes quædam circa Eclipſes Solares & Lunares.

Reliquum eſt, ut de Parte tertia horum Miſcellaneorum nonnulla commemoremus. Continet ea res litterarias. Et primo quidem loco *J. P. L. B. D. G.* monetam antiquam Regis Pribislai perluſtrat, in qua lupus, gentis Sclavorum ſignum, inter duas ſtellas conſpicitur, cum his verbis in ambitu: *Moneta Regis P. Sclavorum.* Idem de tropæis Druſi, Ptolemæo, Dioni, Vellejo, Tacito & Suetonio memoratis, atque ad Albim collocatis, diſſerit, eosque refellit, qui de veritate hujus rei, & de armis Romanorum ad Albim perlatis dubitant, cum diverſarum Villarum ac Vicorum in Marchia veteri appellationes etiamnum durent, Druſi caſtra ſatis indicantes, ut Druſtede, Druſedan & Trupizhofen. Idem fluvium *Itargum*, cujus meminit Autor carminis ad Liviam, in veteri Marchia quærendum, & forte *Itam* ſive *Izam* eſſe arbitratur. Poſtremo de Obotritarum Regibus, Miſtevojo, Billo, Mislao, Udone & Godoſchalco, eorumque numis diſſerit. Sequitur *I. L. Friſchii* Explicatio Tituli *Hormeſta*, qui Oroſii libro inſcriptus invenitur; porroque *M. Jo. Eliæ Hederi*, de Lingua Herulica ſeu Lituanica & Samogitica, tum Pruſſica, deinde Lettica & Curlandica, hinc Werulica, & tandem Sireenorum in Woluſt-Usgi Ruſſiæ magna provincia, eruditum ſchedíasma. Hoc excipit *Car. Andr. Henningii* Obſervatio, de Ludovico Bavaro, non per litteras adulteratas legati Woldemari, Electoris Brandenburgenſis, ſed per ipſum Electorem præſentem electo. Ultimæ exiſtunt duæ interpretationes plane contrariæ gemmæ elegantis, quæ extat in cimeliarcho Regio Berolinenſi, & cujus etiam hoc loco exprimendam Figuram curavimus. Alteram harum explicationum in peculiari diſſertatione (cujus hic excerptum exhibetur) germanico idiomate A. 1717 publicavit *J. C. Schott*; alterius

Autor

Fig. 3.

Fig. 3.



Autor est *J. G. Wachterus.* Et juxta Schotti quidem ſententiam, *optimi Principis eximiæ pace belloque, circa religionem & rempublicam, virtutes*, eo ſymbolo deſignantur. Caput ſenile *maturi conſilii* imago eſt: caput vero equinum *bellum* denotat, quod poſt maturam deliberationem initur. Laurea, quam ore tenet equus, *victoriam* atque *immortalitatem*; caduceus *Pacem*, quæ victoriam ſequitur; caput vervecinum, ſpicam ore tenens, *rei agrariæ & pecuariæ curam*, atque inde porro *rerum omnium ubertatem*; ſpica *annonæ copiam*; & pedes denique gallinacei, quibus tota moles ſuſtinetur, *alacritatem, præſagitionem*, atque imprimis *vigilantiam* & *magnanimitatem*, deſignant. Contra hæc Wachterus Larvam illam ſcenicam, quam pro capite ſenili habuit Schottus, *ſimulationis* ſymbolum interpretatur; equus *belli* typus eſt, laureola autem, quam inhiat equus, *gloriæ & proferendi imperii cupiditatem injuſti tyranni* ſignificat; caduceus apud Poetas non modo pacis ſed & *ſummæ violentiæ* inſigne eſt, atque viperæ ſe mutuo mordentes perpetuam illam ſollicitudinem deſignant, qua urgentur & verberantur tyranni; aries *luxuriam*, & galli denique pedes (non caput, cujus virtutes pedibus neutiquam transſcribendæ) *impietatem* notant, nam gallus pedibus matrem ſalit & unguibus patrem aggreditur. Itaque Tyranni, non boni Principis, judice Wachtero, imaginem exhibet gemma propoſita.

PRINCIPIA PHILOSOPHIÆ NATURALIS, in uſum ſcholarum privatarum conſcripta & captui ſtudioſæ juventutis accommodata, a JACOBO ODE, A.L.M. & Philoſophiæ Doctore ejusdemque Facultatis in Academia Trajectina Profeſſore ordinario.

Partes II,

Trajecti ad Rhenum, apud Johannem Viſch, 1727, 4. chart. aug. Alph. 3 pl. 6 Tabb. æn. 42

Cl. Au-

CL. Autori propositum est res corporeas a Deo creatas exponere, ut auditores sui divinas perfectiones, ex hoc mundo adspectabili ubivis elucescentes, perciperent atque ad virtutem & pietatem instigari possent. Ex optimis adeo Autoribus, cum veteribus, tum recentioribus imprimis, quos constanter laudat, *Boylæo, Francisco Bayle, Cartesio, Clarkio, Borello, Keillio, Whistono, Sturmio, Gravesandio, Francisco Tertio de Lanis, Guerickio, Hallejo, Mariotto, Perraltio, Keplero, Gassendo, Verulamio, Leibnitio, Newtono, Wolfio, Thümmigio* aliisque ea collegit, quæ in rem suam esse judicavit & ad captum tyronum exposuit, omnia more Mathematicorum in definitiones, hypotheses, propositiones, observationes & scholia redigens, neglecta tamen intrinseca methodi demonstrativæ forma, quam instituto suo parum commodam judicavit.

Præmissis Philosophiæ naturalis prolegomenis de Philosophiæ ortu ac progressu, nec non de methodo & fine philosophandi, ipsam Philosophiam naturalem in duas partes dividit. Earum prima generalis est atque in duos libros subdividitur. Primus horum agit de ortu mundi, causa nempe efficiente; modo, tempore & fine, quo is fuit productus; ejus finitate, unitate & figura; conservatione denique & gubernatione; secundus vero de corporibus in genere consideratis, eorum nempe essentia & attributis, formis, elementis, qualitatibus, motu & quiete, loco & spatio (ubi simul mechanica, hydrostatica & hydraulica tractantur) atque de sensibus, tactu, visu, auditu, gustu, odoratu. Pars altera specialis est & pariter in duos libros subdividitur. Eorum primus de corporibus mundanis, Sole, Mercurio, Venere, Tellure, Luna, Marte, Jove, Saturno, stellis fixis, Cometis, Astrologia divinatrice differit, &, cum Cl. Autor Tellurem comtemplatur, ea quoque considerat, quæ sunt in Tellure, & tum intra, tum supra eandem. Secundo vero libro systemata mundi, Ptolemaicum, Copernicanum & Tychonicum in conspectum producuntur. Sed agedum! videamus nonnulla specialiora, ut, quomodo scopum sibi præfixum Cl. Autor fuerit consecutus, judicare detur. Methodum philosophandi eclecticam defendit, quod 1) & veteres, & recentiores Philosophi celebrioris nominis eam fuerint se-

cuti, 2) impossibile sit, ut prisci omnia naturæ arcana investigaverint, nec ullus recentiorum veritatem in omnibus assecutus, 3) hac methodo Philosophorum quorumvis sententias ad examen revocare licet, ne temere receptis opinionibus subscribamus, & 4) ea, quæ priorum seculorum Philosophi invenerunt, noscere, errores emendare atque ex iis nova subinde in lucem protrahere possimus. Finem philosophandi constituit mentis nostræ ad Dei perfectiones conformationem, ejus cultum ac virtutum exercitium, atque superstitionis & idololatriæ fugam. Mundum non esse æternum, probat per ejus durationem & conspicuum in eo ordinem, profanæ historiæ originem & artium recentem inventionem, mundi inhabitationem, convenientiam historiæ profanæ cum Mosaica, quam certum initium sumsisse ex revelatione constat, & perfectionum divinarum cum æternitate mundi repugnantiam. Modus creationis cum per rationem definiri nequeat, *Cartesii* in eo explicando conatum reprehendit & inutilem operam consumsisse censet *Amerpælium* atque *Morum* in hypothesi *Cartesiana* cum historia creationis *Mosaica* concilianda. Finem ultimum creationis mundi constituit demonstrationem perfectionum divinarum & subordinatum usum, qui ex eo in hominem redundat. Essentia corporis, judice nostro, in extensione impenetrabili consistit, cum hoc istud deprehendatur, quod corporibus omnibus ita commune, ut salva eorum natura abesse nequeat, iisque semper atque primum insit. Jungit extensioni impenetrabilitatem, ne cum *Cartesianis* spatium cum corpore confundat. Ex ipsa Dei atque mundi natura patere ait, quod Deus eum conservet atque gubernet. Spatium disseminatum probat, quod alias motus foret impossibilis, & in omni medio eadem resistentia, pondusque corporum omnium in eadem a terra distantia idem. Probat argumenta *Keillii*, quibus in adstruendo spatio vacuo usus, & *Andalæ* tria argumenta rejicit, quibus is sententiam *Cartesii* contrariam defendit. Disputat etiam contra *Raphsonum*, qui spatium pro attributo primæ causæ, ejus nimirum immensitate, venditat. Arte humana spatium vacuum effici posse, phænomenis antliæ pnevmaticæ ac tubi *Torricelliani* evincere conatur. Rejectis *Aristotelis*, *Chymicorum*, *Cartesii* de elementis opinionibus

bus tandem concludit, illos naturæ rerum convenientius ac cautius philosophari videri, qui unicum statuunt omnino corporum commune elementum vel principium, substantiam extensam impenetrabilem. Definit autem elementa, quod sint corpora quædam naturalia completa & perfecta, ex principiis orta ac confirmata, peculiarem naturam habentia, ex quorum congerie & varia concretione totus mundus & singulæ illius partes exortæ sunt atque confectæ, & in quæ resolvi iterum possunt. Qualitates corporum manifestas ex varia particularum dispositione deducit: præter eas vero alias agnoscit a Deo certo fine materiæ inditas, qualem cum Anglis nonnullis modernis gravitatem esse defendit. Unionem particularum in corporibus duris a vi attractrice, quæ itidem qualitas impressa est, cum *Newtono* derivat: vim tamen elasticam a caussis mechanicis, quam a vi illa attractrice, deducere mavult, probans *Sturmii* de hypothesi posteriori sententiam, quod mutua illa partium attractio & vis contraria se invicem fugandi non sint nisi alia nomina elasticæ virtutis vocabulo receptiori surrogata. Scholasticorum qualitates occultas e Philosophia naturali eliminandas esse decernit, quod autores ignorantiæ suæ latebras in iis quæsiverint, quam ingenue profiteri consultius judicat. Caussam motus primam & universalem Deum agnoscit, eumque ab eodem conservari statuit. Gravitatem universalem *Newtonianam* speciosam & valde probabilem vocat hypothesin pro lege naturæ habendam, *Gravesandii* rationum fiducia, quas pro vi attrahente & repellente primitiva in Philosophiæ *Newtonianæ* Elementis adduxit. In Mechanica, hydrostatica & hydraulica Mathematicorum propositiones explicat, atque *Wolfii* Elementa Matheseos, *Keillii* introductionem ad veram Physicam, *Gravesandii* Elementa Philosophiæ & *Francisci Tertii de Lanis* Magisterium naturæ & artis cum *Rohaulti* Tractatu de Mechanica & *Clarkii* in ejusdem Physicam notis commendat. Sensus omnes ad tactum referri posse censet, quod omnia corpora nonnisi per contactum agant in organa sensoria externa. Potentiam particulis igneis tantam indidisse Deum pro sapientia & bonitate sua pronunciat, ut corporum durissimorum nexum dissolvere valeant, nec opus esse censet alias ejus quærere caussas naturales.

Ubi

Ubi de qualitatibus factilibus agit, multus quoque eſt in thermoſcopiis eorumque phænomenis deſcribendis: de viſu vero cum diſſerit, opticorum dogmata explicat, & circa microſcopiorum conſtructionem ad *Wolfii* imprimis Elementa lectorem remittit, atque in tuborum conſtructione eidem *Graveſandium*, *Hartſœkerum*, *Hugenium* &c. jungit. De coloribus tractans, *Newtoni* inventis applaudit, quæ in ſingulari Opticæ opere orbi erudito impertitus eſt vir ſummus. Quodſi cui, quæ a *Newtono* docte & ſubtiliter diſputata ſunt, paulo obſcuriora videantur; eos ad *Graveſandium*, *Clarkium*, *Wolfium* & *Lotharium Zambach de Kæsfeld*, Mathematicum Caſſellanum, qui nuperrime rebus humanis ereptus Cl. *Thümmigium* ſucceſſorem nactus eſt, in ſingulari de eſſentia colorum apparentium & natura iridis diſſertatione ablegat. In auditu illuſtrando dum verſatur, refert, *Leusdenum*, Collegam ſuum, in capite humano detexiſſe membranam tympani foramine perviam, quemadmodum a *Rivino* noſtro primum fuit repertum. Tubæ ſtentoriæ inventionem *Morlando*, Equiti Anglo, tribuit, & *Sturmii* de ejus phænomenis rationes probat. Solem eſſe corpus igneum largitur, & maculas ſolares eſſe nubes ſolares, quemadmodum cenſent *Hookius* atque *Wolfius*, omnium probabiliſſimum noſtro videtur. Explicat quoque methodos Aſtronomorum de inveſtiganda diſtantia Solis a terra, & circa difficultates, quæ lectori ſupereſſe poterant, lectorem ad *Whiſtonum* atque *Wolfium* remittit. Singulorum planetarum phænomena, quæ recentiorum præſertim Aſtronomorum obſervationibus debentur, curate deſcribit. Diſſenſum recentiorum, *Newtoni* præſertim atque *Caſſini*, aut, quem ipſe laudat, *Childrei* de figura telluris in medio relinquit: *Burneti* vero opinionem tanquam falſam rejicit, utpote Moſi adverſam, cum montibus, maribus atque fluminibus ante diluvium nullum relinquat locum. Ceterum ubi de Tellure in genere agit, ea una recenſet, quæ in Geographorum libellis traduntur: hypotheſin autem *Ivonis Gaukeſii* de diluvio, Bibliothecæ Bremenſi inſertam, ceteris probabiliorem judicat, quas dedere alii. Inter ea, quæ ſunt in tellure, bruta, plantas & aquam, refert: unde ipſi naſcitur occaſio diſſerendi de quibusdam generalibus brutorum & plantarum phænomenis, imprimis autem

de

de aquæ qualitatibus, de æſtu & ſalſedine maris, origine fontium atque fontibus medicatis. Brutis animam a materia diverſam denegat, quod machinæ, cujus eædem ſunt, quæ brutorum functiones, conſtructio non excedat potentiam & ſapientiam Dei, quodque ipſum corpus humanum non modo motus naturales, verum etiam plurimos ſpontaneos ſola mechanica ratione producat; immo homines integras orationes recitare poſſint, non cogitantes, an loquantur. Admittit tamen in animalibus principium quoddam, quod captum noſtrum ſuperat, qualicunque cognitione inſtructum. Plantas terreis æque ac aqueis particulis nutriri, *Woodwardi* experimentis comprobat. *Carteſii* de æſtu maris ſententiam minus probat, tantum non penitus falſam pronunciat: quamvis autem magis arrideat *Newtoniana*, non tamen eam ab omni difficultate liberam exiſtimat. Quorundam fontium originem vaporibus, aliorum pluviis & nivibus reſolutis tribuit; quorundam vero originem ex mari per meatus ſubterraneos ducit. Calorem thermarum ab admixtione particularum ſulphurearum, bituminoſarum, carbonum foſſilium & aliorum mineralium derivat. Intra tellurem primo terræ motus conſiderat, in quorum phænomenis deſcribendis multus eſt. Ignes ſubterraneos pro habitibus pinguibus in terræ cavernis a particulis igneis incenſis habet. Singularem *Woodwardi* de metallis & mineralibus ſententiam rationi ac experientiæ contrariam pronunciat, nec aliorum hypotheſes tutas judicat. In hoc igitur argumento in hiſtorica cognitione acquieſcere quam nondum exploratis aſſentiri mavult: quamobrem & *Carteſianæ* de magnetis phænomenis hypotheſi calculum ſuum minime adjicit. Supra Tellurem aerem contemplatur, ubi experimentis ejus proprietates hodie notiſſimas confirmat atque baroſcopiorum conſtructionem & phænomena deſcribit una cum hygroſcopiis. In aere contemplatur meteora, veluti ventum, halones, parhelia, iridem, una cum ceteris aqueis & igneis. Rationem dimetiendi altitudines nubium *Jacobi Bernoullii* atque *Thümmigii* commendat. Ventorum geneſin æolipilarum experimento illuſtrat. De parrheliis *Gaſſendi* ſententiam *Carteſianæ* præfert; *Hugenianam* ſilentio præterit. Iridis cauſas cognoſcere deſiderantes ad *Sturmium*, *Hambergerum*, *Newtonum* & *Graveſan-*

vesandium remittit. Lunam esse corpus telluri simillimum, agnoscit. De ejus autem incolis nihil certi definire audet, magis tamen in partem negativam propendet cum *Sturmio*. Illius motum vertiginis menstruum a *Newtono* repertum probat, rejectis adeo *Cartesii* atque *Sturmii* de motus libratorii caussis conjecturis. Cometas esse corpora instar planetarum solida, *Wolfii*, *Thümmigii* atque *Newtoni* rationibus stabilit: monet tamen, haud diffiteri *Thümmigium*, scrupulum quendam movere Cometam A. 1723, qui nucleum habuit in capite instar fixæ scintillantem, cum, qui A. 1718 apparuit, instar nubeculæ a Sole illuminatæ visus fuerit. Probabile quoque ipsi videtur ob rationes a triumviris laudatis adductas, Cometas esse corpora mundo coæva. De caudis *Newtoni* sententiam suam facit. Astrologiam divinatricem inter artes vanas refert, nec Cometas calamitatum futurarum caussas & signa esse, concedit. Systema *Ptolemaicum* mundi tanquam observationibus & rationi contrarium damnat: in eundem censum refert *Tychonicum*, & *Copernicanum* ceteris probabilius esse censet, cœlo tamen deturbatis vorticibus *Cartesianis*, contra quos ex ipsis *Cartesii* principiis disputat. Hypothesin *Newtonianam* de caussis motuum cœlestium physicis ex notis *Clarkii* describit, plura desiderantes ad ipsum *Newtonum*, *Gregorium*, *Whistonum*, *Keillium*, *Gravesandium*, *Clericum* & *Joannem Oosterdyck Schacht* in Dissertatione de motu planetarum in orbitis ellipticis, ablegat, suum vero de ea judicium non interponit: quemadmodum etiam *Copernicano* systemati prorsus subscribere adhuc veretur, cum argumenta, quibus motus Telluris diurnus & annuus stabilitur, exceptionibus adhuc nonnullis obnoxia sint, apud *Niewentitium* videndis.

Schauplatz der Rechen- und Meß-Kunst.

hoc est,

THEATRUM ARITHMETICO-GEOMETRICUM, Autore JACOBO LEUPOLDO, Mathematico & Mechanico, Potent. Polon. Regis & Elect. Sax. Consiliario & Commissario rei metallicæ, diversarum Societatum Regiarum Membro.

Lipsiæ,

Lipsiæ, apud hæredes Autoris & Joh. Frid. Gleditschii Filium, 1727, fol.

Alph. 2 plag. 8½ Tabb. æn. 43.

SIstimus hic opus posthumum Viri ingeniosi atque industrii, *Leupoldi*, cujus de Mechanica merita nemo ignorat, qui Acta hæc Eruditorum evolvit. Continentur in hoc volumine instrumenta & machinæ in usum Arithmeticæ & Geometriæ practicæ inventa. Postquam nimirum Cl. Autor Dactylonomiam & Ma- Cpa. 1.
nuloquium *Bedæ venerabilis* ex *Aventino* descripsit, atque exposuit, quomodo *Joannes Belwerus*, Anglus, qui integrum de hoc argumento tractatum conscripsit, eandem perfecerit, & inciden- 2.
ter prolixe enarravit, quo pacto manibus utamur ad certa animi sensa significanda; instrumentum arithmeticum Sinarum exhi- 3.
bet, quo ab antiquissimis temporibus utuntur. Eidem ob simili- 4.
tudinem jungit *Tabulam arithmeticam Romanam*, a *Claudio Molineto* in libro Gallico delineatam, qui A. 1692 Parisiis in forma majore sub titulo: *Cabinet de la Bibliotheque de S. Genevieve*, prodiit. Progreditur inde ad Arithmeticam calculatoriam, & abacum 5.
ei destinatum una cum ejus usu prolixe declarat, magno numero adductis autoribus, qui hoc Arithmeticæ genus lingua nobis vernacula docuerunt. Huic jungit instrumentum quoddam ad ope- 6.
rationes Arithmeticas facillime absolvendas serviens, cujus inventionem Arithmetico Parisiensi tribuit *Harsdœrfferus* in Continuatione Delitiarum mathematicarum & philosophicarum a *Schwentero* editarum. Usum potissimum habet in multiplicatio- 7.
ne atque divisione: quamobrem Noster simul exponit tabulas, quas in usum additionis & subtractionis dedit *Schottus* in Organo mathematico. Inde pedem promovet ad *Rhabdologiam Neperi*, 8.
qui ope bacillorum multiplicationem, divisionem & radicum extractiones expedit, & *cistulam arithmeticam* producit, quam ex *bacillis Neperianis* in cylindrulos mobiles conversis suaque additionis & subtractionis tabula *Schottus* composuit, additis inventis affinibus, quorum alterum sibi, alterum vero *Grilleto* debet, desumtum ex libro Gallico, A. 1678 Parisiis in 4 edito sub titulo: *Nouvelle Machine d'Arithmetique.* Repræsentat etiam structu- 9.
ram machinæ Arithmeticæ Cel. *Poleni*, cujus in Actis A. 1711 p. 79 men-

mentionem injecimus, & alterius a *Leibnitio* inventæ, cujus ibi-
dem facta est mentio p. 9, obiter meminit, cum accuratam stru-
cturæ internæ descriptionem nancisci non potuerit: ubi simul al-
terius instrumenti arithmetici *Leibnitiani* meminit, cujus im-
perfectam descriptionem dedit editor Theodicææ *Leibnitianæ* in
C. 11. Latinum versæ, quæ A. 1726 prodiit. Prolixior est Noster in de-
12. scribenda machina arithmetica proprio ingenio reperta atque in
Pede Mechanico, quem vocat, a *Michele Scheffelt*, Ulmensi, inven-
to & in peculiari Tractatu A. 1699 descripto: in quo instrumen-
to ope circini operationes arithmeticæ expediuntur. Pes ille me-
chanicus, circino proportionum succenturiatus, eundem cum eo-
dem habet usum, atque adeo isti omnes lineæ inscribuntur, quæ
13. huic inscribi solent. Pedi huic mechanico affine jungit instru-
mentum, ex MSC. anonymi desumtum & ab eodem *scalæ propor-
tionum* nomine insignitum, una cum altero, quod A. 1696 Jenæ
14. publici juris fecit D. *Job. Matthæus Biler* & cujus ope absque
omni calculo problemata arithmetica, geometrica, trigonometri-
15. ca &c. expedite solvuntur: nec silentio præterit instrumentum
Nicolai Voigtelii, viri in Geometria subterranea versatissimi, cui
ad exercendam hanc Geometriæ practicæ partem tabulas Sinuum
16. compendiose inscripsit. De circino proportionum, instrumento
utilissimo & hodienum usitato, prolixissime agit. Historiam in-
ventionis, a *Wolfio* in Lexico Mathematico traditam, repetens, pri-
mam inventionis laudem tribuit *Justo Byrgio*, Mechanico &
Mathematico *Wilhelmi* Hassiæ Landgravii, variis inventis claro.
Cum tamen forma & usus circini *Byrgiani* differat a forma & usu
Galilæani; Noster primo *Galilæanum* describit, cum is hodie-
17. num sit receptus; deinde quoque *Byrgianum*, qui hodie in desue-
tudinem abiit. Prolixum quoque subjungit Catalogum Autorum,
18. qui de hoc instrumento commentati sunt. Circino proportionum
agnatum est instrumentum, quod *Benjaminus Bramerus*, Archi-
tectus Marburgensis Hassiacus, sub nomine *regulæ Proportionum*,
eines Proportional-Lineals, A. 1618 peculiari tractatu descripsit,
cum A. 1615 in Tractatu de divisione instrumentorum mathema-
19. ticorum jam appendicis loco illius usum declarasset. Postquam
Cl. Autor hinc deprompsit, quæ in rem ipsius sunt, ad instrumenta
com-

communia describenda sese confert, quibus in Geometria habemus opus. Comparent hic circini omnis generis, de quibus Noster plurima tradit artificia in iis parandis utiliter adhibenda, cum propria ipsum multa docuerit experientia. Circinis succedunt regulæ, quas inter etiam *parallelismi*, seu instrumenta ad lineas parallelas describendas inventa, & *instrumentum polygraphicum Joh. Christophori Bornickelii*, ab eodem peculiari Tractatu A. 1724 Lipsiæ lingua vernacula edito, illustratum, comparent. Ejus enim potissimus usus est in lineis parallelis absque circino, norma, parallelismo, & instrumento transportatorio describendis. Sequuntur deinceps *scalæ*, quæ vocantur, *Geometricæ* lineis in charta dimetiendis inservientes, ubi simul ex Elementis Geometriæ *Wolfii* tabulam repetit Autor, qua proportio pedis in celebrioribus Europæ locis usitati ad pedem Regium Parisinum exhibetur, & mensuras in campo lineis metiendis destinatas conficere docet. Postquam instrumenta descripsit, quibus in ducendis lineis utimur, una cum norma atque sic dicto instrumento transportatorio, quo angulos in charta dimetimur; instrumenta quoque majora repræsentat, quibus ad angulos in campo metiendos quondam usi Geodætæ, una cum omni fulcimentorum & dioptrarum apparatu, nec dioptris telescopicis neglectis, quas ad libellas primum applicarunt *Picardus*, *Ræmerus* atque *Hugenius*. Inter instrumenta geodætica Noster præ ceteris commendat *mensulam Pratorianam*, ab inventore *Joanne Prætorio*, Mathematum quondam Professore in Academia Altorfina, ita dictam, una cum agnatis instrumentis *Brameri* & *Zubleri*; quorum posterius coincidit cum pantometro, quod multo post sub hoc nomine tanquam suum inventum evulgavit *Kircherus*. Alia instrumenta geodætica, hodie imprimis usitata, capite tandem ultimo affert, ubi imprimis varia variorum artificia instrumenta dividendi exponit. Atque hic substitit Autor, cum rebus humanis eriperetur, ut nec huic Volumini ultimam manum imponere potuerit, nec iis Voluminibus conscribendis atque in publicum proferendis suffecerit, quæ præcipuam atque desideratissimam Mechanicæ partem constituunt. Promittunt hæredes in præfatione supplementum ad octo Volumina ab Autore edita, ex schedis ipsius digerendum, quamprimum liceerit.

C. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26.

rit. Ceterum cum B. Autor in conficiendis instrumentis mathematicis & physicis excelluerit atque curiosorum naturæ scrutatorum desiderio satisfecerit; operam quoque dedit, ut officina *Leupoldiana* post fata sua celebris existeret. Ea igitur fini agnatum suum *Cottam* tempestive instruxit, ut eundem vivus adhuc laboratorio suo mechanico utiliter præficeret.

Neue und deutliche Anleitung zur practischen Sonnen-Uhr-Kunst ꝛc.

hoc est,

NOVA ET PERSPICUA INTRODUCTIO ad Praxin Gnomonicam, Autore JOANNE JACOBO SCHÜBLERO.

Norimbergæ, apud Joan. Christoph. Weigelium, 1726, 8 maj. Plag. 14 Tabb. æn. 44.

INgeniosus Autor varia hactenus edidit specimina, quibus praxis Architecturæ Civilis specialissima illustratur, non sine applausu artis peritorum excepta. Horologia majora Solaria subsidio calculi trigonometrici describi solent, ut fiant accurata: quem in finem in his Actis A. 1695 p. 129 *Picardi*, A. 1719 p. 127 *Gruberi* & A. 1720 p. 23 *Doppelmayeri* opera commendavimus. *Schüblerus*, cum praxin accurata industria exerceret, observavit, fieri posse, ut absque calculo trigonometrico per constructiones geometricas & ope instrumenti sinuum, tangentium atque secantium, horologia sciaterica tam accurata obtineantur, quam calculi trigonometrici beneficio obtineri possunt. Methodum igitur, qua usus est, fideliter exponit. Explicatis scilicet terminis & principiis quibusdam Astronomicis, sine quibus praxis Gnomonica intelligi nequit, omnium sciatericorum horologiorum fundamentum, *Clavii, Brameri* & *Sturmii* Senioris exemplo, ex cylindro deducit, simulque ostendit, quomodo hinc *Bierumii* parallelepipedum gnomonicum fundamentale, de quo diximus in Actis A. 1712 p. 35, deducatur. Monstrat præterea, quomodo idem fundamentum ex prismate triangulari, quod est parallelepipedi dimidium, derivetur. Antequam eodem utitur in horologiis solaribus describendis,

dis, lectorem docet, qua ratione chordarum, tangentium, secantium & sinuum ope anguli in charta delineentur ope instrumenti, in quo hæ lineæ in ratione ad radium datum sunt descriptæ. Cumque horologium in plano fixo delineari nequeat, nisi data linea meridiana, varias quoque exponit methodos eam inveniendi. Et quoniam *Holtzbejus* quidam prætendit, se invenisse methodum, dato quovis tempore, Sole lucente vel cœlo nubilo, lineam meridianam facili negotio accuratissime ducendi; eam quidem omnibus ceteris anteponendam fore judicat, si vitio careat, sed quod promissis stare possit inventor, valde dubitat. Fundamentis explicatis, omnis generis horologia cum in planis mobilibus, tum fixis delineare docet, non neglecta praxi reliqua gnomonica. Id autem singulare habet, quod horologia majora in parietibus ædificiorum delineata convenientibus terminis circumscribat, quibus intuentium oculi pascantur. Excellit enim Noster in hoc genere, quemadmodum specimina architectonica modo laudata loquuntur. Denique cum Artis pictoriæ peritissimus sit, id quoque singulare in ejus institutione occurrit, quod doceat praxin horologia in tectorio udo depingendi, ubi singula tradit, quæ in hoc pingendi genere observanda sunt. Promittit Artem pictoriam mathematicam, a Perspectiva diversam, quam jam olim peculiari opere illustravit.

TABULÆ ASTRONOMICÆ, LUDOVICI Magni jussu & munificentia exaratæ & in lucem editæ, Autore PHILIPPO DE LA HIRE; *secunda Editio.*

Paris. apud Montalant, Typogr. & Bibliopolam, 1727, 4.
Alph. 1 pl. 6 & 4 Tabb. æneis.

GRata sine dubio erit Astrophilis hæc præstantissimarum rarissimarumque Tabularum nova Editio. In qua tamen nihil fere a pristina forma aut numeris discrepat, nisi forte excipias Tabulam XXVI, quæ inscribitur, *Inclinatio Orbitæ Lunæ cum circulo latitudinis.* Hæc enim Tabula, ob certa versus finem sphalmata, quæ in priori Editione irrepserant, revocata iterum ad calculum & columna

lumna una est adaucta. Ad calcem porro adjecta est Tabula nova *Æquationis Altitudinum, ut vocant, respondentium, pro latitudine observatorii Regii Paris.* quam construxit *D. Godin*, Regiæ Sc. Acad. Socius. Atque is etiam usum docuit ac methodum computandi similem tabellam ad quamvis aliam latitudinem. De cetero pollicetur Bibliopola, se propediem in lucem daturum *Introductionem;* in qua mens tota Autoris in condendis hisce Tabulis aperietur, processus calculi enucleabitur, plurimis exemplis illustrabitur, atque ad nitidiorem longe formam reducetur.

ADDITAMENTA AD OBSERVATIONES de Ductibus salivalibus sublingualium Glandularum, Exercitatione de Lingua Humana, & in his Actis Mens. Jul. A. 1724 traditas; Autore AUGUSTINO FRIDERICO WALTHERO, *Archiatro Regio, Anatomes & Chirurgiæ Professore Publico Lipsiensi.*

IRrigant os atque linguam ductus, quos Exercitatione peculiari sic exposuimus, ut canalibus, qui ante innotuerunt, adjiceremus plures, quos sublinguales promunt glandulæ, quosve olim deteximus, tum describere plenius & enumerare suscepimus. Laborem inter inveniendum abbreviare solet eorundem orificiorum in tractu sub lingua positus, quem Exercitatione annotavimus; ac ipsa natura varias glandulas, variosque excretorios ductus impertivit, & nonnunquam omnes, aut saltem plurimi sine tædio temporisque dispendio investigantur; nec ægre mediocrem stylum aliquando admittunt. Quare ad observationes, quas de ductibus sublingualibus antehac conscripsimus, nunc addere liceat, quod sectionum usu & exercitio porro deprehendimus ac confirmavimus. Ab illo enim tempore permultorum publice sectorum cadaverum humanorum, pluriumque privatim inspectorum, ac linguarum quidem glandularumque connexarum examine cognovimus, admodum frequenter ex una glandula sublinguali quatuor provenire excretorios ductus, nec pauciores haberi: tamen interdum, & maxime in amplis ac elatis in ore glandulis singulis, eorum numerum

uno

uno alteroque augeri; quod ubi accidit, tum non positu, sed amplitudine ac longitudine plurimum variare ductus solent. Naturæ minime consuetum est, ad alterutrum & laterale linguæ in ore vinculum superaddere duos & solitis ampliores, aut ita aperiri in utroque latere numero dispares, quales hyeme anni præteriti vidimus, & ut illustretur de ductibus sublingualibus doctrina, nunc recensemus. Erant in cadavere senis, publice secto, admodum insignes sub lingua glandulæ. Quarum excretorios ductus cum Auditoribus demonstraremus, sine multo labore sex a parte sinistra, octo a dextra nec pares numero, omni quamvis adhibita diligentia invenire nobis dabatur. Ex his sex anteriores ordine & positu in utroque latere satis inter se conveniebant; nihilominus ceteris conditionibus quodammodo diversi: at a dextra apertos duos posticos ductus, linguæque laterali vinculo vicinos, cum numerum excederent, & ab amplitudine *Warthoniani* ductus parum uterque abesset, stylumque digiti altitudine, nec ægre versus maxillarem glandulam ferret, ideo nostra investigatione accurata dignissimos hos existimavimus; præsertim cum in permultis cadaveribus & a pluribus annis nullum sublingualis glandulæ ductum cum maxillari glandula aut ejus excretorio ductu communicasse, experimentorum olim factorum memores, persuaderemur. Quam ob rem stylis in hosce canales illatis, ipsos & illæsos ab ostiis ad insertionum loca denudavimus, & totos plenius in conspectum produximus. Ingrediebatur autem uterque insignis baccæ uvæ instar crassam, & tenuioris productionis glandulæ sublingualis appendicem inconsuetam; quæ glandulæ maxillari, & reliquæ sublinguali cum interjecta esset, nihilominus dimidio digito ab ista finibus suis distabat; quanquam ambitu suo superius contegeret ductum *Warthonianum*, mersum cellulosa radicis linguæ fauciumque membrana, quam exercitatione nostra annotavimus. Hoc corpus glandulæ nostræ appositum, & loco superadditum, quo in aliis subjectis ea finiri consuevit, & ubi loco consimili sinistra glandula desinebat, mole duas tertias partes ponderis reliquæ glandulæ ferre videbatur. Nunc aerem per tubulum in utrumque immisimus ductum, & modo anteriorem, modo posteriorem appendicis partem inde succuti & intumescere, more in aliis glandulis usitato animadvertimus. Nec solum hi ductus ita

distincti, sicut & glandulosum corpus, omnem aerem illatum in se continuerunt; sed & ipsi varios liquores & mercurium vivum, quæ non ita multo post injecimus, prorsus concluserunt. Idem erat experimentis eventus, sive in situ nexuque hujus appendicis integro, sive cum ea reclinata, & a nexu cum vicinis, maximeque cum *Warthoniano* ductu separata esset, rerum periculum faceremus; quare nihil ex injectis nec ad maxillarem glandulam, nec ad *Warthonianum* ductum penetravit. Insignior & erat, solitaque forma major hujus lateris maxillaris glandula. Etiam notabili ab hacce glandula globosa intervallo, ad excretorium ductum accedebat mediocris magnitudinis ramus; qui, cum varia in truncum injiceremus, aliquid ex iis recipiebat. Et hoc observatu perrarum est, ac in strumosis sæpius cognoscitur. Nam mox pari modo alterum & oppositi lateris *Warthonianum* ductum exploravimus; & ipsum aliter ut experiremur, juxta papillam ligavimus: inde in altero ejus extremo & ad glandulæ corpus incidendo ipsum aperuimus, loco, ubi is ordinarie in ramos dividitur, & glandula mergitur. Hinc tubulo ad incisionem applicato, aereque immisso, totum ductum & usque ad vinculum distendimus succussimusque: post infudimus aquam tinctam; tandem mercurium vivum injecimus; quæ cum moliremur, secus res cecidit, ac cum talia in altero ductu ante experiremur. Omnia enim, quæ sic repetitis vicibus illata fuerunt, ductus *Warthonianus* prorsus servavit, & intra se continuit, sine eo, ut minor aliqua propago, aut, qui aliunde accederet ductus, sigillatim qui ad sublingualem glandulam pertineret, aliquid inde reciperet. Quæ modo retulimus experimenta, ea & ante anatomen illam sæpius, & pari cum successu tentavimus, maximeque cum in pluribus linguis humanis glandulisque connexis, ut insolitam esse communionem pateret, alios *Warthonianos* ductus cera liquata injectaque plenos, alios Mercurio repletos, & ab omni commercio nexuque cum glandulis vasisque excretoriis sublingualibus aliisque ductibus liberos, in usum demonstrationum publicarum, asservandos curaremus. Hæc ita ad confirmandam amplificandamque de ductibus excretoriis distinctisque glandularum sublingualium doctrinam protulimus; quos ductus alii in brutis, & aliter ac nos egimus, demonstrarunt atque delinearunt, nonnulli ob-

obscure & obiter eos notaverunt. Nam cum *Stenone* aut cum *Verheyeno* de hominis ductibus sublingualibus sentire, ex una parte falsum, ex altera ambiguum vexatumque est: "vascula sibi invicem "parallela a lingua versus gingivas recedere, & sub intervallo digi-"ti a dentibus ostiis suis per tunicam hiare"; imo ad hanc doctrinam addere perinde erit: "vascula ab exterioribus glandularum "lateribus ad gingivas in transversum recedere, & non ita magno "a glandulis intervallo peculiari quodque osculo hiare." Nam ista digiti intercapedo totam sublingualem glandulam complectitur, & medietatem linguæ in ore humano assequitur; ostiaque excretoriorum nostrorum verorumque ductuum ad dentes propius accedunt: contra, sub lingua levata glandula pro altitudinis suæ modo situque tantum admittere spatium omnino videtur, cum ea partim ad dentes & ad gingivas, partim ad maxillam inferiorem, ac omnium denique altitudinem accommodatur. Ut igitur clarior res fiat, discernimus glandulæ utriusque & oblique positæ latera. Nam pro externis lateribus merito habemus, quæ sub involucro oris condita cum sunt, maxillæ inferiori, nunc ampliori factæ, adnascuntur: at internis & superioribus suis lateribus, quidem in ore, tanquam angustiori spatio glandulæ prominent, linguæque sequuntur motum, & facile ad dentes assurgunt; simul versus linguæ frenum excurrunt, ac, nonnihil hoc loco inflexæ, quasi angulum constituunt. Proinde hæc latera, in ore hominum distincta, nostrorum ductuum orificia videnda præbent; quæ ut explorentur in naturali omnium situ, atque in demortuorum linguis, ex ore resectis, id, inter alia, exercitatione citata docuimus. Unde tandem ab exterioribus glandularum lateribus ad gingivas in transversum quodque recedere sublinguale vasculum, & non ita magno a glandulis intervallo peculiari hiare osculo, quidem in brutis, icones testentur, quas *Steno* & *Diemerbrock* delinearunt. Ceterum ad obscuros in re Autores *Bourdonus* atque *Dionis*, imo inter antiquos *Oribasius* accedere possunt: sin hujus verba, ad nostram doctrinam accommodare, & interpretari utcunque quis voluerit; quando hic præ ceteris Lib. 24 Collect. Medic. scribit: "Ad "linguæ vinculum, utrinque ex obliquis partibus ora vasorum, "quæ salivam excipientia dicuntur, invenies, in quæ descendere "stylus posset. Initium ducunt hæc vasa ab radice linguæ, ubi ejus-

"dem quoque glandulæ sunt. Quare minus evidentem paucorum opinionem reliqui Anatomici scriptores neglexerunt, doctrinamque amplexi fuerunt, in homine licet minus probatam, de singulo sublingualis glandulæ excretorio ductu *Rivini* & *Bartholini*, sive distincto, sive cum *Wartboniano* connexo: ut videre est apud *Ruyschium, Bidloo um, Mummickium, Taurium, Drackium, Welschium, Cheseldenium, Keilium, Heisterum, Noguesium*, & reliquos.

Historischer Schauplatz der Ansprüche und Streitigkeiten hoher Potentaten und anderer regierender Herrschafften in Europa &c.

h. e.

CHRISTOPHORI HERMANNI SCHWEDERI Theatrum Historicum Prætensionum & Controversiarum illustrium ex Historicis, Actis publicis, Deductionibus & aliis scriptis concinnatum; nunc suppletum & continuatum a D. ADAMO FRIDERICO GLAFEY, JCto.

Volumina II.

Lipsiæ, apud Maurit. Georg. Weidmannum, 1727, fol. Alph. 18.

CUm de instituto Autoris dictum sit in Actis A. 1712 M. Jun. p. 285, jam operæ pretium fuerit de nova hac editione, quæ multum emendata & plus quam altera parte auctior prodit, nonnihil hoc loco memorare. Nam etsi plerisque se probasset Autor, ita ut hauddifficulter liber distraheretur, fuere tamen, qui optarent, paulo plures in hoc systemate controversias fuisse excussas, qua in re defectum aliquem ipse quoque Autor agnoverat. Itaque librum revidit, multas controversias denuo sollicitavit, novisque Capitibus magno numero additis, librum longe, ut diximus, auctiorem dedit Consf. *Glafey*, hodie Potentis. Regi & El. Sax. a Consiliis aulæ & justitiæ ut & ab archivis, qui cum in Academia nostra viveret, hoc opus absolvit. Quamvis vero ad archiva adeo nostra nondum esset admissus, attamen cum jam tum aliquot Imperii Statuum, inprimisque Potent. Regis Sardiniæ jussu, deductionibus quibusdam concinnandis adhibitus esset, multa nactus est documenta, quibus in hoc

hoc opere felici successu usus est, quo spectant, e.g. quæ Noster T.I p.45 de lite inter Imperium & Regem Sardiniæ de feudis Langharum, de feudo Marchionatus Novelli & Montisfortis p. 531, de juribus ordinis Johannitici p. 165, 390, 754 sq. accurate admodum tradidit. Et prolixum foret, vel sola capita, quæ nunc accessere, enumerare, ut taceamus ea, quæ vel reconcinnata hic prorsus, ut maxime in Saxonicis factum, vel subinde saltem, imprimis quod ad statum modernum, aucta ac suppleta sunt. Pauca tamen ut ex multis memoremus, accessere Libro I Caput II, de lite quæ Imperatori & Imperio intercedit cum Principibus quibusdam Italiæ de oneribus publicis & exactionibus, C. IV. de Juribus Imperii in Regnum Armeniæ, X in Cyprum, XI in Florentiam (quæ jura ex nuperis imprimis scriptis accurate deduxit) XII in Pedemontium &c. XXVII in Abbatiam S. Galli & Comitatum Toggenburgensem, XXIX in Ducatum Lothringiæ, XXXIV de eo quod Imperio adhuc competat defensio circuli Burgundici, XXXVIII de jure Imperii in Belgium, ut & XLVI in regna Dalmatiæ &c. Atque ita reliquis quoque Libris, de juribus exterorum Regum ac Principum, Pontificis item & Episcoporum atque Abbatum, tum Rerumpubl. ac urbium Imp. liberarum, denique Comitum, tum Imperii, tum aliorum extra Germaniam, longe plurimæ nunc quæstiones accessere, in quibus ventilandis & utriusque partis argumenta cordate producit Consf. *Glafeyus*, & statum, qualis nunc deprehenditur, libere exponit.

JOH. VINCENTII LUCCHESINII, Patritii Lucensis, Historiarum sui temporis ab Noviomagensi Pace

Tomus I.

Romæ, ex Typographia Petri Ferri, 1725. 4.

Alph. 3 pl. 12.

OPus hoc, singulari ut plurimum in rebus seligendis & tractandis candore & prudentia, præstantique & ingeniosa facundia pleno sermone conscriptum, & Benedicto XIII, Pontifici Maximo, devote dicatum, scriptorem prodit, qui celeberrimos Græci Latinique idiomatis Historicos felicissime videtur æmulatus. Or-

ditur Tomus I, in VI libros distinctus, ab A. 1678, & in rebus A. 1688 gestis definit, unde potiora quædam, ipsis potissimum Autoris verbis, depromere nunc lubet. Ludovicus XIV, Belgas fœderatis A. 1676 abducere cupiens, magistratus Batavorum clam per
p. 4. internuncios sollicitabat, qui vel tædio belli durissimi, vel implacabili in Arausionensem odio, in suam mox sententiam universam
42. Rempubl. traxerunt. A. 1680, dum in Germania pestilentia grassaretur, frequens veneni usus clandestina morte domos, illustres præsertim rerum opulentia, funestabat in Gallia. Tandem horrendum scelus apertum est, dum mulier quædam patricii generis, patrem duosque fratres sustulisset ope adulteri, qui & ipse haud ita multo post letifero afflatus vapore, moritur, obæratoque res cuncta domestica obsignatur. Mulier secreti conscia, sibique metuens, arculam, quam suam affirmabat, adeo vehementer repetere, ut Prætor in suspicionem adductus, dari jusserit resignatam. Tunc inventa dira medicamina, & adulteri literæ, quæ scelus prodidere; quare vincta illa & parricidium professa gladio punitur. Inde creati a Rege, ad cohibenda scelestorum facinora admodum fervido, Judices, qui de veneficiis inquirerent. Habitis quæstionibus anus sacrilega reperiebatur Parisiis, efferatæ artis magistra, cujus domum, relaxandi animi obtentu, plures frequentaverant, vaticinantem (fatidica enim videri voluit) audituri. Convicta maleficii, nomen detulit nobilissimorum virorum ac fœminarum, quibus præsto se fuisse arte sua fateretur, vere, an falso, incertum. Ipsa, prius ignito ferro perfossa, obtruncataque infami dextra, viva fuit combusta; aliorum necati plures cæteris imposterum exemplo fuerunt; pauci, iique splendidiores, dimissi, vel innocui, vel crimi-
67. ne supplicioque suo Rempubl. perturbaturi. Tekelii indolem descripturus Autor, nullam in eo fidem fuisse asserit, nullam certi honestique rationem, fraudem plus quam Punicam, & obtento pacis desiderio, stragium & belli amorem: cæterum consilii potentem eum, itemque strenuum agendo, quæ consilio explicasset, tanta vero solertia fuisse, ut dum quidpiam ageret, alia moliretur, nulli fidens fortunæ, qua ut prospera sic uteretur, ut adversæ meminisset, sic adversa, ut prosperæ se reservaret, & crederet, non defuturam.
194. Opinio apud multos, graves quoque rerum æstimatores, invaluit,

Visi-

Visirii avaritia stetisse Viennam, a Turcis oppugnatam, quam intactam voluerit a militum præda, neque adeo vi eam capere, sed lenta obsidione in deditionem adducere, sibique integram, spoliandam opibus, reservare; datum proinde auxilii ferendi tempus, præteritamque absolvendæ rei occasionem. Verum quisquis animo reputabit, tricies septies dilaceratas a barbaris vi pulveris nitrati, caveis conclusi, munitiones; in eas semel ac tricies acie instructa illatum impetum; ferro aut morbo absumtos, quod ex Visirii schedis apparuit, tres provinciarum præfectos, sedecim Janizarorum chiliarchas, 27000 militum, 6000 machinalium libratorum, cunicolariorum, calonumque sedecim millia: contra vero quindecies facto agmine Germanorum milites erupisse, horum ad undecies mille plerumque ferro, dysenteria quoque ac morbo cecidisse, totidem, qui arma gestassent, oppidanorum; existimabit profecto, nec vehementius oppugnari urbem, nec diligentius defendi potuisse, illamque opinionem falsi redarguet. De Jacobo, Johannis III Poloniarum Regis filio adolescente, narrat Noster, quod eum, Cæsari, diu ac modeste renuenti, manus exosculantem, complexus ei quidem, ornatissimisque verbis prosecutus sit, non tamen illi detexerit caput; quod Rex suæ soboli recentibusque meritis concedi potuisse arbitratus, negati honoris diu pressit vulnus, animo exulcerato. Tandem iter fœderati susceperant in Hungariam, præter Saxones, domum confestim ab Octoviro suo dimissos, irato, ut fama tenuit, quod ipsis Viennensi prælio primas discriminis, postremas prædæ partes dedissent; enimvero huic rei graviores subfuisse causas, alii subodorati sunt. Ludovicum Gallorum Regem in Genuenses 1684 maxime concitavit altius hærens menti cogitatio, posse urbem opulentissimam, ni ab æmulo, Hispaniæ Rege, abduceretur, illum pecunia, qua tum maxime indigebat, juvare, idoneumque reddere ad gerendum bellum. Dum Angliæ Regum, Caroli II & Jacobi II, fata Autor delineat, ipsum religionis suæ studio adeo deprehendimus fascinari, ut in ipsa veritatis luce, a Viris perspicacioribus ejusdem sacris addictis dudum agnita, caligare penitus videatur. Quæ æque ac alia, quæ de doctrina Michaelis Molinos, voluptatum quoque illecebris commendata, refert Autor, apud ipsum legi malumus. Quod Sarmatum Rex copias A. 1688 a Camenæci obsidione repente revocasset, id odio Cæsaris factum, nonnullos conjectasse testatur. Nimirum per ea tempora Radzivilia, Carolo

p. 190. 200. 235. 367 &c.

Carolo Neoburgensi, Cæsaris Leviro, nupta, fefellerat spem Jacobi, Principis Regii; qui & ipse illam tum ambiebat, quod eo matrimonio sibi iter ad
p. 558. successionem Regni parari posse speraret. Hac suspicione itaque, quod Cæsaris artibus repulsa illa tribuenda sit, commotum Regem, admonitumque, ut fama fuit, uxoris literis, ne ad Cæsarem, qui tantam filio injuriam fecisset, Turcici belli onere sublevandum, sese in discrimen daret, præpropere ex-
618. ercitum dissolvisse. Ceterum Alba Græca subita impressione capta, frequentioribusque turbis Byzantii excitatis, concussum graviter Ottomannorum Imperium, Vizirii tamen virtute artibusque, ac internecino Christianorum Principum bello orto, stetit; cujus causas proximo, quem meditatur, Tomo se expositurum, Clar. Autor pollicetur. In calce, præter Indicem rerum, Index vocum Italicarum ad bellicam artem spectantium, in opere ipso Latine expositarum, exhibetur, qui cum ab Indicibus similibus, a Boxhornio Historiæ obsidionis Bredanæ & a Dan. Heinsio Historiæ rerum ad Sylvam Ducis &c. subjectis, non raro abludat, non gravabuntur delitiarum linguæ Latinæ cupidi, eum totum hoc loco transscribi. 1) Militares Præfecturæ: *Generalissimo*, Imperator, supremus exercitus Dux, *Maresciallo*, Legatus, *Generale dell' Artiglieria*, Præfectus Fabrum, *Tenente Maresciallo* vel *Luogotenente Generale*, pro Legato, *Sergente Generale*, Instructor exercitus, *Colonnello*, Tribunus militum, *Tenente Colonnello*, pro Tribuno, *Sergente maggiore*, Instructor Legionis, *Capitano*, Centurio, *Tenente*, pro Centurione, *Sergente*, Instructor Cohortis, *Dragone*, Eques sagittarius, *Granatiero*, Pyrochitrophorus, *Alabardiere*, Hastatus, *Reggimento*, Legio, *Brigata di Cavalli*, ala equitum, *Compagnia di Fanti*, Cohors, *Compagnia di Cavalli*, Turma, *Compagnia di Cavalli Leggieri*, Turma levis armaturæ, *Ammaraglio e Capitan generale*, Præfectus classis aut maris. 2) Instrumenta militaria: *Artigleria*, major Machina, majus Tormentum, Catapulta, Aries, *Moschetta* vel *Archibugio*, Pyroscorpio vel Pyrobalista, *Pistola*, manuale Tormentum, *Bomba*, olla incendiaria, *Granata*, Pyrochitrum, *Mortaro*, Pyrolmum, *Palla di Canone*, Telum, *Palla di Moschetto*, Jaculum, *Picca*, Sarissa, *Alabarda*, Hasta, *Cavallo di Frisia*, Histrix, *Sciabla*, ensis Scythicus. 3) Munitiones earumque partes: *Balvardo*, Propugnaculum, *Faccia*, it. *Fianco* & *Piazza bassa del Balvardo*, Frons, Latus & inferior Area Propugnaculi, *Feritoria*, Fenestella, *Muraglia*, Lorica murorum, *Parapetto* Loricula, *Banchina*, Scamnus, *Strada coperta*, via tecta, *Rivellino*, Triquetra Munitio, seu Parma promuralis, *Mezza Luna*, opus Semilunare, *Opera a Corno*, opus cornutum, *Opera coronata*, opus coronarium, *Bonetto*, Castellum, *Terra piena delle Mura*, Agger interior, *Ponte levatoja*, Pons sublicius, *Palizzata*, sepes Vallorum, *Linea di Circonvallazione*, Vallum, *Approcci* Vineæ seu Agger militaris. 4) Navium genera: *Nave da guerra*, bellica Navis, *di Mercanzia*, oneraria, *di Trasporto*, Actuaria, *Palandra*, Pyrolmophora, *Galea*, quinqueremis, *Galea bastarda*, Hexeris, *Galeazza*, Hepteris, *Galeotta*, Biremis, *Battelli*, it. *Barche* &c. Lintres, vel Cymbæ, aut Lembi.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ,

Calendis Novembris Anno MDCCXXVII.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB A. D ad MD. LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS collegit, ordinavit & Præfationibus auxit.

Tomi II Pars altera.

Mediolani, ex Typogr. Societ. Palat. 1726, fol. Alph. 7.

LAudandum utique eſt Cl. *Muratorii* conſilium, qui cum initio quædam vetuſtiora monumenta omittere cogeretur, quod eorum copiam non haberet, ea, poſtquam jam tandem nactus eſt, una cum ſupplementis & variis lectionibus librorum jam editorum, Parti alteri, ut nuper Tomi primi, uti alibi diximus, ita nunc ſecundi inferat, ut hoc modo ætati cujusque Scriptoris & ordini conſulatur, nec ultimo loco legantur, quæ primum ſibi in tam præclaro opere vindicare videbantur. Neque minus, quam reliqui Tomi omnes, ſe commendat hæc altera Pars Tomi II, quippe quæ ſcripta inſignis vetuſtatis, eaque pleraque hactenus in ſcriniis latitantia, complectitur. Exſtat enim *I Ermoldi Nigelli*, *Abbatis*, ut videtur, *Anianenſis*, & Autoris ſynchroni *de rebus geſtis Ludovici Pii Auguſti* ab A. 781 ad 826 Carmen Elegiacum, hactenus in Bibliotheca Vindobonenſi Cæſarea deliteſcens, quod a Voſſio, Hallervordio, Grutero item, & imprimis Marqu. Frehero, qui illud ſcriptoribus ſuis inſerere valde optavit, tum & Mabillonio, Caveo, Leibnitio, Eccardo deſideratum, a *Lambecio* vero & *Neſſelio* liberaliter promiſſum, tandemque a *Gentilotto* prelo paratum, nunc demum cum integra hujus

præfatione, annuente Augustissimo Imp. CAROLO VI, & opitulante Ill. Bibliothecæ Præfecto & Archiatro Cæsareo *Pio Nicolao Garellio*, in lucem protrahit Celeb. *Muratorius*, perpetuis notis, iisque longe doctissimis, a se illustratum. Qui scriptor quanti sit momenti, facile intelligunt, qui non ignorant, historicos illorum temporum res tantum præcipuas paucis tetigisse, cum contra noster, more Poetis solenni, etiam minima persequatur, moresque aulæ & viros in ea illustres graphice depingat, ita ut ex eo consuetudines ejus ævi præcipuas cognoscere liceat. *Ermoldum* vocari Autorem, prologus diserte docet, acrostichis conscriptus, quorum initialibus æque ac finalibus cujusque versus literis computatis, hic versiculus conficitur:

Ermoldus *cecinit Ludovici Cæsaris arma*;

Nigellum vero fuisse cognominatum, versiculo sub finem ejusdem Prologi expressit ipse Poeta:

Suscipe gratanter, profert quæ dona Nigellus;

observatque Cl. Muratorius, alterum nomen, *Nigelli* nempe, haud immerito pro agnomine habendum, pro more illius temporis, quo *Flaccus Albinus*, quem *Alcuinum* dicimus, *Amelarius Fortunatus*, *Lupus Servatus*, *Walafridus Strabo*, *Rabanus Maurus* aliique memorantur; non adversatus interim multum Sirmondo, qui media ætate nobiles tantum pluribus nominibus usos censuit, quorum postremum tantum proprium eorum nomen fuerit; quæ præcederent, ascititia ac veluti prænomina fuisse: quæ tamen ad Caroli M. tempora aptari posse negat, verique similius putat, Albini, Strabonis, Nigelli, aliaque ejusmodi agnomina fuisse addita post proprium nomen. Ceterum uti ex ipso Poemate probat, Autorem ob crimen in rem politicam a Ludovico Pio exilio, quod Argentorati imprimis toleravit, multatum fuisse, atque ideo tot laudibus placare Regem voluisse, ut exilii finem impetraret: ita per ingeniose evincit, hunc Ermoldum eundem fuisse, quem alii *Hermenoldum Abbatem Anianensem* vocant, A. 834 a Ludovico Augusto ad filium Pipinum Legatum missum; quæ argumenta hic repeti brevitas vetat. Sequuntur *II Annales*, *Lambeciani* Mabillonio, Pagio aliisque, qui ad eos subinde provocant, dicti, quoniam a Lambecio Commentariis in Bibl. Cæsar. Vindob. non

uno

uno quidem in loco, atque adeo ſparſim inſerti, quos de rebus Francicis ab A. 717 ad A. 803 conſcriptos, nunc junctim, ad Codicem reviſos, Noſter cum ſuis & Lambecianis notis & epicriſi Cl. *Gentilotti*, qui Autorem Caroli M. ætati æqualem cenſuit, magno Lectorum, eorum maxime, quibus hactenus Lambeciani operis copia non fuit, commodo recudit. Quibus ex Bibliothecæ Cæſareæ Codice, a Gentilotto pariter in opere nondum edito recenſito, adjecit Annalium Fuldenſium Supplementum, A. 894 & 895 geſta complexum. *III Breve* ſuccedit *Supplementum ſeu Fragmentum Concilii Romani habiti A. 863*, nunc primum editum e Codice Bibl. Ambroſianæ, capita nempe a ſexto ad duodecimum exhibens, cum Labbeus & Harduinus priora quinque tantum viderint; cui ſubjungitur mox *IV* ex eadem Bibliotheca *Oratio anonymi in Concilio Romano* anno, ut Noſter putat, *864 habita*, quæ, Teutbergam, Lotharii, qui Ludovici II Imp. frater erat, uxorem injuſte repudiatam, aliaque ejus temporis memoratu digna memorat. *V Acta Concilii Ticinenſis A. 876 habiti pro electione Caroli Calvi in Regem Italiæ*, qualia etſi jam antea a pluribus fuerint edita, hic tamen primum integra ex Ambroſiana, cum notis Cl. *Saxii*, producuntur. *VI Anonymi Salernitani Paralipomena*, ut Cl. Editor vocat, ſeu reliqua pars Hiſtoriæ nondum edita ab A. 760 ad 960, quam nunc demum integram dedit Noſter ex MSpto *Euſtachii Caraccioli*, Clerici Regularis. Enimvero Cl. Muratorius jam A. 1723 in Parte I Tomi hujus II p. 281 excerpta hujus ſcriptoris, qualia antea Camillus Peregrinus dederat, cum aliis ejus Collectaneis Hiſtoricis, recuderat. At quoniam tandem integrum Codicem ipſi comparavit Vir bonis literis promovendis natus, *Nic. Carminius Falco*, a quo Dionem Caſſium (cujus libros poſteriores nuper in lucem protraxit) integrum exſpectamus, utique e re duxit, Scriptorem tam vetuſtum, quippe Seculi X, credulum licet, in rebus maxime Caroli M. & Erchemperti compilatorem, non truncatum, ad poſteros transferri, quamvis, ut chartæ parceret, ea hic omiſerit, quæ jam loco ſupra citato impreſſa erant. Ceterum Noſter non contemnendis rationibus evincit, Autori nomen fuiſſe *Arderici*. Ejusdem *Falconis* beneficio, e *Caraccioli* penu Noſter obtinuit *VII Chronicon Farfenſe* ab anno circiter 681 ad 1104, Autore *Gre-*

gorio, Monacho & chartophylace ejusdem monasterii, quod etsi unice fere hujus monasterii (quod fuit olim tantæ opulentiæ, ut in variis provinciis possederit ecclesias & cœnobia 683, urbes duas, Centumcellas & Alatrium, Castaldatus 5, Castella 132, oppida 16, portus 7, salinas 8, villas 14, molendina 82, pagos 315, complures lacus, pascua, decimas, portoria ac prædiorum immanem copiam) res exponat, ob insignem tamen, quæ continet, diplomatum numerum luce dignum Nostro deprehensum, cum paucula tantum inde excerpta dederit Duchesnius Script. rerum Franc. T. III p. 650. Sequuntur *VIII* tria vetusta, sed exigua opuscula, *de Mediolano*, cum hymno S. Ambrosii, *Rithmus in obitum Caroli M.* & *Descriptio Mutinæ*; tum *IX Chronici Monasterii Novaliciensis Fragmenta*, quæ præter illa, quæ laudatus Du Chesne L. c. T. II p. 223 & T. III p. 635 jam publicaverat, hic repetita, adhuc in Codice Malaspineo superfuerunt; & *X Chronicon Monasterii Casauriensis*, in Insula Aprutii ulterioris siti, a fundatione seu A. 866 ad 1182, quo Autor, *Joannes Berardi*, floruit, e Codicis, quo Diplomata Monasterii continentur, quodque Carolus VIII Galliæ Rex, ex Italica expeditione redux, secum in Galliam adduxit, & Bibliothecæ Regiæ Paris. intulit, margine descriptum, cujus partem jam ante dedere Du Chesne T. III & Ughellus T. VI, quodque integrum cum pluribus diplomatibus primus vulgavit Dacherius Spicil. T. V, a Nostro adeo hic recusum, sed longe diplomatibus auctius, quorum copiam, annuente Rege, & Viro Cl. Jo. Boivinio, primo Bibliothecæ custode, libentissime ministrante, Noster impetravit. Subjiciuntur his *XI Kalendaria duo pervetusta*, alterum ex Ambrosiana, alterum apud Camillum Sitonum, Mediolani, quorum usum dum erudite docet in Præfatione Cl. *Muratorius*, inter alia simul explicat, quid per *dies Ægyptiacos*, quorum in utroque hoc Calendario & præterea in alio vetustissimo, Constantii I tempore scripto, subinde fit mentio, indicetur, dies nempe pro infaustis jam olim ab Astrologis Ægyptiacis habiti, quorum superstitionem, insuper habita Ecclesiæ prohibitione, Christiani tanta pertinacia secuti sunt, ut Noster testetur, eosdem dies etiam in Missali Ambrosiano A. 1522 typis edito annotatos fuisse, & adhuc vix quenquam inveniri apud suos & vicinos, qui ex. gr. per integrum men-

menſem Majum, ſuperſtitioſa opinione ab ipſis usque gentilibus derivata, uxorem ducere audeat. Cumque duo potiſſimum quovis menſe dies, & in his certæ quoque horæ præ aliis habitæ fuerint funeſtæ, hinc ex altero Codice Ambroſiano ſexcentorum fere annorum verſiculos producit, rudes quidem & incomptos, quos huc transſcribere lubet. Sunt vero hi: p. 1024.

Jan. *Nona pro te Jani væ ſibilat hora diei.*
Septima fine dies, in quinta parvulus eſt ſerps.
Febr. *In quarto Februi fas eſt octava timeri.*
Tertia lux decima de cuſpide lædit in hora.
Mart. *Prima notat primum lux Martis mordicus horam.*
Quarta dies nequam damnat de fine ſecundam.
Apr. *Lux parit Aprilis decimam primam velut anguis.*
Clamat in undecimo de cuſpide nona nociva.
Maj. *Tertius eſt Judas in Majo, ſextaque Eliſas.*
Septimus in decima ſerpens eſt lividus hora.
Jun. *Juni dena dies, in quinta conſtat Oſites.*
Quindenus quarta vocat horam fine ſagitta.
Jul. *Terdecimo Juli ſtat linea dena timeri.*
In nona decimus de cuſpide fit baſiliſcus.
Aug. *Cernitur Auguſtus primæ nepa prima diei.*
Eſt in ſeptena lnx noxia fine ſecunda.
Sept. *Tertia Septembris, in quinta quæritur hoſtis.*
Et pede dena dies, in quarta funeris hoſpes.
Oct. *Tertius Octobris, in quinta quæritur hoſtis.*
Nititur undecimo fore peſtis linea nona.
Nov. *Eſt acus octava lux quinta Novembris in hora.*
A pede terna manet, cui peſſima quinque cohæret.
Dec. *In prima Cancri lux eſt ſeptena Decembris.*
Sic nocet undecimus, ſeptaque mortalibus hora.

Agmen claudunt XII duplex *vita S. Athanaſii Epiſc. Neapol.* a *Johanne* Diacono & *Petro* Subdiacono ſcripta, & e Tomo IV Actor. Sanctor. Julii die XV cum præfatione & notis Guil. Cuperi Soc. J. huc translata, & *XIII Variantes Lectiones ad Hiſtoriam Luitprandi,* Tomi II Parte priori editam, e tribus Codicibus MSS. Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, ope primi Cuſtodis Nic. Forloſiæ, depromptæ.

FACIES RERUM SARMATICARUM IN Facie Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lituaniæ expressa per R. P. ADAMUM IGNATIUM NARAMOWSKI, Soc. Jes. AA. LL. & Philos. in alma Universitate Vilnensi Doctorem.

Libri II.

Vilnæ, typis Universit. Soc. Jesu, L. I 1724 & L. II 1726, 4.
Alph. 5 pl. 20.

HAud leviter instructus ad Historias has scribendas accessisse videtur Rev. Autor: præterquam enim quod passim ad idoneos Scriptores provocat, monumenta quoque inedita, ut *Sapiehana, Szpottana, Petri Dunin, Dominici Podolec*, S. J. aliorumque, speciatim *Stanislai Tobarski Vitam Radivilli*, Historias item anonymorum, *Smolensci, Collegii S. J. Vilnensis, Varsaviensis* item, *Nesviensis, Pultaviensis, Rigensis & Orsensis*, subinde consuluit. Nec barbaro utitur sermone, sed ingenioso & sententiis picto, qualem amat fere gens ista. Libris duobus opus partitus est, non uno tempore editis, quorum primum Illustriss. S. R. I. Comiti Stanislao Donhoff, Palatino Polocensi &c. alterum Celsissimo Regni Poloniæ Tribunali ejusque Assessoribus inscripsit. Et in illo quidem, Capitibus XVII diviso, agit de gestis heroicis Regum Regnique memorabilibus, de rebus aliis notabilioribus Poloniæ & Lituaniæ, speciatim prodigiosis, de pœnis aliquando Regno divinitus illatis, de monstris, aliisque extraordinariis, ut Cometis, de initiis rerum notabilium & consuetudinum, de origine & nomine Regni, provinciarum & urbium, earumque insignium, de dictis Principum argutis, de fœderibus inter indigenas & cum vicinis factis, de religionibus, Abbatiis & Academiis, de prærogativis nobilitatis & ordinis equestris, de origine hæresium, de avulsis a Polonia provinciis, aliisque singularibus. In altero vero Libro, qui multo prolixior, succinctam Regum Poloniæ & Ducum Lituaniæ, tum Archi-Ep. Gnesnensium, Leopoliensium & Cracoviensium, nec non Episcoporum Crusvicensium, seu Uladislaviensium, Posnaniens. Vilnens. Plocens. Varmiens. Luceoriens. Premit-

mislienſium, Samogitiæ, Culmenſium, Chelmenſ. Kiovienſ. Camenæcenſ. Smolenſcenſium, & Livoniæ, ſeriem exponit. Nos unum alterumve, quod memoratu dignum viſum, ex utroque Libro decerpemus. Cum ex Lege Ludovici Ungari & Uladislai Jagellonis nobiles propriis impenſis Regnum defendere & hoſti occurrere teneantur, inde factum Noſter putat, quod antiquitus fœminæ in bona nobilium non ſuccederent, nec magnam caperent dotem, ad ſummum quippe centum marcas, ſi opulentiores fuiſſent poſſeſſiones, quia per ſe non poterant concurrere ad tuendam Remp. De Sigismundo Auguſto refert, eum ſectæ Lutheranæ viſum fuiſſe obnoxium, quod in Lithuania imprimis Regias patrocinii litteras illis conceſſiſſet, qui amplas Eccleſiæ poſſeſſiones partiti ad eam convolaſſent; obſervatque, Lutherum etiam ipſum ſua illi Biblia dedicaſſe, quæ viſa fuerint in Bibliotheca Collegii & Academiæ Vilnenſis Soc. Jeſ. holoſerico & argento compacta, usque ad bellum Johannis Caſimiri Regis cum Suecis & Moſcis habitum, quo tempore a Regiomontanis, dum illuc ob belli metum tranſlata erat Bibliotheca, cum alia ſupellectile, erepta ſint, teſtibus Collegii Actis. Et quamvis fateatur Noſter, tunc in Lituania vix milleſimam partem Catholicorum, in Samogitia vero A. 1576 non niſi ſex ſacerdotes Cathol. ſuperfuiſſe, nec neget, poſt mortem Sig. Auguſti jurejurando Regio inſertam fuiſſe formulam: *Pacem & tranquillitatem inter diſſidentes de religione tuebor* &c. Vilnenſi tamen Collegio ſuo adſcribit, quod plerique hoc tempore fuerint ad fidem Catholicam reducti, paucis exceptis, quibus ad Comitia Grodnenſia A. 1718 non amplius aditum patuiſſe, gaudet. Quantum vero in miſeros Thorunenſes declamaverit Autor, apud ipſum legi malumus a p. 329 ad p. 336, ubi etiam inſcriptionem affert, in marmorea Mariana columna, Thorunii poſt hanc feralem ſcenam erecta, juſſu Judicii exarandam. Notat etiam de Joanne Wezyk Archi-Ep. Gneſnenſi, quod in coronatione Uladislai IV, cum is jurans verba modo antea memorata attigiſſet, ſolus ſacro zelo motus publice proteſtatus fuerit, tum quod idem Biblia Lutherana Gedani impreſſa, & Regi huic dicata, prorſus ſuppreſſerit, editaque ſevera lege vendi prohibuerit. Ceterum Liber II hiſtoriæ litterariæ cupidis non ingratus erit, cum Epiſcopos memo-

Lib. I. p. 269. 279. 282. 334. Lib. II. 145.

memorando multos simul Autor producat Viros scriptis claros, ut inter Varmienses Stanislaum Hosium, cujus Diploma indigenatus & nobilitatis authenticum producit p. 449 sq. & Martinum Cromerum p. 456, inter Premislienses Paulum Piasecium p. 518, & inter Plocenses Andream Chrysostomum in Zaluskie Zaluskium, Epistolis status, ad res Regis nostri Potentissimi apprime facientibus, illustrem, qui A. 1711 mortuus, hoc sibi breve epitaphium poni voluit: *Hic jacet Andreas Episcopus. ConCVLCate peCCatoreM zaLVskI aC pro eo orate*, p. 426. Id tamen in universum observandum, quod non tam vitas quam elogia, eaque plerumque admodum succincta, dederit Rev. Autor.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE des hommes illustres dans la Republique des lettres, avec un Catalogue raisonné de leurs Ouvrages,

h. e.

COMMENTARII HISTORIÆ CELEBRIUM in Republ. Litter. Virorum inservientes, accedunt Catalogi librorum, cum judiciis & censuris.

Lutetiæ Paris. apud Briassonium, 1727, 12.

Pl. 18.

ANώνυμος hujus voluminis conditor, videns, ut in Præfatione commemorat, valde in Gallia pariter ac Italia negligi virorum eruditione clarorum historiam, Anglos vero illustrium suorum civium vitas nimis copiose describere, Germanos denique promiscue quosvis literati gregis longa vitæ descriptione honestare; in animum induxit singulis trimestribus volumen edere, vitas eruditorum recentioris ævi justa brevitate descriptas continens, addita librorum a singulis editorum mentione, prolatisque, quæ de iis publice lata fuerunt, judiciis. Hausit autem, ut in singularum vitarum exitu indicat, ea, quæ hic concinnum in compendium redacta exhibet, ex nostris *Actis eruditorum*, ex *Novis literariis* tum nostris, tum Belgicis, ex *Diariis literatis* Parisiensi, Trevoltiensi, Hagensi, ex *Bibliotheca Germanica & Anglica*, simili-

milibusque libris aliis: eoque nomine laudari meretur, quod, quæ passim dispersa legebantur, uno fasce complexus est. Prodeunt igitur hoc volumine (alterum etiam jam sub prelo fervet,) Vitæ Isaaci *de Larrey*, Ludovici *Ferrandi*, Jacobi *Perizonii*, Philippi *de la Torre*, Joannis *Lockii*, Petri Danielis *Huetii*, Joannis *Peringskioldi*, Claudii Francisci *Menestrierii*, Benedicti *Picteti*, Dominici *Guilelmini*, Joannis *Martianæi*, Pauli *Rabussonii*, Sigismundi *Schmiederi*, Alberti Henrici *de Sallengre*, Ludovici Antonii *de Ruffy*, Jacobi *Bernardi*, Henrici *Dodwelli*, Jacobi *le Long*, Jacobi *Rhenferdii*, Pauli *Casati*, Pauli *Pezronii*, Antonii *Pagii*, Vincentii *Placcii*, Stephani *Baluzii*, Ignatii Gastonis *Pardies*, Georgii *Bulli*, Guilielmi *Delisle*, Richardi *Simonis*, Joannis *Tolandi*, Joannis Baptistæ *du Hamel*, Nicolai *le Nourry*, Casimiri *Oudini*, Guilielmi *Blanchardi*, Pauli *de Rapin de Thoyras*, Ludolfi *Kusteri*, Petri *Heylini*, Ægidii *Menagii*, Ismaelis *Bullialdi*, Adriani *Relandi*, Conradi Samuelis *Schurzfleischii*, Joannis *Dei* (*Dée*) Spiritus (*Esprit*) *Flecherii*, Jo. *Cosini*, Pauli *Segnerii*, Vinc. *de Filicaia*, & Oligeri *Jacobæi*. Videntur pauci a nobis exspectare hujus operis specimen, cum in supra laudatis commentariis plerique jam legerint haud dubie, quæ hic conjuncta exhibentur. Ut tamen more nostro nos geramus, primam vitam quam brevissime repræsentabimus. *Isaacus Larræus*, ortu Eques Normannus, Montevillerii natus est A. 1638 mense Septembri. Patre præmature rebus humanis erepto, Cadomi literis operam navavit humanioribus, idque præclaro cum successu. Hinc ad Jurisprudentiam animum appulit, eamque ob causam Harflevium se contulit in præstantis Advocati domum, cujus mox filiam suam fecit uxorem, admodum adolescens necdum completis viginti ætatis annis. Redux inde in patriam tam prospere causas egit, ut complurium principum virorum sibi conciliaret favorem singularem. Ipse interea præter Jus Civile etiam historiam tractavit ceterasque amœniores literas, ne Theologia quidem omissa. Cum vero circiter annum seculi superioris octogesimum accideret, ut filia ipsius natu maxima Catholicam amplexaretur religionem, veritus, ne iterum hoc dolore afficeretur, regno exire una cum liberis suis constituit. At cum huic consilio obstaret Edictum Regium, nec

deprecatoriæ Electoris Brandenburgici literæ quicquam proficerent, clam excedere & evadere conatus est. Etsi autem in primo suo conatu deprehensus conjiceretur in carcerem, inde tamen liberatus oblata secundiore occasione trajecit in Hollandiam: ex qua statim cum uxore & quatuor liberis se Berolinum contulit, auctusque ibi est tum certo stipendio, tum titulo Consiliarii aulici & legationum. Hoc in otio libros scripsit haud paucos, inter quos duo opera eminent: *Historia Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ*, ac *Historia Ludovici XIV Galliæ Regis*. Ceterum nec Anglorum applausus prius, nec Gallorum posterius excepit, utrisque judicantibus, elaborationem nimis esse perfunctoriam. Vita excessit Larræus A. 1719 d. 17 Martii. Ex ceteris Vitis cum nihil excerpendum duxerimus, tamen præterire nolumus, quod *p. 73* de *Menestrierio* relatum legimus, eum videlicet adeo polluisse memoria, ut coram Christina, Sueciæ Regina, trecenta peregrina vocabula sibi ab alio recitata statim repetierit, nec semel solum priori ordine, sed etiam ordine inverso varieque mutato.

JO. CHRISTOPH. WOLFII, PASTORIS AD D. Cathar. Hamburgensis & Scholarchæ, Bibliothecæ Hebrææ

Volumen III,

complectens accessiones & emendationes, ad Volumen I totum & Partem secundi, quoad de scriptis Anonymis exponit, pertinentes.

Hamburgi & Lipsiæ, apud viduam Felgineriam, 1727, 4. Alph. 7.

TErtium hoc est Volumen egregii Operis, cujus Vol. I in Actis his A. 1715 p. 265, II autem A. 1722 p. 194, enarravimus. Sistuntur vero hic copiosa supplementa, nec paucæ emendationes ad Volumen I integrum & Partem secundi eam, quæ de Anonymis Hebræorum Scriptoribus agit, spectantes. Apparatus hujus novi copia, quæ molem Voluminis I fere æquat, Rev. Autori ex variis occasionibus subnata est, quas ipse in præfatione commemorat,

morat. Scilicet cum in proferendo perque operas exscribendo Tomo I occupatus esset, idque fere dimidium absolvisset, notitiam accepit amplissimæ Bibliothecæ Judaicæ, quam R. *David Oppenheimerus*, Archi-Synagogus hodie inter suos Pragensis, incredibili sumtu & improbo labore congestam, Hannoveram asportari curaverat. Eam igitur tunc quidem, cum Volumen I sub prelo ferveret, obiter, quod rationes ejus tum ferebant, inspexit, postea vero repetitis vicibus diligentius excussit, atque adeo priorem apparatum insignibus auctibus locupletavit. Factum vero præterea est, ut A. 1720 insignem librorum Judaicorum supellectilem, quam *Christianus Theophilus Ungerus*, ὁ μακαρίτης, Pastor quondam primarius Herrnaurschützensis & Ritzenensis in Silesia, undiquaque collegerat, a vidua redimeret, atque adeo opportunitatem monumenta hæc Judaica diligentius evolvendi nancisceretur. Accessit his præsidiis aliud non contemnendum, quod literis Judæorum ad B. Ungerum a Judæis Polonis, Bohemis, Germanis & Italis frequenter missis, epitaphiisque, Judæorum eruditorum memoriæ consecratis, continetur. Cum enim literæ illæ ad rem Judæorum literariam maximam partem spectarent, fieri non potuit, quin alia adhuc ignota Rev. Autori paterent, alia incerta & dubia in sua luce collocarentur. Quæ causa est, cur idem ad has literas, quarum nonnullas in posterum in lucem proferet, nec minus ad observationes a B. Ungero olim, quoad superstes erat, communicatas, subinde cum honoris præfatione provocet. Non minus vero gratus commemorat aliorum eruditorum virorum liberalem benevolentiam, quam testati sunt illi, transmissis cum aliis observationibus, tum indicibus Codicum MSC. Hebraicorum, hactenus desideratis, qui in Parisiensibus aliisve Bibliothecis deprehenduntur. Sed nec in his acquievit Rev. Autoris industria. Perspectum ipsi cognitumque erat, Bibliothecam Academicam Leidensem & editis & MStis Codicibus Hebraicis ex illustrium Virorum, potissimum *Jos. Scaligeri* & *Levini Warneri*, legatis egregie instructam esse, qui ampliorem & accuratiorem enarrationem, quam quidem catalogus illius Bibliothecæ A. 1716, in folii forma recusus, præstabat, requirerent. Illuc igitur profectus Codices MSS. singulos perquisivit, & imprimis inter Warnerianos

egregiam, alibique frustra quærendam Scriptorum Karaiticorum copiam invenit. Atque in his Karæorum commentationibus indicandis & laudandis imprimis se diligentem præstitit Noster; eorundem opuscula quædam integra vel saltem ex amplioribus excerpta in posterum exhibiturus.

Ita igitur se instructum videns ad Volumen Operis I, nunc supplendum, nunc emendandum aggressus est, ea quidem ratione, ut qui in illo commemorati erant Scriptores, istorum nomina, notis numericis a se invicem distincta, in Supplementis his repetantur, insertis ex ordine novis, quorum mentio vel antea neglecta erat, vel, quod nondum exstarent, fieri non poterat. Illorum, qui jam laudati erant, tantum non omnium, notitiam ita vidimus esse locupletatam, ut nunc vita fataque Scriptorum diligentius exponantur, nunc homonymi Scriptores, antea inter se confusi, distinguantur, nunc scripta, appellatis & typographis, &, quot constent foliis, argumentisque singulorum indicatis, copiosius enarrentur, nunc denique ex rarioribus excerpta insigniora exhibeantur. Ex quo intelligere licet, Autorem tantum non semper ipsa Judæorum scripta, quod paucis hactenus contigit, ob oculos sibi posita habuisse, nec alienæ fidei suam recensionem superstruxisse. Poteramus dictis fidem facere exemplis, nisi singula fere folia argumentum inspicienti præberent. Unum tamen ex ceteris afferre fas fuerit. Constat R. *Jacobi* filii *Ascher* librum ארבע טורים inscriptum, & Judæis frequenti usu tritum, iterum iterumque, nunc sibi relictum, nunc commentariis recentiorum illustratum, operas exercuisse. Inter tot editiones una est, procul dubio prima, quæ Bibliothecarum Hebraicarum Scriptoribus & Annalium seu Originum Typographicarum conditoribus hactenus omnibus se subduxit. Curata illa est Plebisacii Hebr. פיוביא די שקו Italis *Piove di Sacco*, vico urbi Patavinæ vicino, anno æræ Judaicæ majoris, quæ ab orbe condito ducitur, 5238, æræ vero Christianæ 1478 fol. in ædibus R. *Meschullam* cognomine *Kosi*. Codex est membranaceus, nitidissime quadratis literis expressus, qui tamen duos tantum posteriores ordines, *Even haëser* & *Choschen Mischpat* exhibet, sive quod priores duo illo quidem in loco lucem nunquem viderint, sive quod injuria temporis exemplar, quod ex Bibliotheca Unge-

Ungeriana nactus est Noster, imperfectum existimari debeat. Illud cum cura describitur p. 444 seqq. tanquam tale, quod omnes, qui hucdum recensiti exstant, libros Judæorum editos antiquitate superet. Mentionem hujus voluminis fecit *Hieronymus Albrizzi*, Bibliopola eruditus & inter Venetos hodie præstantissimus, in Novis literariis, sub titulo *Fogletti literarii* Venet. 1723 num. II 7 Jun. p. 22, Italice editis, quæ tamen p. 446 ex aliqua parte emendantur. Hæc de instituto & ratione Supplementorum sufficiant, si monuerimus, inde a p. 1170 usque ad finem operis legi accessiones ad notitiam Scriptorum Hebraicorum Anonymorum, quæ in Volumine II p. 1247 sqq. suppeditari cœperat, referendas.

Inseritur præterea p. 1080–1094 R. *Samuelis* filii *Davidis Jemsel*, Judæi Karaitæ, Itinerarium, a B. Gustavo Peringero a Lilieblad Upsaliæ olim ex MSt. hebraice in 4 paginis 16 editum, & Latina ejus versione instructum. Cum enim in illo res non contemnendæ, & tales imprimis, quæ ad Karæorum conditionem in Ægypto cognoscendam pertinent, referantur, Rev. Autori consultum visum est, particulam hanc itineris, (quod totum Peringerus non edidit) in plurium usum perducere, cum integrum in Suecia frustra quæsivisset. Colophonem operi imponit, præter indicem, titulos librorum Hebraicorum in Volumine I & III hoc consignatos, literarum serie exhibentem, Appendix, quæ eruditorum curiositati faciet satis. In illa se offert specimen versionis Pentateuchi Græco-barbaræ a Judæis elaboratæ. Lucem hæc vidit CPoli A. 1547 fol. ex officina Elieseris filii Gerson Soncinatis in Pentateucho Polyglotto, per tres foliorum singulorum columnas ita expresso, ut in media textus Hebræus vocalibus & accentibus instructus, in dextra versio *Hispanica*, in sinistra *Græco-barbara*, utraque literis hebraicis punctatis, legatur. Illius mentionem post alios nominatimque *Jac. le Long* in Bibliotheca Sacra p. 41 editionis in fol. repetitæ, Noster fecerat in Volumine II Bibliothecæ Hebraicæ p. 355 & 447. Cum vero nusquam specimen istius interpretationis Græco-barbaræ exstaret, Rev. Autor operam dedit, ut primam illius Pentateuchi paginam, quæ quinque priora capitis primi Geneseos commata complectitur, ex Belgio nancisceretur, lectoribus

hic exhibitam. Primum itaque versionem ex dialecto Græcorum recentiorum literis Hebraicis, quibus Interpres Judæus usus est, & a latere, literis Græcis repræsentat, quam deinde simili ratione versio Hispanica, literis scilicet Hebraicis & Latinis descripta, excipit. Ex specimine hoc intelligenti patebit, interpretationem Græcam ex hodierna dialecto non ad exemplum τῶν LXX, sed novo Interpretis conatu esse elaboratam. Paucula quædam ejus verba *Jo. Seldenus* pro insigni sua harum literarum peritia reci averat in libro II de Jure Naturæ & Gentium cap. XI.

Post hæc suppletur quædam lacuna in חזוק אמונה, libro Anti-Christiano virulentissimo, hactenus non observata. Wagenseilium τὸν μακαρίτην illum primum in *Telis igneis Satanæ*, hinc vero Judæos Amstelodami A. 1705 in 16 luce donasse constat. In utraque hac editione, *Altorfina* scilicet p. 113, *Amstelodamensi* autem p. 30, hiat contextus, aliquot scilicet foliis fortasse ideo truncatus, quod librariis Judæorum nonnulla, quæ genti suæ fraudi esse possent, in Christianos durius scripta viderentur. Lacuna ipsa detecta primum est a B. Ungero supra laudato, beneficio Codicis MSti, qui ut multa alia libri pestilentissimi loca emendatiora & pleniora exhibet, ita & hiatum illum resarciendi occasionem suppeditavit. Hoc fine Codicem integrum cum editione Wagenseiliana curate comparaverat ὁ μακαρίτης, consignatis ad oram exemplaris sui lectionum varietatibus & supplementis, inter quæ id, de quo sermo est, eminet. Ex collato itaque exemplo illo, (quod primum ad Rev. *Godofr. Balthas. Scharffium*, Seniorem hodie Ministerii Evangelici apud Suidnicenses meritissimum, ejus vero beneficio ad Nostrum pervenit,) restituuntur illa, quæ non tam casu excidisse, quam a Judæis sibi metuentibus destinato consilio omissa esse videntur. Hebraico contextui Rev. Autor Latinam suam interpretationem opposuit, addito in calce specimine ceterarum variarum lectionum, quæ & frequentes sunt & editioni Wagenseilianæ emendandæ amplissimam præbent materiam.

Superest, ut Lectorem moneamus, Rev. Autorem in calce præfationis spem facere copiosorum supplementorum & emendationum ad Volumen II Bibliothecæ hujus pertinentium, una cum

cum Indicibus in totum Opus pleniſſimis, quibus perficiendis ut Numen divinum & valetudinem firmam & otium idoneum ipſi gratioſe largiatur, ex animo precamur.

JOANNIS ALBERTI PERICULUM CRIticum, in quo loca quædam cum Veteris ac Novi Fœderis, tum Heſychii & aliorum illuſtrantur, vindicantur, emendantur.

Lugduni Batavorum, apud Joh. Arn. Langerak, 1727, 8 maj.
Pl. 9.

AB inſigni eoque ſumme laudabili animi modeſte de ſe ſentientis charactere profectum eſt, quod Vir Cl. poſt eruditum opus Obſervationum Philologicarum ad omnes libros N. T. A. 1725 editum, & Menſe Julio ejusdem anni a nobis p. 302 ſeq. recenſitum, nunc novo huic & non minus præclaro ingenii ſui monumento, *Periculi* critici, quod majorem titulum merebatur, nomen imponere voluerit. Et quanquam pauca ibi V. T. loca attingat, ex iis tamen non omittemus, *Deut. XXXII, 39*, p. 2 ſignantius quam a LXX & Vulgato verti, *videte nunc, quod Ego, Ego ſim IS*, particula hac Dei ſimplicitatem ac immutabilitatem exprimente. Non exhauſit emphaſin hanc ſane Jo. Crojus Obſ. Sacr. c. 21, bene tamen Jac. Guſſetus in רְאֵה noſterque Seb. Schmidius h. Ad *Pſ. CXXI, 4*, elegans p. 5 affertur locus Heliodori, adventum Deorum profanos latere quidem, a ſapiente autem cognoſci ex oculis illorum poſſe, quod palpebras nunquam concludant, ἀτενὲς διόλȣ βλέποντες, καὶ τὸ βλέφαρον ȣ̓́ποτε ἐπιμύοντες, Æthiop. Lib. 3. Jam Novi Fœderis etiam libris, dum Cl. Jo. Pricæi emendationes diſcutit, inſignem Noſter lucem conciliat. Ait enim p. 10, *ſe omnia ea loca, quorum receptam lectionem movere Pricæus ſtuduit, quæque a nemine hactenus excuſſa ſint, diligentius vindicaſſe a Capite IV usque ad caput XIV.* A capite XV autem usque ad finem magna pars Heſychii Grammatici juxta ordinem illuſtratur, aut plane emendatur: quod in exiguo hoc libello fieri potuiſſe, nemo forte præſumſiſſet. Ne tamen excidat nobis locus *Eſaiæ VII, 14*, qui apud Pricæum ad *Luc. I, 31*,

I, 31, occurrit f. 203, existimat ille apud LXX ex Hesychio scribendum, συλλήψεται pro λήψεται, & vicissim apud Hesychium συλλήψη, ἐν γαστρὶ ἕξει, verbis LXX, ad quæ ille respexerit, non ἔγγαστρον ἕξει. Ac nollem hunc Nostro locum omissum, qui in locis Hesychii recensendus. *Matth. IX, 5*, tentat Pricæus hoc modo interpungere, ut duplex interrogatio subsit, τί γάρ; ἔστιν εὐκοπώτερον, εἰπεῖν — ἢ εἰπεῖν, *quid enim? estne facilius dicere peccatori, remittuntur tibi -- an paralytico dicere, surge?* Sensus certe non fit obscurior. Retinet tamen Dn. Alberti p. 11, 12 vulgatam distinctionem. Alia autem adhuc apud *Matthæum* tetigit Pricæus, quæ hic non occurrunt. Quale illud *c. XVI, 22,* καὶ προσλαβόμενος αὐτὸν ὁ Πέτρος, positum id censens pro λαβόμενος, ac vertens, *manu prehendens vel arripiens*, non, *complectens* nec *seorsim abducens*. Sequens enim, ἐπιτιμᾶν αὐτῷ, asperius & liberius quid permittere. *Luc. II, 32*, pro εἰς ἀποκάλυψιν posse legi, εἰς ἀνακάλυψιν, sensu percommodo, si firmante Codicum authoritate fieret: ut per gentium revelationem intelligamus ablationem τοῦ καλύμματος τῶν καρδιῶν. Quo pertinent ἀνακαλυπτήρια sponsarum, ὅταν τὸ πρῶτον ἀνακαλύπτωνται ἀνδράσιν ὁρᾶσθαι. Respondet Noster p. 13, *cui usui sit talis crisis, ignoro*. In Epistola autem *Judæ comm. 12*, ubi pro σπιλάδες, *saxa sub aquis latentia*, legit Pricæus σπίλοι, *maculæ, sordes*, ex *2 Petr. II, 13*, mutat sententiam p. 38, *ambabus ulnis amplecterer* σπίλοι, *si veterum Msc. autoritate esset munita lectio.* Sic *Apoc. XII, 7*, καὶ οὐκ ἴσχυσαν, ubi Pricæus, κατίσχυσαν, ex *Luc. XXIII, 23*, quia simplex eo modo in his libris non ponatur; Noster p. 41 similiter, *optime si Codices faverent.* Atque iterum ad *1 Joh. III, 20*, p. 35, illud ὅτι, secundo loco positum, Pricæo videtur aut in ἔτι mutandum aut delendum. Noster, *neque mihi prius displiceret, si Codicum suffragia darentur.* Ad *Luc. III, 18*, εὐηγγελίζετο τὸν λαόν, Pricæus f. 227, ex Thoma Magistro, *apud unum Chariclidem hanc constructionem inveniri.* Hic Noster p. 15, *vellem docuisset, quis ille Chariclides? Nam Thomas ita loquitur,* ὡς παρὰ Χαρικλείᾳ, *forte Pricæus legit* Χαρικλείδῃ, *sed dubio procul Heliodorus innuitur, cujus Opus olim* Χαρίκλεια *a plebe dictum.* Suidas similiter εὐαγγελίζομαί σε,

σε, *αἰτιατικῇ*, five cafu quarto; fed non aperuit, ubi invenerit id apud profanos, fol. 880 Tom. I. Nobis non videtur Pricæus ne hic quidem quidquam peccaffe. Nam ad *Luc. XV, 20* & *XXIII, 27*, difserte citat Heliodori verba Græca, ac dicit, ea loqui de Chariclia & Theagene. Ad *Actor. X, 17* & *XXVII, 15*, nominat Heliodori Librum primum: iterum ad *Act. XX, 38* & *c. XXII, 26*, librum quintum: aliquoties etiam alibi omittit libri numerum. Mendum ergo eft ad *Luc. III, 18*, librario imputandum, qui fcribere debuit, *apud unam Charicliam*, vel *Charicleam*. Heliodorum ibi nominare noluit Pricæus, quia eum nec nominat Thomas: decem etiam libros Æthiopicorum familiares fuiffe Pricæo, liquet. Ejusdem tria alia loca circa expofitionem *Act. XIII, 42* adducuntur a Noftro de voce *μεταξὺ*, ubi dubium erat, an id habeat fenfum intervalli feu interjecti temporis, an vero fubfequens tantum tempus notet, p. 45, 46. Duo priora loca, Lib. 2 p. 74 & Lib. 6 p. 267, favere ait etiam verfioni receptæ, *fequenti Sabbato*, tertium autem, Lib. 7 p. 344, flagitare *intervalli* fenfum. Utique intervallum illius temporis, quod interjectum eft inter duo Sabbata, etiam fubfequitur Sabbatum primum; fed connotatur voce Græca præterea totus ille tractus intermedius fimul; quod non fit, fi fimpliciter vertas, *fequenti Sabbato*, obfervante noftro Erafmo Schmidio, ibidem. Eo modo loquitur Diofcorides Lib. 3 c. 51: *Baccharis folia afpera funt*, *μέγεθος ἔχοντα μεταξὺ ἴυ καὶ φλόμυ*, *magnitudinem habentia mediam inter violam & verbafcam*. Rem ipfam Suidas etiam vidit, fed interjectionem perfpicue non expreffit Latinus; nam *ἀναμέσον* non eft hic, *interim dum*, in priori exemplo. In fecundo nil exhaurit *τὸ ἔτι, ὃ πρὸ πολλοῦ*. Rectius Alexander tempore illo intermedio, cum inter bibendum incaluiffet, ira accendi cœpit. *Μεταξυλογία* autem innuit intervallum iftud optime. Corruptam a multis jam feculis lectionem *Luc. I, 78*, exiftimans Pricæus, fcribendum ait *ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἄνωθεν ἐξ ὕψους*, *Deus vifitavit nos defuper ex alto*, copiofeque contendit fe tueri. Nec debuiffet hanc crifin, quæ omnium eft difficillima, prætervidere Nofter; fiquidem omnia vindicare voluit. Nam & ad *Luc. IV, 16, 17*, *intravit die Sabbati in Synagogam*, non omifit p. 43, 44, dialogum hominis Judæi cum Chriftiano, recitatum a Suida,

 aut

aut interpolatore illius, in Ἰησοῦς. Quod enim non Suidas ipse hic loquatur, neque ex eo, quod Christo sit traditus liber Esaiæ ad prælegendum, concluderet, munus aliquod sacerdotale apud Judæos eum habuisse, nec crediderit Suidas, narrari ibi vere aliquod mysterium Judaicum, lectu vel ideo dignum, quia divina ipsius origo ex illibata virgine valide hic demum confirmetur; sed vero aliunde totum hoc irrepsisse, notum est. De Judæis certe & de Justiniano M. commentari hic non fuit Suidæ propositum; ceu ex errore in nomine Justini Senioris, & excerpto Democriti de Judæis f. 123 & 128, Tom. I Ed. Küst. intelligitur. Pricæus contra ad *Luc. VIII*, 25, paulo aliter exercuit ingenium suum in verbis *Marci IV*, 40, ponendo interrogationem post ἐστε hoc modo, τί δειλοί ἐστε; *quid timidi estis?* οὕτω πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν; *siccine non habetis fidem?* Et respondebant illi inter se, τίς ἄρα οὗτός ἐστι; *quinam iste igitur est?* Porro *Act. XIX*, 25, οὗτος legit pro οὓς, συναθροίσας Demetrius, εἶπεν, Ἄνδρες συντεχνῖται, ex antiquo Codice. Sed compensat tamen industriam suam Dn. Alberti, quæritque vicissim ad *Matth. IV*, 11, p. 48, an per angelos ministrantes Christo, præter alia ministeria innuatur etiam ministerium cibi, ob famem præcedentem? hunc enim locum non tetigerat Pricæus. Wolzogenius hic, *nihil*, inquit, *prohibet statuere, eos Christo cibum aliquem attulisse, quemadmodum Eliæ.* Jam olim idem sensit Landulfus Cartusiensis. Fridericum autem Spanhemium Part. III Dub. Evang. 68 laudasset Noster. Si vero ista quæstio non sit critica, ecce aliam ad *Hebr. XII*, 27, τὴν μετάθεσιν σαλευομένων, ὡς πεποιημένων. Fatetur p. 54, 55, sibi diu arrisisse emendationem Cl. Bos, πεπονημένων. Conjungere hæc duo quidem Hesychium; sed sine Codicibus nihil facile mutandum, rursus arbitratur. Novum tamen sensum vocabuli attulit & πεποιημένον ait dici, quidquid non est solidum & duraturum. Et hæc opponi iis, quæ non commoventur, sed manent. In Epistolam ad Hebræos non scripsisse Pricæum, qui istum alias locum non neglexisset, ad reliqua illius Viri desiderata referendum est. Nunc quum in Evangelium Lucæ & Acta prolixe commentaretur, promptum ei fuerat etiam Hebræos adjungere, quos eundem habere Autorem, ex quarundam convenientia locutionum

vide-

videbatur sibi posse conjicere, ad *Act. III, 13, & XXV, 16.* Famam Pricæi lacessunt p. 71, qui eum credidisse putant, *baccaris* esse nomen scriptoris, quem Hesychius laudet in materia unguentorum, voce βρένθιον, illumque scriptorem retulisse in Indicem Hesychianum, Commentario Apuleji annexum p. 743. Iterum autem absolvet eum, qui duo loca Hesychii in βρένθιον & βάκκαρις contulerit. In neutro est vestigium alicujus scriptoris. Μύρον vocat utrumque, & alterum alteri comparatur, βρένθιον μύρόν τι ὡς βάκκαρισ. βάκκαρις μύρον Λύδιον. Excussit hæc Salmasius in Solinum ubertim f. 1068, Suidas etiam Hesychio hic consentaneus, βρένθος δὲ εἶδος μύρου, *est genus unguenti.* Quæ ibi sequuntur, luxata sunt, neque a Cl. Küstero restituta f. 455 Tom. I. Hominem autem, cui curam indicis sui commiserat Pricæus, τὸ ὡς decepit. Aliquando nominat Hesychius scriptores diserte: Σαμβύκη τὸ μουσικὸν ὄργανον, οὗ μέμνηται Ἴοβας, καὶ πολιορκητικὸν, οὗ Βίτων. Alibi loquitur abruptius: Σανδράκη, τροφή τις τῶν μελισσῶν, ὡς Ἀριστοτέλης. Σάνδυξ, δένδρον θαμνῶδες, ὡς Σωσίβιος, *ceu tradit Sosibius.* Id vero non est perpetuum. Nam βρένθιον est unguentum tale, ὡς βάκκαρις, *quale baccaris.* Ita nullus index forte ab ejusmodi lapsibus excipietur. Pricæo autem id non imputes. De istis unguentis plura Foesius in Oeconomia Hippocratis f. 118. Nunc publico nomine prædicari meretur collectio tot emendationum Hesychii, quam hic inimitabili assiduitate iterum exhibet doctissimus Autor noster; dummodo examinentur prius τὰ διαφέροντα, addanturque nomina virorum, qui primi suo quisque loco ita emendarunt. Sic κατερέξατο, ἐκαθέσθη, p 90, debetur Cl. Jensio, primo inventori, *Lection. Lucian. p. 11.* In foro Juris Græcorum ἀνάπαυσις p. 100, vix sustinebit sensum *dilationis*, neque vox popularis supplebit terminum forensem technicum. Libri Βασιλικῶν vocant ὑπέρθεσιν, titulo περὶ ἀπράκτων ἡμερῶν καὶ ὑπερθέσεων, *de feriis & dilationibus.* Multo minus appellant ἀνάπαυσιν τῆς προθεσμίας. Nam προθεσμίαν αἰτεῖν, est *petere dilationem*, λαμβάνειν προθεσμίαν, *accipere dilationem*, δίδοται προθεσμία, *datur dilatio*, χρόνος τῆς προθεσμίας, *tempus dilationis*, vel *dici præstituti*, Suidas f. 184 Tom. 3. Hiatum ergo glossæ in λαζαμένTον

 sup-

suppleat tantisper ἀνακωχὴ, ἀνακωχαὶ, *induciæ*. Προθεσμία enim ibi adjicitur ceu dilationis synonymum. Suidæ ἀνακωχὴ dicitur pax temporaria, εἰρήνη πρόσκαιρος, ad exiguum tempus durans, & sufflaminatio cursus forensis, ex Scholiaste Sophoclis, f. 166 Tom. I. Μαγιστέριον, ἀρχὴ, facile excusetur per ordinem eorum, quæ ibi sequuntur. Suidas tamen, μαγιστερία ἀρχή, combinato sensu, f. 478 Tom. II. Apud Labbeum Part. III f. 206 recte emendat Noster ἀπολαύει. Nam ex part. I, ἀπολαύσας, *adeptus*, ἀπολεύειν *potiri* f. 23. Sed vero ἀπὸ πρωῒ, *a mane* vel *sub mane*, habemus *Act. XXVIII*, 23. Boni interim ominis est, Criticos emendare velle etiam voces Juris Græci: quomodo Pricæus ad *Luc. III*, emendans *Novellam Justiniani XVII* bis adeo, *c. 8 & 10*, f. 225 & 226, ac multa præterea illustrat loca sacra textibus Juris, tum hic, tum in Apuleji Commentario, ipsumque etiam Hesychium sæpissime. Sic ἀνανεύει pro ἀνενετεῖ, ἀρνεῖται & ἀπαρνεῖται p. 619. Si quis itaque vel sola illa Capita, quæ Reinesius Noster *Var. Lect. Libr. 3 c. 1*, Bentlej. *in epist. ad Millium*, Lamb. Bos *Observ. Misc. p. 152 usque ad p. 195*, quæque *Noster* tum hic tum in Observat. N. T. ac *Pricæus* passim restituit, cum *Wolfianis*, Tom. IV Anecd. & paucis aliis, colligat in unum, habebimus tandem Hesychium quodammodo novum, si maxime destituamur auxiliis Küsteri. Ceterum quæ ad Præfationem monenda nobis restant, in proximum Mensem rejicimus.

CHRISTIANI BENEDICTI MICHAELIS, Fridericianæ Acad. Prof. P. Commentatio Apologetica, qua origo linguæ Hebrææ ex Græca convellitur, & γνησιότης *Pentateuchi, nominatim Genesios, vindicatur, imprimis vero pericopa illa Mosaica Genes. XI, 1---9, suo Autori, ætati ac sensui restituitur adversus Cl. Philologi Helmstadiensis* φλυαρίας.

Halæ Magdeb. in offic. Renger. 1727, 8.

Pl. 16.

EDiderat haudita pridem Cl. *Michaelis* Dissertationem ad confutandam Cl. Hermanni von der Hardt, Professoris Helmstadi-

stadiensis, sententiam de Hebræa & ceteris Orientis linguis e Græca derivandis. Id vero tam moleste hic tulit, ut antagonistæ suo opponeret duodecim libellos, in quibus omissa priore controversia novam paradoxorum Theologicorum dodecadem exhibet, & adversario simul suo disertissime illudit. Ex his primum elegit Cl. *Michaelis*, quem refelleret curatius, nempe *Historiam regni Babylonici per Cyrum eversi, ex Genes. XI–9*, quam nos quoque supra recensuimus *p. 93*, additque, se confidere, fore, ut, qualis deprehendatur esse illa Babylonici regni historia, talia lectores judicent esse reliqua Hardtii scripta Anti-Michaelica. Divisit autem Commentationem suam duo in Capita, priore denuo convellens illam de Hebrææ ac ceterarum Orientis linguarum originibus in Græcia quærendis sententiam; posteriore historicam illam narrationem *Genes. XI, 1–9*, Mosi vindicans Autori, & ab interpretatione Hardtiana luculenter defendens. *Capitis primi* initio observat, jam fuisse Thuringum quendam, nomine *Jo. Petrum Ericum*, qui, quicquid est hodie linguarum, e Græco sermone deducere sustineret, sed eum prorsus caruisse subscriptoribus. Idem fatum manere censet Hardtium, vix ullo unquam credituro, sole clariorem esse derivationem Hebraici שׁוּר a *λιγυρίζω*, שְׁחָקִים a *κοιλότης*, כִּישׁוֹר a *στρόφιγξ*, מָגֵן a *θρίγκωμα*, שָׁמַיִם a *μεταρσιοῦσθαι*, & quæ sunt alia generis ejusdem. Inter hæc cum Cl. *Hardtius* scribat, hancce legem Professoribus Academ. Helmst. præscriptam esse, *nihil ut doceant sine ratione juncta*, hanc arripit occasionem Cl. Autor, exhibendi ex uno illo libellulo Hardtiano acervum paradoxarum sententiarum, quas Hardtius non ut problemata, sed ut Theses, quarum certitudo omnibus debeat evidens esse & explorata, posuit, cum tamen vel nulla vel futilis tantum ratio iis adjuncta sit. Statuit scilicet hic Cl. *Hardtius* sine ulla justa causa, 1) Noachum fuisse Iconiensem, 2) eum anno primo a diluvio immolasse in Palæstina ad montem Tabor, 3) Arphaxadum, Semi filium, ad Libanum esse natum, 4) duas fuisse in Palæstina urbes *Chebronis* nomine præditas, 5) *Ur Chaldæorum* esse Geschur supra Jordanem prope Bostra, 6) Saram fuisse ortu Bostrenam, 7) Abrahamum ex patria Geschur brevi via se contulisse

ad Libanum montem in propinquam Auranitin, 8) *Chebronem*, juxta quam Abrahamus habitavit, fuisse Acrabatam supra Sichemum, 9) Eberum, Abrahami tritavum, patria fuisse Acrabatenum, 10) Palegum, Eberi filium, circa Jordanem habitasse, 11) Isaacum immolandum fuisse Sichemi, 12) Rebeccæ patriam fuisse ad Libanum ad fontes Jordanis, ibique 13) Jacobum duxisse Leam & Rahelem, 14) Jacobum fugisse in Gileaditin ad urbem Gadaram, ibique vixisse cum Labano, 15) Abrahamum sepultum esse Lebonæ prope Acrabatam, 16) uxores Esaui fuisse Magdolitas ex gente Turris Stratonis, 17) Jacobum *Genes. XXXII*, 25, cum Esaui nuntio ad pugnam ablegato luctatum esse, 18) Mosem ex Ægypto fugisse ad Demonenses in Palæstina, 19) Mosem, postquam in Palæstina apud Socerum mansisset viginti annos, inde in Ægyptum reversum, sequentibus viginti annis cum Amenophi frustra egisse de egressu Israelitarum, 20) Mosem tandem populum Israeliticum armis liberasse, cæsis Ægyptiis, & idolis per fana dirutis, 21) Mosem per lacum Sirbonis Israelitas ex Ægypto recta ad Palæstinam duxisse: eumque lacum flante Borea nocte congelasse, atque hac occasione feliciter trajecisse Israelitas: rursusque glaciem solutam esse Ægyptiis transeuntibus, atque ita misere pereuntibus, 22) ab Othniele judice usque ad Ehudum fluxisse octoginta annos, 23) Semiramim & Nimrodum esse unam eandemque personam, 24) Babylonem conditam fuisse ducentis demum ab obitu Mosis annis, 25) Manassen Regem captivum ductum esse in Syriam ad Orontem, mox e captivitate Lybonensi rediisse in regnum suum, 26) Josiam obiisse apud Turrim Stratonis, 27) Joacham Regem Abilæ ad Libanum vinctum esse, 28) Semiramim non personam certam designare, sed totam nationem Babylonicam, vel uxorem Nebucadnezaris, 29) in Esaia exstare multa Judæorum in Babylonia exulantium oracula de expugnatione Babylonis & victoria Cyri, 30) in ejusdem Prophetæ volumine exstare multa oracula Josuæ Pontificis Babylone in exilio versantis, 31) hunc ipsum Josuam esse autorem narrationis *Genes. XI, 1—9*, 32) Chilkiam Pontificem esse scriptorem historiæ diluvii & genealogiæ *Genes. V - X*, 33) Nebucadnezarem maniacum in hortum pensilem deductum esse, & interdiu in syla, noctu in cavernis degisse, 34) Pelegum

Genes.

Genes. X, 25, nomen accepisse a liberatione a jugo Scytharum. Hæc singula Cl. *Michaelis* ostendit non solum niti fundamento nullo, sed etiam claris certisque argumentis facile everti. Redit jam ad disputationem de origine Græca linguæ Hebraicæ, & allatis compluribus exemplis demonstrat Hardtianæ opinionis imbecillitatem. Nemini scilicet persuasum iri putat, Hebr. אֶבֶן esse a Græco πέτρα, חֵמָר a μύρωμα, בָּנָה a τεχνιτεύω, עִיר ab ἀγορὰ, מִגְדָּל a κλιμακτὴρ, רוֹשׁ ab ἀκρότης, עָשָׂה a πράσσω, יְהוָֹה ab ὑπάρχων, אָדָם ab ἄνθρωπος, שָׁמַע a συνιέναι, קֶדֶם a κατ' ἀντικρὺ, כָּתַב a καταγράφω, &c. cum primo nulla propemodum sit sive soni sive literarum convenientia inter Hebraicas Græcasque voces; deinde nulla statuatur derivationis analogia, sed quidlibet fingatur e quolibet; tertio a mere servilibus vocum Græcarum literis deducantur vocabula Hebraica, e. g. חָדַל a καταλείπω; quarto multorum vocabulorum Hebraicorum etymologia Græca eaque violentissima afferatur, ubi in aprico sit derivatio Hebraica, e. g. יְהוָֹה a הָוָה. Præterimus reliquos etymologiarum Hardtianarum nævos hic allatos, ex lege brevitatis nostræ. Ceterum hic loci invenit etiam Cl. *Michaelis* occasionem, uno exemplo demonstrandi, quam malus & profanus sacri Codicis interpres sit Hardtius, adducens scilicet opinionem ejus de diluvio, sub quo tanquam ænigmate describi contendit bellum aliquod Scythicum, falsoque credi addit, a Noacho originem ducere gentes universas: id quod tamen disertis verbis docet Scriptura sacra. Ultimo loco Cl. Autor pauca quædam Hebraica vocabula, quibus non sine omni veri specie Græcam originem tribuit Cl. Hardtius, expendit & verosimilitudinem solerter destruit. Ex. gr. Hebraicum פִּלֶגֶשׁ cum Græco παλλακὶς ac Latino *pellex* adeo convenit, ut Hardtius prorsus confidat, vocabulum illud agnitum iri ortu Græcum. At ostendit Noster, vocis illius radicem esse פָּלַג, & accessoriam literam ש etiam in aliis mere Hebraicis verbis reperiri, prætereaque cetera Cl. Hardtii pro sua opinione argumenta perspicue refellit.

Cap.

Cap. II diluit Hardtianam interpretationem *Genes. XI, 1--9*, primo ostendens, ænigmaticum illud interpretandi genus, quod Cl. Hardtio arrideat in libris sacris historicis, esse rectæ rationi adversum, absurdissimis nugis fenestram aperire, & sacrum Codicem omni autoritate fraudare, adeoque toti religioni afferre exitium. Hinc e clarissimis Geneseos verbis demonstrat, Hardtianam interpretationem esse falsissimam, & obtorto collo verba sacra rapi in sensum alienissimum. Tum dolens, id negari ab Hardtio, quod nec Judæorum nec Christianorum quisquam unquam vocarit in dubium, adeoque ipsa religionis fundamenta commoveri, probat uberius, Mosem esse & totius Geneseos, & hujus quoque pericopæ Autorem certissimum, 1) ex connexione ejus cum antecedentibus & consequentibus, quam fuse & lucide persequitur, 2) ex ipsius Christi testimonio, 3) ex perpetuo consensu Prophetarum & ecclesiæ Judaicæ. Postea Chronologiam Hardtianam ex ethnicis scriptoribus a Mose dissentientibus petitam refellit ac rejicit. Tandem singulas interpretationis Hardtianæ partes expendit, quamque plena ineptiarum ea sit, manifestum facit. Totum opus concludit gravi allocutione ad Cl. Hardtium, quem ait inopia debitæ in Deum pietatis ac reverentiæ sine ulla probabili ratione Mosi abjudicare integras Geneseos pericopas, easdemque vi manifesta rapere in sensum prorsus alienum & maxime ludicrum; summa tumentem superbia solum sibi videri sapere contemtis ceteris omnibus sacri Codicis interpretibus; nil nisi nova eaque ab omni verisimilitudine abhorrentia proferre & inculcare; multum ingenii, perparum judicii habere, atque hinc quævis luxuriantis ingenii phantasmata statim arripere ac tueri, ut cerebrum ipsius sit *absurdissimarum opinionum chaos, nugacissimorum interpretamentorum promtuarium, & fœcunda mater deliriorum. Bona fide dicimus*, inquit, *ex universis Scripturæ interpretibus nullum nos vidisse, qui tam violentus, tam audax, tam ineptus ridiculusque, ac tu, exstitisset.* Monet igitur eum, ne tam profano ingenii abusu iram Dei provocare pergat, eique emendationem optat & in rectam viam reditum.

HORA-

HORAPOLLINIS HIEROGLYPHICA GRÆce & Latine, cum integris Observationibus & Notis JO. MERCERI & DAV. HOESCHELII, & selectis NIC. CAUSSINI, curante JOANNE CORNELIO DE PAUW, qui suas etiam Observationes addidit.

Trajecti ad Rhenum, apud M. L. Charlois, 1727, 4.
Alph. 2 pl. 7½.

HOrapollinem hunc Cl. Editor nihil dubitat eum ipsum esse, qui laudatur a Suida. Sed esse hos duos *Hieroglyphicorum* libellos partem quandam Τεμενικῶν, quæ ab eo edita fuisse testatur Suidas, non assentitur Hœschelio, pro certo habens, Τεμενικὰ contexta fuisse lingua Græca, *Hieroglyphica* Ægyptiaca. Ex hac lingua qui in Græcam hoc opus convertit, Philippus, de eo præter nomen nihil notum est. Eum vero pluribus locis aliquid de suo inseruisse, exemplis aliquot probat Editor. Hæc igitur Philippi versio nunc denuo in lucem prodit, prout eam e MS. Augustano ediderat Hœschelius: adjecta interpretatione Latina, quæ Mercerum habet Autorem, aliquot tamen locis ab Hœschelio correcta e MS. Morelliano. Subjunguntur operi primo variæ lectiones ceterarum editionum, deinde Notæ Merceri, Hœschelii, & Caussini: ultimum locum tenentibus Notis Cl. Editoris a p. 273 ad 404. Hæ (nam de jam editis dicere nostrum non est,) reconditæ doctrinæ sunt plenissimæ, sæpe corrigentes Latinum interpretem, sæpe emendantes textum Græcum, subinde etiam notatis criticorum, e. g. Salmasii, Bocharti, Hœschelii erroribus, idque asperius, tam crebro iis objiciente Cl. Editore *ineptias*, ut, qui dixerit, sexcentis id factum esse locis, ei non sit metuendum, ne reus agatur hyperboles. Libet hinc quædam more nostro decerpere legentium in gratiam: quanquam facile intelligitur, hujus generis Notas vix commode huc transferri. *Pag. 274* judicat, inscriptiones Capitum in hoc opere a recentiore esse manu, neque adeo ullam esse earum habendam rationem. *P. 305 seqq.* exponit, quid in crinibus Græci vocent ἀνάσιλον, & hac occasione multa veterum loca partim emendat, partim interpretatur. *P. 337 seq.* refellit Hœsche-

schelium & Mercerum, κυκῦφαν in hoc libro reddentes *ciconiam.* Hinc, etiam Pignorii & Bocharti hariolationibus de hac voce repudiatis, suspicatur, *noctuam* significari, quippe quam Græci recentiores nominent κυκέβαν. *P. 365 sqq.* de *crocodilo terrestri* multa affert, cum philologiam, tum historiam naturalem præclare illustrantia.

NOTARUM AD INSCRIPTIONEM SIGEAM Appendicula, addita a Sigeo altera Antiochi Soteris Inscriptione.

Fol. pl. 4.

EXhibuimus A. 1722 p. 58 sq. antiquissimam omnium Inscriptionem Græcam, &, quas in eam annotationes edidit Cl. *Chisbullius*, recensuimus. Nunc appendicem sistimus annotationum ejus, a doctis amicis Cl. Autori expressam, qui in nonnullis ab eo se dissentire profitebantur. Initio igitur accuratiorem saxi illius literati descriptionem profert, docens, id novem pedum habere longitudinem, quatuor fere latitudinem, profunditatem duorum; marmor esse operis egregii, candore & lævore admirabili, figura utique quadrata, nisi quod superius in formam rotundiorem coeat latus utrumque. Unde colligit, fuisse statuam Mercurialem, cui nunc caput avulsum, caput scilicet Phanodici. Hanc enim olim fuisse formam statuarum eximiis viris positarum, ex priscarum rerum scriptoribus observavit. Cum vero nonnemo ei objecisset, tunc temporis nullos fuisse vel admodum paucos statuarios; nec verisimile esse, Sigeum, ignobile oppidum, ejusmodi artifices habuisse; præterea non consuevisse statuas locari in Prytaneo; respondet, falso dici hæc singula, & e Pausania aliisque lucide monstrat contrarium. Cum porro Nostro, ex hac Inscriptione probanti, vocem ηθμὸς adspirandam esse, amicus respondisset, contrarium apparere e composito ἀπηθέω, docetur hic, multa simplicia amittere in compositione adspirationem, e. g. ab ἥλιος fieri ἀπηλιώτης. Additur, esse quædam vocabula, quæ modo adspirate, modo leniter pronuntientur, e. g. ἕρση & ἔρση. Idem antagonista cum, alteram Inscriptionem hujus saxi non esse altera recen-

recentiorem, contenderet, Noster multis argumentis suam tuetur sententiam, inter alia eo, quod in priore *e* & *o* sive longum sive breve scribatur per E & O, cum in posteriore occurrant H & Ω. Ceteras quoque amici objectiones feliciter nobis diluere videtur Cl. Autor, ac praeterea paucis illis etiam satisfacere dubitationibus, quas protulerat Cl. Maittairius.

Progredimur ad alterum Sigei superstes monumentum, honori Antiochi, secundi Syriae Regis, dicatum. Offenderat id Vir Illustrissimus, *Eduardus Wortlejus Mountague*, Regis Magnae Britanniae ad Portam Ottomannicam nuper Legatus, intra parietes istius templi, cujus ante fores conspicua est superior Inscriptio. Lapidem tunc multis is illico aureis nummis redemit a sacerdote illius aedis, secumque in Britanniam detulit. Constat haec Inscriptio 47 versibus, quorum posterior pars injuria temporis tam multas perdidit literas, ut eas restituendi vix ulla spes supersit. Priores tamen triginta novem versus hoc modo sanatos exhibet Cl. Autor: Ἐπιμηνιεύοντος Νυμφίου τοῦ Διοτρέφους, ἐπιστατοῦντος δὲ Διονυσίου τοῦ Ἱππομέδοντος, Δημήτριος Δίου εἶπεν. Ἐπειδὴ βασιλεὺς Ἀντίοχος βασιλέως Σελεύκου ἐν ἀρχῇ τε παραλαβὼν τὴμ βασιλείαν, καὶ προστὰς ἐνδόξου καὶ καλῆς αἱρέσεως ἐζήτησε τὰς μὲν πόλεις τὰς κατὰ τὴν Σελευκίδα, περιεχομένας ὑπὸ καιρῶν δυσχερῶν, διὰ τοὺς ἀποστάντας τῶμ πραγμάτων, εἰς εἰρήνην καὶ τὴν ἀρχαίαν εὐδαιμονίαν καταστῆναι, τοὺς δ' ἐπιθεμένους τοῖς πράγμασιν ἐπεξελθὼν, καθάπερ ἦν δίκαιον, ἀνακτήσασθαι τὴμ πατρῴαν ἀρχὴν, δι' ὃ καὶ χρησάμενος σπουδῇ καλῇ καὶ δικαίᾳ καὶ λαβὼν οὐ μόνον τοὺς φίλους, καὶ τὰς δυνάμεις, εἰς τὸ ἐναγωνίσασθαι περὶ τῶμ πραγμάτων αὐτῷ προθύμως, ἀλλὰ καὶ τὸ Δαιμόνιον εὔνουν καὶ συνεργὸν, τάς τε πόλεις εἰς εἰρήνην, καὶ τὴμ βασιλείαν εἰς τὴν ἀρχαίαν διάθεσιν κατέστησεν, νῦν δὲ παραγενόμενος εἰς τοὺς τόπους τοὺς ἐπίταδε τοῦ Ταύρου μετὰ πάσης σπουδῆς καὶ φιλοτιμίας, ἅμα καὶ ταῖς πόλεσιν τὴν εἰρήνην κατεσκεύασεν, καὶ τὰ πράγματα καὶ τὴμ βασιλείαν εἰς μείζω καὶ τελειοτέραν διάθεσιν ἀγήγοχε, μάλιστα μὲν διὰ τὴν ἰδίαν ἀρετὴν, εἶτα καὶ διὰ τὴν τῶν

φίλων καὶ τῶν δυνάμεων εὔνοιαν, ὅπως οὖν ὁ δῆμος ἐπειδὴ καὶ προσεχῶς καθ' ὃν καιρὸν παρέλαβεν τὴμ βασιλείαν, εὐχὰς καὶ θυσίας ὑπὲρ αὐτοῦ πᾶσι τοῖς Θεοῖς διετέλει ποιούμενος, καὶ νῦν εὔνους ὢν καὶ τὴν αὐτὴν διάθεσιν ἔχων φανερὸς ᾖ τῷ βασιλεῖ, Τύχῃ ἀγαθῇ δεδόχθαι τῇ Βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ τὴμ μὲν Ἱέρειαν καὶ Ἱερονόμους, καὶ τοὺς Πρυτάνεις εὔξασθαι τῇ Ἀθηνᾷ τῇ Ιλιάδι, μετὰ τῶμ πρεσβευτῶν, τήν τε παρουσίαν γεγονέναι τοῦ βασιλέως, καὶ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ βασιλίσσης, καὶ τῶν φίλων, καὶ τῶν δυνάμεων, καὶ γίνεσθαι τά τε ἄλλα ἀγαθὰ τῷ βασιλεῖ καὶ τῇ βασιλίσσῃ πάντα, καὶ τὰ πράγματα καὶ τὴμ βασιλείαν αὐτοῖς διαμένειν λαμβάνουσαν ἐπίδοσιν, καθάπερ αὐτοὶ προαιροῦνται. Εὔξασθαι δὲ καὶ τοὺς ἄλλους Ιερεῖς καὶ Ιερείας, μετὰ τοῦ Ιερέως τοῦ τοῦ βασιλέως Ἀντιόχου τῷ τε Ἀπόλλωνι τῷ Ἀρχηγέτῃ τοῦ γένους αὐτοῦ, καὶ τῇ Νίκῃ, καὶ τῷ Διὶ, καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις. Ἅμα δὲ ταῖς Εὐχαῖς τῇ μὲν Ἀθηνᾷ συντελεσάτωσαν τὴν νομιζομένην καὶ πατριομένην θυσίαν οἵ τε Ιερονόμοι, καὶ οἱ Πρυτάνεις, μετὰ τῆς Ιερείας, καὶ τῶμ Πρεσβευτῶν, τῷ δὲ Ἀπόλλωνι καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς οἱ Στρατηγοὶ μετὰ τῶν ἄλλων Ιερειῶν. Ὅταν δὲ ποιῶσι θυσίας, στεφανηφορείτωσαν. Οἵ τε πολῖται καὶ οἱ πάροικοι πάντες τε καὶ σύνοικοι δημοσίᾳ συντελείτωσαν θυσίας τοῖς θεοῖς ὑπὲρ τοῦ βασιλέως καὶ τοῦ δήμου Σιγειέων. Τὰ δὲ εἰς τὴν τιμὴν καὶ δόξαν ἀνήκοντα συγκατασκευάζων ὁ Δῆμος παρέξει εἰς τὸ ἐπαινέσαι μὲν αὐτὸν ἐπὶ τῇ Ἀρετῇ καὶ τῇ Ἀνδραγαθίᾳ τῇ τοσαύτῃ, στῆσαι τε αὐτοῦ εἰκόνα Χρυσῦν ἐφ' ἵππου ἐν τῷ Ιερῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἐν τῇ Σιγειέων πόλει ἐπὶ βήματος τοῦ λευκολίθου, καὶ ἐπιγράψαι, ὁ Δῆμος Σιγειέων βασιλέα Ἀντίοχον βασιλέας Σελεύκου Εὐσεβείας ἕνεκεν τῆς εἰς τὸ Ἱερὸν, Εὐεργέτην καὶ Σωτῆρα γεγονότα τοῦ Δήμου. Ἀγορεῦσαι δὲ καὶ ἐμ πανηγύρει καὶ ἐν τῷ ἐνεστῶτι γυμνικῷ ἀγῶνι τὸν Ἀγωνοθέτην καὶ τοὺς κήρυκας τὴν τιμήν — — — En & Latinam Cl. Editoris interpretationem : *Epimenia procurante Nymphio, Diotrephis*

phis F. Epistatam vero agente Dionysio Hippomedontis F. Demetrius Diis F. sententiam dixit. Quoniam Rex Antiochus Regis Seleuci F. quo primum tempore regnum capessivit, bonum præ se ferens & plenum gloriæ propositum, quæsivit quidem, quæ in Seleucide sunt urbes, difficultate temporum implicitas, culpa quorundam, qui se a rerum statu alienos gesserant, in pace & pristina felicitate stabilire; factoque in eos impetu, qui rerum invaserant administrationem, paternum, uti æquum fuit, imperium sibi recuperare; quamobrem & bona & honesta diligentia usus, & accipiens secum non solum amicos & copias militares, ut promte ei pro republica periclitantes adessent, sed & ipsum Deum fautorem sociumque operis, & urbes in pace, & regnum in dispositione pristina stabilivit; jamque veniens ad ea loca, quæ sunt intra montem Taurum, omni cura studioque simul urbibus pacem procuravit, simul rempublicam regnumque ad ampliorem statum & meliorem dispositionem perduxit, maxime quidem propria sui ipsius virtute, deinde etiam amicorum & Potestatum benevolentia. Ut ergo populus (quoniam quo tempore regnum capessivit, supplicationibus & victimis pro eo Diis omnibus attente faciens perseveravit,) nunc etiam bonum animum & eandem erga Regem dispositionem clare se habentem demonstret; Bona Fortuna placere Senatui Populoque, & Sacerdotem ipsam, & sacrorum Magistros, & Prytanes, supplicationem Minervæ Iliensi facere, tum ob adventum Regis, & sororis ejus Reginæ, & Amicorum & Potestatum; tum quod alia quoque bona omnia & Regi eveniant & Reginæ, quodque resp. & regnum ipsis permaneat, incrementum etiam accipiens, prout ipsi præoptant: supplicationem item facere alios aliasque sacerdotes, una cum sacerdote Regis Antiochi, & Apollini, generis ejus autori, & Victoriæ, & Jovi, & aliis Diis & Deabus omnibus: quin etiam una cum supplicationibus, Minervæ quidem legitimum & præscriptum sacrificium peragunto sacrorum magistri, & Prytanes, cum ipsa Deæ sacerdote & legatis; Apollini vero, cæterisque Diis Prætores, cum aliis sacerdotibus. Cum voro sacrificia peragunt, coronas gestanto. Cives quoque & incolæ omnes & contubernales Diis publica sacrificia peragunto pro Re-

ge & Populo Sigeorum. Omnia vero ad honorem & gloriam Regis pertinentia Populus apparata habeat præbeatque, tum ad laudandum eum ob virtutem & fortitudinem, tum ad ponendam ejus statuam equestrem auream in templo Minervæ, quod est in urbe Sigeorum, supra basin candidi marmoris, eique sic inscribunto: Populus Sigeorum hoc honore prosecutus est Regem Antiochum, Regis Seleuci F. ob suam erga Minervæ templum pietatem, Benefactorem & Sotera populi. Hunc vero honorem & in Panegyri & in Gymnico proximo certamine ab Agonotheta & præconibus proclamatum iri.

Quas ad hanc Inscriptionem exhibet annotationes Cl. Editor, ex iis excerpere libet, quæ sequuntur. Scilicet *p. 11* docet, *Epimenia* fuisse festum singulis mensibus actum, quo libra & mellitæ placentæ distribuebantur convivis magno numero vocatis. *P. 12* observat, in τὴμ βασιλείαν, τῶμ πραγμάτων, τῶν μεν, μ poni pro ν ob subsequentem β, μ vel π, quem in modum etiam Latini dicunt *imbibo, immuto, impono.* Simul hinc concludit, literam β olim durius, hoc est, compressis labris pronuntiatam fuisse. Ibidem, Satrapas in hac Inscriptione Δυνάμεις vocari observans, addit, versionem τῶν LXX, huic lapidi coævam, pari modo in historia Estheræ *cap. II, 18*, commemorare τὰς φίλους τοῦ βασιλέως καὶ τὰς Δυνάμεις αὐτοῦ, idemque fieri *1 Maccab. XII, 43. P. 13* & *15* titulum *Soteris*, huic Antiocho in hac Inscriptione tributum, cum nullus veteris ævi nummus eum exhibeat, interpretatur. Docet nimirum, titulum istum esse plane divinum, & ostendere Antiochi illius ἀποθέωσιν a Græcis adulatoribus factam: ac persuasum habet, Apostolum Paulum, falsos illos ethnicorum σωτῆρας θεοὺς respicientem ac detestantem, de industria toties Christum appellasse Σωτῆρα in suis ad Titum ac Timotheum epistolis. Quas *p. 8*, se editurum pollicetur annotationes in Inscriptionem Tejam, vetustate ad priorem illam Sigeam proxime accedentem, eas avide a nobis exspectari credere jubemus Autorem doctissimum, eumque, ut quamprimum, quod promisit, præstet, publico rogamus nomine. Ceterum notamus, has *Chishullii* Notas hoc ipso anno recusas esse Lugduni Batav. in 8 maj.

ECCLE-

ECCLESIÆ GRÆCÆ MARTYROLOGIUM Metricum, nunc primum colligit, interpretatur, illustrat L. URBANUS GODOFREDUS SIBERUS, Antiqu. Eccl. P. P. & ad D. Thomæ Ecclesiastes.

Lipsiæ, in officina Lankisiana, 1727, 4.
Alph. 3.

DUdum Rev. Autor, Collega noster conjunctissimus, eruditis scriptis, ex interiori penu Antiquitatum Ecclesiasticarum petitis, & doctrina recondita refertis, inclaruit. Nunc Martyrum Græcorum memoriam sibi sumsit ex rebus antiquis, de quibus bene mereatur. Argumentum eo magis dignum ejus vigiliis, quod res Ecclesiæ Græcæ nondum omni luce, quam merentur, sunt illustratæ, & a multis, qui aliquid in eo genere elaboraverunt, periculum est, ne privatis rationibus inducti, pleraque ad orientales Christianos spectantia, velut per artes opticas inversa & distorta repræsentaverint. Jam, quod Martyrologium Metricum potissimum elegerit, id propterea factum in præfatione docemur, quod illud absolutissimam Græcorum Martyrum memoriam exhibeat, adeo, ut multi hic unice reperiantur, quos omnes reliqui scriptores ignorent. In unum igitur Volumen collegit, hactenus quæ dispersa & aliis pluribus intermixta in Menæorum Tomis reperiebantur. Instituerunt equidem jampridem Historiographi Sanctorum in Belgio nonnullos versuum istorum memorialium ex Menæis in Acta sua transferre; attamen & Græca aliquoties omiserunt, versionem dare contenti, & integros versus, qui difficultate nimia laborabant, præterierunt & a fine laborum suorum longe adhuc absunt, ut adeo actum egisse dici nequeat Rev. Siberus. Imo plura potuisse vellet. Cum enim in Actis SS. ex MSto Synaxario Divionensi, quod Chifletii fuit quondam, aliqui Menæis incogniti commemorentur, in animo habebat ea, quæ nondum Hagiographi publicare potuerunt, quippe ad Julii & Augusti confinia subsistentes, ex ipso Codice primum vulgare. Verum cum peteret communicationem, eam Codicis aqua marina corrupti conditionem esse cognovit, ut difficulter evolvatur & solas

fere

fere poſſeſſoris manus admittat. Excidit itaque votis Noſter, & ea tantum, quæ in Menæis Actisque extabant, dare potuit, ſed propter membrorum disjectorum collectionem additamque interpretationem uſui magis accommodata. Dedit tamen & corollaria, Ephemerides nempe Græcas & Chriſtophori Mitylenæi Menologium.

In hæc dum præfatur Rev. Siberus, fruſtra fere de autoribus quæri horum Epigrammatum, indicat. Plures ſaltem fuiſſe, res ipſa loquitur. Non enim ſolum tempore diverſo ſcripta eſſe probabili ratione conſtat, ſi perpendas homines hic celebrari multis ſeculis disjunctos, ſed &, ſi hoc non ſufficiat, & dici forte poſſit, eum, qui recentiſſimos inſcriptionibus ſuis decoraverit, antiquiorum quoque memorias recoluiſſe, ſtyli diverſitas rem omnem conficit. Sunt enim inter hæc Poematia, quæ nobili ſimplicitate ſe commendant & decorum inſcriptionum ejusmodi ſervant. Sunt alia, luxuriantis ingenii luſibus prognata, haud inſcita tamen & ſaltem tolerabilia. Sunt etiam ſterilis venæ fœtus, hyperborea nive frigidiora, quæ nulli ſe probant, niſi qui Bavium non odit. Facile profecto fluunt, nec aſcititium ornatum habent, quæ p. 121 in Amphianum & Ædeſium ſcribuntur:

Τὸν Ἀμφιανὸν ὁρῶν λαβόντα στέφος
Ἔσπευδεν Αἰδέσιος θανεῖν προθύμως.

It. quæ p. 397 in Phædrum:

Πολλοὺς πρὸς ἄλλα. Πρὸς δὲ ῥυτίνης ζέσιν
Στεῤῥῶς ἀθλοῦντα Φαῖδρον ἔγνωμεν μόνον.

Calamiſtrata magis ſunt hæc in Arſenium p 165:

Λαθεῖν βιώσας Ἀρσένιος ἠγάπα,
Ὃς οὐδὲ πάντως ἐκβιώσας λανθάνει.

& in Melanium p. 450:

Οὐχ ὑλικῇ σε χεὶρ μελάνῃ καὶ μέλαν,
Θεὸς δὲ, κἂν τέθνηκας, ἐν ζῶσι γράφει.

Ecquis autem non nauſeet ad frigidum in Syllaba φρου luſum p. 397?

Φρουρούμενος χάριτι σεπτῆς τριάδος
Φρουμέντιος δέδειχε φροῦδον τὴν πλάνην.

Neque

Neque minus febriculosa sunt, quæ in Philippum p. 280 extant:

Ἵππον ταχὺν, Φίλιππος, τὴν τομὴν ἔχων,
Πρὸς τὸν φιλοῦντα θᾶττον ἦλθε δεσπότην.

Demonstrat porro hanc temporum & Poetarum diversitatem illud, quod in eosdem Sanctos variæ nec iisdem diebus reperiuntur Inscriptiones. Ita ad Januarii XXXI offert se memoria SS. Martyrum, Victorini, Victoris, Nicephori, Claudii, Diodori, Sarapini & Papiæ. Ex his quinque priores ad April. V repetuntur, quanquam in Jambis lemmati subjectis solius Claudii fiat mentio. Ita Jonas & Barachesius primum d. XXVII Martii, deinde iterum die XXIX ejusdem mensis celebrantur, & plures alii eadem ratione. Id vero aliunde accidere non potuit, quam quod aliis in locis alia dies eidem Sancto esset dicata. Sed & idem in eosdem Epigramma variis diebus occurrit, ut in S. Rabulam d. XIX Febr. & XVI Aug. in S. Polycarpum d. XXVI Januar. & XXIII Febr. in Aquilam & Priscillam d. XIII Febr. & d. VIII Jul. De his dicendum putamus, vel Ecclesias, quæ serius Sancti cujusdam cultum recipiebant, elogium ejus alibi jam extans ad suos usus transtulisse, & suæ quoque imagini adscripsisse, vel collectores harum Inscriptionum operæ parcentes, eosdem versus diversis diebus repetiisse, cum ante factos non invenirent. Desidiosos enim quandoque fuisse, inde etiam apparet, quod aliquoties diversarum personarum præconia ex eodem fonte sumserint.

p. 43. 125. 116. 117. 67 & 260. 33 & 71. 59 & 231.

Sed nunc de diverticulo in viam. Rectius enim hæ quoque conjecturæ nostræ intelligentur, si, quæ Rev. Autor de collectione horum Epigrammatum erudite disserit, repræsentaverimus. Deducit ille versus hosce continua serie Synaxariis adjectos ex more antiquissimo, statuas & imagines bene meritorum tabellis *ἐπιτη-μοις* ornandi, quibus eorum elogia continebantur. Illum inter Christianos etiam viguisse, nullus dubitat, & obiter ex ista consuetudine, vel pectora vel femora imaginum inscribendi, locum Apoc. XIX, 16 illustrat. Merito quidem explodendos censet illos, qui amorem imaginum Christo & Apostolis æqualem faciunt, & de Servatoris picturis lepide multa fabulantur. Relictis igitur fabulis, antiquiorem tamen imaginum usum asserit Noster, quam Dallæus persuadere voluit, qui primordia ejus ad seculi quarti finem

rejecit. Cum enim jam seculo secundo in larariis Principum gentilium effigiem Christi asservatam (ut de Alexandro Severo Lampridius c. 29 narrat) & eandem ab ejus ævi hæreticis cultam, gravibus autoribus constet, seculo saltem tertio, inter orthodoxos etiam dilectas fuisse imagines, non venerationis quidem & cultus, sed recordationis tantum causa, profitetur. Provocat ideo ad Concilii Eliberitani can. 36, quo sub ipsa seculi quarti initia abrogari imagines non potuissent, nisi frequens jam antea fuisset illarum usus. Non dissimulat tamen, canonem hunc de profanis gentilium imaginibus explicari posse, quarum Christiani nonnullas in ædibus ad Ecclesiarum usum receptis eo usque retinuerint. Verum, an ista interpretatio verbis Concilii conveniat, quibus statuitur, *picturas in Ecclesia fieri non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur*; alii viderint. Post impetratam autem a Constantino M. pacem indubia occurrunt testimonia de imaginibus cum affectu receptis, qui quidem brevi sic augebatur, ut seculo quinto ædium sacrarum parietes & porticus obtectæ iisdem & involutæ cernerentur. Ne autem minus prodessent umbræ hujusmodi mutæ, eloquentes reddebantur per Inscriptiones illas metricas, quas additas omnino ab initio fuisse, ex Paulini Nolani Epistola 32 ad Severum Noster confirmat, & certum esse asserit, nullam imaginem, nisi Epigraphe addita, astitisse. Id adeo verum putamus, ut videantur etiam grandiores picturæ, & plura vel πρόσωπα vel facta referentes, pluribus etiam sui partibus literatæ fuisse. Hinc enim derivamus Inscriptiones in Martyrologio obvias de personis a cultu sacro prorsus alienis, quales p. 109 in proditionem Servatoris, & p. 112 in custodes Christi sepulchro appositos extant, quas quidem fragmenta ex pictura Christi passionem repræsentante esse oportet. Novem autem Epigrammata in Photinæ, Samaritanæ illius, cujus Joh. IV fit mentio, sororumque & filiorum neces, una serie p. 75 sqq. collocata, quidni tabulam integram spectaculis istis perpictam exhibere dicamus?

Jam si de collectionis tempore ratio reddenda sit, illi tum operam datam statuit Rev. Siberus, cum Iconomachi disjectas & deletas vellent omnes imagines. Earum cultores contra, quidvis facientes pro conservandis suis cimeliis, cum adversariorum poten-

tentia coarctati, aliud non poterant, id saltem agebant, ut Epigrammata picturarum & cum illis memoriæ servarentur Sanctorum & Martyrum. Illud studium adeo in illis fervebat, ut, cum vetera non suppeterent, sive præter nomen Sancti nihil extaret, sive jam combustæ essent ejus effigies, ipsi novas suopte ingenio substituerent inscriptiones, quin canones etiam & hymnos exararent, sicubi ab historia non desererentur. Pertinet ad ista confirmanda, quod aliquoties Epigrammata collectioni huic inserta videas, in cultores imaginum & Martyres ejus cultus elaborata, vid. pagg. 58, 306, 334, 394. Difficilius est, collectores ipsos nominare. Non caret tamen probabilitate, quod Rev. Autor dicit, Theodorum & Josephum fratres Studitas in ea re studium suum collocasse, qui, Codino teste, persecutionis tempore in Xerocepio latentes, hymnos & canones in sanctos composuerunt. Quidni & Epigrammata? præsertim cum Jambi quidam eorum ejusdem argumenti a Sirmondo T. II Opp. p. 753 sqq. referantur. Observatur præterea, sub Theodori auspiciis in Monasterio Studitarum multos extitisse Monachos, qui Inscriptiones ejusmodi componerent. Porro cum alium Theodorum & Theophanem γραπτὺς dictos ob inustos frontibus eorum Jambos invenisset, existimat, illos hoc supplicio affici potuisse, propterea, quod vel componendis vel colligendis Sanctorum elogiis, una cum aliis operam navarint. Et ista profecto conjectura tempori pulchre respondet, quo supplicium isti sunt passi, sub Theophilo scilicet Imperatore, aspero iconomacho. Du Cangius in Glossario Græco v. γραπτοὶ asserit equidem, in Menæis bis mille γραπτὺς commemorari & ex Nicephori Xanthopuli Synopsi Sanctorum anni, Mens. Decembr. hunc versum adducit:

Πρωτοστέφανον σὺν γραπτοῖς δυσμυρίοις,

unde numerus collectorum hujus Martyrologii immensum quantum augeretur, quos tamen Rev. Autor, haud præter rem, paucos fuisse statuit. Sed, cum Nicephorum ipsum inspiceremus in collectione quadam sacrorum ejusmodi ποιημάτιων Basil. 1536, 8. facta, apparuit legi apud eum σὺν γραπτοῖς, Δυσμυρίυς, & consulentes præterea Martyrologium nostrum, deprehendimus p. 446 elogium Theodori Grapti, d. XXVII Decembr. extremo collocatum, excipi sequentis diei initio ab aliis bis mille Martyrum Nicome-

comediæ combustorum, quod plane confirmabat, δυσμυρίοις veram esse lectionem & Nicephorum horum Nicomediensium mentionem facere, quibus cum γραπτοῖς nil aliud commune, quam quod cultus serie, altero tamen die, illis jungantur. Cum vero apud Nicephorum γραπτεῖς legatur, & in Martyrologio unius Theodori mentio fiat, suspicamur, aut γραπτῷ legendum apud illum, aut Nicephorum synopsin suam fecisse ex Diptychis, in quibus Theodorus & Theophanes conjuncti fuerint. Sed quicquid sit de collectoribus istis antiquioribus, certum saltem est recentiores etiam Syllogæ semel factæ addidisse sua, quod nunc
p. 261. quidem vel solo Epigrammate in imaginem Christi Edessa allatam, quod seculo undecimo Græci factum narrant, confirmare sufficiat. Venit nobis in mentem, cum hæc tractaremus, num forte Nicephorus ille Xanthopulus, quem modo allegavimus, cuique ob synaxaria erroribus, ut putat, contaminata tantopere infestum se præbet passim Allatius, manum operi admoverit, quoniam eum in memoriis Sanctorum commendandis occupatum fuisse, & Jambis etiam scribendis assuevisse, constat. Dubios tamen nos reddidit partim, quod Nicephorus in Synopsi sua ab ordine Sanctorum in Martyrologio sæpius abeat, partim quod eos Schismaticos, uti Latini vocant, quibus favisse in Synaxario dicitur ab Allatio, hic non videas commemoratos, nisi forte, quæ in Sisimnium & Germanum Patriarchas scripta sunt, huc trahere velis. Sed modus esto conjecturarum. Feramus tantisper hanc incertitudinem nostram, donec Rev. Autor in Commentario præsentis Martyrologii, cujus nonnulla specimina correctionibus aliquot Græci textus nunc quidem dedit, certius omnia hæc & alia, quæ lucem desiderant, expediverit. Persuasum penitus habemus, neminem id melius Nostro posse. Quapropter magnum in nobis desiderium accensum fatemur, cum polliceri eum luculentam & Martyrum & cruciatuum notitiam legeremus. Præcipimus animo jucundissimam & plane διδακτικὴν lectionem, & ne diu spem nostram moretur, rogamus.

MELETEMATA THORUNENSIA, SEU Dissertationes varii argumenti, ad historiam maxime Poloni-

Ionicam, & Prussicam, politicam, physicam, rem nummariam ac literariam spectantes, jam collectæ curante
PETRO JÆNICHIO.

Tomus I.

Thorunii, sumtu Jo. Nicolai, 1727, 8.
Plag. 18.

CL. *Jænichius*, Rector Gymnasii Thorunensis optime merens, cum antecessoris sui, Georgii Wendii, Dissertationes separatim editas avide expetita compluribus intelligeret, in animum induxit edere eas iterum per vices & communi usui exponere. Sistit igitur hic *Tomum primum*, cui de suo nonnihil annexuit, non imparem haud dubie initurus gratiam. Primum tenet locum Wendii Diss. *de notabilibus & curiosis quibusdam Thorunensibus*, exhibens tribus verbis complura commemorabilia hujus urbis monumenta, quorum tamen pleraque nunc subtracta esse curiosis oculit, ultimo loco monetur. *Diss. II* agit *de curiosis nonnullis, sed immerito in dubium vocatis, hujus seculi inventis*, e. p. 3.
g. speculis causticis e ligno formatis, vino fortissimo ex aquis simplicibus producto. *Diss. III & IV* quatuor Imperatorum 9.
Romanorum, Domitiani, Antonini Philosophi, Commodi, & Constantini M. nummi, *in memoriam victoriæ de Sarmatis* cusi, illustrantur ex historicis idoneis, simulque, quæ Sarmatiæ pars ibi significetur, ostenditur. *Diss. V* nummus Bretislai, Bohemiæ 21.
Ducis, pariter erudite illustratur. *Diss. VI* de lapidibus quibus- 28.
dam selectioribus & curiosis disserit ex historia naturali, inter alia modum exponens, quo Cleopatra unionem dissolvit affundens acetum. Quod vero initio Dissertationis istius judicavit de mirabili illo lapide, quem Thuanus memoravit, & e Thuano Morhofius, id *Diss. VII* emendat, vocans hunc lapidem ænig- 34.
maticum, docensque, eo ænigmate nihil aliud designari, quam Chymicorum lapidem Lydium, *ignem & flammam*. Ac meminimus, eandem hujus ænigmatis analysin tradi duce Conringio ac Thomasio in *Actis Philosophorum* Heumannianis T. I p. 226 sq. *Diss. VIII* de Vendæ, antiquissimæ Poloniæ ducis, fato finali 47.
agitur, quam Cl. Autor concedit, victoria de Germanis reportata,

ne ſcilicet felicitatem ejus adverſus forte caſus corrumperet, præcipitem ſe abjeciſſe in Viſtulam: at eorum ratiunculas diluit, qui defendere vel excuſare Vendæ mortem voluntariam ſuſtinu-
p. 53. erunt. *Diſſ. IX* eſt de fatis finalibus trium antiquiſſimorum Ducum Poloniæ, Lechi II, Leſci II & Popielii II. Poſtremi exitus præcipue memorabilis eſt, quem ferunt a muribus comeſum fuiſſe atque conſumtum. Cumque uno ore omnes Poloniæ hiſtorici ejus rei ſe teſtes præbeant, Wendius noſter pro indubie ve-
63. ra habendam cenſet illam hiſtoriam. *Diſſ. X* Eliſabethæ, Reginæ Poloniæ, ſchema genealogicum repræſentatur & illuſtratur.
76 *Diſſ. XI* de literatis ac figuratis lapidibus doctiſſime diſſeritur, doceturque, non temere fidem habendam narrationibus prodigioſis, quæ de iis ad nos perferuntur e regionibus exteris, idque probatur exemplo cujusdam lapidis, falſo dicti præferre figuram Caroli XII Sueciæ Regis, & figuram Papæ, figurasque alias plu-
101. res. *Diſſ. XII & XIII* de primis Polonorum nummis argenteis
139. ſive groſſis Pragenſibus agitur. *Diſſ. XIV* oſtenditur, non naturæ, ſed arti deberi notabilem illam lapidis Roſtochienſis inſcriptionem: *Vivant Gedanenſes:* ac plura hac occaſione proferuntur
139. lectu jucundiſſima de literatis lapidibus. *Diſſ. XV* de Proſperi Aldoriſii, Romani, ideagraphia ſive Graphimantia agitur, hoc eſt, de arte ex ſcriptura alicujus judicandi de ejus animo & moribus. Arti huic nec nihil, nec nimis tribuendum eſſe, docet, ac recte ita colligi putat: Hic minutos pingit apices, E. vix altos gerit Spiritus, & e contrario: Hic majores format characteres, E. eſt in-
166. dolis generoſæ. *Diſſ. XVI* de figuratis lapillis prope Thoruni-
172. um collectis agitur. Denique *Diſſ. XVII de paſſione Chriſti in regno mineralium repræſentata* inſcribitur. Memorat hic Autor lapides cruce inſignes, vel calice euchariſtico, vel literarum I. N. R. I. vel agni figura, vel figura pendentis e cruce Chriſti: quas quidem figuras tribuit ſingulari Dei providentiæ.

Hactenus Diſſertationes Wendianæ. Nunc ſequuntur ali-
183. quot *Jænichianæ*, & *prima* quidem ad primam Wendianam ſupplementa exhibet, inter alia docens p. 183, primum in Pruſſia A. 1335 cudi cœpiſſe monetæ illud genus, quod *Schilling* vocatur a cive quodam Thorunenſi, Bernhardo Schillingio. *Secunda*

da theses aliquot geographicas sistens, *On, Genes. XLI, 45*, Heliopolin esse contendit, item verisimile censet, *Matth. XI, 21* non χοραζῖν, sed divise χῶρα ζῖν scribendum esse. *Tertia* est de salutatione vespertina ad accensa lumina, in Prussia usitata. Docet, jam Græcos olim & Romanos salutasse lumen vesperi illatum hoc modo: *Salve, lux*; hodie in Italia multisque Galliæ locis allatam vesperi lucem hoc verbo excipi: *Bonus vesper*, eundemque morem vigere in Prussia, delatum huc e Græcia ab equitibus ordinis Teutonici. *Quarto* eodemque ultimo loco exstat Cl. *Jænichii* Oratio auspicalis *de cognatione artium ac sororio scientiarum vinculo*, A. 1706 d. 31 Aug. habita, cum Rectoratum iniret celeberrimi hujus Gymnasii.

p. 186.
190.
193.
226.

ACTA PHILOSOPHORUM,
das ist:
Gründliche Nachrichten &c.
hoc est,

ACCURATÆ COMMENTATIONES, QUIbus Historia Philosophica exponitur. Accedunt Recensiones librorum veterum pariter ac recentiorum, ad istam Historiam pertinentium, subjuncta semper ἐπικρίσει.

Partes, XIII, XIV, XV, XVI, XVII, XVIII.

Halæ, in officina Rengeriana, 1723-1727, 8.
Alph. 2 pl. 15.

OPeris hujus Heumanniani, cujus Tomum *primum* A. 1716, p. 463 sqq. *secundum* Suppl. T. VII p. 473 sqq. recensuimus, *tertius* hicce Tomus itidem selecta exhibet Historiæ Philosophicæ capita. Horum alia Historiam Philosophiæ exponunt, alia Historiam Philosophorum persequuntur, alia denique recensiones exhibent librorum de hac historiæ literariæ parte editorum.

In

In prima harum Dissertationum classe occurrit p.159–209, *Historia Philosophiæ Ionicæ*, ubi docetur, Thaletem primum fuisse Græciæ Philosophum, Anaximandrum vero primum in Græcia Philosophiæ Professorem, & simul origo pariter ac imperfectio Philosophiæ Ionicæ exponitur. De primo cujusque principio physico cum non conveniant eruditorum sententiæ, hic verum a falso accurate discernitur: & vita cujusque simul describitur, illustrato subinde Diogene Laertio. *P.210–241*, duce *Chrysostomo Javello*, cum moralis, tum politica Platonis philosophia describitur: juxtaque *p.241–249 Nicolai Securi* sententia de Platone exhibetur, contendentis, eum a Deo receptum esse in concilium hominum æterna beatitudine fruentium. Platonicos etiam fuisse *Therapeutas* Philonis, hic docetur, ac *p.503–529* copiose de iis agitur, nec ii solum refutantur, qui Christianis eos aggregarunt, sed etiam Cl. Jo. Joach. Langius, qui eos habuerat pro ethnicis Judaizantibus. Aliorum Platonicorum Catalogus exhibetur *p.900 seqq.* cui jungi potest Catalogus Stoicorum fictitiorum *p.109–124*, e. g. Agathoclis a Luciano, Crispini ab Horatio memorati. De Stoicorum paradoxis Ciceronianis sententia fertur philosophica *p.694–711*. Philosophiæ Aristotelico-Scholasticæ facies, prout eam Satyrico suo stylo depinxit Boilæus, exhibetur *p.32–3*; prout eam Gassendus descripsit, *p.23–48*; prout eam Schmirius repræsentavit, *p.49–70*. Profertur quoque *p.74* nummus, Aristotelis vultum referens & singulari Dissertatione illustratus a Corn. Diet. Kochio, Professore Helmstadiensi: cujus tamen error coarguitur, ac, nummum hunc nuper demum effictum fuisse, ostenditur. Inseritur hic *p.345–374* carmen veteris Scholastici longe rarissimum de vita & philosophia Aristotelis, cujus autor Aristotelem non solum inter beatos retulit, sed etiam diserte judicavit, Joannem Baptistam in spiritualibus, Aristotelem in naturalibus fuisse præcursorem Christi. Libri sententiæque hujus mentionem adhuc fecerant eruditi ex Cornelii Agrippæ libro *de vanitate scientiarum*. At nunc ipsum hic cernimus librum, in quo id scriptum legitur. Exhibetur & hic *p.921–929* Jac. Thomasii Dissertatio primum nunc edita *de titulis Scholasticorum honorariis*. Ipsius vero Aristotelis Philosophiam, maxime

xime

xime Physicam, quomodo impugnavit Sebastianus Basso, videre est *p. 939 sqq.* Cumque Scholasticorum ævo creari cœperint *Magistri Philosophiæ*, de hoc instituto, ejusque origine ac nævis, disseritur *p. 592–630.* Vixerunt magnoque nomine usi sunt Scholasticorum temporibus Petrus de Abano, & Joannes Scotus Erigena. De illius philosophandi ratione exponitur *p. 374–400;* de hujus *p. 858–900.* In universum *de philosophico ingenio* disputatur, & singularum gentium in Philosophiam merita æstimantur *p. 817–858.* De ficto quodam Philosopho, cui nomen *Linderachi*, legas licet *p. 85 - 88.* Cum vero philosophicarum doctrinarum professio permultis damnum attulerit vel etiam mortem, *p. 88 109* exhibetur specimen Martyrologii Philosophici. De Pauli Apostoli philosophia *p. 124–149* disseritur, erroresque vulgi literati rejiciuntur breviter ac nervose. De *Elpisticorum* secta, Plutarcho laudata, cum adhuc nihil definierint eruditi, probabile hic *p. 912–921* censetur, innui eo Plutarchi loco Christianos, quippe quos ab ethnicis vocitatos fuisse *præsumtores* sive *sperantios*, testis est Tertullianus. De *lapide Philosophorum* agitur *p. 249–261,* & appellationis hujus origo ac vera notio e libris Rabbinorum eruitur. Quis primus Germanico sermone composuerit Logicam, vulgo ignorabatur. Cl. Heumannus noster *p. 586 sqq.* Buttnerum quendam hac laude affecit, de ejusque Logica, quæ cognitu digna videbantur, memoriæ prodidit. Postea vero a Cl. Feuerlino edoctus est, jam antea Fuchspergerum quendam patrio sermone publicasse Logicam Melanchthonianam. Vid. *p. 745 sqq.*

Ad vitas Philosophorum ut procedamus, *p. 261 - 282; 400 - 423, 467–484; 803–814 & 938* exhibetur vita Galilæi a discipulo ejus Vincentio Viviano bona fide exposita: adjunctis non paucis annotationibus. Italica quidem lingua usus Vivianus ille fuerat: sed hic reperitur versio ejus Germanica. *P. 434–439.* Thomæ Burnetii vita publicatur, composita nuper, rogatu Heumanni nostri, a Guil. Wottono. Vita Abælardi, qui princeps & patriarcha Scholasticorum fuit, copiose descripta exstat *p. 529 586.* Vita percelebris Aristotelici, Theophrasti, *p. 661–681* exhibetur, ac simul inter fabulas refertur, cum traditur vulgo, 1) eum Tyrtamum antea dictum, nomen Theophrasti accepisse ab Aristotele; 2) eum

morti proximum, Theophrastum præ Eudemo elegisse successorem, afferri jusso vino & Lesbio & Rhodio; 3) eum centenario majorem vita excessisse. Hac occasione censuræ acriori subjiciuntur, *p. 681–694*, ejus *Characteres ethici*, doceturque, libellum hunc adjungendum esse non philosophicis Theophrasti libris, sed rhetoricis. De Potamonis Alexandrini, Philosophi eclectici, ætate disputatur *p. 711—743*. De Samuelis Pufendorfii vita & controversiis e MSS. monumentis hausta quædam occurrunt *p. 641–659; 770—789 & 949–957*. Præterimus Epitaphia clariorum Philosophorum, Platonis, Alberti Magni, Helenæ Cornaræ, Galilæi, Gassendi, Joach. Jungii, Petri Rami, Augustini Niphi, Antonii Galatei, *p. 755–769*, exhibita & illustrata. Nec minus prætermittimus Jordani Bruni Metaphysicam, *p. 424 sqq.* recensitam, itemque novas accessiones ad Catalogum scriptorum de Philosophia barbarica, *p. 485 sqq.*

Convertimus nos ad librorum Historiam Philosophicam tractantium recensiones criticas, paucisque docemus lectores nostros, hic *p. 149---158* describi *Launoji* librum *de varia fortuna Aristotelis*, & *Elswichii* Dissertationem *de fortuna Aristotelis in Scholis Protestantium; p. 282 sqq. Gualteri Burlæi* opus *de vita & moribus Philosophorum veterum; p. 298---341*, Thomæ Burnetii *Archæologias philosophicas; p. 439 sqq. Guil. Morellii Compendium Historiæ philosophicæ* una cum *Davidis Chytræi* libello *de sectis Philosophorum*, & *Desiderii Jacotii Vandoperani* libro *de Philosophorum doctrina ex Cicerone; p. 450–467 Gautierii Bibliothecam Philosophorum; p. 630 Anonymi* librum *de Philosophia paganorum; p. 631 sqq. Paganini Gaudentii* opus *de Philosophiæ apud Romanos initio & progressu; p. 789 Danielis Heinsii Peplum Philosophorum Græciæ; p. 791 sq. Bartholdi Feindii & Henningi Wittenii Compendia Historiæ philosophicæ; p. 793--802. Theophili Galei Philosophiam generalem* descriptionemque totius Philosophiæ veteris, maxime Platonicæ.

LECTIONES CHYMICÆ DE SALIBUS Alcalino-fixis & de Camphora, Autore CASPARE NEUMANNO, Chymiæ Pract. Prof. P.

Bero-

Berolini, typis Gotthardi Schlechtigeri viduæ, 1727, 4.
Plag. 22½.

DUæ potissimum sunt causæ, ob quas Clarissimus *Neumannus* Lectiones has juris publici fieri voluit. Ex quo enim a Serenissimo atque Potentissimo Rege Borussiæ Berolini Collegium Medico-Chirurgicum publice stabilitum, & inter alios Professores ipse Chymiæ Practicæ tractandæ præpositus fuit clementissime, varia, eaque sinistra quandoque de Chymicis Lectionibus hinc inde lata sunt judicia. Accedebant amicorum desideria & adhortationes, ut sibi Lectionum suarum documentum aliquod exhibeat. Quorum precibus satisfacturus Noster, Lectionem de Sale alcalico fixo Ambrosio Godofredo Hanckwizio, Chymico apud Londinenses expertissimo, transmisit, quam dignam hic judicavit, ut in Regia Scientiarum Societate prælegeretur non solum publice, verum etiam Transactionibus Anglicanis insereretur. Imo eandem cum altera de Camphora speciminis loco nunc idiomate vernaculo publice exhibet, ut ex eo judicare possint non minus osores quam amici, in quo ipsius industria versetur, & quomodo reliquæ materiæ Chymicæ tractentur & demonstrentur. Lectionem de Camphora jam brevibus excerptam dabimus. De Camphora quanquam Mœbius, Wedelius, Hoffmannus, Gronovius, Lemery, aliique Dissertationes conscripserint, nondum tamen plenarie constat, quomodo camphora ab Indis colligatur, & depuretur, multo minus, quid camphora depurata officinarum sit? Hoc novimus, quod sit usitatum regni vegetabilis subjectum, sed adeo peculiare, ut in tribus naturæ regnis sibi simile haud inveniat. Originem habet a duabus arborum speciebus in India Orientali provenientibus, quarum altera Arbor Camphorifera Sumatrana Grimmii, altera Japonica Breynii audit, ex quarum radicibus potissimum camphora colligitur. Verum dantur & aliæ plantæ, ut radix arboris cinamomi, zedoaria & mentha Zeylanica, schœnanthum, abrotanum, millefolium, bellis, cardamomum, juniperus, rosmarinus, salvia, camphorata, hyssopus, lavendula, horminum, ageratum, majorana, thymus &c. ex quibus camphora, quæ tamen oleo cujusvis vegetabilis essentiali ebria ejusdem odorem simul refert, extrahi potest. In India igitur Arboris camphoriferæ trunco,

co, ramis, & foliis, potissimum vero radicibus grosso modo conscissis affusa aqua ex aheno ferreo destillatur; sub qua operatione stramini, quo capitellum refertum est, in forma crystallorum adhæret, vel ex destillato colligitur camphora cruda, sal commune referens, olim Venetias, hodie Amstelodamum mittenda, ut ibidem mediante sublimatione depuretur. Errant itaque illi, qui camphoram vel minerale, vel gummi, vel succum vel lacrymam esse contendunt. Gummi non est vel succus gummosus, nec sal, quia in aqua non solvitur; nec resina, quia per destillationem nullum phlegma, oleum & spiritum acidum suppeditat, multo minus caput mortuum vel cineres post se relinquit, in aere tota evanescit, in aqua calida funditur, & exhalat, ac in spiritu nitri vel vitrioli solvi & integra præcipitari potest; nec est oleum, quia non est unctuosa, sed crystallisata, in tepido aere exhalat sine remanentia, sub destillatione non sub forma fluida sed sicca ascendit, nihil relinquit, nulli separationi subjecta est, nec quicquam empyrevmatici suppeditat, cum spiritu nitri concentrato miscetur quidem, sed placido motu, absque incalescentia & exhalatione, cum eodem spiritu non in solidam resinam, sed liquidum oleum abit, alium denique edit effectum, siquidem olei cinamomi e. g. gutta plus calefacit, quam dimidius scrupulus camphoræ. Est igitur camphora arte separatum, sublimatum, siccum, album, diaphanum, crystallisatum, acre, aromaticum, fragrantissimum, ponderosum, fragile, in igne & aere tepido fugitivum, & peculiare mixtum inflammabile. Ad hæc nullas monstrat maculas, digitis fracta glabrum quid instar saponis, sed non unctuosum præ se fert, per se in alcohol se redigi non patitur, & facile flammam concipit. Constat ex principio inflammabili copioso, pauca aqua, & terra subtilissima, intime inter se mistis. Præservatur ab exhalatione & consumtione, non tam quando semine milii, lini, sinapi albo, pipere &c. tegitur, quam quando liber & quidem tepidus aer ab ea arcetur, hinc sufficit, eam charta vel vesica involutam in pyxide plumbea, stannea, vitrea vel terrea asservare, aut charta tectam in dolio vel cista in cellam reponere. Quoniam subtile & bene unitum est mixtum, nulla pro usu Medico indiget præparatione, & admisceri potest omnibus oleis & spiritibus arden-

dentibus absque metu exhalationis. Solvitur a spiritu nitri in substantiam oleosam absque coloris immutatione, nisi quod solutum ad luteum aliquatenus tendat, ab oleo vitrioli vero in magis exaltatum colorem, qui tandem in fuscum & obscure rubicundum abit; utraque solutio per affusionem aquæ præcipitatur & reducitur camphora. Resolvi vero penitus potest, si cum alterutro dictorum menstruorum aliquandiu digeratur, & frequentius per retortum abstrahatur. Inter alia præparata pharmaceutico-chymica prævalet spiritus vini camphoratus & oleum camphoræ. Ille, cujus præparatio nota est, non indiget destillatione, sive sal tartari addatur, sive minus, quia nihil vel parum de camphora supra alembicum fertur. Oleum vel per solutionem vel per sublimationem paratur. Priori modo, quando camphora in oleo quodam expresso solvitur, vel quando oleum, quod supra camphoram in spiritu nitri solutam natat, separatur; posteriori vero, quando camphoræ pars una cum partibus tribus boli rubræ mixta per retortam igne aperto destillatur, sublimata camphora cum nova bolo miscetur, & iterum destillatur, isque labor toties repetitur, donec nihil de camphora amplius sublimetur; hinc liquida destillata per retortam vitream rectificantur, & oleum separatur. Aut miscetur camphora cum oleo terebintinæ vel sapone Veneto, digeritur, destillatur, cohobatur, & rectificatur. Conveniunt tria hæc olea in eo, quod empyreuma spirant, hinc præstaret omnino camphoram pro intentione Medico-Chirurgica absque ullo artificio adhibere: quam censuram etiam merentur aqua & flores camphoræ, tam simplices quam compositi. Quando camphora in forma pulveris aliis medicamentis addenda venit, irroranda cum spiritu vini rectificatissimo, pro aquosis vero cum amygdalis excorticatis contundenda vel cum vitello ovi subigenda est.

METHODUS NOVA PRÆSERVANDI ET curandi Atrophiam seu Maciem Infantum, Autore D. CHRISTIANO FRIEDERICO CHUDEN, Physico Provinciali in Veteri Marchia & Collegii Medici Berolinensis Adjuncto.

Lipsiæ, sumptibus Ernesti Henr. Campen, Bibliopolæ Vet. March. Soltquellæ excudebat Christianus Schuster, 1726, 4. Plag. 3.

IN causas atrophiæ infantilis ante inquirit Autor Clariss. quam novam suam eidem medendi methodum exponat. Silentio autem præterit nimiam voracitatem, panem calidum, potum nocturnum & alia esculenta ac fœculenta, quæ infantibus obtruduntur vel conceduntur, quæque concoctionem & assumptorum resolutionem impediunt, utpote quæ ablactatis nutritionem retardant vel abolent, in eo solum occupatus, ut inquirat, quare infantes statim primis mensibus a partu nullum incrementum capiant, sed potius marcescant. Flocci etiam pendit causam supranaturalem, incantationem scilicet, cum ista opinio multis tenebris adhuc sit involuta. Pro genuina potius allegat causa primario insensibilem transpirationem in utero cohibitam, & collectam inde in poris cutis materiam mucido - viscidam, quæ quo diutius ibidem stagnat, eo magis tenellum corpus destruere & ad obstructiones glandularum & infimi ventris cruditates coacervandas apta est; secundario vero glandularum mesenterii occlusionem. Hasque viscidas impuritates idem esse putat, quod alii per vermes, crinones vel comedones dictos explicare malunt. Hinc in Therapia tam præservatoria quam curatoria unicum atque præcipuum remedium erit, ut sordes istæ in poris cutis hærentes removeantur, motusque transpiratorius liber restituatur, ac ut infarctus glandularum ductuumque lacteorum quantocyus tollatur, chyloque alibili liber transitus concedatur. Præservatio obtinetur simplicissima methodo, Autori per quinque lustra nullo non tempore probata, atque consistit in balneorum usu repetito, imprimis tertia, quarta, sexta hebdomade a partu instituendo. Novam hanc vocat methodum. Quanquam enim Autores tantum non omnes balnea commendent, faciunt tamen hoc non tam præservationis quam curationis gratia, alio etiam & a Nostri methodo alieno eadem adornant modo. Suadent scilicet illi balnea aquæ dulcis, cui parum mellis additum, ut crinones, seu vermiculi, quos credunt, dulcedine allecti capita per poros cutis exerant, & vel cultro, vel novacula vel crusta panis extrahantur & abradantur. Adornatur vero illa sequenti modo: Paratur balneum ex herbis nervinis & emollientibus, v. g. melissæ, chamomillæ, ana Manip. iij. & rosmarini Manip. j. Aqua virtute harum herbarum impraegnata tepido- calida vasi ligneo oblongo infunditur,

ditur, tunc obstetrix pedetentim dimittit in hoc balneum infantem nudum, & provide finistra illum tenens manu, ita ut caput ab alia persona simul suffulciatur, manu dextra optime hac aqua totum lavat infantis corpusculum, imprimis in dorso, femoribus, brachiis, circa regionem scapulæ, imo & in facie & temporibus, hinc eadem loca palma manus, farina triticea imbuta, optime fricat, denuo abluit, & iterum fricat, idque toties repetit, donec sordes ex poris cutis sub forma setarum crassiorum prodire viderit. Infans tum mappula involvitur, optime calefacta, & leniter corpusculo apprimenda, ut ei sordes viscosæ implicentur; nec refert, an de his cuti aliquid adhærescat, cum exarefactæ sponte decidant. Quo facto mammæ apponitur alumnus, novis linteis involvitur, & cunis committitur. Interim balneum citius in usum vocandum non est, nisi de umbilico exsiccato certi fuerimus; nec aqua sit nimis calida, ne lædat infantem, nec nimis frigida, ne pori claudantur; frictio non juxta longitudinem & digitis, sed palma & in circulos est instituenda, quia alias pori rotundi comprimerentur, nec sordes foras prodirent. Sed amplior est usus ejusmodi balneorum; inquieti enim per hæc ad somnum componuntur, ac ab achoribus, tinea, & aliis cutis defœdationibus præservantur. Solet etiam Autor Clariss. primis septimanis unà cum balneis pulv. Jalappæ gr. j. vel ij. cum pulv. Marchion. gr. iij. ad cruditates primarum viarum eliminandas exhibere. Sed pergimus ad therapiam curatoriam, quæ locum habet, quando ipsa atrophia ob neglectum balneorum jam in sensus incurrit, id est, quando unà cum pororum cutis obstructione fere plenaria glandularum quoque adest infimi ventris & vasorum lacteorum infarctus. Absolvitur vero eadem præter repetita balnea per interna medicamenta, quæ viscidìtati acidæ ex abdomine educendæ, obstructioni tollendæ, ventriculi actioni juvandæ & chyli distributioni promovendæ apta sunt, uno verbo, aperientia, laxantia, temperantia, corrigentia & roborantia; inter quæ potissimum tinctura vitrioli martis tartarisata Ludovici cum interpolatis laxantibus commendatur. De cætero cum Rachitis transpirationem impeditam itidem pro causa agnoscat, nullus dubitat Autor asserere, ab eo morbo infantes præscripta methodo pariter præservatum iri.

HERM.

HERM. CONRINGII DE HABITUS CORPORUM Germanicorum antiqui ac novi causis Liber singularis, cum annotationibus JO. PHILIPPI BURGGRAVII, Med. D.

Francof. ad Mœn. 1727, 8.

Alph. 1 pl. 9.

CUm liber hic Conringianus, jam pridem editus, & physicus sit & medicus, tum & historicus, moralis item atque Philosophicus, bene utique fecit Experientissimus Editor, quod denuo eum multis annotationibus insignibusque auctum additamentis evulgavit. Qua re ut inservire imprimis voluit Medicinæ expertibus; ita simul in præfatione eorum morem maxime detestatur, qui morborum curationes vernacula lingua exscriptas plebis etiam captui accommodare allaborant. Præterea vero Musarum alumnos, qui ultra vulgus sapere gestiunt, ad cognitionem sui, quantum ad corpus ejusque vel imbecillitatem præcavendam vel robur comparandum attinet, proposito exemplo veterum Germanorum provocat. Quod qua ratione facere potuerit, ex generaliori saltem opusculi Conringiani descriptione luculenter apparebit. Dividitur illud in sectiones duas, quarum priori documenta historica de antiquo corporum Germanicorum habitu una cum principiis physicis ac medicis ad ejusdem causas eruendas exhibentur. Atque in has ipsas causas deinde sectione posteriori inquiritur, ita quidem, ut quemadmodum antea singulare quid atque excellens in proceritate, in colore cutis, in oculis, & in capillis veterum Germanorum demonstratum est, sic postea singularum harum corporis qualitatum causæ exponantur. Quo posteriori loco multa sane iterum antiquitatis Germanicæ monumenta indagata reperias; utpote de liberorum educatione, de sera parentum venere, de cibi potusque ratione, de exercitiis corporis ejusque indurationibus ac lotionibus, de exercitatione bellica, & quæ sunt his similia. Cumque sub finem primæ partis peculiare caput de habitu corporis Germanorum hodie immutato sit annexum, in secunda quoque parte mutationis hujus causæ recensentur. Connubia nimirum cum brevioris staturæ gentibus brevitatem corporum in Germaniam introduxerunt, eorundemque proceritatem pristinam deminuerunt, & nunc adhuc incrementum impediunt studium aeris calidioris, cibi usu venientes, abusus potuum, qui dicuntur, Thée Caffée & Chocolade, cerevisia lupulosa, vini ac spiritus vini itemque fumi Tabacini frequentior usus, præmatura venus, primæ ætatis morbi, totiusque vitæ præsentis ratio. Atque hoc eodem modo deinceps causas etiam mutati candoris in cute pristinusque oculorum & pilorum in Germanis habitus investigavit autor; Clariss. Burggravius autem ex hisce omnibus occasionem nactus est excurrendi in amplissimum campum observationum plurimarum omne genus eruditionis illustrantium: adeo ut non solum Medici, sed etiam Philosophi, Historici, omnesque elegantiorum literarum amantes, hic inveniant, quo delectentur pariter ac informentur.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anno MDCCXXVII.

ISTORIA DIPLOMATICA, CHE SERVE D'INtroduzione all'arte Critica in tal materia, &c.

h. e.

HISTORIA DIPLOMATICA, QUÆ INTRODUCTIONIS loco esse potest ad artem Criticam in hoc argumento, cum variis appendicibus.

Mantuæ, apud Albertum Tumermanum, 1727, 4. Alphab. 2.

QUam bene celeberrimus *Mabillonius* vulgato præstantissimo *de re diplomatica* volumine de universa litterarum re, historiæ prætertim studio meritus sit, nemo facile, nisi qui omnia nesciat, ignorat. Interim tamen ipsi non pauca adhuc ad consummatioris operis gloriam deesse & periti, pridem est, quod judicaverint, & præsens illustris *Scipionis Maffei* liber corrigendo partim, partim supplendo labori *Mabillomiano* conscriptus abunde commonstrat. Facile prævidemus fore, ut lectores nostri, vel solo celeberrimo *Maffeji* nomine conspecto, præstantissima sibi quævis de summi viri, cujus in palæstra antiquaria praclara virtus dudum perspecta est, doctrina polliceantur, vehementique illius penitius cognoscendi desiderio inflammentur. Neque diu illorum gaudia morabimur, quin potius decerptis hinc inde utilissimis observationibus, non falsas aut vanas spes eorundem fuisse, hac ipsa, quam dare aggredimur, operis idea luculentiori ostendemus; si prius generatim monuerimus, hunc sibi scopum præfixisse autorem doctissimum, ut, viam minus aliis tritam incedens, *origines diplomatum* (qua voce, non quod vulgo fit, publi-

ca *rescripta* & *concessiones Principum* tantum, sed omnis generis *acta, documenta* aut *instrumenta*, inter privatos etiam confici solita intelligit) sagaciter investigaret, eorundem *historiam* per varias gentes atque ætates enarraret, & denique, quantum in illis conservandis, explicandis & ad historiæ usum referendis studii atque industriæ posuerint eruditi, traderet. *Duobus libris* integrum opus absolvitur: *primo historia diplomatum critica* exhibetur, &, quantum id genus *instrumentorum* a temporis injuria conservatorum *quinto* post Christum natum *seculo* antiquiorum superest, recensetur. *Secundo* illa enarrantur *diplomata ex quinto*, & quæ sequuntur seculis, quorum autographa hodie superant, de *Papyro Ægyptio* cui inscripta fuerant disputatur, & *Bibliothecæ diplomaticæ* conspectus describitur.

Hoc extra omnis dubitationis aleam positum videtur, antiquissimis temporibus omnes illos populos, penes quos litterarum usus invaluit, quique scriptis legibus quasi repagulis societatem civilem continuerunt, non ignoravisse actus illos juridicos & sollennes, quibus in una quavis legitima dispositione, publicis etiam atque privatis contractibus fides secura conservaretur. Ita terræ Canaaniticæ civitatem קרית ספר *Kiriath Sepher, Josua XV, 15*, memoratam, quam *Chaldæus* interpres *civitas Archivorum* vertit, inde nomen suum accepisse credibile est, quod in illa commune totius regionis *Archivum* asservaretur. Et cum inter *Ebræos* institutorum antiquissimorum origines atque fontes merito requirantur, quis hanc consuetudinem caput *Jeremiæ XXXII, 10, 11*, legens non agnoscat? Emerat Propheta agrum, *instrumentum* super hac re conficitur, obsignatur, testes advocantur, aliud exemplum contractus scribitur, & omnes adeo observantur mores, aliis etiam gentibus in simili occasione solennes. De *diplomatum* usu libri *Estheris cap. VIII*, itidem testatur, ubi Judæis a *Persarum* rege datum privilegium in epistolas regio annulo, quem non ornamenti, sed obsignationis causa gestatum antiquis fuisse *Macrobius Sat.* L. VII, c. 13 tradidit, obsignatas transscriptum fuisse dicitur. *Græcorum* mores in condendis *testamentis* atque sanciendis *contractibus* præterquam quod passim apud historiæ Græcæ autores innuantur, ex secundo *Platonis de legibus* libro optime cogno-

gnoſcuntur. Quid? quod tantam *inſtrumentorum* iſtius generis curam habuerint *Græci*, ut non chartæ ſolum, ſed metallo atque marmoribus etiam eadem mandaverint, & columnis quandoque ſive æneis ſive lapideis inſcripſerint? frequens horum pacis pariter bellique tempore uſus, ut hinc ab hiſtoriarum conditoribus, ſummo ſtudio tanquam certiſſima rerum geſtarum monumenta & conquiſita, & in annales ſuos, quod vel unius *Thucydidis*, ſummæ fidei ſcriptoris, exemplo claret, relata fuerint. Privatorum *inſtrumentorum* exempla famigeratiſſima illa quinque philoſophorum *Epicuri, Platonis, Ariſtotelis, Theophraſti* & *Lyconis teſtamenta*, a *Diogene Laertio* integra exhibita, ſuggerent. Jam ad *Romanos* deſcendendum eſſet; ſed mentionem prius faciendam ſibi putavit *illuſtris autor* noſter conſuetudinis *antiquiſſimorum Italæ telluris incolarum*, ignoti plurimis populi, &, ubi de antiquitatibus ſermo eſt, penitus neglecti, qui ſcilicet præter *Græcos* & *Romanos* nullos agnoſcunt alios, in quorum mores inquirere, operæ pretium illi judicent. Illius ſcilicet gentis, quæ Italiam occupavit antequam Romæ & Romanorum nomen auditum fuit; & de qua novam plane peculiaremque ſibi ſententiam *ſingulari diſſertatione* ad calcem hujus operis cum aliis, poſtea nobis recenſendis, rejecta expoſuit vir celeberrimus. *Etruſcos* puta, quos *Tertulliano* & *Minucio Felice* teſtibus, *Saturnus ſcribere, monetas cudere, & inſtrumenta* (*tabulas Tertullianus* appellat) *conficere docuit*. Ex quo apparet, illo jam, quod fabuloſa, incerta (ut *Varro* vocat) & obſcura ſecula proxime inſecutum eſt, tempore, adeoque pridem ante *Græcos*, & characterum & legum & *diplomatum* uſum *Etruſcis* cognitum fuiſſe: qua de re plura utique dici poſſent, ſi, quem *Athenæus* laudat libr. I *Ariſtotelis* cujusdam *de inſtitutis veterum Etruſcorum* Commentarius adhucupereſſet. Superant interim famoſæ illæ *tabulæ æreæ Eugubii* conſervatæ & *Etruſcis* inſcriptionibus inſignes, quas deſcriptas jam ærique inciſas Florentiæ proxime vulgatum iri ſpem facit autor doctiſſimus. De *Romanis* omnes ſatis norunt tanto majorem frequentioremque apud illos *inſtrumentorum* publicorum privatorumque conſuetudinem obtinuiſſe, quanto frequentiorem latiſſime patens imperium, &, quæ cum aliis gentibus ipſis interceſſe-

cesserunt, commercia illa conficiendi occasionem suggerebat; ubi simul circa *instrumenta privata* tenendum hoc est, certis antiquitus personis publica autoritate illa formandi provinciam demandatam, illosque, *Cicerone* teste, *Tabellionum* nomine vocitatos, & a *Suida* v. ταβελλίων ita descriptos fuisse, quod ἅπαντα τὰ τῶν πολιτῶν γραμματεῖα ἐπιτελοῦσι, ἕκαστον αὐτῶν ἐπισφραγίζοντες οἰκείοις γράμμασιν, eosdemque esse cum illis, quos græca voce συμβολαιογράφοντας *scriptores contractuum Novell.* 44 appellavit Imperator *Justinianus*. Nullum vero inter omnia illius generis *instrumenta* sive *publica* sive *privata*, propria quævis voce insignita, frequentius apud scriptores memorari videas, quam *diplomata*. Qua voce, a græcis repetita, antequam summa in republica potestas ad Imperatores devoluta esset, denotabantur *litteræ commeatus* alicui a Provinciarum præsidibus datæ. Ita *Cicero Orat. in L. Pisonem* ipsum præter alia crimina arguit, quod, dum Præses Macedoniam regeret, *diplomata passim dedisset*; quæ vendidit forsitan aut in alterius damnum nimis liberaliter elargitus est. Conf. & *Epist. ad Attic.* lib. X, Ep. penult. & *ad familiares* lib. VII, Ep. XII, & *Plin.* Ep. l. X, Ep. 14 & 121. *Sueton. August.* C. 50. Idem autor in *Nerone* Cap. 12. *Diplomata civitatis Romanæ singulis* ab Imperatore *oblata* memorat, & in *Caligula* c. 38, *Julii & Augusti diplomata ut vetera & obsoleta* ipsum *dissiasse* narrat. Quæ & plura alia veterum loca, huc non fusius transscribenda, docent, commune post hoc nomen *diplomatum* evasisse, quibuscunque Imperatorum beneficiis, scriptis litteris civibus concessis, quin & scriptis privatis, uti ex quodam *Senecæ* loco *de benefic. l.* 7. c. 10 constat; ita tamen, ut illa significatio, qua proprie *litteras commeatus* designavit, simul remanserit. Ceterum licet origo vocis illius ex Græcia repetenda sit omnino, & *rem duplicatam* innuat, ipsis tamen Græcis incognitam plane & insuetam fuisse *Plutarchi* aliquis locus *in Galba* manifestum facit, qui de decretis quibusdam consulum loquens, diserte addidit τὰ καλούμενα αὐτοῖς (Romanis) διπλώματα. Rarius equidem sive in scriptoribus Romanis, sive in lapidibus ejusmodi *diplomata* integre conservata deprehenduntur, ut inde quibus proprie formulis eadem consignata fuerint colligi satis non possit: interim tamen legitur

tur apud *Gruterum* n. 1081, *epiſtola* aliqua *Domitiani*, quæ proxime ad formam *diplomaticam* accedere Autori noſtro viſa, atque hinc transſcripta inde ſpeciminis loco data eſt, cum alia *Trajani* ex *Sponii Miſcellaneis* p. 278 excerpta. Comparari jubet, cum illis vir illuſtris *decreta Imperatorum Romana & Aſiatica* Judaicæ genti conceſſa, partim in *Joſepho*, ſed minus integre, obvia, partim a *Jac. Gronovio* cum commentariis vulgata, quæ & recentiſſimæ *Joſephi* editioni inſeruit Cl. *Havercampus*. Denique ipſe inſigne admodum monumentum antiquitatis, nunquam antehac vulgatum, *diploma* ſcilicet Imp. *Galbæ* authenticum, & omnibus, quæ hactenus edita ſunt, vetuſtius duabus tabulis æneis expreſſum, quod Muſeum doctiſſimi Abbatis *Petri Andreini* Florentiæ ornat, alio a ſe tempore Commentariis illuſtrandum, addit. Continet illud *honeſtam miſſionem*, ut *Ulpianus* vocat, militibus quibusdam factam, qua ſimul iidem Romanæ civitatis jura adipiſcuntur. Non ingratum fore putavimus lectoribus noſtris, ſi paullo accuratius eandem deſcribamus. Prima facie illorum nomina & patria transverſim ſcripta leguntur, quorum in gratiam *diploma* concinnatum fuit; tubulo in medio perforato eum in finem addito ut acu per illum transmiſſa in *Archivis* affigi potuerit: altera vero exteriori facie exhibetur verbotenus idem ipſum *diplomatis* argumentum, conciſe magis deſcriptum, quod interiore diplomatis parte iisdem verbis largius ſpatium occupantibus poſitum eſt. Utraque peculiari primum laminæ inſculpta eſt, quæ ligaminibus poſthac tribus invicem conjunguntur; ut adeo *diplomatis* nomen, quaſi *duplicatum* dicas, optime illi conveniat. Intelligitur hinc etiam cur *Themiſtius orat.* IV *diplomata* Imperatorum δέλτυς σφυρηλάτυς *libellos malleo factos* nuncupet, quod præter chartam æri etiam haud raro inſculpta fuerint; loca itidem ſcripturæ ſacræ *Exod. XXXII, 15*, ubi *tabulæ Moſis lapideæ*, *Ezech. II, 9*, ubi *Epiſtola* prophetæ oblata, & *Apocalypſ. V, 1*, ubi *liber* Joanni oſtenſus, *ab utraque ſui parte* ſcriptas litteras exhibentes memorantur, egregiam inde fœnerantur lucem. Hoc *diploma Galbæ* ſequitur *formula pacti cum juramento* in tabula ænea, ex *Fabretti Inſcriptionibus* p. 674, duo porro *inſtrumenta Patronatus & clientelæ* ex muſeo comitis *Moſcardi*, *inſtrumentum donationis* anno Chri-

 ſti

fti 252, ex *Grutero* n. 1081, aliud ex *Reinesio Inscr.* p 486, ejusdem seculi, denique ex 4 seculo de *Gregorii Nazianzeni testamento*, quod frustra *Andr. Rivetus νοθείας* suspectum reddere laboraverit, pauca quædam differuntur.

Libro *secundo* docetur, quod, quæ *seculo quinto* universæ Italiæ funesta maxime fuit barbarorum facta invasionibus catastrophe, quamvis una cum Romano Imperio, linguam pariter, mores atque instituta priscæ gentis vel prorsus aboluerit vel mutarit minimum insigniter, *diplomatum* tamen atque *instrumentorum* usus neutiquam cessaverit, sed servatus potius *Gothis* etiam fuerit iisdem fere modis atque formulis retentis; hac saltim cum differentia, ut, cum olim æri quoque atque *lapidibus* illa inscripta fuissent, in ipsorum locum tenuis illa *chartæ Ægyptiacæ* species, quam *Papyrum* dicunt, successerit. Fidem huic asserto conciliant, quæ ex *quinto, sexto, septimoque* seculo in plurimis Italiæ Bibliothecis, Museis, monasteriis adhuc superant documenta, omnia *Papyro* inscripta. Fusam hac occasione celeberrimus Autor noster de *Papyro* illa instituit παρέκβασιν, & de variis illius penes antiquos nominibus, de planta Ægyptiaca ex qua, & de modo quo confici consuevit non proletaria affert; *Melchioris* etiam *Guilandi* librum rariorem *de Papyro ad Plinii hist. nat. lib. XIII, cap. 11-13, Venet.* 1572 excusum contra *Josephi Scaligeri animadversiones* operose vindicat. Sub seculi *octavi* finem, usu Papyri istius paullatim obsolescente, *membranas* ex pecorum pellibus scite elaboratas adhibere cœperunt, quas ad præsens usque tempus posteri conservarunt. Nimis prolixum foret, Catalogum *diplomatum*, quæ & *annotationes, autoritates* atque *beneficia* illo tempore dicta sunt, ab Imperatoribus Græcis, Pontificibus Romanis ac Regibus, Italiæ maxime, conditorum huc transscribere, quem Cel. *Maffejus* texuit; nolumus etiam quæ is de *Archivis, Regestis*, sive *Cartulariis, Cancellariis, Referendariis* atque similibus argumentis erudite differuit, aliis quippe scriptoribus etiam exposita, repetere: paucis potius adhuc de *Bibliotheca diplomatica*, sive *notitia collectionum* præstantissimarum, quas eruditi viri de omnis generis *diplomatibus* instituerunt, bonoque publico vulgarunt, dicemus, qua simul *historia* ac variæ *studii diplomatici* vissitudines mirifice illustrantur.

tur. Inter inferioris ævi Scriptores, primi fuisse deprehenduntur, qui *instrumenta*, ad quorum fidem provocarunt, integra sive historiæ, sive Chronici, sive vitæ, sive quocunque alio nomine veniat, contextui inseruerunt, adeoque una cum ingenii sui monumentis ad posteros transmiserunt, *Flodoardus*, qui *S. Remigii*, *Aimonius*, qui *Regis Dagoberti*, & *Eginhardus* qui *Caroli Magni testamentum* conservavit. Secuti horum exemplum *Guilielmus Malmesburiensis*, *Andreas Dandolus*, *Albertinus Mussatus*, *Gerardus Maurisius*, *Romualdus Salernitanus*, *Otto Frisingensis*, pluresque alii. Neque defuerunt etiam illis temporibus, in Italia maxime, qui omnia documenta, hujus vel illius ecclesiæ, diœceseos aut monasterii laudabili studio congesserunt, quorum numerum vix ineas. Renascente sub typographiæ auspicia artium excolendarum ardore, prius de vetustis *lapidibus* conquirendis cogitarunt eruditi, quam de *chartaceis monumentis* solliciti essent: ac prima gloria *Benvenuto Sangiorgio Chronici Montferratensis* ad annum usque 1519 producti autori hac in re debetur, qui sexaginta plus minus *diplomata* operi suo, hodie rarissimo, interserendo docuit, non minorem illa lapidibus usum in conficiendis rerum gestarum commentariis præstare. Agnoverunt sequenti tempore eundem, *Sigonius*, *Baronius* ejusque continuator *Raynaldus*, & ultra montes *Joachimus Vadianus*, *Cuspinianus*, *Miræus*, *Andreas & Franciscus Duchesnii*, *Sammarthani* fratres, *Baluzius*, *Dacherius*, *Marshamus Monastici Anglicani* editor, centumque alii seculo decimo sexto ac septimo *diplomatici studii* instauratores, ut, qui *Bullaria Romana* & *acta Sanctorum* compilaverunt, viros celeberrimos, jam transeamus; quorum scripta, quantum diplomatis adjuti fuerint, cuilibet inspicienti facile ostendunt. Recentiori ævo *Joannes Mabillonius* edito *de re diplomatica* opere, haud vulgarem sibi præ aliis famam conciliavit. In cujus societatem jam veniunt *Leibnitius*, *Bacchinius*, *Muratorius*, *Pezius*, *Martene*, *Joannes Petrus a Ludewig*, & *Joannes Christianus Lunigius*; quorum opera hujus doctrinæ Antiquariæ partis termini mirifice sunt amplificati. Ceterum universalem Diplomatum Criticam, quæ adhuc desideratur, mente jam agitat Celeb. Maffejus. Promulsidis locum obtinere voluit librum hunc, cujus præcipua momenta

menta jam exhibuimus, *historiam* partim ipsorummet *diplomatum*, partim *studii*, quod in illis posuerunt hucusque eruditi, complexum. Hunc si vitam Deus, quod precamur, largitus fuerit, ipsa *ars diplomatum critica universalis* olim vulganda excipiet, hac methodo elaboranda, ut primo *Systema* quoddam *Characterum omnes scribendi modos* antiquitus receptos sistens proponat, *criteria* porro, quibus vera a falsis instrumenta cognosci atque dijudicari debeant, regulis aliquot universalibus comprehensa tradat, *fontes* etiam *errorum* in interpretandis illis, a *Mabillonio* quoque, haud raro commissorum, ostendat, *scriptionis compendia* sollicite explicet, genuinum denique eorundem *usum*, non sufficienter hactenus agnitum, commonstret. Impatienter, confidimus, ab eruditis immortale hoc opus exspectatum iri, atque publico hinc nomine illustrissimum Virum precamur, ut maturare opus, neque diu morari velit eruditæ civitatis gaudia.

Jam vero & dicendum aliquid esse existimamus, de variis *appendicibus*, quæ dimidia parte libri hujus molem ac pretium adaugent. Primo loco *sedecim antiquissima monumenta* exhibentur *Papyro* inscripta, eademque nondum publicata; quibus interdum egregia lux affunditur. Sequitur *dissertatio de versibus Rhythmicis antiquorum* occasione monumenti illius Rhythmis vulgaribus *in laudem civitatis Veronæ* Pipini regis tempore conscripti, quod & novæ *Ughelli* editioni, & *Cassiodorii Complexionibus* adjici pridem curavit vir eruditissimus, a *Mabillonio* etiam in *Analectis* exhibitum est. Docetur ibi duplicem versus conscribendi modum adhibuisse veteres Latinos; unum ad certas metri alicujus leges pedumque numerum definitum compositum, quem *metricam Poesin* salutarunt, Poetis atque eruditis hominibus familiarem; alterum vero *rhythmicum* dictum, quo de plebe homines usi sunt, qui pensi habitis severis illis metri legibus liberiori musa carmina fuderunt. *Saturnium* alias *metrum* vocitabant, quod illius originem ad *Saturni* tempora referrent. Parum tamen illud ad eorum palatum fuisse Augusti ætate, qui cultiori ingenio pollere sibi videbantur, ex *Horatio* lib. II, Ep. I, qui *horridum metrum*, & *Livio*, qui *inconditos versus* vocat, edocemur. Excipit hanc dissertationem alia, *de Italis primitivis*, in ipso opere promissa, qua

in

in primorum Italiæ habitatorum, quos Latini *Etruscos*, Græci autem scriptores *Tyrrhenos* nuncupant, origines erudite inquiritur, eosdemque ex Terra Canaan prodeuntes illuc primum consedisse, non absque omni veri similitudine asseritur. Ita nomen civitatis terræ Canaaniticæ עטרות *Hatroth, Numer. XXXII, 34, Hetruscorum* appellatio facile prodit; ut de pretio, quod utraque gens superstitiosissima, auguriis statuit, fusius ab autore, præter morum insignem convenientiam, argumenti loco allata nihil dicamus. Post hanc famigeratissima illa *Joannis Chrysostomi ad Cæsarium Monachum epistola*, quam una cum *litteris* humanissimis ad Vir. Cel. *Jacobum Basnagium*, *Florentiæ* A. 1721, exscribi typis primum curaverat, recusa hic legitur. Optavisset quidem Vir illustris, ut, cum *primo lectionum antiquarum Tomo*, quædam regereret ad suas litteras Cl. *Basnagius*, non illarum fragmenta tantum excitavisset, sed integre insertas lectoribus suis proposuisset, quo melius ipsis de totius controversiæ constitisset momento; cum tamen facere illud omiserit *Basnagius*, denuo illam vulgare necessarium duxit, *observationibus* quibusdam *apologeticis* adauctam. Ultimo denique loco occurrunt *Acta sanctorum Martyrum Firmi & Rustici*, ex Codice quodam seculi duodecimi bonæ notæ fideliter descripta, ut satis fieret voluminosi *Actorum Sanctorum* operis conditorum desideriis jam publicata, quibus coronidis loco *Vita S. Zenonis* itidem ex MSto additur.

Atque sic quidem officio nostro defuncti esse brevemque elaboratissimi hujus operis conspectum dedisse nobis videmur, dignissimi certe, quod in Latinum sermonem conversum, plurium usibus inserviat, ut adeo calamum jam ponere possemus. Antequam vero id fiat, lubet Catalogum ingenii monumentorum omnium contexere, quibus præclara *Marchionis* virtus cognoscendam sese, posterisque olim deprædicandam præbuit. Quam *scriptorum Maffeianorum* notitiam, benevole nobiscum communicatam, gratissimam lectoribus accidere minime dubitamus. Sunt vero hæc: I *La Merope* Tragœdia, Venetiis olim incredibili cum plausu recitata, & in Gallicam, Anglicam, Germanicam atque Hispanicam linguam translata. II *Della Scienza chiamata Cavallerescha libri tre*; sive de scientia tuendæ existimationis, quæ vulgo

ſcientia nobilium dicitur. De hoc libro in *Actis noſtris Supplement. Tom. VI p. 265* dictum eſt. III *Rime e Proſe, raccolte e publicate dal Dottor Coleti, in Venezia.* Leguntur in hac collectione duæ illæ diſſertationes famigeratiſſimæ, una, *de generatione fulminum*, altera *de fragmentis Irenæi anecdotis adverſus Cel. Pfaffium.* IV *Traduttori Italiani*, ſeu notitia de verſionibus ſcriptorum veterum latinorum & græcorum Italicis. Vide *Acta noſtra*, A. 1723 p. 227. V *Dell' antica conditione di Verona*, viginti dierum opuſculum, confutandæ eruditi cujusdam Brixienſis, autori amici, ſententiæ, qui Brixiam metropolim olim fuiſſe agri Veronenſis contenderat, conſcriptum. Prodromus illud tantum eſt operis elaboratioris, titulo *Veronæ illuſtratæ* proxime publicandi. Interim duo in hoc libello maxime conſideranda veniunt momenta. Primum, quod nunquam in Provinciis Romanis conſtituta aliqua fuerit metropolis, reliquis præferenda: quam obſervationem peculiari commentatione poſt *Veronam illuſtratam* imprimenda uberius illuſtrabit. Alterum, quod ſuppoſititium ſit illud diſtichon *Catulli* Eleg. III verſ. 17:

Brixia quam molli percurrit flumine Mello
Brixia Veronæ, Mater amata meæ.

Præterquam enim, quod *Melli* fluminis hic mentio fiat, nominis *Catulli* ævo plane inauditi, pridem eſt, quod Critici obſervarunt, hanc Elegiam alio adhuc diſticho a recentiori quadam manu adauctam fuiſſe; & ipſe paullo poſt illuſtris *Maffei* adverſarius, in duos Codices *Catulli* optimæ notæ MStos incidit, ne unicam quidem litterulam ex diſticho allegato exhibentes. VI *De Fabula equeſtris ordinis Conſtantiniani. Pariſiis* typis exſcripta fuit hæc commentatio, latino idiomate ſtiloque terſiſſimo exarata, qua vaniſſimum eſſe illorum commentum evincitur, qui, neſcio quem, ordinem equeſtrem ab Imperatore Conſtantino M. inſtitutum, & ab ejus ſucceſſoribus diſpenſatum fuiſſe tradiderunt. Quo quidem libro, in Italia valde raro, parum gratiæ optimum Autorem retuliſſe ab Aula Romana, non ignoramus. VII *Caſſiodorii Complexiones in Epiſtolas, & acta Apoſtolorum, & Apocalypſin.* Dedimus illarum recenſum in *Actis noſtris* A. 1723 p. 21, jamque id tantum notamus, *Londini* easdem paullo poſt quam prelo liberatæ

Italico

Italico prodierunt, cura *Samuelis Chandleri* recusas fuisse. Unum adhuc memorandum succurrit, in prolixa historiæ hujus diplomaticæ ad Serenissim. *Sardiniæ Regem atque Ducem Sabaudiæ* præfatione exspectari a se jussisse etiam Virum Celeb. *collectionem lapidum ineditorum*, cui comitem dabit dissertationem *de usu atque valore Inscriptionum*; atque hujus promissi in fidem, quasi arrhæ loco exhibere typum *Arcus Susani*, famigeratissimi a tribus inde seculis antiquitatis monumenti, *inscriptione* superbientis, quam frustra hactenus explicare tentaverint, *Andreas Naugerius*, *Lucas Holstenius*, *Joannes Mabillonius* & *Petrus Godofredus Nizzardus*: ipse vero jam feliciter restituerit, uberiori olim illam luce collustraturus.

BURCARDI GOTTHELFF STRUVII Bibliotheca philosophica Recensuit & largissimis accessionibus instruxit M. JOANNES GEORG. LOTTERUS, Augustanus.

Jenæ, apud Ernestum Claudium Bailliar, 1727, 8.
Alph. 1 pl. 6.

NOva hæc est, eademque quarta, *Bibliothecæ philosophicæ Struvianæ* editio, nova fere jam facie conspicua, atque studiosorum usibus magis accommodata. Etenim, a Bibliopola rogatus Cl. Editor, Collega noster perindustrius, ut illam curandam susciperet, id ante omnia negotii datum sibi recte putavit, ut errores præcipue, qui prioribus editionibus fere sine numero irrepserant, sollicite tolleret. Præter hæc variis accessionibus opellam auxit, integros partim paragraphos adjiciendo, quibus a Cel. Struvio omissa suppleret, quorum in præfatione Syllabum dedit; partim vero additis passim hypomnematis largioribus, illa scripta commemorando, quæ post editam Bibliothecam Struvianam in lucem publicam exiissent. In librorum editionibus annotandis illarum rationem habuit potissimum, quæ vel primæ omnium fuissent, vel inter sæpius exscriptas optimæ judicarentur. Sedula hic etiam industria Academicæ dissertationes excitatæ deprehenduntur, & ubi præstantiorum philosophorum vitæ legi possint, traditur;

tur; usus vero opellæ, adjecto triplici indice perquam commodus studiosis redditur. Interim cum Academici libelli cancellos præfixerit bibliopola, & non nisi quadrimestre spatium editori concessum fuerit huic operi perficiendo; si alia aliquando paranda fuerit libri editio, operam se daturum is promittit, ut ornatior illa atque perfectior appareat.

GEORG. ERH. HAMBERGERI, PHILOS. & Med. Doct. & Prof. P. Elementa Physices, methodo mathematica in usum Auditorii conscripta, cum figuris æneis atque Indice.

Jenæ, sumtibus viduæ Meyerianæ, 1727, 8.
Alph. 1 pl. 10.

QUam parum abundemus compendiis Physicis satis aptis atque concinnis, ii minime ignorant, qui, quod Auditoribus suis, in scholis Academicis, potissimum interpretandum sumant, plerumque difficulter reperiunt. Novum & perelegans est, quod nunc in lucem edidit Cl. *Georg. Erh. Hambergerus*, B. *Georgii Alberti* filius, & *Weigelii* nepos dignissimus. Qui, quanquam negat, alium sibi propositum fuisse finem, nisi ut Auditoribus inserviret suis, complura tamen affert, quæ magnorum etiam Physicorum meditatione non indigna judicamus. Methodo usus mathematica, quicquid pronuntiat cum prioribus, quas perpetuo allegat, sententiis ac thesibus concatenare, atque ita rite demonstrare conatur. Quod sine dubio magnopere probabunt ii omnes, qui, nihil impediente scientiæ naturalis imperfectione, propter quam multi Systema physicum satis perfectum & cohærens etiamnum condi posse negant, methodum mathematicam accommodatissimam arbitrantur, ad hanc ipsam scientiam tyronibus tradendam atque explicandam. Quæ in plerisque libellis physicis initio statim proponi solent de corporum naturalium principiis, materia, forma, causa efficiente, qualitatibus sensibilibus &c. hæc omnia prætermittit Noster: *Neque enim video*, inquit, *quid ei, qui nihil scit de materia corporum propria, de communi omnium corporum materia demonstrari queat, vel de causa efficiente, forma, principio*

cipio intrinseco &c. ei qui ne quidem ullum effectum, figuram, & ejus proprietates scit vel intelligit; aut qua certitudine isti, qui structuram corporis humani nescit, de qualitatibus tactibilibus, odorabilibus &c. sermonem facere valeam. Hinc *primo* statim *capite* de motu agit, de *vi insita* corporum, de generatione & mensura motus cum simplicis tum compositi, itemque de legibus impulsus corporum perfecte elasticorum sive perfecte durorum, quippe quæ plane pro iisdem habet. *Vim insitam* sive concreatam ita concipit, quod corpus quodlibet, quolibet momento, versus omnes plagas extra se, & ab omnibus plagis in se ipsum tendere sive agere debeat. Quod si harum virium quælibet suæ opposite sit æqualis, etiam quoad causas occasionales motus, hoc est, quoad resistentias corporum externorum, tum quidem corpus quiescere pronuntiat: sin una harum virium, sua opposita, quoad causas motus occasionales, sit major, sequi motum, secundum directionem majoris; nec motum, nec vim transire ex uno corpore in aliud, sed resistentiam dare æquilibrium quoddam corpori impellenti, & auferre æquilibrium corpori quiescenti. Quantitatem motus, sive impetum corporum, prodire dicit, si massa per celeritatem multiplicetur; hanc tamen regulam de corporibus quiescentibus, i. e. in æquilibrio constitutis, tantum valere; quippe cum infra, experimento globuli ænei vel eburnei, ex diversa altitudine in argillam delabentis, demonstret, corporum in motu constitutorum impetum inveniri, si massa per quadratum celeritatis, juxta regulam *Leibnitianam*, multiplicetur. Corpus *perfecte elasticum* hoc modo definit: quod vi externæ agenti perfecte resistit, hinc non mutatur, nec sese restituit. Quare determinationes motuum, in corporibus perfecte duris & perfecte elasticis, post conflictum, juxta principia Cl. Autoris nostri, plane sunt eædem; & quidem tales, quos præstantissimi inter recentiores Mathematicos & Physicos solis corporibus elasticis adscribunt. Nostrum non est, hac de re judicare; quanquam naturam *vis insitæ* & supra allatam ejus descriptionem non parum nobis comprehensu difficilem adhuc videri, pace Viri Clarissimi, ingenue fatemur. *Caput alterum* de actione corporum ex gravitate, ac de æquilibrio solidorum & fluidorum, agit. *Gravitatem* a vi insita dependere, nec,

sine petitione principii, a motu alicujus fluidi circulari derivari posse contendit. Corpus *fluidum*, juxta ejus definitionem est congeries particularum minimarum, sigillatim haud sensibilium, quæ adeo leviter inter se cohærent, ut pondus quantitatis, ad summum piso æqualis, majus sit cohæsione partium inter se: *Solidum* vero est congeries particularum, quarum cohæsio tanta est, ut major vis requiratur, ad corpus in duas partes circiter æquales dividendum, quam ad corpus uno actu elevandum. *Capite tertio* de actione corporum ex vi insita absque motu, sive de *cohæsione* disquiritur. Cohæsionem a pressione fluidi externi non dependere duobus potissimum argumentis probat Cl. Hambergerus. Fluida aut ambiunt tantum corpus, inquit, nec ejus poros penetrant, nisi ad summum successive, aut penetrant liberrime per omnes poros, aut difficulter penetrant, saltim in angustiores poros, ideoque in corpore subsistunt & in interiores ejus partes agunt. Fluida crassiora, in superficie corporum tantum prementia, e. g. aer & aqua, comprimunt quidem corpora, & quandam partium cohæsionem præstant; minime vero sufficientem esse istam pressionem, vel sola marmora polita loquuntur. Ea enim, quæ possidet Cl. Autor (diameter baseos est 25 lineis Paris. æqualis) a 580 libris hieme vix divelli possunt, cum aer eadem marmora ad summum comprimat vi æquali 50 libris. A fluido, quod omnes poros libere permeat, non posse comprimi corpus, demonstratione haud eget. De fluido subtili vero, quatenus in interstitiis particularum subsistit, demonstratur, quod majorem vim exerceat ad dissolvenda quam comprimenda corpora. Alterum argumentum desumitur a figura guttularum sphærica. Quam ut pateat a fluidorum pressione obtineri haud posse: *ponamus*, inquit, *aliquot fluidi cujusdam particulas, in figura quadrata vel cubica positas; premat hasce particulas fluidum quoddam externum; pressio in omnes particulas erit perpendicularis & æqualis; aut ergo omnes simul, æquali celeritate, aut plane nulla particula, versus interiora cubi moventur; atqui ex neutro effectu guttula fit rotunda;* ergo patet propositum. Juxta sententiam Cl. Autoris a vi insita elementorum vel corpusculorum minimorum omnis deducenda cohæsio est, quam eo fortiorem censet, quo major sit illa

vis,

vis, & quo plura sint puncta contactus. Leges adhæsionis fluidorum & solidorum per experimenta simplicissima invenit tales: 1) *fluidum specifice levius adhærere omni corpori gravitate specifica æquali, vel etiam specifice graviori*; 2) *nullum fluidum specifice gravius, paulo majori quantitate collectum, adhærere corpori specifice leviori*. Et his legibus, ad quas etiam reducit cohæsionem solidorum, quamplurimos naturæ effectus, hoc & sequentibus capitibus, ingeniosissime interpretatur. *Caput quartum*, velut consectarium tertii, de mixtione & separatione agit. Ubi, contra receptam opinionem, salia alcalia intrare Autor docet in interstitia salium acidorum; hoc potissimum experimento nixus, quod affuso leniter & guttatim spiritu quocunque acido ad oleum tartari per deliquium, hujus altitudinem, diligenter antea notatam, continuo decrescentem vidit. Qua de re novissime singularem ac doctissimam Dissertationem conscripsit. *Caput quintum* est de igne; *sextum* de aere; *septimum* de aqua; *octavum* de terra & in eadem contentis, ubi etiam acus magneticæ fit mentio, cujus peculiare aliquod phænomenon primus observavit Cl. Autor, quod *Partialitatem acus magneticæ* appellavit, atque erudito Programmate huic libello præfixo uberius persecutus est. Consistit autem illa partialitas in ejusmodi statu acus magneticæ, quo utraque sua extremitate ad alterutrum magnetis polum accedit, & ab altero recedit; atque istud fit, cum ab alterutra extremitate, non ad alteram extremitatem, sed tantum ad medium seu centrum usque, quolibet magnetis polo acus stricta est. *Capite nono* phænomena explicantur, quæ oriri solent, si ignis concurrit vel cum aere, vel cum aqua, vel cum terra; ubi totam doctrinam Newtonianam, de radiorum refractione, reflexione, & coloribus, ex principio adhæsionis Nobilissimus Autor demonstravit. *Caput decimum* ea complectitur phænomena, quæ oriuntur ex concursu, vel ignis, aeris, & aquæ, vel ignis, aeris, & terræ; quo loco de vaporibus, de ventis, de frigore, de rore, pruina, nebulis, pluvia & grandine, itemque de meteoris emphaticis; porro de modo quo corpora fiunt candentia, de corporibus malleabilibus & ductibilibus, de fulmine, de electricitate, de phosphoris &c. disquiritur. *Capite undecimo* specialia quædam recensentur phænomena, quæ

ex

ex concursu ignis, aeris, aquæ & terræ oriuntur. *Caput duodecimum* atque ultimum agit de Systemate mundi. Tota doctrina de plantis, animatis, atque homine, tanquam ad Medicinam pertinens, in hoc compendio Physices omissa est. Ceterum præter Programma supra laudatum adhuc aliud addere placuit Cl. Autori, de *camphora per spiritum nitri fusa*.

Des Heil. Röm. Reichs vollständige Staats-Rechts-Lehre, Fünffter Theil 2c. 2c. Sechster Theil 2c. 2c.

hoc est,

JACOBI CAROLI SPENERI PLENIOR doctrina Juris Publici Imperii Romano-Germanici.

Tomus V.

Francofurti & Lipsiæ, impensis Georgii Marci Knochii, 1726, 4.

Alph. 2 pl. 4.

Tomus VI.

Ibidem, sumtibus ejusdem, 1727, 4.

Alph. 2 pl. 3.

POstquam Tomo IV, de quo in Actis A. 1725, Mense Decembri nos dicere meminimus, duo libri quarti capita priora, unum *de summa Imperatoris Romano-Germanici dignitate, titulis & insignibus*, alterum *de Electione Imperatoris*, executus est Vir Celeberrimus, jam Tomis his duobus omnem *de Augustis Imperatoris nostri juribus* tractationem, simulque librum quartum doctrinæ suæ Juris publici Romano-Germanici absolvit. Tertio itaque *capite coronationem Imperatoriam* exponit non minore studio apparatuque, quam præcedente electionem illustraverat: imprimis vero solennia novissimæ coronationis, & eorum quædam singularia, solicitius expendit. Quarto capite *Majestaticum Imperatoris munus, ejusque jura & officia universim* describit, Majestatis Imperatoriæ fundamentum in novissimis statuum cum Imperatore pactis constituit, eamque docet a supremo capitis Imperii nostri munere inseparabilem, omnibus coruscare, quibus doctrina civilis Maje-

Majeſtatem definit, requiſitis,ut ſit ſumma,plena, independens,legibus humanis ſoluta poteſtas. Jurium vero Auguſtorum idem fundamentum, quod Majeſtatis Imperatoriæ, eandemque normam, pacta ſcilicet noviſſima eſſe, quibus quicquid Imperatori noviter delatum, quicquid iisdem obſervantiæ Imperii veteri ac juribus, quibus Prædeceſſores Auguſti uſi, minime derogatum, id citra controverſiam Imperatori competere, demonſtrat. Inde *jura Imperatoris ſingularia & reſervata* plenius enarrantur capite quarto, facta eorum partitione ſecundum triplex objectum, communia Imperii negotia, Status Imperii, territoria & ſubditos Statuum ſingulorum: in qua difficili utique pertractatione Noſter ſeſe ita gerit, ut ad Statuum jura & ad ſuperioritatem eorum territorialem, in poſtremi generis reſervatis Imperatoriis, debita cum cura reſpiciat, utque reſervata certiora ab aliis non omnem extra dubitationem poſitis, vel per pacta recentiora abrogatis, rite diſcernat. Pergit hinc Capite VI ad *jura Imperatoris cum conſenſu Collegii Electorum in Imperio Romano exercenda*, &, quæ circa illa evenerunt hodie, mutationes expendit. Capite VII contemplatur *Imperatoris Curiam, ejusque, ut & redituum ac compendiorum ad Cameram Aulæ Imperialis ſpectantium habitum & ordinationem.* Capite VIII *de ſupremo Imperii regimine per Imperatoris mortem, reſignationem, depoſitionem vacante*, deque juribus, imprimis circa poſtremum longe difficillimum, quo Imperio vacare capite ſuo poſſit contingere, obſervandis, diſpicitur. Et hactenus pertingit Tomus V. Qui ſuccedit, Tomus VI juſta methodo pergit Capite IX ad tractationem de Vicariis Imperii eorumque juribus, quæ diſtincta cauſarum, ob quas Vicariatus exercetur, mortis ſcilicet, abſentiæ, infirmitatis, vel minorennitatis Imperatoris, contemplatione aliter atque aliter, ut res poſcit, intelligenda perhibentur. Caput X Regis Romani electionem, coronationem, eminentias, jura & officia, denique Caput XI Auguſtæ Romano-Germanicæ coronationem, eminentias, jura, deſcribit. Accedit huic Tomo Appendix de *Origine Comitum Palatinorum Imperialium, horumque juribus.* Cum enim Noſter alia inter reſervata Imperatoris jus conſtituendi ejusmodi comites enarraret libro IV cap. 5, novam de genuina iſtius reſer-

vati Imperatorii origine ſententiam ſimul propoſuit, nimirum juris Romani Juſtinianei in Italia reſtitutionem effeciſſe, ut primum Imperatori in Italia, mox & in Germania ea jura per Legiſtas vindicarentur, quæ ſunt Auguſti ſecundum legem Romanam, eaque de cauſa conſtitutos fuiſſe ab Imperatoribus Comites, qui jura iſta nomine Imperatorum exercerent, ac titulum quidem Lateranenſium Comitum inde coortum, quod Ludovicus Bavarus Caſtruccio, Lucæ Duci, Comiti Palatii Lateranenſis, ut inaugurationi aſſiſteret, a ſe creato facultatem ſingularibus codicillis dederit *milites conſtituendi, & militari cingulo decorandi, & judices ordinarios ac notarios publicos creandi & ordinandi, filios naturales, tam ſpurios, quam vulgo quæſitos, ex damnabili coitu natos, legitimandi, & cum ipſis ſuper natalium defectu, & alio quolibet, diſpenſandi.* Hæc, ut publico programmate nuper latius executus eſt Noſter, ita hac Appendice ipſius programmatis contextum Latinum, addita interpretatione Germanica, repetiit quidem, ſed luculentis annotationibus, quæ vel ſcriptorum & rerum teſtimoniis argumentisque ſententiam Autoris fulciant, vel illuſtrent, eundem inſtruxit.

PAULINI A S. JOSEPHO, LUCENSIS, CLERICI Reg. Scholarum piarum, & in Archi-Gymnaſio Romanæ Sapientiæ Eloquentiæ Profeſſoris Orationes, habitæ in eodem Archi-Gymnaſio.

Romæ, ex typographia Bernabò, 1727, 8.
Alph. 1 pl. 1.

SYlloge hæc eſt Orationum undecim, quas Cl. Autor variis occaſionibus diſſerendi materiam ſuppeditantibus, in Romanæ Sapientiæ Archi-Gymnaſio recitavit. Aliquot ex illis jam in lucem prodierant, Pontificum partim, partim Cardinalium nominibus inſcriptæ; erga quos ſuæ pietatis ut & poſteris conſtaret monumentum, junctim illas denuo vulgare, adjectis quibusdam nondum editis, conſtituit. Præter vero hanc cauſam, quæ Profeſſori doctiſſimo propria eſt, dignas easdem utique fuiſſe, quæ, publicæ luci commiſſæ, cum pluribus communicari pluribusque legi poſſent,

illi

illi fatebuntur, quibus intelligere datum eſt, quantum veræ laudis habeat oratio, naturali ſua florens pulchritudine, caſta, gravis, concinna & æquabiliter decurrens, & quæ a fucis atque frigore longiſſime abſit. Ipſe etiam argumentorum delectus atque dignitas pretium illis haud leve addit atque ornamentum. *Prima* ſcilicet *de litterarum humaniorum neglectu atque corruptela* agit: *Secunda* vulgare præjudicium confutat noſtræ ætatis hominum, qui *Mecænatum penuriæ* minus recte tribuunt, quod pauci admodum hodie ultra mediocritatem in literarum ſtudiis aſſurgant: *quarta*, quanta ſit *illiteratorum infelicitas*, commonſtrat: *quinta de forenſi latinitate expurganda* graviſſima conſilia ſubminiſtrat: *ſexta de uſu & neceſſitate eloquentiæ in foro & hodiernis judiciis* diſſerit: *ſeptima in optimis ſtudiis lente feſtinandum eſſe* ſaluberrimis monitis inculcat: *octava, quæ* maxime *ſit expedita diſcendi ratio* edocet: *decima ingeniorum delectum ad ſtudia litterarum habendum eſſe* demonſtrat, quo neglecto, quod plerumque fieri videas, nihil eximii enaſci poſſe: *tertia* denique, *nona* atque *undecima in laudibus Leonis X. P. M.* decantandis occupantur, & in anniverſariis parentalibus memoriæ hujus Pontificis, Archi-Gymnaſii inſtauratoris, dicatis habitæ ſunt.

GLI ABITI SACRI DEL SOMMO PONTEFICE Paonazzi e neri giuſtificati.

h. e.

VESTIUM SACRARUM S. PONTIFICIS violacei ac nigri coloris, in quibusdam ſolennioribus eccleſiæ officiis, uſus vindicatus ac antiquorum Rituallium & ſcriptorum liturgicorum autoritate defenſus a DOMINICO GEORGI.

Romæ, apud Hieronymum Mainardum, 1724, 4.

Plag. 9.

JUſſerat Benedictus XIII P. M. Autorem diſſertationis hujus, quo præcipue veſtium colore in exſequiis Principum celebrandis Pontifices Anteceſſores ſui uſi fuiſſent hactenus, inquirere. Paruit ille mandatis, & hunc libellum, Benedicti nomini inſcriptum compoſuit,

posuit, ostensurus ex Romanæ ecclesiæ ritibus antiquissimis, quibus potissimum vestibus induti illi non Principum tantum demortuorum parentalibus officiis interesse, sed & jejunii tempore ac publicarum precum statis diebus incedere consueverint. Postquam igitur docuisset, ad exemplum summi sacerdotis *Exod. XXVIII, 5*, quatuor maxime coloribus, albo scilicet, rubro, nigro sive violaceo atque viridi Pontificum vestes distingui solitas, & nigrum præcipue seu puniceum semper adhibitum fuisse ex *Guil. Durandi, Speculatoris* titulo ab alio ejusdem nominis distincti, *Rationali divinorum officiorum* l. 3 cap. 18 §. 6, probavisset, tempora ipsa curate designat, quibus nigra, vel ejus loco violacea, veste in publicum prodire Pontificem mores ac veterum instituta postulent. Sunt hæc Adventus ad Vigiliam nativitatis, Septuagesima ad Sabbatum Paschæ, & Dominica Rogationum. Præter hæc ordinaria tempora illius usus in anniversariis Pontificum atque Cardinalium, in celebratione missarum pro mortuis, aliisque adhuc occasionibus invaluit. Prolixe hi ritus ex antiquitatis monumentis illustrantur; quibus vero fusius recensendis non detinebimur.

INDEX AUTORUM,

quorum Libri aut Inventa hoc volumine recensentur.

I. Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.

Ara

II. Libri Juridici.

III. *Libri Medici & Physici.*

Mild-

IV. Libri Mathematici.

V. Libri Historici, Geographici &c.

Anony-

Whisto-

VI. Libri Miſcellanei.

INDEX

INDEX RERUM
NOTABILIORUM.

Cal-

 Chil-

Ecli-

Fran-

Leges

Maris

Naturæ

Scali-

Seroti-

Vespa-

Uxor

Prodiit cum M. Decembri Supplem. Tomi IX Sectio octava, qua continentur 1) *R. Cumberlandi* Origines gentium antiquissimæ, Londini 1724, 8. 2) *G. Frid. Richteri* Methodus nova atque universalis comparandi series figuratas & potentias quascunque numerorum naturalium; 3) *Jo. Georgii ab Eckhart* Dissertatio de Apolline Granno Mogouno in Alsatia nuper reperto, Wirceburgi 1727, 4. 4) De Epistolis a *Jo. Hevelio* & ad ipsum scriptis adhuc ineditis Narratio epistolica ad J. B. M. missa Petroburgo a *J. P. Koblio*, Prof. Acad. Petrob. publ. 5) *D. Christfridi Wæchtleri*, JC. Responsio ad Præfat. a Jo. Alberti Periculo suo Critico præmissam. 6) *Friderici Frezzi* Poema morale de quatuor Regnis. Tomi II Fulginei, 1725, 4.

ERRATA.

Pag. 39 lin. 22 pro *e dia* l. *edi a*; p. 41 lin. 16 lege *casulas ligneas*; p. 86 lin. 9 pro *duplicem* l. *triplicem*; p. 121 lin. 18 pro *qui* l. *quia*; p. 148 lin. 32 dele *eum*; p. 187 lin. 16 pro *exigua* l. *medioeri*; p. 316 lin. 25 lege *Volumine III*; p. 322 lin. 32 l. *fugavit*; p. 394 lin. 20 lege *Medici*; p. 447 lin. 1 lege *versionis*; p. 496 lin. 20 l. ἀνδράσιν, p. 497 lin. 24 l. *verbascum*; ibid. lin. 27 ita distingue: *Rectius*: *Alexander*; p. 498 lin. 26 l. σαλευομένων; p. 499 lin. 15 l. μέμνηται Ἰόβας; ibid. lin. 16 σανδαράκη; p. 500 lin. 8 pro *ex* l. *&*; ibid. lin. 9 l. ἀπολαύειν; ibid. lin. 20 post *aliis* adde: *inprimis Meursianis passim*; ibid. lin. 23 pro *in proximum Mensem* lege *in Sect. VIII Tom. 9 Suppl. p. 370*; p. 502 lin. ult. lege *sylva*.

) : (o) : (

ACTA ERUDITORUM,

ANNO MDCCXXVIII

publicata.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JOHAN. GROSSII Hæredes,
JOH. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.
ET
JO. CHRISTIANUM MARTINI.

Literis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.

No. I.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anno MDCCXXVIII.

INSCRIPTIONUM ANTIQUARUM, GRÆCARUM & Romanarum, quæ exſtant in Etruriæ urbibus, Pars prima, eas complectens, quæ ſunt Florentiæ: cum notis ANTONII MARIÆ SALVINII: cura & ſtudio ANTONII FRANCISCI GORII, Presb. Flor. Baptiſterii & Eccleſiæ S. Johannis. Accedunt LXII antiquæ gemmæ literatæ, aliaque priſca monumenta in XX Tabulis, quæ explicantur & illuſtrantur.

Florentiæ, typis Joſephi Manni, 1727, fol.
Alph. 6 pl. 1, exceptis tabulis æneis.

OPus producimus, in quo nihil non eſt dignum eruditis oculis, ſumma cum voluptate luſtraturis eximias haſce ſepultorum jamdudum ſeculorum reliquias. Scilicet Cl. Gorius, patriæ ſuæ amore permotus, ſtatuit eo exemplo, quo alii certarum Italiæ urbium Inſcriptiones ediderunt, ipſe Florentiæ, talibus monumentis omnium poſt Romam refertiſſimæ, publicare Inſcriptiones. Prorſus autem ſatis facturus lectoribus, quantam potuit, fidem, laborem, diligentiam vetuſtis his lapidibus exſcribendis adhibuit, ut & verſus verſui exacte reſponderet, & a lapidum auctoritate veritateque ne latum quidem unguem unquam deſciſceretur. Hoc effecturus, non ſolum ipſemet omnia vetuſta illa marmora deſcripſit manu oculata, verum etiam ſingula typographi ecgrapha rurſus contulit cum archetypis, ne

quicquam remanere poſſet vitii. Parem diligentiam præſtitit gemmis & aliis monumentis, quæ viginti in tabulis hic exhibet. *Usque adeo,* inquit, *ad ipſarum gemmarum fidem ſunt cælata, ut hic ipſas illas gemmas ob oculos habere & manibus contrectare videaris.* Inſcriptiones, quæ priore hoc Tomo exhibentur, Florentinæ ſunt mille trecentæ & triginta, eæque maxima ex parte non antea editæ. Quæ vero jam reperiuntur in Gruteri, Reineſii, aliorumque operibus, ex amicorum ſchedis deſcriptæ, eas noſter Gorius teſtatur tot tantiſque mendis inquinatas publicum in conſpectum prodiiſſe, nova ut earum editione omnino operæ pretium ſibi videatur feciſſe. Subjectæ ſunt ſingulis & gemmis & Inſcriptionibus annotationes cum Salvinii, viri clariſſimi, (qui *p. 467* a quodam librorum cenſore appellatur *Illuſtriſſimus Abbas Antonius Maria Salvini, Patricius Florentinus, ac in univerſali Florentina Academia Græcarum literarum Publicus Profeſſor*,) tum doctiſſimi Editoris: in quibus difficiliora monumentorum iſtorum loca explicantur, ac ſimul mendæ Gruterianæ Reineſianæque accurate annotantur.

Inſpiciamus nunc tum gemmas, tum Inſcriptiones, hic oblatas noſtro conſpectui, & inde quædam quaſi oculiſeria exhibeamus noſtris lectoribus. Ac inter gemmas quidem *Tab. I n. 2* conſpiciendum ſe præbet Apollo, citharam manu tenens, tanquam Præſes Muſarum. Eodem modo *Tab. IV n. 1* Hercules Μυσαγέτης, citharam pulſans, exhibetur. *Tab. X n. 1* occurrit Δημήτηρ ἔυελπις, hoc eſt, *Ceres bonæ ſpei.* *Tab. XI n. 1* rariſſima gemma repræſentat Numen aliquod Ægyptiorum una cum pluribus hieroglyphicis figuris, quæ paucis explicantur. *Tab. XV* exhibetur marmoreum vas elegantiſſimum, furorem continens Bacchantium. *Tab. XVI* tres magnæ æneæ pateræ nunc primum in lucem proferuntur, quarum prima exhibet Medeam, quæ exanimem fert Æſonem, ipſa exornata duplici nimbo, cœleſtis majeſtatis inſigni, deinceps in Chriſtiana quoque eccleſia circumdato ſanctorum virorum mulierumque capitibus; altera tres ſaltatrices habet cum calceis & raro capitis tegumento, manu tenentes crotala; tertia Ulyſſis & Circes hiſtoriam deſcribit nitidiſſime adumbratam. *Tab. XVII n. 1 & 2* vetuſta duo ſimulacra μεσιτικὰ deorum

rum Ægyptiorum licet cernere, alterum e silice subnigro, alterum e jaspide Æthiopico viridantibus maculis. *Tab. XVIII n. 1* marmoreum anaglyphum Uraniam Musam refert, cœlestem globum, quem Atlas humeris sustinet, contemplantem: & *n. 2* exquisiti artificii anaglyphum ejusdem materiæ Bacchum repræsentat barbatum & sinistra thyrsum gerentem comite Baccha aliqua saltante. *Tab. XX* ænea exstat galea, Phœniciis insignita literis, apud Cannas, Romana clade nobile oppidum, reperta, & nunc primum æri incisa. Conspicere item hic, cui libet, licet plures gemmas Basilidianas sive Abraxeas. Sed nobis quidem ad *Inscriptiones* properandum est. Hic *p. 116 n. 9* occurrens *C. Vergilius* ab iis jucunde spectabitur, qui poetarum regem male nominari *Virgilium* contendunt. Grammatici *p. 111 n. 89* offendent *M. Annium Priscianum*, & alios duos *Priscianos p. 218 n. 16* & *p. 225 n. 1.* Aliquis etiam *Cerinthus* prodit *p. 150 n. 65.* Etiam *Aprilis* quidam exhibetur *p. 394 n. 165* & *p. 430 n. 6* & *p. 442 n. 7.* Quibus ex *Actis Apost. cap. IX, 36* nota est mulier nomine Δορκάς, ii gaudebunt, hic *p. 437, n. 46* monumentum conspicientes, in quo legitur nomen muliebre *ROCIA DORCAS.* Pari modo, qui *p. 408 n. 221* videbunt *T. Roscium Tertium*, illius *Tertii* facile recordabuntur, qui nomen suum subscripsit Paulinæ ad Romanos epistolæ. *P. 13 n. 11* nominatur *Constantinus Maximus semper Augustus. P. 119 n. 1* hic versus occurrit: ἤλυθα τὴν φρικτὴν εἰς ἀΐδαο πόλιν, quod ita reddidit Salvinius: *Et veni horribilem Ditis ad usque domum.* Vulgo scilicet post εἰς ᾍδου subaudiunt grammatici δόμον. Hic vero alia ratione expletur ellipsis. Latinis quoque grammaticis hic *p. 145 n. 54* discere licebit, *tueatis* priscos dixisse pro *tueamini.* Quem loquendi morem docte illustrat subjecta Cl. Salvinii annotatio. Iisdem grammaticis ob veterem vocum divisionem haud ingrata erit, quæ *p. 172 n. 147* occurrit, Inscriptio. En eam:

D. M.
CAS. TI. NI. VS. PRE. SES
M. CAS. TI. NI. O. OC. TA. BI. A
NO. FRA. TRI. B. M. V. A. XVIIII.

Talis altera exstat *p. 351 n. 44.* De *Jove Sabazio* occasione Inscri-

ſcriptionis, in qua is memoratur, docte diſſeritur *p. 331 ſq.* Quidam *corpore cuſtos* laudatur *p. 397 n. 179.* Animadverſione ſingulari dignus eſt, qui *p. 391 n. 155* occurrit *ſervus Diaconus*, hoc eſt, menſæ ſive convivii miniſter: quo ſenſu vox *διακονεῖν* in N. T. obvia eſt, e. g. *Joan. XII, 2* & *Lucæ VIII, 3.* Similis eſt, qui *p. 406 n. 216* producitur, *ſervus ab cyatho.* Ac videtur ejuſdem generis ſerva fuiſſe, quæ *miniſtra* vocatur *p. 415 n. 258* & *p. 420 n. 274.* Quæ *p. 441 n. 66* profertur, HELVIA LIBRARIA, in memoriam nobis revocat *librarias*, hoc eſt, mulieres libris deſcribendis operam navantes, ab Euſebio commemoratas *lib. VI Hiſt. Eccl. cap. 23.* Cum Cl. Salvinius *p. 454* cenſet, apud Ovidium in fine *Metamorphoſeon* pro *nomen indelebile* ſcribendum eſſe *nomen indeflebile* ex membranaceo veteri codice manuſcripto bibliothecæ Mediceæ, *pulcherrimam* vocans hanc *lectionem atque optimam*, id arbitrandum Criticis permittimus. *P. 444 n. 76* vetuſtæ cuidam Inſcriptioni ſubtexti ſunt ſeptem verſus, quos Cl. Salvinius putat ſpurios eſſe & ſequiori ævo additos. Nos vero facile credimus, etiam bonis ſeculis mixtos fuiſſe Virgiliis atque Ovidiis Bavios Mæviosque, hoc eſt, poetis verſificatores: adeoque non audemus lapidem hunc ad diverſas referre ætates. Ecce verſus iſtos:

Hic lapis & tutamen erit poſt morte ſepulchri,
Et dabit indicium, obitos hic eſſe ſepultos,
Si tamen ad (a) *manes credimus eſſe aliquid.*
Vivere quid prodeſt, niſi ſi poſt morte (b) *habemus*
Nomen? Fama volat, tantum corpusque crematur,
Æternamque domum petimus & fine laborum.
Dum legis hoc, diſce ponere & ipſe tibi.

P. 257 n. 45 eximium exhibetur æneum monumentum, A. 1688 in regno Neapolitano forte repertum in prægrandi quodam ſarcophago, quod totum hic repræſentamus:

SER. GALBA. IMPERATOR. CAESAR. AVCVST
PONTIF. MAX. TRIB. POT. COS. DES. II
VETERANIS. QVI. MILITAVERVNT. IN. LECIONE

(a) Fortaſſe ſcribendum & *Manes.*
(b) Sic legendum videtur pro *cavemus.*

I. AD-

I. ADIVTRICE. HONESTAM. MISSIONEM. ET
CIVITATEM. DEDIT. QVORVM. NOMINA. SVB
SCRIPTA. SVNT. IPSIS. LIBERIS. POSTERISQVE
EORVM. ET. CONVBIVM. CVM. VXORIBVS
QVAS. TVNC. HABVISSENT. CVM. EST. CIVITAS
IIS. DATA. AVT. SIQVI. CAELIBES. ESSENT. CVM
IIS. QVAS. POSTEA. DVXISSENT. DVM. TAXAT
SINGVLIS. SINGVLAS. A. D.
XI. K. IAN.
C. BELLICO. NATALE. COS
P. CORNELIO. SCIPIONE
DIOMEDI. ARTEMONIS. F
PHRYGIO
DESCRIPTVM. ET RECOGNITVM. EX. TABVLA AE
NEA. QVAE. FIXA. EST. ROMAE. IN. CAPITOLIO
IN. ARA. GENTIS. IVLIAE
TI. IVLIVS. PARDALA. SARD.
C. IVLI. CHARMI. SARDIAN
TI. CLAVDI. QVI. FIDINI. MAONIAN
C. IVLI. C. F. COL. LIBON. SARD
TI. FONTEIVS. CERIALIS. SARD
P. GRAITI. P. F. AEM. PROVINCIAL. IPESIVS
M. ARRI. RVFI. SARDIAN

Copiose Cl. Gorius tabulam hanc interpretatur & illustrat, inter alia observans, *connubium* hic scribi uno *n*, quod & fieri testatur in Virgilio Mediceo majoribus literis exarato; *dum taxat* scribi interjecto punctulo, quod etiam factum docet in alia Tabula honestæ missionis apud Gruterum *p. 574, 25* literam G hic sæpius repræsentari, ut in Duilliana columna, per C. Eximiæ quoque elegantiæ monumentum est, quod *p. 316* conspicere licet, exhibitum quidem a Grutero, sed nec satis accurate. In eo scilicet Florentinorum colonia Augusti & Tiberii Cæsarum, ac Liviæ Augustæ, natales in perpetuum quotannis celebrare statuit, decretis divinis honoribus. Tabulam hanc marmoream doctissimis annotationibus ornavit Cl. Gorius. *P. 373* marmor superiori parte mutilum cernitur, quod primus edidit *Diar. Ital. p. 361* Mont-

fauconius. Hic vero exhibentur etiam notatu dignissimæ figuræ, huic marmori annexæ. In sinistra quippe parte exhibetur puella Alexandrina, Bacchi ancilla, & Isidis castæ Thalamifera, aperto rasoque capite, dextra manu gestans Pastophorium longiori hastæ subnixum, & palmæ foliis superne velut radiatum. Infra sunt capita duarum mulierum velis obducta, Isidis, ut videtur, ministrarum. In eximio hocce marmore Isis vocatur *dea Nilotis*, uti apud Propertium *IV*, 8 occurrit *Nilotes tubicen*, hoc est, Ægyptius. Eadem hic vocatur Θεὰ ἁγνὴ, *dea casta*, quod cognomen Isidis in nullo jam editorum saxorum offenditur. Ex hoc monumento discimus, quid fuerit *Pastophorium*. Fuit scilicet tabula lignea bifrons, utrinque sive picta sive cælata, cum Deorum, qui colebantur, effigie. Indidem cognoscimus, Pastophororum dignitatem non fuisse virorum propriam, sed iis communem cum feminis. Sed manum de his tabulis. Accendere namque sitim nostrum est, non restinguere.

SARDONYX A NOVO ARTIFICE TRIUMpho Bacchi repræsentando aptatus.

CUm sæpe in his Actis veterum reliquias conspiciendas dedimus, lubet nunc novæ quoque & adhuc splendentis artis specimen producere. Habes enim hic Sardonychem, justa, qua TAB. I. constat, magnitudine repræsentatum, cujus ea pars quæ nullas monstrat figuras, albi coloris est; cetera vero, quæ rubicundi vel subflavi sunt coloris, figuris tam apte excogitatis destinavit Artifex, ut non incommode lapis exprimeret Triumphum Bacchi; quod tam facile omnibus patet, ut eo explicando supersedere plane queamus.

JOANNIS GEORGII WACHTERI, REG. Societ. Scient. Berolinens. Consortis, Glossarium Germanicum, continens origines & antiquitates linguæ Germanicæ hodiernæ specimen ex ampliori farragine decerptum.

Lipsiæ,

TAB. I ad A. 1728 M. Ian. p



E. Andre Sohn sculps.

quicquam remanere posset vitii. Parem diligentiam præstitit gemmis & aliis monumentis, quæ viginti in tabulis hic exhibet. *Usque adeo*, inquit, *ad ipsarum gemmarum fidem sunt calata, ut hic ipsas illas gemmas ob oculos habere & manibus contrectare videaris.* Inscriptiones, quæ priore hoc Tomo exhibentur, Florentinæ sunt mille trecentæ & triginta, eæque maxima ex parte non antea editæ. Quæ vero jam reperiuntur in Gruteri, Reinesii, aliorumque operibus, ex amicorum schedis descriptæ, eas noster Gorius testatur tot tantisque mendis inquinatas publicum in conspectum prodiisse, nova ut earum editione omnino operæ pretium sibi videatur fecisse. Subjectæ sunt singulis & gemmis & Inscriptionibus annotationes cum Salvinii, viri clarissimi, (qui *p. 467* a quodam librorum censore appellatur *Illustrissimus Abbas Antonius Maria Salvini, Patricius Florentinus, ac in universali Florentina Academia Græcarum literarum Publicus Professor*,) tum doctissimi Editoris: in quibus difficiliora monumentorum istorum loca explicantur, ac simul mendæ Gruterianæ Reinesianæque accurate annotantur.

Inspiciamus nunc tum gemmas, tum Inscriptiones, hic oblatas nostro conspectui, & inde quædam quasi oculiferia exhibeamus nostris lectoribus. Ac inter gemmas quidem *Tab. I n. 2* conspiciendum se præbet Apollo, citharam manu tenens, tanquam Præses Musarum. Eodem modo *Tab. IV n. 1* Hercules Μουσαγέτης, citharam pulsans, exhibetur. *Tab. X n. 1* occurrit Δημήτηρ εὔελπις, hoc est, *Ceres bonæ spei*. *Tab. XI n. 1* rarissima gemma repræsentat Numen aliquod Ægyptiorum una cum pluribus hieroglyphicis figuris, quæ paucis explicantur. *Tab. XV* exhibetur marmoreum vas elegantissimum, furorem continens Bacchantium. *Tab. XVI* tres magnæ æneæ pateræ nunc primum in lucem proferuntur, quarum prima exhibet Medeam, quæ exanimem fert Æsonem, ipsa exornata duplici nimbo, cœlestis majestatis insigni, deinceps in Christiana quoque ecclesia circumdato sanctorum virorum mulierumque capitibus; altera tres saltatrices habet cum calceis & raro capitis tegumento, manu tenentes crotala; tertia Ulyssis & Circes historiam describit nitidissime adumbratam. *Tab. XVII n. 1 & 2* vetusta duo simulacra μεσιτικὰ deorum

rum Ægyptiorum licet cernere, alterum e filice ſubnigro, alterum e jaſpide Æthiopico viridantibus maculis. *Tab. XVIII n. 1* marmoreum anaglyphum Uraniam Muſam refert, cœleſtem globum, quem Atlas humeris ſuſtinet, contemplantem: & *n. 2* exquiſiti artificii anaglyphum ejusdem materiæ Bacchum repræſentat barbatum & ſiniſtra thyrſum gerentem comite Baccha aliqua ſaltante. *Tab. XX* ænea exſtat galea, Phœniciis inſignita literis, apud Cannas, Romana clade nobile oppidum, reperta, & nunc primum æri inciſa. Conſpicere item hic, cui libet, licet plures gemmas Baſilidianas ſive Abraxeas. Sed nobis quidem ad *Inſcriptiones* properandum eſt. Hic *p. 116 n. 9* occurrens *C. Vergilius* ab iis jucunde ſpectabitur, qui poetarum regem male nominari *Virgilium* contendunt. Grammatici *p. 111 n. 89* offendent *M. Annium Priſcianum*, & alios duos *Priſcianos p. 218 n. 16* & *p. 225 n. 1*. Aliquis etiam *Cerinthus* prodit *p. 150 n. 65*. Etiam *Aprilis* quidam exhibetur *p. 394 n. 165* & *p. 430 n. 6* & *p. 442 n. 7*. Quibus ex *Actis Apoſt. cap. IX, 36* nota eſt mulier nomine Δορκάς, ii gaudebunt, hic *p. 437, n. 46* monumentum conſpicientes, in quo legitur nomen muliebre *ROCIA DORCAS*. Pari modo, qui *p. 408 n. 221* videbunt *T. Roſcium Tertium*, illius *Tertii* facile recordabuntur, qui nomen ſuum ſubſcripſit Paulinæ ad Romanos epiſtolæ. *P. 13 n. 11* nominatur *Conſtantinus Maximus ſemper Auguſtus*. *P. 119 n. 1* hic verſus occurrit: ἤλυθα τὴν Φρικτὴν εἰς ἀιδέω πόλιν, quod ita reddidit Salvinius: *Et veni horribilem Ditis ad usque domum*. Vulgo ſcilicet poſt εἰς Ἅδου ſubaudiunt grammatici δόμον. Hic vero alia ratione expletur ellipſis. Latinis quoque grammaticis hic *p. 145 n. 54* diſcere licebit, *tueatis* priſcos dixiſſe pro *tueamini*. Quem loquendi morem docte illuſtrat ſubjecta Cl. Salvinii annotatio. Iisdem grammaticis ob veterem vocum diviſionem haud ingrata erit, quæ *p. 172 n. 147* occurrit, Inſcriptio. En eam:

D. M.
CAS. TI. NI. VS. PRE. SES
M. CAS. TI. NI. O. OC. TA. BI. A
NO. FRA. TRI. B. M. V. A. XVIIII.

Talis altera exſtat *p. 351 n. 44*. De *Jove Sabazio* occaſione Inſcri-

ſcriptionis, in qua is memoratur, docte diſſeritur *p. 331 ſq.* Quidam *corpore cuſtos* laudatur *p. 397 n. 179.* Animadverſione ſingulari dignus eſt, qui *p. 391 n. 155* occurrit *ſervus Diaconus*, hoc eſt, menſæ ſive convivii miniſter: quo ſenſu vox διακονεῖν in N. T. obvia eſt, e. g. *Joan. XII, 2 & Lucæ VIII, 3.* Similis eſt, qui *p. 406 n. 216* producitur, *ſervus ab cyatho.* Ac videtur ejusdem generis ſerva fuiſſe, quæ *miniſtra* vocatur *p. 415 n. 258 & p. 420 n. 274.* Quæ *p. 441 n. 66* profertur, HELVIA LIBRARIA, in memoriam nobis revocat *librarias*, hoc eſt, mulieres libris deſcribendis operam navantes, ab Euſebio commemoratas *lib. VI Hiſt. Eccl. cap. 23.* Cum Cl. Salvinius *p. 454* cenſet, apud Ovidium in fine *Metamorphoſeon* pro *nomen indelebile* ſcribendum eſſe *nomen indeflebile* ex membranaceo veteri codice manuſcripto bibliothecæ Mediceæ, *pulcherrimam* vocans hanc *lectionem atque optimam*, id arbitrandum Criticis permittimus. *P. 444 n. 76* vetuſtæ cuidam Inſcriptioni ſubtexti ſunt ſeptem verſus, quos Cl. Salvinius putat ſpurios eſſe & ſequiori ævo additos. Nos vero facile credimus, etiam bonis ſeculis mixtos fuiſſe Virgiliis atque Ovidiis Bavios Mæviosque, hoc eſt, poetis verſificatores: adeoque non audemus lapidem hunc ad diverſas referre ætates. Ecce verſus iſtos:

Hic lapis & tutamen erit poſt morte ſepulchri,
Et dabit indicium, obitos hic eſſe ſepultos,
Si tamen ad (a) *manes credimus eſſe aliquid.*
Vivere quid prodeſt, niſi ſi poſt morte (b) *habemus*
Nomen? Fama volat, tantum corpusque crematur,
Æternamque domum petimus & fine laborum.
Dum legis hoc, diſce ponere & ipſe tibi.

P. 257 n. 45 eximium exhibetur æneum monumentum, A. 1688 in regno Neapolitano forte repertum in prægrandi quodam ſarcophago, quod totum hic repræſentamus:

SER. GALBA. IMPERATOR. CAESAR. AVGVST
PONTIF. MAX. TRIB. POT. COS. DES. II
VETERANIS. QVI. MILITAVERVNT. IN. LEGIONE

(a) Fortaſſe ſcribendum & *Manes.*
(b) Sic legendum videtur pro *cavemus.*

I. AD-

I. ADIVTRICE. HONESTAM. MISSIONEM. ET
CIVITATEM. DEDIT. QVORVM. NOMINA. SVB
SCRIPTA. SVNT. IPSIS. LIBERIS. POSTERISQVE
EORVM. ET. CONVBIVM. CVM. VXORIBVS
QVAS. TVNC. HABVISSENT. CVM. EST. CIVITAS
IIS. DATA. AVT. SIQVI. CAELIBES. ESSENT. CVM
IIS. QVAS. POSTEA. DVXISSENT. DVM. TAXAT
SINGVLIS. SINGVLAS. A. D.
XI. K. IAN.
C. BELLICO. NATALE. COS
P. CORNELIO. SCIPIONE
DIOMEDI. ARTEMONIS. F
PHRYGIO
DESCRIPTVM. ET RECOGNITVM. EX. TABVLA AE
NEA. QVAE. FIXA. EST. ROMAE. IN. CAPITOLIO
IN. ARA. GENTIS. IVLIAE
TI. IVLIVS. PARDALA. SARD.
C. IVLI. CHARMI. SARDIAN
TI. CLAVDI. QVI. FIDINI. MAONIAN
C. IVLI. C. F. COL. LIBON. SARD
TI. FONTEIVS. CERIALIS. SARD
P. GRAITI. P. F. AEM. PROVINCIAL. IPESIVS
M. ARRI. RVFI. SARDIAN

Copiose Cl. Gorius tabulam hanc interpretatur & illustrat, inter alia observans, *connubium* hic scribi uno *n*, quod & fieri testatur in Virgilio Mediceo majoribus literis exarato ; *dum taxat* scribi interjecto punctulo, quod etiam factum docet in alia Tabula honestæ missionis apud Gruterum *p. 574, 25* literam G hic sæpius repræsentari, ut in Duilliana columna, per C. Eximiæ quoque elegantiæ monumentum est, quod *p. 316* conspicere licet, exhibitum quidem a Grutero, sed nec satis accurate. In eo scilicet Florentinorum colonia Augusti & Tiberii Cæsarum, ac Liviæ Augustæ, natales in perpetuum quotannis celebrare statuit, decretis divinis honoribus. Tabulam hanc marmoream doctissimis annotationibus ornavit Cl. Gorius. *P. 373* marmor superiori parte mutilum cernitur, quod primus edidit *Diar. Ital. p. 361* Mont-

fauconius. Hic vero exhibentur etiam notatu digniſſimæ figuræ, huic marmori annexæ. In ſiniſtra quippe parte exhibetur puella Alexandrina, Bacchi ancilla, & Iſidis caſtæ Thalamifera, aperto raſoque capite, dextra manu geſtans Paſtophorium longiori haſtæ ſubnixum, & palmæ foliis superne velut radiatum. Infra ſunt capita duarum mulierum velis obducta, Iſidis, ut videtur, miniſtrarum. In eximio hocce marmore Iſis vocatur *dea Nilotis*, uti apud Propertium *IV, 8* occurrit *Nilotes tubicen*, hoc eſt, Ægyptius. Eadem hic vocatur Θεὰ ἁγνὴ, *dea caſta*, quod cognomen Iſidis in nullo jam editorum ſaxorum offenditur. Ex hoc monumento diſcimus, quid fuerit *Poſtophorium*. Fuit ſcilicet tabula lignea bifrons, utrinque ſive picta ſive cælata, cum Deorum, qui colebantur, effigie. Indidem cognoſcimus, Paſtophororum dignitatem non fuiſſe virorum propriam, ſed iis communem cum feminis. Sed manum de his tabulis. Accendere namque ſitim noſtrum eſt, non reſtinguere.

SARDONYX A NOVO ARTIFICE TRIUMpho Bacchi repræſentando aptatus.

CUm ſæpe in his Actis veterum reliquias conſpiciendas dederimus, lubet nunc novæ quoque & adhuc ſplendentis artis
TAB. I. ſpecimen producere. Habes enim hic Sardonychem, juſta, qua conſtat, magnitudine repræſentatum, cujus ea pars quæ nullas monſtrat figuras, albi coloris eſt; cetera vero, quæ rubicundi vel ſubflavi ſunt coloris, figuris tam apte excogitatis deſtinavit Artifex, ut non incommode lapis exprimeret Triumphum Bacchi; quod tam facile omnibus patet, ut eo explicando ſuperſedere plane queamus.

JOANNIS GEORGII WACHTERI, REG. Societ. Scient. Berolinenſ. Conſortis, Gloſſarium Germanicum, continens origines & antiquitates linguæ Germanicæ hodiernæ ſpecimen ex ampliori farragine decerptum.

Lipſiæ,

TAB. I ad A. 1728 M. Ian. p



E. Andre Sohn sculps.

Lipsiæ, sumtibus Jacobi Schusteri, 1727, 8 maj.
Alph. 1 pl. 5.

NOn prætermittenda erat utique in annalibus nostris mentio libri hujus, & ab ipso autore, variis pridem reconditæ doctrinæ monumentis non vulgarem famam adepto, & ab argumento denique, paucis hactenus tentato ac Germano simul nomini perhonorifico, commendatissimi. Antequam vero ad ipsius *Glossarii* inspectionem lectores admittat Autor doctissimus, *præfationem* exhibet *ad Germanos, de lingua primigenia Germanorum, & primis Germaniæ colonis*; quæ, quum non postrema integri operis pars sit, & plurima doctrinæ neutiquam proletariæ argumenta contineat, ut summa illius capita a nobis delibentur, operæ omnino pretium existimamus. Scilicet, postquam in vestibulo statim hujus Commentationis monuisset Vir clarissimus, studium illud, quod in vocabulorum originibus indagendis eruendisque collocatur, Ετυμολογίαν Græci dixerunt, quantumvis molestum admodum sit atque difficile, minime tamen homine sapienti indignum esse, idque *Clementis* partim *Alexandrini* autoritate, partim *Stoicorum*, &, qui inter hos principes fuerunt, *Zenonis* maxime, *Cleanthis* atque *Chrysippi* exemplis confirmasset, quos præ ceteris Philosophis hanc doctrinæ humanioris partem diligenter excoluisse constat; duplicem linguæ nostræ *originem* spectari jubet, *naturalem* unam, *civilem* alteram. Et de *naturali* quidem vix est ut dubium alicui subnascatur, qui largam illam vocabulorum segetem considerat, quæ non idearum solum nostrarum, sed rerum ipsarum etiam imagines perfecte exprimunt: qui ad primos puerorum loquendi conatus attendit, secreto quodam naturæ instinctu sonos aliquos proferentium, in omnibus fere linguis, antiquissimis etiam, adoptatos: qui denique nomina per ὀνοματοποιΐαν, quam ex re naturæ vocem repercussam dixeris, efficta curatius expendit. Quid? quod tantam *naturæ* hac in re vim esse agnovit *Plato*, ut ab una illa origines linguarum repetendas esse crediderit, & *naturam* præformasse quosdam oris sonos affirmaverit, certis conceptibus exprimendis ita accommodatos, ut ad alios significandos plane inepti essent. A qua tamen sententia, uti a plurimis præceptoris sui aliis, insigne divortium

tium

tium fecit *Aristoteles*, mero hominum arbitrio, nulloque plane heic vocum cum rebus naturali ac necessario nexu intercedente, vocabula primum facta esse contendens. Sed pessime, quod ait Autor noster doctissimus, opposita sibi invicem constituerunt duumviri hi acutissimi, quæ amice in hoc negotio componenda fuerant; quum manifestum sit, non ejusdem singulas humani sermonis partes conditionis esse, sed alias naturæ, rationi alias, plurimas denique consensui atque instituto hominum videri tribuendas. Ut adeo vere dixisset *Quinctilianus* lib. I cap. VI, *sermonem constare ratione, vetustate, autoritate atque consuetudine*, si *naturam* addidisset. Proximas tamen post hanc partes sibi *ratio* vindicat, in nominibus compositis atque derivatis, particulis item, maxime conspicua; quæ profecto neutiquam cœco aliquo casu atque impetu, sed cum optima ratione facta esse luculenter patet. His tamen inter linguarum fontes accedit *utilitas*, quæ, quod ait *Lucretius*:

— — — — expressit nomina rerum.

& homines in unum nomen consentire fecit; atque inde consuetudo, ex consuetudine antiquitas, ex antiquitate denique autoritas origines suas acceperunt.

Prælibatis ita, quæ de linguæ nostræ *origine naturali* monenda fuisse videbantur, ad *civilem* indagandam progreditur Vir celeberrimus, tam *proximam*, quam *remotam*. Et de *proxima* quidem extra omnem dubitationem positum existimat, a *Francis* illam atque *Alamannis* derivandam esse utique; *remotam* vero non adeo liquidam eruditis hactenus fuisse arbitratur. Non heic audiendos putat, qui Germanicam linguam ex campis Sinear immediate progressam, statimque post hominum dispersionem in his terris auditam fuisse, sibi persuadent; quum scilicet natura saltum, quod ajunt, non faciat: credit potius, ex una illa atque primitiva lingua varias ortas esse dialectos, singulis familiis peculiares, quæ successu temporis in singulares linguas abierint, novis inde dialectis, atque ex his aliis denuo linguis sensim sensimque propullulantibus, pro variis temporum, locorum, migrationumque vicissitudinibus itidem variis: ut adeo nulla sit superstes Occidentis lingua, cujus radices in Orientis populorum aliqua non

non debeant requiri. Quæ si observentur, deprehensum iri affirmat, Germanos genus pariter atque linguam a vetustissimis Asiæ atque Europæ colonis ac dialectis, *Scythis* nempe, *Phrygibus* atque *Celtis*, una propemodum olim lingua usis, quorumque voces plurimæ proxime ad idioma nostrum accedant, atque adhuc in illo conserventur, accepisse. Huic asserto ut sua fides ac autoritas constaret, per singulæ gentis idiomata eundo, cujusvis illorum vestigia in nostra adhucdum superesse, luculentis exemplis ostendit. Primi omnium sunt *Scythæ*, quos male aliqui, *Hornium* autorem sequuti, cum *Kithis* ad mare Caspium atque *Getis*, Sarmatiæ incolis confundunt, generis vetustate vel ipsos Ægyptios superantes. Hos, si cum *Julio Polluce Onomastic.* lib. VIII cap. X *Sagittarios* interpreteris, & ab antiquissimis scriptoribus primis illis *jaculandi artem* tributam esse consideres, vel in ipsa hac gentis appellatione, vocis septemtrionalibus usitatæ *skiotan jaculari*, quod Galli *jetter*, Germani hodierni *schiessen* dicunt, origines jucundissimo spectaculo deprehendes. Non vacat jam reliqua, quæ ex *Herodoto* maxime depromta simili ratione illustrantur, *Scythica vocabula* ordine percensere; id tantum addimus, exhiberi heic simul luculentum *Vocum Persicarum* Catalogum, cum Autore a Cl. *Clodio*, Arabicæ linguæ apud nos Professore, communicatum, quarum ex consideratione admirabilis plane cum nostris concentus ad oculum patebit. Ut adeo, quum in confesso sit, multa *Persarum* gentem a *Scythis* derivavisse, linguæ, & *Persica* & *Germanica* nostra, communem matrem *Scythicam* abunde loquantur. Neque magis de *Phrygibus*, vetustissimo itidem populo, obscura res est. Quos quum, *Herodoto* ac *Strabone* testibus, *Thracica* dialecto Βρίγες vocatos noverimus, quæ vox, *Hesychio* interprete in v. Βρίγες, *ἐλευθέρυς homines liberos*, *ingenuos*, notat; si veteres vernaculæ nostræ dialectos consulamus, ecquis est, qui non *Gothorum frije*, *Anglo-Saxonum freo* & *frig*, *Keronis friger*, & nostrum *frey* inde repetendum esse agnoscat? ut de pluribus aliis arctioris, quæ inter *Phrygium* nostrumque sermonem intercedere artissimis indiciis deprehenditur, cognationis exemplis, tam ex hac præfatione, quam ex ipso Glossario passim decerpendis, nihil dicamus. Succedunt denique *Celtæ*,

 utris-

utrisque, *Scythis* pariter atque *Phrygibus*, ætate inferiores; nomen profecto ante Ilium a Græcis everſum nunquam auditum. Tum demum enim, factis tot populorum inter barbaros migrationibus, Græci *Celtarum* vocabulo omnes illos appellare cœperunt, qui patriis arvis *profugi* domeſticas ſedes reliquerunt; licet, quod ait Autor eruditiſſimus, non ex ſuo ſed ipſorum migrantium idiomate denominationem confecerint, radice hodie adhuc inter *Cambros* ſuperſtite, quibus *Cil ſeceſſum, receſſum* & *fugam*, ac conjugatum *Ciliad* ſive *Cyllid* (quod omnino nomen *Celtarum* eſt,) *profugum*, item *fugatorem*, συμψήφω atque teſte *Boxhornio*, denotat. Poſthæc etiam diſcrimen gentium inter *Scythas, Celtas* ac *Celto-Scythas*, cujus *Strabo* conceptis verbis meminit, conſtitui a Græcis cœptum eſt; *Scytharum* titulo populos ſeptemtrionales, *Celtarum* occidentales Europæ incolas, reliquos denique, *Germanos* ſcilicet, *Celto-Scytharum* nomine appellantibus. Sunt itaque veri nominis *Celtæ Galli* atque *Britanni* veteres, a quibus quaſi hæreditatem *Celticam linguam* acceperunt *Armorici* atque *Cambri*; *Celto-Scythæ* autem dicti fuerunt primævi illi *Germaniæ* incolæ, *Ingævones, Iſtævones* atque *Herminvones*, *Gothorum, Anglo-Saxonum, Francorum, Alamannorum*, & qui plures ſunt alii, indubii parentes. Utramque tamen gentem & *Celtas* ſcilicet atque *Celto-Scythas* uno ore, dum a Græcis pellerentur, loquutos, a *Scythico* illo atque *Phrygio* pene indiſcreto conſtare Autori noſtro videtur, qui fuſius aliquando peculiari diſſertatione *de origine gentis & linguæ Germanicæ* hoc oſtenſurum ſe promittit. Atque hæc quidem ſententia, licet nova plane, nullique antehac ſit defenſa, ex parte tamen pridem placere cœpit viris eruditis, *Scythicam* originem linguæ noſtræ *Boxhornio* & *Stiernhielmio*, *Phrygiam Baxtero*, *Celticam* denique *Cluverio*, cumque ipſo centum aliis tuentibus: *Katenio* contra, nupero illo *de Belgicæ linguæ originibus* ſcriptore famigeratiſſimo, *quartum* ac novum plane hominum genus aliquod comminiſcente.

At vero, quamvis ab exceſſu *Celtarum* ad occiduas terras per aliquod tempus una eademque omnium lingua permanſerit, factum tamen poſt hæc eſt, ut inſignes illa mutationes pateretur, & pro tribus, in quas ſeceſſum fecerunt illi, partibus *trilinguis* fieret

fieret *Germania.* Tunc enim nomina *Ingævonum*, *Iſtævonum* atque *Herminvonum* primum audita, a voce *wonen*, quæ *manere* antiquitus ſignificabat, derivata, & quæ ſimul *manſionis ſedisque fixæ locum* ſignificarent deſignarentque. Ita *Ingævones* a voce *ing prope*, hodienum apud *Cambros* eodem ſenſu uſitata, quod *proximi* Oceano habitarent; *Iſtævones* quaſi *Eaſtivones* dicas, ab *Eaſt*, quæ *Orientis* plagam *Anglo-Saxonibus* denotat, quod, quæ *Orientem* verſus Viſtulam ac Viadrum interjacebat, terram occuparent, *Herminvones* denique, *Tacito medii*, *Plinio mediterranei*, *Melæ ultimi* vocati, a *menn locus* & *hir prolixus*, *Celticis* dictionibus, quaſi *prolixe habitantes* lateque diſperſi appellati fuiſſe deprehenduntur. Singulæ vero hæ gentes ſingulas novas dialectos condiderunt, quæ, licet communis matris veſtigia aliquantum ſervarent, in plurimis tamen mire diſcrepant. Sic ab *Ingævonibus* habemus linguam *Anglo-Saxonicam*, ab *Iſtævonibus Gothicam*, ab *Herminvonibus Francicam & Alamannicam*. *Anglo-Saxonica* ſororibus ſuis non tantum ætate prior, ſed & ſimplicitate ſua commendabilior, nullis peregrinis ex Græcia Latiove dotibus ſuperbiens, quidquid videatur aliis, fœcunda poſt hæc mater *Anglicanæ*, *Belgicæ*, *Norwegicæ*, *Islandicæ*, *Danicæ* atque *Suecicæ* exſtitit. *Gothica*, varia admodum pro variis autorum ſuorum migrationibus facie conſpicua, ita tamen, ut ſemper aliquid de priſtinæ formæ veſtigiis retineret, cujusque monumentum in *Evangelio Gothico* adhuc ſupereſt, a Cel. Autore peculiari commentatione MSta *de Lingua Codicis Argentei* illuſtratum, improlis quidem deceſſit, multa tamen ejusdem λείψανα tam in *Oriente* apud *Præcopenſes*, quam in *Occidente* apud *Gallos*, *Italos*, *Hiſpanos* & *Latinobarbaros* ab eruditis deprehenduntur ſagacioribus. *Alamannica* tamen & *Francica* noviſſime omnium ex variarum Germaniæ gentium, quæ in ſociale fœdus ac bellum ſub *Alamannico* ac *Francico* nomine contra Romanos pro aſſerenda libertate coiverunt, idiotiſmis natæ; hæc *Palatinam*, *Franconicam* atque *Saxonicam*, illa *Suevicam* & *Helveticam* dialectos, qualibus hodie utimur, progenuit. Atque ex his quidem, quæ prolixius *de primigenia Germanorum lingua* expoſita ſunt, facile cuivis conſtare confidimus, vehementer falli illos ac turpi-

ter, qui,quod hodie nobis in ore eſt, idioma idem eſſe cum primævo illo primorum Germaniæ Colonorum arbitrantur.

Neque vero ubi jam *præfationem* hanc legendo abſolverit lector, aditus ipſi ad *Gloſſarium* conceditur, ſed inſpicienda prius adhuc, utiliſſimo inſtituto, exhibentur *prolegomena de Particulis præpoſitivis & poſtpoſitivis Germanorum, earumque cauſis ac virtutibus.* Harum enim cognitionem, quamvis nemo fere illam hactenus attenderit, aut explicare tentaverit, neceſſario præmitti debere, exiſtimavit Autor doctiſſimus, inſignem quippe ipſi operi lucem fœneraturam. Illis *duodecim* ſubnectuntur *regulæ etymologicæ* generales, variis obſervationibus condecoratæ, quæ, quum maximam partem univerſum Etymologiæ in unaquavis lingua negotium dirigere debeant ac illuſtrent, meruiſſe nobis viſæ ſunt ut huc transſcriberentur. Sunt vero hæ: I *Nova pendent ex antiquis: non vice verſa.* II *Origines, quæ domi haberi poſſunt, non debent peti ab exteris.* III *Lingua, in qua vocis alicujus ratio & cauſa redditur, ejusdem vocis genuina mater eſt, etiamſi vocem ipſam non agnoſcat.* IV *Derivata debent referre & exprimere ſua primitiva.* V *Veritas derivationis ex ſimilitudine ſoni & ſenſus dijudicanda eſt.* VI *In ſono non tam ad vocales quam ad conſonantes attendendum eſt.* VII *Quædam ſubſtantiva oriuntur a verbis, quædam verba a ſubſtantivis.* VIII *Verbum a verbo regulariter non oritur.* IX *Particulæ ſolent eſſe veræ radices.* X *Absque particulis nihil derivari, nihil componi poteſt.* XI *Figuræ Grammaticorum in negotio Etymologico recte adhibentur, quoties opus eſt.* XII *Orthographia pendet ab Etymologia.*

Jam vero & de ipſa *Gloſſarii* conſtitutione paucis quædam nobis dicenda reſtant, quod ita adornavit Vir clariſſimus, ut ſelectis ex ampliſſima prolixioris operis farragine, veluti occurrebant, vocabulis, eorundem *origines* explicaret, ac quaſi *Genealogiam* aliquam, ſecundum varias linguæ noſtræ ætates atque dialectos, ſupra a nobis ex diſſertatione præliminari indicatas, traderet. Qua in re quum ita ſe geſſerit, ut *leges* illas, quas diximus, *etymologicas* religioſe ſervaret, nihilque plane de vocum cauſis absque ſufficienti antiquitatis ſuffragio, & non niſi conſultis ſtudioſe

diose cujusvis gentis monumentis domesticis, quantum quidem illorum typis expressa cuivis patent, statueret, manifestum est, egregie ipsum has partes explevisse, ac eruditæ civitatis plausum optime mereri: quin hortandum esse rogandumque impense, ut integrum aliquando opus, quod bene multis abhinc annis improbo labore conficiendum sibi sumsit, publicæ luci pro Germanici nominis ac sermonis gloria exponi patiatur.

HIERONYMI GUILIELMI SNABELII, BREMA-Saxonis, (dum viveret) SS. Th. D. Prof. & in Ecclesia Ansgariana Mysteriorum divinorum interpretis, Amœnitates Theologiæ emblematicæ & typicæ. Accedunt ejusdem Oratio de gloria novi seculi, & Carmina varii argumenti; curante GUILIELMO SNABELIO, H.G.F. Ecclesiaste Hattemensi.

Trajecti ad Rhenum, apud Gysbartum a Paddenburg, 1727, 4. Alph. 2 pl. 13.

POsthumum hoc opus, tum ut Mæcenati suo litaret, tum ut genitoris celebritatem ad posteros transmitteret, produxit in publicum filii pietas. Conditorem illud habuit *Hieronymum Wilhelmum Snabelium*, Bremensem, Patre *Wilhelmo*, Martiniani cœtus Pastore Primario, Matre ex Zepperiano stemmate oriunda natum, d. 29 Aug. 1656. Felix quod naturæb eneficio acceperat ingenium, studia perpoliverant, in Academia Lugdunensi & Ultrajectina solerter a juvene culta. Præceptorum enim, quos miratur omne seculum, Gisb. Voetii, Joh. Leusdeni, Fr. Burmanni, J.G. Grævii, Christoph. Wittichii, &c. & scholis & exemplis, ad illustria quævis ea felicitate provocatus fuit, ut ex Gallis Anglisque, quos Sacer Celf. OO. Fœderati Belgii Legaor um Orator, 1679 salutaverat, redux, muneribus augeretur ex merito amplissimis. Admotus erat sancto muneri, in Heemstedensi propter Harlemum cœtu 1681, lustroque vix interjecto Daventriam evocatus, cum Patria eundem sacræ utrique cathedræ 1698 addiceret, tandemque 1702 Gymnasii directorium eidem decerneret. Idem vero feralis annus erat, quo vergente d. 24 Nov. anno ætatis 47 præmaturis fa-

tis occubuit. Pluribus hæc Editoris præfatio narrat, non ineleganti carminum manipulo aucta, quibus *nativitatem Autoris* Nicol. Weishunius, *nuptias* Petrus Francius & Janus Broukhusius, *obitum* J. Conr. Keslerus, *Bibliothecam* L. M. ipſeque Autor *nuptam* ſuam cecinit. Molitus, ſed fruſtra, Antiquitatum Ebraicarum Theſaurum erat Snabelius noſter, tria complexurum volumina, nec minus in Epiſtolas Paulinas paraphraſin, cujus in utramque ad Corinthios ſpecimen expectare jubet Editor. Ipſum quod laudamus opus, uno faſce eas comprehendit Clar. Autoris lucubrationes, quas vel vivus exſcribi typis curaverat, vel lectionibus & diſſertationibus publicis deſtinatas, ſæpius tamen imperfectiores, ultimamque ſibi limam exorantes, in ſchedis reliquerat. Præmiſſa eſt *de regulis, quas in Theologia typica enucleanda obſervare verum eſt*, diſſertatio. Geminum ſcilicet Ebræorum magiſtris commendatum erat circa S. Scripturam ſtudium, tam quod literam exponeret ſ. פשוט, quam quod rerum ſignificatus rimaretur, ſ. מדרש vel Maimonidis loquendi genere *opus mercavah*. Et myſticum quidem legis ſenſum, non paucos ex hac gente magna ſollicitudine fuiſſe ſcrutatos, teſtimonia Talmudis, Euſebii, Abarbenelis aliorumque *p.* 3 & 38 confirmant. Eosdem vero hujus ſenſus indagatores, nomine συζητητῶν intelligi ab Apoſtolo *1 Cor. I, 20*, ceu *p.* 2 aſſeritur, id nec Parallelismus *1 Petr. I, 10* evincit, nec adjectæ voces τȣ͂ αἰῶνος τȣ́τȣ permittunt, quibus V. T. Codex nullibi deſcribitur. Poſt ubi neceſſitatem ſtudii typici *p.* 4 paucis commendaverat Cl. Autor, ad vocem τύπου *p.* 5 accedit, eidemque Scripturæ uſu notionem modo *veſtigii*, ſeu notæ vi τύψαντος impreſſæ, v. c. *Joh. XX, 25*, modo *exemplaris Act. VII, 44*, &c. genere loquendi a pictoribus ducto, tribuit, typique definitionem talem *p.* 6 annectit: eſſe nimirum rudiorem aliquam, vel re externa, vel perſona illuſtri, in V. T. voluntate Dei factam adumbrationem rei ſublimioris, ſub N. T. extituræ, ad Chriſtum ejusque populum ſpectantis. Eleganter deinde *p.* 7 ex Placeo, umbræ ac typi convenientiam monſtrat, in eo vel maxime quærendam, quod non quidem vivos corporis colores, ejus tamen figuram & motum, accurata inter umbram & corpus proportione ſervata, exhibeant. Nimiam typici ſenſus quærendi picam evitandam incul-

culcat *p.* 8; de Origene tamen cum Huetio *Origen. p.* 186 mitius
pronunciat. Illum equidem præter necessitatem ad typos sæpius
confugere, ad literalem tamen Scripturæ sensum subinde provo-
care, *p.* 9, 10, 39, 40. Pungit hac occasione *p.* 11 illos, qui omnes
deprecantur typos, nisi quos N. T. docet. Plura enim typis annu-
meranda reticere voluisse Apostolum *Ebr. XI*, 5. Videtur autem
Vir doctissimus miscere invicem *uberiorem typi* alicujus, N. T.
autoritate confirmati, *expositionem*, ab Apostolo c. l. commenda-
tam, & *novi* cujusdam *typi constitutionem*, non nisi prævia N. F.
scriptura tentandam. Duo typorum genera Cl. Autor constituit : u- p. 12.
num, *perspicue* & citra dubitationem talium. Pertinent ad illud
ii, quos Scriptura typos vel ῥητῶς *nominat*, ut Jonas *Matth. XII*, 40,
Adam *Rom. V*, 14, vel citra denominationem, *re ipsa* cum re spiri-
tuali componit: quo pacto ad Christum referes Legis Mosaicæ 13.
ritus *Col. II*, *Ebr. X*, agnum paschalem *1 Cor. V*, 17, ἱλαστήριον *Rom.
III*, 25. Supponit hic, cuncta, quæ V. T. Israeli evenerunt, ty-
pi indolem habere, cum & Canaan cœlestem hæreditatem præfi-
gurarit, & Hierichuntis per septem circuitus facta expugnatio,
mysterium septem tubarum totidemque N. T. periodorum desi-
gnarit. Superest Autori nostro, Spanhemium P. in his secuto, al-
tera typorum, *probabilium* scilicet, classis; ad quam referendos ju- 14.
dicat מושיעים illos & liberatores Ebrææ gentis, easque rerum ge-
starum narrationes omnes, quarum causa præter eam, quæ a my-
sterio ducitur, afferri nulla potest. Exempli loco Melchisedecum
ἀγενεαλόγητον, æternitatis Christi typum affert, priori potius ge-
neri typorum vi *Ebr. VII* annumerandum. Addit præterea typos 15.
non ubivis, aut in singulis circumstantiis typica relatione gaudere,
quin potius in eadem sæpe textus compage quædam ad solum ty-
pum, alia ad antitypum, alia ad utrumque spectare. Typum tamen
non unicam semper rem adumbrare, sed variam quandoque & di-
versam. Quemadmodum enim pictura antrorsum faciem aliam,
aliam ubi ad dextram, aliam ubi ad sinistram concesseris, exhibens,
artem Apellis sui eo magis extollit; sic variam typorum relatio-
nem, qua Abrahamus v. c. modo Deum Patrem, modo Servato-
rem, modo fidelium corpus repræsentat, πολυποίκιλον σοφίαν Θεοῦ,
ad miraculum usque demonstrare. Typos in N. T. nullos, omnes

in

in V.T. œconomia dari, cui Hierosolymæ desolatio, Regni Anti-Christi excidium portentans, finem attulerit p. 16, 17. Succedit tersa satis, qua Theologiam docendi munus Bremæ auspicatus est,
p. 20. oratio *de origine & præstantia Theologiæ hieroglyphicæ & typicæ.* Hæc flores veneresque laudati studii exemplis magna ingenii vi rerumque elegantissimarum ubertate ostendit; nitide Hagaris & Saræ historiam, ad carnalem verumque Israelem ac N.T. Ecclesiam trahit *p.* 37, idque integra dissertatione inferius prosequitur *p.* 187 *sqq.* Steengragtii præcipue in Epl. ad Gal. commentario adjutus. *p.* 195. Docte deinceps, origines typorum emblematumque sacrorum non Ægyptiæ superstitioni, sed ipsius Jehovæ sanctissimæ voluntati deberi, contra Spencerum evincit *p.* 40 - 50. Dissertatio sequitur *p.* 55 *de ADAMO, Christi typo,* quem non Cabbalistarum saltem consensus *p.* 58, sed & Scripturæ autoritas *Rom. V, 14, 1 Cor. XV, 45,* citra controversiam typis accenset. Multiplex ostenditur inter utrumque Adamum harmonia. Consilium utrinque præcessit *p.* 58; est uterque ἀπάτωρ inter homines, Deumque unice Parentem habet, coll. *Luc. III, 38.* Monet in transcursu Cl.
59. Autor, verba *Mal. II, 10: Nonne unus nobis Pater est,* non de Deo, sed Abrahamo accipienda esse; quæ tamen glossa ex c. l. v. 6 facile refutatur: nulla & tautologiæ, quam objicit, formido est, cum providentiam primo, deinde creationem comma illud edisserat. Ada-
69. mum porro & Christum fœdere convenire cum utroque inito *Hos. VI, 7, Zach. VI, 13,* nec minus condita ex latere nupta, cum Augustino de C.D. L. XII c. 17, & in *Ps. LVI,* arbitratur Noster *p.* 70. Ecclesiam enim ex perfosso Servatoris, mortis sopore placide quiescentis, latere, veluti lectissimam secundi Adæ sponsam, prodiisse *Eph. V, 30, 32, Hos. II, 19.* Inde & Evam, non *factam* dici, sed *ædificatam Gen. II, 22,* ut Ecclesiæ, quæ domus Dei & templum est, vel nomine hoc responderet, *p.* 71. De viro quoque, viraginis cognomentum accepisse, quod Christi sui nomen gestet Ecclesia *1 Cor. XII, 12, Act. IX, 4, XI, 26.* Uterque Adam unicus sui stemmatis parens, naturalis ille, hic spiritualis, *Jes. IX, 6,* in pr. *Rom. V, 15,* cui enucleando oraculo Autor *p.* 74 §. 20, inhæret, Judæorum præcipue
76. suffragiis, v. c. Bereschith rabba Par. *XII* f. 14. col. 4, docte commonstrans, infelix illud Adami παράπτωμα posteros omnes corrupisse;

cupisse; ubi & decem Adami primi ספירות, ingeniose magis, ut quod res est modeste fateamur, quam solide ad Messiam applicat p. 78. Autor namque Cl. nimium Cel. Cocceji placitis addictus, conjectanea &, ceu ipse quandoque subolere nobis visus est, tortuosa nonnunquam affert, perspicacioris judicii lectoribus parum se probatura. Spectat huc Irenæi illud, Adamum ἐκ παρθενικῆς γῆς, æque ut Messiam e virgine natum esse, *p.* 58 sqq.; utrumque cœli terræque filium *p.* 60; nomen Α Δ Α Μ, Græce scriptum, quatuor mundi plagas a Servatore redimendas, Ἀνατολὴν, Δύσιν, Ἄρκτον, Μεσημβρίαν complecti; (cui tamen Augustini conjecturæ nec ipse multum Cl. Autor fidit *p.* 61) eodem anni tempore, autumno scilicet mense Tisri, Adamum cum orbe conditum, & Servatorem natum esse, ubi & quæstio, quo anni tempore mundus sit conditus, operose *p.* 61-67 discutitur, diesque Servatoris natalis mensi Tisri vindicatur *p.* 65, 67. Affinia his sunt, utrumque rerum omnium hæredem fuisse, *p.* 70, & adjutorio caruisse, *p.* 69: verba etiam *Gen. II, 24* de Christo esse interpretanda, qui descendens ex cœlo Patrem, Matrem vero Mariam ac Synagogam Judaicam in ascensione ad cœlos reliquerit, *p.* 31 & 72. Ast quo pacto Synagoga mater ascendentis Christi, quomodo & derelicta dici poterit, cum ex Judæis æque ac gentibus Ecclesia fuerit collecta? *Joh. X, 16, Hos. I, 11, Eph. II, 14.* Dubium & vel maxime est, eodem die hebdomadis, p. 79.
sexto scilicet, & Christum mortuum & Adamum lapsum esse; eadem hora Christum damnatum, qua seductus Adamus; eodem trihorio Adamum ante Protevangelii promulgationem peccati caligine obfuscatum fuisse, quo in passione Domini, lumen Soli ademtum; imo ea Christum hora obiisse, qua vel Adam promissione Messiæ erectus, vel (en fluctus) ex Paradiso ejectus, vel ex Eutichii Alexandrini Patriarchæ mente, mortuus; eodem & loco, in monte nimirum Calvariæ, Christum mortuum & Adamum forte sepultum esse, *p.* 80, 82. Triplex quoque Mediatoris nostri officium in Adamo invenisse sibi videtur. *Propheticum*, cum ab Adamo prolata *Gen. II, 23*, ipsi Deo, per Prophetam locuto, adscribantur *Matth. XIX, 4, 5, p.* 82; *Regium p.* 83 *Sacerdotale p.* 84, ob sacrificium oblatum, & adhibitas in usus proprios pelles, coll. Lev. VII, 8, Servatoris justitiam, præsentissimum illud spiritualis nuditatis remedi-

 um

um ſignificaturas, *p.* 98 coll. *Ap. III, 18.* Sollicite vero *p.* 85 actum mactationis & oblationis in ſacrificio Adami diſtinguit. *Mactatione* eum candide fateri, ſuo ſe peccato, Meſſiæ tam certo in ſobole olim ſua mortem illaturum eſſe, quam vere agnum hunc, inno-
p. 86. xium animal, jugularet. *Oblatione* autem Meſſiæ munus adumbrare, quamvis hic proprium, is alienum cruorem fuderit. Diſcrimen deinde utriusque Adami exponit: Primus Dei ſimilitudinem affectavit, quod non tam ex Promethei fabula, ceu Autori noſtro placet *p.* 87, quam *Gen. III, 5.* patet: alter vero ὀυχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ ἐῖναι ἴσα Θεῷ, *Phil. II, 6-8.* Hic victor, ille victus ex pugna diſceſſit, quamvis iisdem artibus (quæ conjectura eſt Cl. Autoris) cupiditate ſcil. carnis, libidine oculorum, faſtuque vitæ, uterque a ſeductore tentaretur, *p.* 88. Exegeſis etiam docta gemini oraculi Paulini ſubminiſtratur, *1 Cor. XV, 45, p.* 89 *ſq.* ac *Rom. V, 15, p.* 88, qua univerſalitatem meriti Chriſti inviolatam relinquit, alibi non obſcure conceſſam *p.* 262, alibi vero *p.* 243 iterum negatam. Tandem ſalus Adami contra Tatianum & Severum, Encratitarum parentes, ipſumque ſuum Calvinum a Cl. Autore adſtruitur, *p.* 94–99, adjecto in infelicem humani generis ſtatorem
102. epitaphio. Ad *ABELEM* nunc accedimus, Chriſti typum *Ebr. XII, 22, XI, 4.* Natus uterque ſeculo in deterius ruente, juſtus uterque *p.* 105, πρωτομάρτυς, *p.* 120, Deoque carus *p* 104. Paſtor erat Abel, Paſtor & Chriſtus, *Joh. X, 11, 1 Petr. V, 4, Ebr. XIII, 20.* Spontaneus uterque ſacerdos, unicum holocauſtum, (non tamen ſine juſſu divino *p.* 106) offerens pacificum, *Lev. VI, 12.* Ille מקץ ימים ſ. anno præcipite, *Ex. XXIII, 16:* hic, ἐπ᾽ ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τούτων, *Ebr, I, 1, p.* 112. Abelis victimam ἐμπυρισμὸς gratioſus, commune illud beneplaciti divini ſignum, probavit, *p.* 111, 114 *ſq.* cui in antitypo, ἐμπυρισμὸς Pentecoſtalis *Act. II,* reſpondit, *p.* 118. Uterque tandem Abel fraterna crudelitate occubuit, *p.* 104. [Conjecturas de genere mortis, manuum ſcilicet pedumque perfoſſione utrique communi, *p.* 119, eodemque ætatis anno ſuſtinenda, *p.* 120, de jurejurando per utriusque ſanguinem, deque precibus in typici verique Abelis nomine fundendis, *p.* 121, tantiſper ſeponimus. Varia hic perorata ſunt elegantioris doctrinæ capita, de ſacrificiorum origine, ubi & Euſebii locus L. I *Dem. Ev. c. X* contra

Outra-

Outramum vindicatus *p.* 105 *sq.* 111; de igne οὐρανοπετῆ in gentilium sacris *p.* 117; deque sensu loci *Ebr. XII, 24*: in quo quidem sanguis Abelis clamans, Nostro non cruor Abelis est, quo Cain polluit terras, sed sanguis Agni, ab Abele in sacrificium oblati, *p.* 109 sq. Ingeniose simul, sed & biblice, Cainum cum Judæis componit *p.* 121-138, coll. *p.* 33, ac colloquium Caini & Abelis *p.* 126, signum Caini *p.* 133, terram Nod, h. e. quamcunque quæ modo exulem & extorrem capit, *p.* 136, punitumque exilio saltem, non cæde, fratricidium, *p.* 137 illustrat. *SETHUM* ordo tangit, resurgentis Christi *p.* 146 inter typos relatum, præcipitato tamen meletemate, ac ratione hac parum gravi, quod Christi κατὰ σάρκα Pater fuerit, *p.* 143. Exponuntur fusius Scripturæ loca, *Gen. V, 1, 2, p.* 147 & *Num. XXIV, 17, p.* 144. *ENOCHUS* succedit, in cujus nomine æque, ac cognomento Metatron, Judæis solenni, ad Servatorem applicandis, multum, sed veremur, ingeniose magis quam solide Cl. Autor laborat *p.* 150-155. Typum uberius in Prophetia Enochi quærit, *p.* 155 varia de eadem disputans; in sacerdotio, quod gentis suæ primogenitus sibi vindicabat, *p.* 157; in vitæ sanctimonia, quam æque ac in Servatore, Judæorum malitia hypocrisin fuisse criminatur *p.* 159. Assumtus in cœlos, non mortuus est Henoch *p.* 160-165; Servator itidem noster ἀνελήφθη ἐν δόξῃ *1 Tim. III ult.* Genuit Henoch Methusalem μακροβιώτατον: Christus æternam suis filiis impetravit vitam, *p.* 166. Ad *NOAM* progredimur, cujus nomen, singularem Parentis Messiam expectantis, fidem testatur *p.* 168, attulitque hic verius quam ille quietem, *Matth. XI, 29.* Christum a Noa significatum fuisse, ex *1 Petr. III, 19* & *Matth. XXIV, 37, 38* Noster *p.* 167 & 170 colligit. Erat præterea justus uterque justitiæ præco, *p.* 169 sq. gratia Domini gavisus: intercessor etiam & mediator, quod de Noa *Ezechiel c. XIV, 14* affirmat. Εὐλαβὴς uterque, *Ebr. V, 7, XI, 7*, media inter convitia, ac petulantissimas sannas operi suo incumbens, *p.* 171. Arcam Noa κατεσκεύασε *Ebr. XI, 7*, Christus Ecclesiam *Ebr. III, 3*, *ligno* servaturus uterque suos. Septem animas Noa primus, totidem N. T. Ecclesias alter tuetur. Hic sepulchri caligine involutus; ille, umbris arcæ tectus latitavit, *p.* 172, rediere vero in terram vivi, novi seculi felicissimi parentes. Sedata iræ divinæ tempestate Noa co-

um significaturas, *p.* 98 coll. *Ap. III, 18.* Sollicite vero *p.* 85 actum mactationis & oblationis in sacrificio Adami distinguit. *Mactatione* eum candide fateri, suo se peccato, Messiæ tam certo in sobole olim sua mortem illaturum esse, quam vere agnum hunc, innoxium animal, jugularet. *Oblatione* autem Messiæ munus adumbrare, quamvis hic proprium, is alienum cruorem fuderit. Discrimen deinde utriusque Adami exponit: Primus Dei similitudinem affectavit, quod non tam ex Promethei fabula, ceu Autori nostro placet *p.* 87, quam *Gen. III, 5.* patet: alter vero ὀυχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ ἐῖναι ἴσα Θεῷ, *Phil. II, 6-8.* Hic victor, ille victus ex pugna discessit, quamvis iisdem artibus (quæ conjectura est Cl. Autoris) cupiditate scil. carnis, libidine oculorum, fastuque vitæ, uterque a seductore tentaretur, *p.* 88. Exegesis etiam docta gemini oraculi Paulini subministratur, *1 Cor. XV, 45, p.* 89 *sq.* ac *Rom. V, 15, p.* 88, qua universalitatem meriti Christi inviolatam relinquit, alibi non obscure concessam *p.* 262, alibi vero *p.* 243 iterum negatam. Tandem salus Adami contra Tatianum & Severum, Encratitarum parentes, ipsumque suum Calvinum a Cl. Autore adstruitur, *p.* 94–99, adjecto in infelicem humani generis satorem epitaphio. Ad *ABELEM* nunc accedimus, Christi typum *Ebr. XII, 22, XI, 4.* Natus uterque seculo in deterius ruente, justus uterque *p.* 105, πρωτομάρτυρ, *p.* 120, Deoque carus *p* 104. Pastor erat Abel, Pastor & Christus, *Joh. X, 11, 1 Petr. V, 4, Ebr. XIII, 20.* Spontaneus uterque sacerdos, unicum holocaustum, (non tamen sine jussu divino *p.* 106) offerens pacificum, *Lev. VI, 12.* Ille מקץ ימים [illegible] anno præcipite, *Ex. XXIII, 16:* hic, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν [illegible], *Ebr, I, 1, p.* 112. Abelis victimam ἐμπυρισμὸς gratiosus, [illegible] illud beneplaciti divini signum, probavit, *p.* 111, 114 *sq.* [illegible] po, ἐμπυρισμὸς Pentecostalis *Act. II,* respondit, *p.* 118. [illegible] dem Abel fraterna crudelitate occubuit, *p.* 104. Conjunctim [illegible] nere mortis, manuum scilicet pedumque [illegible] communi, *p.* 119, eodemque ætatis anno [illegible] rejurando per utriusque sanguinem, [illegible] verique Abelis nomine fundendis, *p.* 121 [illegible] Varia hic perorata sunt elegantioris [illegible] ficiorum origine, ubi & Eusebii loc[illegible]

p. 86. — beside "xium animal, jugularet."

102. — beside "epitaphio. Ad ABELEM nunc accedimus"

Outramum vindicatus *p.* 105 *sq.* 111; de igne ἐρανοπετῆ in gentilium sacris *p.* 117; deque sensu loci *Ebr. XII, 24*: in quo quidem sanguis Abelis clamans, Nostro non cruor Abelis est, quo Cain polluit terras, sed sanguis Agni, ab Abele in sacrificium oblati, *p.* 109 sq. Ingeniose simul, sed & biblice, Cainum cum Judaeis componit *p.* 121–138, coll. *p.* 33, ac colloquium Caini & Abelis *p.* 126, signum Caini *p.* 133, terram Nod, h.e. quamcunque quae modo exulem & extorrem capit, *p.* 136, punitumque exilio saltem, non caede, fratricidium, *p.* 137 illustrat. *SETHUM* ordo tangit, resurgentis Christi *p.* 146 inter typos relatum, praecipitato tamen meletemate, ac ratione hac parum gravi, quod Christi κατὰ σάρκα Pater fuerit, *p.* 143. Exponuntur fusius Scripturae loca, *Gen. V, 1, 2, p.* 147 & *Num. XXIV, 17, p.* 144. *ENOCHUS* succedit, in cujus nomine aeque, ac cognomento Metatron, Judaeis solenni, ad Servatorem applicandis, multum, sed veremur, ingeniose magis quam solide Cl. Autor laborat *p.* 150–155. Typum uberius in Prophetia Enochi quaerit, *p.* 155 varia de eadem disputans; in sacerdotio, quod gentis suae primogenitus sibi vindicabat, *p.* 157; in vitae sanctimonia, quam aeque ac in Servatore, Judaeorum malitia hypocrisin fuisse criminatur *p.* 159. Assumtus in coelos, non mortuus est Henoch *p.* 160–165; Servator itidem noster ἀνελήφθη ἐν δόξῃ *1 Tim. III ult.* Genuit Henoch Methusalem μακροβιώτατον: Christus aeternam suis filiis impetravit vitam, *p.* 166. Ad *NOAM* progredimur, cujus nomen, singularem Parentis Messiam expectantis, fidem testatur *p.* 168, attulitque hic verius quam ille quietem, *Matth. XI, 29.* Christum a Noa significatum fuisse, ex *1 Petr. III, 19* & *Matth. XXIV, 37, 38* Noster *p.* 167 & 170 colligit. [illegible] terea justus uterque [illegible] praeco, *p.* 169 sq. gratia Dom[illegible] intercessor [illegible] mediator, quod de Noa *Ezechie*[illegible] mat. [illegible] uterque, *Ebr.* [illegible] *XI, 7,* media [illegible] [illegible] operi suo incumbens, *p.* [illegible] Christus [illegible] *Eb*[illegible] voturus uterque [illegible] an[illegible] Eccle[illegible] um[illegible] f[illegible]

ter, qui, quod hodie nobis in ore eſt, idioma idem eſſe cum primævo illo primorum Germaniæ Colonorum arbitrantur.

Neque vero ubi jam *præfationem* hanc legendo abſolverit lector, aditus ipſi ad *Gloſſarium* conceditur, ſed inſpicienda prius adhuc, utiliſſimo inſtituto, exhibentur *prolegomena de Particulis præpoſitivis & poſtpoſitivis Germanorum, earumque cauſis ac virtutibus.* Harum enim cognitionem, quamvis nemo fere illam hactenus attenderit, aut explicare tentaverit, neceſſario præmitti debere, exiſtimavit Autor doctiſſimus, inſignem quippe ipſi operi lucem fœneraturam. Illis *duodecim* ſubnectuntur *regulæ etymologicæ* generales, variis obſervationibus condecoratæ, quæ, quum maximam partem univerſum Etymologiæ in unaquavis lingua negotium dirigere debeant ac illuſtrent, meruiſſe nobis viſæ ſunt ut huc transſcriberentur. Sunt vero hæ: I *Nova pendent ex antiquis: non vice verſa.* II *Origines, quæ domi haberi poſſunt, non debent peti ab exteris.* III *Lingua, in qua vocis alicujus ratio & cauſa redditur, ejusdem vocis genuina mater eſt, etiamſi vocem ipſam non agnoſcat.* IV *Derivata debent referre & exprimere ſua primitiva.* V *Veritas derivationis ex ſimilitudine ſoni & ſenſus dijudicanda eſt.* VI *In ſono non tam ad vocales quam ad conſonantes attendendum eſt.* VII *Quædam ſubſtantiva oriuntur a verbis, quædam verba a ſubſtantivis.* VIII *Verbum a verbo regulariter non oritur.* IX *Particulæ ſolent eſſe veræ radices.* X *Absque particulis nihil derivari, nihil componi poteſt.* XI *Figuræ Grammaticorum in negotio Etymologico recte adhibentur, quoties opus eſt.* XII *Orthographia pendet ab Etymologia.*

Jam vero & de ipſa *Gloſſarii* conſtitutione paucis quædam nobis dicenda reſtant, quod ita adornavit Vir clariſſimus, ut ſelectis ex ampliſſima prolixioris operis farragine, veluti occurrebant, vocabulis, eorundem *origines* explicaret, ac quaſi *Genealogiam* aliquam, ſecundum varias linguæ noſtræ ætates atque dialectos, ſupra a nobis ex diſſertatione præliminari indicatas, traderet. Qua in re quum ita ſe geſſerit, ut *leges* illas, quas diximus, *etymologicas* religioſe ſervaret, nihilque plane de vocum cauſis absque ſufficienti antiquitatis ſuffragio, & non niſi conſultis ſtudioſe

diose cujusvis gentis monimentis domesticis, quantum quidem illorum typis expressa cuivis patent, statueret, manifestum est, egregie ipsum has partes explevisse, ac eruditæ civitatis plausum optime mereri: quin hortandum esse rogandumque impense, ut integrum aliquando opus, quod bene multis abhinc annis improbo labore conficiendum sibi sumsit, publicæ luci pro Germanici nominis ac sermonis gloria exponi patiatur.

HIERONYMI GUILIELMI SNABELII, BREMA-Saxonis, (dum viveret) SS. Th. D. Prof. & in Ecclesia Ansgariana Mysteriorum divinorum interpretis, Amœnitates Theologiæ emblematicæ & typicæ. Accedunt ejusdem Oratio de gloria novi seculi, & Carmina varii argumenti; curante GUILIELMO SNABELIO, H.G.F. Ecclesiaste Hattemensi.

Trajecti ad Rhenum, apud Gysbartum a Paddenburg, 1727, 4.
Alph. 2 pl. 13.

POsthumum hoc opus, tum ut Mæcenati suo litaret, tum ut genitoris celebritatem ad posteros transmitteret, produxit in publicum filii pietas. Conditorem illud habuit *Hieronymum Wilhelmum Snabelium*, Bremensem, Patre *Wilhelmo*, Martiniani cœtus Pastore Primario, Matre ex Zepperiano stemmate oriunda natum, d. 29 Aug. 1656. Felix quod naturæ beneficio acceperat ingenium, studia perpoliverant, in Academia Lugdunensi & Ultrajectina solerter a juvene culta. Præceptorum enim, quos miratur omne seculum, Gisb. Voetii, Joh. Leusdeni, Fr. Burmanni, J.G. Grævii, Christoph. Wittichii, &c. & scholis & exemplis, ad illustria quævis ea felicitate provocatus fuit, ut ex Gallis Anglisque, quos Sacer Cels. OO. Fœderati Belgii Legaor um Orator, 1679 salutaverat, redux, muneribus augeretur ex merito amplissimis. Admotus erat sancto muneri, in Heemstedensi propter Harlemum cœtu 1681, lustroque vix interjecto Daventriam evocatus, cum Patria eundem sacræ utrique cathedræ 1698 addiceret, tandemque 1702 Gymnasii directorium eidem decerneret. Idem vero feralis annus erat, quo vergente d. 24 Nov. anno ætatis 47 præmaturis fa-

tis occubuit. Pluribus hæc Editoris præfatio narrat, non ineleganti carminum manipulo aucta, quibus *nativitatem Autoris* Nicol. Weishunius, *nuptias* Petrus Francius & Janus Broukhusius, *obitum* J. Conr. Keslerus, *Bibliothecam* L. M. ipſeque Autor *nuptam* ſuam cecinit. Molitus, ſed fruſtra, Antiquitatum Ebraicarum Theſaurum erat Snabelius noſter, tria complexurum volumina, nec minus in Epiſtolas Paulinas paraphraſin, cujus in utramque ad Corinthios ſpecimen expectare jubet Editor. Ipſum quod laudamus opus, uno faſce eas comprehendit Clar. Autoris lucubrationes, quas vel vivus exſcribi typis curaverat, vel lectionibus & diſſertationibus publicis deſtinatas, ſæpius tamen imperfectiores, ultimamque ſibi limam exorantes, in ſchedis reliquerat. Præmiſſa eſt *de regulis, quas in Theologia typica enucleanda obſervare verum eſt*, diſſertatio. Geminum ſcilicet Ebræorum magiſtris commendatum erat circa S. Scripturam ſtudium, tam quod literam exponeret ſ. פשוט, quam quod rerum ſignificatus rimaretur, ſ. מדרש vel Maimonidis loquendi genere *opus mercavah*. Et myſticum quidem legis ſenſum, non paucos ex hac gente magna ſollicitudine fuiſſe ſcrutatos, teſtimonia Talmudis, Euſebii, Abarbenelis aliorumque *p.* 3 & 38 confirmant. Eosdem vero hujus ſenſus indagatores, nomine συζητητῶν intelligi ab Apoſtolo *1 Cor. I, 20*, ceu *p.* 2 aſſeritur, id nec Parallelismus *1 Petr. I, 10* evincit, nec adjectæ voces τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ permittunt, quibus V. T. Codex nullibi deſcribitur. Poſt ubi neceſſitatem ſtudii typici *p.* 4 paucis commendaverat Cl. Autor, ad vocem τύπου *p.* 5 accedit, eidemque Scripturæ uſu notionem modo *veſtigii*, ſeu notæ vi τύψαντος impreſſæ, v. c. *Joh. XX, 25*, modo *exemplaris Act. VII, 44*, &c. genere loquendi a pictoribus ducto, tribuit, typique definitionem talem *p.* 6 annectit: eſſe nimirum rudiorem aliquam, vel re externa, vel perſona illuſtri, in V. T. voluntate Dei factam adumbrationem rei ſublimioris, ſub N. T. extituræ, ad Chriſtum ejusque populum ſpectantis. Eleganter deinde *p.* 7 ex Placeo, umbræ ac typi convenientiam monſtrat, in eo vel maxime quærendam, quod non quidem vivos corporis colores, ejus tamen figuram & motum, accurata inter umbram & corpus proportione ſervata, exhibeant. Nimiam typici ſenſus quærendi picam evitandam inculcul-

culcat *p.* 8; de Origene tamen cum Huetio *Origen. p.* 186 mitius pronunciat. Illum equidem præter necessitatem ad typos sæpius confugere, ad literalem tamen Scripturæ sensum subinde provocare, *p.* 9, 10, 39, 40. Pungit hac occasione *p.* 11 illos, qui omnes deprecantur typos, nisi quos N. T. docet. Plura enim typis annumeranda reticere voluisse Apostolum *Ebr. XI*, 5. Videtur autem Vir doctissimus miscere invicem *uberiorem typi* alicujus, N. T. autoritate confirmati, *expositionem*, ab Apostolo c. l. commendatam, & *novi* cujusdam *typi constitutionem*, non nisi prævia N. F. scriptura tentandam. Duo typorum genera Cl. Autor constituit: u- p. 12.
num, *perspicue* & citra dubitationem talium. Pertinent ad illud ii, quos Scriptura typos vel *ῥητῶς nominat*, ut Jonas *Matth. XII*, 40, Adam *Rom. V*, 14, vel citra denominationem, *re ipsa* cum re spirituali componit: quo pacto ad Christum referes Legis Mosaicæ 13.
ritus *Col. II*, *Ebr. X*, agnum paschalem *1 Cor. V*, 17, *ἱλαστήριον Rom. III*, 25. Supponit hic, cuncta, quæ V. T. Israeli evenerunt, typi indolem habere, cum & Canaan cœlestem hæreditatem præfigurarit, & Hierichuntis per septem circuitus facta expugnatio, mysterium septem tubarum totidemque N. T. periodorum designarit. Superest Autori nostro, Spanhemium P. in his secuto, altera typorum, *probabilium* scilicet, classis; ad quam referendos ju- 14.
dicat מושיעים illos & liberatores Ebrææ gentis, easque rerum gestarum narrationes omnes, quarum causa præter eam, quæ a mysterio ducitur, afferri nulla potest. Exempli loco Melchisedecum *ἀγενεαλόγητον*, æternitatis Christi typum affert, priori potius generi typorum vi *Ebr. VII* annumerandum. Addit præterea typos 15.
non ubivis, aut in singulis circumstantiis typica relatione gaudere, quin potius in eadem sæpe textus compage quædam ad solum typum, alia ad antitypum, alia ad utrumque spectare. Typum tamen non unicam semper rem adumbrare, sed variam quandoque & diversam. Quemadmodum enim pictura antrorsum faciem aliam, aliam ubi ad dextram, aliam ubi ad sinistram concesseris, exhibens, artem Apellis sui eo magis extollit; sic variam typorum relationem, qua Abrahamus v. c. modo Deum Patrem, modo Servatorem, modo fidelium corpus repræsentat, *πολυποίκιλον σοφίαν Θεοῦ*, ad miraculum usque demonstrare. Typos in N. T. nullos, omnes

in

in V. T. œconomia dari, cui Hierosolymæ desolatio, Regni Anti-Christi excidium portentans, finem attulerit p. 16, 17. Succedit tersa satis, qua Theologiam docendi munus Bremæ auspicatus est,
p. 20. oratio *de origine & præstantia Theologiæ hieroglyphicæ & typicæ*. Hæc flores veneresque laudati studii exemplis magna ingenii vi rerumque elegantissimarum ubertate ostendit; nitide Hagaris & Saræ historiam, ad carnalem verumque Israelem ac N. T. Ecclesiam trahit *p.* 37, idque integra dissertatione inferius prosequitur *p.* 187 *sqq.* Steengragtii præcipue in Epl. ad Gal. commentario adjutus. *p.* 195. Docte deinceps, origines typorum emblematumque sacrorum non Ægyptiæ superstitioni, sed ipsius Jehovæ sanctissimæ voluntati deberi, contra Spencerum evincit *p.* 40 - 50. Dissertatio sequitur *p.* 55 *de ADAMO, Christi typo*, quem non Cabbalistarum saltem consensus *p.* 58, sed & Scripturæ autoritas *Rom. V, 14, 1 Cor. XV, 45*, citra controversiam typis accenset. Multiplex ostenditur inter utrumque Adamum harmonia. Consilium utrinque præcessit *p.* 58; est uterque ἀπάτωρ inter homines, Deumque unice Parentem habet, coll. *Luc. III, 38.* Monet in transcursu Cl.
59. Autor, verba *Mal. II, 10: Nonne unus nobis Pater est*, non de Deo, sed Abrahamo accipienda esse; quæ tamen glossa ex c. l. v. 6 facile refutatur: nulla & tautologiæ, quam objicit, formido est, cum providentiam primo, deinde creationem comma illud edisserat. Ada-
69. mum porro & Christum fœdere convenire cum utroque inito *Hos. VI, 7, Zach. VI, 13*, nec minus condita ex latere nupta, cum Augustino de C. D. L. XII c. 17, & in *Ps. LVI*, arbitratur Noster *p.* 70. Ecclesiam enim ex perfosso Servatoris, mortis sopore placide quiescentis, latere, veluti lectissimam secundi Adæ sponsam, prodiisse *Eph. V, 30, 32, Hos. II, 19.* Inde & Evam, non *factam* dici, sed *ædificatam Gen. II, 22*, ut Ecclesiæ, quæ domus Dei & templum est, vel nomine hoc responderet, *p.* 71. De viro quoque, viraginis cognomentum accepisse, quod Christi sui nomen gestet Ecclesia *1 Cor. XII, 12, Act. IX, 4, XI, 26.* Uterque Adam unicus sui stemmatis parens, naturalis ille, hic spiritualis, *Jes. IX, 6*, inpr. *Rom. V, 15*, cui enucleando oraculo Autor *p.* 74 §. 20, in hæret, Judæorum præcipue
76. suffragiis, v. c. Bereschith rabba Par. *XII* f. 14. col. 4, docte commonstrans, infelix illud Adami παράπτωμα posteros omnes corrupisse;

rupisse; ubi & decem Adami primi ספירות, ingeniose magis, ut quod res est modeste fateamur, quam solide ad Messiam applicat p. 78. Autor namque Cl. nimium Cel. Cocceji placitis addictus, conjectanea &, ceu ipse quandoque subolere nobis visus est, tortuosa nonnunquam affert, perspicacioris judicii lectoribus parum se probatura. Spectat huc Irenæi illud, Adamum ἐκ παρθενικῆς γῆς, æque ut Messiam e virgine natum esse, *p.* 58 sqq.; utrumque cœli terræque filium *p.* 60; nomen Α Δ Α Μ, Græce scriptum, quatuor mundi plagas a Servatore redimendas, Ἀνατολὴν, Δύσιν, Ἄρκτον, Μεσημβρίαν complecti; (cui tamen Augustini conjecturæ nec ipse multum Cl. Autor fidit *p.* 61) eodem anni tempore, autumno scilicet mense Tisri, Adamum cum orbe conditum, & Servatorem natum esse, ubi & quæstio, quo anni tempore mundus sit conditus, operose *p.* 61-67 discutitur, diesque Servatoris natalis mensi Tisri vindicatur *p.* 65, 67. Affinia his sunt, utrumque rerum omnium hæredem fuisse, *p.* 70, & adjutorio caruisse, *p.* 69: verba etiam *Gen. II*, 24 de Christo esse interpretanda, qui descendens ex cœlo Patrem, Matrem vero Mariam ac Synagogam Judaicam in ascensione ad cœlos reliquerit, *p.* 31 & 72. Ast quo pacto Synagoga mater ascendentis Christi, quomodo & derelicta dici poterit, cum ex Judæis æque ac gentibus Ecclesia fuerit collecta? *Joh. X*, 16, *Hos. I*, 11, *Eph. II*, 14. Dubium & vel maxime est, eodem die hebdomadis, sexto scilicet, & Christum mortuum & Adamum lapsum esse; eadem hora Christum damnatum, qua seductus Adamus; eodem trihorio Adamum ante Protevangelii promulgationem peccati caligine obfuscatum fuisse, quo in passione Domini, lumen Soli ademtum; imo ea Christum hora obiisse, qua vel Adam promissione Messiæ erectus, vel (en fluctus) ex Paradiso ejectus, vel ex Eutichii Alexandrini Patriarchæ mente, mortuus; eodem & loco, in monte nimirum Calvariæ, Christum mortuum & Adamum forte sepultum esse, *p.* 80, 82. Triplex quoque Mediatoris nostri officium in Adamo invenisse sibi videtur. *Propheticum*, cum ab Adamo prolata *Gen. II*, 23, ipsi Deo, per Prophetam locuto, adscribantur *Matth. XIX*, 4, 5, *p.* 82; *Regium p.* 83 *Sacerdotale p.* 84, ob sacrificium oblatum, & adhibitas in usus proprios pelles, coll. Lev. VII, 8, Servatoris justitiam, præsentissimum illud spiritualis nuditatis remedi- p. 79.

um

um ſignificaturas, *p.* 98 coll. *Ap. III, 18.* Sollicite vero *p.* 85 actum mactationis & oblationis in ſacrificio Adami diſtinguit. *Mactatione* eum candide fateri, ſuo ſe peccato, Meſſiæ tam certo in ſobole olim ſua mortem illaturum eſſe, quam vere agnum hunc, inno-
p. 86. xium animal, jugularet. *Oblatione* autem Meſſiæ munus adumbrare, quamvis hic proprium, is alienum cruorem fuderit. Diſcrimen deinde utriusque Adami exponit: Primus Dei ſimilitudinem affectavit, quod non tam ex Promethei fabula, ceu Autori noſtro placet *p.* 87, quam *Gen. III, 5.* patet: alter vero *ὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, Phil. II, 6-8.* Hic victor, ille victus ex pugna diſceſſit, quamvis iisdem artibus (quæ conjectura eſt Cl. Autoris) cupiditate ſcil. carnis, libidine oculorum, faſtuque vitæ, uterque a ſeductore tentaretur, *p.* 88. Exegeſis etiam docta gemini oraculi Paulini ſubminiſtratur, *1 Cor. XV, 45, p.* 89 *ſq.* ac *Rom. V, 15, p.* 88, qua univerſalitatem meriti Chriſti inviolatam relinquit, alibi non obſcure conceſſam *p.* 262, alibi vero *p.* 243 iterum negatam. Tandem ſalus Adami contra Tatianum & Severum, Encratitarum parentes, ipſumque ſuum Calvinum a Cl. Autore adſtruitur, *p.* 94–99, adjecto in infelicem humani generis ſtatorem
102. epitaphio. Ad *ABELEM* nunc accedimus, Chriſti typum *Ebr. XII, 22, XI, 4.* Natus uterque ſeculo in deterius ruente, juſtus uterque *p.* 105, *πρωτομάρτυς*, *p.* 120, Deoque carus *p* 104. Paſtor erat Abel, Paſtor & Chriſtus, *Joh. X, 11, 1 Petr. V, 4, Ebr. XIII, 20.* Spontaneus uterque ſacerdos, unicum holocauſtum, (non tamen ſine juſſu divino *p.* 106) offerens pacificum, *Lev. VI, 12.* Ille מקץ ימים ſ. anno præcipite, *Ex. XXIII, 16:* hic, *ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τότων, Ebr, I, 1, p.* 112. Abelis victimam *ἐμπυρισμὸς* gratioſus, commune illud beneplaciti divini ſignum, probavit, *p.* 111, 114 *ſq.* cui in antitypo, *ἐμπυρισμὸς* Pentecoſtalis *Act. II*, reſpondit, *p.* 118. Uterque tandem Abel fraterna crudelitate occubuit, *p.* 104. [Conjecturas de genere mortis, manuum ſcilicet pedumque perfoſſione utrique communi, *p.* 119, eodemque ætatis anno ſuſtinenda, *p.* 120, de jurejurando per utriusque ſanguinem, deque precibus in typici verique Abelis nomine fundendis, *p.* 121, tantiſper ſeponimus. Varia hic perorata ſunt elegantioris doctrinæ capita, de ſacrificiorum origine, ubi & Euſebii locus L. I *Dem. Ev. c. X* contra

Outra-

Outramum vindicatus *p.* 105 *sq.* 111; de igne οὐρανοπετῆ in gentilium sacris *p.* 117; deque sensu loci *Ebr. XII, 24*: in quo quidem sanguis Abelis clamans, Nostro non cruor Abelis est, quo Cain polluit terras, sed sanguis Agni, ab Abele in sacrificium oblati, *p.* 109 sq. Ingeniose simul, sed & biblice, Cainum cum Judæis componit *p.* 121-138, coll. *p.* 33, ac colloquium Caini & Abelis *p.* 126, signum Caini *p.* 133, terram Nod, h.e. quamcunque quæ modo exulem & extorrem capit, *p.* 136., punitumque exilio saltem, non cæde, fratricidium, *p.* 137 illustrat. *SETHUM* ordo tangit, resurgentis Christi *p.* 146 inter typos relatum, præcipitato tamen meletemate, ac ratione hac parum gravi, quod Christi κατὰ σάρκα Pater fuerit, *p.* 143. Exponuntur fusius Scripturæ loca, *Gen. V, 1, 2, p.* 147 & *Num. XXIV, 17, p.* 144. *ENOCHUS* succedit, in cujus nomine æque, ac cognomento Metatron, Judæis solenni, ad Servatorem applicandis, multum, sed veremur, ingeniose magis quam solide Cl. Autor laborat *p.* 150-155. Typum uberius in Prophetia Enochi quærit, *p.* 155 varia de eadem disputans; in sacerdotio, quod gentis suæ primogenitus sibi vindicabat, *p.* 157; in vitæ sanctimonia, quam æque ac in Servatore, Judæorum malitia hypocrisin fuisse criminatur *p.* 159. Assumtus in cœlos, non mortuus est Henoch *p.* 160-165; Servator itidem noster ἀνελήφθη ἐν δόξῃ *1 Tim. III ult.* Genuit Henoch Methusalem μακροβιώτατον: Christus æternam suis filiis impetravit vitam, *p.* 166. Ad *NOAM* progredimur, cujus nomen, singularem Parentis Messiam expectantis, fidem testatur *p.* 168, attulitque hic verius quam ille quietem, *Matth. XI, 29.* Christum a Noa significatum fuisse, ex *1 Petr. III, 19* & *Matth. XXIV, 37, 38* Noster *p.* 167 & 170 colligit. Erat præterea justus uterque justitiæ præco, *p.* 169 sq. gratia Domini gavisus: intercessor etiam & mediator, quod de Noa *Ezechiel c. XIV, 14* affirmat. Εὐλαβὴς uterque, *Ebr. V, 7, XI, 7*, media inter convitia, ac petulantissimas sannas operi suo incumbens, *p.* 171. Arcam Noa κατεσκεύασε *Ebr. XI, 7*, Christus Ecclesiam *Ebr. III, 3*, *ligno* servaturus uterque suos. Septem animas Noa primus, totidem N. T. Ecclesias alter tuetur. Hic sepulchri caligine involutus; ille, umbris arcæ tectus latitavit, *p.* 172, rediere vero in terram vivi, novi seculi felicissimi parentes. Sedata iræ divinæ tempestate Noa co-

 lum-

lumbam emisit, Spiritus Sancti a Christo in Apostolos descendentis symbolum. Sacrificium utrinsque εἰς ὀσμὴν εὐωδίας oblatum, *Gen. VIII, 20, Eph. V, 2.* Crapulam quoque Noæ & nuditatem, ingeniose ad passionem Servatoris, Noster *p.* 173 accommodat. De Arca Noæ plura, quæ ad formam ejus, materiam, reliquias, ipsumque diluvium spectant, omisso ejus mysterio, promit *p.* 175-186. *JACOBUM* Servatoris typum laudat, Evangelistæ motus asserto *Joh. I, 52*, quod quidem visionem Jacobæam ad Christum applicat, somniantem vero Jacobum Servatorem præfigurasse, nondum evincit: quin aliud potius mysterium Jacobo & Esavo subesse, Scriptura docet *Gen. XXV, 23, Rom. IX, 11.* Fundamento tam instabili superstructa, omnis titubat mystica allegoria. Cui quæso persuadebit Cl. Autor, Jacobum in nativitate secundinas rumpentem, manuque sua, non sine miraculo pedem fratris prehendentem, Christi, miraculose ex virgine nasciturі, typum fuisse? *p.* 197. Nec reliqua argumenta, ab integritate, aut vita Jacobi pastoritia
p. 198. desumta, rem conficient. Parum quoque præsidii *Ebr. XI, 20* latet; nil enim amplius quicquam inde confirmatur, quam Isaacum, filiis benedicentem, ad Messiam respexisse; ast quo hinc pacto concludendum sit, Messiam a Jacobo adumbratum fuisse, merito ambigimus. Imo & Jacobi nonnulla in Christum plane non cadunt, v. c. de gemina uxore fraudibus soceri obtrusa: quando enim, quæso, Christus Ecclesiam ex gentilibus colligendam, h. e. ex mente Autoris Rahelem, a Patre promissam accepit, cui deinde Lea, s. Synagoga Judaica fuerit supposita? Videtur omnino Cl. Autor suos hic manes, qui optimos etiam quosvis manent, haud parum passus. A Jacobo ad scalam a Patriarcha visam progreditur *p.* 203, *agnumque Paschalem*, quatuor dissertationibus illustratum *p.* 207 sqq. Hunc ex capris quoque vi legis divinæ desumendum fuisse monet *p.* 213, arbitratus tamen, pios ex Israelitis libentius frequentiusque agnum obtulisse, quem & præceptum divinum magis præcipueque intendit, *p.* 215: licuisse interim pauperioribus de plebe & hœdos mactare, eo quidem mysterio quod hœdi pro expiandis peccatis aræ, æque ac Christus aræ crucis, fuerint imponendi. *p.* 216 coll. Lev. XVI. Agnus immolandus erat unius fere anni, in optimo scilicet ætatis flore, quo & Christus occubuit.

cubuit, *p.*231. Separandus ille erat, quarto ante mactationem die, publiceque exponendus conspectui: Christus quarto ante obitum anno, omnium in oculis solenni ritu inauguratus est agnus, qui tollit peccata mundi, *Joh. I, 36*, imo & die quarto postquam Hierosolymam venerat prehensus, ligatusque ad mactationem. Pascha in plenilunio, πληρώματος χρόνου, quo decurrente Christus advenit emblemate, *p.*235, duasque inter vesperas mactandum erat, *p.*236, maturam & seram, h.e. a meridie cum Sol declinare inciperet, h. 3, Judæis 9: eodem diei tempore, circa V. T. vesperam, Servator optimus actus in crucem est. *p.*237. Quilibet Israelita agnum, hominum quivis Servatorem, suis interemit peccatis, in cujus mortem omnis Judæorum cœtus conspirabat, *p.* 238. Docta porro mentio injicitur aspersionis sanguinis *p.* 239 sqq.; fasciculi hyssopi s. aspergilli *p.* 242; assationis in veru ligneo, ligneæ crucis typo, *p.* 246; manducationis maribus fœminisque licitæ, (quia nimirum Christus fine omni personarum discrimine ab omnibus olim comedendus erat totusque cuivis applicandus) *p.* 251, 262, 264; convivarum habitus, spiritualium viatorum umbræ, *p.* 254; non confringendi ossis *p.*260; herbæque amaræ & panis azymi *p.*264. Erant ossium reliquiæ comburendæ; ratio hæc ab Autore redditur, quod qui Christum vera fide comedit, cras non reperiatur vacuus nec famelicus, nec novo Christo, vel novæ illius oblatione opus habeat, *p.*270, quæ quidem Reformatæ Ecclesiæ de προσκαίροις supponere videntur placita. Pergit ad commemorationem beneficiorum divinorum *p.*271, coll. *1 Cor. XI, 26:* ad azymorum festum *p.* 275, ostendens, fermenti esum severa lege prohibitum *p.*277, perque septiduum mysticum (capita namque Apocalypseos nonnulla confert) celebratum fuisse, *p.*280. Agnum extructa Hierosolyma, ibi saltem mactandum, festo per omnem terram peracto, *p.* 285, diem vero hujus festivitatis primum & ultimum, sacros maxime fuisse. Succedit de *VACCA RUFA*, typo Christi *Ebr. IX*, Judæis maxime ignoto, *p.*288 tractatio, caput *XIX Numer.* paucis exponens. Describitur juvenca *p.*290, omnis circa eam suscipienda actio *p.*291, & mystica ejusdem significatio *p.*293 sq. Transitur ad *LOCUSTAS BIBLICAS*, deque variis earum generibus ac historia, copiose differitur *p.*295–300, 306 sq. Illustratur apocalyptica vi-

p.268.

ſio *Cap. IX*, atque ad *Jeſuitas* hic accommodatur *p.* 300–311, 323. Hos namque, cum apocalypticis locuſtis ex fumo, ſive diſtinctiuncularum philoſophica fuligine, ortos, ac innumera illa locuſtarum vi, Germaniam, Italiam & Poloniam A. 1542 depopulante, antequam ſequenti anno in his provinciis libere conſedendi veniam iidem impetrarent, eſſe ſignificatos. Duraturos eosdem per V menſes, ſ. 150 dies, h. e. totidem annos eſſe, *p.* 305: qui tamen calculus oppido falſus, cum annus 1690, qui a prima origine (1540) quinquageſimus ſupra centeſimum erat, jam pridem præterierit. Oratio adjecta eſt inauguralis *de gloria novi ſeculi, quam ſibi expectatiſſimam, gens Chriſto devota anhelat, & eminus exoſculatur*, cum ad Rectoratum accederet, recitata, *p.* 312. Exordium illius nummum aliquem Gratiani affert, cui epigraphe adjecta: *Gloria novi ſeculi.* Exiſtimat Cl. Autor, Imperatorem, Chriſtianæ religionis propagationem, ſuperatis triginta Germanorum millibus tentandam, eodem polliceri, *p.* 313 ſq. Sermo ipſe res Chriſtianorum inſtauratas labaſcentesque, ex antiquitatibus ſacris docte depingit, monſtratque, nec Conſtantini M. nec Reformationis tempora, gloria novi ſeculi exſplenduiſſe. Supereſſe igitur præclarum & illuſtre ſeculum, ac inſignem Judæorum converſionem, *p.* 327, quam a ſe expectari, jam ſupra *p.* 131, 139 indicaverat. Argumenta ex *Lev. XXVI, 40 ſq. Deut. IV, 30, XXX, 2, 3, 7, 8, XXXII, 43, Jeſ. XI, 11, 12, Ez. XXXVII, 21 ſq. Hoſ. III, 4, 5, Matth. XXIII, 39, Rom. XI, 25, 26 &c.* exſculpere conatur, Lutheri etiam autoritate uſus *p.* 329, 336. Sperat reductionem populi in terram Canaam *p.* 330, quam *Lev. XXVI, 42, 43, Jer. XXX, 3, 18, Pſ. LXXXV, 9, 10, Ez. XXXVI, 9, 24, 34 &c.* ſibi inveniſſe videtur. Alieniſſimum ſe vero a Chiliaſtarum ſomniis profitetur, regno millenario mundano *p.* 337, templo tertio erigendo, innovandisque ceremoniis leviticis *p.* 333, Scripturæque effata myſtice intelligenda eſſe, *p.* 330. Sic tabernaculorum feſtum *Zach. XIV, 16*, ea notare auſpicatiſſima N. T. tempora, quibus mirabiles Dei ducentis vias, feſtiva hilaritate, emendatus Iſrael eſſet celebraturus, *p.* 335. Reliquum quod ſupereſt chartarum, carmina odæque complent, Snabelianæ Muſæ ornatiſſimi fœtus. Inſertum eſt Carminum ſpecimen, quod Guilielmi Muſophili nomine 1689 Daventriæ Cl. Autor ediderat. Agmen clau-

claudit triplex, rerum videlicet, vocum Ebræarum, & Scripturæ locorum index. Ex illis vero, quæ attulimus, libri contentis patescet, nec infeliciter omnino suo hoc labore defunctum esse Cl. Snabelium, ex Josuæ Placei opusculis plurima haurientem; nec sine voluptate & fructu eundem legendum, quanquam largam omnino post se relinquat studii typici messem, & ad aliorum merita, Baumanni, Taylorii, Antonii van Driesen, Langii &c. nondum accedat. Ipse hoc de se existimari voluit, *p.* 18 fassus, se pilos saltem, pelles & ligna ad tabernaculum Mosis afferre. Et melius, longe operi fuisset consultum, si curatiori rerum ordine uti, ac elegantissimis & ingeniosissimis, quas numerosas apponit, dapibus frequentius acriusque judicii Theologici condimentum addere Cl. Autori placuisset. Nimium vero Cel. Cocceji placita deperire videtur, non mysticum saltem Scripturæ sensum ibi sæpe ubi nullus est, rimando, sed & de dilatione peccatorum in V. T. idem cum Viro Cel. defendendo *p.* 7. Negat etiam, quod obiter notamus, descensum Christi ad inferos localem *p.* 95. Laudamus interim singularem Cl. Autoris modestiam, quam in judiciis de Luthero ferendis passim comprobat. Eum *p.* 330 Calvino in cœlo junctum, ac in communis Domini æternis laudibus occupatum, nominat. Dolemus ad ultimum, sphalmatum typographicorum barbaram plane frequentiam, quam horrida illa erratorum caterva, colophonem operis comitata, cuivis facile monstrabit, lectionem operis fastidiosam lectori reddere.

JO. GEORGII WALCHII, THEOL. D. ET P. P. Observationes in Novi Fœderis libros, quarum prima Pars ea continet loca, quæ ex Historia Philosophica illustrantur.

Jenæ & Lipsiæ, apud Jo. Fridericum Ritterum, 1727, 8.
Plag. 9.

Ex quo S. R. Autori, Collegæ nostro æstumatissimo, traditum fuit munus in Academia Jenensi elegantiores disciplinas publice docendi, operas suas ad Codicem sacrum, præsertim posterioris Fœderis, ex humaniori doctrina illustrandum contulit, omnes-

omnesque fere illius libros hoc interpretationis genere illustravit. Ex his commentationibus selegit principes, ac postquam ea, quæ breviter, ut Academicarum recitationum ratio fert, litteris consignata ac dicta fuerant, copiosius ab ipso sunt exposita, juris publici facere animum induxit. Decretum ipsi est, tres partes harum observationum constituere atque in prima ista loca interpretari, quæ lucem suam habent ex historia philosophica; in secunda ad ea se conferre, quæ ex antiquitatibus Græcis ac Latinis illustranda sunt, atque in tertia utilitatem demonstrare, quam historia civilis ad hanc interpretationem affert. Prima pars harum observationum prodiit in lucem, quæ ea continet loca, quibus aut lucem ex historia philosophica attulit, aut defensionem illorum adversus istam suscepit, postquam ea ab aliis minus recte ac feliciter ex historia philosophica sunt illustrata. Primus omnino est Autor noster, qui ex instituto ad hanc interpretationis speciem accessit. Quamvis enim non defuerint eruditissimi viri, qui ex variis elegantium litterarum disciplinis multa loca Novi Testamenti explicarunt, nemo tamen tam diligenter ac studiose caput hoc historiæ philosophicæ, egregii ad Novi Testamenti explanationem adminiculi, ac Autor noster persequutus est.

Prolegomena, quæ Autor præmisit, differunt de utilitate litterarum humaniorum in interpretatione Novi Fœderis, speciatim de utilitate Græcæ linguæ profanorum scriptorum; antiquitatum profanarum; historiæ civilis ac philosophicæ, cujus usum in historia quoque ecclesiastica monstrant, atque ex his dictis efficiunt consequentiam, legendos esse profanos autores. Ipse liber complectitur octo & decem observationes. Prima illarum agit de *comparatione sectarum apud Judæos cum sectis Græcorum Philosophorum.* Existimarunt nonnulli, Pharisæos cum Stoicis, Sadducæos cum Epicuræis, atque Essæos cum Pythagoræis consentire, quam sententiam Autor noster refutat, atque ostendit, quod, quamvis nonnulla in quibusdam inter sectas Judæorum & Græcorum Philosophorum sit similitudo, major tamen sit dissimilitudo. Secunda tractat de *Magis ex oriente Bethlehemum profectis, Matth. II, 1,* atque ope historiæ philosophicæ eorum opinionem maxime probabilem reddit, qui Magos, Christi cultores, ex Perside

in

in Judæam venisse putant. Tertia inscripta est de *metempsychosi Judaeorum, Matth. XIV, 2, XVI, 14, Joh. IX, 12.* Loca hæc multi ex sententia de metempsychosi, sive transmigratione animarum, quam & Judæi amplexi fuerint, explicare instituunt, quos quidem Autor pariter refutat. Observat enim, nullam satis firmam causam esse, cur Judæis hanc sententiam adscribamus, quocirca non solum in argumenta hujus opinionis inquirit, sed etiam illis alia opponit graviora. Quarta exponit de *Lazari anima per angelos in cœlum delata, Luc. XVI, 22.* Inter Dæmones, quos credebant Pythagoræi ac Platonici, erat quidam ἀναγωγὸς dictus, de quo sibi persuadebant, eum ἀνάγειν; *ad superiora ducere* mentem e corpore, quod momentum postquam ex historia philosophica copiose fuit illustratum, ostendit Autor, quod illud neutiquam ad ea debeat applicari, quæ de anima Lazari per angelos in cœlum delata dicantur. Quinta de *Christo* λόγῳ, *Joan. I, 1,* imprimis Clarissimo Viro, *Joanni Clerico,* opposita est, qui putavit, quod Joannes, quando Servatorem generis humani dixerit λόγον, hanc appellationem ex Platonicorum ac speciatim Philonis scriptis mutuans sumserit. Observatione sexta existimat Autor, quod *quæstio Pilati: quid est veritas? Joan. VIII, 38,* ex Philosophia Academica, quæ omnia incerta esse vult, sit illustranda, quam sententiam ut stabiliret, per varia testimonia monstravit, Philosophiæ hujus vestigia esse apud Romanos. Septima disputat de *communione bonorum veterum Christianorum, Actor. II, 44, 45, IV, 32,* quæ observatio eo spectat, ut ostendat, hanc Christianam communionem neutiquam comparandam esse cum ista, quæ in Pythagorica recepta erat disciplina. Octava de *sapientia Mosis, Actor. VII, 22,* & nona de *genio Petri, Actor. XII, 15,* exponit; decima vero de *disputatione Paulli cum Philosophis Atheniensibus, Actor. XVII, 18,* quæ satis est copiosa, & undecima de *Ephesiorum libris combustis, Actor. XIX, 19.* Subsequuntur reliquæ de *stultitia sapientum, Rom. I, 22;* ubi ratio ex historia philosophica explicatur, cur Paulus de Romanis Philosophis dixerit, quod facti sint stulti: de *Christo crucifixo, Græcis stultitia, 1 Cor. I, 23,* in qua accurate ac solide explicatur causa, propter quam Græcis sapientibus doctrina de Evangelio videbatur absurda: de *philosophia Christianis hominibus noxia,*

Col. II, 8, de *cultu angelorum, Col. II, 18*, de *tribus hominis partibus, 1 Thess. V, 23*, qua Autor contra istos disputat, qui arbitrantur, hominem compositum esse ex tribus partibus, spiritu, anima & corpore, atque ostendit, quod verba Pauli sententiæ huic minime faveant: de *falso sic dicta cognitione, 1 Tim. VI, 20*, & de *Deo, qui nullis malis affici potest, Jacob. I, 13.* Luculento sane documento sunt hæ observationes, quanta sit dignitas historiæ philosophicæ & quantam hæc lucem afferat interpreti Novi Testamenti. Simul vero ex illis disci potest, quomodo qui eruditionem profanam ad interpretanda oracula divina afferre volunt, modum debeant tenere, ne eo quod nimium est peccent. Recte enim Autor & præceptione, & exemplo suo monuit, quod ubi nimium studium in explanando ex profanis autoribus codice sacro ponatur, facile alii, illi præsertim, qui eruditionem unice ad humanitatis disciplinas referant, in opinionem dignitati Scripturarum Dei inimicam & perniciosam deduci possint, quod liber hic divinus non aliter sit legendus atque explicandus, ac scripta Ciceronis, Livii, Ovidii aliorumque legi soleant ac commentariis illustrari.

Einleitung in die Philosophie.

h. e.

INTRODUCTIO IN OMNES PHILOSOPHIÆ disciplinas, in qua non solum istæ accurate inter se nexæ explicantur, sed etiam origo & fata illarum ex historiarum monumentis recensentur, edita præcipue in usum Lexici Philosophici a JO. GEORGIO WALCHIO, Theol. D. & P. P. in Academia Jenensi.

Lipſ. apud Jo. Frider. Gleditschii B. Filium, 1727, 8. Alph. 2 pl. 3.

ISagogen hanc in singulas Philosophiæ disciplinas S. R. Autor præcipue in usum Lexici Philosophici, quod A. 1727 in publicam emisit lucem, edidit, ut quæ ibi secundum litterarum ordinem tradita sunt, nunc ope hujus introductionis inter se nexa, pro ut

ut rerum indoles ac natura postulat, legi possint ac cognosci. Virtutibus, quæ hujusmodi Philosophiæ compendia, imprimis recitationibus Academicis destinata, ornant & commendant, Introductio hæc omnino est conspicua, sive respiciamus ad accuratum ordinem ac nexum, quo non solum ipsæ disciplinæ, verum etiam illarum veritates inter se conjunctæ sunt propositæ; sive ad perspicuitatem; sive ad solidam probandi ac dijudicandi rationem. Habet quoque nonnulla, quæ adhuc in aliis hujus generis Philosophiæ libris fuerunt desiderata, siquidem Autor singulis disciplinis breviorem historiam illarum præmisit, atque in ista cum libros, tum fata ipsarum doctrinarum variasque Philosophorum sententias enarravit. In præfatione ostendit, quod licet Philosophiæ studia recentiori ætate magna ceperint incrementa, non mediocris tamen illorum fit abusus, cujus quinque recenset capita atque illustrat. Ipsum opus divisum est in tres partes. *Prima* illarum agit de philosophia ejusque cognitione generatim, cujus iterum tria sunt capita, quorum primo Autor differit de indole philosophiæ atque observat inter alia, quomodo experientia primam occasionem philosophiam tractandi dederit; secundo de diversis philosophiæ disciplinis, ubi in tabula quadam nexus illarum accurate demonstratur, ac tertio de cognitione ac usu philosophiæ, in quo Autor tres cognitionis hujus gradus constituit, certitudinis, probabilitatis ac possibilitatis. *Secunda* pars complectitur ipsas disciplinas septem capitibus, Logicam quippe, Metaphysicam, in qua simul tradidit Theologiam naturalem, Physicam, doctrinam moralem generalem, Ethicam, Jurisprudentiam naturalem & politicam, tum publicam, tum privatam. Varia heic occurrunt, in quibus ab aliorum opinionibus & discendi ratione Autor discessit. Disciplinis, quæ de hominum moribus rite formandis præcipiunt, recte consuluit, cum ea, quæ ad hanc doctrinam in genere spectant, ab illis separaverit, quæ illius disciplinarum sunt propria. *Tertia* pars exponit de mysteriis philosophicis. Postquam Autor capite primo de mysteriis hisce generatim disseruit ac illorum existentiam atque indolem declaravit, capite secundo varia eorum genera recenset eaque in duas classes dividit. Alia spectant ad Deum, ubi differitur de essentia Dei ejusque operibus,

 de-

decretis quippe, creatione ac miraculis. Alia pertinent ad res a Deo conditas, cum ad ſpiritus, tum ad corpora. Quod ad ſpiritus attinet, Autor ſingulas illorum ſpecies atque operationes conſiderat, ac diſſerit de malis ſpiritibus, ſpeciatim de obſeſſione, de ſpectris, magia diabolica: de ſpiritibus bonis atque angelis tutelaribus: de ſpiritu mundi ac de anima humana, cujus indolem, originem, unionem cum corpore, ſtatum poſt mortem aliaque capita attingit. In hiſce argumentis exponendis Autor ita verſatur, ut oſtendat, nos de illis rebus haud aliud quicquam, niſi exiſtentiam earum poſſe cognoſcere, quæ ſit cauſa, cur iſtas retulerit ad myſteria philoſophica. Nec minus hæc docendi ratio, qua abſcondita hæc philoſophiæ capita ſeparatim tradita fuerunt, eſt fructuoſa, imprimis quum de illis graviſſimæ diſceptationes ſoleant oriri, quæ num momentum quoddam ſecum trahant, facile quisque ex hac doctrina de myſteriis philoſophicis poteſt intelligere, quando velit expendere, quod eruditi viri de ejusmodi rebus acriter diſputent, quas cognoſcendi intellectui humano nulla relicta eſt facultas.

SAM. CHRISTIANI HOLLMANNI, PHIL. Prof. extraord. in Acad. Vitemb. Commentatio philoſophica de Miraculis & genuinis eorundem criteriis, aliorumque quorundam de iisdem ſententiis, ad tollenda, quæ circa vulgarem moveri ſententiam poſſunt, dubia imprimis comparata.

Francofurti & Lipſiæ, apud hæredes B. Zimmermanni, 1727, 8.
Plag. 11½.

UT Cl. Autor, qui in perſcrutandis rebus metaphyſicis acumen & perſpicuitatem cum amore veritatis jungere ſolet, præſentem de miraculis commentationem conſcriberet, anſam ei dedit Abbas *Huttevillius* in Tractatu Gallico de religione per facta probata, qui A. 1722 Pariſiis lucem adſpexit. Etenim cum is argumenta potiſſimum a miraculis petat, quibus etiam Noſter utitur ad ſtabiliendam autoritatem Scripturæ ſacræ in Tractatu Germanico, ad prælum parato, antequam eidem de *Huttevilliano*

con-

constaret, multi autem in prima statim miraculorum notione, judice Nostro, ita impingant, ut infinitis fere disceptationibus locum relinquant, has difficultates e medio sublaturus, in definitionem miraculorum eorundemque criteria sibi inquirendum esse duxit. Non probat definitionem vulgarem, quod miracula sint *effectus in sensus incurrentes, qui omnes omnium causarum secundarum vires superant*, cum inter miracula in Scriptura sacra referantur, quæ naturæ vires non superant, utut tunc temporis quando contigerunt, supernaturali modo fuerint producta, & admissa ista definitione nemo mortalium miracula in casu dato agnoscere valeret, propterea quod nulli omnino mortalium vires naturæ adeo sint perspectæ, ut, quinam effectus eas superet, tuto satis judicare possit, fatentibus ipsis autoribus, qui definitione ista utuntur, veluti *Engelkenio*, Theologo Rostochiensi, in disputatione theologica de miraculis. Urget præterea periculosissimas consequentias, quæ ex hac sententia, utut orthodoxis Theologis probata, fluunt, ut discant illi, qui sæpius ex re longe minoris momenti periculosissimas consequentias eliciunt & homines innocentissimos in indifferentistarum & atheorum censum referunt, quam facile foret ipsis par pari referre. Quoniam enim vi hujus definitionis e miraculorum numero exterminanda veniunt, quæ a *Mose*, *Josua* & Prophetis in eundem inferuntur, horrenda, impia & blasphema consequentia concludendum esse, scriptores sacros fuisse impostores & eorum dogmata meras esse imposturas. Similiter quia vi definitionis ejusdem nemo agnoscere valet, num miracula veri nominis sint, quæ a scriptoribus sacris pro talibus venditantur, certitudinem & divinitatem revelationis, quæ a miraculis pendeat, in medio esse relinquendam & ab amplectenda religione Christiana esse abstinendum, ne in re tanti momenti per præcipitantiam statuas. Non tamen ideo negat Noster, inter miracula talia quoque occurrere posse, quæ vires naturæ superant, cum ultro largiatur, in hunc censum venire miraculum Josuæ Solem Lunamque stare jubentis. Monstrat deinde, non ideo miracula desinere esse effectus supernaturales, quemadmodum somniavit *Spinosa*, quod vires naturæ non superent; manere enim ea supernaturalia ratione *principii*, quatenus a causa prima concursu ex-

traordinario producuntur, utut talia non ſint ratione *objecti*, quatenus effectus iſtiusmodi vires naturæ non excedit. Ipſe igitur *miracula* definit per *effectus ſupernaturales*, hoc eſt, *ex cauſarum ſecundarum operatione non oriundos, ſed ab ipſo Deo productos.* Præſcidit ſcilicet a poſſibilitate dependentiæ iſtiusmodi effectus a viribus cauſæ alicujus ſecundæ, quæ vulgarem notionem ingreditur. Videntur ipſi eandem, quam ipſe tuetur, notionem tenere *Wehrenfelſius, Noltenius* & *Huttevillius*. Quod jam criteria attinet, unde miracula in dato caſu agnoſcantur; ea ſane lubrica cenſet, quæ vel ab objecto, quod ſæpius vires cauſarum ſecundarum non ſuperet, vel a modo agendi, qui occultus eſſe poſſit, petuntur. Jubet illa ſumi a circumſtantiis cauſarum efficientium, tum & fine atque ſcopo, ſcilicet ſi ſuperent vires ejus, a quo proficiſcuntur & de cujus pietate ac veneratione ſupremi Numinis aperte conſtat, quique nil niſi amplificandam Dei gloriam & promovendum ejus cultum quærit: deficientibus enim his criteriis, pro effectu magico eum declarat, qui vires agentis ſuperat. Applicat hæc criteria ad miracula *Moſis* & facta magorum in *Ægypto*, nec non ad miracula *Chriſti* & facta *Apollonii Thyanei*, & ea locis quibusdam Scripturæ, ſc. *Luc. XI*, 17 & *Joh. X*, 21, nec non *Wehrenfelſii, Paſcalii* & *Fleetwoodi* menti conſentanea eſſe monſtrat. Minime tamen probat, quod *Fleetwoodus* in tractatu Anglico de miraculis miracula magorum apparentia Deo tribuat, haud mediocriter miratus, præter *Rechenbergium* & *Seligmannum*, etiam *Abichtium*, Theologum *Dantiſcanum*, interpretationem ejusdem A. 1705 factam tanquam utilis cujusdam ſcripti prædicaſſe, in quo tamen doctrina miraculorum magis adhuc implicetur & difficultatibus maximis augeatur. Poſtquam vero oſtendit, nullum committi circulum, quando divinitas miraculorum ex doctrina, & doctrinæ ex miraculis deducitur, propterea quod non ejusdem doctrinæ, ex qua miraculi veritatem colligimus, divinitatem & veritatem ex eodem miraculo probemus; *Fleetwoodi* ſententiam refellit, quod doctrinæ divinitas ex miraculis probari nequeat, & *Bernardi Connoris*, miracula per ſuſpenſionem legum motus explicantis, ſententiam periculo quidem carere, inſufficientem tamen eſſe, nec ad vera miracula a falſis diſcernenda quicquam

quam conferre judicat. Quoniam *Anti-Wolfiani* definitionem miraculi *Wolfianam*, quod sit *effectus supernaturalis*, *effectus* autem *supernaturalis* censeri debeat, *cujus ratio non continetur in essentia & natura* seu *viribus corporum, nec in essentia & natura totius mundi*, tanquam impiam traduxere; fieri omnino non poterat, quam ut Cl. Autor eandem defenderet atque a verborum detorsionibus liberaret, ostendens, quod eadem accipienda sit de præsenti rerum naturalium nexu, in quo ut rationem sufficientem actus sui habeat, quod supernaturale est, impossibile est. Quis enim affirmaverit, quod effectus supernaturalis ex naturali causarum atque effectuum hujus nexus concatenatione fluat? Illustrat notionem *Wolfianam* exemplo pluviæ miraculosæ precibus *Eliæ* impetratæ, *1 Reg. XVIII, 45*, & illam quoque Cel. *Wolfii* sententiam propugnat, qua mundus quolibet miraculo mutari, neque idem amplius manere dicitur: etenim cum, judice Nostro, in se plana, facilis & cuivis vel mediocri animi attentione cogitanti obvia sit, prope ipsum miraculum esse existimat, quod illius adversarii tantas de ea excitaverint lites atque turbas, & ingenue profitetur, se tales objectiones ab iis non expectasse, quæ a mente *Wolfii* prorsus alienæ sunt. Etenim verba Viri eo detorquent, quasi is assereret, miraculo quovis totalium corporum mundanorum Systema ita disturbari, ut, si ordinatam suam retinere revolutionem corpora cœlestia inter se debeant, novo quodam restitutionis miraculo opus sit: unde ad providentiam Dei extraordinariam cum ipsis miraculis plane negandam valere ajunt consequentiam, ac talia fingere non aliud esse pronunciant, quam miracula in universum explodere, aut suum potius atheismum prodere. Remittit præterea Lectorem plura de his desiderantem ad observationes elencticas in controversia *Wolfiana* editas, quarum mentionem fecimus in Actis A. 1726 p. 463, 467, & dissertationem suam de jure consequentiarum. Monet deinde nonnulla circa meditationes *Frider. Wagneri*, Pastoris Navenensis in Marchia, de primo Christi miraculo, quæ non rem ipsam, sed methodum tractandi concernunt, & *Spinosæ*, miracula pro operibus naturæ insolitis habentis, commenta confutat. Digreditur hinc ad quæstionem: num Deus hodienum miracula faciat? ubi dubia nonnulla movet

ad-

adverſus miraculum Pariſiis A. 1725 publice nunciatum & ab eminentiſſimo Cardinali *de Noailles* peculiari ſcripto epiſcopali concelebratum. Miraculum iſtud conſiſtit in ſubita ſanatione fœminæ per invocationem panis benedicti ſolenni proceſſione per vicum, quem ea inhabitavit, deportati, quam Noſter vivaciſſimæ ejus imaginationi de præſentia Chriſti vera & reali in pane circumgeſtato tribuit. " Fœmina, inquit, vivaciſſima imaginatione " prædita, de præſentia Chriſti vera & reali in pane circumge- " ſtato, licet perperam, perſuaſa, magna contentione, maxima " corporis ſpirituumque animalium agitatione, manibus pedibus- " que incedens, ſolennem illam proceſſionem inſecuta eſt: quo " ipſo factum videtur, ut, aucta per objecti præſentiam imagina- " tionis vi fortiusque hinc & per inſignem corporis agitationem " excitato ſpirituum animalium motu auctoque ſanguinis circu- " lo, repente ſtupenda in partibus fluidis facta fuerit commutatio, " a qua totum ſanationis pependit negotium. Urget vero contra circumſtantias hiſtoricas, quod a teſtibus confirmari non potuerit, ſanationem factam eſſe in inſtanti, cum per adhibita antea medicamina partes & fluidæ & ſolidæ ad ſubſecutam ſanationem jam præparari potuerint, neque etiam conſtiterit, ſanationem eſſe ſine omni remedio factam, ſola efficacia fidei ac pietatis illius ægrotæ, cum nemo mortalium de internis judicare valeat. Addit, experientiam confirmare, quod febres aliique morbi graviores & tenaciores ſolius imaginationis vi per *abracadabra* aliasque voces nihil ſignificantes in inſtanti ſæpe curati ſint. Tandem monſtrat, ad miracula non majorem Dei potentiam, quam ad effectus naturales producendum requiri, quin hos ipſos majus ſapientiæ ac potentiæ opus eſſe, quam illa: quam eandem ſententiam, *Sturmio, Fleetwoodo, Connoro, Clarkio, Bülffingero,* ipſi eminentiſſimo Cardinali *de Noailles*, aliisque probatam, tanquam impiam & profanam in *Wolfio* exagitavere *Anti-Wolfiani*. Doctam vero de miraculis diſſertationem brevi ad lectores, qui ſibi ſoli ſapere videntur aliorumque meditationes etiam nondum lectas damnant, admonitione finit.

PETRI

PETRI WESSELING OBSERVATIONUM *variarum Libri duo, in quibus multi veterum Autorum loci explicantur & emendantur.*

Amstelodami, apud R. & J. Wetstenios & W. Smith, 1727, 8 maj. Alph. 1 pl. dimid. 16.

CL. *Petri Wesselingi* hic Observationes eo libentius enarramus, quo certius ex iis constat, Cl. earum Autorem in antiquis utriusque linguæ Autoribus versatissimum esse, eosque magno cum judicio & sedula attentione pervolvisse, & felix proin in obscuris locis dilucidandis & depravatis emaculandis ingenium ostendere. Ipsum præstantissimum opus, divisum in duos Libros, iterum in sexaginta Capita subdivisum est, ita, ut quivis Liber triginta capitibus absolvatur. Dedicavit vero illud Cl. Autor Celsissimo & Serenissimo Principi Arausionensi & Nassovio tersa & facili Elegia. Quamvis autem nihil non præclarum & lectu dignum sit in his ipsis Observationibus; ea tamen specimina in medium tantum afferre libet, quæ nobis imprimis visa sunt ingeniosa & εὐστόχως excogitata. Ita in Isæi Orat. p. 73 pro φελεάδα χωρία, Lib. I cap. II. quod Græciæ omnino ignotum, felicissime substituit φελλέα δὲ χωρία, loca salebrosa & aspera, φελλεῖς enim Atticis sunt, teste Suida, πετρώδεις τόποι, loci asperi, unde forsan ipsum nostrum vernaculum *Fels*, petra, quod obiter monere liceat. Erudita vero Cap. III. imprimis est Commentatio de Diis Deabusque κλῃδούχοις sive clavigeris, qua, allatis veterum Græcorum & Latinorum locis, egregie docet Cl. Autor, Dianæ, Minervæ, Junoni, Matri Deum, Parcis, Quieti, Proserpinæ, Jano, Portumno, Mithræ, Serapidi, Plutoni aliisque claves fuisse assignatas, qua re insignem sane lucem affert iis S. Apocalypseos locis, in quibus Salvator tenere dicitur κλεῖς ᾅδου, θανάτου καὶ ἀβύσσου, claves Orci, mortis & voraginis. Ingeniosa quoque est conjectura, quando in scriptoribus Geoponic. L. XV, 7, pro Ἀκραμαμώριον, quæ vox, ipso fatente Cl. Editore Petr. Needham, nihili est, scribendum censet Ἀκρεσαμώνιον ad XIV. formam Ἀκροκορίνθιον, idque ex Strabon. L. XIV opportune firmat. Docet etiam ex Hesiodo, Philostrato & aliis, recte apud XV. Appianum dici τὴν θάλασσαν ἐργάζεσθαι, mare exercere, secare,

re, quod Vir quidam doctus in dubium vocaverat, ſimulque hac
phraſi ſcite illuſtrat locum *Apocal. XVIII, 17*, ὅσοι τὴν θάλασσαν
Capp. 16, 18, ἐργάζονται. Vitruvio vero imprimis emaculando & ſuo nitori re-
21 & L. II, c. ſtituendo operam impendit ſedulam ex Cod. MSto Franequera-
13, 20 & 28. no, qui, quantum ex variis lectionibus colligere eſt, ab optima ſane
manu eſſe videtur. In Orphei Argonauticis varia emendat, quæ
ſeſe Lectori Critico facile probabunt. Sic v. 735 pro βάλλον ἐπ᾽
αἰγαλὸν, quod ægre quadrat, & hinc obſcure in verſione fuit ex-
preſſum, felicius ſubſtituit: πυλὼν ἐπ᾽ αἰγαλὸν, idque ex L. II
Argonauticor. Apollonii Rhod. liquido confirmat: porro apud
Orpheum v. 755, ἕσπερ᾽ ἐπ᾽ ἀξείνου, veſpera ab immiti, contra o-
mnem ſenſum & ipſum expeditionis Colchicæ curſum legebatur,
quod Noſter ſagaci conjectura optime mutat in ἔσχατ᾽ ἐπ᾽ ἀξεί-
νου, ad extremum ponti terminum, idque iterum ex Apollon. Rhod.
confirmat, ubi ἔσχατα πείρατα πόντου ſcriptum eſt, item ex Eu-
ripide, qui in Medea habet γῆς ἐπ᾽ ἐσχάτοις. Præ aliis vero ſe
commendat conjectura noſtri Autoris, qua in eodem Orpheo v.
761 pro corruptis ἄρα στέφανον κ. λ. legendum ipſi videtur ἀὲρ
ἄστυ φανὸν acutiſſime: nec prætermittenda denique illa eſt emen-
datio, qua v. 151 pro ἐρεμνῆς Μιλήτοιο, tenebricoſæ Mileti, ſcripſiſ-
ſe credit Orpheum ἐρύμνης Μιλητ. munitæ Mileti, ſolenni urbium
magnarum titulo apud Poetas, ut ex Callimachi hymno in Delum
XXX. & aliunde conſtat. Id quoque attentione dignum, Thomam Ma-
giſtrum multa ceu minus Attica damnaſſe, quæ nihilo tamen mi-
nus ἀττικώτατα eſſe Cl. Autor oſtendit, ut ſunt ἀνήλωσα & ἀνή-
λωκα apud Sophoclem, Demoſthen. & Iſocrat. ἀνθρωπίνη φύσις
apud Platon. aliquoties & ap. Demoſthen. θελήλατον in bono ſigni-
ficatu ap. Euripid. πρεσβευτὰς & πρεσβευταὶ iterum apud De-
moſthen. & Thucyd. ut alia taceamus, quæ omnia bonus ille Tho-
mas pro minus Atticis habet, quum tamen optimæ ſint monetæ:
unde apparet, illi perquam exiguam fidem in his eſſe habendam,
quum ipſe Atticam dialectum non ſatis calluiſſe videatur, quod
præter Cl. noſtrum Autorem monuerunt jamjam Viri celeberri-
mi, Lamb. Bos. Paul. Leopardus, Barbeyracus, J. G. Grævius ad Lu-
ciani Solœciſtam, ut & Jo. Jenſius, quos hac de re laudat Cel. Fabri-
Lib. II, c. 2. cius L. IV Bibl. Gr. Cap. 34. Tranſit ad alia Cl. noſter Autor. Sic
in

in morem Muhammedanorum a vino ſeſe abſtinendi inquirit,
eumque perantiquum eſſe, ex Nabatæorum, apud Diodor. Sic. L.
XIX, & Rhechabitarum, *Jerem. XXXV*, inſtitutis erudite illuſtrat.
LXX Senes in vertendis ſacris oraculis ſæpius lapſos fuiſſe, dum Cap. 3, adde
varie legerent, ipſis quoque ab aliis multa aſſuta fuiſſe, quæ non ab c.21, L.I
ipſis, perſpicue docet. Varios quoque producit verſus Sophocle- 6.
os aliter apud Heſychium ſcriptos ac in hodiernis editionibus ex-
tant, & genuinam lectionem illi Tragico feliciter reſtituit. Sic & 10.
in varias ſignificationes vocum *ἀπάτωρ* & *ἀμήτωρ* inquirit, ſimul-
que *περιμάχητον* illum ſacrum locum, *Hebr. VII, 3*, de Melchiſe-
deco *ἀπάτορι καὶ ἀμήτορι* pulchre illuſtrat. Præfectorum præto-
rio Catalogum, a Cl. Petr. Fabro in Semeſtribus levi brachio confe-
ctum, auget quoque luculento additamento. Præclaram non mi- 11.
nus operam ponit in digerendis in ſuos annos rebus Jul. Cæſ. geſtis 18.
veroque conſtituendo ipſius Flaminii anno, contra ſententiam Ill.
Cardinalis Norisii. Docet inſuper, vocem *αὐχμαλέοι* in verſu 20.
Chœrili apud Joſeph. L. I contra Ap. & analogice Græcam eſſe, ut
ab *αὐχμὴ αὐχμαλέος* formetur, ſicuti ab *αὔη αὐαλέος*, & a
δίψα διψαλέος, & ipſo, quod maximum, Xenophanis verſu apud
Athen. L. XII c. 6 defendi, qui habet *αὐχμαλέοι χαίτησιν*, pari
ſenſu, adeo ut hinc lapſus ſit Cl. Lamb. Bos, quando in Animad-
verſ. in Auct. Gr. c. 28, vocem Græcam eſſe negat, & hinc in *αὐ-
χαλέοι*, quod apud Heſych. mutandum cenſet, omnesque illi erra-
rint, qui in verbis Chœrili mendum latere putant, ut certe fecerunt
plurimi. Oſtendit quoque contra Harpocrationem ex Herodo- 22.
to, Daricos ſic dictos nummos aureos a Dario demum Hyſtaſpide
eſſe primum percuſſos & ſic nominatos. Quumque vox *naſtur-
tium* Varroni, ap. Non. Marcell. C. I 42, ab eo dictum videatur,
quod *naſum torqueat*, acri ſcil. ſuo & vellicante odore, Cl. Autor
rejectis inſulſis Etymologorum Græcorum nugis, vocem *κάρδα-
μον*, naſturtium, non tam Græcam, quam Perſicam potius eſſe vo-
cem aſſerit, quam ex verbo Orientalium חרטם *Chartam*, naſum
pungere, unde חרטם *Chartom* roſtrum & Arabicum خرطوم
Chordòm naſus, quod propius ad vocem *κάρδαμον* accedit, inge-
nioſiſſime derivat. Alibi valide docet, Ameſtrin Xerxis uxorem 24.
non eſſe Eſtheram illam biblicam, ut ſoni vicinitate inductus cre-

 dide-

diderat Joseph. Scaliger aliique cum eo, quia illam ut crudelissimam describit Herodotus; hanc contra ut mitissimam sacer textus: quam Herodotum inter & sacrum Codicem discrepantiam, ut id obiter inseramus, jam ante nostrum Cl. Autorem accurate pro more annotavit Vir summus Humphridus Prideaux in immortali opere de sacræ Historiæ cum profana Connexione, Part.
Cap.30. I Lib. IV. Fere quoque Noster persuadet, in Juliani Epist.60, ad Jamblich. pro *ἐμὰν φρένα καιομέναν πόθῳ ἂν ἐφύλαξας*, legendum esse *ἐφλέξας*, idque testibus idoneis, Aristæneto puta atque Dione Chrysostomo, comprobat. Quumque apud Ælianum L. XVII c. 37 Hist. Animal. in Historia de aquila ab homine, & vicissim homine ab aquila servato hæc depravate legantur: *ὁ μὲν αἰετὸς τῷ σώματι ἀμιγής*, quæ sine sensu; Noster contra, suffragante imprimis Apostolio Cent. II, 6, Ælianum scripsisse credit *τῷ σώσαντι ἀμοιβῇ* acutissime, nisi quod faciliore negotio locum ita emendandum *τῷ σώματι ὑγιής*, pace Cl. Autoris, arbitremur. Laude tandem sua minime defraudanda est illa conjectura, qua Silium Italicum L. XII, 408 scripsisse existimat:

— — — nec cedet Homero
Ascræo famave Seni,

pro vulgatis hactenus:

nec cedet honore
Ascræo famave Seni.

Atque hæc hactenus. Omnis enim fere liber nobis huc esset transscribendus, si omnia quidem præclare & ingeniose dicta nostri Autoris hic congerere animus esset. Id saltim addere liceat, ingenuam & liberalem nostro Autori esse mentem, unde factum, ut contra pravum plerorumque Criticorum morem, eruditos viros, quos passim, & quidem merito, refellit, modeste & humaniter tractet, & rem dixisse contentus, ab omni verborum acerbitate abstineat; quam insignem humanitatem pios præsertim B. nostri O-
Lib. I, c. 7, 15, & L. II, c. 8, & 25. learii manes expertos fuisse apparet. Quum enim sæpius in ejus Observationes & emendationes in Philostratum Noster sedulo inquirat, iisque non raro longe meliores & certiores felicissime substituat, sese tamen semper inter modestiæ limites continuit, nec unquam in observantiam peccavit, quam tanto Viro omnino debebat.

bebat. In quo laudabili certe instituto sequutus est Cl. Lambert. Bos τὸν μακαρίτην, qui quum varia quoque haberet, quæ non sine gravi ratione contra ejusdem beati Viri Versionem & Observat. in Philostratum moneret in Animadvers. in Auct. Gr. Capp. 7, 8, 9 & 10, sollicite tamen cavit, ut non nisi modeste & circumspecte ab eo dissentiret; quod utinam omnes illi facerent, qui humaniores quidem literas se studiose colere profitentur, re ipsa tamen in scriptis suis virulentis ostendunt, se omnem penitus exuisse humanitatem.

CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI *Poecile, sive Epistolæ Miscellaneæ.* *Tomi II Liber IV.*

Halæ, in officina Rengeriana, 1727, 8.

Plag. 9.

PRima hujus libri, quo Tomus secundus finitur, Epistola sive Dissertatio aliquot Terentii, Phædri, Petronii, & Ciceronis loca emendat. *Altera* de Samuelis Rachelii, clarissimi JCti, vita & scriptis agit. *Tertia* Lutheri liber contra Henricum VIII Angliæ Regem scriptus examini morali subjicitur, & conceditur quidem, Lutheri iram exarsisse justo vehementius, attamen excusari eum posse censetur primo jure gladiatorio, deinde jure ac more sui seculi. Ceterum minime a Pontificiis hunc librum Lutheranis objici posse, Cl. Autor contendit, cum hunc ipsum morem, aspere tractandi summos Principes, in Papatu didicerit Lutherus, ac reducta puriore religione omnibus Autor fuerit summa Principes prosequendi reverentia. *Quarta* edisseritur, cur Jacobus Apostolus *cap. II, 8* legem de amando proximo vocet νόμον βασιλικὸν, doceturque, *regiam legem* dici pro *regina legum*, quemadmodum Virgilius *regiam Junonem* vocet & *regiam conjugem* pro *regina Junone* & *regina conjuge*. Ibidem locus ille perobscurus, *Numer. XIII, 33*, per hypallagen exponitur, & hisce verbis: *Terra hæc est comedens seu consumens habitatores suos*, hæc subjungitur paraphrasis: *Multitudo incolarum tanta est, ut totam illam terram &, quæ ibi nascuntur, consumant: neque adeo locus ibi*

 reli-

relictus est, ubi nos possimus considere. *Quinta* Stephani Gausseni, Salmuriensis Theologi, vita exponitur ejusque laudatur eruditio. In eadem Differt. censura exercetur in Chrysostomi *libros sex de sacerdotio*, Joannis la Placette *Theologiam moralem*, Gottfridi Olearii librum *de veritate religionis Christianæ*, Frid. Spanhemii opus *de Papa fœmina*, Petri Alcyonii libros duos *de exilio*, Jo. Pierii Valeriani & Corn. Tollii libellos *de infelicitate literatorum*, Jos. Barberii opusculum *de miseria Poetarum Græcorum*, Ger. Croesii *Historiam Quakerianam*, & Verulamii *Historiam Henrici VII.* Subjiciuntur novem parerga philologica, e quibus duo repetimus. Scilicet primo observatur, errare communiter grammaticos, putantes, βέλτερος esse vocem comparativi gradus, cum omnino sit positivi. Deinde in dictione illa *Actor. XXII, 3*, ζηλωτὴς τοῦ Θεοῦ judicatur inesse Hebraismus, ut significet *zelotam acerrimum*. *Sexta* Dissertatione tria argumenta historica exhibentur. Primo nimirum ostenditur, novellas politices hebdomarias primum publicari cœpisse Lutetiæ A. 1631. Tum de Ludovico Saltatore, Comite Thuringiæ, disputatur, nec solum comprobatur Cl. Reinhardi sententia, qui nuper singulari libello saltum ejus ex arce in Salam fluvium inter falsissimas fabulas retulit, sed etiam contenditur, falsum prorsus esse, quod vulgo traditur de Comitis illius adulterinis amoribus. Tandem, cur Henricus ille, qui contra Fridericum II electus fuit Imperator, cognomentum gesserit *Rasponis*, inquiritur, ostenditurque, eum a sede sua Thuringica *Raspe*, postea dicta *Raspenberg*, hodie *Rassenburg*, ita fuisse cognominatum. *Septima* nova lux infertur Hieronymi *ad Magnum oratorem* Epistolæ. *Octava* exhibentur excerpta e literis Andreæ Acoluthi, Christiani Gryphii, Davidis Rungii, & Christoph. Sontagii. *Nona* producuntur aliquot *macromicri*, hoc est, viri corpore perparvi, ingenio ac virtute maximi, Melanchthon, Mosellanus, Ulr. Huttenus, Alesius, Faber Stapulensis, Selneccerus, Corn. Mussus, Andr. Maurocenus, Nic. Taurellus, Corn. a Lapide, Petrus Petitus, Opitius, Conringius, Erasmus, Hobbesius, & Pufendorfius. *Decima* Diss. de concordia scholæ atque ecclesiæ exponitur. Denique *undecima* docetur, *Actor. XVII, 22* Paulum non notare superstitionem Atheniensium, sed eorum

eorum laudare religiositatem. Simul etymologia vocum *religio* & *superstitio* e tenebris in apricum producitur.

BERNARDI SIEGFRIED ALBINI DE OSsibus corporis humani.

Leidæ Batavorum, apud Henricum Mulhovium, 1726, 8.
Alph. 1 pl. 16½.

ROgatus ab Auditoribus suis Clariss. *Albini*, ut Epitomen quandam rei Anatomicæ ad usus eorum conscriberet, publicaretque, illam ejus partem, quæ est de ossibus, nunc primum exhibet; in qua id operam dedit, ut artificium, quo rerum omnium Creator totam constructionem ac formam ossium hominis adulti perfectique fabricatus est, usus que, quos omnia tum universa, tum singula, tum quæque cujusvis eorum partes habeant, paullo accuratius breviusque complecteretur. Et ut pictores ad cujuscunque rei imaginem in tabula exquisite exprimendam toti ab exemplari dependent, ita & ipse multiplices illas variasque ossium formas verbis quasi depicturus oculos de iis ipsis nusquam dejecit. Quæ vero sit utilitas, quæque opportunitas in nobis eorum, cum ex putrefactis mortuorum corporibus, tum e vivis hausit; ut in Præfatione asseverat. Unde factum est, ut communia & pervulgata, & quæ ex aliorum scriptis intelligi possunt, tradiderit, adjectis plurimis, quæ videntur præteriisse priores. Et quo facilius ac melius tot tamque diversas ac mirificas ossium formas & commissuras animo & quasi oculis percipere ac memoria custodire possent Lectores, earum præstantissimas & intelligentium virorum ductu expressas imagines ubique magna cura laudavit. Longe autem omnium, quæcunque in vulgus emanarunt, cum principes sint Vesalianæ & effigierum delectu, & callida partium notatione, & definientium linearum gratia, umbrarumque artificio eximiæ, ad eas præsertim legentium oculos relegavit. Ubi vero Eustachianas aliquid præter eas præcipui habere aut easdem illustrare deprehendit, ipsas quoque allegavit. Præmissis igitur paucis, generaliora de ossibus quæ concernunt, sceletum virilem perfectum examini subjicit, ejusque caput, truncum, pedes & brachia seorsim

con-

contemplatur, deque osse hyoide sermonem facit; hinc sceletum fœmininum perfectum considerat, & in quo a virili discrepet, monet, ac denique appendicem de dentibus subjungit. Spes igitur est, fore, ut ex præsenti Tractatu non contemnendos Lectores fructus sint reportaturi.

EXCERPTA EX LITERIS AD JOH. BURCH. MENCKENIUM datis a JO. FRIDER. WEIDLERO, de observatione Eclipsis Solaris, instituta Wittebergæ die XV Septembris Anni cIɔ Iɔcc xxvii.

DIe XV Septembris proxime elapsi, quo Solis defectus contigit, primo mane Euronotus, (S.O) serenitatem cœli, qua integro & amplius mense antea fueramus gavisi, notabiliter turbare videbatur. Columna argenti vivi in barometro, quæ die XIV Septembris altitudinem 27 digitorum & 6 linearum pedis Parisiensis assecuta erat, die XV sesqui linea decreverat, & sparsæ passim per cœlum nubeculæ exiguam videndæ eclipseos spem relinquebant. Verum paulo post horam septimam, invalescente Cauro, (N.W) nubes versus orientalem plagam ex voto nostro dispellebantur. Itaque ad observationem accurate faciendam me accinxi. Intuleram autem antecedentibus diebus in conclave ortum respiciens organa necessaria, nempe horologium oscillatorium, tripedali pendulo instructum, quod minuta prima & secunda indicat, & Telescopium Astronomicum longum 3 p. 7 dig. Paris. cui camera obscura conformis longa 2 p 6 dig. adhæret. In fundo hujus cameræ obscuræ, super tabula vitrea, quæ tenui charta alba tegitur, orbis solaris, diametro 3 dig. 1 lin. ea facie, qua in cœlo lucet, foris inspectantibus exhibetur. Circulus Solis imaginem excipiens, quinque aliis concentricis, atque inter se distantibus, in duodecim digitos divisus erat. Nam cum duobus & dimidio pedibus tabula observationis a lente Telescopii ultima abesset, nullum intercedebat discrimen inter arcus peripheriæ sphæricæ, in quam egressi, ex foco lentis ocularis, tanquam ex centro, solares radii diffundebantur, & inter tangentes ejusdem peripheriæ, sive inter

cir-

circulorum concentricorum, de quibus dixi, semidiametros. Et quamvis dedissem operam, ut horologii tempus, secundum observationes Solis meridianas, aliquot ante diebus corrigeretur, tamen, cum translatio in locum & situm diversum, mutabilitatem quandam ipsi inferre videretur, statim post absolutam eclipsis observationem, mensus sum duas Solis altitudines, ope quadrantis quinque pedum, in quo singulæ secundorum minutorum decades, rectis transversalibus distinguuntur. Et auxilio primæ altitudinis, 27 gr. 34 m. 30 sec. sive adhibita correctione Wurzelbaueriana, demtaque refractione 3 minutorum, 27 gr. 31 m. 30 sec. & positis insuper (1) distantia poli a zenita Witebergæ 38 gr. 8 m. 2) Loco Solis 21 gr. 45 m. Virginis, & inde declinatione Solis 39 gr. 17 m. 3) pro momento observationis, reperi, altitudini Solis modo commemoratæ respondere hor. 8 m. 50 sec. 47. Atque ita perspecto tempore vero, incrementa & decrementa defectus solaris sequentem in modum sese habent.

		H.	M.	S.
Initium Eclipsis antemerid.		7.	18.	19
Phases crescentes	1 dig.	7.	23.	34
	2 digiti	7.	35.	24
	2½ dig.	7.	47.	19
Phases decrescentes	2⅓ dig.	7.	55.	4
	2 dig.	8.	7.	59
	1½ dig.	8.	13.	24
	1 digit.	8.	19.	54
	Finis.	8.	29.	52

Proportio semidiametrorum Solis & Lunæ erat circiter 157. 168. Favit serenum cœlum, quoad duravit observatio. Discus Lunæ, qua partem sub Sole visam, perfecto terminabatur circulo. Color intus niger, in margine cœruleus, tandem flaccus in album Solis lumen desinebat, & Lunæ orbem ambiebat. Maculæ, uti hoc anno frequentissime sub Sole apparuerunt, ita neque die defectus solaris defecerunt. Novem distincte conspeximus, quarum suprema versus occasum posita, circiter quadragesimam octavam diametri solaris partem capiebat. Sed hæc inter mediocres, quas hoc anno vidimus, locum tuetur.

Die Begebenheiten des Prinzen von Ithaca ꝛc.

h. e.

PRINCIPIS ITHACENSIS FATA, SIVE *Telemachus Patrem suum Ulyssem quærens, Poema ex gallico Celeb.* FENELONII *libro Germanice redditum, & animadversionibus Mythologicis, Geographicis, Historicis atque Ethicis illustratum a* BENJAMINE NEUKIRCHIO, *Consf. Aul. Brandenb. Ansbacensi, Principis hæreditarii Ephoro & Reg. Soc. Scient. Berol. membro.*

Ansbachiæ, apud Jos. Valent. Lüders, 1727, fol. Alph. 5 pl. 18 Tabb. æn. 8.

QUod ob operis præstantiam & interpretis, Poetæ inter nostros celeberrimi, famam, dudum exspectatum est, tandem ex parte prodit Poema Heroicum vernaculum, quod, prosam maxime *Fenelonii*, Archiepiscopi quondam Cameracensis, secutus, aliquot partibus absolvere instituit Celeb. *Neukirchius*. Constat inter omnes, quanto ubique plausu receptum fuerit opus hoc, ab omnibus, qui vel inventionis fœcunditatem, vel ordinis, qui in epico carmine difficiilimus est, elegantiam, vel doctrinæ moralis ubertatem, vel denique puri sermonis venustatem in eo agnoverunt, nullis quippe contra Autorem præjudiciis impediti. Non defuere quidem, qui acriori idem censuræ subjicientes, vel *Telemachomanias*, vel alia id genus scripta critica publicarent, nullo tamen fructu. Prævaluit enim universo omnium fere nationum Europæarum consensu *Fenelonii* liber, nec ulla fere est lingua cultior, in quam non translatum fuerit, prosaico saltem sermone, quo gallice conscriptum erat, opus hoc heroicum. Nostro quoque idiomate dudum lectum est, a Cl. *Bosio*, Lignicens. in Silesia Professore versum, qui sub *Talandri* nomine alia quoque multa non sine plausu scripsit. Verum qui carmine redderet scriptum, secundum omnes Poematis Epici leges disposito, inveniebatur nemo; donec V. C. *Benj. Neukirchius*, Poeta inter nostrorum primos collocandus, ante decennium & quod excar-

excurrit, se laborem hunc suscepturum esse, non significaret tantum amicis, verum speciminibus etiam prælectis confirmaret. Enimvero nec nobis hactenus defuere poemata Epica, ex aliis maxime linguis non infeliciter traducta. Exstant enim, præter Postelii Wittekindum, ex Autoris ingenio profectum, versiones variæ, ut Torquati Tassi versio ante hos centum annos elaborata: Virgilii Æneis a Schirmero carmine heroico vernaculo ante hos 60 annos reddita; Lucani bellum Pharsalicum a Seckendorfio ante annos XXXII versu germanico, rhythmis tamen destituto, expositum; &, ut alia minoris momenti poemata prætereamus, Brokesii Clades puerorum Bethlehemiticorum ex Mariniano poemate Italo ante decennium translata. His omnibus autem palmam prærepturus videtur Clarissimus *Neukirchius*, qui cum proprio Marte Poema aliquod heroicum conscribere facile potuisset, maluit tamen alieno operi vertendo laborem suum impendere. Ita autem inhæsit textui Gallico, ut libertate quadam, Poetis minime vitio vertenda, in eo exprimendo usus sit; neque tam versionis, quam novi operis faciem dederit Telemacho suo. Virile ubique carmen Nostri est, nec præter modum tumidus est stilus ejus poeticus, sed qualis Epopœiam decet, castus & purus, materiarumque & personarum subinde loquentium dignitati accommodatus. Orationes certe insertæ nativo quodam decore splendent, affectusque diversos loquentium eleganter satis exprimunt: cujus rei specimina dari possent, nisi in ipso opere eadem legere præstaret. Atque ita comparata sunt cetera, ut vel acutissimi Critici nonnisi paucissimos nævos in tanto opere deprehendisse sibi videantur. Animadversiones quod attinet textui subjectas, facile apparet, eas in gratiam Principis adolescentis, cujus Ephorum agit Noster, plerumque additas esse: ejusdem usibus enim integrum opus destinatum esse, vel ex ipsa dedicatione libri ad eundem directa constat. Sunt tamen inter morales politicasque observationes non paucæ, quæ etiam adultiorum attentionem merentur, Autorisque in scientiis his eruditionem haud vulgarem loquuntur. In Mythologicis non usque adeo prolixus est, cum Lectores desideret, in his non plane hospites. Ceterum a chartæ & typorum elegantia liber maxime commendandus, quibus Figuræ

quoque accedunt æri insculptæ ac singulis libris præfixæ, quæ operi non parum splendoris conciliant, magnificentiamque Principe dignam præ se ferunt.

IMPERIUM BABYLONIS ET NINI EX monimentis antiquis, Autore JOH. FRIDERICO SCHROEERO, Archidiacono Luccaviensi.

Francof. & Lipsiæ, apud G. M. Knochium, 1726, 8. Alph. 1 pl. 7½.

MErito eæ antiquitates curatius pertractantur, quæ ad illustrationem Historiæ sacræ faciunt. Non igitur laude debita fraudandus est Plur. Reverendus Autor, cum hic publicat spicilegium sibi relictum a Scaligero, Petavio, Usserio, Conringio, Marshamo, Cellario, Perizonio, & Vitringa, qui & ipsi historiam Babylonis & Nini diligenter excusserant. Ceterum facile intelligitur, occurrere hic & multas & maxime arduæ definitionis disceptationes: quare potiora duntaxat argumenta hujus libri commemorabimus. Divisus is est in sex Sectiones, quarum *prima* origines Babylonici Imperii explicantur; *altera* de originibus regni Assyriaci ejusque ad Assarhaddonis tempora propagatione disseritur; *tertia* mutationes regni Assyriaci, Babyloniorumque & Medorum defectiones exponuntur; *quarta* ad finem perducitur historia regni Assyriaci; *quinta* historia Babylonici regni a Nabopollassare restituti continuatur usque ad mortem Nebucadnezaris; *sexta* denique successores Nebucadnezaris describuntur & regni totius exitium. Ut igitur ad *Sectionem primam* revertamur, ejus initio contra Berosum negat Cl. Autor, imperia ante diluvium fuisse, urgens non solum silentium Mosis, sed etiam summam illorum temporum corruptionem, ex qua elucere putat, non fuisse tum constitutos imperiorum ordines. Addit, ante diluvium viguisse Theocratiam, qualis postea fuit inter Israelitas, solumque Deum istis temporibus exercuisse jura majestatis, & post diluvium demum ea tradidisse magistratibus. Initium historiæ Babylonicæ capit ex *Genes. XI, 2*, *Kedem* ibi memoratum non habens pro plagæ nomine, sed, ipsam illam terram hoc nomine fuisse

se vocatam, statuens. Hinc ad turrim delatus Babylonicam, receptam de ea sententiam propugnat contra Perizonium & Vitringam. Ejusdem Perizonii sententiam repudiat de Nimrodi nomine, quo appellatur *venator coram Deo*, censetque, ea appellatione describi violentum aliorum oppressorem, & speciatim hostem Ecclesiæ. Illustrata deinceps Mosis de illa turri narratione e scriptis τῶν ἔξω, de *Belo* disputat, ejusque sub nomine non Nimrodum latere, sed Chamum, evincere annititur. Bacchi vero sub nomine Nimrodum latitare, facile assentitur Bocharto. Considerat quoque haud perfunctorie nomen *Chasdim*, quo Chaldæi signantur in sacro Codice, iisque se præbet suffragatorem, qui deducunt id a Chesed, Nachoris filio, cujus etiam de migratione verba facit. *Secunda Sectione* statuit, Assurem illum, a quo nomen traxit Assyria, Abrahami ex Kethura pronepotem, prima regni Assyriaci fundamenta jecisse circa tempora introitus Israelitarum in Ægyptum: at magnum illud regnum demum a Nino & ejus uxore Semiramide fuisse conditum. Facit igitur cum iis, qui *Genes. X, 11* vocem *Assur* pro nomine viri, non regionis habent, idemque sentientis Perizonii argumentis contra Bocharti sententiam prolatis subscribit. Hinc adversus eos disputat, qui ex loco quodam Herodoti male intellecto Belum fingunt Assyrium, a Babylonio illo diversum. De vera item Nini ætate longus est, deque ejus regni amplitudine narrationes Ctesiæ repudiat, etiam patronos ejus, Huberum & Pezronium, refutans. Ad reges Assyriæ inde venit illos, qui sub exitum regni Israelitici clari fuere, &, quæ de iis traduntur in Codice sacro, concinnum redigit in ordinem, cumque profanorum historicorum narrationibus diligenter componit. *Sectione tertia* docet, Nabonassarem, quem Scriptura sacra *Baledan* appellet, ab Assyriis defecisse, & Babylonium regnum; Deocem eodem exemplo regnum Medicum condidisse. Hic cum secus sentientibus Scaligero, Conringio, Usserio, Marshamo erudite congreditur, simulque tempus, quo hæc gesta sunt, e Canone eruit Ptolemaico, cujus autoritatem asserit contra Conringium atque Harduinum. *Quarta Sectione* de Assarhaddone disputans & ejus successoribus, ea occasione autoritatem historiæ de *Juditha* labefactat & evertit. Sardanapalum a Nabopolassare

Babylonio victum & ad vivicomburium adactum concedit ac defendit finem attulisse Assyriaco imperio. *Quintæ Sectionis* maxima parte illustrat Rev. Autor res a Nebucadnezare gestas, ejus delirium etiam divinitus immissum attentius contemplans, adeoque multam lucem inferens iis sacri Codicis locis, qui de Nebucadnezare agunt, quos etiam defendit a pravis aliorum interpretationibus. *Postrema Sectione* cum difficillimam reddat tractationem ea opinio, qua Darius Medus creditur proximus fuisse successor Belsazaris, primo ostendit Cl. Autor, qua ratione ex iis salebris expedire se conati sint Usserius & Prideaux, sed simul contendit, duumviros hosce plus justo tribuisse autoritati Xenophontis. Scaligero censet suam sententiam successisse melius, sed in eo falsum eum esse, quod pro una eademque persona habeat Darium Medum & Nabonnidum. Rejectis hinc Conringii atque Harduini systematibus, itemque Anonymi illius, cujus Dissertationem *de Dario Medo* nos inseruimus his *Actis A. 1722 p. 20 sqq.* ipse contendit, Nebucadnezari successisse Evilmerodachum filium, huic Neriglissoorum, sororis maritum parricidam, tum Laborosoarchodum sive Belsazarem, tandemque Nabonedum, quo victo unaque cum Babylone capto finem impositum esse Imperio totius Orientis potentissimo.

JO. NICOLAI FUNCCII DE VIRILI ÆTAte Latinæ linguæ Tractatus.

Marpurgi, apud P. C. Müllerum, 1727, 4.
Plag. 20.

POsteaquam *A. 1724 p. 83 sq.* jucunde recensuimus Cl. Autoris librum *de adolescentia Latinæ linguæ*, cupide nunc amplexamur ejusdem opus de virili hujus linguæ ætate, quam inde a Corn. Syllæ & Ciceronis temporibus producit ad exitum Imp. Augusti. Non tamen totum hic accipimus opus, sed priorem duntaxat partem ejus, quæ supersunt de oratoribus atque historicis dicenda, alio tempore edituro Cl. Autore. Hic igitur *Cap. I* exponuntur causæ, ob quas eloquentia Romana hoc temporis tractu provecta fuit ad summum fastigium. Laudat hic æmulationem doctæ Græciæ, principum virorum erga literatos liberalitatem, magnifi-

ca eloquentiæ præmia. Quibus de rebus postquam copiose disseruit, *Cap. II* celebriores literarum patronos ex hoc ævo non solum nominatim producit, Syllam, Atticum, Pompejum, Jul. Cæsarem, M. Brutum, Octavianum Augustum, & Mæcenatem, sed singulorum etiam vitam & in literatos merita, itemque scripta, persequitur. Brevitatis quidem studiosi hic non quæsiverint vitas horum virorum tam copiose expositas; libenter tamen ubivis legi, quæ cum cura scripta sunt, non negabunt. *Cap. III* agit de Catulli, Tibulli, Propertii, Virgilii, Horatii, & Ovidii vita, scriptis, stylo, & editionibus. Exempli causa tractationem ejus de Poetarum optimo maximo considerabimus. Disserit scilicet de Virgilio a *p. 201* usque ad *p. 239*, §. XVIII verba faciens de nomine ejus, de universa vita fatisque, de literarum studio, de amicis ejus & invidis, de morte & sepultura, quicquid in tot libris, quos evolvit, invenire licuit, studiose & concinne congerens; §. XIX de bucolicis ejus carminibus & singularum eclogarum argumentis: ubi quidem silentio præterit eos, qui, quarta ecloga Christi adventum in orbem cani, sibi aliisque persuaserunt; hinc de Georgicis, tandemque de Æneide, eadem usus methodo; §. XX de ejus Catalectis, genuina Maronis carmina ab aliorum lucubrationibus diligenter discernens; §. XXI de iis, quos imitatus est in carminibus suis Virgilius: qua occasione is cum Homero componitur, eique non solum opponitur, verum etiam anteponitur; §. XXI de imitatoribus Virgilii & admiratoribus, quos inter eminent Statius Papinius & Silius Italicus; §. XXIII de obtrectatoribus tanti Poetæ, & §. XXIV de ejus stylo, quem contra nonnullorum objectiones strenue defendit, & artem ejus poeticam magnis & plane summis effert laudibus. Ultimo loco recenset editiones Virgilii, & quidem §. XXV eas, quæ seculo decimo quinto, §. XXVI & XXVII eas, quæ proximis duobus seculis, & §. XXVIII eas, quæ nostro hoc seculo factæ sunt. Ubi quidem observamus facili negotio, hoc novissimo seculo, vel potius quarta ejus parte, nos accepisse editiones Virgilii undeviginti. Sed age progrediamur ad *Cap. IV*, quo eos Poetas persequitur, qui aureo illo Latinitatis ævo minora reliquerunt opera, Corn. Gallum, Corn. Severum, P. Syrum, Pedonem Albinovanum, Manilium, cæteros. His eos adjungit Poetas, quorum nullum carmen ad nostram pervenit ætatem,

Sabi-

Sabinum, Macrum, plures. *Cap. V* de Latinis hujus ævi Grammaticis agit, largiſſimam hic nactus de Varrone diſſerendi materiam. *Cap. VI* claros iſtius ætatis Rhetores, quorum quidem perpauca ſuperſunt, perſequitur, atque hoc facto finem priori huic operis ſui parti imponit.

NOVA LITTERARIA.

HAnt ita pridem allatus eſt ad nos *Lucanus*, curante *Franciſco Oudendorpio*, Ludi Harlemenſis moderatore, cum variorum notis Lugduni Batav. hoc ipſo anno duobus Voll. in forma quater plicata editus. Cum vero parum in eo vel eruditione Batavorum Criticorum, vel ſplendore aliorum illic impreſſorum librorum dignum contineatur, ſed paſſim frigidæ emendationes & longe deteriores expoſitiones inveniantur, paucis tantummodo lectorem noſtrum de hac editione admonere voluimus. Erit autem propediem, ut pluribus de iſto libro agamus, quando nempe Cl. *Cortii* noſtri majorem Lucani editionem, & hanc Oudendorpianam componemus, & non tam judicium noſtrum, quam judicandi materiam cuivis declarabimus. Vir Celeb. *Petrus Burmannus* novam & ornatiſſimam editionem omnium Catalectorum, prout a Scaligero & Pithœo in unum corpus redacta ſunt, jamdudum parat, & primo quoque tempore prelo committet. Diſpeſcet ille opus in *duos Tomos*, quorum prior Poetas minores, ut *rei Venaticæ*, *Bucolicos*, *Serenum Sammonicum*, *Avienum* &c. cum Virorum doctorum integris Notis, ineditis N. Heinſii, & Celeb. Editoris novis Animadverſionibus comprehendet; poſterior vero Epigrammata, & ſingularia Carmina exhibebit. Quibus accedet ineditorum Epigrammatum, veterum & elegantiorum, quæ olim N. Heinſius & Cel. Burmannus collegerunt, numerus haud ſpernendus. Doctrina & eruditio Editoris non niſi egregia de hoc etiam labore ſperare jubet: &, ut quantocius de præclaro iſto Opere latius in his Actis noſtris agere poſſimus, vehementer optamus. Verona nuntiatur, Illuſtriſſimum Marchionem *Scipionem Maffei*, poſt editam nuper nobisque Menſe ſuperiori laudatam Hiſtoriam diplomaticam, jam in eo eſſe, ut ibi typis Alberti Tumermani edat opus elucubratiſſimum, ſub titulo: *Degli Anfiteatri, e ſingolarmente del Veroneſe Libri due;* quo docebit, Autores omnes, qui hactenus de Amphitheatris egerunt, oppido cœcutire falſisque eorum delineationibus deceptos eſſe; unde novas ipſe dabit veritati maxime conſentaneas.

)：(o)：(

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anno MDCCXXVIII.

CORPUS JURIS APANAGII ET PARAGII, continens Scriptores, quotquot inveniri potuerunt, qui de Apanagio & Paragio ex instituto egerunt, in duos Tomos divisum: accedunt Prolegomena de variis variorum Collectionibus earumque utilitate & incommodis, nec non Scriptorum nonnullorum, qui de hoc argumento egerunt, Vita &c. cum Indice rerum necessario; cura JOACHIMI MEIERI J. U. D. & Professoris Gymnasii Regii Göttingensis, Ordinis sui Senioris.

Lemgoviæ, sumptibus Henr. Wilh. Meyeri viduæ & Jo. Henr. Meyeri, 1727, fol.

Alph. 8 pl. 9.

DOctorum suffragiis satis superque notum est, materiam Juris publici de Apanagio & Paragio diu multumque in aulis Procerum hucusque fuisse controversam, aliis cum *Springsfeldio* Apanagium in proprium & improprium distinguentibus; *Paragium* aliis ab *Apanagio* cum Schiltero separantibus. Accedunt commoda diversorum Principum & Comitum, controversiam hanc, prout interest, foventium, & hinc uni alterive parti adhærentium. Hoc cum animadverteret Vir Consultissimus *Joach. Meierus*, Göttingensium Professor, ob strenue per quadraginta fere annos in Gymnasio navatam operam bene & non sine nominis honore emeritus, qui variis in Jure, antiquitate & historia scriptis, quorum nonnulla in Actis nostris jam ce-

 lebra-

lebrata exstant, nomen suum non incelebre reddidit, suarum partium esse duxit, Collectionem Scriptorum, qui de Apanagio & Paragio ex instituto egerunt, instituere, iisque, quæ e penu eruditionis suæ ipsi suppetebant, nonnulla addere, ut ultro citroque pensitatis argumentis Proceres aularum & docti eo clarius perspicerent, quænam sententia mereatur suffragium, sitque eligenda. Hinc præsens nata Collectio, cui præmissa Prolegomena *de variis variorum Collectionibus earumque utilitate & incommodis, nec non de Scriptorum nonnullorum, qui de Apanagio & Paragio egerunt, vitiis.* Hac vero methodo in enarrandis variis variorum Collectionibus usus est Autor, ut primo secundum facultatum Academicarum, quas vocant, seriem illas recenseret, *Theologicas* scilicet, *Juridicas* tam publici quam privati juris, quibus materias affines *Legum antiquarum, statutorum & consuetudinum*, nec non *Capitularium* Collectiones subjunxit: *Medicis* quoque, quotquot ipsi licuit invenire, ordinem suum voluit servare; quibus absolutis, pergit ad Collectiones *Historicas* Scriptorum tam profanæ quam Ecclesiasticæ Historiæ: *Chronologicas, Genealogicas, Geographicas, Diplomaticas, Numismaticas, Symbolicas, Emblematicas & Hieroglyphicas, Adagiorum & Apophthegmatum, Exemplorum, Dissertationum, Programmatum, Præfationum, Orationum, Panegyricorum & Paræneticorum.* Sequuntur Collectiones *Epistolicæ, Vitarum & Biographorum*, quibus Scriptores recensentur, qui *Imperatorum, Regum, Pontificum Romanorum, Moscoviticorum & Turcicorum Monarcharum, Electorum* reliquorumque *Imperii Principum, Archiepiscoporum & Episcoporum, Comitum* aliorumque tam natalibus quam eruditione *Illustrium Virorum, Germanorum, Italorum, Gallorum, Hispanorum, Anglorum & Scotorum, Suecorum, Danorum, Polonorum, Hungarorum, Siculorum, Belgarum*, nec non illorum, qui in variis provinciis claruerunt, Vitas & Elogia collecta ediderunt. *Professorum* vero *Theologorum, Jurisconsultorum* tam antiquorum quam recentiorum, nec non *Politicorum, Medicorum* item, *Philosophorum, Poetarum*, qui vitas collegerunt, sibi speciatim enarrandos sumsit, addiditque alios, qui *Observationes singulares* ex Vitis Eruditorum collegerunt, & desinit tandem in Vitarum *Artificum,*

Picto-

Pictorum ſcilicet, *Chalcographorum* aliorumque collectione. Abſolutis ita Biographorum Collectionibus progreditur ad Collectiones *Carminum, Græcorum* puta, *Latinorum* tam *Veterum* quam *Recentiorum, Germanorum, Gallorum, Italorum, Anglorum* & *Belgarum: Inſcriptionum* & *Epitaphiorum antiquorum* & *recentiorum*, reliquorumque Operum, quæ generali *Philoſophicorum* nomine involvit. Haſce Collectiones ſequuntur *Itinerariorum, Fluminum & Aquarum, Sepulchrorum antiquorum, Lucernarum, Columnarum* & *Statuarum, Annulorum, rerum militarium* aliarumque ſcriptorum; ſcriptorum item *Rei Ruſticæ* Collectiones, *Aſtronomicæ* item, *Muſicæ*, & *Miſcellaneorum*. Prolegomenis finem imponit, enarrando vitas illorum, quorum ſcripta hoc Volumine exhibet, in quibus comparet *Georgii Henrici Springsfeldii* vita ab Eruditis plurimum hactenus deſiderata, variisque obſcurata opinionibus: *Johannis Henrici Lombardii*, cujus operam in hac Collectione navatam celebrat Autor: *Wilhelmi Leiſeri, Johannis Melchioris Hofmeiſteri, Werneri Theodori Martini. Henrici* vero *Cocceji, Johannis Schilteri, Ephraimi Gerhardi, Chriſtiani Weidlingii, Johannis Friderici Rhetii, Lotharii Sigismundi a Minckwiz, Gothofredi Chriſtiani Leiſeri, Johannis Auguſti a Berger, Georgii Melchioris a Ludolff, Johannis Nicolai Hertii*, reliquorumque vitas remittendo partim ad alios ſcriptores, partim brevibus, deſtitutus fortaſſe uberiori illorum notitia, recenſet, totamque elucubrationem eleganti Celeb. *Heumanni* inſcriptione claudit.

Ad Collectionem hujus Operis ipſam quod attinet, in duos illam Tomos Autor diſpeſcuit, quorum primus exhibet Diſſertationem præparatoriam Autoris *de Apanagii & Paragii antiquitate & utilitate*, quam excipiunt ſcripta *Georgii Henrici Springsfeldii*, cum ſubjunctis *Lombardii* & nonnullis Autoris noſtri notis, in quibus imprimis ſollicitus eſt Lombardius, ut Dominis Landgraviis Haſſo-Rhinfelſenſibus Paragiatorum Principum jura aſſerat. Sequuntur *Wilhelmi Leiſeri, Hofmeiſteri, Martini, Weidlingii, Rhetii, Cocceji, Minckwitzii, Bergeri*, nec non Illuſtris cujusdam *Anonymi* de Apanagio & Paragio lucubrationes, quas, quia jam antea impreſſæ exſtant, ſine ulteriori recenſione dimittimus,

hoc unicum addentes, Responsum illud, quod Anonymo cuidam tribuitur, hic primo cum Lombardii notis comparere.

In alterum Tomum rejecit Cl. Editor scripta eristica de hoc argumento, quæ post *Schilteri* tractationem de *Apanagio & Paragio Hertius*, *Gerhardi*, *Lombardius*, *Hoockii*, pater & filius, nec non *Wahlius* quidam reciprocarunt. Addita sunt excerpta e Celebratissimi Dn. Assessoris Cameralis judicii *Georgii Melchioris a Ludolph* tractatu *de Introductione Juris Primogenituræ;* nec non e Commentario Illustris *Dn. a Ludewig* ad A. B. *Martini Rumelini* Dissertationes ad illam, cum *Nicolai Myleri* additionibus; Consilia quoque *Augusti Hofmanni*, *Joh. Otton. Taboris*, *Henrici de Cocceji*, *Johannis Stuckii* & aliorum, qui materiam de Apanagio illustrarunt. Ita tandem Celeberrimus Dn. Autor spem de se conceptam explevit, promissoque suo stetit, quod publice in Novis Literariis Latinis Lipsiensibus anni 1721 Mense Octobr. fecerat, & repetierat in Præfatione *Officiorum Ciceronis*, quorum recensionem in hisce Actis A. 1722 Mense Octobr. dedimus. Dolendum vero, elegantem hanc & publico rei literariæ commodo typis exscriptam Collectionem tot ac tantis scatere mendis typographicis, ut in quamplurimis locis sensus scriptoris etiam turbetur, ita ut vel sagacissimus illum ægre possit assequi, quæ ut in iteranda mox editione tollatur oscitantia, serio optamus.

OPUS ARCHITECTONICUM EQUITIS FRANCISCI BORROMINI, Oratorium nempe ædesque Romanæ P.P. Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii, additis delineationibus. Accedit totius ædificii descriptio ac ratio, Autore eodem, nunc primum edita.

Romæ, apud Seb. Gianninum, 1725, fol. patentiss. Plag. 8 Tab. æn. LXVII.

FRanciscus Borrominus, Patrum Congregationis Oratorii post Marcum Arconium & Paulum Maruscellum Architectus, cum relictam sibi ædium & oratorii Fabricam perfecisset, ejus de-

descriptionem in gratiam Marchionis *Castri Rodriquez* concinnavit. Hæc ipsa præsenti operi textum Latinum & Italicum suppeditat. Reliquum omne Tabulæ occupant, ideas majoris plerumque moduli Ichnographicas, Orthographicas & Scenographicas partium singularum exhibentes. In his omnibus nihil est, quod possit ad pulchritudinem absolutam graphici operis desiderari, cujus expressionem fortem ac facilem chartarum bonitas non mediocriter adjuvit.

PHILOSOPHICAL PRINCIPLES of Medicine &c.

hoc est,

PHILOSOPHICA PRINCIPIA MEDICINÆ in tres partes divisa, continentia 1 demonstrationem legum generalium gravitatis una cum earum effectibus in corpus animale: 2 leges magis particulares, quæ obtinent in motu & secretione fluidorum vitalium, applicatas ad præcipuos morbos & irregularitates machinæ animalis: 3 intentiones primarias & principales Medicinæ in curandis morbis, problematice propositas & mechanice resolutas; Autore THOMA MORGANO, *M. D.*

Londini, apud J. Barby & T. Browne, J. Osborne, T. Longmann, &c. 1725, 8, chart. aug.

Alph. 1 pl. 10 Tab. æn. 1.

CL. Autor in prolixa, quam præmisit, Præfatione agnoscit, extra omne dubium hodie positum esse, quod corpus humanum sit machina, cujus omnes operationes & phænomena ex structura ipsius necessario consequantur. Vitam in circulatione sanguinis consistere, mortem vero in cessatione hujus motus, seu in stagnatione fluidorum animalium. Sanitatem esse circulationem uniformem sanguinis, & per consequens a diversis liquoribus conveniente proportione per glandulas separatis resultare; morbos autem induci per irregularitatem sive excessum aut defectum

in hac ſecretione factum. Id autem machinam corporis animalis ſingulare habere, quod adeo tendat ad ſui conſervationem, ut, ſi qua alicubi irregularitas contingat, ex ipſa ejus ſtructura ſequantur motus eandem tollendi & ſtatum convenientem reſtituendi: qua de cauſa natura medicatrix eidem adſcribatur. Unde concludit, ſi quis Matheſeos & mechaniſmi ignarus morbum curare velit, non perſpecta ſtructura & inde pendentibus operationibus machinæ animalis, id perinde eſſe, ac ſi cœcus horologium dirigere, aut mortuus tympanum pulſare debeat. Quemadmodum itaque, judice Noſtro, bonus phyſicus eſſe nequit, niſi qui phænomena naturæ per obſervationes accuratas & experimenta perſpecta habet, atque ſcientia Arithmetica, Geometrica & Algebraica imbutus vires corporum eorumque operationes ad calculum revocare valet; ita, eodem judice, bonus Medicus eſſe nequit, niſi qui Mathematica & Mechanica ratiocinia cum hiſtoria morborum, eorumque ſymptomatum curatione conjungit. Secus qui faciunt, ab empiricis & circumforaneis non differre niſi diplomate a Facultate Medica impetrato. Laudat conterraneos ſuos, quod a deviis in viam redeant: mox fore confidit, ut characteriſtica medicum rationalem ab empirico diſtinguendi conſtituatur Matheſeos & Mechanicæ cognitio. Sed miſſis iis, quæ contra Medicos a via regia deviantes declamat, ipſam operis œconomiam perluſtremus.

Prima igitur *parte*, præmiſſis legibus motus, quas tanquam axiomata operi ſuo excellenti præſternit *Newtonus*, & aliis nonnullis generalibus de motu æquabili, compoſiti reſolutione, accelerati ſymptomatibus demonſtratis, gravitatem in numerum virium acceleratricium refert & quantitati materiæ directe proportionalem facit. Ex differentia gravitatis ſpecificæ in diverſis corporibus vacuum extundere conatur diſſeminatum. Demonſtrat theoremata de viribus centralibus corporis in circulo revoluti & ex obſervationibus legem motus planetarum *Keplerianam* circa Solem, & Satellitum Jovis atque Saturni circa ſuos primarios deducit, atque ad planetas theoremata de viribus centralibus applicat. In omnibus corporibus totalibus & ſingulis, quibus conſtant, partibus agnoſcit conatum ſibi mutuo accedendi, qui eſt in ratione com-

composita ex quantitatis materiæ directa & quadrati distantiæ reciproca. Hanc gravitatem ab autore rerum omni materiæ impressam statuit, & quomodo ex motu periodico planetarum quantitas materiæ eorundem deducatur, ostendit. Ita autem definit quantitates ac densitates materiæ:

Nomina corporum totalium.	Quantitas materiæ.	Densitas.	Nomina corporum totalium.	Quantitas materiæ.	Densitas.
Sol.	170000.	100.	Terra.	1.	400.
Saturnus.	474.	33.	Luna.	$\frac{4}{195}$	500.
Jupiter.	844.	73.	Venus.	1	550.
Mars.	$\frac{1}{9}$.	260.	Mercurius.	$\frac{1}{9}$	1000.

Explicat ex principiis mutuæ attractionis motum Lunæ in sua orbita circa Tellurem, effluxum & refluxum maris, figuram Telluris, cujus diametrum per polos ductam ad diametrum plani æquatoris facit ut 124 ad 125. Determinat vim Solis atque Lunæ ad perturbandum Oceanum atque atmosphæram; ceterorum autem planetarum, nec non fixarum vim nullam hic esse monstrat. Atque ex his apparet, quod theoriam *Newtonianam* de physica cœlesti in eorum gratiam proposuerit, quibus ipsum opus *Newtonianum* perlustrare ac intelligere non datur. Hæc autem eum in finem adducit, quod perturbationes a Luna & Sole in Oceano & atmosphæra factæ imprimantur quoque sanguini & fluidis animalibus atque effectus sensibiles nec contemnendos in corpore animali producant. Vi scilicet perturbante Solis & Lunæ aerem in sanguine motu violento cieri, huncque motum ipsi sanguini communicari, ut adeo fluida in corpore incalescant & vi aeris inclusi elastica rarefiant: calore autem sanguinis aucto, ipsoque sanguine magis rarefacto, vasa quoque fortius premi, atque sic ipsum momentum motus sanguinis crescere, ipsa vasa a sanguine rarefacto largius impleri & serum cum crassamento intimius misceri, consequenter sero intra crassamentum contento, secretiones varias imminui, sicque majorem fluidi quantitatem intra vasa remane-

manere, ut inde hemorrhagiæ consequi possint. Concludit inde ulterius, quod omnes morbi eorumque symptomata ex plethora vel secretionibus imminutis ortum ducentia ab eadem causa, vi nempe perturbante Solis atque Lunæ, variari possint. Monet autem, quod vis illius effectus in corpus humanum major sit, quam quæ existimetur vulgo.

A vi gravitatis corporum totalium, qua in se invicem agunt, digreditur ad vim attractivam particularum exiguarum, quæ ingens deprehenditur in contactu aut prope eundem, sed in majori distantia evanescit. Hanc vim attractivam *vim cohæsionis* appellat, propterea quod particularum cohæsionem eidem tribuit. Eam hodie extra dubitationis aleam positam esse affirmat, tanquam rem facti, & ab illustrissima Societate regia Anglicana plurimis experimentis confirmatam. Istiusmodi nonnulla ipse in medium adducit, veluti quod globuli Mercurii sese mutuo contingentes uniantur in unum globulum coeuntes; aqua in tubulo, præsertim capillari, ultra libellam ascendat; corpori natanti in fluido, dum detruditur, ut totum submergatur, fluidum sese undiquaque arctissime applicet; gutta fluidi plano vitreo verticali adhærens ascendat, si planum vitrum aliud ad idem ita inclinetur, ut eam tangat. A vi illa elasticitatem quoque & solutionem ac diffusionem salium in aqua deducit. Probat, ignem & aerem elementarem agere in se invicem, hoc est, aerem calore, quæ ignis actio est, rarefieri & ignem excitari & in motum violentum rapi expansione aeris. Vim attractivam cohæsionis esse principium universale quietis, concretionis & fixationis in corporibus, & mutuas ignis atque aeris in se invicem actiones esse principium universale fermentationis, dissolutionis & fluiditatis. Ab hisce principiis pendere ascensum vaporum aliarumque exhalationum in aere, ascensum succi nutritii ex radicibus per truncum in arboribus, aliisque vegetabilibus, circulationem sanguinis in vasis capillaribus arteriarum, transitum lymphæ vel seri per tubulos minutarum glandularum & fibrillas vasculosas ossium, aliaque naturæ phænomena. Vim expansivam seu centrifugam aeris calore rarefacti separare ac dissolvere partes corporum solidorum, & partes fluidorum intime commiscere, ne particulæ eorum heteroge-

neæ

neæ ſeparari queant. Impugnat ſententiam eorum, qui aſcenſum vaporum per principia hydroſtatica explicant.

Pars ſecunda omnium prolixiſſima eſt. Orditur tractationem a ſanguine, cujus ſphærulas rubras ſpecifice graviores probat ſero, in quo natant, conſiſtentes particulis inſita vi attractiva corpuſculari præditis, & majorem caloris gradum recipere ac retinere aptis. Sphærulas autem iſtas *craſſamentum* ſanguinis vocat. Laudat experimenta Cel. *Jurini* in Transact. Anglic. Num. 361, quibus gravitatem ſpecificam ſanguinis, ſeri & aquæ communis determinat ut 1054, 1030 & 1000. Craſſamentum per deſtillationem ab oleo & ſale volatili liberatum eſt juxta eundem ut 1280 ad 1000, in ſtatu naturali ut 1126 ad 1000. Craſſamentum idem eſſe ait conſtantis quantitatis, neque aucta vel diminuta ſecretione per glandulas augeri vel imminui, etſi concedat, quod nutritione augeri queat. Eam eſſe ſanguinis velocitatem, ſi intervallo unius minuti cor 80 vicibus contrahatur, & interea temporis 160 unciæ in aortam propellantur, ut intervallo unius minuti percurrat longitudinem 55 pedum. Quodſi jam velocitas in aorta dicatur a & ratio trunci ad ſummam ſectionum ramorum e, velocitatem poſt primam diviſionem fore ae, poſt ſecundam ae^2, poſt tertiam ae^3 &c. Motum muſculorum tribuit vi elaſticæ intrinſecæ fibrillarum nervoſarum, quæ vulgo transverſæ & ſpirales vocantur, item tendineæ, ſe ipſas contrahentium & reſtituentium adverſus vim diſtendentem ſanguinis. Rejicit ergo hypotheſin ſpirituum animalium vel fluidi nervei, quam intrinſecæ fibrillarum vi elaſticæ, rei facti, contrariari exiſtimat, ac communem doctrinam de motu muſculorum circulationi ſanguinis omnibusque legibus naturæ in œconomia animali repugnare cenſet, qua ſcilicet motus muſculorum per intumeſcentiam fibrillarum fieri ſumitur. Atque adeo vanas pronunciat Geometrarum computationes in hac hypotheſi factas, ſive de motu cordis, ſive de motu muſculorum. Nervos repleri probat liquore oleoſo, albumini ovi non abſimili, ad fibras nervoſas elaſticas humectandas, & lubricas reddendas: a vero igitur aberrare, qui fluido iſti ſub nomine ſpirituum animalium nobilius longe munus vindicant. Pulmones pro muſculo habet, in quo aer idem officium

 obti-

obtinet, quo ſanguis in muſculis ceteris defungitur. Operoſe igitur oſtendit, quomodo actio pulmonis in motum ſanguinis ex corde per eum circulantis influat. Calculo determinat, quantum pondus muſculi intercoſtales ſuperare debeant, dum eorum actione thorax dilatatur. Sanitatem derivat ab æquilibrio inter vim elaſticam fibrillarum nervoſarum in muſculis & impetum ſanguinis refluentis; morbos vero a ſublatione hujus æquilibrii, qua alternans dilatatio & contractio muſculorum irregularis evadit. Explicat varia phæmonena in œconomia animali ab alteratione motus ſanguinis per mutationem iſtius æquilibrii facta pendentia. Poſtquam ſecretiones animales per glandulas factas in genere expoſuit earumque uſum commonſtravit, ad ſecretiones ſpeciales deſcendit: quæ ſingula recenſere prolixum nimis foret. Tribuit autem exemplo modernorum Anglorum ſecretionem cauſis mechanicis, non neglecta vi attractiva particularum fluidi. Continuum ſanguinis tranſitum per vaſa capillaria arterioſa & ſeri per tubulos minutos glandulares medium eſſe cenſet attenuandi ſanguinem & fluida cetera corporis animalis: quem in finem calculum ducit, ut particularum, in quas fit diviſio guttularum ſanguinis, ſubtilitas manifeſtior evadat. Oſtendit deinde ſecretiones expurgatorias, in quarum cenſum refert urinam & perſpirationem ſeu tranſpirationem inſenſibilem, augeri interdiu atque exercitatione & diminui in ſomno ac dum quieſcimus: e contrario ſecretiones lymphaticas augeri in ſomno & quiete corporis, imminui dum vigilamus & exercitatione. Juxta *Jacobi Keillii* experimenta tranſpiratio diurna eſt ad nocturnam ut 3 ad 2. Quantitatem mediam tranſpirationis inſenſibilis intervallo 24 horarum idem determinat 31 unciarum; quantitatem vero mediam urinæ 38 unciarum. Quod ſecretiones lymphaticæ tempore ſomni creſcant, hanc rationem reddit Autor, quod ſanguinis motus, id quod ex pulſu addiſcitur, in ſomno celerior evadit. Proportionem mediam pulſuum vigilantis ad pulſus dormientis conſtituit ut 5 ad 6. Quod urina immediate ex ſtomacho in veſicam transeat, hoc experimento probat. Si ſtomachus dum adhuc calet, ubi cum omnibus abdominis contentis ex animali fuit exemtus, aqua repleatur, eadem in veſicam tranſit. Addit alterum, ſi in

in animali adhuc vivo ureteres ligentur; hoc tamen non obstante liquor stomacho ingestus in vesicam transit. Atque hoc remedium a Deo destinatum esse arbitratur ad præcavendam subitam plethoram a nimio potu oriundam. Cum vascula & ductus excretorii glandularum valde exilia atque tenuia sint, obstructionibus, immoderatis distensionibus, erosionibus & dilacerationibus maxime subjiciuntur. Atque hinc multos morbos derivat Noster, quorum causa hactenus male intellecta Medicis, in nervis eorum sedem perperam quærentibus. Serum sanguinis morbificum fieri existimat vel quantitate, vel qualitate. Utrumque vitium a secretione urinæ atque bilis pendere. Ostendit itaque, quomodo ab obstructione renum & ductuum ex ventriculo in vesicam urinariam nimis augeatur seri quantitas glandulis infesta ac inde oriantur anasarca, ascites, hydrocephale seu hydrops cerebri, lethargus, epilepsia, apoplexia, deliquia spasmodica. Similiter monstrat, quomodo ob vitium glandularum renalium urinæ quantitatem sufficientem sequestrantium in sanguine remaneant salia majora, particulæ terrestres & recrementa alia, ut serum induat qualitatem glandulis ceteris infestam, atque hinc constitutionem scorbuticam, tumores, exulcerationes, luem veneream, tabem deducit. Febrium ortum tribuit obstructioni & diminutioni generali secretionum glandularium, sero scilicet per glandulas sequestrando in sanguine remanente. In specie ostendit, quomodo hinc oriatur calor præternaturalis, inflammatio glandularum, pulsus irregularis, respiratio difficilis, urina parca & sedimentis carens, saliva viscida, &c. Imprimis inde monstrat, in omni febri tres status seu periodos distingui debere. Primam periodum esse generationis, dum calor & rarefactio sanguinis augetur & seri motus per vasa lymphatica magis magisque imminuitur. Secundam periodum esse febris adultæ, dum natura crisin salutarem producere intendit. Tertiam denique esse crisin, ubi sanguis diluitur & percolatur atque serum denuo per vasa lymphatica movetur, stagnans autem, corrupta & putrida critica excretione per sudorem, urinam, alvum &c. ejicitur, qua deficiente homo moritur. Eam esse machinæ animalis structuram, ut plures febres naturæ, quam Medici opera curentur. Explicat deinde intentiones naturæ, in

prima præsertim periodo, dum febris formatur, ut Medicus eidem assistere illasque promovere atque febrem avertere possit, antequam adolescat. Quodsi prima intentio naturæ obtineri non possit, febri adultæ permittendam esse ostendit suam periodum stationariam in præparandis sanguine atque humoribus ad crisin regularem, ne natura a Medico in operatione salutari medicamentis intempestivis turbetur, ut vel mors, vel morbus chronicus ex crisi imperfecta sequatur. Docet simul, quid Medici opera ad crisin promovendam conferre possit, dum natura in sanguine & viscidis humoribus attenuandis & illius rarefactione supprimenda tota occupatur. Quamprimum crisis sese prodit per signa ab Autore distincte enumerata, tum Medicum confugere debere censet ad magnum illud antifebrile corticem peruvianum, quod medicamentum in tertia febris periodo incomparabile prorsus ac divinum prædicat. Ex theoria febrium generali, quam tradidit, infert, omnes febres esse aliquo in gradu putridas, atque crisin naturalem eò tendere, ut materia putrida, seu corrupta, stagnans & morbifica expellatur. A generali febrium theoria ad earum species digreditur. Quoniam itaque, Nostro judice, febris omnis constituitur calore præternaturali & rarefactione sanguinis, dilatatione inflammatoria vasorum sanguiferorum & consequenter compressione & obstructione vasculorum lymphaticorum & glandularium; species febrium is a diversis gradibus & diversa quantitate causarum generalium deducit. Tractatione de febribus absoluta explanat cum naturalem ordinem, tum morbificas irregularitates digestionis. Menstruum in stomacho nullum agnoscit, quo cibi ingesti dissolvantur; principium dissolutionis sufficiens esse arbitratur ignem elementarem atque aerem, quæ duæ substantiæ mixtionem corporum ingrediantur. Ut igitur ignis elementaris atque aer a vinculis liberentur & ad actionem concitentur, non alia re opus esse nisi gradu caloris sufficiente. Primo digestionis actu in ventriculo absoluto alterum succedere in intestino duodeno, dum bile atque succo pancreatico cibis dissolutis admixto partes crassiores, quæ perfectam solutionem non admittunt, a fluidioribus separentur atque præcipitentur, quæ a recrementis purgata chylum constituunt. Bilem præterea impedi-

pedire, ne excrementa in maſſam nimis duram concreſcant, & inteſtina ad eadem exercenda ſtimulare. Irregularitates in concoquendo a vis diſſolventis elementorum expanſivorum vel exceſſu, vel defectu petit. Explicat porro naturalia ſomni phænomena una cum effectibus opii aliorumque ſoporiferorum. Statum vigilantis conſiſtere in diſpoſitione fibrillarum nervearum ad motum undulatorium vi impreſſionis in organa ſenſoria ab objectis externis factæ excitatum; ſtatum contra dormientis in diſpoſitione earundem ad quietem. Fibrillas nerveas ab anima mutari per legem quandam naturæ. Concedit enim, quod experientia conſtat, conſenſum ſeu harmoniam inter impreſſiones in organa ſenſoria factas & perceptiones a Deo ſtabilitam; ſed quomodo ea ſubſiſtat, a nobis comprehendi non poſſe. Phænomenon vero, cujus cauſa ignoratur, naturæ legem appellat. Opio in ſtomacho diſſoluto, ſalia volatilia oleoſa, quibus abundat, per modum effluviorum aſcendere & nervos primum ventriculi, œſophagi & inteſtinorum blanda titillatione afficere, quemadmodum fructus delitioſus nervos guſtatorios afficere ſolet, moxque ceteros omnes in conſenſum trahere. Motum illum undulatorium placidum fibrillarum nervearum creare illam voluptatem, quæ ab uſu opii percipitur, donec is nimium continuatus illam in indolentiam vertat, ut actiones organorum ſenſoriorum ſuſpendantur. Ex hac theoria de modo operandi opii rationem reddit uſus ejusdem laudabilis atque noxii. Explicat denique mechaniſmum paſſionum animi in corpore, in quibus tria diſtinguit, 1) judicium intellectuale de objecto ſub peculiaribus circumſtantiis conſiderato, 2) particulares & determinatas modificationes motus eo mediante fibrillis nerveis motoriis impreſſi, 3) peculiares modificationes voluptatis atque tædii in mente eodem tempore excitatorum. Omnes paſſiones oriri ait a generali felicitatis deſiderio, quod elateris vice in anima fungitur. Ei tribuit, quod judicia mentis de objectis comitetur voluptas & tædium: voluptati vero & tædio convenienter motum imprimi ſtatuit undulatorium fibrillis nerveis motoriis. Ex his principiis colligit, quæ ad uſum medicum faciunt.

Pars tertia mole exigua ſex propoſitionibus conſtat, quibus

 pri-

primariæ intentiones medicinæ in curandis morbis proponuntur *Prop.* 1 morbificas constitutiones explanat, quatenus a sanguine pendent. Sanguinem variari quantitate, velocitate, fluxilitate, densitate, solubilitate & directione. In singulis notari excessum pariter atque defectum. Utrumque esse sanitati inimicum. *Prop.* 2 docet, quomodo sanguis refrigeretur, diluatur & attenuetur; *Prop.* 3, quomodo æquilibrium sanguinis circulantis, & *Prop.* 4 quomodo conveniens proportio inter crassamentum & serum sanguinis conservetur; *Prop.* 5, quomodo tonus elasticus fibrillarum nervearum, & *Prop.* 6, quomodo naturalis evacuatio seu secretio urinæ promoveatur & custodiatur. Quantitas sanguinis ex nimia repletione & depletione vasorum agnoscitur; excessus vel defectus velocitatis ex variato pulsu, quem in statu sanitatis eum esse monet, ut numerus pulsationum in vigilantibus intervallo unius minuti inter 70 & 80, in dormientibus inter 80 & 96 ordinarie contineatur. Observat autem, oppido falli, qui de velocitate sanguinis ex solo numero pulsuum judicant: demonstrat enim habendam quoque esse rationem impetus, quo sanguis fertur. Visciditatem & tenacitatem atque crassitiem sanguinis ex languore motus; nimiam fluxilitatem ex hujus rapiditate colligi; densitatem vero & raritatem ex diversis caloris gradibus. Proportionem naturalem inter serum & crassamentum esse proportionem æqualitatis: solubilitatem consistere in eo, quod serum a crassamento facile discedat. Directionem sanguinis versus easdem corporis partes non semper manere eandem, sed variari, ita ut nunc major, nunc minor quantitas sanguinis eundem in locum propellatur. Ad sanguinem temperandum, attenuandum & diluendum temperantiæ atque exercitationis indispensabilem usum commendat, una cum aqua (remedio omnium excellentissimo ad sanitatem conservandam) matutino tempore a stomacho jejuno haurienda, vel infuso theæ viridis, pulmento ex farina & aqua parato, haustu vini proxime ante prandium. Remediis præservativis jungit media curandi, inter quæ Mercurio primas defert, quo præstantius remedium ac præsentius expectari nequeat, modo in dosi non peccetur, ita ut specificum adversus obstructiones glandulares censeri debeat. Vix verba reperire licet Autori, quibus in eo ex-

extollendo utatur. Effectus Mercurii promoveri & diversimode determinari usu simplicium sequentium, Guajaci, radicis Valerianæ sylvestris, hellebori nigri & rhebarbari, imprimis vero serpentariæ Virginianæ atque croci, quamvis in Guajaco & Valeriana sylvestri specificum quid agnoscat. Provocat ad experientiam, cujus fide hæc asseverat. Reddit tamen rationem, cur Mercurii nullus sit in febribus usus, qui adeo præstans deprehenditur in obstructionibus glandularum chronicis. Ad æquilibrium circulationis sanguinis custodiendum laudat serpentariam Virginianam & crocum una cum opio; ad sanguinem deprimendum testacea, sal prunellæ, rhabarbarum & omnes liquores refrigerantes, ac simul diluentes, nec non acida varii generis, veluti succum limoniorum, spiritum sulphuris &c. & poma aciditatem palato gratam & oleositatis quidpiam habentia. Ut proportio conveniens inter serum & crassamentum recuperetur, vitam sobriam prædicat & remediis sanguinem diluentibus jungit lac atque poma, quorum usum matutino tempore præcipit, quod sanguini diluendo maxime accommodata censet. Diuretica denique diversa præscribit pro diversa subjectorum conditione. Si intemperantia mali debellandi origo, aquam, infusum theæ viridis, poma, lac cum pomis tempore matutino; si constitutio fuerit frigida & languida, infusiones raphani, sinapis &c. asellos seu millepedes & aliquot guttas balsami capivi; si in glandulis urinariis hæreat materia sabulosa, cantharides, dosi quinque grana non excedente; si eædem scorbuto laborent atque dilaceratæ fuerint & erosæ, mercurialia; in hydrope denique aqua per vesicatoria detracta (id quod hoc modo brevi tempore obtinetur) diuretica communia magni facit; purgantia vero ad aquam evacuandam adhibita damnat.

JOHANNES DE GORTER DE SECRETIOne humorum e sanguine, cui accessit ejusdem Oratio de dirigendo studio in Medicinæ Praxi.

Lugduni Batav. apud Jansonios van der Aa, 1727, 4.

Plag. 15.

Quan-

QUanquam haud pauci jamdum proſtent libri, quibus, quo-
modo Secretio animalis in corpore humano abſolvatur,
explanare ſategerunt Medici; ſupereſſe tamen quamplurima ex-
iſtimavit Autor clariſſimus, quæ prioribus vel illuſtrandis inſervi-
re vel tanquam recens inventa addi poſſint. Quamobrem & ipſe
manum admovit operi, præſentemque conſcripſit Tractatum, in
quo ex ſolidorum fabrica præcipue & humorum indole functio-
nem hanc explicari poſſe demonſtrat. In duas eundem partes di-
viſit, quarum prior ſingularia tanquam data continet, ex quibus in
poſteriore ipſæ ſecretiones explicandæ veniant. In Parte igitur
priore ad ſecretionis cognitionem requiri dicit examen non mi-
nus fluidorum quam ſolidorum. Inter fluida indagat partim in
proprietates ſanguinis cum aliis liquoribus communes, quales de-
teguntur vel inter liquores ipſos, vel inter ſolida & fluida, vel in
fluidis per vaſa motis; partim in ſpecificas ejusdem qualitates,
quales ſunt, quod ſanguis ſecretionibus ſit aptus, quod conſtet par-
tibus variæ magnitudinis, quod particulas per microſcopium exhi-
beat ſphæricas, quod ſtagnans ubique concreſcat, quod mediante
circulatione in fluore conſervetur, quod motu accelerato pariter
ac retardato condenſetur, quod calore nimio & frigore concre-
ſcat, quod quoad partem rubram in arteriis, venis & cellulis in-
termediis tantum circuletur, quod in corde exacte miſtus variis
conſtet particulis, omnesque poſſideat liquores vel eorum mate-
riam, & quod omnes humores corrumpantur ſtagnantes, quo-
rum quilibet pro ſua natura aliam exhibeat corruptelæ ſpeciem.
Solida dum explicat, ſequentia ſuppeditat data: Vaſorum per-
pendiculares ſectiones ad axin ſunt circulares; orificia vaſorum
multum differunt amplitudine; quadrata diametrorum ramo-
rum ſuperant quadratum diametri trunci; vaſa circulatoria ſem-
per premunt contentum, & curſus arteriarum varius eſt ad diver-
ſa organa. In parte poſteriori ſanguinem ubique fere ejusdem
eſſe indolis & ad minutiſſima vaſa ſecretoria preſſione cordis a
tergo urgente, compreſſione continua vaſorum & partium cir-
cumjacentium, motu vermiculari vaſculorum & eorum propria
recipiendi potentia duci docet. Cauſas ſecretionum dum rima-
tur, univerſalem coadunationem ſpontaneam partium ſimilium
&

& a reliqua massa secessionem eas esse pronunciat; inter particulares vero cohæsionem partium firmiorem aut debiliorem cum solidis, proportionem ac magnitudinem globulorum ad orificia, vehiculi majorem & minorem quantitatem, variam velocitatem sanguinis in organo & peculiarem vasorum distributionem laudat. Hinc speciales secretiones exponit, demonstrans, partes majores posse separari relictis minoribus, & vicissim, tenaciores & glutinosiores relicto fluidiore, mobilissimas, levissimas & fluidiores relictis aliis, atque ex harum causarum combinatione quomodo spiritus, bilis, urina, semen, pinguedo, mucilago, ac morbosi malignique humores secernantur, & evacuentur, exponit; inde deducit, mutata causarum aliqua, ipsam secretionem mutari, idque quomodo fiat aucta vel imminuta sanguinis velocitate, mutata cohæsione naturali, magnitudine globulorum, amplitudine orificiorum, vehiculi quantitate, aut gravitate partium, seorsim explicat. Tandem quid secretione peracta humoribus secretis accidat, exponit, dum crassus liquor tenuis, glutinosus fluidus, fieri possunt, & contra. Speciminis loco, qua ratione Autor bilis secretionem explicet, brevibus trademus. "Bilis, inquit, præcipua virtus in saponacea natura consita est, constante ex oleo & " sale alcalino volatili; utraque hæc principia in sanguine haben- " tur hepar ingressuro: funditur ex omento oleum pingue in ve- " nam portarum, & sanguis continet salem alcalinum volatilem " hic magis quam alibi, quod stagnatione quasi in lienis cavernulis " & ipso venæ portarum trunco levem acquirat putredinem, salem " alcalinum volatilem producentem. Habetur ergo materia bilis " in sanguine jecur ingressuro, & forsan bilis quoque ipsa per vasa " mesaraica ex intestinis huc deducitur; opus est ergo tantum or- " ganum separans salem volatilem & oleosum ex sanguine, & ea " denuo commiscens. Hinc non absurdum est statuere duplicem " secretionem in hepate, alteram ope glandularum exilissimarum " per ejus substantiam dispersarum, alteram per extremitates ra- " morum venæ portarum. Qui secreti liquores confusi in ductu " cholidocho ipsam exhibent bilem, qualis conspicitur. Intelligi- " tur ex his, quare quoque in alia corporis parte non separetur " bilis; quod præsto non habeatur materia, deficiat tale organum "

" separans & confundens, atque motus ita retardatus, ut est in ve-
" na portarum." In annexa oratione Clar. Autor methodum Tabulas pro disciplina Medica concinnandi tradit.

THE RELIGION OF JESUS DELINEATED.

i. e.

RELIGIO JESU CHRISTI SERVATORIS delineata.

Londini, apud Jo. Clark & R. Hett, 1726, 4.

Alph. 1.

Ansam huic libro præbuit tractatus superiori Anno M. Aug. p. 339, (ubi p. 349 hujus quoque mentionem fecimus) a nobis recensitus, de Religione naturæ a Cl. *Wollastono* editus, quem noster Autor excellentissimum vocat; dolet autem, quod ille non simul religionem divinitus revelatam delineaverit & hac ratione mirificam prorsus harmoniam ac convenientiam hujus cum dictatis rationis ac religionis naturalis exposuerit, vel quod non ad minimum rationalem suum Philosophum paulo propius ad religionem Jesu Christi Servatoris nostri manuduxerit. Hinc statim in præfatione satis prolixe demonstrat, quam manca, mutila atque imperfecta sit omnis religio naturalis, nisi revelatio divinitus facta accesserit, quæ nos viam docet, qua ad Deum pervenire, cum eo reconciliari ac veniam peccatorum consequi valeamus. Etenim nisi de hoc nobis certo constet, Deum homini peccata, quibus iram ejus provocavit, gratiose condonare velle, de omni fere religione actum fore Autor judicat. Inter alia reprehendit Cl. *Wollastonum*, quod religionem stabilire voluerit antecedenter ad considerationem existentiæ Dei, cum discrimen inter bonum & malum morale in natura fundatum esse dicat, & huic distinctioni religionem naturalem immediate superstruat. Hanc autem reprehensionem, si nostram sententiam aperire licitum fuerit, nullo niti fundamento persuasi sumus. Recte omnino Cl. *Wollastonus* discrimen boni & mali atque officia hominis erga Deum, se ipsum & alios in ipsa humana natura rationali fundata esse censet: nec propterea ipsi imputari potest, quasi religionem stabilire voluerit ante-

antecedenter ad considerationem existentiæ divinæ, quandoquidem mentem suam super hac re satis declaravit, dum disertis verbis affirmat, istas leges in ipsa natura hominis rationali fundatas non aliunde originem trahere, quam ab Autore naturæ, nimirum Deo, qui cum summe bonus sit & ab ipso nihil mali proficisci queat, postquam creaturas rationales condere decrevit, non potuit non easdem condere bonas i. e. sui similes, sapientes, justas & sanctas, quæ cum sint creatæ, vi naturæ necessario pendere debent a Creatore suo, eundem supra omnia colere, eidemque obedientiam præstare; absque hoc si foret, creaturæ forent independentes, id quod manifestam involvit contradictionem, & hæc independentiæ affectatio ab angelis lapsis, & hominibus ab illis ad hoc scelus inductis facta, fuit primum peccatum, apostasia, origo omnium malorum ac horribilis confusionis, quæ post lapsum universum terrarum orbem inundavit. Ergo Deus autor naturæ leges, quæ ex ipsa rerum natura, nimirum tum Dei ipsius, tum creaturæ rationalis, a Deo ad certum finem conditæ, pendent, necessario præcipit, & hæc est genuina ratio, cur dicantur leges naturæ, quæ, uti omnes concedunt, sunt immutabiles, quibus contraria ne Deus quidem præcipere potest, cum alias semet ipsum abnegaturus esset, id quod nunquam fieri posse in aprico positum est. Et hoc ipso leges naturales contradistinguuntur legibus positivis, quæ ita sunt comparatæ, ut cum natura neque Dei, neque creaturæ rationalis necessarium habeant nexum, ideoque mutari & abrogari possint. Unde Cl. *Wollastonus* fundamentum officiorum hominis erga Deum, se ipsum & alios, sive religionis naturalis, tantopere a multis recentioribus neglectum, in ipsa natura rerum quam optime constituit, quod ipse Autor tandem agnoscere & *Wollastonum* a facta imputatione liberare videtur. Cum vero hoc extra controversiæ aleam positum sit, religionem naturalem esse valde imperfectam: Autor in præsenti tractatu excellentiam summamque Christianæ religionis perfectionem egregie demonstrat, id quod præstat Sectionibus XXXII, in quas librum dispescit, ex quibus nonnullas, cum omnes recensere velle nimis longum foret, speciminis loco perlustraturi sumus. Sect. I, II, III ostendit, Christianam religionem longe optimam ac tum Dei, tum ho- p. 9

minis, tum relationis inter utrumque intercedentis ac obligationis hominis erga Deum exinde necessario resultantis cognitionem nobis suppeditare, ubi probat, hominem a Deo creatum esse innocentem ac beatum. Etenim non conveniebat creatori hominem formare cum aversione erga ipsum. Hoc maxime monstrosum fuisset, si creatura rationalis a Deo recens producta odio innato erga creatorem suum optimum maximum prædita fuisset. Quomodo quæso homo ex manibus creatoris prodiens, cum mente sana atque integra instructus esset, oculos aperire poterat, quin immeritum favorem atque munificentiam creatoris sui obstupesceret? Puro corde præditus, necessario amore complectebatur eum, qui summo amore dignus est tum propter se ipsum, tum propter maxima beneficia, quibus hominem sibi obstrinxerat. Optimo jure dici potest, cum creator omnia opera, quæcunque fecerat, perlustraret, singula fuisse admodum bona tum in se ipsis, tum in ordine ac harmonia inter se, tum in convenientia cum sapientia ac voluntate Dei. Hinc etiam hominem creaturam excellentissimam oportebat esse valde bonam suo loco ac ordine.

Deus condidit hominem ישר i. e. rectum, quin etiam omni felicitatis copia affluentem. Sed heu quantum mutatus ab illo! postquam fallaciis Satanæ misere deceptus, a Deo creatore suo optimo maximo turpissime defecit, ejusque legem & autoritatem divinam proterve violavit. Hoc ipso natura hominis a Deo aversa & propterea quoque miserandum in modum corrupta fuit, & hanc naturam penitus depravatam per naturalem generationem ad omnes posteros suos propagat: nam quod ex carne natum est, caro est, *Joh. III, 6,* natura rei non aliter fert. Qualis causa, talis est effectus, tetra arbor fructus malos edit & homo corruptus gignit hominem sui similem. Quis enim dabit mundum ex immundo conceptum semine? *Job. XIV v. 4.* Hæc est vera origo mali moralis. Hinc mundus factus est atheus, ita ut, quamvis cœli enarrent gloriam Dei, opusque ejus manuum ostendat æther, corrupti tamen homines sint promti paratique ad Deum abnegandum. Insipiens dixit in corde suo, non est Deus, *Ps. XIV, 1,* & quamvis naturali sensu ac interna perceptione in opere conscientiæ potissimum se exserente, ubi discrimen honestorum ac turpium lucet in men-

Sect. IV.

mente humana, de existentia Dei satis convincantur homines, nam τὸ γνωςὸν τȣ̃ Θεȣ̃ φανερὸν ἐν αὐτοῖς, *Rom. I, 19*, optant tamen, ut nullus existat Deus. Quæ autem homines volunt, ea libenter credunt, quasi existentia rerum ex ipsorum votis & affirmatione vel negatione penderet, quo sane nihil stultius cogitari potest. Nec solum ratione intellectus homo post lapsum corruptus est, unde ceu ex scaturigine errores, hæreses, opiniones paradoxæ, monstrosæ, stolidæ, quas sæpe in deliciis habent, & commenta, quæ ipsis mirifice placent, dimanant, sed etiam ratione voluntatis depravatus & ad omnia mala proclivis est, unde tot horrenda vitia instar diluvii orbem terrarum inundarunt, imprimis injustitia, crudelitas, fraudes, fallaciæ, imposturæ, lites undiquaque late regnant, imo dementia eo processit, ut sint, qui Philosophi videri volunt, alto supercilio reliquos præ se contemnentes, qui statum naturæ statum belli esse docent, quod equidem concedi potest de statu corruptæ naturæ, vi cujus principia amoris & justitiæ sunt extincta: ast vero jus naturæ principiis naturæ corruptæ superstruere velle, admodum ἄσοφὸν esse, quis non videt? cum potius scintillæ ac semina veræ virtutis, justitiæ omniumque rerum honestarum, qualia animos adhuc gerere, ethnici Philosophi agnoverunt & quæ in Theologia reliquiæ imaginis divinæ appellantur, admonitione & doctrina sint excitanda: non aliter quam scintilla flatu levi adjuta ignem suum explicat. Porro homines corrupti semet ipsos destruunt, in propria sæviunt viscera, nec aliter se gerunt, ac si odio Vatiniano semet ipsos prosequerentur. Destruunt tum animam tum corpus suum. Improbi sunt suæ ipsorum vitæ hostes, *Tob. XII, 10.* Profecto peccatum est proximus ad miseriam aditus, atque illi infelicissimi sint necesse est, qui scaturiginem veræ felicitatis nimirum Dei favorem & gratiam susque deque habent, & e contrario justam Dei vindictam sibimet ipsis arcessunt; & quomodo isti tranquillo esse queant animo, qui contra lucem mentis suæ agunt & conscientiam atrocissime vulnerant? Cum igitur res hominis naturalis & irregeniti in statu versentur longe miserrimo: religio Christiana hominem vocat ad meliorem mentem, nimirum vocat eum ad Deum, a quo descivit, vocat ad alios, quorum nullo tenetur amore, vocat ad se ipsum, ut pro-

priæ salutis rationem habeat. Fundamentum hujus reditus ad Deum, ad religionem, ad saniorem mentem est vera pœnitentia, ad quam Christiana religio homines imprimis excitat. Quæ pœnitentia non est subitanea formido vel dolor, ægritudo aut pudor, sed est integra mutatio animi humani omniumque affectuum & inclinationum, ita ut revera sit reditus animi ad Deum, in quo maximum dolorem de peccato simulque horrorem ac detestationem ejusdem persentiscit. Quomodo autem peccator justam Dei iram effugere & gratiam ac veniam peccatorum consequi valeat, sola religio Christiana nos docet, quæ manifestat insignem amorem, quo Deus genus humanum sub potestatem diaboli, mortis ac inferni redactum prosecutus est, dum non tantum homines hac summa miseria liberare, verum etiam æternam salutem ac ineffabilem gloriam ipsis conferre decrevit, & arduum hoc redemtionis opus unigenito suo Filio splendori gloriæ & characteri personæ suæ commisit, qui peccata omnium hominum expiaret, læsæ justitiæ divinæ perfectissima sua obedientia, passione ac morte faceret satis & hac ratione hominibus cum Deo reconciliatis amissam æternam felicitatem recuperaret. Hoc Evangelium, rejectis infidelibus Judæis, Deus universis gentibus annuntiandum curavit, quin etiam stupendis miraculis, cum Ecclesia adhuc plantanda esset, hanc doctrinam confirmavit, quæ Ecclesia plantata cessarunt, cum ipsa Evangelii propagatio per universum terrarum orbem, nequicquam contra nitente summa vi ac horrendis crudelissimisque persecutionibus, diabolo ac toto mundo, rem recte secum reputantibus instar maximi esse queat miraculi. Omnes igitur qui resipiscunt, qui ex tenebris in lucem, & ex satanæ potestate ad Deum se convertunt, ac Christum Salvatorem mundi vera amplectuntur fide, gratiam Dei omniumque peccatorum veniam, imo spem gloriæ ineffabilis ac regni cœlestis longe certissimam impetrant. Fides autem purificat corda, ut veri Christiani jam non amplius serviant peccatis & pravis cupiditatibus, sed ex regno tenebrarum in regnum lucis translati justitiæ & sanctitati pro virili studeant. Hinc Autor excellentiam doctrinæ, quam religio Christiana affert, prolixe demonstrat, utpote quæ mentem humanam instauret & ad similitudinem cum Deo, ad quam homo primo conditus erat, perducat, quin etiam novas suppeditet vires iis, qui obla-

(Margin notes: "Sect. V." beside "ejusdem persentiscit"; "Sect. VI sqq." beside "studeant. Hinc Autor")

oblatam gratiam non malitiose aspernantur: quandoquidem credentes spiritum Domini Jesu accipiunt, qui eos a dominio peccati liberat ac renovat ad vitæ & obedientiæ Deo præstandæ novitatem. Sola igitur religio Christiana nos docet, quomodo veram virtutem consequi valeamus. Pauci inter Philosophos agnoverunt, virum bonum veraque virtute præditum fieri beneficio divini afflatus vel instinctus cœlestis, sed qua via hujusmodi vires cœlestes acquiramus, penitus ignorarunt. Plerique autem viribus naturalibus hic omnia tribuunt, & tota ipsorum Ethica Pelagianismum & vanam ambitionem, ad quam omnes ipsorum virtutes ac splendida, egregia, magna & memorabilia facinora ab ipsis patrata referuntur, mirum in modum promovet. Sed Christiana religio præcipit quidem undiquaque, quoties occasio suppeditata fuerit, bene ac laudabiliter agere, vetat autem hominem in actionibus suis semet ipsum, suam gloriam ac utilitatem pro ultimo scopo habere: nam qui non ob aliam causam bene agunt, quam ut gloriam reportent & collaudentur ab hominibus, iis nullam aliam mercedem expectandam esse, Salvator noster disertis verbis affirmat. Christiana igitur religio corruptam philavtiam scaturiginem omnium peccatorum ac scelerum radicitus extrahit, dum Deum supra omnia diligere ejusque gloriam totius vitæ nostræ ac omnium actionum ultimum finem esse jubet. Prima causa & supremus autor omnium rerum ab unoquoque, cum viginti quatuor senioribus coronas suas ante thronum Dei deponentibus, *Apoc. IV, 10, 11*, debet agnosci & prædicari ut dignus, qui gloriam & honorem & potestatem accipiat, quoniam omnia condidit, eaque ipsius voluntate & sunt & condita sunt. In quo vivimus, sumus ac movemur, ei ejusdemque gloriæ vitam nostram omnesque actiones consecrare tenemur. Tandem quoque Autor ostendit, Christianam religionem jam in hac vita cum Deo nos arctissime conjungere, & veram animi tranquillitatem, pacem & salutem tum singulorum hominum tum integrarum societatum ac rerumpubl. mirum in modum stabilire, promovere ac conservare, contra quasvis calamitates in hac vita incidentes, insultus item diaboli ac reliquorum hostium, metum denique ac horrorem mortis quam optima consilia, remedia & arma nobis suppeditare.

Sect. XII sq.

Sect. XVI.

Sect. XVII sqq.

VESPE-

VESPERÆ VADENSES, SIVE DIATRIBÆ Theologico-philologicæ de hyperbolis ex Scriptura sacra eliminandis, Autore DANIELE GERDESIO, *S. Theol. D. & Prof. in Acad. Duisburgensi.*

Trajecti ad Rhenum, apud Gysbartum a Paddenburg, 1727, 4. Alph. 1 pl. 4.

MAxime Reverendus Autor, in Procemio supponens, nullam inesse in stylo Scripturæ sacræ imperfectionem, laudatis iis, qui nuper singularibus libellis e sacro Codice ejicere sunt annisi vel enallagas, vel hypallagas, vel synchyses, vel pleonasmos; horum se exemplo incitatum esse fatetur ad hyperbolas e Scriptura sacra proscribendas & eliminandas, nec pronuntiare veretur, *parum a blasphemia abesse, saltim injurios esse in Deum, S. Scriptura Autorem*, qui *hyperbolas* ei Codici adscribant. Tribus *Dia-*
p. 6. *tribis* suam expositurus mentem, *prima* Sectione priore naturam considerat & indolem hyperbolarum. Productis rhetorum definitionibus ex omni ævo, tandem concludit, hyperbolen esse monstrum quoddam tropi, consistereque in levi & vafro menda-
14. cio. Posteriori *Sectione* fassus, Theologos plerosque omnes adhuc tribuisse sacro Codici hyperbolas, veteres, novos, e quibus multa loca adducit in medium; quatuor duntaxat sacri ordinis viros occurrisse sibi ait, qui ejectam hanc figuram voluerint e libris θεοπνεύςοις, Lampium, Pareum, Meisnerum, Lœscherum. His assentiens, ideo sacræ Scripturæ negat tribui debere hyperbolas, quia & sint mendacia falsitatesque, & proficisci soleant a levitate vel stolida arrogantia. Addit, nulli sacri codicis parti convenire hyperbolas, neque divinis promissionibus, neque prophetiis, neque doctrinis, neque historiis, neque præceptis moralibus. In his enim singulis regnare debere veritatem maxime sinceram. Hinc, quæ a patronis hyperbolarum pro sua causa dici consueverunt, profert e Flacio, Glassio, Amesio, aliisque. Ceterum cum vulgo dicatur, rerum adesse testimonia, hoc est, sacro in codice omnium oculis expositas esse fere innumeras hyperbolas, hoc quidem telum ut antagonistis e manibus extorqueat, singula loca,

quæ

quæ vel objiciuntur vel objici possunt, ab hyperbole liberare aggreditur. Id quo melius succedat, *Diatriba secunda* præmittit canones hermeneuticos, ad hyperbolas e S. Scriptura proscribendas accommodatos. Canones hi huc redeunt: stylum Orientis vehementer distare a nostro, indeque sæpius esse videri hyperbolam, ubi nulla sit; proverbiales locutiones non esse habendas pro hyperbolicis, e. g. cum quis *cedrum* vel *quercum proceritate æquare* dicitur; in ritibus Biblicis quædam videri hyperbolica, non esse; vocabula universalitatem significantia non debere explicari per hyperbolen, e. g. cum *Actor. II, 5* affuisse dicuntur Judæi ex omni natione, quæ sub cœlo est; non oportere vocari hyperbolen, cum id, quod rarissime fit, fieri posse negatur; dictiones Prophetarum, quæ videantur hyperbolicæ, explicandas esse per accuratam emblematicarum locutionum expositionem, e. g. cum *montes* dicuntur *mustum stillaturi*; ex versionibus non fingi debere hyperbolas; in parabolis non statui debere hyperbolas; cetera. *Diatriba tertia* explicantur singula loca, quibus inesse hyperbole vulgo creditur, eo consilio, ut appareat, in nullo eorum locorum hyperbolen vere reperiri. Ex his locis, quorum primus est *Genes. VI, 5*, ultimus *Eccles. Salom. XII, 6*, (nam alteram hujus Operis partem, loca Novi Testamenti complexuram, propediem ab se editum iri, in Dedicatione Cl. Autor pollicetur,) aliquot pro specimine adducemus, & eos quidem, qui adhuc jure maximo referri visi sunt inter exempla dictionis hyperbolicæ. *Genes. XIII, 26*, & *XV, 5*, Deus promittit semen Abrahami fore numero par stellis ac pulveri terræ. Hic Noster superioris sui Canonis memor respondet, dictionem hanc esse proverbialem, adeoque minime hyperbolicam. *Genes. XIX, 4* dicitur universus populus confluxisse ad domum Lothi. Hæc verba Cl. Autor propriissime capi censet. *Genes. XLIX, 11* hanc phrasin: *lavat in vino vestimentum suum*, negat esse hyperbolicam, cum sit illustranda ex Theologia emblematica. *Exod. III, 8* hanc dictionem considerat: *regio lacte fluens & melle*. Nec hanc esse hyperbolen concedit, summam docens regionis illius fœcunditatem significari, quæ ob pascuorum & florum abundantiam alat ingentes pecorum copias, & innumera foveat apum examina. *Exodi X, 21*

p. 27.

76.

 tene-

tenebræ dicuntur adeo densæ fuisse, ut palpari possent. Id verò Vir doctissimus proprio capi sensu debere judicat. Aer scilicet adeo condensatus fuit, ut palpari posset. Ex his facile est judicium de ceteris, quæ brevitatis nostræ rationem habentes omittimus: id non dissimulantes, hac occasione Cl. Autorem doctissimas multas annotationes proferre ad loca sacri Codicis obscuriora, e. g. ad *1 Sam.XIII, 5*, ubi Philistæi dicuntur contra Israelitas eduxisse in pugnam triginta millia curruum; ad *2 Sam.XIV, 26*, de pondere capillorum Absolonis; ad *1 Regum X, 1 sqq.* de Regina ad Salomonem profecta, quam historiam hyperbolarum esse refertissimam, censuerat Cl. Jo. Clericus; ad *Jobi XL, 12 sqq.* & *XLI, 9 sqq.* de ceto & Leviathane, ubi mira narrantur; ad *Eccles. VII, 16*, ubi hoc præceptum datur: *Ne sis nimium justus.*

FORTUITA SACRA: QUIBUS SUBJICItur Commentarius de cymbalis.

Roterodami, apud Jo. Hofhout, 1727, 8.

Alph. 1 pl. 2½.

NOn ipsemet Autor, sed alius editor præmisit Præfationem, in qua docet, eum esse virum genere illustrem & munere senatorio ornatum. Addit, hoc opusculum esse *merum Specimen ex magno thesauro* eruditissimi Autoris: unde sperare licet, reliqua item hujus generis esse aliquando prodituta in lucem publicam. Apparet præterea ex p. 18, 55, 57, & aliunde, Autorem esse natione Anglum.

Interpretatio hic exhibetur undeviginti Novi Testamenti locorum, quorum obscuritatem prodit mirificus Theologorum dissensus. Ubique lux affertur vel ex Judæorum antiquitatibus vel ex Græcis prisci ævi scriptoribus, & magna elucet cum eruditio Autoris, tum modestia. Nos ordine sacra loca, quibus hic interpretatio adhibetur, recensebimus, &, quantum per brevitatem nostram licet, Illustris Autoris sensa proferemus. I. Ad *Matth. VI*, 7, de *βαττολογίᾳ* pauca differit, ac, Judæos non minus, quam ethnicos, miras habuisse in precationibus suis *συνωνυμίας*, docet. II. Idem argumentum persequitur ad ejusdem capitis versum non num-

num. III. Quid *Matth. VI, 16* significet ἀφανίζειν, quærit, atque ista verba hunc in modum vult reddita: *squalore ultro arcessito faciem permutant*. IV. Ad ejusdem capitis *v. 17* ostendit, Christum non præcipere, ut solito hilariores nos præbeamus in jejuniis, sed ut more solito nos componamus & ornemus, nec in consuetæ vitæ ratione quicquam mutemus. V. *Matth. VIII, 28* dictos *Gergesenos* cur Lucas & Marcus *Gadarenos* appellent, dispiciens, arbitratur, *Gergesam* & *Gadaram* fuisse unius ejusdemque urbis nomina. VI. De Herodianis diu multumque disputat, eosque innui contendit, qui Romanis æque, ac Herodes Rex, libenter pendebant tributa, recteque & sine crimine id fieri statuebant. Unde eos cum Pharisæis, antagonistis suis, accessisse ad Christum, quærentes ex ipso, darine Cæsari censum oporteat nec ne, ac exspectasse, utrum Christus Herodianis sit assensurus tributa solvenda censentibus, an Pharisæis, id vero nefas esse, docentibus. Hac occasione etiam sententiam dicit suam de *Herodis diebus*, Persio *Sat. V* memoratis. VII. *Marci VII, 9* intuens, de Misna disserit & ejus permagna in Novo Test. explicando utilitate, cum Misna, sexaginta fere post Christi ex hoc orbe discessum scripta, leges complectatur ritusque Judaicos tempore Christi usitatos. VIII. *Lucæ I, 3* diligenter potiores voces interpretatur, significarique docet accuratissimam rerum gestarum pertractationem. IX. Quid sit *Joan. I, 16*, χάριν ἀντὶ χάριτος, cum expendit, miratur, quosdam id ita interpretari, datam nobis esse pro gratia legis gratiam Evangelii. Ipse gratiam putat significari gratiæ subinde succedentem, adeoque assiduam divinorum beneficiorum accumulationem, similes adducens dictiones e præstantissimis Græciæ scriptoribus. X. *Actor. XVIII, 23 ignotum* Atheniensium *Deum* perdocte illustrat, itemque XI. plures versus Capitis XIX, nempe *v. 24* & sequentes. XII. Longa exhibetur & a Præfationis scriptore præcipue laudata Dissertatio ad *1 Corinth. XV, 29*. Versionem ejus hanc producit: *Præterea quid illi profecerint, qui baptizantur in locum mortuorum? si mortui plane non resurgunt, quorsum in locum mortuorum baptizantur?* hoc est, *si mortui non resurgunt, cur in eorum fidelium locum, qui jam fato functi sunt, alios atque alios baptizamus? cur propagatur inter nos baptismi ritus?*

tus? cur continua serie apud nos repetitur baptismus? XIII. *2 Corinth. II, 16* hæc verba: καὶ πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός; interpretem secutus vulgatum sic reddit: *quis æque idoneus, ac nos?* censetque, e Græco textu excidisse voculam οὕτως. XIV. Ejusdem loci *versu 17* καπηλεύοντας reddit non *cauponantes*, sed *adulterantes*, more scilicet cauponum vina vitiantium. XV. *Phil. II, 6, 7, 8* copiose illustrat, per μορφὴν Θεοῦ intelligens gloriosam Dei majestatem, quæ τῇ μορφῇ δούλου opposita doceat, Christum & verum Deum & verum hominem esse. Ὀυχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο hoc ipsi significat: *Non putavit injustum esse, sibi si vindicaret cum Deo æqualitatem, quippe quam suam esse noverat.* Εἶναι ἴσα Θεῷ significare judicat *esse æqualem Deo*, ut ἴσα more Græcorum ponatur adverbii loco. XVI. *Tit. III, 8* Paulus Christianos jubet καλῶν ἔργων προΐστασθαι. Hujus vocis veram notionem a nullo fere perspectam esse ratus, ostendit e luculentis veterum locis, προΐστασθαι significare *tueri ac defensitare*, atque hunc esse Pauli sensum existimat: *Cum statuamus & doceamus, sola Dei gratia nos haberi justos, & adversarii hinc arripiant calumniandi occasionem, quasi opera bona floccipendamus, scitote, patrocinio suo quemque bona opera adjuvare debere, eorum defensionem suscipere, ea extollere & necessaria esse constanter prædicare, atque hoc pacto objectum nobis crimen diluere, quasi, cum sola fide nos justificari dicamus, nihil ad nos pertinere statuamus bona opera.* XVII. Ejusdem capitis *v. 10 & 11* sic interpretatur: *hominem hæreticum post unam alteramque admonitionem devita, sciens, eum e via excidisse, prudentem scientemque peccare, atque adeo se ipsum, dum veritati resistat, tacite damnare.* Per *hæreticum* vero hic loci dici putat non quemvis heterodoxum, sed hominem contentiosum, qui commodi sui causa ea defendat, quæ falsa esse haud ignoret. XVIII. *Hebr. I, 13*, quid sit, *sedere ad dextram Dei*, quærens, idem esse censet, quod *regnare cum Deo*, similiaque profanorum scriptorum loca adducit illustratque. Denique XIX fatetur, se verba magis δυσνόητα nulla reperisse in sacro Codice, quam ea, quæ leguntur *Jacobi IV, 5*. Ipse nova ratione interpungit Jacobi verba: Ἢ δοκεῖτε, ὅτι κενῶς ἡ γραφὴ λέγει πρὸς φθόνον; Ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα, ὃ κατῴκησεν ἐν ὑμῖν. μείζονα

δὲ

δὲ δίδωσι χάριν, hoc eſt, *an putatis, ſine cauſa hæc dicere Scripturas per invidiam? Abſit. Spiritus ille, qui & has condidit, idemque in nobis habitat, nos mire diligit, ſummo noſtri deſiderio tenetur, majora hic nobis largitur.* Recordamur, eandem hujus loci interpunctionem, eandemque prope interpretationem (quod Autori videtur fuiſſe incognitum,) exhiberi in *Miſcellaneis Lipſienſibus T. XII p. 172 ſqq.*

Sequitur *Commentarius de cymbalis*, cui Autor ipſe præmiſit Præfationem, in qua profitetur, ſe occaſione loci *1 Corinth. XIII, 1*, compoſuiſſe hunc librum, cum neſciret, jam a Cl. Lampio editum eſſe librum *de cymbalis veterum:* quem quidem nos in his *Actis* laudavimus *A. 1704 p. 142 ſq.* *Quicquid ego*, inquit, *in hunc meum Commentarium retuli, illud omne annotatum, diſpoſitum, explicatum mea opera eſt. Si maturius librum (*Lampii) *vidiſſem, Commentarium fortaſſe non condidiſſem: conditi certe non pœnitet.* Capitibus XXXII abſolvitur doctiſſimus hic libellus, cujus prioribus novem capitibus poſtquam Ill. Autor de vera forma cymbali veteris ſe ſollicitum præbuiſſet, ſequentibus Deos Deasve memorat, quorum in ſacris uſitata erant cymbala; cur veteres ſcriptores plerumque cymbala conjuncte cum tympanis memorent, inquirit; de uſu cymbalorum privato diſſerit, de cymbaliſtis & cymbaliſtriis, de materia cymbalorum, de ſono & colliſione eorum, de ſaltatione ad cymbala, de variis eorum generibus, ac ſeparatim de cymbalis Hebræis. Cumque Cybeles potiſſimum in ſacris frequens eſſet hujus muſicæ uſus, ſingulari Capite docet, Deam Syriam, Cybelen, Cererem, & Iſidem eſſe unius ejusdemque numinis nomina. Refellit etiam *Cap. 25*, errorem Cl. Lampii, putantis, cymbalorum manubria quædam geſſiſſe figuram crucis; hancque nactus occaſionem ſubſequentibus duobus Capitibus de pileis Corybantum producit ſelecta veterum loca. Sed hæc hactenus.

p. 262.

Cap. XI.

JO. GEORGII ESTOR, J. V. L. PROF. ET Hiſtoriographi Haſſo-Darmſtadini, Analecta Fuldenſia, ad Viri Reverendi, JOANNIS FRIDERICI SCHANNAT, clientelam Fuldenſem beneficiariam, &c.

Argentorati, sumtibus Jo. Reinholdi Dulsseckeri, 1727, fol.
Alph. 1 pl. 2.

CUm non solum aliud aliis, sed & tibi ipsi aliud alio tempore videri possit: minime invidiæ sibi fore duxit Clarissimus Autor, si suas de feudis Fuldensibus observationes, in quibus a doctissimo Schannato plurimum dissentit, publicæ luci exponeret. Ipsæ illæ satis loquuntur, qua diligentia magnam literarum clientelarium vim perlustraverit planeque excusserit Noster: tantoque ex majorem attentionem merentur, quanto magis inter se distant, quæ ambo Viri doctissimi, ex iisdem fontibus ac monumentis hausta, de singulari illa feudorum Germanicorum specie, Fuldensium puta, docuerunt. Duabus vero Analecta hæc Fuldensia constant sectionibus: una est veluti *Thesis*, atque sententiam de vera & genuina Feudorum Fuldensium natura sistit & confirmat: altera est velut *Antithesis*, quæ septem supra quadraginta observationes ad Clientelam Fuldensem beneficiariam complectitur.

Naturam Feudorum Fuldensium Celeberrimus Schannatus dixit esse talem: " ut sint masculina, *Mann-Lehen*, quæ cum pa" ctis & conventionibus ad heredes masculos devolverentur, Feu" da masculina hereditaria, *Erb-Mann-Lehen*, appellata esse; " neque ex eo nomine, ut & ex notissima clausula: *nach Fuldi*" *scher Lehen Herkommen, Recht und Gewohnheit*, promiscuam " etiam feminarum in Feudo Fuldensi successionem absque erro" re exsculpi posse: " quam sententiam breviter retulimus in Actis superioris anni, mense Januario, p. 25. At Noster ex adverso
p. 7. veram Feudorum Fuldensium indolem in eo constituit, quod indistincte feminas admittant, & cuncta sint feminea. Formula: *nach Fuldischer Lehen Herkommen, Recht und Gewohnheit*, in literis clientelaribus adeo frequens, non dicis causa adhibita censeri debet, sed utique peculiare quiddam, & a moribus juris beneficiarii communis recedens, indicat, feminarum scilicet successionem. Hæc antiquis temporibus, & quidem Henrici Abbatis ævo, i. e. circa A. 1292, discrimen ex variis beneficiorum speciebus ignoravit, postea tamen certum, atque in aliis aliisque Feudis diversum, succedendi modum & ordinem recepit. In quibusdam feminæ

minæ ab ſucceſſione arcentur, quamdiu mares ſuperſunt, a primo Feudi acquirente legitime deſcendentes, ordine mori Francico ſimili, ſecundum quem in baronia feminæ non ſuccedunt, quoad maſculi heredes ſuperſunt. Idque genus beneficiorum vocatur *Fuldiſch Mann*- vel *Burg - Lehen*. In aliis Fuldenſis Eccleſiæ beneficiis ſuccedunt mulieres cum maſculis, ut, proximitate gradus obſervata, illarum præ his ratio habeatur: quæ audiunt in genere: *Fuldiſche Lehen*. Nova igitur Præſulum Fuldenſium ſtatuta de ſucceſſione ex veteribus monumentis omnino explicanda erunt, quæ concordi ſuffragio probant, cuncta Feuda Fuldenſia eſſe feminea, Germanis *Kunckel - Lehen*, quod præterea confirmant exempla CCXI Fuldenſia, quæ breviter recenſendo Noſter
argumentationem per inductionem format. Neque eſt exiguus p. 9.
ſcriptorum beneficiariorum numerus, pro Noſtro facientium. Oc- 13.
currunt etiam in ſuperiore Germania Feuda, ab aliis dominis con- 19.
ceſſa *zu Fuldiſchem Lehen*, feminas admittentia: unde argumentum haud leve. Quæcunque vero in tabulis clientelarum Fuldenſium antiquis & recentioribus obveniant variæ earum diſtinctiones 20.
atque denominationes, eo tamen ubique res redit, ut univerſa & ſingula, ſive ſint caſtrenſia, *Burg - Lehen*, ſive maſculina, *Mann-Lehen*, ſive alio nomine quocunque ſint, feminas ſucceſſuras amplectantur admittantque plene. Verbi: *Mann- Lehen*, minime 21.
iſta vis eſt, ut excludat feminas: quippe *Mann* idem eſt, ac vaſallus. Neque Feudum caſtrenſe non ſubjit conſuetudinem Fulden- 28.
ſem; pariterque evenit in reliquis beneficiorum Fuldenſium ſpeciebus, ut ſunt *Jäger - Lehen, Brat - Lehen, Steylera- Lehen*. De ſingulis exempla & monumenta luculenta proferuntur. Femi- 29.
narum in clientelis Fuldenſibus favorem porro commonſtrat ſuccedendi modus, uſu obſervatiaque continua corroboratus; ita quidem, ut in linea recta, deficientibus filiis, filiæ ſuccedant in capita; in linea vero transverſa, ſive collaterali, femina magis proxima maſculo magis remoto præferatur: imo ſi hæc in linea gradu pares ſint, maſculus & femina ſimultanee ſuccedant. Variæ ceterum pro ſucceſſione mulierum cauſæ militant. Præter Germanorum erga feminas honorem, (unde, ſi beneficia jure Germanico non prorſus ſunt regulariter feminea, quod nonnullis

v de-

videtur, feminæ certe facile ad successionem clientelarem sunt
p. 30. admissæ,) non-usus juris Longobardici in Feudis Ecclesiasticis multum juvat feminea jura in beneficiis ejusmodi baculi curvi. Accedit, quod Feuda Fuldensia, peculiaribus legibus circumscripta, dudum extiterunt ante introductum in Germania jus Feudale Longobardicum, quod in compluribus provinciis necdum receptum est, in quibus Feuda feminea propria reputari debent. Taliaque sunt Feuda Trevirensia, Coloniensia & Westphalica, Metensia, Monasteriensia, Osnabrugensia, Leodiensia, Trajectina, Corveiensia, Lotharingica, Holsatica, Sabaudica, Pomeranica, Brabantina, Flandrica, Mecklenburgica, Juliacensia, Clivensia, Bergensia, Lusatica, Glogavica, Hollandica, Gelrica, Zutphanica.
31. Porro id spectandum, quod Feuda Fuldensis Ecclesiæ sunt oblata, ut vel ex corpore *traditionum Fuldensium*, quod eidem doctissimo Schannato debemus, satis constat, ac insuper ex testimonio ipsius Marquardi, Antistitis Fuldensis. Utique vero firmum pro feminea successione argumentum ex oblatione Feudorum
32. duci solet. Francicum denique jus indubia successionis promiscuæ in Fuldensibus clientelis scaturigo. Illud enim mirum in modum favet successioni femineæ, adeo, ut omnia Germaniæ jura intuitu hujus favoris vincat. Posteaquam etiam in Gallia Feuda sunt facta patrimonialia, evenit, ut feminæ in illis, tanquam in patrimonio, succederent: quæ ad Germanos consuetudo devoluta, & in beneficiis Fuldensibus facile inolevit, dum Franci, teste Schannato, fuerunt Buchoniæ quondam incolæ. Hereditariam vero successionem in beneficiis Fuldensibus vel una charta Mar-
34. quardi Abbatis perhibet. Quibus demum argumentum adjungendum est, a curvo baculo desumtum. Quippe inter omnes convenit, Feuda Ecclesiastica mulieres neutiquam excludere; qualia esse Fuldensia, nemo negarit: ut proinde, si pares causæ paria desiderant jura, habeant femineam successionem cum reliquis Ecclesiasticis communem. Atque hæc hactenus Noster sectione prima, pro constabilienda feminarum successione atque inde definienda clientelarum Fuldensium indole, dixit, monumentis maximam partem domesticis usus, quo minus objici queat Schannati causatio, quasi non nisi rerum Fuldensium imperiti

suc-

ſucceſſionem femineam iſtamque beneficiorum Fuldenſium naturam, quam Noſter tuetur, ſibi effingerent. Iisdem ſubſidiis in conſilium vocatis, & eadem methodo Sectione II ad clientelam Fuldenſem beneficiariam annotavit. Septem quidem priores obſervationes ad naturam juraque beneficiorum Fuldenſium univerſim ſpectant. Sequentes duæ ſunt de Feudis Fuldenſibus oblatis; decima, de Feudis Fuldenſibus maſculinis; undecima, de ſucceſſione in Feudis Caſtrenſibus. Succedunt tres, de Feudis Fuldenſibus femineis, ſive promiſcuis, una de Feudo caſtri, una de Feudis Caſtrenſibus, item alia de Feudo Advocatiæ, aliaque de Miniſterialibus, in qua ſpicilegium addit a ſe dictis de vera Miniſterialium indole in peculiari commentatione, nobis propediem in ſcenam producenda. Has obſervatio excipit de inveſtitura ſimplici & ſimultanea, quam ſequuntur obſervationes viginti ſeptem, de ſervitiis militaribus in campis & expeditionibus, quæ complura ſcitu jucunda & egregia de re militari Germanorum ex antiquitate docte eruunt. Agmen claudunt obſervationes duæ, prior de ſervitiis judicialibus, altera, de mutua inter Eccleſiam & vaſallos ſuos obligatione. Quemadmodum vero enumeratæ hactenus obſervationes præterea, quod tradita de indole & ſucceſſione Feudorum Fuldenſium ulterius confirmant ac jura clientelarum Germanicarum, imprimis Eccleſiaſticarum, permultum illuſtrant, eo magnam partem tendunt, ut jura Sereniſſimorum Haſſiæ Landgraviorum circa Feuda Fuldenſia explicent ac ſubinde tueantur: ita ſubjecta iisdem in calce eſt deſignatio Feudorum omnium, quibus dicti Sereniſſimi Principes ab Abbate Fuldenſi aliisque ſolent inveſtiri. Inter Feuda iſta Haſſiæ Fuldenſia eſt Comitatus Zigenhainenſis, quem Noſter docet, fuiſſe Feudum utique oblatum, ac proinde femineum; in literis tamen clientelaribus conceſſum legi *zu rechtem Mann-Leben.* Cum itaque in eo eſſet, ut Comitum poſteritas ad occaſum vergere inciperet, Haſſiæ Landgravium ab Comitibus ſucceſſionis ſpem titulo perquam oneroſo obtinuiſſe; quo facto dominus Feudi facile conſenſum præbuerit, neque credendum eſſe, tunc illum de Feudi natura in maſculinum permutanda leges præſcripſiſſe Landgraviis. Minime etiam obſtare, quod Eliſabetha illa Zigenhainenſis, quæ omnem propter p. 45.

L ſuc-

successionem moverit lapidem, non fuerit admissa: siquidem id ex singularibus admodum caussis, quas olim indicandas spondet, tum fieri non potuerit. Hoc vero ideo adjiciendum nobis videbatur, quoniam in Actis nostris loco supra citato illud Elisabethæ Zigenhainensis exemplum pro confirmanda Schannati sententia referri meminimus.

DE STATU MORTUORUM ET RESURgentium liber. Accesserunt Epistolæ duæ circa Libellum de Archæologiis philosophicis; Autore THOMA BURNETIO, *S.T.P.*

Londini, impensis Jo. Hooke, 1727, 8.

Pl. 19.

EJUSDEM DE FIDE ET OFFICIIS CHRIstianorum liber.

Londini, impensis Jo. Hooke, 1727, 8.

Pl. 13, cum icone Autoris.

MIra est utriusque operis Præfatio, atque ita se habet, ut facile sit prævidere, repertum hic iri dogmata nonnulla maxime paradoxa. Docet enim, qui præfatus est, paucissima horum librorum excusa esse exemplaria, simulque adjuratur quasi lector, ne vel calamo vel typis eos describi & in vulgus edi patiatur. Quo magis cognoscere gestient lectores nostri, quid hisce in libris sentiat Autor, jamdudum e *Theoria telluris* & *Archæologiis philosophicis* clarus, cujus & vitam a Guil. Wottono descriptam nuper in his *Actis* laudavimus. *Capite* igitur *secundo* (nam *primum* Præfationis instar est) docet Autor, beatitudinem humanam haud
p. 6.
includi hujus vitæ curriculo, sed exspectandam esse vitam aliam. Id concludi debere judicat ex eo, quod in hac vita sæpe bonis male, malis bene fit. Cum enim Deus justus sit sanctusque, consequens esse, ut & præmia virtutis & pœnæ improbitatis reserventur in vitam posteriorem. Deinde cum malorum ac miseriarum hæc vita sit refertissima, bonitatis Dei esse, alium exhibere mundum, in quo comœdia quasi exitum reperiat Deo dignissimum.

mum. Addit, eam esse dignitatem humanæ naturæ, ut credi debeat Deus mentibus tam alta spirantibus reservasse mundum alium. Ultimo loco monet, nihil in libris Novi Testamenti tradi clarius, quam vitam futuram eamque sine fine duraturam. *Tertio Capite* immortalitatem animæ humanæ ex ipsa ejus natura demonstrat. Cum enim tota sit activa & mera vita, non posse eam perire aliter, quam annihilatione. Jam cum non desint, qui animam velint esse corpoream, adeoque dissolubilem, primo docet, dari ens incorporeum in rerum natura. Hic Deum producit, eumque demonstrat non posse esse materiam sive corpus, liquido ostendens absurda, quæ sequuntur sententiam eorum, qui Deum statuunt corporeum, vel ipsum mundum credunt esse Deum. Ubi vero concesseris, Deum esse incorporeum, non posse negari, eum producere valuisse alias naturas incorporeas. Has inter esse animam hominis, copiose & luculenter demonstrat ex ipsius effectibus & proprietatibus. *Cap. IV* agit de animarum a corpore sejunctarum statu usque ad resurrectionem. Hic se dissentire profitetur ab iis, qui animas statim a morte corporis aut summa gloria visioneque beatifica frui aut inferni cruciatibus subjici existimant, istamque sententiam tum sacris literis, tum antiquissimæ Ecclesiæ doctrinis repugnare contendit. In toto sacro codice id nusquam doceri, sed fruitionem æternæ beatitatis clare differri ad adventum Christi, mortuos in vitam revocaturi. Adducit eam in rem multa sacræ Scripturæ loca, eaque attentius contemplatur. Cum vero adversari ipsi videatur Paulus, *Phil. I, 23* scribens, *se esse cupere cum Christo*, & *2 Corinth. V, 8, se, ubi moriatur, fore cum Domino*, multam navat operam, ut nobis persuadeat, hæc dicta ita esse interpretanda, ut innuatur a Paulo tempus resurrectionis suæ. Putat scilicet, contraria sententia labefactari doctrinam de resurrectione, cum animabus visione beatifica & supremo gloriæ gradu jam fruentibus nullo sit opus corpore. Imo & hæc observasse se ait, doctrinam de animabus a morte statim beatis occasionem præbuisse lucrosis dogmatibus de sanctis invocandis deque animabus e purgatorio (quod vocat *aurifodinam quavis India ditiorem*) liberandis. Hinc transit ad antiquissimos Ecclesiæ doctores, docetque, tribus primis seculis, si

Margin: p. 16. — 38.

 forte

forte Cyprianum excipias, omnes docuiſſe, poſt reſurrectionem
demum animas piorum compotes fieri felicitatis ſummæ. Quin
contendit, probari poſſe e primævis Patribus, primos autores at-
que patronos vulgaris ſententiæ fuiſſe Gnoſticos, Baſilidianos,
p.64.ſqq. Valentinianos, Marcionitas. Adjecit huic Capiti Appendicem, in
qua docet, etiam quarto & ſecutis ſeculis præſtantiores Eccleſiæ
doctores fuiſſe in ea, quam ipſe propugnet, ſententia. Prodire
hic jubet Chryſoſtomum, Theodoretum, Oecumenium, Theo-
phylactum, Hilarium, Ambroſium, Auguſtinum. Poſtremo tra-
dit, ſeculo demum decimo quinto in Concilio Florentino decre-
tum eſſe, *animas ſanctorum mox recipi in cœlum, & intueri*
75. *clare Dominum, ſicuti eſt. Capite quinto* disquirit, utrum ani-
mæ poſt mortem ſint ab omni corpore ſeparatæ, an aerio unian-
tur corpori. Rationibus diu ſubductis probabilius eſſe ſtatuit, ani-
mas manere in ſtatu ſeparato usque ad reſurrectionem, nec ullo
veſtiri corpore, concedens tamen, eos non fovere ſententiam cer-
to falſam, qui credant, eſſe in hoc craſſo, quod gerimus, corpore
vehiculum interius, quo veſtita anima evolet in articulo mortis.
88. *Cap. VI* progreditur ad *noviſſima*, quæ Theologi vocant, hoc eſt,
ad ea, quæ reſurrectioni mortuorum conjuncta erunt. Hoc igi-
tur Capite de adventu Chriſti diſſerit, deque mundi conflagratio-
ne, multis eos refutans, qui putant, *Matthæi cap. XXIV* non agi
de fine mundi, ſed de excidio duntaxat ſanctæ urbis, ex aliis quo-
que locis adductis probans, adventum Chriſti ad judicium uni-
verſale & conflagrationem mundi inter fidei Chriſtianæ mani-
feſta dogmata referri oportere. Plura de utroque argumento
lecturos ablegat ad tertium librum ſuæ *Theoriæ Telluris. Cap.*
100. *VII* de ſupremo judicio diſputat. Hic primo duce Scriptura ſa-
cra externum hujus judicii apparatum repræſentat, obſervans,
eum deſcribi ſub imagine fori humani, neque adeo literali ſen-
ſu univerſa capienda eſſe. Ceterum cum Patrum nonnulli ſta-
tuerint, in judicio extremo probationem animarum factum iri
per ignem, idque a Paulo *1 Corinth. III, 13* doceri, ſibi perſuaſe-
rint, diu Noſter circa hunc Apoſtoli locum hæret, & ad ultimum
cenſet, omnino ignem hic deſcribi proprium ac materialem, &
per *diem* ſignificari extremum judicium. Idem probari credit
poſſe

posse ex *Marci IX, 49*, ubi fore dicitur, ut *omnis homo saliatur igni*, & ex *Matth. III, 11*, ubi Christum legimus *igne baptizaturum homines*. Adducit hinc hujus sententiæ subscriptores, Origenem, Lactantium, Hilarium, Ambrosium, Basilium, Gregorios, Nazianzenum & Nyssenum. Addit, hanc doctrinam tempore Augustini corruptam fuisse, invectumque errorem de purgatorio. De tempore judicii extremi disserens, ipsos Apostolos existimat ex verbis Christi male intellectis credidisse, esse diem extremi judicii admodum propinquum, nec veretur hunc vocare errorem innocuum, in quem delabi Deus eos permiserit optimo consilio. *Cap. VIII* de mortuorum resurrectione disputare aggressus, ejus certitudinem e clarissimis S. Scripturæ locis probat. p. 125.
Hinc docet, corpora resurgentium non fore ea, quæ nunc habemus, sed cœlestia & incorruptibilia & inorganica, carnis & sanguinis expertia, qualia habeant angeli. Angelos enim statuit non esse substantias mere spirituales, sed vestiri corporibus sui generis, idque ex eo probat, quod visibiles futuri sint satellites Christi in judicio extremo. Ad materiam corporis futuri quod attinet, docet, eam non constare compage ossium, carnis, sanguinis & viscerum, sed fore purissimam ac tenuissimam instar ætheris, maximeque agilem & actuosam, ac lucidissimam. Cumque Scriptura S. doceat, corpus nostrum fore simile glorioso Christi corpori, hinc statuit, corpus Christi, quod post resurrectionem & ascensionem habet, esse instar flammæ, ætheris, aut lucis liquidæ. *Cap. IX* venit ad eam quæstionem, utrum in resurrectione habituri simus idem corpus, quod nunc habemus, an aliud. 160.
Refutat hic eos, qui putant, idem corpus resurgere debere, in quo hac in vita vel bona vel mala patravimus. Neque enim corpus esse aut præmii aut pœnæ capax, cum in sola anima sensus insit. Quærit porro, quodnam unius hominis corpus resurgere debeat, cum corpus nostrum sit in perpetuo fluxu & mutatione, atque ita dissipetur resarciaturque in dies, ut, qui diu in hac vita fuit, successive sex septemve habuerit diversa corpora. Cum etiam in confesso sit, in altera vita multis humani corporis partibus plane non fore opus, hinc concludit, Deum miraculum patraturum esse supervacaneum, si particulis corporum undique recolle-

ctis eadem redderet nobis corpora, quæ gessimus in hoc mundo. Unde tandem confici existimat, corpora beatorum fore a pristinis corporibus diversa tam specie, quam numero, tam quoad substantiam, quam quoad accidentia. *Cap. X* agit initio de resurre-
p. 127. ctione prima, quod arcanum vocat a seculis absconditum, demumque a Joanne, ultimo prophetarum, aperte proditum. Statuit nimirum, post primam resurrectionem in terra nova corpus nostrum fore terrestre & ad formam hodierni corporis compositum, in fine autem millennii, cum adscendemus in cœlum, mutatum iri illud corpus in cœleste & æthereum. Ceterum cum jam libro quarto suæ *Theoriæ telluris* hoc argumentum tractavit, pauca hic de eo affert. Finita scilicet conflagratione mundi & terra in chaos quoddam redacta, ex illo chao formatum iri credit novam & paradisiacam tellurem. Hanc sententiam cum maxime perspicue perscriptam sibi invenisse videatur *2 Petri II, 11, 12, 13*, pluribus eum locum persequitur. In hoc renovato mundo celebratum iri millenne regnum Christi dum docet, non solum Patrum trium primorum seculorum consensum jactat, sed varia quoque e suo ingenio depromta argumenta adjungit. Quis status hominum futurus sit hoc in millennio, cum jam in *Theoria telluris* exposuerit, nunc explicat sententiam suam de Christi in hoc millenni regno præsentia. Non putat scilicet, Christum descensurum esse in hanc novam terram forma humana, sed appariturum esse eminus in suo corpore glorioso per modum perpetuæ *Schechinah*, uti olim in sancto sanctorum: qua occasione longam exhibet de *Schechinah* digressionem, quam multis etiam Veteris Testamenti locis illustrandis dicavit. Addit, Judæos vi promissionum divinarum haud exiguas partes habituros esse in isto millenni Christi regno. Denique in hoc regno statuit religionem Christianam non parum mutatum iri, tam quoad cultum externum, quam quoad animorum sanctitatem & scientiam: fore enim veritatis revelationem multo clariorem, pleniorem, magisque distinctam, quam ea sit, qua fruimur in hodierno seculo.
220. *Cap. XI* de cœlo & inferno agit. Cœlum autem hic dicit illud, quod sedes sanctorum erit expleto millennio, cum cœlestia induti corpora mutatis sedibus consummata gaudebunt felicitate. Locum

cum cœli beati definiri posse negat: illud pro certo habet, sedes beatorum fore in regionibus æthereis supra omnium planetarum atmosphæras positis, & quemlibet sanctum pro ratione suæ puritatis & perfectionis propius ad *Schechinah* sive solium gloriæ esse stationem suam habiturum. Ad statum beatorum quod attinet, statuit, eos supra omnes planetas elatos acie oculorum longe acutissima intuituros esse Oceanum mundanum & innumeros terrarum orbes suis repletos incolis: ex hac contemplatione redundaturam esse voluptatem incredibilem: longe vero majorem voluptatem consecuturam ex contemplatione & amore Dei, itemque ex cognitione hierarchiæ cœlestis angelorum & archangelorum. Hinc descendens ad infernum primo disquirit, an detur infernus subterraneus, hac occasione *descensum Christi ad inferos* interpretans de ejus incarnatione, cum relicto cœlo in hanc terram infimam dignatus est descendere bono generis humani. Dari infernum subterraneum, postquam negasset, argumentis nixus physicis, secundo loco quærit, an detur ullus infernus corporeus & localis ante judicium illud extremum. Hic fatetur, se propendere in eam sententiam, ut credat, nullas fore pœnas externas impiorum ante diem illum pantocriticum, sed eos internis tantum conscientiæ furiis agitatum & exercitum iri. Addit, nec diabolos ante illud tempus inferno igne torqueri, sed vagari per orbem terrarum vividos & nimis actuosos. Detrusis in infernum impiis (diabolos hic silentio præterit) an in æternum sua sint sustinenda supplicia, deinceps disputat. Atque hic quidem communem omnium Theologorum doctrinam summo animi impetu oppugnat, & cum rationem, tum naturam Dei, imo & naturam rerum huic dogmati alta voce reclamare scribit ac pluribus edisserit. Haud quidem diffitetur, Scripturam S. stare videri a partibus contrariis, sed monendum sibi ducit, commodam interpretationem verbis sacris esse adhibendam, ne divina simul & humana violentur jura, nec eo nomine male audiat Christiana religio. Non adducemus argumenta ejus, jamdudum quippe ab aliis istius sententiæ patronis, quos Augustinus *Doctores misericordes* vocat, in medium prolata. Illud indictum non prætermittimus, ipsi videri Christum sanctissimis de causis mansisse in traditione vulgari de

æter-

æternitate infernarum pœnarum, *venturumque diem*, (hæc ipsius verba sunt *p. 249*,) *cum non minus absurda habebitur odiosa hæc opinio, quam transubstantiatio hodie.* Adducit item in sententiam suam Justinum Martyrem, Hieronymum, & duos Gregorios, dissentientes Theologos appellans *Doctores immisericordes.* Ultimo loco vetat hanc suam doctrinam efferri in vulgus, quippe quod merito tantæ formidine pœnæ a pravis facinoribus absterreatur, pronuntiatque, si quis hæc doctioribus a se scripta in linguam vulgarem transtulerit, eum malo id animo & consilio sinistro facturum esse.

p. 260. Sequuntur duæ Autoris epistolæ apologeticæ pro *Archaeologiis* suis *Philosophicis.* Priore respondet ad amicorum, posteriore ad inimicorum objectiones. Dixerant scilicet quidam, Burnetium in isto opere favere æternitati mundi, & rerum ex nihilo creationi adversari. Hoc vero injuste sibi tribui, ostendit e claris operis sui verbis. Illud tamen non dissimulat, se credere, per innumera secula ante visibilem hunc mundum exstitisse angelos, itemque materiam mundi primam. Deinde criminati erant nonnulli, ipsum minus reverenter habere historiam creationis Mosaicam. His respondet, se utique Mosem habere pro Propheta divinitus inspirato: ejus vero narrationem de creatione a se haberi pro descriptione allegorica, quales occurrant in sacro codice plures: ceterum facile se pati, colloquium illud inter Evam & Satanam, prout ipse (Burnetius) id exposuerit, evitandi offendiculi causa tolli ac rescindi. Postremo monet, se librum illum suum scripsisse lingua Latina ad eruditos & mystas, nec velle hæc sacra sive mysteria temere in vulgus spargi. *Epist. II* contendit,
265. Sabbathum non fuisse celebratum ante tempora Mosis, idque ad probandum adducit autoritates Patrum Ecclesiæ, silentium historiæ sacræ, & ipsius Mosis testimonium *Exodi XXXI, 13*, itemque Ezechielis *cap. XX, 12 & 20.* Hinc docet, licet Moses videatur docere, Solem moveri, recte tamen Philosophos Christianos contrariam tueri sententiam, certissimis inductos argumentis. Mosem enim suas loquendi formulas ad opiniones captumque vulgi accommodasse, ac merito Anthropomorphitas sperni, qui e clarissimis sacri codicis dictis Deo tribuant membra corporea, itemque

que Transsubstantiationem jure rejici, licet ejus doctores literæ sacri codicis se inhærere profiteantur. Ac plura quoque sacræ Scripturæ loca profert in medium, quæ qui literaliter interpretetur, eum aperire fenestram multis magnisque absurditatibus.

Progredimur ad alterum librum, *de fide & officiis Christianorum* inscriptum. Facile intelligitur, hoc esse Burnetianum systema theologiæ cum theoreticæ, tum moralis. Posteaquam igitur *Cap. I* supposuit, tanquam ab aliis abunde demonstratum, doctrinam Christianam in canone Scripturæ contineri tanquam libro θεοπνεύςῳ, religionemque Christianorum non esse credulitatem, sed luculenter defendi posse contra Celsos ac Porphyrios; *Cap. II* de religione naturali differit, ostendens præstantiam hujus religionis, ejusque sinceros cultores, inter quos Enochum, p. 8.
Abelem, Noachum, Iobum, Abrahamum refert, credens pervenire ad æternam beatitudinem. Deinceps docet, fundamentis Theologiæ naturalis superstructam esse religionem Mosaicam sive Judaicam, Mosemque præceptis religionis naturalis tot ritus adjunxisse ob indolem populi sui hac ratione ab idololatria avocandi. Inde Prophetas observationem legum naturalium semper præferre observationi religiosæ institutorum Mosaicorum. Eadem via incessisse Christum & Apostolos, ac docuisse, viri Christiani officium absolvi studio culturaque virtutum naturali lege præscriptarum. Progressus hinc ad religionem ethnicam ostendit, quam longe ea recesserit a religione naturali, quamque absurda tradiderit: multis tamen Philosophis inter ethnicos exortis docentibus meliora. *Cap. III* religionem Judaicam contemplatur, ac primo 29.
defendit, Mosem fuisse non pseudoprophetam, sed verissimum Dei legatum, idque multis maximisque confirmasse miraculis. Quod si quis suspicetur, ea patrata esse magicis artibus, idem reponi jubet responsum, quod *Matth. XII, 24 sqq.* Pharisæis id ipsum sibi objicientibus reddidisse legitur Christus. Si quis alius dicat, religionem Mosaicam supervacuis & minutis, adeoque Deo indignis, scatere ritibus ac cærimoniis, perpendi jubet, Mosem tueri religionem naturalem, cum theoreticam, tum practicam, accuratissime; eundem non dare voluisse legem perfectissimam, sed aptissimam & utilissimam pro ratione temporis; nec id sibi

proposuisse, ut esset lex totius humani generis, sed unius sui populi; denique non voluisse, ut lex sua duraret in perpetuum, sed duntaxat usqne ad tempora Messiæ. Legem enim Mosis fuisse primum veluti gradum ad reformandam gentem humanam idololatriæ immersam: eam reformationem perfectam fuisse a Messia, cujus adventum Moses & ceteri Judæorum Prophetæ prædixerint, atque etiam prædicere & sic animos hominum ad majora & meliora præparare debuerint.
p. 43. *Cap. IV* ad religionem Christianam accedens, prærogativas ejus primo demonstrat præ religione sincere naturali Philosophorum, itemque præ religione Judaica. Jesum a Deo missum esse, satis elucere e tot signis & miraculis miracula Mosis & Prophetarum magnitudine superantibus. Hic lustrans sacram historiam concinno ordine & compendio exhibet signa illa & miracula, e quibus cognoscimus, Jesum fuisse Prophetam & quidem Prophetam plane extraordinarium. Addit prædictiones Christi luculentissimas perfecteque impletas, itemque miraculosum religionis Christianæ progressum. Denique ostendit, summam Dei erga genus humanum benevolentiam e missione Christi elucere, quippe cum eo tempore totus orbis, qua ethnicus, qua Judaicus, fuerit corruptissimus, & reformatoris maxime indiguerit.
65. *Cap. V* ad cultum Dei & ritus sacros Christianorum delatus docet, proponi hic Deum unum purissimo cultu afficiendum: additos esse ritus tantummodo duos, Baptismum & Eucharistiam, ritus simplices, innocuos atque utiles. Utilitatem eorum in eo versari, quod, qui baptismo initientur, hoc ipso renuntient omni impuritati mentis, quodque, qui eucharistia utantur, beneficia sibi in mentem revocent a Christo profecta, qui sua morte nos redemit a peccatis & salutem nobis paravit æternam, simulque profiteantur caritatem erga proximum, acta prius ante commissorum peccatorum pœnitentia. Ceterum infantes in baptismo regenerari negat, exorcismum in eodem adhibitum quodammodo magicum esse putat, ac Eucharistiam mysterio carere pronuntiat.
85. *Cap. VI* de vitæ præceptis Christianis disserens, ea legi naturæ conformia judicat, & cum ad virtutem producendam, tum ad felicitatem utriusque vitæ consequendam accommodatissima. Hinc singula capita
104. Theologiæ moralis breviter ac diligenter persequitur. *Cap. VII* do-

dogmata Christianæ religionis considerans, statuit, initio tantum postulatum fuisse ab ejus candidatis, ut crederent, Jesum esse Messiam, ac ipsis Apostolis ante ascensionem Christi non fuisse cognitam satis ejus Deitatem: imo eos principio nec gentilibus nec Judæis aperte manifestasse Deitatem Christi, quantum constat ex *Actis Apostolorum*. Eos id eo consilio fecisse conjicit, ne Judæos offenderent specie polytheismi, neve ethnicis viderentur veteri polytheismo substituere novum quendam. Postea satis præparatis hominum ad Christum conversorum animis Apostolos aperte exposuisse Deitatem Christi, maxime Joannem in Evangelio suo, in Epistola prima, & in Apocalypsi. Paulum quoque in suis Epistolis, quorum pleræque scriptæ fuerint, cum magnos jam progressus fecisset Christiana religio, Christi Deitatem haud obscure prædicasse. Docet proinde, Deitatem Christi omnino credere debere Christianos ob manifestissima Joannis & Pauli de ea testimonia, nec hic rationem admittendam esse judicem, quippe quæ judicium ferre non valeat in materia infinita, qualis est natura Dei. Docet etiam, Spiritum S. in N. T. nobis exhiberi per modum personæ singularis ac divinæ, ideoque sub hac idea nobis colendum & glorificandum esse una cum Patre & Filio. *C. VIII* de secundariis Christianæ religionis dogmatibus agit. Hic docet ac dolet, a Theologis polemicis, repudiata primæva simplicitate, auctum esse articulorum fidei numerum. Appellat autem dogmata secundaria, quæ in nullo antiquo Symbolo reperiuntur, & quæ tenemur amplecti, in quantum probari possunt e sacris literis aut recta ratione: addens, hic multa posse in utramque partem disputari salva fide & amicitia. Orditur a *peccato originali*, perabsurdum censens & in Dei sanctitatem injurium dogma de imputatione peccati Adami posteris facta, idque prope petulanter exagitans. Progressus hinc ad doctrinam de *satisfactione & justificatione*, statuit, Deum potuisse pœnitentibus peccata gratis remittere, sed eum voluisse consilio nobis imperscrutabili, ut Christus se offerret in sacrificium propitiatorium & expiatorium pro peccatis humani generis. *Justificari* ipsi nihil est aliud, quam remissis peccatis Deo acceptum esse. Dum igitur dogma illud nefarium vocat, quo homo justificari creditur sola fide, hoc est, fide a bonis operibus & interiori sanctitate abstra- p. 124.

cta, facile intelligitur, eum & a statu controversiæ aberrare & justificationem cum sanctificatione confundere. De *libero arbitrio* inutiliter multa disputari pronuntiat. Constat, inquit, nos esse nostrarum actionum autores, adeoque Deum non esse autorem peccati nostri. Constat item, nos aliquatenus conari posse, ac Deum semper paratum esse subvenire nostris conatibus, eamque gratiam esse universalem. Ad decreta divina *electionis* & *reprobationis* quod attinet, de præscientia Dei & directione rerum omnium dubitari non debere censet, nec item dubitari posse, nos habere libertatem in agendo. Concedit, occurrere hic aliquid perplexum & intellectui nostro impervium: sed agnosci jubet humani intellectus angustiam. *Cap. IX* de Ecclesia Christiana ejusque regimine & disciplina agens, rejicit absolutionem sive remissionem peccatorum privatam, contendens, versus impœnitentes eam esse frustraneam, & erga vere pœnitentes supervacaneam: ideoque consultius putat, abstineri ab his absolutionis formulis. Scripturæ S. loca, quibus potestas Apostolis tribuitur remittendi retinendique peccata, ad solos Apostolos restringit. Conciliis exiguam concedit autoritatem, nullum statuens in terris dari tribunal infallibile, idque propter corruptam humanam naturam. *Da mihi*, inquit, *Concilium liberum tam a vi externa, quam a partium studiis & præjudiciis. Hujusmodi cœtus augusti quis non veneraretur judicium? Sed hujusmodi cœtum a temporibus Apostolicis Sol nondum vidit. Interea sit tibi Concilium Prophetarum & Apostolorum chorus, eorum decreta evolve, hos sequere duces. Non deerit tibi lumen ad vitam æternam, modo sint aperti vigilesque oculi.* Cætera, quæ in hoc Capite Theologus noster eclecticus profert, quippe communibus doctrinis pleraque conformia, prætermittimus. Notamus tantum, Belgas hæc opuscula, recudisse eodem typo, apposito in titulo Londino, sed omisso Typographo.

LEGES ET CONDITIONES, AD QUAS PRODIBIT in publicum nova Editio Librorum Veteris Testamenti, ex Versione Græca LXX Interpretum; Tiguri Helvetiorum ex officina Heideggeri & Soc.

Sacra

Sacræ Eruditionis cultoribus & Fautoribus,
S. D.
JOAN. JACOBUS BREITINGERUS.

Τῶν ἑβδομήκοντα Bibliorum Interpretationem, quæ Græce legitur, rarum atque inæstimabilem thesaurum esse, nemo ignorare potest, nisi qui prorsus ab omni eruditione alienus est. Majores nostri religiosissimi juxta & doctissimi Viri, quantum illi tribuerint, ex Beati HULDRICI ZVINGLII in *præf. ad Apolog. Compl. Esaiæ* effato cognoscere licet: *Quum, inquit, LXX totam chiliada ante natam Hebræorum Grammaticen verterint sancta Volumina, apparet plurimum illis fidei deberi, atque hinc factum esse, ut veteres Theologi eos tantopere commendaverint.* Et rursus: *LXX vero Interpretationem omnibus & propter vetustatem anteferas, & propter dissimilitudinem in numerato habeas.* Constat, quanto olim in pretio Judæis Hellenistis ea fuerit habita; quanto studio ab Ecclesia Christiana in Oriente & Occidente fuerit excepta; ut priscis Patribus & Theologis græcis latinisque omni fere pagina commendata; quin & ab ipsis Novi Fœderis Scriptoribus, S. Evangelistis & Apostolis passim fuerit usurpata. Perspectum præterea & exploratum est omnibus, qui præter vulgus sapiunt, singularem ejus esse usum ad Hebraicam veritatem percipiendam & stabiliendam; ad autoritatem testimoniorum Apostolicorum confirmandam; ad nativum N. Fœderis stylum recte intelligendum; ad græcos latinosque Patres rite tractandos; ad cognitionem denique linguæ Græcæ augendam, ipsamque Criticen Sacram illustrandam. Hinc jam olim Ecclesiæ Christianæ Antistites omnem moverunt lapidem, ut hujus interpretationis puritatem intemeratam conservarent, & ubi ea corrupta esset, vindicarent atque restituerent: præter ceteros immortalem nominis famam inde meruerunt ex Græcis ORIGENES, HIERONYMUS ex Latinis. Quorum exemplis nostra ætate excitati Viri eruditionis laude nobilissimi, ubi hujus Versionis Græcæ pristinam puritatem multis modis labefactatam atque interpolatam esse animadverterant, conquisitis undique & comparatis invicem MSS. Codicibus, consultis antiquissimorum Judæorum, *Philonis & Josephi*, nec non priscorum Patrum scriptis, variis quoque lectionibus ad Hebraici textus normam expensis, errores librariorum oscitantia inductos profligare, & commendatissimam hanc Interpretationem pristinæ integritati restituere aggressi sunt. Non fert animus, nec instituti ratio permittit, pluribus memorare, quid ab unoquoque in emaculanda & expolienda hac LXX Interpretum versione fuerit præstitum, vel singulorum operæ certum statuere pretium: extant imprimis duæ Editiones, quæ nostro hoc seculo in publicam lucem prodierunt, & facile omnibus communi sententia præstant: *Oxoniensis* altera, altera *Franequerana*. Hanc debemus studio Viri Clarissimi LAMBERTI BOS, qui in Academia Franequerana olim Græcas Litteras magna cum laude docuit. Sequitur hæc Bosiana editio in exprimendo textu Græco lectionem Editionis Romanæ; ad imam pagina-

rum oram subjacent variæ Codicum MSS. Lectiones, quæ omnes, præter *Masianas* in Josuam, & *Usserianas* in librum Esther, ex Tomo VI operis Biblici Anglicani polyglotti transscriptæ sunt; eas autem & exscriptorum & typothetarum culpa innumeris locis vitiosas esse & sublestæ fidei, observarunt jam dudum eruditissimi Viri; consulat in hanc rem, qui volet, litteratissimi *Grabe Prolegom.* in *Octateuch.cap.II* §.2, ubi innumera παροράματα ac lapsus circa varias lectiones, quæ opera *Huissii* de Codice Alexandrino sunt depromptæ, notat; de quibus idem ingenue fatetur, quod illas omnibus, quæ cum aliis libris factæ, Tomo VI operis Anglicani exhibentur, accuratiores deprehenderit. Præterea in hac Bosiana editione & illud Lectorem non parum morabitur, quod textus per integrum Codicem S. zifris contaminatus & commaculatus est; quem morem infausto omine scioli quidam induxere, ut operam compendifacerent. Altera Græcæ hujus versionis editio e Theatro Sheldoniano prodiit opera ingenti Viri de re litteraria meritissimi JO. ERNESTI GRABE, S.T.P. qui primus textum Græcum ad fidem Codicis Alexandrini Bibliothecæ Bodlejanæ antiquissimi expressit, cumque autoritate veterum, imprimis vero Hexaplaris Editionis Origenianæ non sine adhibita κρίσει castigavit ac supplevit, reductis passim asteriscorum & obelorum signis. Ita quid in elegantissima hac Editione desiderari magnopere possit, non video; sed rara sunt ejus in nostris his oris exempla multo ære parata, & si fama nuntia veri, vel in ipsa Anglia vix adhuc egregii istius operis exempla invenire licet. Quare *Heideggero* Typographo autor extiti atque hortator, ut ipse pro suo de Litteris bene merendi studio, hanc cogitationem curamve susciperet, & novam commendatissimæ Græcæ hujus versionis editionem ære suo exprimere institueret, quæ rerum pondere & copia, nec minus typorum & chartæ elegantia nulli cederet & æquo veniret pretio: quem cum non alienum ab hoc consilio meo deprehendissem, operam illi meam addixi; is enim jure quodam a me postulare videbatur, ut idem consilii actor sim, qui autor fuerim. Ut igitur omnibus & singulis plenius constet, quid de nova hac nostra Editione promittere sibi possint, brevi quadam tabella universi operis rationem expediam.

Conspectus novæ Editionis Librorum V.T. ex Versione Græca LXX Interpretum.

I. Præter J. ERN. GRABE & LAMB. BOS in Græcam hanc Interpretationem Prolegomena; accedent in nova hac Editione

1. J. ERN. GRABE Dissertatio de vitiis LXX Interpretum Versioni ante Origenis ævum illatis, ac remediis ab ipso in Hexaplari editione adhibitis.
2. EJUSDEM Dissertatio singularis de Alexandrini Codicis præ Vaticano præstantia quoad V Libros Mosis & Historiam Josuæ.
3. EDITORIS Vindiciæ Codicis Alexandrini adversus oppositionem *Theologi* cujusdam *Salamancani* & iniquas *Casimiri Oudini* cavillationes.

EJUS-

4. EJUSDEM notitia Codicis Vaticani.
5. J. ERN. GRABE Dissertatio Epistolica ad Clariss. *Millium*.
6. EDITORIS notitia Codicis MS. Tigurini, libri Psalmorum, qui ætate Alexandrino & Vaticano haud inferior, & cujus ope insignes in utroque Codice lacunas explere animus est.

II. Textum Græcum dabimus secundum Scripturam Codicis Alexandrini, ad fidem Editionis Oxoniensis summo studio expressum, additis quoque asteriscis & obelis Origenianis.

III. Textui Græco subjicientur Codicis Vaticani diversæ Lectiones omnes, quas singulari studio ex ipsa Editione Romana, instituta nova ejus cum Alexandrino Codice collatione, excipiet EDITOR.

IV. Ad calcem operis addam
1. Codicis MS. Basileensis X Seculi in Octateuchum var. LL.
2. Variantes LL. Codicis MS. laceri in Octateuchum, qui erat quondam *Sarravii, Mentelii, Vossii* &c. nunc vero Bibliothecæ Lugd. Batav.
3. Lectiones, quas olim Is. Vossius ad marginem editionis Romanæ allevit.
4. Diversæ LL. Codicis MS. Tigurini vetustissimi in librum Psalmorum, hactenus prorsus ineditas.

Quoniam vero Typographo, ex plurimorum voto, subscriptionum viam hodie frequentem & tritam insistere visum est; is a me postulavit, non tantum ut rationem consilii erudito orbi planius exponerem; sed etiam ut leges ac conditiones, quibus uterque nos adstringeremus, publico scripto promulgarem: quas proin in sequentia capita digessi, quæ, quantum ad nos attinet, vera & Helveta fide præstabimus. I. Forma Voluminis erit, quam vocant, Octava; ejusdemque si qui majorem modum desiderent, illis ut satisfacere possimus, curabimus. II. Opus integrum, quod CCL foliis constabit, VIII Voluminibus complectar. III. Si vero ille, quem credimus, foliorum numerus non exeat, vel etiam excedatur, pretio pro singulis 2 crucigeri vel detrahentur vel adjicientur. IV. Chartæ majoris formæ elegantia & typorum novorum gratia, ceteris quoque ornamentis vel ipsam exspectationem superare studebimus; & ad Editionis Anglicanæ splendorem proxime accedemus. V. Imprimentur M. exemplaria. Si vero subscribentium copia hunc numerum excedat, nobis integrum erit exemplarium quoque numerum pro ratione augere, ita tamen ut præter illa, quæ tradentur iis, qui nomina dederunt, postea ne unum quidem venale prostet: in cujus rei fidem singulis exemplaribus addito chirographo suo appinget Typographus, quotum sit quodcunque numero. VI. Nomina quoque subscribentium operi præmittentur. VII. Inchoaturos nos Editionem promittimus, quamprimum D. nomina sua dederint. VIII. Operam quoque dabimus, ut omni adhibita cura opus maturetur, quantum fieri potest, & ad minimum post X mensium decursum duo priora volumina exeant; inde anno vertente tertium, quartum & quintum; & sub ejusdem anni exitum deni-

denique 3 posteriora volumina. IX. Merces quæ librariis repræsentabitur erit modica & æquissima, & his pensionibus solvetur.

Ubi quis nomen suum dabit, solvet	fl. 2. cruc. 30.	
Ubi 2 priora volumina accipiet	3. - - -	
Ubi 3tium 4tum & 5tum	2. - - 30.	
Ubi 6tum 7mum & 8vum	0 - - - 0.	
in Summa	Fl. 8 - - - 0	

X. Exteri edita volumina Francofurti ad Mœnum; qui vero nobis sunt propiores, ab ipsis Bibliopolis, quibus nomina dederant, repetere possunt. XI. Nomina quisque dare poterit Bibliopolis, quorum catalogum subjecimus, ab ipso illo, quo hos edimus, die ad Kalendas usque Majas A. MDCCXXVIII, quæ cum venerint, mox præcludetur omnis aditus. Quoniam vero nonnulla necessaria erunt comparanda, ne in ultimos dies Subscriptiones differre, sed maturare velint, singulos majorem in modum rogamus,

Subscriptiones recipientur:

Basileæ apud *Bischoff*, Bernæ apud *Gottschall & Socios*, Genevæ apud *de Tournes & Barillot*, Lucernæ apud *Hauth*, Sanctogalli apud *Schopffer & Ehrenzeller*, Schafhusii apud *Seiler*, Altorfii apud *beati Tauberi hæredes*, Altenburgi apud *Richter*, Argentorati apud *Dulssecker*, Augustæ Vindelicorum apud *Veith* & viduam *Kutzens*, Berolini apud *Nicolai & Haude*, Bremæ apud *Saurmann*, Brunsvici apud *Mejer & Schröder*, Büdingæ apud *Regelein*, Cassellis apud *Cramer*, Coburgi apud *Pfotenhauer*, Coloniæ apud *Rommerskirch & Pütz*, Dantisci apud *Waesberg*, Dresdæ apud *Zimmermann & Gerlach*, Duisburgi apud *Bötticher*, Erfordiæ apud *Stössel*, Francofurti ad Mœnum apud *Andreæ & Hort*, Francofurti ad Viadrum apud *Conradi*, Giessæ apud *Müller*, Gothæ apud *Schall*, Halæ Saxonum apud *Orphanotrophii Bibliopolas*, Hamburgi apud viduam *Felgineri*, Hannoveræ ap. *Förster*, Helmstadii ap. *Weigand*, Herbornæ apud *Andreæ*, Jenæ apud *Bielke*, Isenaci apud *Hartung*, Lemgoviæ apud *Mejer*, Lipsiæ apud B. *Gleditschii Fil. & C. Martini*, Lubecæ apud *Böckmann*, Magdeburgi apud *Seidels* viduam, Merseburgi apud *Schuberth*, Norimbergæ apud *Monath & Stein*, Ratisbonæ apud *Peez*, Rostochii apud *Schwecht*, Stettini apud *Kunckel*, Stutgardiæ apud *Metzler & Erhard*, Tubingæ apud *Cottam*, Viennæ apud *Monath & Lehmann*, Ulmæ apud *Bartholomæi*, Uratislaviæ apud *Hubert*, Wittembergæ apud *Zimmermann*, Wolferbyti apud *Freytag*, Hafniæ apud *Roth*, Holmiæ apud *Russworm*, Parisiis apud *J. B. Coignard & Cavelier Juniorem* (in via St. Jacobi) *Montalant & Coustelier* (in fossa Augistinorum) Lugduni apud *Anisson, Posuel*, & viduam *Boudet*, Londini apud *Vaillant* Fratres & *Prevost* (in platea vulgo *the Strandt*) Amstelodami apud *Wetstein, l'Honoré & Chatelain*, Groningæ apud *Spandau & van Velsen*, Lugduni Batavorum apud *S. Luchtmans*, Trajecti ad Rhenum apud *van de Water & Brædelet*, Romæ apud *F. Gonzaga*, Venetiis apud *Albrizzi*.

:(o):(

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCXXVIII.

ARETÆI CAPPADOCIS DE CAUSIS ET signis acutorum & diuturnorum morborum Libri IV, de curatione acutorum & diuturnorum morborum Libri IV; Græce & Lat. Cum MSS. duobus, Harleyano & Vaticano, contulit, novamque versionem dedit JOANNES WIGAN, A. M. Ædis Chr. Alumnus. Accedit Præfatio, Dissertatt. in Aretæum, Variæ Lectiones, Notæ & Emendationes, Tractatus de Jonica Aretæi Dialecto, quodque difficiliores hujus Autoris voces exponit, Lexicon.

Oxoniæ, e Typographia Chlarendon. 1723, fol. august. Alph. 5 pl. 4.

TAndem præstantissimum hoc & Oxonia sua perdignum Aretæi opus nancisci, ejusque excerptum hic nostris Actis inserere licuit. Scilicet, quum jam diu Aretæi exempla ab eruditis frustra quæri cœpissent; autor fuit Celeberrimus Jo. Freind Cl. Editori, ut illum utilissimum Autorem denuo recenseret, ipseque illi ad emaculandum limandumque Aretæum plurima adjumenta comparavit, quamobrem Cl. *Wigan* quoque in gratæ mentis significationem novam hanc editionem laudato Freindio dedicavit. Inter Editiones olim parce editas facile eminere ait primam Græcam Jac. Goupyli cum 3 Codd. MSS. collatam & Parisiis ex Typographia Turnebiana 1554 in 8vo accurate & nitide editam, nec non variis lectionibus selectis & conjecturis haud contemnendis ornatam: pessimam contra esse pronuntiat postremam Græco-Latinam Georg. Henischii, Augustæ Vindel. Præf. fol. II. III. III.

V. 1603 fol. splendide quidem, sed vitiose & oscitanter exscriptam, & futilibus jejunisque Editoris Commentariis oneratam. Petiti vero luculentas in Aretæum observationes se frustra Parisiis quæsivisse dolet. Ad hanc suam novam autem adornandam, quam, quum nullum Aretæi exemplum Græcum impressum reperire posset,
VI. integram sua manu exscriptam prelo commisisse monet, non libros solum duos editos inter se, sed eos etiam cum duobus Codd. MSS. contulit, uno Harleyano, altero vero Vaticano, a Dominico Regoletti fidelissime descripto; ex quorum illo, licet trecentis annis parum antiquior videatur, plurimum adjumenti in emendando Aretæo se habuisse fatetur, siquidem hujus ope non modo verbis Jönicas suas terminationes passim redditas esse; sed & proba ac sana sententiarum quarundam lectione nitido tersoque huic Autori sensum proprium atque elegantem restitutum fuisse ingenue prædicat, adeo ut hinc credat, Aretæi Codicem Harleyano quidem emendatiorem haud ullibi extare: ex hoc vero, Vaticano, vix quidquam suppetiarum hausit, utpote admodum vitioso & mutilo, nisi quod dialectum quandoque illius autoritate e-
VII. mendaverit. Præter hæc a Cl. nostro Fabricio & Mich. Maittaire bina exemplaria impressa habuit, variis lectionibus in margine conspersa, quas non conjecturas, sed ex MSS. decerptas collationes esse suspicatur. Universo operi præmisit quatuor Dissertatiunculas de Aretæi ætate, secta & opinionibus, scientia Anatomica & praxi denique medica.

XIV. In prima Aretæum vel ante susceptum a Nerone principatum
XV. & exactum Titi imperium vixisse, vel Trajani saltim aut Adriani temporibus haud esse inferiorem, erudite disceptat. In altera post
XVIII. Cl. Dan. Clericum observat, eum Sectæ pnevmaticæ fuisse addictum, cujus disciplinæ princeps fuit Athenæus patria Cilix, Attaliæ natus, cum Plinio maj. fere ætate conjunctus, successores vero Agathinus, Magnus, Herodotus atque Archigenes, qui ex Aretæo plurima sua hausit, ut ex fragmentis apud Aetium adhuc superstitibus clare patet, & uberius docetur a Cl. Editore in Notis versioni
XIX. suæ subjectis. Dicitur vero Secta ista pnevmatica, quod spiritum vitæ motusque principium, & prout vel bene, vel male se habet, nunc sanitatis, nunc autem morborum causam esse crediderit.

In tertia accuratum ſpecimen de Autoris ſcientia anatomica edit, XXVIII.
probatque, eum in nullius Magiſtri verba juratum, modo ad Hippocratis aut Eraſiſtrati, modo vero ad Herophili ſententiam accedere; ſuam tamen interea opinionem libere ſemper interponere. In quarta denique de curandi ratione Aretæi fuſe & erudite tractat, inter alia vero annotat, vomitoria ab ipſo præcipi, non modo, ut primæ viæ expurgentur; ſed ut motu illo vehementi & contentione, qua inter vomendum ventriculus ceteraque viſcera cientur, tum ſolidæ partes ſuccutiantur & ſtimulentur, tum humores aut reſolvantur aut revellantur, quam methodum vomitoria adhibendi vel hodie in morbis Chronicis præſertim, Iſchiade, tumoribus œdematoſis & Ictero apprime utilem eſſe Noſter ſubnotat. Primum quoque fuiſſe Aretæum, qui venæſectionis in manu mentionem fecerit, oſtendit: præterea eum arteriotomiam frequentius adhibuiſſe, item in diæteticis & chirurgicis accuratum & ſolertem fuiſſe, in externis vero remediis applicandis cum Methodicis, a quorum placitis Secta pnevmatica ceterum abhorruit, conſpiraſſe, perſpicue docet. Ipſe contextus operis Græcus luculenter & magnifice eſt impreſſus, niſi quod ſcripturæ compendia hodie paullo inuſitatiora frequentius in eo occurrant, tanta ceterum cum cura, ut verum omnino ſcripſerit Editor, eum unius tantum atque alterius literulæ menda laborare. Textum excipiunt variæ lectiones ex Codd. MSS. Harleyano, Vaticano & Auguſtano, ut & ex editione Goupyli, nec non Notis marginalibus MStis exemplarium Fabricii & Maittairii ſedulo collectæ & in concinnum ordinem digeſtæ. His ſubjunxit Cl. Editor Notas in varias iſtas lectiones, ſuasque emendationes & conjecturas adjecit, ex quibus clare patet, quantum valeat in arte Critica & litteratura Græca, plerumque enim Aretæum feliciſſime emendat cum ex Homeri & Hippocratis peculiari loquendi modo, quem imprimis tenuiſſe Aretæum liquido oſtendit; tum ex ipſis Aretæi atque Archigenis reliquiis, quas in ſuum opus, nominibus quamvis celatis, frequentius tranſtuliſſe ait Aetium ſupra notatum. Sequitur Commentariolus de Aretæi dialecto, quem Cl. Maittaire, rogatus a Celeb. Freind, compoſuit, in quo ſcite obſervat, Aretæum Jonice quidem ſcripſiſſe potiſſimum; Doriſmum tamen at-

Marginal notes: XXIX. (beside "nere. In quarta denique…"); XXXI. (beside "ſubnotat. Primum quoque…"); XXXIV. (beside "cum Methodicis…"); Præf. p. IX. (beside "tanta ceterum cum cura…")

que Æolismum cum magno ubique Homerum imitandi studio frequentius admiscuisse. Idem Cl. Vir isti Commentario comitem esse voluit Indicem Græcum in Aretæum locupletissimum & accuratissimum, in quo, ceu ipse monet, in præfatiuncula ad Cl. *Wigan*, indici illi præmissa, annotantur pleræque voces raræ & insigniores, loquendique formulæ, Aretæo vel propriæ, vel cum aliis, Hippocrate præsertim, Homero & Herodoto communes, vocabula quoque a Constantino & Henr. Stephano in suis magnis Lexicis Græcis vel prætermissa, vel ἀμάρτυρα, occurrunt, diversimode indicantur, præterea de quibusdam Aretæi locis, quorum lectio suspecta, item de stilo ejusdem peculiari syntaxique nonnihil adjectum legitur. Additæ quoque sunt huic Lexico ab eodem Cl. Viro binæ appendices, una de vocabulis medicis in Aretæo obviis, altera de variantibus lectionibus ex quinque MSS. Codd. Bibl. Reg. Paris. ad marginem Aretæi Turnebiani ad Cl. Freind transmissi adscriptis, quas vero aut nullius, aut perquam exigui esse momenti, & maximam saltim partem ineruditorum scribarum errata esse, candide fatetur Cl Maittaire in præfatiuncula appendici præfixa: plurimum interim literarum Græcarum studiosi debebunt pertinaci illius industriæ in his omnibus perficiendis. Ad calcem denique universi operis, ad quarundam Stephani atque Wechelii Editionum Græco-Latinarum exemplum, rejecta est nova versio Latina magno studio & cura a Cl. *Wig.* elaborata, quum ipsi antiqua illa Junii Pauli Crassi anxie plerumque ad Textum Græcum efformata atque hinc intellectu passim difficilis in plurimis displiceret. In qua pari propemodum felicitate venustum latini Hippocratis, ut Celsus vocatur, stilum expressit Cl. Autor; ac ipse Aretæus Græci Hippocratis teres atque rotundum scribendi genus in suum opus transtulit. Fatendum tamen est, absolutissimam ceteroquin hanc Aretæi editionem lectoribus longe commodiorem & gratiorem fore, si elegans hæc versio textui suo e regione responderet. Paucissimi enim Græce adeo sunt periti, ut Autorem imprimis tam arduum, βραχυλόγον, & peculiari prorsus ac a communi multum recedente scribendi modo utentem, qualem Aretæum præsertim esse constat, sine versione legere & intelligere possint. Molestus vero & inamœnus labor est,

eſt, ſemper ad verſionem in fine operis collocatam recurrere, ubi locus dubius & obſcurus remoram injicit, idque ideo magis, quod paginas illius paginis Textus Græci minime reſpondere animadverterimus.

DANIELIS WILHELMI TRILLERI, M.D.
Conjecturæ & Emendationes in Aretæum.

QUum nuper nitidiſſimam Aretæi Editionem Oxonienſem paullo attentius perluſtrarem, quædam mihi in aliquot loca dubia, obſcura & deſperata ſubnatæ ſunt inter legendum conjecturæ, quas hic cum Lectoribus harum rerum cupidis communicare placet. Nec mihi ſuccenſebit, ſpero, Cl. *Wigan*, modeſte ab ipſo nonnunquám diſſentienti. Sed quid plura? fiat ergo initium.

Legitur: *ἐξήρανται γὰρ τάλλα ἀτὰρ καὶ τὰ ἄλλα διψαλέα* p. 5.
ὄργανα ςόμα, ςόμαχος. Quid hæc ſibi velint, equidem prorſus ignoro, inquit Cl. *Wigan*. Putem ego legendum eſſe: *ἐξήρανται γὰρ τῇ ἀλέᾳ, æſtu enim exaruerunt. ἀλέα* ſeu *ἀλέη*, æſtus, in hoc ſignificatu aliquoties apud Aretæum occurrit, item apud Homerum atque Hippocratem legitur.

Ἐρυγαὶ κακώδεες, βρομώδεες, ὡς ἐξ ἁλὸς ὀρυγμῇ. Longe 36.
petita videtur Cl. *Wigan* hæc de halitu ex ſalinis, ut quidem vertit, Comparatio, mallet ergo, deleta voce *ἁλὸς*, legere *ὀξυρεγμίη*, voce Hippocrati familiari. Forſan tamen & ita ſanari poſſet locus: *ὡς ἐξ ἁλὸς ἐρυγμοὶ, quemadmodum ſunt ructus a muria*, aut, *quemadmodum ſunt ructus & vomendi conatus ex mari nauſeantium.* Certe res nota eſt. Vox *ἅλς* quoque utrumque ſignificatum admittit.

Ἐι δὲ ἐκτανύσαι βιᾶται, ὅκως ξύλα ἱκανὰ καταξέων, τὰ μέ- 40.
λεα βραχύτερα ἑωυτέων γίγνεται. Inſigne mendum his verbis ineſſe credit Cl. *Wigan*, nec injuria. Videtur tamen hoc modo illud poſſe tolli: *ὅκως ξύλα ἱκανὰ καταδέων*, h.e. *ſi quis idonea ligna*, i. e. aſſulas ad extendenda & firmanda membra luxata aut fracta. Chirurgis conſuetas (*νάρθηκας* vocat Hippocr. de officin. Med. & *ferulas* Celſus) *ſubligaverit*, aut *κάτω δέων*, *infra ligaverit*, aut denique *καταζευγνύων*, *adjunxerit*. Senſus ſane ita clarus fit atque perſpicuus. Paulo ante legitur *μέλεα κοῖλα*, *membra cava*,

ubi malim κυλλὰ, *curva*, sequitur enim: ἐς μῆκος ἀποτίνεται; forsan tamen & illud ferendum. Nihil definio.

p. 42. Ἕινεκεν αὐτῶν (ὀνύχων) ἐςι πόνος, ὥσπερ καὶ τὰ ςερεά. Mendosa hæc esse recte opinatur Cl. *W.* forsan sic legendum fuerit: ὥσπερ κέρατα ςερεῶν, *dolor unguium veluti cornua rigidorum.* Sensus quidem haud ineptus.

43. Κῆν μὲν εἴσω ῥέπῃ τὸ πύον, αἱ πλευραὶ τὰ ὀςέα κατὰ χώραν τὴν σφῶν αὐτέων φθίσιν ἔλεξα πρόσθεν ἑτέραν ἔμμεναι, συμβεβῶσαν κατὰ φύσιν. Hæc, prout jacent, nemo intelligit, ut ipse candide quoque fassus est Cl. *Wigan.* Hoc tamen modo sensus aliquis depravato huic loco reddi posse videtur: κῆν μὲν εἴσω ῥέπῃ, αἱ πλευραὶ τὰ ὀςέα (κατὰ χώραν τὴν σφῶν αὐτέων φθίσιν ἔλεξα πρόσθεν ἑτέραν ἔμμεναι) συμβαίνεσι κατὰ φύσιν, h.e. *si interiora versus vergat abscessus, costarum ossa (juxta quarum regionem phthisin illam alteram fore supra pronunciavi,) conjuncta manent secundum naturam suam.* Certe sensum hunc intendisse Aretæum, colligitur ex sequentibus: ἢν δὲ ἔξω ῥέπῃ. διίςαται τὰ ὀςέα, & mox: εὖτε ἔνθα καὶ ἔνθα ἡ πλευρὰ παρωθεῦνται. Συμβαίνεσι vero hic significat *coalescunt, consentiunt,* item & *contingunt*, quomodo verbum συμβαίνειν usurpari notum est.

47. Γέροντες ἀπόφρικτοι ἁλόντες, ὅσον βραχείης ῥοπῆς ἐς εὐνὴν θανάτε χρέος. Hæc sana esse nequeunt, inquit Cl. *Wigan*; mihi secus videtur. Interpungendus & vertendus locus: ἀπόφρικτοι ἁλόντες ὅσον βραχείης ῥοπῆς, ἐς εὐνὴν θανάτε, χρέος: *senes quum semel horrore correpti fuerint, tunc levi saltim momento ad mortis quietem opus est.* Sensus planissimus. Citius extinguuntur senes exsucci, ac alii vegeti & succi pleni.

49. Ἄπορον μὲν ἐ γίγνεται τὸν ὄγκον τε τὸν σκληρὸν ἵζον ἐς Σκίῤῥον ἱδρύεσθαι. Vitiata hæc esse putat Cl. Editor: mihi vero facile sanari posse locus videtur, legendo saltim ἵζοντα, & vertendo: *nullum quidem suboritur dubium, tumorem durum subsidentem in Scirrhum demum confirmari,* quod & jam in sua versione suboluisse Crassum monet Cl. Maittairius, qui ipse mallet τό τε σκληρὸν, ut concordet nempe melius cum τῷ ἵζον, quod tamen non necesse. Imo & ἵζον cum τῷ ὄγκον jungi potest περὶ τὸ

τὸ σημαινόμενον, aut per *ἀνακόλουθον* figuram. Ut *βρέφος φέροντα* apud Anacr. od. III. *Καρποὺς ἃ* apud Lucian. in Amor. *λόγος*, *ἐκεῖνο*, apud Ælian. V. H. XII, 60; plura collegere Grot. ad Luc. XXII, Cleric. Art. Crit. P. II S. I C. 10, Perizon. ad Sanctii Minerv. p. 725, Voss. ad Catull. p. 296, imprimis vero Jensius in Lect. Lucian. L. II c. 4 & J. F. Gronov. ad Senec. L. IV de Benef. c. 32 p. 175.

Εὖτε τῶν παρεόντων ἕκαστον ὡς τὸ μηδὲν οὐκ ἐπιστρέφειν. Hæc se non intelligere jure conqueritur Cl. *Wigan.* Sed ita fortasse verba sint constituenda: *εἰ δὲ τῶν παρ. ἑκαστ. ὡς τὸ μηδὲν οὐκ ἐπιστρέφει*, h. e. *si vero horum quid, quæ antea in usu fuerant, ceu penitus sublatum non revertitur*, sensu loco accommodatissimo. *Τὸ μηδὲν εἶναι* Græci dicunt de re plane sublata, inde *οἱ μηδὲν ὄντες* illis eleganter dicuntur mortui. p. 54.

Στρόφοι βαρέες ἀνέκλιστοι, τὸ γὰρ ἑλικοειδὲς ἔντερον, ἀνέλικτοι, tortuosi, legit Cl. *Wigan* ab *ἀνελίσσω*, quod tamen & alibi & apud ipsum Aretæum *evolvo* significat, unde *ἀνέλικτον, non tortuosum.* Crassus hic legisse videtur *ἀνέκλειπτοι*, vertit enim *tormina perseverantia*, ab *ἀνεκλείπω*; verum hanc vocem in Thesauro Stephani sine autoritate legi bene monet Cl. Maittaire, nec sensum quidquam hic juvat: ratio enim additur, cur involuta sint & tortuosa tormina, *τὸ γὰρ ἑλικοειδὲς τὸ ἔντερον*, *ipsum enim intestinum*, in quo scil. morantur & luctantur, *est tortuosum.* Mihi vix dubium est, quin legendum hic sit: *στρόφοι ἀνακύλιστοι*, ab *ἀνακυλίω*, *tormina involuta, tortuosa.* 61.

Αἴσθησις τοῦ λίθου ὁδοιπορέοντος ξυνῷ ὁμοβιαίῳ. Cl. Editor haud dubitat, quin Aretæus scripserit: *ξύντόνῳ βιαίῳ.* Concinna sane lectio; forsan tamen & scripserit: *ξείνῳ οἴμῳ βιαίη*, hoc sensu: *violenta est sensatio calculi insolita via iter facientis*, sive *a calculo iter faciente.* *Οἶμος* autem vox est poetica, Homerica imprimis, quales crebro Nostro placuisse ex omnibus fere paginis constat; accedit, ipsum Hippocratem eadem usum fuisse. ibid.

Καυκαλῶσαι τὴν ὑστέρην, de feminis loquitur Autor ex uteri prolapsu laborantibus. Vertit Cl. *Wigan*: *quasi a caule germinantem uterum*, quasi vox sit a *καυλὸς*, quum potius secundum analo- 73.

analogiam derivanda esset a Καυκαλὶς, herbæ notæ specie. In Notis vero procul dubio legendum esse censet Κυρχανῶσαι, *uterum inversum habentes*, ex Hippocrate, Hesychio & Suida. Optime quidem ad sensum loci; paullo vero remotius a veteri scriptura. Malim igitur simplicissime: ἀναχαλῶσαι τὴν ὑστέρην, *uterum relaxatum habentes*.

p. 75. Καὶ γὰρ οἷσι τῶν εὖ βδελικτέων ἡδονή. Locum insigniter corruptum pronunciat Cl. *Wigan*; nihil tamen tentat. Cl. Maittairius legere mavult ἑκατέρων, proxime quidem ad sensum; remotissime vero a priscis literarum εὐβδελικτέων vestigiis, ut ipse fatetur. Tentabo interim: καὶ γὰρ οἷσι τοιοῦτο εὐμείλικτος ἡδονὴ, *tale enim* (frigus nempe aut calor,) *ipsis*, arthriticis, *suavissima est voluptas*; sive sic: καὶ γὰρ οἷσι τούτων ἓν ἀβδελικτέον, οἷσι δὲ μὴ, *etenim horum unum quibusdam gratum est, quibusdam vero non*. Et hoc alteri præfero.

78. Ἀφροδισίων ὠμῶν καὶ ἀπέπτων ἡ ἀνάδοσις. Priorem vocem in σιτίων mutandam censet Cl. *Wigan*, optime. Malim vero: ἀπὸ σιτίων, quod melius adhuc repræsentat veterem scripturam ἀφροδισίων.

103. Διὰ εἰδῶν κέγχρου. διὰ ἀλῶν, acute legit Cl. *W.* sed legi quoque haud inepte posset: διὰ κριθῶν, κέγχρου, *per hordea, milium*, vel: διὰ κριθῶν καγχρύος, *per farinam tostam hordeaceam*.

108. Τῇ ὦ πλέοσι πρὸς τοῖς δακτύλοις, καὶ μὴ ἐπ' ἀγκῶνι, τάμνοι τις αὐτέην. Haud recte hæc se habere manifestum est, inquit Cl. Editor. Facilis vero est emendatio: τί ὦν πλέον κ. λ. *quid igitur prope digitos magis, & non in cubito, eam venam inciderit?*

112. Εἷς δὲ τις ἀριθμὸς ἐπίκαιρος. Totam sententiam depravatam credit Cl. *W.* facili vero negotio eam restitui posse crediderim legendo: εἷς δὲ τις ῥυσμὸς ἐπίκαιρος, *si vero unica figura, unica dispositio, unicum indicium fuerit periculosum.* ῥυσμὸς enim idem est ac θέσις, διάστασις, σχῆμα, τύπος, ut exponit Eustath. ad Dionys. Perieget. Conf. Menag. ad Diog. Laert. L. IX Segm. 47 p. 414: sæpius vox ista occurrit apud Autorem Libelli de Anatome inter Hippocratea relati, ad quem plura notavimus in *Specimine Hippocratico*.

Περ-

Πτόρθων ευωδέων ηδονῆς ῥιπίσι. Pro ηδονῆς legendum suadet Cl. *VV.* ηδέης, *lenibus*. Facilior vero lectio : εδαναῖς ῥιπίσι, *suavibus*, *voluptuanis flabellis*, voce Homerica Aretæo propria. p. 14.

Ἐν ἥπατι τῦ αἵματος ἡ γέννα, καὶ ἐς πᾶν ἔνθεν ἡ τῦ ---- ἀφεψή. Locus mutilus ex ingenio supplendus: Legi ergo sic posset: καὶ ἐς πᾶν σκῆνος ἔνθεν ἡ τῦ αὐτῦ (αἵματος) ἀπόπεμψις, *& in universum corpus exinde illius distributio.* Vel sic: καὶ ἐς πᾶν ἔντερον ἡ τῦ αὐτῦ ἀνάθρεψις, vel hoc modo: καὶ ἐς πᾶν ἔνθεν ἡ εὐπεψίη, ut loquitur de Hepate Hippocrates: vel denique hunc in modum: καὶ ἐς πᾶν ἔνθεν ἡ τῦ σκήνεος εὐεξίη. Omnia hæc huc quadrare videntur, si subsequentia quidem consulantur. 118.

Χρὴ δὲ καὶ τοῖσι ἐπιθέτοισι διασκιδνάναι τὰ ἐν τῷ ἥπατι στήθεα. Quid hoc significet, nescio. Crassus, *quæ acervata sunt*, vertit. An σταθέντα vel στηριχθέντα? ita in Not. Cl. *Wigan.* Fortassis scripserit Aretæus σταθέα, ut dicitur ἀσταθέα & εὐσταθέα, quod ipsum apud Nostrum occurrit. Verum quia nullum mihi adhuc notatum exemplum, ubi simplex σταθὴς ita fuerit usurpatum, mitto hanc conjecturam. Magis vero verisimile est, scripsisse Aretæum πλήθεα, a πλῆθος, quod nonnunquam idem esse solet ac πληθώρα, plenitudo, humorum ut & sanguinis redundantia atque infarctus. Ita enim Galenus πλῆθος esse ait πλεονεξίαν χυμῶν ἐν ὅλῳ τῷ σώματι συνισταμένην, *redundantem in toto corpore humorum consistentiam seu stagnationem*, vid. Foes. in Hipp. Oeconom. Haud ergo mihi amplius superest dubium, quin in Aretæo scribendum sit πλήθεα, imprimis quum πλήθεα & στήθεα vel apud ipsum Hippocratem aliquoties confundi inter se solere animadverterim. ibid.

Τῇ ἐσχάτῃ καὶ δυνατωτάτῃ πάντων ἀγωγῇ. Mallet Cl. *Wigan* ἀρωγῇ, *auxilio*, voce Homerica & Nostro hinc familiari, acutissime quidem; vix tamen videtur necessum. ἀγωγὴ hic est *eductio, evacuans*, ut sæpe apud Hippocr. & Galen. vocat ergo Aretæus Elleborum jure ἐσχάτην καὶ δυνατωτάτην ἀγωγὴν, *ultimum & potentissimum evacuans.* 130.

p. 133. Εὖ καλὸν ἐν τούτοις τοῖσιν, ἠδὲ πεμμάτων εὔπεπτα καὶ ἄκνισσα καὶ κοῦφα. Manifeſte corrupta hæc reputat Cl. *Wigan.* Nos ſic tentavimus locum deſperatum: εὔχυλον ἐν τούτοις ὄνησει, ἤδε πεμμάτων κ. τ. λ. *præſtat vero in his illud, quod bonum chylum generat, vel ex ſecundis menſis ea, quæ facile concoquuntur.* Commodior certe ſenſus huic loco reddi vix poteſt.

137. De Melancholia: ἐγκοτέει τε τῷ σκήνεϊ ἑτέρων νοσημάτων τόκους. Hic ἐγκύει mavult Cl. *Wigan*, quia illam vocem nihil huic locum aptum ſignificare invenit. Forſan tamen ſcripſerit Aretæus: ἐγκοιτέει, a κοίτη, *cubile, coitus, ſeminis conceptio*, atque hic libertate poetica pro ἐγκύει uſurpaverit.

Atque hæc fere ſunt, quæ in Aretæo mihi emendanda & interpretanda viſa ſunt. Æquum nunc ſuper his ſubitaneis mihi expoſco judicium cum a Cl. *Wigan;* tum ab aliis literarum Græcarum amatoribus.

PETRI PETITI, MEDICI PARIS. IN TRES priores Aretæi Cappadocis Libros Commentarii nunc primum editi.

Londini, impenſis Jo. Pellet, 1726, 4 maj.
Plag. 22.

Quæ igitur in exquirendo hoc Petiti in Aretæum Commentario Cl. *Wigan* denegata fuit felicitas, obtigit demum Cl. Maittaire, non in hoc ſolum, ſed & in univerſum de Aretæo optime merito. Is quippe brevi poſt tempore, ex quo ipſe Aretæus Oxoniæ ſplendide prodierat, egregium hoc Petiti opus ex ſchedis Grævianis, in quibus ab exceſſu ſui Autoris, per quadraginta amplius annos delituerat, in lucem publicam protraxit, ſimulque laudabili opera paginarum numeros & linearum Indices ad novam iſtam Editionem ubique accommodavit, quum ipſe Petitus ad paginas Edit. Turneb. qua uſus fuerat, lectores ablegaſſet. Admodum vero eſt dolendum, quod eruditiſſimus hic Commentarius maximam ſui partem mutilus ſit & mancus, ad tres enim ſaltim Aretæi libros priores, neque hos integros, usque pertingit, quum tamen cum ex luculenta Petiti præfatione, tum ex Menagii teſtimonio

monio in Not. ad Diog. Laert. jam A. 1663 prolato, tuto colligere liceat, universum hoc opus nomini Menagiano dedicatum jam tum fuisse absolutum. Magnam tamen interea gratiam ab eruditis inibit Cl. Editor, quod vel laceras has tabulas ex naufragio quasi servavit. Utinam vero parem iniisset a piis manibus illustris sui conterranei Petri Petiti, de cujus vita & scriptis in limine operis commentari quidem voluit; sed adeo leviter & perfunctorie, ut nulla ipsius scripta laudaverit, præterquam Observationum miscellanearum & Poematum libros; quum tamen ipse Petitus longe plura eaque præstantissima ediderit, adeo ut ab uno homine, quantumvis septuagenario majore, eam enim ætatem attigerat Petitus, quum vivis excederet, tot exasciata ingenii monumenta absolvi potuisse credibile vix videatur. Illorum quidem tam editorum, quam ineditorum Catalogum libenter hic contexuissemus, nisi ferias nobis jam fecisset Cl. Claud. Nicasii Divionens. laudabilis industria in Epist. dedicatoria ad Celeber. J. G. Grævium, qua ipsi P. Petiti Dissertationem de Nepenthe Homeri obtulit, in qua non solum de vita & obitu, sed & de omnibus eruditissimis scriptis Petr. Petiti docte, diserte & accurate agitur; quam Epistolam proinde mirum est nesciisse Cl. Editorem, alias enim uberiorem & succi pleniorem Autoris sui vitam nobis haud dubie dedisset, simulque præter alia multa de scriptis Petiti ipsi plane incomperta, didicisset, Librum de *motu animalium spontaneo*, item alium de *Lacrymis* non pro *ἀνεκδότοις* habendos, sed jam diu esse editos, illum quidem Paris. 1660, alterum vero ibidem anno sequenti 1661, quem suum errorem, quod ad Librum de animalium motu, ipsum demum revocasse ex Indice erratorum didicimus. Ipse Petitus cum Cl. *Wigan* consentit, Aretæi ætatem ultra Neronis ævum haud esse constituendam, ideo imprimis, quod in Theriacæ compositione carnis viperinæ ille meminerit, quam Andromachum Neronis archiatrum isti demum admiscuisse autor est Galenus, item, quod curationes tardarum passionum accurate persequutus sit, quas ante Themisonem, qui Augusti tempore vixisse & Corn. Celso æqualis fuisse creditur, neminem tradidisse commemorat Cæl. Aurelianus. Diversus tamen in eo Noster est a Cl. *Wigan*, quando Aretæum Juliani Cæsaris principatu paullo supe-

Præf. fol. XV. XVI. XVII.

 riorem

riorem credit, quod Aetius Amiden. qui illius principis ætate vixit
& Oribasio σύγχρονος fuit, Aretæi, ut antiquioris, autoritate ali-
quoties nitatur, quod & Paull. Ægineta fecit, ceteris interea scri-
ptoribus, ne ipso quidem Photio in vasto Bibliothecæ opere ex-
XVIII. cepto, altum de Aretæo silentibus. Iterum in eo ab ipso abit No-
ster, quod Aretæum Secta dogmaticum fuisse statuat, quum ta-
men eum pnevmaticum potius fuisse, post Cl. Dan. Clericum pro-
baverit Cl. *Wigan.* De stilo vero Aretæi monet, eum, relicto aspe-
ro & hybrido dicendi Cappadocum genere, ex quo ipsum Aretæi
XX. nomen, & non ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, ut Goupylus quidem voluit, de-
rivandum sit, ad venustatem Jonicam & concisum imprimis atque
nervosum Hippocratis stilum fuisse feliciter efformatum. De
Aretæi Editionibus idem fere Nostro est judicium cum Cl. *Wigan:*
XXIII. laudat primam Græcam Goupyli, nisi quod versione careat, sine
qua Jonica a paucis intelligi possint; postremam vero Græco-La-
tinam Henischianam ceu fatuam & absurdam rejicit; improbat
quoque Jun. Paulli Crassi versionem Latinam; commendat tamen
alteram a filio ejus Celso ex Græca Goupyli editione expressam at-
que hinc priore longe emendatiorem, quamobrem eam propter
paucos lapsus totam immutare, atque novam plane dare, ut ani-
mus quidem fuit, noluit, ne præposteræ ambitionis reus videretur.
XXIV. Tribus potissimum Codd. manu exaratis in conscribendo hoc suo
Commentario se usum fuisse testatur, uno a Bibliothecæ Collegii
Claromontani præfecto Cossardo ipsi concesso, duobus vero aliis
ex Bibliotheca Menteliana petitis, a quorum altero sese alicubi in-
signiter adjutum fuisse fatetur. In ipso Commentariorum opere
ita se ubique noster exhibet Petitus, quomodo decebat Medicum
solide doctum & in re Critica probe versatum. Non enim solum
in vocularum apicibus occupatus est & sterilem agrum arat; sed
ubique res notatu dignas nec ubivis obvias interspergit, ex quibus
Comment. paucas hic excerpsisse juvabit. Sic de iis agit, qui aures ex arbitrio
p. 17. suo motitare potuerunt, exemplaque Herculis apud Athen. sacer-
dotis cujusdam ap. Eustath. Mureti ap. Casaubon. aliorumque ap.
Casp. Hofmann. allegat, additque ex Cruquio ad Horat. Epod.
XV Flacci cognomen iis datum fuisse, qui flaccidas aures habe-
30. 31. rent. Curiosa quoque habet de turbidæ Nili aquæ percolatione, ut

potui

potui ea esse possit. Ex Gothofr. Hegnitii Itinerario Holland. me- p. 51.
morabilem Historiam anatomicam refert de milite in corde sau-
cio, qui ultra quindecim dies vitam sustentavit. Porro varia ex sa- 57.
cris æque ac profanis literis allegat exempla eorum, qui sub mortis
articulo divinarunt. Mendacium prætera seu dolum bonum ad æ- 73.
groti salutem directum Medicis concedit, Platonisque atque Ga-
leni autoritate confirmat. De ipso suo patre, qui 85 annum attigit, 83.
narrat, quod ipsi usque ad mortem mens semper constiterit, tam-
que acre ingenium fuerit, ut, licet literis humanioribus non expo-
litus, ingenii tamen bonitate id consequutus sit, ut de singulis re-
bus politicis & altiore indagine dignis multo melius judicaret iis,
qui omne ævum in illa Philosophiæ parte triverant, adeo, ut hinc
non doctus solum, sed & Philosophus haberetur. Miraculum 92.
etiam patientis Salvatoris magis extollit, dum dextram Malchi
auriculam a Petro abscissam confestim redintegraret, quum alias
per naturam dextra auricula sinistra longe difficilius coalescere
credatur ab Aristotele & Commentatore Aponensi, quorum loca
ibi producit. Demum elegantem & doctam digressionem de for- 123.
tuna Medici instituit, ut alia taceamus passim obvia. Non minus
vero ingeniosæ sunt ipsius emendationes Criticæ, ex quibus ali-
quot saltim hic delibemus. Pro *Νυγμὸς* verius substituit *Μυγμὸς*:
pro *αὐλιοθὲν* concinnius legit *ἀλιοθὲν*: pro *ἀτμὸς ἀνὰ ῥῖνας πο-* 9.
λὺς, feliciter emendat *ἀτμὸς ἀνὰ ῥινὸν πολὺς*, sensu perspicuo: 46.
pro *ἐρέσσι ἐν τῷ ἠέρι* verius substituit *ὀρέσσι*: pro *πνεύμασι*, 56.
quod delendum quidem censet Cl. *Wigan*, legendum acutissime 58.
jubet *πιτυοκάμπησι*, pro verbis *Νέυει ὄκως πρέμνον*, ingeniose 69.
legendum conjicit *ὄκως πρύμνη*: pro *Φαρμάκων*, opportune sub- 70.
stituendum monet *ἀφορμῶν*, initia morborum. Sed omnium Pe- 119.
titi conjecturarum sequens nobis princeps videtur, ubi in Aretæo,
loco, quo de syncope sermo, pro corruptis & nulli intellectis *ὤκύ-* 48. 49.
φων ού κακοῦ, felicissime legendum hariolatur: *ὠκυφόνου κακοῦ*,
mali celerrime perimentis. Fatendum quidem est plerasque ha-
rum emendationum & hanc ipsam quoque postremam in men-
tem etiam venisse Cl. *Wigan*; nihil tamen vetat, quo minus in-
ventionis gloria ad Petitum æque redundare possit ac ad illum,
imprimis quum spatiosum temporis intervallum Nostrum ab o-

 mni

omni plagii suspicione plene absolvat. Ceterum huic Commentario adjectus est a Cl. Maittairio Index Autorum, rerum & verborum locupletissimus, in quo præter alia multa, non solum Jac. Goupyli Epistola Græca ad Oddon. Castillionium Cardinal. suæ editioni cum Octasticho præfixa; sed & multæ Guilielmi Morelli & in Aretæum ipsum, & in versionem Junianam emendationes, ab Henischio omissæ, continentur.

RAYMUNDI DUELLII, CANON. REGUL. S. August. Lateran. Historia Ordinis Equitum Teutonicorum Hospitalis S. Mariæ V. Hierosolymitani.

Viennæ Austriæ, apud Petr. Conr. Monath, 1727, fol. Alph. 3 Tabb. æn. 7.

INtra biennium certasse videntur Germaniæ nostræ & Galliæ viri quidam eruditi de historia Ordinum equestrium Hierosolymitanorum consignanda atque illustranda. Prout enim Celeberr. Abbas *Vertotius* Equitum Hospitalium S. Joannis Baptistæ, qui deinceps Rhodiensium, tandem vero, & hodienum Melitensium nomine inclaruerunt, res memoria dignas egregio nuper volumine persecutus est, ita Reverend. *Duellius*, Canonicus Regularis S. Augustini Lateranensis, studium industriamque suam collocavit in disquirendis rebus Equitum Hospitalium Teutonicorum, qui Mariani a tutrice sibi delecta S. Maria Virgine & Crucigeri ab insigni suo dicti sunt. Neque vero is integram Ordinis hujus historiam opere suo complexus est, sed ex bullis, diplomatibus, chartis, sigillis antiquis, tabulisque genealogicis tabularii potissimum Præfecturæ Austriacæ eam saltem adornavit, ita tamen ut parte prima Dissertationem Isagogicam seu compendium historiæ Equestris Ordinis Teutonici præmiserit. In quo veritati historicæ tantam quantam par est operam daturus, *Petri Duisburgensis*, scriptoris Schurzfleischio quoque probatissimi, *Annales Terræ Pruschiæ*, in eosque doctissimi *Hartknochii* notas exquisitas secutus est; neque tamen istas ita simpliciter, ut non interdum meliora docuerit. Sic enim statim ab initio Part. I Sectione I, qua origo, institutum, confirmatio & vestitus Equitum Teutonicorum de-

describuntur, Bullam quandam confirmatoriam Cœlestini III Papæ, ab Hartknochio & Lunigio nostro publici juris factam, νοθείας arguit. Cumque in prioribus Ordinis temporibus prolixior, in posterioribus brevior esse instituerit, periodo temporis illi quæ ab A. 1190 ad annum usque 1498 fluxit, sectiones quatuor satis amplas, ei autem quæ inde ad nostra usque tempora extenditur, non nisi unam sectionem tribuit. In singulis res memoratu dignas attulit, quas autem malumus integras commendare legendas, quam carptim hoc loco delibare. Id vere de hoc etiam compendio historico accipi potest, quod seorsim de documentis chartaceis in fidem illius per partes operis sequentes evulgatis Autor affirmat, historiæ nimirum omni, mediæ præsertim ætatis, scientiæque genealogicæ lucem fœnerare haud exiguam. Ceterum id tacere non possumus, quod ipse Rev. Autor ad Amicum de Compendio hoc, quod primam operis Partem constituit, perscripsit, *optare se* scilicet, *illud ita legi, ut ad quodvis verbulum, maxime ea, quæ epitheta nominamus, Lector attendat; haud enim raro in iisdem animi ipsius sensum aut veritatis quidquam tale, quale explicate dicere haud licuerit, delitescere; adulatum se haud esse, etsi ad scribendum conductum.* Exhibet vero Pars II documenta antiqua sexaginta tria, quæ vel ad Ordinem Teutonicum universum spectant, vel certe ad Balliviam, quam dicunt, Austriacam nullo modo referuntur. Contra Parte III non nisi ea continentur monumenta diplomatica, ducenta quidem & undeviginti, quæ Præfecturæ huic propria sunt, quæque Autori colligere eo facilius fuit, dum ab Illustrissimo Comite Guidobaldo de Starenberg, cujus etiam nutu & auspicio librum suum edidit, ad perscrutandum locuples Præfecturæ equestris Viennensis tabularium fuit adhibitus. Præmittitur quoque hisce monumentis dissertatiuncula de origine Balliviæ Austriacæ, quam tamen certo exquirere non licuit, sed conjectura saltem assequi; catalogus item Præfectorum Ordinis provincialium, & Præfecturarum inferiorum, Equitumque Ordini in Austria adscriptorum, quorum quidem memoria superest. In Partem denique IV conjecta sunt nonaginta novem sigilla antiqua observatu digniora itidem ex tabulario Præfecturæ Austriacæ figuris æri incisis satis eleganter & accura-

curate delineata; itemque viginti quatuor Tabulæ genealogicæ insigniorum quarundam familiarum equestrium, quæ ordine alphabetico disponuntur. Sed & appendix non prætereunda nobis est, quæ quippe totum hocce opus ornat selectis quibusdam apographis privilegiorum Ordini Teutonico ab Imperatoribus ac Pontificibus Romanis olim concessorum. Communicavit ea cum Autore nostro, pro singulari suo, quo rempublicam literariam identidem juvat, studio, Vir Doctiss. *Jo. Fridericus Schannat*, Historicus Fuldensis celeberrimus; cui propterea Rev. Duellius noster gratias certe oportet habeat tanto majores, quanto plura rerum monumenta ad historiam & dignitatem Ordinis Teutonici spectantia absque illis privilegiorum literis libro ipsius defuissent.

Genealogische Adels-Historie ꝛc.

h. e.

VALENTINI KÖNIG, POT. REG. POL. ET EL. Sax. Inspectoris accisarum Kohrensis, Historia Genealogica Nobilium Familiarum, quæ in Saxonia Electorali & vicinis provinciis tum olim floruerunt, tum adhuc florent; cum Præfatione D. JO. BURCHARDI MENCKENII, in Gærniz, Pot. Regi Pol. & El. Sax. a Consiliis Aulicis & Historia, Histor. P. P. & Societ. Britann. & Borussicæ Socii,

Tomus I.

Lipsiæ, sumptibus Wolffgangi Deer, 1727, fol.

Alph. 7 pl. 8 cum insignibus æri incisis.

CL. Autor cœptam a Patre cognomine, Pastore quondam Kohrensi, Historiam Nobilitatis Saxonicæ multorum annorum labore eo deduxit, ut, si monumentis paulo pluribus adjuvetur, integra quatuor & ultra Voluminibus vulgari possit. Prodit nunc primum, LX Nobilium familias complexum, in quo ita versatur, ut Sectione generali 1) de nomine, antiquitate & origine, 2) de insigni, quod initio cujusque capitis æri accurate incisum

sum exhibetur; 3) de feudis & prædiis cujusque agat; sectione vero speciali omnes in quavis familia cognitas personas nominet, illustriorum fata & res gestas notatu digniores commemoret, denique in Tabulis Genealogicis majores 32 e paterna maternaque hodie viventium stirpe repræsentet. Nos nomina saltim dabimus familiarum illustrium, quæ hic recensentur; sunt vero: *Arnim, Bærenstein, Benckendorff, Biesenroth, Brandenstein, Brande de Lindau, Carlowitz, Dacheröden, Dehn-Rothfelsser, Dieskau, Einsiedel, Ende, Feilitzsch, Friesen, Geusau, Grünrod, Haugwitz, Helldorff, Hopfgarten, Janus ab Eberstædt, Knochen, Könneritz, Langenau, Löser, Luttichau, Mergenthal, Milckau, Müffling dict. Weiss, Natzmar, Osterhausen, Peistel, Planitz, Plötzen, Poigk, Polentz, Pölnitz, Preussen, Reibold, Rockhausen, Sahle, Sahrer de Sahr, Schauroth, Schellendorff, Schicken, Sommerlat, Stangen, Starschedel, Stein, Taupadel, Thümen, Thümmel, Thumshirn, Troyff, Wambold de Umstædt, Weldewitz, Werder, Wilde, Witzleben, Wolfframsdorff, Zehmen.* In Præfatione Celeb. *Menckenius* observat, hoc imprimis seculo studium familiarum nobilium, quod antea perpauci excoluerunt, magnopere florere, plurimaque, quæ huc pertinent atque exiguo annorum spatio in lucem prodierunt, scripta succincte recenset. Quibus addi utique meretur opus sequens.

Die löblichen Herrn, Herrn Stände des Ertz-Hertzogthum Oesterreich ob der Ennß ꝛc.

h. e.

JOHANNIS GEORGII ADAMI LIB. BARONIS de HOHENECK, Domini in Schlüsselberg, Prunhof, Trætteneck, Gallspach, Rechberg, St. Panthal. & Steinbach, Status Provinciales Archi-Ducatus Austriæ ultra Anisum, ut Prælati, Domini, Equites & Civitates, seu Genealogico-Historica Descriptio de horum origine, fundatione, propagatione, insignibus, clypeis, de monasteriis &c.

Tomus I.

Passavii, typis Gabrielis Mangold, 1727, fol.

Alph. 8 plag. 14 cum Insignibus æri incisis.

OPus compar priori sistimus, nisi quod paulo latius evagatur & præter familias illustres Austriæ ultra Anisum, etiam ejus Status reliquos, urbes scilicet, arces & monasteria, considerat. Imprimis vero huic operi pretium accedit ab Illustri Autore, qui ut inter amplissima munera, & curas œconomicas, labori & sumptibus minime pepercit, ita mire adjutus fuit instructissimo Archivo, a majoribus, ad tuenda Nobilitatis Austriacæ jura & res ejus conservandas admodum attentis, relicto. Facile etiam fidem eidem habemus, quando in Præfatione se scripsisse ait, ut Virum bonum decet (*als ein ehrlicher Mann*) procul invidia & amore: quare ne aliam præ alia familiam extollere videatur, secutus est fere ubique ordinem alphabeti. Et primo quidem insigne quam accuratissime describit, deinde Genealogiam ab eo tempore, quo consedere in hac Austriæ provincia cepere familiæ, explicat, ejusque varias stirpes investigat, & sedecim imprimis majores describit, non neglectis epitaphiorum inscriptionibus, postremo de Comitatibus, feudis arcibusve & prædiis, quæ possident familiæ singulæ, luculenter agit. Nec suæ familiæ, e qua Rudolphus Habspurgicus Imp. dictus de Hohenegg ortus creditur, defuit, de qua a p. 345 ad 379 commentatus est. Ut vero illustriores tantum Principum vel Comitum familias hic memoratas nominemus, sunt illæ: *Auersperg, Bucellini, Cauriani, Diethrichstain, Geyersperg, Grundemann, Gurland, Hamilton, Hardeck, Harrach, Közianner, Kuefstein, Lamberg, Liechtenstein, Hohen-Waldeck & Maxlrayn, Wartenburg.* Præmissa est operi Introductio, in qua de hujus Austriæ partis insigni, situ & proventu, arcibus & prædiis nobilium, de regimine & qua ratione provincia hæc pervenerit ad domum Austriacam, de Comitibus Limitum & aliis hujus provinciæ Ministerialibus, de Statibus item provincialibus eorumque Comitiis, privilegiis & consuetudinibus agitur, & nonnullæ adduntur observationes de origine insignium, de sigillis e cera alba, viridi, nigra & rubra paratis, de mutatione nominum certarum familia-

rum,

rum, & imprimis de variis titulis, quibus tum olim tum hodie compellati ſunt nobiles aliique viri illuſtres. Atque hic obſervat, titulum *Ehrbar*, honeſtus, & *Achtbar*, ſpectabilis, olim Principibus quoque & Comitibus conceſſum eſſe, & ex inſigni diplomatum omnis ævi apparatu exempla eorum refert, qui *Werth*, *Ehrſam*, *Beſcheiden*, *Weiſs*, *Edl*, *Veſt*, *Geſtreng* &c. dicti ſunt, de fœminis quoque Comitum & Nobilium nonnulla addens, quibus titulum *Gemahl* demum circa A. 1460 indultum fuiſſe notat, cum ipſæ Principes antea elogium *cheliche Wirthin* non aſpernatæ ſint.

FIRMA BURGI, OR AN HISTORICAL ESSAY concerning the Cities, Towns and Buroughs of England.

h. e.

SPECIMEN HISTORICUM CONCERNENS Civitates, Urbes & Burgos Angliæ, ex Actis publicis depromtum, Autore THOMA MADOX, *Equ. Hiſtoriographo Regio.*

Londini, apud Robertum Gosling, 1726, fol.

Alph. 3 pl. 20.

NOn ignotum inter Hiſtoricos Angliæ Cl. *Madoxii* nomen, cui præter alia, *Formulare Anglicanum*, quod jam tum A. 1702, & *Hiſtoriam Scaccariæ* (of the Exchequer) quæ nuper prodiit, debemus. Uti vero in illis id egit, ut uſum imprimis diplomatum, quorum ipſi copia inſignis ſuppetit, oſtendat, parum curans, quid ab aliis ſcriptoribus dictum ſit, ita hic quoque liber, quamvis diſſertationibus quibusdam connectatur, totus tamen diplomatibus illuſtratus eſt, quæ unum Jus regium in urbes Angliæ concernunt. Cave enim putes, hic antiquitates aut alia explicari, quæ ad deſcriptiones urbium pertinent; id potius Autori propoſitum, ut probet, civitates Angliæ tam corporatas quam incorporatas a Rege teneri Firma feudi ſeu Burgi, quam vocant, ita ut onera ferre ac debita ſolvere tum communitates tum certi cives ex veteri jure, tot exemplis confirmato, adhuc obligentur. Quamvis nondum tamen hic abſolvit omnia; multa quippe ſuppleturus in altero, quod pollicetur, opere, ſub rubro: *Feudal Hiſtory and Cuſtu-*

mier of England prodituro. Nos, quorum parum intereſt, de argumento libri plura cognoſcere, nihil addimus, niſi quod obſervamus, Autorem, ubi compendia literarum occurrunt in di. lomatibus, ea ſupplere ex ingenio, lacunis tamen parentheſi incluſis, ex. gr. *in Elem(oſyna) noviter conſt(ituta)* & reliqua. Quod ad ornatum, nihil omiſſum eſt, quo ſe liber ſubſcriptoribus commendaret.

THE LITERAL ACCOMPLISHMENT OF Scripture-Prophecies.

h. e.

TRACTATUS DE PROPHETIIS SCRIPTURÆ S. ad literam impletis, quo cumulate reſpondetur Diſcurſui nonneminis, de fundamentis et rationibus religionis Chriſtianæ; Autore GUILIELMO WHISTONO, *M.A. Mathematum in Univerſitate Cantabrigienſi quondam Profeſſore.*

Londini, apud J. Senex & W. Taylor, 1724, 8 maj.

Plag. 12.

CL. *Whiſtonus*, poſtquam ſemel bellum indixit ſenſui allegorico & typico Prophetiarum Scripturæ S. omnes in hoc nervos ingenii, quo gaudet, fertiliſſimi intendit, ut per inductionem probet, ſingulas Prophetias tam Veteris quam Novi Inſtrumenti de unico tantum objecto futuro *directe* pronuntiatas & ad *literam* ſuo tempore impletas, vel adhuc implendas eſſe. Cum autem ſacri codicis textus, quo hodie Eccleſia noſtra utitur, e diametro ſæpius obſtet Viri Cl. conatui, ne quid inde ſententia ſua detrimenti capiat, hunc textum mutilum, mancum, perplexum, corruptum, ab impiis Judæis & Maſorethis adulteratum, ab Hieronymo autem ex ignorantia, loco genuini illius & perfecti, quem LXX interpretes, quem Chriſtus & Apoſtoli, quem doctores Chriſtiani Seculi I, *Whiſtono* ajente, præ oculis habuerunt, ſed qui nullibi nunc, niſi in reſtauratoris ingenio, exſtat, in Eccleſiam inductum eſſe, ſatis pro imperio ſtatuit.

Hiſce præſuppoſitis, pag. 1 ſeq. prædictiones V. T. de Meſſia confert cum locis a quatuor Evangeliſtis & in Actis Apoſtolorum cita-

citatis, inque Jesum Nazarenum applicatis, ut ostendat, omnes has prædictiones ῥηθῶς impletas esse. Sed observat p. 19 horum textuum quosdam in vulgatis exemplaribus V. T. nunc plane deesse, e. g. *Matth. II, 15*, (loco *Hoseæ XI, 1*, a Judæis, si Diis placet, corrupto) *Matth. II, 23, Matth. XIII, 34, Luc. XI, 49, 50, 51, Joh. VII, 38, 39*; quosdam, licet in exemplaribus hodiernis adhuc exstent, ex aliis tamen plane libris, quam ubi nunc conspiciuntur, esse desumtos, e. g. *Matth. XXVII, 9*, quem textum in codicibus Seculi I inter vaticinia Jeremiæ lectum, nunc mutilatum &, sine connexione, libro Zachariæ insertum esse, *Whistonus* nos docet: alios denique in Pentateucho Samaritano, vel Psalterio Romano integros inveniri, cum in nostris codicibus non nisi truncati, si fides penes Autorem est, reperiantur.

Pag. 27 seq. vaticinia ex *Danielis cap. XI*, cum literali eorum impletione, a tempore Cyri Persarum Regis ad hunc usque diem, proponit, & quidem v. 1 & 2 tres illi Reges, dicente Autore nostro, sunt *Cambyses*, *Smerdis* & *Darius* Histaspis, quartus autem *Xerxes*. Versiculus 3 de *Alexandro M.* 4 de *Ptolemæo* Lagi, *Philippo* sive Aridæo, *Seleuco* Nicatore & *Antigono*, 6 de *Laodice* & *Berenice*, uxoribus Antiochi, 7 seq. de *Ptolemæo* Evergete, 10 de *Seleuco* Cerauno & *Antiocho M.* 11 de *Ptolemæo* Philopatre *directe* & ad *literam* vaticinantur; atque sic pergit Noster usque ad v. 44, quem *exacte* impletum esse ait, per nuperum *bellum Turcicum* & expeditionem *Imperatoris Russici Petri I* in *Persia*; quæ expeditio, *Whistono* judice, permagni refert, tum *Judæorum*, tum *Christianorum*, tum totius *generis humani*. Sed hæc exitus probabit: reliqua autem, quæ hoc & sequenti capite Danielis prædicuntur, adhuc futura esse Autor noster pronuntiat.

Pag. 76 & 77 *Prodromi* futuræ destructionis Antichristi, restitutionis Christianismi primitivi, & reditus Judæorum in Palæstinam exhibentur, quos inter, præter institutionem *Orphanotrophii Glauchensis* prope *Halam* in *Saxonia*, *Canonem* quoque *Ptolemæi*, *Pentateuchum Samaritanum*, *Historiam Aristeæ* de LXXII Interpretibus, *Oracula Sibyllarum*, *Constitutiones Apostolicas*, Epistolas *Clementis* Romani, *Barnabæ*, *Ignatii* & *Polycarpi*, aliosque hujus generis libros, non ita pridem detectos, vel contra statum

quæstionem a se assertos, Autor noster numerat; tum pag. 78 seq. *prædictiones*, quas vocat *præparatorias*, de Antichristi destructione, nec non restauratione Christianismi primævi & nationis Judaicæ in ultimis mundi temporibus, non tantum ex Scriptura S. sed ex foliis quoque *Sibyllarum*, e *Constitutionibus Apostolicis* & libro *Tobiæ* depromit, easque partim ad *literam* jam impletas esse, partim adhuc implendas, more suo, demonstrat. Auctarii loco *correctiones* & *additiones* varias subnectit, cum ad Sermones ex legato *Boylii*, de impletione Prophetiarum Scripturæ, tum ad Exercitationem suam in *Apocalypsin* S. Johannis pertinentes. Adjicit quoque *Appendicem* vel potius dissertationem eruditam, qua *Aristeæ* historiam de versione Pentateuchi per LXXII Interpretes sub auspiciis *Ptolemæi Philadelphi* & *Demetrii Phalerei* genuinam esse, magno argumentorum cumulo probare annititur, & objectiones Josephi *Scaligeri*, nec non Humphredi *Hodii* atque Antonii *van Dalen*, quorum Dissertationes contra Historiam Aristeæ in his Actis recensuimus A. 1686 *p. 205* & A. 1703 *p. 81*, peringeniose diluit. Hanc appendicem sequitur Propositio: de submittendis prelo subscriptionis lege *Documentis authenticis*, Judaicam pariter ac Christianam religionem concernentibus, qualia sunt Nostro, *Pentateuchus Samaritanus*, *Psalterium Romanum*, *liber tertius Maccabæorum* & hujus farinæ alia. Agmen denique claudit enumeratio triginta & quod excurrit *assertionum*, quæ Autori nostro in *discursu* de *Fundamentis & rationibus religionis Christianæ* displicent, quas unquam probari posse negat, & quibus brevius, sed nervosius, respondet. Speciminis gratia assertionem 14 cum responsione *Whistoniana* hic subjiciemus.

Assert. *Narratio, quæ de S. Johanne circumfertur, quod scilicet in caldarium fervente oleo repletum conjectus & percoctus, illæsus evaserit, falsa est.*

Resp. "Atqui testem habemus locupletem *Tertullianum de* "*Præscript. C. XXXVI*, Virum doctissimum atque honestissi- "mum, qui ab illo tempore propius abfuit, ut adeo rei veritatem "satis cognitam habere potuerit. Neque isthæc narratio magis "incredibilis est, quam quæ *Actor. XVIII, 3 seq.* narrantur de Pau- "lo, viperam impune contrectante. Respondet autem exacte "pro-

"promissis Apostolis a Christo datis, *Marc. XVI, 18*, & verbis Sal-
" vatoris *Joh. XXI, 21, 22*, quibus Johannem non moriturum mar-
" tyrem subindicat: sed novi objectionem Autoris, magnam illam
" & solam objectionem: *omnia miracula sunt absolute incre-*
" *dibilia*.

Hoc specimen eo lubentius protulimus, quod eadem controversia inter Viros Rev. *Moshemium & Heumannum* nuper fuit agitata. Vid. *Biblioth. Bremens.* Class. IV fasc. I num. III, ibid. fasc. V num. VI, Class. V fasc. III num. XI & *Heumanni Poecile*, Tom. I Lib. I p. 47.

A SUPPLEMENT TO THE LITERAL Accomplishment &c.

h. e.

SUPPLEMENTUM TRACTATUS DE PROphetiis Scripturæ S. ad literam impletis; Autore GUILIELMO WHISTONO.

Londini, apud Senex, W. & J. Innys, & rel. 1725, 8 maj.

Plag. 9½.

Sicuti, teste Galeno contra Julianum, ἀδὲν ἐςιν ἀπεραντολογώτερον ἀνθρώπε; ita Cl. *Whistonus* in tractatu, quem modo recensuimus, *de Prophetiis S. S. ad literam impletis*, se nondum omnem rem peregisse ratus, *Supplementum* hoc superaddere statuit, opere principali vix aliquot plagularum numero inferius. Thesin autem suam de literali impletione Prophetiarum hac vice contra *Clericum & Chandlerum*, a pag. 1 ad p. 41, quantum potest, fortissime tuetur, omnem culpam excogitatæ *interpretationis duplicis*, seu sensus typici & allegorici, cum in *Judæos*, genuini textus S. S. corruptores, tum maxime in *Hieronymum* conferens, utpote qui codicem κιβδηλόν, a Judæis sui temporis acceptum, in linguam Latinam transtulerit. Quam versionem Hieronymianam cum Ecclesia Romana non tantum versioni septuagintavirali prætulerit, sed ipsum quoque textum Hebraicum modernum amplexa, eundem in Ecclesias Protestantium, sine ulla oppositione, deri-

derivaverit, infelix Hieronymus, statuente Autore nostro, præcipuus *Antichristianismi* choragus & introductor existimandus est. Neque minus male audit *Grotius*, qui in commentario suo ad *Matth. I, 22* doctrinam *de duplici sensu Prophetiarum* primus in formam quasi artis redegisse arguitur. Hasce observationes & responsiones ad supposita & asserta Chandleri & Clerici insequuntur quatuor Dissertationes, quarum I *de triplici prædictione Iesaiæ, ad Achazum, ad domum Davidis, & ad populum Judaicum in capitibus hujus Prophetæ VII, IIX & IX expressa*, nihil valde notatu dignum continet, nisi quod Autor verba Prophetica, in nostris exemplaribus, ut autumat, luxata ac nativa sede mota, in ordinem redigere ausus, integra commata, immo vero integros locos, ex Capite VII in Caput IX, ex Capite IIX in Caput VII, pro lubitu transmigrare jubet, ut tres istas prædictiones a se invicem separet, vel potius conferciat. Dissertatio II agit *de septuaginta hebdomadibus Danielis*, ubi Noster varia *lemmata, seu propositiones præparatorias* præmittit, quas omnes recensere longum foret, sequentes autem, pro specimine, sufficient: *Judæi post Sec. I religionis Christianæ substituerunt nobis librum imperfectum* Ezræ *in locum integri illius & genuini, quem nunc in Apocryphis habemus sub titulo libri primi* Esdræ. *Liber* Nehemiæ, *quem nunc habemus, maxime differt ab authentico illo, quo usus est Josephus Sec. I. Liber* Esther, *quem a Judæis accepimus, longe differt ab exemplaribus τῶν LXX, nec non ab eo, quod Josephus sub manibus habuit, quæ exemplaria tamen satis inter se conveniunt*. Sufficient, inquam, hæc lemmata ad dijudicandum, quam firmo stent talo consectaria inde deducta in ipsa explicatione verborum Danielis; quæ explicatio hoc singulare habet, quod Autor noster, ut numerum 70 hebdomadum, vel annorum 490, compleat, *Dan. IX, 25:* septem hebdomades *& dimidia*, item sexaginta duæ hebdomades *& dimidia*, legendum, hancque lectionem genuinam, nostrum vero codicem etiam hic corruptum esse, confidenter, sed sine vade, asserit. Dissertatione III *oracula Sibyllarum* cum *Ecloga IV Virgilii* operose comparantur, & multis illustrantur observationibus. Utrumque enim opus Noster pro vera Prophetia habet. Dissertatio IV execrationem

nem *Caini* & *Lamechi* exponit, Indosque & Afros hodiernos eorum esse posteros, curiose demonstrat. Scilicet, postquam textum *Gen. IV, 9—15 & 23, 24* ex versione LXX Interpretum, Syriaca & vulgata Latina, nec non ex Targum Onkelos & Josepho, suis denique additionibus, ut solet, Autor adornavit, *signum* Caino a Domino impressum, *nigrum* totius corporis *colorem*, ipsum autem Cainum in *septima generatione* a Tubal-Caino, Lamechi filio, occisum fuisse, statuit; hanc cædem Lamechum deplorasse, & posteros suos *per septuaginta septem generationes*, i. e. explicante *Whistono, usque ad adventum Christi in carnem*, sub execratione futuros, prædixisse: hos autem posteros Afros & Indos esse affirmat, qui omnes aliquid ex colore progenitoris sui Caini participarint, & quorum species, in diluvio Indico & Americano (cujus historiam, quia in mundo plane diverso, & ad se non magis, quam globus lunaris pertinente scilicet, contigit, Mosen describere noluisse, *Whistonus* firmissime asseverat) vel in antris, vel in montibus, vel alio quovis modo servata fuerit; & quæ sunt reliqua Cl. Autoris hac de re commenta, quibus nebulas diverberare laborat. Annexa est huic dissertationi Appendicula, qua sententiam de literali Prophetiarum impletione adversus *Sykium* Autor defendit, quam autem, ne Sardos venales exponere videamur, sicco pede præterimus, majorem nos inituros lectoris gratiam sperantes, si Catalogum omnium scriptorum, a Cl. *Whistono* hactenus editorum, quem ipse Autor opusculo huic, secundum ordinem Chronologicum, subtexere voluit, hic sistamus.

CATALOGUS OMNIUM OPERUM WHISTONIANORUM.

1. A *new Theory of the Earth*, i. e. Nova Theoria Telluris a creatione mundi usque ad consummationem omnium rerum, magnis correctionibus & additionibus aucta, 8vo. Opus quarta nunc vice editum.

2. *The Chronology of the old Testament*, i. e. Chronologia veteris Testamenti, & Harmonia quatuor Evangelistarum, 4to.

3. Euclidis Elementa, juxta editionem Cl. Tacquetti, cum

additamentis, 8vo. *Liber Latine scriptus, sed in Anglicam quoque linguam versus.*

4. *An Essay on the Revelation of St. John*, i. e. Exercitatio in Apocalypsin St. Johannis, cui annexæ sunt Dissertationes duæ, 4to. *Hæc ipsa exercitatio nunc demum valde correcta & aucta apparet in tractatu de Prophetiis S.S. ad literam impletis.*

5. Prælectiones Astronomicæ, Cantabrigiæ in Scholis publicis propositæ, 8. *Latine & Anglice.*

6. *The Accomplishment of Scripture Prophecies*, i. e. Impletio Prophetiarum Scripturæ S. octo sermonibus in memoriam Cl. Boylii comprehensa; cum Supplemento & Appendicula, vulgo Postscripto, 8. Isthæc exercitatio nunc auctior & emendatior in Tractatu Autoris de Prophetiis S. S. ad literam impletis reperitur.

7. *Sermons and Essays*, i. e. Sermones & exercitationes diversæ, una cum Novatiano de Trinitate, 8.

8. Prælectiones Physico-Mathematicæ, sive Philosophia Cl. Newtoni Mathematica, 8. Quibus accedent prælectiones de Eclipsibus antiquis, nunc primum imprimendæ. *Prælectiones istæ Anglice pariter ac Latine exstant.*

9. *Primitive Christianity reviv'd*, i. e. Christianismus primitivus reviviscens, opus in quinque volumina dispertitum, quo continentur 1) Præfatio historica, &c. item: Dissertatio in epistolas Ignatii, una cum ipsis epistolis, Græce & Anglice, nec non Apologetico Eunomii. 2) Constitutiones sanctorum Apostolorum, Græce & Anglice, 3) Vindiciæ harum Constitutionum, 4) Enarratio Fidei primitivæ, cui adjectus est liber quartus Esdræ, ex Latina & Arabica in Anglicam linguam translatus. 5) Recognitiones Clementis Anglice redditæ, cum præfatione & duplici Appendice, &c. 8.

10. *Primitive Infant-Baptism reviv'd.* i. e. Baptismus Infantum primævus resuscitatus, cui annexum consilium de erigendis scholis charitatis in Anglia & Wallia, 8.

11. Christianismus primitivus reviviscens, ex quinque voluminibus in unum contractus, 8. *Liber integer Anglice scriptus est.*

12. *A Sche-*

12. *A Scheme of the Solar System*, i. e. Schema Systematis solaris, cum orbitis 21 Cometarum, in latissimo chartæ Folio exhibitum.

13. *Dr. Mather's old Paths Reviv'd*, i. e. D. Matheri semita vetus renovata, cum Præfatione *Whistoni*, 12mo.

14. *Reflections on a Discourse of Free-Thinking*, i. e. Animadversiones in discursum de libertate cogitandi. *Editio tertia*, 8.

15. *Three Essays*, i. e. Triga Conaminum 1) Concilium Nicenum ab Hæresi Athanasiana vindicatum. 2) Collectio veterum Monumentorum, ad hanc rem pertinentium. 3) Liturgia Ecclesiæ Anglicanæ ad amussim primitivæ Ecclesiæ propius reducta.

16. *The Christians Rule of Faith*, i. e. Regula Fidei christianorum, sive Tabula vetustissimorum fidei symbolorum, *æri incisa*.

17. *An Argument concerning the dissenters Baptisms* &c. i. e. Argumentum, dissentientium Baptismos aliasque Ministrationes concernens, cum duplici Appendice, quarum altera est: Athanasius falsi convictus, altera adversus Hillium, 8.

18. *Course of Mechanical* &c. *experiments*, i. e. Cursus experimentorum Mechanicorum, Opticorum, Hydrostaticorum & Pnevmaticorum, a Hauksbeejo & Whistono confectus, 4.

19. *A new Method* &c. i. e. Nova methodus detegendi longitudinem per signa monitoria (*signals*) autoribus Dittono & Whistono. *Editio altera*. 8.

20. *A Vindication of the Sibylline Oracles*, i. e. Vindiciæ oraculorum Sibyllinorum, ubi ipsa genuina oracula Anglice simul & Græce exhibentur. 8.

21. *My Defence* &c. i. e. Defensio Autoris, pro Curia delegatorum præparata, ejusdemque rationes adversus illius curiæ processum, &c. 8.

22. *An Account of the Eclipses* &c. i. e. Descriptio Eclipseos solaris A. 1715 & 1724 æri incisa. Nec non alterum schema Autoris pro A. 1715, item duo schemata Halleji, eandem Eclipsin describentia.

23. *The Copernicus*, i. e. Copernicus, seu descriptio instrumenti cujusdam Astronomici, cui hoc nomen ab autore inditum. 12.

24. *St. Clemens and St. Irenæus's Vindication*, i. e. St. Clementis, & St. Irenæi defensio Constitutionum Apostolicarum, juncta appendice ad Turnerum, & amplissimo Supplemento editionis posterioris. 8.

25. *Account of two Meteors*, i. e. Narratio de duobus Meteoris, visu admirabilibus, quorum alterum d. 6. M. Martii A. 1715, alterum d 19 ejusdem Mensis A. 1718 in cœlo apparuit. 8.

26. *An Addrefs to the Princes of Europe*, i. e. Libellus supplex ad Principes Europæ, pro Religione Christiana in suis territoriis admittenda, aut minimum toleranda. 8.

27. *Astronomical Principles of Religion*, i.e. Principia Astronomica Religionis naturalis ac revelatæ. 8.

28. *Scripture Politicks*, i. e. Politica Scripturæ S. sive libera & a partium studio aliena Relatio originis & finium Regiminis cum Ecclesiastici, tum civilis, cui addita Fictio, seu novum schema imperii. 8.

29. *The primitive catechism*, i. e. Catechismus primitivus, in usum scholarum charitatis. 8.

30 *Two Letters*, i.e. Epistolæ binæ ad Episcopum Londinensem, modo defunctum, de usu novaque forma Doxologiæ. 8.

31. *Account of my Exclusion*, &c. i. e. Relatio de exclusione Autoris e Templo S. Andreæ, per Doctorem Sacheverelium, cui annexa Epistola ad Lydalium. 8.

32. *A commentary on the Three Epistles of St. John*, i. e. Commentarius in tres epistolas divi Johannis. 8.

33. *A Letter to the Earl of Nottingham*, i. e. Epistola Comiti de Nottingham inscripta, de æternitate Filii & Spiritus S. it. Replicæ ad responsionem prædicti Comitis, quibus jungitur prolixa appendix, qua continentur confessiones Athanasianæ, Scriptores Antenicenos Athanasianis fuisse contrarios. 8.

34. *The True Origin*, &c. i. e. Vera origo doctrinæ Sabellianæ & Athanasianæ de Trinitate. 8.

35. *The Longitude and Latitude found*, i. e. Longitudo & Latitudo inventa ope Acus inclinatoriæ (*Dipping Needle.*) 8.

36. *An Essay towards Restoring the true Text*, &c. i.e. Specimen restaurationis textus authentici veteris Testamenti, & defen-

fenfionis citationum ex iſto in N. T. factarum, cum ampliſſima Appendice, in quatuor partes diſtributa, & Supplemento in Canticum Canticorum (*opus noſtrum Palmarium* addit autor.) 8.

37. *A Chronological Table*, h. e. Tabula Hebraicarum, Punicarum, & Chaldaicarum Antiquitatum inter ſe comparatarum, ad appendicem præcedentis ſpeciminis pertinens. 8.

38. *A Scheme of the Tranſits of Mercury*, &c. i. e. Schema Tranſitus Mercurii & Veneris per Solem, pro duobus ſeculis cum dimidio.

39. *A Sheme of the Solar Eclipſe*, i. e. Schema Eclipſeos ſolaris d. 12 Maji 1724.

40. *The literal Accompliſhment*, &c. i. e. Tractatus de Prophetiis S. S. ad literam impletis, cum Supplemento, quod nunc typis exprimendum datur, D. Clerici & Epiſcopi Chandleri recenſiones Prophetiarum Scripturæ examinans. 8.

41. *An Hiſtorical Review of all my Writings*, i. e. Reviſio hiſtorica omnium ſcriptorum *Whiſtonianorum*, cum perpetuis ipſius autoris correctionibus & additamentis. Opus nondum publici juris factum: ſed quod omnibus illis, qui integra *VVhiſtoni* opera ſimul ement, pro auctuario dabitur. *Omnia hæc ſcripta in 23 Voluminibus, ſuis numeris diſtinctis, colligata, quinque aureis, quos Guinæos vocant, venduntur.*

FRAGMENTUM EPISTOLÆ A CEL. D. CHRISTOPH. MATTHÆO PFAFFIO, Cancellario Tubingenſi & Abbate Laureacenſi, ad doctiſſimum quendam Virum perſcriptæ.

DE *litteris Leibnitianis* ante hos fere duodecim annos ad me datis, quas in Diſſ. *Anti-Bæliana* III, & in ſchediaſmate *de morte naturali* allegavi, dubitari num exiſtant, quod ad calcem *Inſtitutionum Juris Eccleſiaſtici* non eſſent editæ, id quidem non minus miror, quam ſi quis cauſaretur, me Orationem *de ſilentio Theologico* in promotione Weismanniana habitam haud recitaſſe, quod nec illa ibidem cuſa fuerit. Et memini ſane in *Anthologia Coleriana* ejusmodi Scepticiſmum hiſtoricum abs me fuiſſe ob-

servatum. Sed salva res est. Orationem *de silentio Theologico* nunquam editurus eram, ne crabrones olim offensos irritarem amplius, atque ad maledicendum mihi viros iris adsuetos provocarem denuo. Sed nec possum jam Orationem illam edere, si vellem quoque. Neque enim in scriniis meis illam amplius reperio, ita, ut haud absque fundamento conjiciam, fuisse unum ex illis, queis Bibliotheca mea, uti nosti, patuit, qui, cum alia eaque majoris momenti manuscripta mihi surripuerit, & hoc quoque, quæ quidem egregia & tanto beneficio debita scilicet gratitudo est, suffuratus fuerit. Si vero & post hæc eandem repererim, me sane vivo & consentiente luci haud tradetur illa unquam, cum constitutum mihi sit, nullam rixosis hominibus in me invehendi, imo ne minimam quidem occasionem subministrare, maxime, cum & ipsius illius orationis argumentum hoc sit, præstare injurias silentio obvolvere, quam loqui. Quod vero *litteras* illas *Leibnitianas*, de quibus scribis, attinet, eas hanc ob causam publici nondum feci juris, quod Philosophis illis subtilissimis, qui novum illud philosophandi genus sectantur, in lite illa sua, cui impliciti sunt, nolo esse gravis, meque, qui olim ante motas has controversias *Dissertationes Anti-Leibnitianas* scripturus eram, pugnæ isti, & acerbæ quidem, immiscere, idque eo minus, quod adhuc antiqua illa animo meo sententia sedet, quam ad *Leibnitium* perscripsi olim, & quam ille, Vir sane judiciosissimus, pro ea, quam in literis ad me datis semper testatam fecit, animi sinceritate, prorsus approbavit. Rogaverat abs me Vir illustris, quid de *Theodicæa* sentirem, methodoque illa, qua *Bælium* refutasset? Scripsi, existimare me, quod animi saltem causa illud Philosophiæ confinxerit Systema, &, quemadmodum *Clericus*, *Bælium* refutaturus, Origenistam simulaverit, ita & ipse novam hanc philosophandi viam inierit ad refutandum *Bælium*, quæ quidem, licet pulverem saltem oculis eorum, qui & altum alias haud videant, injiciat, tamen eo ingeniosior sit, quod, probe perspecta, & sententiam *Bælii* crassiorem sub specie refutationis potius modo subtiliore, mysterio tamen non illico detegendo firmet, & diversis quoque dissidentium religionum systematis opinionibusque, alias vix defendendis, incrustandis, favorique adeo & Theologorum

gorum omnium fere partium, maxime nostratium aucupando, sit applicabilis; præoptare vero me, ut *Balii* tam periculosa sententia serio, solide & graviter refutetur. Quid quæso ad hæc respondit *Leibnitius*, quem credideram mihi ob ingenuam responsionem indignaturum? Ita autem ille in literis *Hannovera* A. 1716 d. 11 Maji ad me datis (do vero verba viri formalia, licet brevissima, reliqua enim epistolæ, quæ hoc negotium non tangunt, addere non convenit) *Ita prorsus est, Vir summe reverende, uti scribis de Theodicæa mea. Rem acu tetigisti. Et miror, neminem hactenus fuisse, qui lusum hunc meum senserit. Neque enim philosophorum est, rem serio semper agere, qui in fingendis hypothesibus, uti bene mones, ingenii sui vires experiuntur. Tu, qui Theologus es, in refutandis erroribus Theologum ages.* Hæc *Leibnitius*, hæc illa *epistolæ* verba, quæ nosse cupiunt Viri eruditi, & quæ ipsorum curiositati haud invideo. Recensui illa aliquando *Bulffingero* nostro, qui putabat, jam vero hæc ipsa *Leibnitium* seria mente haud scripsisse; quæ qui caussari voluerit, is quidem per me suo sensu abundabit. Ego e contrario persuasissimus sum, certissimusque etiam, varia Religionis nostræ placita in *Theodicæa Leibnitium* defendisse, quæ risit alias & naso adunco suspendit: e. g. dogma de præsentia reali. Norunt mentem Viri aulici & Philosophi ipsiusque circa Religionem sententias, quibus Virum penitius nosse contigit. Sed de his quidem satis jam. Miror saltem, tot esse, qui hæc principia serio & tanto quidem cum conatu defendant. Rel.

TRAITE' DU FLUX ET REFLUX DE LA MER. hoc est,

TRACTATUS DE FLUXU ET REFLUXU Maris, in quo nova & simplici ratione natura, causæ & singularia hujus phænomeni explicantur, & qui præmium obtinuit judicio Academiæ Burdegalensis d. 1 Maji 1720; Autore R.P.D. JACOBO ALEXANDRO, Benedictino Congregationis S. Mauri.

Pari-

Parisiis, apud Babutæum, 1726, 12.
Plag. 8½ Tabb. æn. 7.

INter phænomena naturæ, quæ crucem Physicis figunt, merito refertur fluxus atque refluxus maris. Difficultatem argumenti Cl. Autor ipse exponit & nodum hunc soluturus ad hypothesin novam, sed valde paradoxam confugit, motum nempe Telluris circa Lunam. *Galilæo* in eo assentitur, quod nullus foret fluxus atque refluxus maris, si terra immota quiesceret, quodque motus telluris sit æstus marini causa. Solum tamen motum vertiginis non sufficere arbitratur, eaque de causa eidem tribuit motum menstruum circa Lunam, ita tamen ut ea una cum Luna circa Solem spatio annuo deferatur: id quod perinde est ac in Systemate *Copernici* loca Telluris atque Lunæ invicem permutare. Per hanc hypothesin fluxum atque refluxum maris explicaturus, tanquam principia supponit 1) corpora, quæ libere moventur, diametrum minorem secundum lineam directionis motus disponere, ita ut major eandem ad angulos rectos secet. 2) Vorticem terræ atque Lunæ annuo spatio circa Solem revolvi. 3) Lunam esse in centro vorticis. 4) Terram circa Lunam revolvi intervallo 29½ dierum in orbita elliptica. 5) Eandem a Sole maximo intervallo elongari in noviluniis, minimo in pleniluniis, & 6) intra 24 horas motu vertiginis circumvolvi. Ex his principiis colligit, triplicem terræ competere motum. Primus nimirum est *motus vertiginis*, circa proprium axem; secundus *motus lunaris* circa Lunam menstruus; tertius denique *motus solaris* circa Solem annuus. Infert porro terram, dum circa Lunam revolvitur, diametrum minorem secundum lineam directionis motus disponere, & diametrum majorem eandem ad angulos rectos secare. Diametrum hanc majorem aquarum in duabus partibus oppositis elevatione augeri & annulum quasi formare ad Lunam tendentem. Dum Terra intra 24 horas circa axem rotatur, bis indies elevari aquas: unde æstus marinus ortum trahat. Easdem etiam aquas bis elevari propter motum annuum circa Solem. In noviluniis & pleniluniis elevationes aquarum a motu lunari & solari terræ factas una contingere, ut hinc æstus fiat major. In quadraturis autem easdem minime concurrere, ut inde æstus evadat minor. Æstum quotidie in eodem

dem portu accidere, Luna ad Meridianum ejus appellente. Cum adeo idem cum motu Lunæ nonnisi ex accidente connectatur, Lunam perperam haberi pro causa fluxus maris, qui partium universi coordinatione oriatur & quotidie eadem hora lunari contingat. Tumorem aquarum, qui æstum causatur, ab oriente versus occidentem moveri secundum directionem zonæ torridæ, donec littora sese opponant, quæ directionem mutant. Et hinc specialia æstus in locis particularibus phænomena explicat. Prolixum nimis foret singulorum phænomenorum rationes, quas Autor reddit, in medium adducere; sufficiat nobis eas commemorasse, quibus hypothesin suam corroborare nititur. Primam rationem inde petit, quod per observationes Astronomorum Luna in noviluniis majore intervallo a Terra distat quam in pleniluniis. Verticem enim, in cujus centro Luna, in peripheria vero Terra hæret, circa Solem revolvi & hinc in figuram ellipticam mutari, cujus major diameter per Solem & Lunam transit; quo facto Luna non amplius in medio diametri puncto subsistit, sed linea directionis motus vorticis circa Solem transiens per centrum Lunæ in partes inæquales eandem secat, ut, cum quadraturæ in eadem contingant, novilunia & plenilunia in diametro majore accidant, hæc quidem in Apogæo, ista in Perigæo. Quodsi Lunam ex centro in peripheriam evehas & Terram Lunæ locum occupare jubeas, invitis Astronomorum observationibus novilunia in distantia majore a Terra, plenilunia in minore fieri debent. Ratio altera desumitur ab inæqualitate motus lunaris, qui celerior circa plenilunia, quam circa novilunia deprehenditur, quemadmodum in hac hypothesi fieri debet, ubi ea ellipseos pars, in qua novilunia contingunt, multo minor est altera, quæ pleniluniis inservit, linea quadraturarum diametrum majorem, quæ noviluniorum & pleniluniorum linea est, ellipsin in duas partes admodum inæquales dividente.

LUDOVICI PHILIPPI THUMMIGII, PROF. Philos. Ordin. Regiæ Scientiarum Societ. Boruss. Sodalis, Meletemata varii & rarioris argumenti in unum Volumen collecta.

Brunſvigæ & Lipſiæ, ſumtibus Simonis Jac. Rengeri, 1727, 4. Alph. 1 pl. 3 Tabb. æn. 1.

COntinentur in hoc volumine Diſſertationes Philoſophicæ & Phyſico-Mathematicæ, quas Cl. Autor partim in Academia Halenſi, partim in illuſtri Collegio Carolino Caſſellis pro cathedra defendit & aliquoties ſigillatim recuſas nunc tandem in unum volumen collegit, ut deſiderio curioſorum & doctrinam ſolidam deperientium ſatisfieret. Propoſitum fuit Autori fœcunditatem & utilitatem principiorum Philoſophiæ *Wolfianæ* oſtendere, dum iisdem in explicandis argumentis maxime ſpecialibus uſus, ut pateret, per ea ulterius continuo progredi licere. *Diſſertatio prima* rarum naturæ phænomenon de arboribus ex folio educatis primum in Italia a *Mandirola*, deinde a generoſo Dn. de *Münchhauſen* & ab illuſtriſſimo Comite de *Wratislau*, Cæſaris ad Comitia Imperialia Ratisbonam ablegato. Uſi ſunt foliis malorum citrinorum, tum imprimis limoniis ejus ſpeciei, quam Itali *Limoni a Rivo* vocant. Præter obſervationes Anatomicas, quas partim ſibi, partim aliis Anatomiæ plantarum autoribus, *Malpighio*, *Grewio* & *Leeuwenhœkio* debet, imprimis Noſtro ſubſidio fuere, quæ Cel. *Wolfius* in Tentamine de vera multiplicationis frumenti cauſa (quod A. 1725 appendice ampla auctum recuſum fuit, quo inventum Autoris experimentis majoribus paſſim cum ſucceſſu factis confirmatur) dedit, ſine quibus phænomeni hujus reconditi rationem ſeſe nunquam daturum fuiſſe in præfatione confitetur. In *Diſſert. 2* phænomenon ſingulare Solis cœlo ſereno palleſcentis, a Cl. *Algæwero* A. 1721 die 1 Junii Ulmæ obſervatum, ad rationes phyſicas revocat: quod idem in Gallia obſervatum, in Actis A. 1725 p. 108 retulimus. Cum hoc phænomeno ad eandem ſpeciem refert varia portenta ab Hiſtoricis, *Plinio* lib. 2 c. 30, *Aurelio Victore* c. 78, *Paulo Diacono* in Hiſt. Miſc. lib. 3 c. 7 & lib. 6 c. 41, *Livio* Dec. III lib. 2, *Georgio Cedreno* ad A. 137, *Tertulliano* ad *Scapulam* c. 3 §. 1, *Gemma Friſio* & *Cornelio* filio apud *Keplerum* in Paralipomenis ad *Vitellionem* p. 259, nec non *Hevelio* in Cometographia relata. Cauſam conjicit in vapores craſſiores per ſuperiorem aeris regionem diſperſos. In *Diſſert. 3* de propagatione luminis in ſyſtemate planetario ex theoremate, quod lumen

Solis

Solis per Systema planetarium propagatum continuo decrescat in ratione duplicata reciproca distantiarum a centro Solis, & suppositis planetarum distantiis respectivis *Keplerianis*, ipsi *Newtono* probatis, lumina planetarum in distantiis mediocribus a Sole determinat & *Wolfii* exemplo ad experimenta revocare docet. *Curvam illuminationis*, quæ ad distantias a luminoso applicat luminis decrementa, hyperboloidem cubicalem esse demonstrat. In *Differt.* 4 specimen exhibet architecturæ civilis ad politicam applicatæ, Principis circa ædificia curam tum in genere, tum in specie quoad firmitatem, utilitatem & venustatem sistens. Contendit Noster, Remp. architectos peritos & eruditos alere debere, muneribus publicis præficiendos; scholas & academias architectonicas condendas; ædificandi licentiam legibus restringendam; ideas ædificiorum ab architectis eruditis examinandas; sumtuum in ædificando profusionem præcavendam; cives apibus abundantes ad ædificia extruenda invitandos esse; & quomodo hisce officiis satisfacere possit Princeps, pluribus docet. Specialis cura ejusdem versatur circa materiam & ejus usum, circa fundamenta ædium, muros, fornices, tecta, pergulas & podia, ædificiorum distributionem, symmetriam & eurythmiam ædium, ordines & ornatum, quatenus legibus obtineri datur, ut Architecturæ floreat usus, tollatur abusus. In *Differt.* 5 immortalitatem animæ ex intima ipsius natura demonstrare nititur. Notionem immortalitatis ampliat, ut non in sola indestructibilitate acquiescat; sed simul perseverantiam in statu perceptionum distinctarum & statuum præteritorum memoriam requirat, & sic ampliatam habuisse Christum, ex sola narratione de divite epulone patere existimat. Utitur hic potissimum principiis *Wolfii*, ad cujus psychologiam rationalem lectorem continuo ablegat. Etsi autem Systema harmoniæ præstabilitæ *Leibnitianum* eo nomine commendet, quod ipsius beneficio evidenter pateat, animam corpore pereunte perennare posse; cum tamen *Wolfius* in Annotationibus metaphysicis ostenderit principia sua *Psychologiæ rationalis* salva esse, quacunque in explicando commercio inter mentem & corpus hypothesi utaris, & ipse in Institutionibus Philosophiæ *Wolfianæ* omnem Psychologiam rationalem independenter a Systemate har-

moniæ præstabilitæ tradiderit; ideo in præfatione negat, quod nonnullis visum fuerat, se harmonia præstabilita usum fuisse tanquam demonstrandi principio, atque adeo demonstrationem de immortalitate animæ ab illa hypothesi, quam suo loco ceteris omnibus præfert, pendulam effecisse. Controversia *Wolfiana* ansam ipsi dedit, ut in *Dissert. 6* genuinam & completam necessarii & contingentis notionem explicaret enucleatius. *Wolfium* nec in essendo, nec in existendo, nec in consecutione absolutam necessitatem tueri probat, quod plures mundos possibiles admittat, unius actum a libero Dei decreto derivet & leges motus mutabiles defendat. Ejus sententiam exponere ac defendere monet Cel. *Hoffmannum* in Tractatu de fato physico & medico. Quando *Lutherus* omnia necessitate fieri admodum mascule asseverat; eum non aliam nisi hypotheticam necessitatem intelligere, quæ partim a nexu inter causam & effectum, partim ab immutabili decreto divino pendeat, Noster existimat, nec aliam, quam hanc necessitatis speciem requiri ad nexum rerum sapientem *Wolfianum* probat: quem ubi *fatum Christianum* appellare volueris, te cum B. *Luthero* præeuntes habere Theologos *Lutheranos* orthodoxos, quod idem Cl. *Riebovius* in Dilucidationibus meditationum metaphysicarum *Wolfianarum* de Deo, anima & mundo, exemplo *Danhaueri* & *Kromayeri*, evincit. In *Dissert.* 7 denique de sinceritate animi & Principis circa eandem cura non modo omnem theoriam & praxin sinceritatis animi in sectione morali tradit; verum etiam studium sinceritatis quomodo in Rep. promoveri queat, in sectione politica inculcat. Per sinceritatem animi intelligit consensum actionis externæ cum interna, nec aliis hic utitur principiis quam *Wolfii* in Institutionibus moralibus atque politicis a se expositis, exemplo hoc docturus, quam pragmatica sit Philosophia *Wolfiana*. Ad sinceritatem animi requirit 1) judicium de actione, notioni objecti, circa quod versatur, conforme; 2) motivum voluntatis inde petitum; 3) appetitus sensitivi cum rationali consensum, ita inflexis rationibus, quæ eam in contrariam partem traherent, ut cum rationali ad eundem scopum tendat; 4) motuum organorum corporis ad executionem operis, in quod uterque appetitus tendit, immo vultus, vocis, verborum, gestuum cum eodem

dem conformationem. Moralitatem notionis hujus ſtabilit ope principii moralitatis *Wolfiani*, identitate ſcilicet determinationis actionum naturalium & liberarum; Noſter tamen ſubdubitat, id quod viſum fuerat *Wolfio*, idem jam innotuiſſe *Confucio*, utut non concedat, ideo hoc principium, quod *Anti-Wolfianis* placuerat, tanquam impium rejiciendum eſſe, quod *Confucio* diſtincta Dei cognitione deſtituto innotuerit, cum per id demum honeſtatis intrinſecæ ratio penitiſſime perſpiciatur.

Addidit Cl. *Thümmigius* duas Diſſertationes *Wolfianas*, alteram de notione intellectus divini per opera naturæ illuſtrata, quod eas dignas judicaverit, quæ ab interitu vindicentur, qui diſſertationibus facile accidere ſolet.

D. LAURENTII HEISTERI, ANATOM. CHIrurg. ac Phyſiol. Profeſſ. Publ. Helmſtadienſis, Acad. Cæſar. & Regiæ Berolin. Collegæ, Compendium Anatomicum, totam rem Anatomicam breviſſime comprehendens. Editio III prioribus longe auctior atque emendatior.

Altdorfii & Norimb. apud Georg. Chriſtoph. Weberum, 1727, 8.
Alph. 1 pl. 3 & Tabb. æn. maj. 8.

QUæ Clariſſ. Autori fuerit intentio Compendium Anatomicum edituro, & quas additiones ſecundæ editioni facere libuerit, A. 1717 Menſe Auguſto p. 367 & A. 1719 Menſe Decembri p. 533 ſatis indicavimus. Cum nunc nova ejusdem prodierit editio, in quo hæc priori ſit locupletior, brevibus jam innuemus, poſtquam monuerimus, quod libri pretium vel ex eo ſit æſtimandum, quod priorum editionum exemplar non ſolum nullum amplius proſtet, verum etiam in Germanicam pariter ac Gallicam linguam ſit translatum Compendium. Auctum hoc iterum nunc eſſe, numerus & plagularum, & notarum, & tabularum, quorum ille ultra Alphabetum, iſte in alterum tantum, hic ad ſeptuaginta quinque excrevit, ſatis teſtatur. Præter ea enim, quæ hinc inde textui majoris illuſtrationis gratia fuerunt inſerta, novæ acceſſerunt notæ, in quibus & quidem in nota 5, an a muſculis abdominis vo-

mitus dependeat, disquiritur, in 7 de apertura omenti naturali a Winsloo inventa, in 9 de fibris carneis & papillis ventriculi, in 10 de glandulis Brunneri agitur. In 11 Albini Differtatio de nova tenuium inteſtinorum deſcriptione commendatur. In 12 de tunica villoſa inteſtinorum, in 13 de inventoribus lacteorum, in 15 de receptaculo chyli, in 16 de uſu valvulæ ad finem ductus thoracici ſitæ, in 18 de ductibus hepatico-cyſticis, in 19 de itu redituque bilis, in 20 de renibus ſuccenturiatis, in 26 de epidydimide peculiari, in 28 de ligamentis penis lateralibus, in 31 de uteri craſſitie in gravidis & muſculo novo Ruyſchiano, in 32 de menſtruorum fontibus, differitur. In 33 ovula & corpora lutea examinantur. In 35 de fœtibus extra uterum, in 36 de circulo ſanguinis inter matrem & fœtum, in 38 de foraminis ovalis uſu, in 39 de mediaſtini interſtitio, in 40 de thymi vaſis excretoriis tractatur. In 41, quare arteria pulmonalis amplior vena? inquiritur. In 43 de magnitudine cavitatum cordis, in 44 de tuberculo cordis, quod negatur, in 45 de fibris cordis rectis, in 46 de vero œſophagi ſitu, in 48 de ſinubus duræ matris, in 49 de rete mirabili, in 50 de primario viſus organo, in 54 de quantitate ſalivæ, in 55 de glandulæ ſublingualis ductibus, in 56 de linguæ foramine cœco ejusque novis canalibus, in 57 de glandulis molaribus, in 58 de ductu mucoſo in pharyngis fornice, in 59 de ductu e naribus ad palatum, in 60 de quinque tunicis arteriarum, in 65 de carotidum diviſione, in 66 & 67 de arteriis vertebralibus & œſophagæis, in 68 de valvula Euſtachii, in 70 de ortu nervorum incerto, & ſpeciatim de intercoſtali, in 71 de pari cerebri decimo nervorum, in 72 de muſculo cerato-ſtaphilino, in 73 de muſculis intercoſtalibus ſermo fit, & in 74 de muſculis interoſſeis Winsloi, Douglaſſii, & Stockhuſii ſententia explicatur. In tabulis IV novis additis fig. 22 & 23 penis, cujus venæ & ſubſtantia cavernoſa argento vivo repletæ ſunt, fig. 24 teſticuli humani vaſa ſeminalia more Ryyſchiano reſoluta, fig. 25 peculiaris teſticuli cujusdam humani compoſitio, fig. 26 veſiculæ ſeminalis cellulæ & facies interna reticulata, fig. 27 fœtus humanus abortu ex muliere tertio menſe gravida rejectus, membranis incluſus & liquori ſuo conſueto innatans, ut & ovulum a muliere per 4 circiter hebdomadas gravida rejectum, fig. 28 pars ani & inte-

inteſtini recti aperta, fig. 29 & 30 inteſtinum ileum, colon & cœcum cum proceſſu vermiformi infantis recens nati, fig. 31 proceſſus quidam vermiformis hominis adulti juſto longior ac peculiaribus flexionibus & quaſi gyris donatus, fig. 32, ſinus peculiaris inter laterales duræ matris interpoſitus, fig. 33 oſcula ductuum ſalivalium glandulæ ſublingualis, fig. 34 & 35 in linguæ foramine cœco duo notabiles ductus ſalivales obſervati, fig. 36 varia in palato, juxta palatum & in labro ſuperiori conſideranda, fig. 38 varia circa fauces & uvulam ſpectanda, & fig. 39 os vomeris repræſentantur.

JO. CHRISTOPH. COLERI, ANTHOLOGIA, ſive Epiſtolæ varii argumenti, ad illuſtrandam potiſſimum Hiſtoriam Eccleſiaſticam & Literariam comparatæ.

Tomus I.

Cum Indicibus.

Lipſiæ, ex officina Brauniana, 1725—1727, 8.

NOs priorem Tomi hujus Faſciculum ſaltem commemoravimus in his *Actis*, A. 1725 p. 517. Reliquum eſt, ut & ceteros, qui integrum hunc Tomum conſtituunt, Faſciculos breviter perluſtremus.

Faſc. igitur *altero* hæc continentur: 1) Expoſitio de libro, qui vulgo Parkero tribuitur: de antiquitate eccleſiæ Britannicæ. Docet Noſter ex Thom. Hearnii Præf. ad Robertum Avesburienſem, non Parkerum, ſed Jo. Joſcelinum verum hujus libri autorem eſſe. Idque ipſe confirmat ex Henrici Whartoni Anglia ſacra. Qua quidem occaſione & de controverſia inter P. Harduinum atque Courayerium, & de Ant. Woodo quædam haud contemnenda ſubmonet. 2) De Notariis Gregorii M. 3) De ſecta Adamitarum ſeculi XIV. 4) De Bibliotheca Cyprianica. 5) De Benedicto XIII P. R.. 6) De Epiſtolis & ſchedis quibusdam Leibnitio, Bælio, & Burneto tributis. Hic vero Vindiciæ ſimul horum virorum afferuntur. 7) De Barth. Camerario. 8) De Camerarii

Dia-

Dialogo, qui inscriptus est *Rhetor*. 9) Elogium Nic. Franci, ex Pinacotheca Beneventana.

Fasc. tertio hæc insunt fere: 1) Notitia rarissimi libri de Statutis Ord. Cistercienfis. Quid in his statutis sit *Minuere*,& *Minutio*, p. 170 docte exponitur. Laudatur etiam judicium Langleti de eodem hoc libro, qui in Bibliotheca Cel. D. Cypriani asservatur, ex cujus ad Autorem nostrum datis literis p. 171 affirmatur, fuisse, qui centum Joachimicis illum redimere voluerit. 2) De Fabri Lexico, ejusque editione novissima Gesneriana. Lectu dignum est, quid optet Noster p. 183 de hoc libro. 3) De Meditamentis Literariis Frederici Borromæi, libro non ubivis obvio. Notatur simul lepidus error in Lex. Hist. Univ. Fritschiano, ubi allegantur Medicamenta Literaria Borromæi. 4) Observationes variæ, e.g. de Sixto Siberiano, de libro de tribus impostoribus an extet in Bibliotheca Cassellana, uti ferunt nonnulli; quod ex ipsis Cl. Schminckii literis negatur; de Hassensteinio nonnulla &c. 5) De Burmanni Epistola ad Capperonerium. 6) De Pasquillo Extatico, ubi simul de ipsis Tomis Pasquillorum agitur. 7) De fastis Acad. Lovaniensis Valerii Andreæ.

Fasc. quarto sequentia deprehenduntur: 1) Apologia pro Joanne Castello, liber, ipso Bælio fatente, rarissimus. 2) Antonii Arnaldi Actio forensis. 3) Apologia Francisci Montani. P. 288 docetur, latere sub hac persona Richeomium, Jesuitam haud incelebrem. 4) Oratio ad Regem Christianissimum de restitutione Jesuitarum 5) Eusebii Philadelphi Dialogi. Liber itidem perquam rarus, ex quo varia hic specimina, Lectori haud ingrata futura, afferuntur. Placcius putat, Autorem esse Bernaudum quendam Delphinatem.

Fasc. quinto agitur: 1) De Jos. Scaligeri Emendationibus MSS. ad Fl Josephum. Extant hæ Emendationes in Bibl. Vinar. 2) De J.H. Reimii Consultatione de nova Grammatica Græca, non ineleganter conscripta. De *Nic. Abrami* libris de Veritate & Mendacio, ex Bibl. Siberiana. 4) De Mariangeli Accursii fabula, quæ inscribitur: *Testudo*,& integra hic inserta legitur.

Fasc. denique *sexto* hæc potissimum videas: Fragmentum Epistolæ Uffenbachianæ de MS. quodam Trithemiano; 2) Apologiam

logiam Jeſuitarum ad Henr. IV R.G.; 3) *Emundi Figrelii* de Statuis Romanorum librum, neque Græviano, neque Sallengriano Theſauro inſertum; 4) Bibliothecæ Menckenianæ novam editionem; 5) Philothecam Stromerianam, multaque alia ſubinde illuſtrata.

Optamus, ut perſequatur amplius hoc inſtitutum Rev. Autor. Intelligimus enim, non immerito Cl. *Schelhornium* Tom. V Amœn. Liter. p. 271 Epiſtolas has bonæ fragis pleniſſimas vocaſſe. Cui aſſentitur Cel. *Heumannus*, qui in Pœcile ſua Tom. II p. 391 ſq. confirmat, cupide hanc *Anthologiam* legi ab omni doctorum hominum genere, proferrique ibi rariſſima plurima, quibus paſcantur oculi eruditorum non ſine magno gaudio.

Monemus etiam, eundem Rev. Autorem nuper Tomum II *Bibliothecæ Theol. Selectæ*, a nobis alio jam loco laudatæ, ad finem perduxiſſe, immo Tomum etiam III jam feliciter auſpicatum eſſe.

FL. JUSTINIANI IMP. INSTITUTIONUM Libri IV, ſeu legitimæ ſcientiæ Elementa. JUSTUS HENNINGIUS BOEHMER J.C. recenſuit, ex Codice MSto optimæ notæ emendavit, annotationibus illuſtravit atque THEOPHILI Paraphraſin ſubjunxit, cum duplici Indice. Secunda editio, auctior atque emendatior.

Halæ Magdeburgicæ, impenſis Orphanotrophei, 1728, 4.
Alph. 4 pl. 12.

MUltis dotibus inſtructa prodiit iterum Bœhmeriana in Libros Inſtitutionum Juſtinianearum commentatio, quæ, poſtquam decennio abhinc primum edita ſat habet celebritatis, videtur laudis nihil indiga noſtræ. Officii tantum noſtri eſt, quid præcipuum ſit, quod in hac editione nupera acceſſerit, indicare. Prima vero Ill. *Bœhmeri* cura fuit, ut ipſum Inſtitutionum contextum pariter ac rubricas ſingularum cujusque tituli ſectionum emendaret, proxima, ut commentarium ſuum novis obſervationibus redderet auctiorem, tertia, ut paraphraſin Theophili ex interpretatione meliori, commodo inſigni juris ſtudioſorum, nec mi-

nori hujus editionis ornamento, adjiceret. De priori cura sese in Actis Eruditorum, quæ in vernacula apud nos prodire solent, Parte LX admonitum, ipse profitetur, quibus hæc duo in prima Institutionum editione desiderata intellexerat, quod nonnunquam meliorem in contextu lectionem omisisset, communiorem ut plurimum secutus, & quod rubricas singulorum paragraphorum vulgares retinuisset, emendatione tamen multa indigentes. Utrique igitur desiderio satisfacere studuit & cum in prima editione solum de illustrando contextu solicitus fuisset, satis arbitratus, quæ in illo dubia lectio subinde videretur, in notis passim dixisse, præsertim quod meliores lectiones plerumque non adeo sensum contextus mutare animadverteret, nunc majorem utique contextus habuit rationem & meliorem lectionem prætulit semper, vel si ambigua & anceps esset, sub ipso contextu variantem indicavit. Petivit vero præcipuas emendationes ex optimæ notæ Codice MSto Bibliothecæ Uffenbachianæ, sexcentorum annorum ætatem attingente: ne tamen a vulgatis lectionibus nimium recederet, plurimas variantes, ut diximus, contextui subjunxit, libera cuique circa easdem electione permissa. Spem etiam injicit plenioris emendationis olim suscipiendæ, postquam a V. C. Jo. Rudolpho Iselio, J. U. D. in Academia Basileensi, benevole secum communicatas accepit variantes lectiones ad librum I Institutionum, quas ille, Parisiis dum commoraretur, excerpsit ex codice MSto Bibliothecæ Regiæ, longe locupletiores istis, quæ ex Codice Uffenbachiano dari potuerunt. Reliquas vero ad tres Institutionum libros sese pariter obtenturum, confidit Noster. Perpetuæ, quibus in Justinianeas Institutiones commentatur, notæ, ut antea egregiis ex antiquitate Romana observationibus constabant & ex præstantissimis Jureconsultis, qui humaniores literas cum Jurisprudentia conjunxerunt, haustæ erant, ita nunc plurimis augmentis & hodiernorum potissimum Jureconsultorum observatis locupletatæ comparent. Denique laudandum maxime est Nostri consilium, quod paraphrasin Institutionum Theophili adjungere eamque vulgo neglectam & paucorum in manibus versantem juvenibus limpidioris Jurisprudentiæ cupidis reddere denuoque commendare voluerit. Quod consilium tanto præclarius est, quanto infelicius jam est seculum, quo insuper

per habitis Jurisprudentiæ fontibus ea ex lutulentis atque turbidis lacunis & propinari a docentibus & gustari a discentibus solent, qui scholas heri aut nudius tertius ingressi forum jam meditantur, mox in judicia prorumpunt atque cruda studia propellunt. Optaris forsitan, Græcam paraphrasin additam esse. Verum & metuenda erat libri moles, & satis interea consultum erit Jurisprudentiæ studio, si vel interpretationem Latinam diligenter consulere fructumque ejus percipere velint studiosi, donec meliora probantium desideriis nova & eleganti Græci contextus editione subveniatur. Usus autem est Noster ea interpretatione Latina, quæ Lugduni Batavorum A. 1715 ex typographia Joannis van der Linden junioris prodiit. Hæc enim quidem autorem habet Carolum Annibalem Fabrottum, illum accuratissimum Theophili editorem, sed tamen aliquot locis est emendata & sensum in nonnullis planum magis facilemque reddit. Notis peculiaribus quidem Noster ad paraphrasin non commentatus, quæ vero annotandæ omnino erant, ipsi Institutionum illustrationi commode inseruit. Ceterum, ad conciliandam paraphrasi autoritatem fidemque tanto majorem & accendendos animos studiosorum, non solum causam Theophili egit adversus ejus obtrectatores, sed & disseruit de ipsius ætate. Theophilum enim utique inter Justinianearum Institutionum compositores, eumque ipsum fuisse, qui laudatur ab Imperatore in *Proœm. Institutionum*, erudite disputat, quamvis Fabrottum in eo errasse senserit, dum ille Theophilum a Thalelæo citatum scribit. Et hoc est argumentum potissimum novæ præfationis.

IMP. CÆSARIS AUGUSTI TEMPORUM notatio, genus & Scriptorum fragmenta; curante JO. ALBERTO FABRICIO, D. & P.P. Hamburg.

Hamburgi, sumtu viduæ Felgineriæ, 1727, 4.

Alph. 1 pl. 9 fig. æn. 1.

COllegerat olim summo studio exquisitæ eruditionis Vir, *Janus Rutgersius*, Imp. Cæsaris Augusti scriptorum varii gene-

ris, Epistolarum scilicet, Orationum, Carminum, legum &c. reliquias, laudabili industria abs historiæ Augustæ conditoribus, veluti ex naufragio tabulas, ad posteritatis memoriam conservatas, unoque Volumine juxta cum graviter arguteque a summo Principe dictis, in veterum Commentariis itidem passim obviis, evulgaverat. Hanc collectionem fragmentorum Augusti Rutgersianam denuo typis exscriptam heic exhibet Cel. *Fabricius*, variis accessionibus locupletatam, & adspersis passim ad paginarum calcem annotationibus doctissimis insignem. Præmissus *Nicolai Damasceni de institutione Augusti* libellus, cum Latina *H. Grotii* versione & *Henrici Valesii* annotamentis; *Chronographia* itidem *Augusti*, sive rerum ab ipso gestarum dispositio Chronologica; & *Genus* denique *Augusti*, *Godfridi Peschwizii de familia Cæsarum Augusta* Commentariolo separatim antehac excuso illustratum, pretium huic editioni præ antiquiori illa Rutgersii haud proletarium conciliant, quæ tanto gratior Romanæ historiæ cultoribus accidet, quanto magis ipsi hac Sylloge, ubi maximi Imperatoris res gestas atque virtutes ex antiquis autoribus cognoscere desideraverint, adjuvari possunt. Ad p. 217 jucundo admodum spectaculo famigeratissimi illius *monumenti Ancyrani* typus exhibetur.

A VOYAGE ROUND THE WORLD BY THE Way of the Great South-Sea.

sive

ITER CIRCUM UNIVERSUM ORBEM PER mare australe institutum ab A. 1719 ad 1722, a GEORGIO SHELVOCKE, Præfecto navis.

Londini, apud Jo. Senex, W. & J. Innys & rel. 1726, 8.
Alph. 1 pl. 9 Tabb. æn. 5.

NAvigationes circa orbem totum institutæ, quæ miraculi instar initio erant, jam adeo frequentes sunt & tritæ, ut in posterioribus quandoque repetitiones saltem legantur priorum, additis circumstantiis factorum vel eventuum, quorum cognitio ad augmentum scientiarum parum facit; in quorum adeo recensionibus brevioribus esse licebit. Ex horum maxime genere est præsens quo-

quoque relatio, Apologiam potiſſimum proponens Præfecti in titulo citati, cui in expeditione ſua ſociorum invidorum & nautarum ſuorum culpa multa ſiniſtra acciderunt. Suſcepta fuerat ipſa impenſis Anglorum quorundam, qui excurrendi contra Hiſpanos, & in ſpecie in Oceanum Auſtralem pacificum, veniam commiſſione vel literis patentibus Imperatoris noſtri Romani CAROLI VI, tunc cum Hiſpanis bellum etiamnum gerentis, A. 1718 datis, poſt vero, orto quoque inter Anglos & Hiſpanos bello, ab ipſo Angliæ Rege obtinuerant. Infauſtis vero avibus datus eſt Autori noſtro ſocius expeditionis in alia navi Clippertonus, qui contra eum nautas non ſolum ipſius animavit, ſed & poſt quatriduum ſtatim ab initio itineris numeratum eum deſeruit. Nos prætermiſſis Autoris fatis adverſis ipſoque Itineris ordine inſuper habito, unum hic memorabimus, quod de Californiæ incolis Noſter memorat.

Mores barbarorum ſedatiſſimi & ſimpliciſſimi. Adeo inter eos nulla invidia, ut quæ uni eorum donarentur, ſtatim omnibus divideret ex æquo. Nemini timendi, ipſi nullos timent, in navigiis advenarum maximo numero verſantes tanquam in ſuis. Laborantibus Anglis ultro & non rogati laborem ſublevabant. Albos tamen homines magis ſuſpiciunt, nigros abhorrent. Mos ſalutandi advenas barbarus, in geſticulationibus & diſcurſionibus, quæ furioſos potius deceant, conſiſtens. Viri nudi incedunt, mulieribus vero ex pellibus ſunt vel ex avium plumis palliola ad genua usque promiſſa. Arma habent arcus & ſagittas; venatu enim, ut & piſcatu, ſolo vivunt: in piſcibus maxime indagine quadam cingendis, dum ipſi aquas ingrediuntur nudi, mira eorum dexteritas. Arboribus fere deſtituitur ſolum, arbuſta monſtrans tantum, quæ & ipſa locuſtæ, quarum tanta copia, ut Solem obſcurent, ita depaſcuntur, ut omni virore careant. Unde ſuſpicatur Autor, qui priores in hiſce regionibus fuere, & perpetuam hyemem in iis exiſtere tradiderunt, hac arbuſtorum ſpecie ſeductos fuiſſe.

A NEW VOYAGE ROUND THE WORLD:

ſive

NOVUM ITER CIRCUM GLOBUM TERRE-
strem perfectum, via aliis nunquam tentata.
Partes II.

Londini, apud A. Bettesworth & W. Mears, 1725, 8.
Alph. 1 pl. 4, Tab. æn. 4.

Magis singularia continet hæc relatio, cujus Autor idemque expeditionis primarius præfectus ridet ipse eos, qui cum nostris temporibus orbem circumnavigarunt, magni aliquid se fecisse putant, vulgantque relationes de rebus dudum in vulgus notis. Imo ridet eos, qui consilia & monita salutaria nautis eadem via ituris proponunt. Ipse narrationes potius exigit de rebus talibus, quæ iis, qui domi desidere malunt, gratæ atque utiles existunt, de statu nempe mercaturæ, modisque lucrum faciendi & commercia exercendi.

Suscepta est expeditio hæc clanculum ab Anglis nonnullis, qui deinde Societatem Indicam in Belgio Austriaco promoverunt, eo quidem proposito ut modo se Anglos, modo Gallos, modo Flandros, sub auspiciis Imperatoris CAROLI VI navigantes, venditarent. Unde & navis non ex Anglia, sed Flandria sub ipsum initium A. 1714 solvit. Institutum erat non solum prædas agere de Hispanis, sed & commercia exercere cum ipsis, novasque imprimis terras circa polum australem indagare.

Prima consultatione cum Autor sociis persuadere non posset, ut viam in australem Americam eundi consuetæ contrariam, eam scilicet, qua tenditur versus Orientem, eligerent; progressi sunt usque ad 45° latit. Austr. in Americæ litore orientaliori. Quem tractum jam tum sibi visum esse civibus suis pro colonia deducenda commendandum, Autor commemorat. Inde usque ad 64° lat. Austr. profecti; cum vero propter ventos contrarios pertinacissimos procurrentem Americæ australissimam superare non valerent, sed potius usque ad *Cap. B. Spei* rejecti essent; ex re ipsa consilium capiens Autor (licet non sine maximo tumultu nautarum) iter versus *Insulas Philippinas* dirigit. Ventorum tamen vehementia iterum cogitur deflectere, & *Insulam Madagascar* adire; in qua ad sedem piratarum Europæorum accessit, quorum tamen plurimi tædio mise-

miseræ illius vitæ ad Nostrum accedunt, sub eo militaturi. Inde peninsula *Indiæ citerioris*, insulaque *Ceylan* salutatis, per fretum *Malaccense Manillam* deveniunt. Hic vexilli Gallici commendatione merces suas Europæas, per conniventiam Vice-Regis, licet hoc fieret contra edicta Regia, carissimo pretio vendentes, Asiaticas vero exiguo pretio redimentes, insigne lucrum faciunt. Iter denique ductum ad *Latronum* insulas, & deliberatum, an ad polum *Arcticum* propius accederent, atque in regiones inter *Asiam* & *Americam* interjectas inquirerent. Placuit sententia ad Australem potius partem cursum dirigendi.

In hoc cursu primum terram vidit Autor sub latit. Austr. 17°, quam conjectat esse continuam *novæ Guineæ*. Populus sine ulla nauticæ scientia, nullum habet navigium vel minimum: sine armis quoque ullis degit. Terra fructibus abundans, sed nihil ibi, quod ad commercia invitare possit. Iterum terra visa sub latit. Austral. 27° 13′ & longitud. a meridiano *Insularum Latronum* 16°. (Si quidem justa est æstimatio hæc longitudinis hic & in sequentibus, & non potius multo major, quod tum ab aliis autoribus proditus horum locorum situs, tum ipsæ hujus itineris circumstantiæ videntur exigere.) Hanc auro in rivis collecto ditissimam compererunt. Homines ibi summe tractabiles & simplices, ferro & aliis necessariis instrumentis destituti, saxis saltem grandioribus, ad auri particulas in formam rotundam pro usu inaurium redigendas, usi. Principi vel Regi parent, cultu parum a se differenti. Aliquot gradibus Australius terra occurrit alia, vel potius cum priori cohærens, ad vitam necessariis abundans, sed minus auri habens. Nulla ibi vestigia templorum vel ceremoniarum aut cultus divini, sed tamen gestibus visi sunt juramenti sanctitatem denotare. Regio hæc nautis nonnullis ita placuit, ut clam se subducerent, in eaque manerent, quibus ad vitam tolerandam fructusque serendos necessaria Noster reliquit. Ulterius versus Austrum ad 41° latit. insulam offendit, cujus incolæ magis feri, & hostiliter se gerentes; verum exiguo numero. Non longe distat alia insula grandior, utpote ad 150 mill. mar. longitudine continens, ulteriusque alia sub latitudine 50° 21′, ubi insignem copiam pulcherrimarum margaritarum invenerunt & collegerunt nautæ. Inde vento urgente ad latitudi-

titudinem usque Australem 67° perveniunt, ubi frigus jam ingens & glaciei montes mari innatantes. Tandem itinere versus boream converso, primum Americam vident in latitud. 47°. Unde ad insulam *Fernandes* se conferunt, recolligendi sui causa. Post iterum sub specie & persona mercatoris Gallici in singulis portubus a Baldivia ad Limam usque merces vendendo Asiaticas immensum lucrum Noster fecit. Dein conversus ad consilium diu mente agitatum, *Baldiviæ* iterum in terram exscendit, & cum Hispano, qui prope urbem *Villam ricam* possessiones rusticas habebat, quemque a piratis redemerat, amicitia contracta, transitum terrestrem per *Andium* juga tentavit. Ipse contentus fuit transitum saltem ipsum per juga contemplari; dumque apud hospitem est, vidit non sine terrore vulcanum ardentem & noctem clara luce collustrantem, incolis nihil facientem terroris, quia regulariter hoc contingit, & sine ullo terræ motu. Majori quoque admirationi & stupori fuit, cum in summo jugo horum montium noctem ageret in modica aliqua valle, eaque inter tres Vulcanos 6 vel 7 leucis distantes interjacente: in qua adeo latera montium vallem cingentia cum tota valle flammis eorum collucentia, & in aliqua distantia rivus ardens (rarius ejus fluxum intermitti incolæ ferunt) liquatoque metallo & igne fluens, speciem quandam inferni poetici præbuerunt. Majori e contrario voluptati fuerat auri granorum in rivulis & passim occurrens tanta copia, ut manibus colligi posset. Post misit cohortem ex suis numero 53, qui ab eadem urbe *Villa rica*, transitu per Andes facto, ad alterum litus orientale Oceani Atlantici penetrarent. Ipse navi per viam ordinariam præcessit, eos expectaturus in litore. Successus expectationi optime respondit. Viri enim illi, Andium jugo superato, in planum descendentes, fluviorum primo & imprimis fluvii *Camaronum* ductum sequuntur, partim quoque terra progrediuntur. Et terram quidem, per quam venerant, incolis plane destitutam, imprimis quæ paulo removebatur ab Andibus; sed lacum montibus adsitum & fluvios, imprimis qua propius montes existunt, exundationibus maximis obnoxios deprehenderunt: ripas vero illius lacus & fluviorum passim, ubi imprimis diverticula quædam & lenis acclivitas, copiosissimo auro, quod granulorum instar inter sabulum colligi potest, refertas. Nullum ex animalibus rapacibus, lupum, vulpem, &c. armentorum vero, nec non Peruvianorum ovium onerariarum uberem proventum ostenderunt. Solum bonum, & multa promittens, si colatur. Ceterum fluvius ille *Camaronum*, quem nominavimus, alicubi in duos ramos scinditur, post longum intervallum iterum confluentes; in altero ramo Australiori, quem tenuerunt illi homines, Cataractæ vel Catadupæ 5 in spatio 20 fere milliar. Angl. existunt; in quibus aqua tanto impetu præcipitatur, ut usum aurium per 5 vel 6 milliaria impediat. Hujusce adeo regionis commoditates videntur Autori nostro tantæ, ut merito civium suorum coloniam recipere posse putet. Iter finitum vere anni 1716.

):(o):(

No. IV.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Aprilis Anno MDCCXXVIII.

THOMÆ DEMPSTERI A MURESK, SCOTI, Pandectarum in Pisano Lyceo Professoris Ordinarii, de Etruria Regali Libri VII, nunc primum editi, curante THOMA COKE, M. Brit. Armig.

Tomi II.

Florentiæ, apud J. Cajet. Tartinium & S. Franchium, T. I 1723, T. II 1726, fol.

Alph.13 pl.7, Tabb.æn. maj. 95, præter minores passim insertas, una cum Tabula Geogr.

OPus posthumum exhibemus, at splendidissimum & ante centum annos jam prelo paratum, sed hactenus fere inter deperdita numeratum, quod universam veterum Etruscorum memoriam complexum, nunc demum duobus Tomis, quorum primus A.1723, COSMO III, alter A.1726, ut ex fine libri patet, (nam titulus unus Tomi II A. 1723, alter 1724 falso præfert) JO. GASTONI M. Etruriæ Duci inscriptus, prodit. Præmisit Nobilissimus Editor Tomo I Præfationem, in qua non modo de vita Dempsteri nonnihil commentatur, inter alia observans, eum ita sub Justo Lipsio profecisse, ut sextum decimum annum agens Tornaci humaniores litteras publice docuerit, ac sequenti anno Lutetiæ Parif. Juris Doctor renunciatus mox in ea Academia successerit Davidi Sinclero, inde a M. Britanniæ Rege ad munus Historici evocatus: verum etiam Catalogum exhibet operum Dempsteri, ab ipso compositum; ex quo patet, eum hoc opus de

 Etru-

Etruria Regali ſuggeſtu Camilli Guidii Equitis Volaterrani, quem *florem illius ſeculi hominum & alterum parentem ſuum* vocat, & juſſu COSMI II, M. D. qui opus inter arcana ſua ſervet, magno pretio invitatum conſcripſiſſe, quod & ex Epiſtola, quæ apud hæredes Volaterrani inter multas alias Dempſteri ineditas exſtat, confirmatur. Utcunque ergo tandem ad Cl. Editorem liber pervenerit, certe bona fortuna rei literariæ id accidit; quandoquidem is neutiquam hoc Theſauro fraudandam putavit Hetruriam, quin potius opus, quod ſibi comparaverat, in ipſa ejus urbe principe, ſplendide imprimi, & figuris plurimis, quæ in opere deſiderabantur, ex ipſis antiquitatis reliquiis, magnam partem in vicinia Florentiæ conſpicuis, non modico ſumtu depictis, exornari curavit. Permovit etiam Virum in re antiquaria exercitatiſſimum *Philippum Bonarotam*, ut ſub finem Tomi II adderet explicationes & conjecturas, in quibus, Scriptorum fere teſtimoniis ſepoſitis, ſola monumentorum ipſorum, quorum integritatem vindicat & numerum auget, autoritate, vel mutua eorundem inter ſe collatione, multa ad mores Tuſcorum ſpectantia, quæ nusquam in antiquis ſcriptoribus reperire ſperes, e tenebris veluti eruta exhibentur. Ut rudem primo Dempſteriani operis, cujus Libri tres priores primo Tomo, reliqui poſteriore continentur, conſpectum demus, *Libro*

Lib. I. *I* de nomine Etruriæ, quam negat Hetruriam vocandam, & Tuſciæ, de incolis ejus olim claris, Tyrrhenis, Lydis, Pelasgis, Arcadibus, Aboriginibus, aliis, de eorum potentia, ſoli qualitate, vino, aere, aquis & thermis, Diis & oraculo Tethyos, lingua, literis & Inſcriptionibus, (qua occaſione hic p. 91 Editor inſerit Tabulas Eugubinas VII, quarum unam tantum Baldius, duas Gruterus, longe quidem ab his aberrantes, edidit, nunc ad archetypum diligentius expreſſas & ab illis ipſis, qui Engubinam eccleſiam rexerunt, communicatas) de quadruplici dialecto Etruſci ſermonis, Oſca, Rhetica, Umbrica & Phaliſca, de politia Etruſcorum, & de gentibus ab iis oriundis agitur. *Libro II*, in quo principem ſibi fuiſſe

Lib. II. p. 103. tibus ab iis oriundis agitur. ſuſcepti operis curam Autor teſtatur, id agit, ut ſeriem aliquam (nam continuam vix ſperandam putat) Regum per bis mille & quingentos annos, quibus jure Regio hæc provincia uſa eſſet, laborioſe erueret, tacentibus fere ob invidiam, ut putat, Scriptoribus

bus Latinis, apud quos quingentis pæne annis, quibus gloriose Etrusci cum Romanis bellarunt, trium tantum Regum Etruscorum fit mentio. Veros itaque Reges numerat L, ceteros omnes Annio Viterb. aliisque nominatos commentitios vocat. *Libro III* varia recensentur Etruscorum inventa capitibus XCV, simulque de moribus eorum quædam annotantur. Inter illa numerantur, divinatio per auguria & aruspicinam, fulminum & ostentorum observatio, mos orandi stando & manibus supinis; modus urbem condendi, pomœrio, fossa, muris muniendi; insignia regni, secures & fasces, trabea, sella curulis, annuli, phaleræ, paludamenta, prætesta, calcei militares, senatorii, tragici; triumphus cum curru, equis, corona, toga picta, tunica palmata; gladiatores, (quibus subjunguntur Pythagoræ Etrusci inventa, nomen Philosophiæ, sphæra mechanica &c.) claves & seræ ostiorum, phialæ &c. agricultura, medicina, musica & res militaris, cum variis instrumentis, quam ab Etruscis Romani didicere; tum ærea tibia, molæ, atria, columnæ, ludi, histriones, pugiles, plastice, res navalis, jura fecialia & id generis alia. Ad mores pertinet, quod moneta signata, it. floridis vestibus usi; quod in corticibus arborum, in cera &c. scripserint; quod bis in die mensas posuerint, cum Romani semel tantum idque vesperi comederint, prandia apud eos rarius fuerint in usu; quod servos aluerint delicatos, & reliqua.

227 sq.
Lib. III.
c. 43, 44, 45.

Libro IV, præmissa Etruriæ antiquæ & novæ tabula, status ejus antiquus CXXII Capitibus explicatur, locaque omnia antiquis memorata, quorum pars magna non amplius superest, erudite illustrantur. Sigillatim vero *Libro V* de urbibus, quæ & olim floruere & nunc florent, ita agit Autor, ut primum de origine & conditoribus, de rebus porro præclare gestis, de Viris scriptis aut bello claris, de Sanctis eorumque Festis solennibus, de Pontificibus & Cardinalibus, Præsulibus item eorumque successione disserat. Hic igitur de Pisis, Volaterris, Luca, Arretio, Cortona, Perusia, [illegible]orio, Senis, Florentia & Aquila, quæ hodie Aquapendente. His *Libro VI* eæ adduntur urbes, quæ post inclinationem Romani Imperii excitatæ ac civitatum jure donatæ sunt, simili, ut illæ, ratione descriptæ. Notamus tamen, Autorem in recensendis cujusque urbis civibus eruditis paulo nimis parcum videri, &

T. II.
Lib. IV.
Lib. V.
Lib. VI.

raro singulare quid, præter nomen, de quoquam afferre. Denique *Libro VII* de familia Medicea ejusque origine ac Viris illustribus commentatur, eorum explodens fabulas, qui a Theseo, ab Antenore, a Dardano, ab Ænea aliisque heroibus fabulosis ortos Mediceos tradidere, & inter reliquos ejus gentis extollens Laurentium, qui *Parens literarum & literatorum* dictus Pisanam Academiam restauravit, & Viros doctissimos fovit ditavitque.

Lib.VII. p. 451 sq.

476.

Quod ad Appendicem Cl. *Bonarotæ*, multa is suppeditat criteria, quibus monumenta Etrusca ab aliis dignosci possunt. Ita
8. notat, Etruscos Diis suis insignia quædam addere suevisse, quæ pro sacris augustisque habuerint, ut alas, faces, inaures quoque, armillas, torques & similem ornatum muliebrem, & licet iisdem homines uterentur, simulacra tamen hominum mulierumque
92. honestiorum absque iis ornamentis effinxisse. Frequenter porro literæ Etruscæ in anaglyphis, statuis aliisque monumentis, etiam in fimbriis vestium, inscriptæ deprehenduntur, unde facile judices, ipsa etiam monumenta Etrusca esse. Sæpius etiam varii iique vivi colores figuris inducti ab Etruscis observantur, ut mireris, eorum post bis mille & amplius annos adhuc indicium extare. Quomodo ex amictu militum aliisque signis, quæ ad rem militarem spectant, monumenta Etrusca dignosci possint, Cl. *Bonarota* §. 27, 28, sq. demonstrat; totam etiam rem vestiariam ejus gentis virorum & mulierum §. 33 exponit & in sequentibus de nuptiis & conviviis, de artibus ad Graphicen spectantibus,
77. (ubi inter alia observat, templa antiquitus angusta & parum alta fuisse, quod tantum ad tegendas statuas, quas continebant, exstru-
79. erentur) de moneta, in qua sæpe spectatur Janus bifrons, in eo a Romano diversus, quod imberbis & pileo tectus; de lingua Etrusca, quam frustra tentatam ab eruditis putat Noster, quanquam alphabetum aliquod ipse subministret, notans etiam §. 42, Etruscos ut plurimum a dextra in lævam scripsisse; de locis item, in quibus inscriptiones Etruscæ visuntur, de septem tabulis Etruscis, Eugubii 1444 sub terra repertis, Nostro quidem suspectis, quarum duæ Venetias pervenere, disserit, tandemque §. 47 de Etruscis ab Ægyptiis oriundis conjecturam proponit, & §. 48 doctos ad indagandam accuratius linguam illam sollicitat atque instruit.

JUSTI

TAB. II ad A. 1728 M.



Etruria Regali ſuggeſtu Camilli Guidii Equitis Volaterrani, quem *florem illius ſeculi hominum & alterum parentem ſuum* vocat, & juſſu COSMI II, M. D. qui opus inter arcana ſua ſervet, magno pretio invitatum conſcripſiſſe, quod & ex Epiſtola, quæ apud hæredes Volaterrani inter multas alias Dempſteri ineditas exſtat, confirmatur. Utcunque ergo tandem ad Cl. Editorem liber pervenerit, certe bona fortuna rei literariæ id accidit; quandoquidem is neutiquam hoc Theſauro fraudandam putavit Hetruriam, quin potius opus, quod ſibi comparaverat, in ipſa ejus urbe principe, ſplendide imprimi, & figuris plurimis, quæ in opere deſiderabantur, ex ipſis antiquitatis reliquiis, magnam partem in vicinia Florentiæ conſpicuis, non modico ſumtu depictis, exornari curavit. Permovit etiam Virum in re antiquaria exercitatiſſimum *Philippum Bonarotam*, ut ſub finem Tomi II adderet explicationes & conjecturas, in quibus, Scriptorum fere teſtimoniis ſepoſitis, ſola monumentorum ipſorum, quorum integritatem vindicat & numerum auget, autoritate, vel mutua eorundem inter ſe collatione, multa ad mores Tuſcorum ſpectantia, quæ nusquam in antiquis ſcriptoribus reperire ſperes, e tenebris veluti eruta exhibentur. *Ut* rudem primo Dempſteriani operis, cujus Libri tres priores primo Tomo, reliqui poſteriore continentur, conſpectum demus, *Libro*

Lib. I. *I* de nomine Etruriæ, quam negat Hetruriam vocandam, & Tuſciæ, de incolis ejus olim claris, Tyrrhenis, Lydis, Pelasgis, Arcadibus, Aboriginibus, aliis, de eorum potentia, ſoli qualitate, vino, aere, aquis & thermis, Diis & oraculo Tethyos, lingua, literis & Inſcriptionibus (qua occaſione hic p. 91 Editor inſerit Tabulas Eugubinas VII, quarum unam tantum Baldius, duas Gruterus, longe quidem ab his aberrantes, edidit, nunc ad archetypum diligentius expreſſas & ab illis ipſis, qui Eugubinam eccleſiam rexerunt, communicatas) de quadruplici dialecto Etruſci ſermonis, Oſca, Rhetica, Umbrica & Phaliſca, de politia Etruſcorum, & de gentibus ab iis oriundis agitur. *Libro II*, in quo principem ſibi fuiſſe

Lib. II. p. 103. ſuſcepti operis curam Autor teſtatur, id agit, ut ſeriem aliquam (nam continuam vix ſperandam putat) Regum per bis mille & quingentos annos, quibus jure Regio hæc provincia uſa eſſet, laborioſe erueret, tacentibus fere ob invidiam, ut putat, Scriptoribus

bus Latinis, apud quos quingentis pæne annis, quibus gloriose Etrusci cum Romanis bellarunt, trium tantum Regum Etruscorum fit mentio. Veros itaque Reges numerat L, ceteros omnes Annio Viterb. aliisque nominatos commentitios vocat. *Libro III* varia recensentur Etruscorum inventa capitibus XCV, simulque de moribus eorum quædam annotantur. Inter illa numerantur, divinatio per auguria & aruspicinam, fulminum & ostentorum observatio, mos orandi stando & manibus supinis; modus urbem condendi, pomœrio, fossa, muris muniendi; insignia regni, secures & fasces, trabea, sella curulis, annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta, calcei militares, senatorii, tragici; triumphus cum curru, equis, corona, toga picta, tunica palmata; gladiatores, (quibus subjunguntur Pythagoræ Etrusci inventa, nomen Philosophiæ, sphæra mechanica &c.) claves & seræ ostiorum, phialæ &c. agricultura, medicina, musica & res militaris, cum variis instrumentis, quam ab Etruscis Romani didicere; tum ærea tibia, molæ, atria, columnæ, ludi, histriones, pugiles, plastice, res navalis, jura fecialia & id generis alia. Ad mores pertinet, quod moneta signata, it. floridis vestibus usi; quod in corticibus arborum, in cera &c. scripserint; quod bis in die mensas posuerint, cum Romani semel tantum idque vesperi comederint, prandia apud eos rarius fuerint in usu; quod servos aluerint delicatos, & reliqua.

227 sq.

Lib. III.

c. 43, 44, 45.

Libro IV, præmissa Etruriæ antiquæ & novæ tabula, status ejus antiquus CXXII Capitibus explicatur, locaque omnia antiquis memorata, quorum pars magna non amplius superest, erudite illustrantur. Sigillatim vero *Libro V* de urbibus, quæ & olim floruere & nunc florent, ita agit Autor, ut primum de origine & conditoribus, de rebus porro præclare gestis, de Viris scriptis aut bello claris, de Sanctis eorumque Festis solennibus, de Pontificibus & Cardinalibus, Præsulibus item eorumque successione disserat. Hic igitur de Pisis, Volaterris, Luca, Arretio, Cortona, Perusia, [illegible]torio, Senis, Florentia & Aquila, quæ hodie Aquapendente. His *Libro VI* eæ adduntur urbes, quæ post inclinationem Romani Imperii excitatæ ac civitatum jure donatæ sunt, simili, ut illæ, ratione descriptæ. Notamus tamen, Autorem in recensendis cujusque urbis civibus eruditis paulo nimis parcum videri, &

T. II.

Lib. IV.

Lib. V.

Lib. VI.

 raro

raro singulare quid, præter nomen, de quoquam afferre. Denique *Libro VII* de familia Medicea ejusque origine ac Viris illu-
Lib. VII. p. 451 sq. stribus commentatur, eorum explodens fabulas, qui a Theseo, ab Antenore, a Dardano, ab Ænea aliisque heroibus fabulosis ortos Mediceos tradidere, & inter reliquos ejus gentis extollens Lau-
476. rentium, qui *Parens literarum & literatorum* dictus Pisanam Academiam restauravit, & Viros doctissimos fovit ditavitque.

Quod ad Appendicem Cl. *Bonarotæ*, multa is suppeditat criteria, quibus monumenta Etrusca ab aliis dignosci possunt. Ita
8. notat, Etruscos Diis suis insignia quædam addere suevisse, quæ pro sacris augustisque habuerint, ut alas, faces, inaures quoque, armillas, torques & similem ornatum muliebrem, & licet iisdem homines uterentur, simulacra tamen hominum mulierumque
92. honestiorum absque iis ornamentis effinxisse. Frequenter porro literæ Etruscæ in anaglyphis, statuis aliisque monumentis, etiam in fimbriis vestium, inscriptæ deprehenduntur, unde facile judices, ipsa etiam monumenta Etrusca esse. Sæpius etiam varii iique vivi colores figuris inducti ab Etruscis observantur, ut mireris, eorum post bis mille & amplius annos adhuc indicium extare. Quomodo ex amictu militum aliisque signis, quæ ad rem militarem spectant, monumenta Etrusca dignosci possint, Cl. *Bonarota* §. 27, 28, sq. demonstrat; totam etiam rem vestiariam ejus gentis virorum & mulierum §. 33 exponit & in sequentibus de nuptiis & conviviis, de artibus ad Graphicen spectantibus,
77. (ubi inter alia observat, templa antiquitus angusta & parum alta fuisse, quod tantum ad tegendas statuas, quas continebant, extru-
79. erentur) de moneta, in qua sæpe spectatur Janus bifrons, in eo a Romano diversus, quod imberbis & pileo tectus; de lingua Etrusca, quam frustra tentatam ab eruditis putat Noster, quanquam alphabetum aliquod ipse subministret, notans etiam §. 42, Etruscos ut plurimum a dextra in lævam scripsisse; de locis item, in quibus inscriptiones Etruscæ visuntur, de septem tabulis Etruscis, Eugubii 1444 sub terra repertis, Nostro quidem suspectis, quarum duæ Venetias pervenere, differit, tandemque §. 47 de Etruscis ab Ægyptiis oriundis conjecturam proponit, & §. 48 doctos ad indagandam accuratius linguam illam solicitat atque instruit.

JUSTI

TAB. II ad A. 1728 M.



JUSTI FONTANINI, ARCHIEPISCOPI Ancyrani, Discus argenteus votivus Veterum Christianorum Perusiæ repertus, ex Museo Albano depromtus & Commentario illustratus, ubi formulæ quædam & ritus præcipui donaria sacra Deo in Ecclesia offerendi singulatim enucleantur.

Romæ, ex Typographia Rochi Bernabò, in vico ad Muratas, 1727, 4.

Plag. 17 cum Fig. passim insertis.

PErgit adhuc Reverendissimus & Illustrissimus Archiepiscopus *Fontaninus* late jam diffusam sui nominis famam elucubratissimis scriptis extendere atque quam optime de republica literaria mereri. Cujus rei novo documento esse potest vel Discus hic votivus, cujus hic ectypon repræsentamus, eruditissimo Commentario ab ipso illustratus. TAB. II. Postquam eruditorum hominum, imprimis Romanæ Ecclesiæ addictorum, in antiquitates sacras & Christianas merita luculenter percensuisset Ill. Autor; Disci hujus votivi historiam sequentem in modum enarrat: Anno Christi Domini 1717 die XIV Jan. Perusiæ e regione arcis, quæ proxima est geminæ viæ, in totidem fora exeunti, Viro generoso Philippo Doninio fundamenta novi palatii intra mœnia antiqua civitatis, arcemque ad plagam Occidentalem substruente, latomi ollam sive amphoram ex ære Cyprio detexerunt, in qua nummi aurei CXL Justiniani, Justinique jun. Augustorum reperti sunt, utrique unius moduli & typi. Præf. fol. XIX, XX. Ex olla, ferreo ligone operarum contusa, aqua flava atque adeo fœtens manavit, ut sua mephiti omnes in fugam verterit. Ejus jacturam Chymici adhuc lugent. Ad hæc eruta pulcherrima fibula aurea, digiti humani longitudinem æquans, lata vero duos. Mox detecta catenula, pariter aurea, duos palmos longa, geminæ inaures & totidem annuli, omnia ex purissimo auro. Discus etiam argenteus prodiit, duos palmos infra laminam plumbeam locatus, quæ longa erat palmos X, lata IV, pondo XXX librarum. XXII. Mox cadaver, communem magnitudinem superans, ut ex ossium juncturis observatum, sub magnis tegulis latens effossum. Omnia judicio aurificum, ad monetæ Romanæ

pretium scutorum 415 redacta sunt. Discum hunc una cum reliquis in gazam Albanam illatum quinquelibrem & quincuncem esse comperit Ill. Autor, ex puro argento conflatum; alicubi vero fractum duraque rubigine asperum; interioris tamen orbiculi literas † DE DONIS DEI ET DOMNI PETRI UTERE FELIX CUM GAUDIO, & cœlaturam, adhuc esse illæsas, illius ceterum diametrum æquare palmos duos Roman. architectonicos, unciis tribus minores, observavit. Ipsa Disci cælatura hæc est: dux capite nudo, imberbis, thorace & chlamyde indutus, sine stapiis equo insidens, quem freno regit, hastam dextera, gladium sinistra tenens, peditem galeatum & barbatum clypeo se protegentem insultat. Pedes parazonium dextra in equitem stringit, humi totus ferme procumbens, conto seu mavis pilo in lævo crure transfossus. Ingeniose vero tum ex statura procera, tum ex adjectis nummis conjicit Ill. Autor, Gothi militis istud esse cadaver, qui a capta per Totilam Regem Perusia, sive ab A. D. 548 ad A. D. 571 ibidem manserit, forsan in castra Justiniani & Justini Thracis II transiens, tumque cum hoc Disco argenteo ex S. Petri basilica Romæ circiter A. D. 552 ablato, reliquisque cum spoliis sacris ex more gentis suæ sepultus fuerit, imprimis quum veterum Germanorum mos ferret, ut cum thesauris & opibus suis cadavera humarent, quod fuse & erudite probatur. Ipse Commentarius XXIV Capp. absolvitur, quæ strictim nunc percurrere lubet. Luculenter igitur Ill. Autor ostendit, Discum hunc gabatam esse fundatam, anaglypham & interrasilem h. e. per intervalla lævigatam & politam. Gabatæ vero erant lances seu disci in Ecclesiarum sanctioribus locis servati, a veteribus Christianis donariorum loco crebro dedicati & in sanctis Basilicis in sacros usus oblati, præsertim quum mos esset perantiquus rerum præclare gestarum historias in orbiculatis clypeis & discis votivis cælare, quod maximorum virorum autoritate uberius docetur. Unde vel in hoc Disco Albano victoriam de Maxentio Tyranno ad pontem Milvium Tiberi impositum, prodigioso signo Crucis Constantino M. prænuntiatam, quam majores nostri omnibus monumentis testatam esse voluerunt, denotari autumat. Maxentium enim e ripa in fluminis alveum mox ruiturum, vel potius antea demersum aut præcipi-

Margin notes: XXIII. Comment. Cap. I. — VI. — Præf. fol. XXX. — XLIII. — XXIV, XXV. — Comment. Cap. II, III. — IV. — VI. — VII.

cipitatum & equo lapsum, ex alveo evadere frustra conantem videre sibi videtur. Eques nimirum in ripa eminentiori, pedes in depressiori loco cælati conspiciuntur. Is scilicet in Tiberis ripa, hic intra Tiberim locumque altum atque imum in cælatura ipsa graphice repræsentatur. Quare hunc Discum Deo sacrum & in honorem S.Petri in Basilica Vaticana munus oblatum rei divinæ ministris utendum fuisse existimat. De ipsa Disci inscriptione orbiculari observat, medii ævi inscriptiones orbiculatim dispositas inde primum legi cœptas fuisse, ubi crucis venerabile signum infixum fuerit. Formulam DE. DONIS. DEI. primævæ pietatis insigne documentum credit, quod veteres Christiani ea nihil de suo se offerre declararent, sed de his omnia, quæ alias Dei essent, quæque is ipsis largitus fuisset. Variis quoque aliis venerandæ antiquitatis Inscriptionibus Romanis, unaque Græca Justiniani & Theodoræ, in quibus eadem formula legitur, rem scite & copiose illustrat. Adhuc observat etiam formulam *de donis Dei* a summis Pontificibus usurpatam, item & mere liturgicam fuisse post consecrationem S. Cœnæ adhiberi consuetam, & a piis Christianis ad Sec. XII usque custoditam. Domnos porro seu, quod idem, Dominos antiquitus ex reverentia appellatos fuisse Apostolos aliosque Sanctos, ex Gregorii II Pont. Max. donatione Petro & Paulo facta, item Commodiano, Cypriano Episcopo æquali, Cangio & Hugone imprimis Menardo erudite ostendit: profert quoque nummum æreum, in quo Petrus & Paulus Romani Principes dicuntur. Sancti vero prænomen seculo demum V usurpari, processuque temporis per varia literarum compendia scribi cœpisse, multis probat, variisque ex nummis Pontificum seculo IX & X percussis demonstrat. Nunc de orbiculis erudite disserit, eosque scuta rotunda, sive clypeos fuisse affirmat, quibus sacræ imagines atque historiæ continebantur, dictos quoque fuisse thoraces, ex Rufino & aliunde docet. Ad partem denique Inscriptionis postremam Ill. Autor transit, probatque hanc formulam a Tiberio Constantino Aug. Justini jun. successore, imprimis usurpatam, UTERE. FELIX. frequentem fuisse veteribus, & idem esse ac: in utilitatem tuam, felix hunc discum verte. Fuisse vero Gabatam hanc Albanam recipiendis Eulogiis destinatam, ex Venantio Fortunato potissi-

Marginal notes (right margin, in order): Cap. VIII. — IX. — X, XI, XII. — XV. — XVI. — XIII. — XIV. — XVII. — XVIII. — XIX.

potissimum colligit, qui similis gabatæ argenteæ Inscriptione orbiculari pariter ornatæ, in qua ipsi Eulogiæ mitterentur, mentionem fecit. Erant autem Eulogiæ panes oblati in ecclesia, ex quibus pars aliqua ad usum S. Cœnæ seligeretur, περισσεύματα veró inter rei sacræ administros distribuerentur, qua de re pluribus Baronius, Menardus & omnium luculentissime Cangius, item, quem nos addimus, Simplicius Verinus, h. e. Cl. Salmasius Lib. de Transsubstantiatione contra H. Grot. Qua occasione simul egregie probat, ejusmodi vasa aurea & argentea, seu anathemata a principibus viris in ædibus sacris fuisse oblata. Ritum quoque & vasa ista Deo offerendi, & literas donationum testes super altare deponendi in sequentibus perspicue docet. Istas vero donationes, quamvis ecclesiæ factas, ipsi tamen Deo fuisse exhibitas, ex Caroli M. Capitularibus Baluzianis diserte probare instituit. Sub finem denique universi Commentarii, donationes ecclesiis factas sacrificium & holocaustum fuisse dictas, contra quendam sibi adversarium valide ostendere conatur.

Cap. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV.

RUFI EPHESII DE VESICÆ RENUMQUE morbis, de purgantibus medicamentis, de partibus Corporis humani, nunc iterum typis mandavit GUILIELMUS CLINCH, M.D. qui & Dissertationem de Autore ejusque scriptis, una cum Commentariolo de usu idoneo Vesicantium in morbis curandis adjecit,

Londini, typis J. Bettenham, 1726, 4.
Alph. 1 pl. 2.

RUfum Ephesium, scriptorem nitidum & eruditum, hactenus vero tantum non intermortuum, doctis philiatris redonare consilium cepit Cl. *Guil. Clinch.* Quum enim unica Turnebiana Editio Græca adeo rara esset, ut in amplissima urbe Londinensi vix unum aut alterum exemplum posset inveniri; Cl. Autor horas se haud melius collocaturum judicabat, quam si antiquum hunc scriptorem denuo prelo subjiceret. *Rufi* ætatem ad Trajani Imperium, Suidæ autoritate, esse referendam, cum Dan. Clerico,

Diff. de Ruf. ejusq; script. fol. XIX.

co, Mercklino, Fabricio aliisque Cl. Editor potius credit; quam quod Tzetzæ fidem habendam esse statuat, qui Rufum Cleopatræ reginæ Medicum fuisse asseruerat in suis Chiliadibus. Continentur vero hoc Libro tria *Rufi Ephesii* Opuscula, ex pluribus aliis deperditis & a Cl. Fabricio commemoratis nobis adhuc reliqua. Primum de renum & vesicæ affectibus ita comparatum esse arbitratur Cl. *Clinch*, ut Autor in eo non modo minutissima quæque morbi discrimina breviter & dilucide notaverit, sed etiam curandi viam indicaverit & uberiorem remediorum copiam suggesserit, quod ibi fusius per capita docet, ut omnem fere in hac re notitiam, quam assequuti sunt posteri, a *Rufo* accepisse videantur. Alterum de purgantibus, quamvis magnam sui partem mutilum, dignum quoque attentione Noster censet, quod singulorum purgantium virtutes peculiares, & in quibus humoribus subducendis & affectibus curandis quædam præ ceteris excellant, accurate in eo tradantur. Tertium denique tripartitum de Corporis humani partibus, ideo lectu utile atque jucundum judicat, quod Autor in illo non nudam solummodo partium descriptionem ante oculos posuerit; sed earundem etiam usus pro istis temporibus haud perperam explicaverit; præterea primus Erasistrati errorem Medicis eripuerit, venas quidem sanguine, arterias vero spiritibus solum impleri; & licet cum illius, tum Herophili sententias in rebus anatomicis utplurimum sequeretur, sæpius tamen in corporibus incidendis a calcato tramite eum deflexisse monet, quod vel ex eo liquido pateat, quod vasa quædam in utero antecessoribus suis incognita deprehenderit. De ipso *Rufi* stilo Noster ita existimat, esse eum nitidum, simplicem, ad argumenti scopum rerumque dignitatem accommodatum, dictione Attica decorum. Textus Græcus ex Editione Turnebiana satis nitide & emendate est descriptus, quum Cl. Editor Codicem nullum MSt. nec Bernensem ac Cel. nostro Fabricio laudatum, ad manus haberet, quem consuleret. Versionem adjecit partim ab Anonymo, partim a Junio Crasso continuatam, in plurimis vero, ut ipse fatetur, infidelem & mancam, hincque ab ipso passim emendatam. Nullas plane Observationes Textui subjecit, quum tamen dignus esset omnino *Rufus*, qui docto Commentario illustraretur, unde factum, ut duo

fol. XI. IV. XIV. XVI. XVII. XIX. XVIII.

U mani-

pretium scutorum 415 redacta sunt. Discum hunc una cum reliquis in gazam Albanam illatum quinquelibrem & quincuncem
XXIII. esse comperit Ill. Autor, ex puro argento conflatum; alicubi vero fractum duraque rubigine asperum; interioris tamen orbiculi
Comment. Cap. I. literas † DE DONIS DEI ET DOMNI PETRI UTERE FELIX CUM GAUDIO, & cœlaturam, adhuc esse illæsas, illius ceterum diametrum æquare palmos duos Roman. architectonicos, unciis tribus minores, observavit. Ipsa Disci cœlatura
VI. hæc est: dux capite nudo, imberbis, thorace & chlamyde indutus, sine stapiis equo insidens, quem freno regit, hastam dextera, gladium sinistra tenens, peditem galeatum & barbatum clypeo se protegentem insultat. Pedes parazonium dextra in equitem stringit, humi totus ferme procumbens, conto seu mavis pilo in lævo crure transfossus. Ingeniose vero tum ex statura procera, tum ex
Præf. fol. adjectis nummis conjicit Ill. Autor, Gothi militis istud esse cada-
XXX. ver, qui a capta per Totilam Regem Perusia, sive ab A. D. 548 ad A. D. 571 ibidem manserit, forsan in castra Justiniani & Justini
XLIII. Thracis II transiens, tunque cum hoc Disco argenteo ex S. Petri basilica Romæ circiter A. D. 552 ablato, reliquisque cum spoliis sacris ex more gentis suæ sepultus fuerit, imprimis quum veterum
XXIV, Germanorum mos ferret, ut cum thesauris & opibus suis cadavera
XXV. humarent, quod fuse & erudite probatur. Ipse Commentarius XXIV Capp. absolvitur, quæ strictim nunc percurrere lubet. Lu-
Comment. culenter igitur Ill. Autor ostendit, Discum hunc gabatam esse fun-
Cap. II, III. datam, anaglypham & interrasilem h. e. per intervalla lævigatam & politam. Gabatæ vero erant lances seu disci in Ecclesiarum sanctioribus locis servati, a veteribus Christianis donariorum loco
IV. crebro dedicati & in sanctis Basilicis in sacros usus oblati, præser-
VI. tim quum mos esset perantiquus rerum præclare gestarum historias in orbiculatis clypeis & discis votivis cælare, quod maximorum virorum autoritate uberius docetur. Unde vel in hoc Disco
VII. Albano victoriam de Maxentio Tyranno ad pontem Milvium Tiberi impositum, prodigioso signo Crucis Constantino M. prænuntiatam, quam majores nostri omnibus monumentis testatam esse voluerunt, denotari autumat. Maxentium enim e ripa in fluminis alveum mox ruiturum, vel potius antea demersum aut præcipi-

cipitatum & equo lapsum, ex alveo evadere frustra conantem videre sibi videtur. Eques nimirum in ripa eminentiori, pedes in depressiori loco cælati conspiciuntur. Is scilicet in Tiberis ripa, hic intra Tiberim locumque altum atque imum in cælatura ipsa graphice repræsentatur. Quare hunc Discum Deo sacrum & in honorem S.Petri in Basilica Vaticana munus oblatum rei divinæ ministris utendum fuisse existimat. De ipsa Disci inscriptione orbiculari observat, medii ævi inscriptiones orbiculatim dispositas inde primum legi cœptas fuisse, ubi crucis venerabile signum infixum fuerit. Formulam DE. DONIS. DEI. primævæ pietatis insigne documentum credit, quod veteres Christiani ea nihil de suo se offerre declararent, sed de his omnia, quæ alias Dei essent, quæque is ipsis largitus fuisset. Variis quoque aliis venerandæ antiquitatis Inscriptionibus Romanis, unaque Græca Justiniani & Theodoræ, in quibus eadem formula legitur, rem scite & copiose illustrat. Adhuc observat etiam formulam *de donis Dei* a summis Pontificibus usurpatam, item & mere liturgicam fuisse post consecrationem S. Cœnæ adhiberi consuetam, & a piis Christianis ad Sec. XII usque custoditam. Domnos porro seu, quod idem, Dominos antiquitus ex reverentia appellatos fuisse Apostolos aliosque Sanctos, ex Gregorii II Pont. Max. donatione Petro & Paulo facta, item Commodiano, Cypriano Episcopo æquali, Cangio & Hugone imprimis Menardo erudite ostendit: profert quoque nummum æreum, in quo Petrus & Paulus Romani Principes dicuntur. Sancti vero prænomen seculo demum V usurpari, processuque temporis per varia literarum compendia scribi cœpisse, multis probat, variisque ex nummis Pontificum seculo IX & X percussis demonstrat. Nunc de orbiculis erudite disserit, eosque scuta rotunda, sive clypeos fuisse affirmat, quibus sacræ imagines atque historiæ continebantur, dictos quoque fuisse thoraces, ex Rufino & aliunde docet. Ad partem denique Inscriptionis postremam Ill. Autor transit, probatque hanc formulam a Tiberio Constantino Aug. Justini jun. successore, imprimis usurpatam, UTERE. FELIX. frequentem fuisse veteribus, & idem esse ac: in utilitatem tuam, felix hunc discum verte. Fuisse vero Gabatam hanc Albanam recipiendis Eulogiis destinatam, ex Venantio Fortunato potissi-

Cap. VIII. IX. X, XI, XII. XV. XVI. XIII. XIV XVII. XVIII. XIX.

potissimum colligit, qui similis gabatæ argenteæ Inscriptione orbiculari pariter ornatæ, in qua ipsi Eulogiæ mitterentur, mentionem fecit. Erant autem Eulogiæ panes oblati in ecclesia, ex quibus pars aliqua ad usum S. Cœnæ seligeretur, περισσεύματα veró inter rei sacræ administros distribuerentur, qua de re pluribus Baronius, Menardus & omnium luculentissime Cangius, item, quem nos addimus, Simplicius Verinus, h.e. Cl. Salmasius Lib. de Transsubstantiatione contra H. Grot. Qua occasione simul egregie probat, ejusmodi vasa aurea & argentea, seu anathemata a principibus viris in ædibus sacris fuisse oblata. Ritum quoque & vasa ista Deo offerendi, & literas donationum testes super altare deponendi in sequentibus perspicue docet. Istas vero donationes, quamvis ecclesiæ factas, ipsi tamen Deo fuisse exhibitas, ex Caroli M. Capitularibus Baluzianis diserte probare instituit. Sub finem denique universi Commentarii, donationes ecclesiis factas sacrificium & holocaustum fuisse dictas, contra quendam sibi adversarium valide ostendere conatur.

Cap. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV.

RUFI EPHESII DE VESICÆ RENUMQUE morbis, de purgantibus medicamentis, de partibus Corporis humani, nunc iterum typis mandavit GUILIELMUS CLINCH, M.D. qui & Dissertationem de Autore ejusque scriptis, una cum Commentariolo de usu idoneo Vesicantium in morbis curandis adjecit,

Londini, typis J. Bettenham, 1726, 4.

Alph. 1 pl. 2.

Diff. de Ruf. ejusq; script. fol. XIX.

RUfum Ephesium, scriptorem nitidum & eruditum, hactenus vero tantum non intermortuum, doctis philiatris redonare consilium cepit Cl. *Guil. Clinch*. Quum enim unica Turnebiana Editio Græca adeo rara esset, ut in amplissima urbe Londinensi vix unum aut alterum exemplum posset inveniri; Cl. Autor horas se haud melius collocaturum judicabat, quam si antiquum hunc scriptorem denuo pre[illegible] subjiceret. *Rufi* ætatem ad Trajani Imperium, Suidæ autoritate, esse referendam, cum Dan. Clerico,

co, Mercklino, Fabricio aliisque Cl. Editor potius credit; quam quod Tzetzæ fidem habendam esse statuat, qui Rufum Cleopatræ reginæ Medicum fuisse asseruerat in suis Chiliadibus. Continentur vero hoc Libro tria *Rufi Ephesii* Opuscula, ex pluribus aliis deperditis & a Cl. Fabricio commemoratis nobis adhuc reliqua. Primum de renum & vesicæ affectibus ita comparatum esse arbitratur Cl. *Clinch*, ut Autor in eo non modo minutissima quæque morbi discrimina breviter & dilucide notaverit, sed etiam curandi viam indicaverit & uberiorem remediorum copiam suggesserit, quod ibi fusius per capita docet, ut omnem fere in hac re notitiam, quam assequuti sunt posteri, a *Rufo* accepisse videantur. Alterum de purgantibus, quamvis magnam sui partem mutilum, dignum quoque attentione Noster censet, quod singulorum purgantium virtutes peculiares, & in quibus humoribus subducendis & affectibus curandis quædam præ ceteris excellant, accurate in eo tradantur. Tertium denique tripartitum de Corporis humani partibus, ideo lectu utile atque jucundum judicat, quod Autor in illo non nudam solummodo partium descriptionem ante oculos posuerit; sed earundem etiam usus pro istis temporibus haud perperam explicaverit; præterea primus Erasistrati errorem Medicis eripuerit, venas quidem sanguine, arterias vero spiritibus solum impleri; & licet cum illius, tum Herophili sententias in rebus anatomicis utplurimum sequeretur, sæpius tamen in corporibus incidendis a calcato tramite eum deflexisse monet, quod vel ex eo liquido pateat, quod vasa quædam in utero antecessoribus suis incognita deprehenderit. De ipso *Rufi* stilo Noster ita existimat, esse eum nitidum, simplicem, ad argumenti scopum rerumque dignitatem accommodatum, dictione Attica decorum. Textus Græcus ex Editione Turnebiana satis nitide & emendate est descriptus, quum Cl. Editor Codicem nullum MSt. nec Bernensem ac Cel. nostro Fabricio laudatum, ad manus haberet, quem consuleret. Versionem adjecit partim ab Anonymo, partim a Junio Crasso continuatam, in plurimis vero, ut ipse fatetur, infidelem & mancam, hincque ab ipso passim emendatam. Nullas plane Observationes Textui subjecit, quum tamen dignus esset omnino *Rufus*, qui docto Commentario illustraretur, unde factum, ut duo

fol. XI.

IV.

XIV.

XVI.

XVII.

XIX.

XVIII.

manifesta & insigniora menda in ipso resederint, quæ bona cum Cl. Editoris venia hic indicare & emendare placet. Lib. II de Part.
p. 59. human. Corp. Cap. de Liene legitur: *σπλὴν κεῖται κατὰ τὸ εὐώνυμον ὑποχόνδριον παρεκτινόμενον ἐπὶ μῆκος ἀνθρωπίνω ἴχνει.* Quis hic non videt, legendum esse *παρεκτινόμενος*, nam ad antecedens *σπλὴν* respicit, nec bene quoque Græce dici *ἐπὶ μῆκος ἀνθρωπίνω ἴχνει*? Scilicet locus integer, ut plura alia, transscriptus est ex Hippocrate sive Autore Libelli de Anatome, ubi ita legitur: *ἐκ δὲ πλευρῆς νόθης, λέγω δὲ ἀριστερῆς, σπλὴν ἀρξάμενος ἐκτέταται, ὁμοιορυσμὸς ἴχνει ποδός.* Hæc vix dubitamus sic expressisse *Rufum*: *παρεκτεινόμενος ἐπὶ μῆκος, ἐπεοικὼς ἀνθρωπίνω ἴχνει*, quum probabile videatur, vocem *ἐπεοικὼς*, ob soni æque ac literarum vicinitatem, propter antecedens *ἐπὶ μῆκος*, excidisse: imo magis placet, illud *ἐπὶ μῆκος* plane esse mutandum in *ἐπεοικὼς*, quia significationis vis latet jam in antecedenti voce *παρεκτεινόμενος*, meliusque sic conspirat cum loco Hippocratis. Lindanus quidem in Med. Phys. C. V p. 68 hunc locum emendare quoque tentavit; sed paulo violentius pro more & infelicius, quod ibi legi potest. Alter locus apud *Rufum* eodem
61. Libro Cap. de Intestinis legitur: *τὰ ἔντερα ἑλικηδὸν εἴλημένα πρὸς ὑποδοχὴν τῶν τῆς κοιλίας ὑποβιβαζομένων σισμῶν.* Certe vox *σισμῶν* monstrum est Græciæ ignotum, & quivis Græce modice peritus ex contextu legendum esse videt *σιτίων*, quod modo præcesserat, ut emendandum jam monuit Foes. in Comment. ad Hippocr. Lib. de Anatome. Nec inconcinnior vero foret lectio *σηπτῶν*, h. e. alimenta digesta, concocta jam & hinc infra dejicienda, quibus apud Hippocratem opponuntur *σιτία ἄσηπτα*, cibi indigesti, apud quem *σῆψις* quoque pro concoctione sumitur, & *σηπτικὴ κοιλίη* pro ventriculo concoquente; plura Foesius in Oeconom. Hippocr. & Casaubon. ad Athen. L. VII c. I p. 475. Ut aliquid tamen de suo adjiceret Cl. Editor novæ huic *Rufi Ephesii* Editioni, præter duplicem Indicem vocum Græcarum & Latinarum, ad calcem Libri addidit Commentariolum de usu idoneo vesicantium in morbis curandis. In quo, præmissa brevi de inventione hujus remedii historia, multus est, ut probet,
8. vesicantia in febribus malignis & inflammatoriis, pleuritide, peripneu-

pnevmonia, item variolis, nec non Ischiade, imprimis vero in p. 10.
apoplexia, vertigine, Comate & epilepsia egregium prorsus usum 11.
præstare, si caute & opportune adhibeantur. In Ischuria quoque 12.
renali & vesicali, diureticis nihil sæpe proficientibus, urinam quandoque provocari a vesicantibus, tribus vel quatuor ad summum adhibitis, subnotat. Utrum vero in cutaneis affectibus sa- 13.
nandis proficiant Cantharides cuti appositæ, nec ne, se nondum expertum fuisse fatetur, quamvis eas in alopecia ab Archigene commendatas fuisse scripserit Aetius Amiden. qui ipse ad lepram curandam, cum aliis medicamentis erodentibus muscas illas fœtidas se commiscuisse commemorat.

SYLLOGES EPISTOLARUM A VIRIS ILlustribus scriptarum Tomi V, collecti & digesti per PETRUM BURMANNUM.

Leidæ, apud Sam. Luchtmans, 1727, 4.

Tom. I Alph. 4 plag. 4; Tom. II Alph. 4 pl. 14; Tom. III Alph. 4 pl. 17; Tom. IV Alph. 4 pl. 12, & Tom. V Alph. 4 pl. 19.

SYlloge hæc Epistolarum tot nominibus sese commendat, lectorisque animum advertit, ut difficile sit, de ea dicendi initium expedire. Et quamquam ejusdem generis plura Corpora dudum in manibus eruditorum fuerint; nunquam tamen antea tam insigne, tamque utile Opus vulgatum esse, quilibet fatebitur, qui has illustrium Virorum Epistolas vel obiter inspexerit. Argumentum hujus laudis, prorsus singularis, nos minime a magnitudine libri, ab nitore chartæ & elegantia typorum, quo utroque excellit, desumimus: neque eruditis tot nomina, Morellum, Spanhemium, Meursium, Reinesium, Mercerum, Vulcanium, Meibomium, Livinejum, Rigaltium, Lindenbrogium, Lernutium, Jungermannum, Torrentium, Camerarium, Sarravium, Bochartum, Rittershusium, Gevartium, Vossios, Gifanium, Sirmondum, Gruterum, Casaubonum, Valesios, Douzam, Gronovios, Salmasium, Rubenium, Seldenum, Grotium, Perizonium; ne quidem Paullum V Papam, Christinam Sueciæ Reginam, Nassauium Comitem, Sfortiam Cardinalem, Baronium & plurima alia nomina il-

industria, quorum Epistolæ hic exhibentur, imputamus, utut magnificum satis existimandum sit, trecentorum amplius hominum doctissimorum, & quorundam plusquam trecentas epistolas a Celeb. Editore evulgatas esse. Sed illud nos maxime movit, quod historiæ universæ, potissimum autem literariæ, eæque secretiori, nova lux, quæ integrum seculum illustrat, accensa sit: quod de omnibus partibus eruditionis istæ epistolæ familiarius disserant, eaque etiam proponant, quæ in scriptis omnium oculis exponendis autores gravissimi dissimulassent: quod denique Artis potissimum Criticæ innumera specimina contineant, quæ ab amicis examinata, & sine fuco aut probata, aut rejecta sunt: quo nihil utilius in illa disciplina reperiri potest. Amici enim aperte disputant, neque retractare & emendare, quæ amico tantum exhibita sunt, multum pudet, si meliora fueris edoctus. At qui cogitationes immaturas in publicum propellunt, ne errasse videantur, pertinaciam induunt pro causa, &, non sine detrimento eruditionis, si non peritis, imperitioribus tamen imponunt. Qui mores in omni doctrinarum genere periculosi, in arte autem Critica & periculosi, & frequentissimi sunt. Ista autem specimina ad omnes fere, saltem potiores, Latinos Græcosque Scriptores pertinent, &, quod diximus, magno numero afferuntur, quod in aliis hujusmodi collectionibus, si paucissimas excipias, non reperitur: sive quod autores earum epistolarum ab hac parte eruditionis alieni fuerint; sive quod colligentes hæc bellaria non curarent. Quod utrumque in præsenti Sylloge aliter se habet. Omittimus, quæ singularia hic per familiaria colloquia manifestantur ad notitiam personarum atque interioris & domesticæ vitæ eruditorum Virorum, aut scriptorum eorundem apprime utilia, ita, ut nunc certo intelligi queant, quæ, absque his subsidiis fuisset, per suspiciones tantum indaganda erant. Cujus rei non ex Lipsii tantum, sed etiam ex Grotii, Heinsii aliorumque epistolis varia documenta afferre liceret. Omittimus etiam characteres egregie depictos, & dulcissimas confabulationes, quæ multo magis animum demulcent, quam si remotam longe a nostra ætate rem gestam, historiam Amatoriam, Tragœdiam aut Comœdiam legas. Tot bona debemus industriæ Viri Celeberrimi *Petri Burmanni*, qui incredibili studio

&

& improbo labore non tam collegit (multæ enim in bibliotheca Leidensi jam paratæ jacebant epistolæ, plures undique ab omnibus eruditis offerebantur) quam propria manu, ne operæ aberrarent, descripsit & disposuit eruditissimas has Epistolas. Quod quanto cum tædio fuerit conjunctum, vel ex Lipsii manu, ejusque obscuris & inexplicabilibus literarum ductibus conjicere licet: cui si addas, tot Eruditorum scripturas legendas fuisse & intelligendas, vel hanc ob causam Celeb. Editoris patientiam miraberis. Præterea non modo utilissimos Indices toti Operi subjici curavit; sed etiam passim Epistolis suas observationes adjecit, quibus aut errores quosdam emendat, aut obscuriora ex optimis monumentis, sæpe etiam ex Actis Academiæ Leidensis ineditis illustrat, historiam maxime attendens, ut eo majore cum fructu hæ epistolæ a quolibet legi queant. Quo spectat, quod breves etiam annotationes imprimi curaverit, quas aut illi, qui epistolas acceperant, aut hi, quibus communicatæ erant, oræ exemplorum appinxerunt: quod ex singulari exemplo patebit ex Tomi I Epist. CV, ubi a manu M. Ant. Delrii notæ. Adderemus, eruditam, ut solet, Præfationem a Celeb. *Burmanno* præmissam esse, qua de usu hujus Sylloges, exemplo etiam ab Lipsio & N. Heinsio petito, late disserit, nisi hoc, nobis etiam tacentibus, omnibus notum esset, & nos de Lipsio silere malimus. Sed de Epistolis Lipsii hoc monere debemus, non hic vulgari Epistolas, olim ab ipso autore, aut postea a Pontano, Goldasto, Uffenbachio aliisque editas, quæ opinio in quorundam animos irrepsit; sed novas & antea nunquam typis descriptas, in quibus adeo multæ, quas Lipsius in vulgus edi minime voluit: multæ, quas alii viri illustres & doctissimi ad Lipsium scripserunt. Unde factum est, ut Lipsianæ hujusmodi Epistolæ integrum *Tomum primum*, & primam partem Tomi secundi occuparent. Sunt quidem paucæ, quæ jam alibi evulgatæ leguntur: interim tamen & illæ non frustra hic repetuntur. Etenim non ipse modo Lipsius Epistolas suas aliter edidit, ac ad amicos scripsit, quod exemplis ex hujus Sylloges Tom. I Epist. XXIX, XCI, CXLV, CXLVI, DCLXI, DCLXXII, DCCCI patet; sed etiam quæ in communibus editionibus leguntur ab aliis evulgatæ, aut mutilæ sunt, quod vel una ista Epist. DCLXXXIV & alia Jani T. I.

 Dou-

Douzæ in hac Sylloge No. CCXXVI & alia Lipsii No. DCCXL, quam Gesnerus edidit (ubi omnino Celeb. *Burmannus* videndus) nec non Tom. III, inter Heinsii & Is. Vossii mutuas Epist. LXXIX, declarabit, aut iis locis, iisque libris descriptæ sunt, ubi lector eas haud facile quærat, quomodo Epist. XXV a Th. Crenio olim A. 1696 vulgata est post tractatus de Philologia pag. 480, & Epist. CCCLXXXVII in Editione Statii Crucei post notas Morelli ad lib. I Silv. IV v. 100. Præterea & hoc memorabile existimamus, non modo satis amplas emendationes Taciti Autore *Hieron. Groslotio Lisleo* post Epist. CCCXL, nec non *ζητήματα* quædam & *ἀπορήματα* super libris Lipsii de militia Romana, Autore Dausquejo, & Observationes ad ejusdem Poliorcetica, & alias Autore Delrio post Epist. DCCCXXX ex MS. subjici: sed etiam rariores duas Epistolas in ista Sylloge reperiri a Polonis scriptas; altera est DCCXXXV Fabiani Biacovii, modici libri instar, inepta sedulitate, ut ipsi Autori visum, conscripta; altera Stanislai Rescii, No. DCXVI, insanissimæ imitationis specimen, quippe cujus omnia fere verba ex aliis autoribus descripta, &, quod putidissimum, autorum nomina, unde sua hausit, in margine annotata sunt. Tantum de *Lipsianis*.

T. II. Post eas sequuntur *Tom. II* Variorum Epistolæ partim ex Bibliotheca Leidensi, partim aliunde depromtæ. In his sunt Epistolæ Bernardi Oricellarii, Julii Pflugii, Nicolai Nicolai, Hier. Montii, Splinteri ab Harge, Philippi Cobelii, Jo. Calvini, Joannis Saxonis oppido eruditæ, Jo. Pipini, plures ad *Cassandrum* ab Joach. Hoppero, Jo. Molinæo, Conr. Gesnero, Petro Ximenio, Andrea Masio, Jo. Metello, Peregrino Wilachio aliisque scriptæ. Epist. LXX est Pauli Manutii Aldi F. Sequuntur non parvo numero ad *Jos. Scaligerum* datæ a Gifanio, Bosio, Morello, Sylburgio, Christmanno, Rittershusio, Taubmanno, Lindenbrogio atque aliis usque ad Epist. CXXVIII, licet his etiam quædam aliæ Epistolæ, uti ad Douzam &c. insertæ sint. Christmanni illa tota de Arabico textu in literas Hebræas transfundendo agit, deque ejus argumento per Collegam suum Cl. Jo. Heymannum eruditam observationem adjici curavit Celeb. Editor, qui in eadem parte, pag. nempe 308, festinando notulam loco non suo aptasse videtur.

detur. Deinde leguntur *Hug. Grotii* ad Rutgersium, Dan. Heinsium maxima parte, quæ Baudii uxoris mores, inter alia, graphice depingunt, Elmenhorstium, Schottum, alios gravissimæ Epistolæ, ex quibus notari, ob insignem utilitatem, meretur Epist. CXXXVI, qua de Oratione Baudii exactum tulit judicium: quanquam nec reliquæ minorem utilitatem præstabunt. His subjunguntur a No. CCXXIV *Danielis Heinsii* ad Elmenhorstium, Polyandrum, aliosque, nec non Buxtorffii, Bangii, Lud. Camerarii, Colvii, Schoockii aliorumque ad Heinsium Epistolæ. Deinde a No. CCLV incipiunt *Salmasianæ;* hoc est, a Jungermanno potissimum & Jo. Frid. Gronovio, tum & paucis aliis ad Claud. Salmasium scriptæ, ex quibus maximum ingenium Salmasii etiamnum pueri, & humanitatem atque integritatem summi Gronovii non sine voluptate recognoscas. Notatu digna est Epist. CCCXXXII, ex qua apparet, quibus artibus obtrectatores Salmasii eum & Gronovium committere tentarunt: nec minus jucunda, quæ Epist. CCCXLVIII adtexuntur, unde discimus, quanta superstitione Batavorum nonnulli comæ habitum examinaverint. Epist. CCCLI justo acerbius Freinshemio irascitur Gronovius: inde tamen liquet, cur ad Tacitum & alibi paullo durius acceptus sit bonus ille Freinshemius. Neque Epist. CCCLXV contemnenda est, quam publico nomine Jo. Wevelinchovius ad Salmasium scripsit, ut in Academiam Lugdunensem, bonis conditionibus, sese conferret. Excipiunt has, quas viri docti ad *Nicol. Blancardum*, & hic ad alios scripsit, inter quas Epist. CCCLXXIII Jo. Fr. Gronovius docet, quam rationem in edendis autoribus sit secutus, & ad eandem Blancardum vocat. Cum Epist. CCCXCII jam incipiunt *Heinsiana*, nempe primo loco Gisb. Cuperi & N. Heinsii mutuæ, & unica Epist. CCCCXLVII Cuperi ad Stephanum le Moyne. Deinde R. H. Schelii & Heinsii mutuæ: tum Rubenii ad Heinsium, in quibus unica tantum Heinsii responsoria: post Casparis Gevartii ad Heinsium, quæ ubertate eruditionis cum Cuperianis prope certare possunt. Imprimis autem multa ad Nasonem, Valer. Flaccum & Claudianum, quos tum temporis edebat Heinsius, a viris doctis conferuntur, unde neque judicia de Claudiano Barthii interposita lector mirabitur. His adhærent

rent

rent deinde Henschenii, Steenbergii, Bollandi, Wallii, Papebrochii, Ad. Vorstii, Jani Delly, Sam. Tennulii, Jo. Colini & quorundam aliorum Epistolæ, de quibus notamus, quod Janus ille Delly Epist. DII acerbissime Salmasium exagitet, & Heinsium stimulet, ut contra illum insurgat; Epist. autem CCCCLXXXV Jac. Wallius, & Epist. CCCCXCVI Dan. Papebrochius, uterque ex Societate Jesu, bonum Heinsium nimis aperte sollicitant, ut ad castra Pontificiorum transeat. Atque hæc de Tomo II.

T. III. *Tomus III* N. Heinsii, J. Fr. Gronovii, If. Vossii, Jan. Vlitii, Arn. Schlichtenhorstii, Vinc. Fabricii, Ez. Spanhemii & Hadr. Wallii maximam partem mutuas exhibet, de quibus si dicere incipimus, vix videmus, quomodo exitum huic scriptioni invenire licebit, quam jam nimis excrevisse sentimus. Gronovio animum fuisse edendi Guntheri Ligurinum, ex Epist. II discimus, sed deterritus est judiciis hominum de Statio & Silio, quibus non male fecerat. Critici munus idem vir maximus describit Epist. XII. Ex Epist. LXXX & LXXXIII non ingratum est cognoscere, quæ acciderint Gronovio, famæ jam tradito, cum apud Gallos summos in Jure honores ambiret. Emendationes autorum, & alias pereruditas observationes singulæ Epistolæ habent. Dolendum tamen, non omnes Responsorias Heinsii, quæ demum ab Epist. XCV (circa quæ tempora Heinsium binis exemplis epistolas scripsisse, conjicimus: quod ipsum in Heinsii & Grævii Amœbæis alicubi indicatum legisse meminimus) incipiunt frequentiores esse, his adjici, quas tamen Leidæ servari necesse est, cum Gronovium eas perdidisse vero minime omnium sit simile. Facile lectores de invidia suspicabuntur. Lepidas sane fuisse & hilares ab adolescente Heinsio scriptas, ex Gronovii testimoniis patet, qui toties leporem, venustatem & elegantiam Heinsii prædicat. Idem firmat exemplum Epist. XXXV, ubi ita Heinsius: *Amicissime mortalium. Μάντις κακῶν fui. Postquam enim a nobis discessisti, non contemnendo morbo operam dedimus, & ne omnino otiaremur, ægrotare vix tandem vacavit. Fauces vehementi tumore constrictæ ægrum respirare vix permittebant, usum deinde cibi recusabant, ne jam dicam de Baccho, cui profecto bellum acerrimum indictum erat, & anginam rivalem experiebatur, miserrimeque*

neque exclusus, invito Heinsio tuo, plorare cogebatur. Vides, quam degeneri morbo laboraverim? sed Medicorum opera, purgatoriis, cataplasmatis, & venæ sectione faucibus meis tandem prospectum est. Nunc cum natibus meis res est. Negat enim Medicus bona sanitate me posse frui, nisi inferius guttur obstructione liberetur. Quid agam, amice! egone nates meas, partem tam nobilem, tam illustrem, tonsori aut pharmacopæo alicui infimo mortalium purgandas committam? quod nunquam futurum existimassem, post manus ferulæ subductas, Analyticis posterioribus adhuc metuendum fore? in quas pædagogorum turba nunquam sæviit, nunc demum inspectum iri? quis hoc potest videre, quis potest pati? profecto parum abest, quin cum Theseo præcepta justitiæ dictent. Si tu adesses, amice, nusquam effugeres, quin a natibus mihi esses consiliarius. Magni enim momenti res est. Ego interim, ut fortem & prudentem decet virum, necessitati consulam. Hæc Heinsius. Respondet Gronovius Epist. XXXVI: *Nescio an jam aptus sis redditis jocis audiendis: sed si non periit pyga tibi, aut apud inferos Thesejæ æmula præcepta bene sedendi dictat, tantisper, spero, te suffulciet, dum unas ad me exares. De munere, quo me cohonestatum fuisse liberaliter pollicebaris, si afforem, gratiam fecissem lubens. Periculosum est enim alienis intervenire secretis, & merito verebar, ne Isis irato sistro lumina mea feriret, si tam sacram cryptam profano visu turbare auderem.* Hæc Gronovius, satis graviter. Sed hilaritatem & libertatem Heinsii nusquam melius, quam ex ejus & Grævii mutuis cognoscas, & nos ejus rei paullo infra exempla dabimus. Interim & iste jocus pudoris Heinsiani documentum esse poterit: & habet totum illud, de quo agitur, negotium, quæ viro ingenuo similem laborem, similemque indignationem excutere queant, ut facile excusandus sit, si ea in re paullo verbosior appareat. Attentione digna est Epist. CXXXI, qua Gronovius Heinsium docet, quomodo agere debeat, si Bibliothecarum Italicarum, Mediceæ potissimum, aditum sibi facilem & utilem reddere velit. Epist. CCLXI narrat Gronovius de Casp. Barthii Adversariorum Commentariorum Tomis reliquis duobus jam editis, sed illi Tomi lucem nondum viderant, neque tamen strangula-

gulati jam ſunt, ut in nota ſuſpicatur Celeb. *Burmannus*, ſed premuntur a certis hominibus, qui eos bibliopolæ magno pretio, vendere tamen volunt. Interim ex iis quædam ſublegit Vir magnus, & inter Reliquias MSptorum vulgavit, ſi famæ credere licet. Epiſt. CCLXIX de morte & ſingularibus opinionibus Salmaſii agit Heinſius. De illa hæc habet: *De ſpectro* (de quo Gronov. Epiſt. CCLXVII) *res faceta eſt. Conjux vivum exagitarat, nunc ille conjugem mortuus. Appoſitum apud nos proverbium ſcis*, Elcke Duyvel heeft ſyn maent. De Chriſtina Regina multus hic ſermo. De cauſa ejus ex Romana aula diſceſſus ita Heinſius Epiſt. CCLXXXVII: *Pontificem nonnihil offendiſſe dicitur dicacitate ſua, cum alias ob cauſas, tum quod Inſignibus, ſeu Armis ejus, quæ tres* montes *præ ſe ferunt, ſubſcripſerit, PARTURIUNT, noſti cetera.* Graviſſimum eſt judicium Gronovii Epiſt. CCCLXXVIII, qui, poſtquam loca quædam ab Heinſio ſollicitata bona expoſitione vindicaverat, addit: *Obſecro te, ut lomento & nitro nimis utamur, & dum ſordes eluimus, venas ac viſcera autorum aperiamus.* Sed abſtinemus plura notare, & monemus, hanc partem Epiſtolarum claudere Laur. Theodori & Jac. Gronoviorum, quibus de morte venerandi Patris & fortunis ſuis Heinſium reddunt certiorem. Sequuntur *Iſaaci Voſſii* & ejusdem N. Heinſii mutuæ, in quibus non tantum quidem eruditionis, quantum in iſtis: multa tamen de hiſtoria rei literariæ ejus temporis, de libris, viris eruditis & celebrioribus Bibliothecis continentur. Proximæ ſunt *Jani Vlitii* & N. Heinſii mutuæ, priores tamen XLVII Vlitii tantum, ſine reſponſionibus Heinſii, quæ cum Epiſt. XLIX incipiunt. Sequuntur *Arn. Schlichtenhorſtii* ad Heinſium: poſt *Vinc. Fabricii* & Heinſii mutuæ: mox *Ezech. Spanhemii* & ejusdem Heinſii mutuæ: quæ, præter eruditionem, etiam publicæ rei partem aliquam attingunt, cum huic apud Batavos, illi apud Electorem Palatinum ejus cura aliquo modo eſſet commiſſa. Explicit hic Tomus in Hadr. Wallii & Heinſii mutuis.

T. IV. *Tomus IV* Heinſii & Grævii mutuas complectitur, quibus in fine Perizonii & Heinſii mutuæ ſubjunguntur. Et illæ quidem tot deliciis, ea eruditione, ea venuſtate & lepore refertæ ſunt, ut animum

mum legentis mire afficiant, & hæ vel solæ insigne pretium huic Syllogæ concilient. Videbis hic candidissimas animas modo de rebus eruditis disputantes, modo familiariter jocantes, de privatis modo, modo de publicis rebus graviter disserentes, eo quidem stilo, qui per se lectorem capere posset. Grævius cum uxore sua ad Heinsium excucurrerat, & ille pro epulis, quibus accepti erant, gratias rescribebat: respondet Heinsius Epist. LXX: *Apparatum, quo tu ac uxor nuper apud me excepti estis, tenuem admodum ac frugalem, quod extollis miris laudibus, quasi lautissimum, aut ludis ac jocaris, aut non meministi, quam tu dissimilis nostri in his soleas apparere, homo splendidissimus & mire dapsilis. Quapropter sic velim hac parte laudandus tibi ac aliis videri, ut frugalitatem meam epulemini. Quanquam urbane hoc, ut cetera, a te factum credo, ne ego excusando deprecandoque culpam altius desudem, quam non admitti satius omnino fuisset. Sed vos videritis, ne si iterum ad ægrotum visatis, cœna ferali denuo excipiamini. . . . Tu quidem patribus conscriptis cum me ultro accenseas, oportet recorderis tamen, non esse ex pedariis. Avolavit a me tota Pegasorum cohors jam pridem, ut nec meis nec alienis pedibus ad vos venire integrum sit mihi. Autor potius sum vobis, ut, quando dentes rursus prurient esuritionis libidine, recta ad me contendatis. Ita enim fiet, ut inanitate pleni, sicut nuper, domum revertamini.* Similia fere habes Epist. LXXIII. Cum Grævius editionem Suetonii nimis prolataret, & ob id aliquoties reprehensus esset ab Heinsio, hic deinde, data occasione, ita Epist. LXXVIII: *Uxori tuæ Junonem Lucinam obvenisse propitiam, lætor equidem atque exsulto: de feminino partu, non est quod mireris tamen. Nam a te cunctatore tanto quid virile masculumque potuit exspectari? In eo etiam injurius es, quod persuasum nobis cupis, exaruisse tua in conjuge venam illam, quæ masculos erat datura. Gnaviter illa partibus suis equidem est functa, nec ultra maternos menses protraxit: tuum secuta exemplum non mense decimo, quod fecit naturæ convenientissimum, sed hercule decimo anno, elephantinum in morem, peperisse debuit. Tuum sit igitur masculorum genituræ totum te dare &c.* De Jac. Gronovio

Epiſt. LXXX, CV, CXCV, CCXXVI, & aliis quædam, tecto nomine, memorabilia referuntur. Inde ab Epiſt. LXXXIII, multa de re publica, & maxime de invaſione Gallorum in Fœderatas Provincias, quam longe præviderat Heinſius; qui & de cauſis ſapienter diſputat. Et cum Trajectini, apud quos tum temporis Grævius docebat, Gallis ſeſe dediſſent, ita ludit Heinſius Epiſt. XCI: *Si periculoſum cenſebis ſuaviſſimis tuis intermiſcere nonnihil de rep. da ſaltem operam, ne, quo privata domi tuæ ſit loco, me ſinas ignorare. Quin & totum te in hoc nuncio occupari velim, & quidem verboſe ſic ſatis: quod ſi* ſolutam legibus *orationem ejuraſti, cantato ſaltem, ut* gallum *decet. Nam nos inter* gallinas *adhuc numeramur:* reliqua omnino digna ſunt lectu. Proxima Epiſt. XCII Grævius deditionem Trajectinorum multis verbis excuſat, eum tamen ſequentibus aliquoties pungit Heinſius. Epiſt. CIX iterum ingenii ſui ſingulare ſpecimen edidit Heinſius, ubi de nuncio Apoſtolico agit, de quo pergit Epiſt. CXI. Et hujuſce modi innumera annotare poſſemus, ſi leges noſtras transgredi vellemus. Addere tamen & illud licebit, frequentem in his Epiſtolis mentionem eſſe tricarum forenſium, & moleſtiarum, quas bono Heinſio creabat femina haud integri pudoris, quæ ope magiſtratus tori ſocia illi eſſe vehementer laborabat. Obtinuerat etiam mulier, cui nomen erat *Margaretha Wullenia*, (ſi recte conjicimus ex Epiſt. CCXCIII Heinſii ad Gronovium) ut Senatus Amſtelodamenſis litem ſecundum ipſam daret; ſed Heinſius, qui tum illi Senatui ab Epiſtolis politicis erat, provocabat ad Senatum Hagenſem, eoque facto munus ſuum perdere, quam famam, malebat. Ut propius eam Venerem noſcas, vide & Tom. III hujus Sylloge Epiſt. CCCXVII. Optime ſuadebat integerrimus ille J. Fr. Gronovius, tutiſſimumque putabat contemnere nummos & decidere cum femina. Sed Heinſius cauſæ fidebat, & jam non modo liber eſſe, verum etiam vindictam volebat. At vix erit ulla fides tam inſperatæ ſententiæ: honeſta perſona, de ſumma rep. tot legationibus bene merita, tanta nominis & literarum fama, ſcorto condonabatur: quaſi ad lenocinium damnari pœna eſſet, ut ad beſtias aut in metallum. Abſente Heinſio, illa publice, ut dicunt, proclamabatur cum marito ſuo nolente & abominante. Im-

Immo nuptias celebrat omni pompa, & paratissimis epulis excipit, more sollemni, convivas, Heinsio interim pro rep. laborante, aut in Maronianis & Silianis curis desudante. Quid est illudere probitati & literis ipsis, si hoc non est? sed plura de isto negotio ex his Epistolis colligi possunt, etiam de filio istius mulieris, qui Heinsium parentem dictitabat, quæ non transscribimus. *Perizoniana* Epistolæ, quæ Grævianis subjunguntur, notam ejus viri eruditionem spirant, & vel solo nomine sese satis commendant.

Tomo V & ultimo Epistolæ Nic. Heinsii & *Schefferi, Columbi, Reinesii*, (post quas una J. Fr. Gronovii ad Reinesium inseritur) *Jo. Andr. Bosii, Daumii, Rottendorffii, Fr. Ben. Carpzovii, Christoph. Arnoldi, Th.* & *Philippi Munckerorum, Luc. Holstenii, Leonis Allatii, Jo. Rhodii, Nat. Rondinini, Oct. Falconerii, Guid. Patini, Fabrotti, Sarravii, Heraldi, Bullialdi, Bern. Medonii, Jo. Bapt. Lantini, Philiberti de la Mare, P. Possini, Henr.* & *Hadr. Valesiorum, Sam. Bocharti, P. Seguini, Claudii Joly, P. Petiti, Thevenoti, Huetii* maximam partem mutuæ, deinde Heinsii ad *Christinam Reginam* plures, paucæ denique ad *J. Fr. Gronovium* inter projectas schedas repertæ, & una ejusdem ad Is. Vossium continentur. Subjunguntur Indices, primus eorum, qui Epistolas scripserunt; secundus Virorum Clarorum & Illustrium, quorum mentio in iis facta est; tertius Rerum & Verborum; quartus Autorum illustratorum & emendatorum. T. V.

CONTINUATION DES MEMOIRES DE LITterature & d'Histoire de Mr. DE SALENGRE.

h. e.

CONTINUATIO RELATIONUM SALENgrianarum ad rem literariam historiamque spectantium.

Tomi I P. I & II.

Parisiis, apud Sibartum, 1726, 12 maj.

Alph. 1 pl. 8½.

ANte decennium, & quod excurrit, Vir doctissimus, *Albertus Henricus de Salengre*, Batavus, Fasciculos aliquot Dissertationum

tionum a se ipso elabotatarum, quibus, præter alia ad historiam & rem literariam spectantia, imprimis de libris jam dudum impressis, sed qui vel merito suo, vel raritate, vel fama etiam singulari, se commendant, eorumque autoribus, aliquid scitu dignum referret, sub titulo: *Memoires de Litterature*, in publicum edere cœpit successu satis felici & magno eruditorum plausu. Hoc institutum antea, ni fallimur, jam interruptum, postquam morte Salengrii, quæ A. 1723 accidit, plane cessavit, præsenti libello restaurare videtur hujus *Continuationis* Cl. Autor *P. Desmolets*: sed videtur tantum. Haud enim idem ipsius, ac Salengrii, institutum est; sed plane diversum: scilicet dissertationes, non a se ipso, sed aliis autoribus elaboratas; tractatus, non dudum in publicum emissos, sed adhuc ineditos, ad imitationem Bibliothecæ Bremensis & Observationum Halensium exhibet: ut adeo titulum: *Continuationis relationum Salengrianarum*, hoc opus sine titulo possidere jure dicatur. Sed hæc satis de *rubro*, videamus jam quid *nigrum* contineat.

Sistit autem pagina 1 sq. epistolam anonymi *de veteri modo observandi Sabbathum diesque festos, nec non de zelo Laicorum pro officio divino*, qua Christianos olim noctes diesque in templis inter preces & cultum divinum peregisse, imprimis autem diem Dominicam a Solis occasu feriæ septimæ usque ad vesperam feriæ primæ magna devotione & indefesso pervigilio celebrasse, multis autoritatibus probatur. Pag. 19 seqq. exhibetur *Claudii Mathæi Oliverii, Massiliensis Advocati*, dissertatio peringeniosa, in *Critiam Platonis*, qua Autor *historiam Insulæ Atlanticæ*, quæ in hoc dialogo enarratur, nihil aliud esse, quam *historiam populi Judaici*, tecte propositam, demonstrat, quam Plato a Solone, Solon autem a sacerdotibus Ægyptiacis acceperit. Populum enim Judaicum, dum per ducentos annos & ultra in Ægypto commoratus est, sat temporis habuisse, ut, quæ Deus patribus suis fecerat, populo, quocum vivebat, ordine enumeraret. Porro Josephi eminens inter Ægyptios dignitas, utriusque gentis, post exitum Israelitarum, commercium, matrimonium Salomonis cum Regis Ægyptiorum filia, compluraque alia, quæ de regibus Israelis & Ægypti in sacris monumentis leguntur, nullum dubitationi locum

cam relinquunt, quin historia Hebræorum celebratissima in Ægypto fuerit. Nec minus certum est, Philosophos Græcos perquam multa communicasse cum Ægyptiis, ad quos Solonem, Pythagoram, ipsum etiam Platonem, eruditionis causa, profectos esse constat. Cum ergo Critias, Solonis nepos, avunculus Platonis fuerit, non mirum esse, inquit *Oliverius*, si tanta notitia historiæ Judaicæ a Sacerdotibus Ægyptiacis ad eum usque pervenerit. Descriptionem autem ipsius Insulæ Atlanticæ, fertilissimæ nempe & amœnissimæ, valde convenire Terræ Sanctæ, adeo ut Solinus etiam ea, quæ de Palæstina literis prodidit, ex hoc Platonis dialogo descripsisse videatur. Regio vero omnis a decem filiis Neptuni, qui ipsius Dei jussu terram inter se diviserant, habitata, perfecte respondet Terræ Judaicæ, inter filios Jacobi jussu Domini distributæ. Nec obstat numerus denarius. Josephus enim & Levi inter fratres suos proprie partem non habebant: unde etiam Justinus, qui ea ætate vixit, qua Judæi universo terrarum orbi erant notissimi, non plures, quam decem Judæorum tribus numerat. Quid quod Autor noster ipsa nomina tribuum Israelis in plerisque nominibus filiorum Neptuni invenit & detexit. Nam *Aser* idem est quod *Eudemon*, nempe Felicitas; *Gad* & *Ampheres* significat Cinctum; *Eumelus* divitem pecoris, *Ephraim* divitem fructibus designat; *Mestor* Consiliarius est, *Dan* Judex seu Judicium; *Autocthenes* & *Benjamin* parum inter se differunt. Utrumque enim filium in ipsa regione, sub oculis patris natum, i. e. *filium dextræ*, exprimit; *Mnaseas* denique, h. e. Memoria, κατ᾽ ἀντίφρασιν idem est quod *Manasse*, h. e. Oblivio. *Atlas* autem, ex cujus familia, Critia narrante, perpetuo Reges Atlantici creabantur, & a quo ipsa Insula nomen acceperat, tribum *Judæ* optime designat, apud quam regia dignitas diutissime permansit, & quæ Judææ nomen indidit. Quod si quis templum Neptuni ejusdemque currum & quadrigas alatas ex auro puto puro cum templo Hierosolymitano & arca fœderis (vid. 1 Paralip. XXVIII, 18) item descriptionem urbis & palatii regii, cum descriptione Hierosolymarum & domus Salomonis, conferre voluerit, non unam inveniet similitudinem. Ex quibus omnibus pluribusque aliis argumentis Autor noster concludit, non Americam, sed Palæstinam, populi-

que

que Judaici historiam, ficta hac narratione describi. Pag. 48 *seqq.* *A. M. Graverius* peculiari dissertatione *de Deo Crepitu* insanum istum Ægyptiorum cultum, quo crepitum ventris pro Deo adorasse feruntur, excusat. Cum vero doctissimus Autor Scripturæ dictis, verbi causa: *Psalmo CXXXV, 7, producit ventos de thesauris suis; Psal. XIIX, 11, qui volas & ambulas super pennas ventorum*, item *Joh. III, 8, Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat, & quo vadat* &c. hunc in finem abutatur, parum abest, quin blasphemiæ, vel ad minimum profanationis verbi divini, crimen incurrat. Reliqua, quæ hujus Tomi Parti primæ inserta sunt, opuscula non videtur operæ pretium curatius recensere, cum præter *poemata quædam* & dissertationem, *de præferendo Herodoto præ Ctesia*, vix aliquid lectu dignum in iis invenerimus.

Accedimus jam ad Partem II, ubi primo loco nobis se offert *L. Annæi Senecæ Ἀποκολοκύντωσις Claudii Cæsaris, in linguam Gallicam translata*, stylo sane eleganti & judicio limato: cujus Autor qui nomen suum celare voluit, cum ex ingenio hiatum illum, quem omnes post verba Claudii: *multo plus ego stercoris exhausi*, in hac satyra esse sentiunt, paucis verbis explere & complanare, ex sequentibus etiam quædam conturbata in ordinem redigere, conatus sit; nos ea supplementa & emendationes, de quibus doctorum sententiam Autor explorat, non equidem exacta Gallici sermonis versione, sed stylo ad Latinum Senecæ textum accommodato, hic exhibebimus. Post verba igitur Claudii modo adducta, hæc sequantur: " His delinitus Hercules, Claudium inducit in cœlum; ad cujus adspectum ingens subito tumultus " inter minorum gentium Deos ortus est. Omnis turba circumstat Claudium Herculemque, & num hoc monstrum dignum " existimet, quod Diis misceretur, interrogant. Non quod dignus " sit, respondet Alcides; *sed quoniam volo.* Tunc Semonum " Princeps: *non mirum, quod impetum in curiam fecisti; nihil tibi clausi est. Modo dic nobis, qualem Deum istum fieri velis; ἐπικούρειος Θεὸς non potest esse: οὔτε αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει, οὔτε ἄλλοις παρέχει. Stoicus? quomodo potest rotundus esse? (ut ait Varro) sine capite, sine præputio?* Mox alius defixis oculis Clau-

Claudium intuens, *est*, ait, *aliquid in eo Stoici Dei, jam, video, nec cor nec caput habet. Si me hercules a Saturno petiisset hoc beneficium, cujus mensem toto anno celebravit, fors tulisset.* Sed" non, inquit, *Princeps* spero admissum iri *illum Deum ab Jove,*" *quem quidem, quantum in illo fuit, damnavit incesti. Lucium Silanum enim generum suum occidit. Oro propter quid? Sororem suam festivissimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit Junonem vocare.* Tum Claudius, *quæso*, inquit, *quæro etiamnum, licetne sororem suam?* . . . . S. *Stulte stude! Athenis dimidium licet, Alexandriæ totum.* Cl. *Atqui Romani, inquit, mores nos obligant.* S. *Hic nobis curva corriget; quid in cubiculo suo faciat nescio; ut jam cœli scrutatur plagas!* Deus fieri *vult? parum est quod templum in Britannia habet? quod hunc barbari colunt, & ut Deum orant? ἐπ ἀλωπȣ φυλάττȣ χῆν! Tandem Jovi* &c. Hæc omnia si Senecæ non sunt, haud incredibile tamen est ea, vel simillima, Senecam scripsisse.

Sequitur porro in libro nostro Epistola R. P. *Poujeti* ad Abbatem *Olivetum* de conversione famigeratissimi Gallorum Poetæ *de la Fontaine*; tunc iterum *poematia* quædam haud magni momenti, nec non dissertationes aliquot historicæ, inter quas eminet illa, quæ *Ctesiam Herodoto præfert, & regnum Assyriorum inter Noachi & Abrahami tempora collocat.* Sed hæc, & quæ supersunt, bona lectoris pace præterire nos posse confidimus, cum jam plura de hoc libello dicta videantur, quam forte opus fuerat.

HISTOIRE SECRETE DE NERON.

h. e.

NERONIS CÆSARIS HISTORIA SECRETA, seu cœna Trimalcionis, ex Satyra Menippæa PETRONII *in linguam Gallicam conversa, & Notis historicis illustrata, a Dn.* LABAUR.

Parisiis, apud Steph. Ganeau & G. F. Quillau fil. 1727, 12 maj.

Plag. 19.

FRagmentum Petronii, *de libera cœna Trimalcionis*, ante hos septuaginta annos in Bibliotheca Cippicorum apud Tragurium Dalmatiæ civitatem integrum repertum, posteaquam jam dudum a Marino Statileo aliisque contra Valesii & Wagenseilii objectiones Autori suo oppido assertum, & a Cl. *Petro Burmanno*, ad exemplum Blævii, nitidissimæ operum Petronianorum editioni loco congruo intextum fuit, nemo eruditorum amplius dubitat pro vero & genuino Petronii fœtu agnoscere. Hoc ipsum fragmentum Tragurianum, satis accurate expressum, una cum versione Gallica, e regione textus latini posita, adjectis etiam quam plurimis annotationibus, doctissimus *Lavaurius*, tanquam *Historiam secretam Neronis*, lectoribus hic offert; non quasi ἀνέκδοτα & hactenus incognita de hoc Imperatore prodat, sed quod sub nominibus, personis & actionibus fictis, privatam Neronis inter aulicos vitam, incontinentem illam & plane deridiculam, moresque perditos, cum ipsius Imperatoris, tum collibertorum & sodalium ejus, quasi in tabula depingat & repræsentet. Hæc Autoris nostri palmaria thesis est, quam post Joh. Christoph. Wagenseilii molimina demonstrandam sibi sumsit. Huic fini in amplo, quo libellum hunc orditur, præfamine multas rationes accumulat, ut probet, sub larva Trimalcionis Neronem a Petronio occultari, præter Taciti testimonium, nummosque faciem Neronis & inversa parte *Trimalcionis* nomen exhibentes, non pauca hujus rei indicia interna, ex hoc ipso Petronii fragmento desumta, in medium afferens. Primo enim, ut præcipua paucis attingamus, infamis voluptas & mollities cum luxu & ebrietate conjuncta in Nerone eminebat; eadem sunt Trimalcionis vitia: nec atroci crudelitatis nota magis quam Nero, Trimalcio caret,
p 440. qui servo suo sic minatur: *Vide tu, Stiche, ne ista mures tangant, aut tineæ: alioquin te vivum comburam.* Tum magnificentia Neronis & impendiorum furor, quo mensam, imprimis autem domum suam, adeo ornabat augebatque, ut vererentur Quirites, ne Roma domus fieret, a Trimalcione minime alienus est, qui tot lautitiis, tot automatis, per omnem hanc cœnam convivas obstupefacit, & de ædibus suis sic gloriatur: *ædificavi hanc*
436. *domum, uti scitis, casa erat, nunc templum est . . . hospitium*

mihi

mille hospites capit &c. accedunt cœnationes laqueatæ, camaræ versatiles & immanis servorum multitudo, de qua unus conviva Trimalcionis, *Familia vero, inquit, babæ! babæ! non, me hercules, puto decumam partem esse, quæ dominum suum novit.* Porro pantomimorum, petauristariorum cantorumque fatuus amor, spectaculorum quantumvis vilium vulgariumque aviditas, & carmina pangendi, refragante Minerva, pruritus, in persona Trimalcionis subinde a Petronio, æque ac in Nerone ab historicis, deridentur. Sunt & alia quædam signa, quæ Neronem præcipue & certe indigitare *Lavaurius* existimat. Ita pictura in aditu ædium Trimalcionis, ubi *ipse caduceum tenebat, Minervaque ducente tænia, Romam intrabat*, subindicat ei Neronem, artibus *Pallantis* Claudii liberti, ad imperii fastigium evectum. In alio loco Veneris *signum marmoreum & pyxis aurea non pusilla, in qua barbam Trimalcionis conditam esse dicebant*, Neronis vanam gloriam tangunt, qui a Venere, per Æneam, se genus ducere jactabat; barbamque ejus primam positam, conditam in auream pyxidem & pretiosissimis margaritis adornatam, quam, narrante Dione, Jovi Capitolino consecravit, risui exponunt. Tum *grandis* ille *annulus subauratus, in minimo digito sinistræ manus* Trimalcionis, ejusque *lacertus dexter armilla aurea cultus*, annulum & armillam, quibus Neronem donasse Agrippina mater dicitur, significant. Imprimis vero Autor noster urget, tot tantaque potentiæ, opum & majestatis insignia, Trimalcioni a Petronio circumposita, quæ non privatum quendam, sed Regem, sed Imperatorem, manifeste designant; quippe Trimalcio dicitur *fundos habere, qua milvi volant, nummorum nummos: argentum in ostiarii illius cella plus jacere, quam quisquam in fortunis habet.* Et ipse Trimalcio, *cœpi*, inquit, *plus habere, quam tota patria mea habet.* Idem homo jactabundus de latifundiis suis loquens, *nunc conjungere*, inquit, *agellis Siciliam volo, ut cum Africam libuerit ire, per meos fines navigem.* Huc pertinent quoque *fasces cum securibus in postibus triclinii fixi*, quod ipse Petronius præcipue se miratum fuisse dicit, nec non *laticlavia mappa*, quam Trimalcio circa cervices immiserat, *fimbriis hinc atque illinc pendentibus*, tandem etiam ipsius Trimalcionis verba, hæc glo-

p. 44. 22. 26. 48. 84. 432. 182. 28. 46.

p.426. gloriantis: *coheredem me Cæsari fecit, & accepi patrimonium*
122. *laticlavium.* Quid quod Trimalcio in hac satyra *Tyrannus* vo-
288. catur, &, si bene Autor judicat, *Augustus Pater patriæ.* Hæc omnia utcunque recte se habent: negari tamen nequit, fortissima in hoc Petronii fragmento indicia occurrere, quæ Claudium magis, quam Neronem describant. Præter ea, quæ Cl. *Burmannus* in præfatione ad Petronium breviter strictimque hac de re notavit, liceat nobis pauca exempla adducere, & Tranquillum cum Arbitro conferre. Suetonius in Claud. c. 2: *ob valetudinem & gladiatorio munere palliolatus, novo more, præsedit, & toga virilis die lectica in capitolium latus est.* Petronius hic pag. 46: *ipse Trimalcio ad symphoniam allatus est, positusque inter cervicalia, expressit imprudentibus risum: Pallio enim coccineo adrasum excluserat caput.* Palliolum nempe, sicut focalia & aurium ligamenta valetudine excusantur, ad cœnam vero ridicule veniunt, vid. *Quintil. Inst. orat. lib. XI c. ult.* Porro de Claudio Suetonius cap. 33, *aleam*, inquit, *studiosissime lusit, solitus etiam in gestatione ludere, ita essedo alveoque adaptatis, ne lusus confunderetur.* Audiamus jam Petronium p. 48, de Trimalcione ad convivium *allato*, & inter convictores accumbente, hæc narrantem: *ut deinde spina argentea dentes perfodit, amici, inquit, nondum mihi suave erat, in triclinium venire,* sed ne absentivus *moræ vobis essem, omnem voluptatem mihi negavi. Permittitis tamen finiri lusum. Sequebatur puer cum tabula terebinthina, & crystallinis tesseris: notavique rem omnium delicatissimam: pro calculis enim albis & nigris aureos argenteosque habebat denarios.* Sed & automata illa machinæque infinitæ, quæ in Trimalcionis cœna utramque paginam faciunt, cui magis conveniant, quam Claudio? qui tam impense amabat difficiles hasce nugas, tam serio hunc ineptiarum laborem agebat, ut teste Suetonio cap. 34, levi subitaque de causa, cum bestiis committeret quosdam de fabrorum ac ministrorum atque id genus numero, *si αὐτόματον, vel pegma, vel tale aliud, parum cessisset.* At vero medicum illud Principis ingenium, qui narrante Suetonio cap. 32, *dicitur meditatus edictum, quo veniam daret, flatum crepitumque*

ventris in convivio emittendi; cum periclitatum quendam præ pudore ex continentia reperisset, mirum quantum præ se fert Trimalcio, qui de lasano reversus, p. 174 sic hospites suos alloquitur; *si quis vestrum voluerit sua re causa facere, non est, quod illum pudeat. Nemo nostrum solide natus est. Ego nullum puto tam magnum tormentum esse, quam continere. Hoc solum vetare, ne Jovis potest . . . nec in triclinio ullum vetui facere, quod se juvet . . . vel si quid plus venit, omnia foras parata sunt, aqua, lasanum, & cætera minutalia. Credite mihi, anathymiasis si in cerebrum it, in toto corpore fluctum facit. Multos scio sic periisse, dum nolunt sibi verum dicere.* Possent his addi longe plura, in quibus comparabiles sunt Claudius & Trimalcio, veluti stolida Homeri admiratio, mira stupiditas, oblivio, *μετεωρία καὶ ἀβλεψία* in dictis factisque enarrandis, & quod uterque triclinio non abscessit, *nisi distentus & madens*: sed his in clariore luce collocandis integer libellus, *Burmanno* judice, esset impendendus. Id unum adhuc quærimus; cum alii *Cajo*, alii *Tito*, Petronio hanc Satyram adscribant, an non verus ejus autor esse possit *Publius* ille *Petronius*, cujus Seneca in Apocolocynthosi meminit, *vetus convictor Claudii, & Claudiana lingua* (hoc est lingua *Latino-Græco-barbara*, quæ in Claudii aula vigebat, & per omnem hanc Satyram festivissimam arguta imitatione exagitatur) disertus? Sed ad *Lavaurium* nostrum paulisper revertendum est. Is non tantum Neronem, sub *Trimalcionis* persona; sed & sub *Fortunatæ*, Acten, sub *Agamemnonis*, Senecam, sub *Habinnæ*, Tigellinum, sub *Menelai*, Senecæ fratrem, sub *Niceretis*, Anicetum, sub *Calvæ & Scintillæ* denique, Calviam Crispinillam, detexisse sibi videtur, quam feliciter, aliis examinandum relinquimus. Notas historicas quod attinet, eæ ut plurimum ad illustrationem rei, de qua agitur, satis faciunt. Sunt tamen istarum aliquæ longius petitæ, sicuti cum pag. 22 *Canis catena vinctus, in pariete pictus*, pro allusione ad *Colossum Neronis* (vid. Sueton. Ner. c. 31) habetur; aliæ extra oleas vagantur, ut pag. 14, ubi, occasione *mollissimæ lanæ*, aliquammulta de glossypio Autor commemorat; aliæ etiam plane erroneæ sunt, veluti cum primum illud mensæ Trimalcionis automaton, *Asellus Corinthius cum bisaccio*, in Notis de asello

pisce explicatur, & varia de usu hujus piscis in cœnis veterum, præter rem, differuntur. Sed his sepositis, libellus merito pretioque suo non caret,

Et cum plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis.

MISCELLANY CHIEFLY CONCERNING Faith and Manners.

h. e.

MISCELLANEA PRACTICO-THEORETICA; Autore JOHANNE PARIS, primæ Regiæ Cohortis prætoriæ equestris Ecclesiaste, Socio Collegii Trinitatis, & Seniore Procuratore Acad. Cantabrigiensis.

Cantabrigiæ, 1726, 8.

Plag. 15.

Continent hæc Miscellanea lectiones habitas in Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, & decalogum, sermonem de fide, aliquot meditationes Latine scriptas de vita recte instituenda, orationes quasdam Academicas, & poemata. In præfatione ait, se prælectiones suas simplices & nudas exhibere, quam citatis scriptorum locis exornare maluisse: meditationes diverso tempore ad sui ipsius emendationem consignatas, in usum etiam aliorum evulgare: oratiunculæ & poemata si cui non arrideant, ei nec ut legantur, oblata esse. Prælectione prima in Symbolum Apostolicum fidei Christianæ præstantiam præ Philosophorum placitis ostendit, eamque examen testimoniorum, quibus nititur, requirere probat: Ruffini narrationem, quod singuli Apostoli suam contulerint symbolam, rejici, ab Apostolis tamen profectum Symbolum statuit, autoritate nixus Patrum antiquissimorum, & hac Augustini regula contra Dan. Lib. IV c. 23: *Quicquid ecclesia tenet, atque omni tempore tenuit, non decretum ab ullo concilio; id ab ipsis Apostolis profectum præsumi debet.* Prælectione II vocabulum *πίςις* derivat a verbo *πίπεισμαι*. Platonis *τὸ ὂν* confert cum illo *Exod. III, 14. sum, qui sum.* Atheos dicit

dicit ſtatuere, idem ſimul eſſe & non eſſe, dum vident *entia alia*, aliis eſſe perfectiora, & tamen negant, dari ens, quod habeat omnem poſſibilem perfectionem. Prælectione III, ubi attingit deſcenſum Chriſti ad inferos, hanc paradoxam, & pontificiæ ferme conſentientem affert expoſitionem. Cum Chriſtus in cruce exſpiraſſet, anima a corpore fuit ſeparata, corpus deinde illatum ſepulchro, anima vero ſeceſſit in locum defunctorum in pace. Hic ei eſt deſcenſus *εἰς ᾅδην*, rejectis aliorum ſententiis. Ad probandam vero hanc ſuam interpretationem confert verba Chriſti ad latronem in cruce: *Hodie mecum eris in paradiſo*, cum iis quæ ſtatim poſt reſurrectionem Mariæ Magdalenæ edixit: *Noli me tangere, nondum enim adſcendi ad patrem meum*, atque inde concludit, paradiſum, in quem ſeceſſit anima Chriſti, non fuiſſe cœlum cœlorum, glorioſiſſimæ Dei præſentiæ ſedem, ſed locum animarum in pace ex hac vita egreſſarum, quibus oſtenderit Chriſtus, ſe quem tamdiu exſpectaverint, redemtorem orbis jam veniſſe, & omnia conſummaſſe, atque aliquando animas piorum corporibus unitas in æternam beatitudinem ſecum evecturum. Prælectione IV, cur Chriſtus nec citius, nec tardius quam tertia die reſurrexerit, diſquirit. In explicatione articuli de judicio extremo ait, Paulum *1 Corinth. VI, 2*, his verbis: *Nonne ſcitis, quod ſancti mundum judicaturi ſint*, innuere, pios poſt verba illa, *venite benedicti*, ſtatim in ſublime evectum, & Chriſto ad thronum judicialem tanquam aſſeſſores junctum iri, quando pronunciabitur decretum condemnationis adverſus ſpiritus, & homines damnatos. Atque hos ſtatim in ipſis flammis, quibus orbis terrarum conflagrabit, ſententiæ horrendæ executionem ſenſuros. Hinc videtur haud improbabiliter ſtatuere, ipſum globum terræ, perpetuo arſurum, domicilium fore damnatorum. Prælectione V, eum qui operationi & convictioni Spiritus S. malitioſe reſiſtit, mediaque converſionis obſtinate reſpuit, peccatum in Spiritum S. committere dicit. Ubi de remiſſione peccatorum agit, meritum Chriſti ex ejus intentione univerſale ſtatuit. In explicanda poteſtate clavium duo extrema, unum libertinorum, qui nimis eam extenuant, alterum Pontificis Rom. qui nimis ad ſtabiliendam Monarchiam ſuam ſpiritualem exaggerat, vitanda eſſe monet.

In

pisce explicatur, & varia de usu hujus piscis in cœnis veterum, præter rem, disseruntur. Sed his sepositis, libellus merito pretioque suo non caret,

> *Et cum plura nitent in carmine, non ego paucis*
> *Offendar maculis.*

MISCELLANY CHIEFLY CONCERNING Faith and Manners.

h. e.

MISCELLANEA PRACTICO-THEORETICA; Autore JOHANNE PARIS, primæ Regiæ Cohortis prætoriæ equestris Ecclesiaste, Socio Collegii Trinitatis, & Seniore Procuratore Acad. Cantabrigiensis.

Cantabrigiæ, 1726, 8.

Plag. 15.

Continent hæc Miscellanea lectiones habitas in Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, & decalogum, sermonem de fide, aliquot meditationes Latine scriptas de vita recte instituenda, orationes quasdam Academicas, & poemata. In præfatione ait, se prælectiones suas simplices & nudas exhibere, quam citatis scriptorum locis exornare maluisse: meditationes diverso tempore ad sui ipsius emendationem consignatas, in usum etiam aliorum evulgare: oratiunculæ & poemata si cui non arrideant, ei nec ut legantur, oblata esse. Prælectione prima in Symbolum Apostolicum fidei Christianæ præstantiam præ Philosophorum placitis ostendit, eamque examen testimoniorum, quibus nititur, requirere probat: Ruffini narrationem, quod singuli Apostoli suam contulerint symbolam, rejici, ab Apostolis tamen profectum Symbolum statuit, autoritate nixus Patrum antiquissimorum, & hac Augustini regula contra Dan. Lib. IV c. 23: *Quicquid ecclesia tenet, atque omni tempore tenuit, non decretum ab ullo concilio; id ab ipsis Apostolis profectum præsumi debet.* Prælectione II vocabulum πίςις derivat a verbo πέπεισμαι. Platonis τὸ ὄν confert cum illo *Exod. III, 14, sum, qui sum.* Atheos dicit

dicit statuere, idem simul esse & non esse, dum vident entia alia, aliis esse perfectiora, & tamen negant, dari ens, quod habeat omnem possibilem perfectionem. Prælectione III, ubi attingit descensum Christi ad inferos, hanc paradoxam, & pontificiæ ferme consentientem affert expositionem. Cum Christus in cruce exspirasset, anima a corpore fuit separata, corpus deinde illatum sepulchro, anima vero secessit in locum defunctorum in pace. Hic ei est descensus εἰς ᾅδην, rejectis aliorum sententiis. Ad probandam vero hanc suam interpretationem confert verba Christi ad latronem in cruce: *Hodie mecum eris in paradiso*, cum iis quæ statim post resurrectionem Mariæ Magdalenæ edixit: *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad patrem meum*, atque inde concludit, paradisum, in quem secessit anima Christi, non fuisse cœlum cœlorum, gloriosissimæ Dei præsentiæ sedem, sed locum animarum in pace ex hac vita egressarum, quibus ostenderit Christus, se quem tamdiu exspectaverint, redemtorem orbis jam venisse, & omnia consummasse, atque aliquando animas piorum corporibus unitas in æternam beatitudinem secum evecturum. Prælectione IV, cur Christus nec citius, nec tardius quam tertia die resurrexerit, disquirit. In explicatione articuli de judicio extremo ait, Paulum *1 Corinth. VI, 2*, his verbis: *Nonne scitis, quod sancti mundum judicaturi sint*, innuere, pios post verba illa, *venite benedicti*, statim in sublime evectum, & Christo ad thronum judicialem tanquam assessores junctum iri, quando pronunciabitur decretum condemnationis adversus spiritus, & homines damnatos. Atque hos statim in ipsis flammis, quibus orbis terrarum conflagrabit, sententiæ horrendæ executionem sensuros. Hinc videtur haud improbabiliter statuere, ipsum globum terræ, perpetuo arsurum, domicilium fore damnatorum. Prælectione V, eum qui operationi & convictioni Spiritus S. malitiose resistit, mediaque conversionis obstinate respuit, peccatum in Spiritum S. committere dicit. Ubi de remissione peccatorum agit, meritum Christi ex ejus intentione universale statuit. In explicanda potestate clavium duo extrema, unum libertinorum, qui nimis eam extenuant, alterum Pontificis Rom. qui nimis ad stabiliendam Monarchiam suam spiritualem exaggerat, vitanda esse monet.

In

In reliquis etiam breves, nec eas contemnendas obſervationes ſuggerit. Prælectione VI in decalogum, ex hypotheſi Reformatorum, primum præceptum adverſus polytheiſtas, alterum adverſus idololatras datum dicit. In ordine præceptorum deſcenſum quaſi per gradus a majori ad minus ſtatuit. Prælectio in Orationem dominicam brevem continet ſingularum precationum paraphraſin. Sermo de fide nimis vulgatum errorem de fide theoretica & hiſtorica ad ſalutem ſufficiente refellit, naturamque fidei vivæ, & per charitatem efficacis rite exponit, & contra incredulos diſputat, qui demonſtrationem cum quavis Euclidea comparandam: *Deus dixit: ergo verum eſt*, quando modum rei capere nequeunt, ita maligne invertunt: *hoc verum non eſt: ergo Deus non dixit*. Sequuntur meditationes latine ſcriptæ, quæ ſunt quaſi ſoliloquia ex conſideratione pia Dei, beneficiorumque divinorum, & ſui ipſius mentem ad timorem Numinis & vitæ ſanctitatem excitantia. Ceteras oratiunculas & poemata non eſt ut prolixe memoremus.

Hiſtorie des Regiments in des H. Röm. Reichs-Stadt Augſpurg, &c.

i. e.

HISTORIA REGIMINIS, QUOD VARIIS ſub formis in Imperiali ac libera urbe Auguſta Vindelicorum variis temporibus obtinuit, publicis, quæ integra inſeruntur, monumentis expoſita ac confirmata, &c. Autore DAVIDE LANGENMANTEL.

Francofurti & Lipſiæ, apud David. Raymund. Merz & Joh. Jacob. Meyer, 1725, fol.

Alph. 3 pl. 14, c. fig. æn. 22.

NOn fruſtra illos laboraſſe, qui rerum publicarum tam veteris quam recentioris ævi variarum viciſſitudines ſedulo ſtudio annotarunt, eorundemque leges, jura, privilegia, atque id genus alia, quibus, veluti vinculis civilis inter homines ſocietas continetur, publica monumenta ſcriptis conſervarunt, apud omnes in confeſſo eſt, qui, quantum politicæ diſciplinæ alumni ſolidiori atque accuratiori *rerum publicarum notitia* adjuventur, non ignorant.

ıt. Minime igitur dubitamus & huic libro lectores haud defu-
:os esse, qui cupide atque jucunde cognoscere desiderent, qua
giminis forma, quibusve legibus, summa illa in Imperiali at-
e primaria Sueviæ urbe *Augusta* potestas & administrata olim
, atque hodienum administretur. Neque sic adeo de patria so-
n sua, sed & erudita civitate universa egregie meruisse dicendus
t generosus præsentis operis compilator, patricia apud suos
gnitate & avita gloria insignis; qui, præstantissimo monumen-
:um, diplomatum &c. ad *res Augustanas* pertinentium instru-
ıs apparatu, a majoribus hæreditatis jure accepto, ad laudabilem
nc operam perficiendam accessit. *Quinque* autem omnino *li-*
:s integra illa absolvitur, quibus præmissum *proœmium* ab anti-
issimis inde temporibus ipsisque adeo urbis initiis repetitam
:iminis Augustani historiam subministrat, ad annum usque
ıristi MCCCLXVIII productam. Hoc enim anno (quod *pri-*
libri argumentum est,) ab optimatibus civitatis delecti ex ple-
Tribuni in imperii societatem admissi fuerunt, cujus rei uberior
:ratio ex MSto αὐτογράφῳ nunquam edito exhibetur. *Libro*
undo memorabilis illa catastrophe enarratur, ubi, jubente sic
ıROLO V Imperatore, A. MDXLVIII, deleto *ἀριστο-δημοκρα-*
τίας schemate, fasces urbis Patriciis iterum Viris traditi sunt, no-
que leges de gerendo in posterum magistratu conditæ. Vix au-
ı quadriennio elapso, quod *tertio libro* docetur, de restituendis
bis Tribunis abolendaque Aristocratia denuo ab Imperii Prin-
ibus, qui tum superiores in bello cum Cæsare gesto discesse-
ıt, cogitatum est, quum iterum victor Imperator eodem anno
stinam imperio Augustano formam restitueret, a gloriosissi-
s ipsius successoribus, Rudolpho II atque Matthia, paucis im-
tatis confirmandam. Erat hæc Regiminis ad funestum illud
:ennale usque bellum facies, quod pro varia atque ancipiti pu-
ıntium fortuna, varias rursus, quæ *libro quarto* enarrantur,
tationes ipsi induxit, ita ut Evangelicorum mox, mox vero, ex-
sis illis, Catholicorum unice mandatis parerent Augustani ci-
; donec, hæc autem *libri ultimi* summa est, per Westphalicæ
ctissimæ Pacis Instrumentum A. MDCXLVIII optimæ civita-
ovæ circa Regiminis habitum leges constitutæ fuerunt, qui-

 bus

bus in hunc usque diem, quæ Dei est atque Augustissimi Imperatoris gratia, floret ac viget, & ut semper vigeat, optamus. Perspectis vero sic integri operis argumentis monendus adhuc est lector, non esse heic narrationem continuo orationis filo pertextam, sed farraginem monumentorum publicorum, Chronologico ordine dispositam, & relationibus historicis interstinctam exhiberi, quas, partim a majoribus consignatas, ex MStis transferri huc curavit Editor clarissimus, partim elaborandas commisit Reverendo *Jacobo Bruckero*, vel ex his Actis nostris pridem commendatissimo, qui egregie provincia hac sua defunctus laudis sibi societatem optimo jure vindicat. Neque tandem desiderari aliquid in se passi sunt Bibliopolæ, Viri honestissimi, quin potius operam dederunt, ut, præter plurimas figuras æneas affabre cælatas, & reliquis libri ornamentis decus suum atque nitor constaret.

Ausführliche Nachricht von der Stadt Zörbig, ꝛc.

h. e.

PLENA RELATIO DE OPPIDO, SORBIGA, ex Historicis fide dignis, antiquis Documentis, Actis publicis &c. Autore M. FRIEDR. GOTTFRIEDO ELTESTIO, Ecclesiæ ibidem Archi-Diacono.

Lipsiæ, apud Joh. Christian. Martini, 1727, 8.

Alphab. 1.

QUi Urbium aut Civitatum Historias, illarum nempe origines & natales, mutationes illustres, fata, quibus Ecclesiæ & Reipublicæ status subjectus fuit, cum Regiminis forma, rebusque in iis præclare gestis, integris aut Annalibus & Chronicis, aut breviori Compendio complectuntur, cum in singulari illo, de Numinis divini circa Respublicas providentia, argumento labor eorum versetur, tantum abest, ut contemnendam, ut utilem potius, pluribusque jucundam operam suscepisse, dicendi sint. Non parum hinc laudis retulit plurimum Reverendus Dominus Autor, qui Sorbigæ, patriæ, Historiam nobis dedit, &, quæ de illa aut sparsim nulloque digesta ordine apud Autores legebantur, aut intra obscu-

anguli limites delitescebant, studiose collecta, præsenti Topo-
aphia exhibuit, quo etiam nomine de Sorbigensibus suis, æque
hactenus de sacris eorum, optime meruit. Capite quidem I, p. 1.
10 de Venedis iisque Sorabis, antiquis tractus illius incolis, inde
ie derivatis nomine, natalibus & antiquitate Oppidi, Sorbigæ,
it, in medio primum relinquens sententiam eorum, qui Cheru-
os, Germaniæ gentem & Arminio, Principe, valde inclutam, 2.
ost prœlium cum Quintilio Varo, Romanorum Duce, commis-
m, præter tractum intra Albim & Salam, illum imprimis, qui
orbigam Servestumque continet, coluisse, dicunt, certum omni-
esse, ait, sedem ibi suam olim fixisse Hermunduros Suevos, qui 3.
nen non a Mysis, ut Albinus docet, verum a Venedis, & quidem
rabis, sedibus suis pulsi fuerint. Rem ut a prima origine repetat 4.
itor Cl. inter barbaras illas gentes, quarum Seculo post Christi
tivitatem quinto in Europam incursionibus magna in Occiden-
facta est rerum conversio, bellicosam etiam Nationem innotuis-
scribit, quæ generali Slavorum nomine venerit, qui rursus in
s peculiares & a se invicem distinctas, Venedorum, Sarmata- 5.
n & Illyriorum gentes abierint. Relictis duabus posterioribus,
in de prioribus disserit, recte monet, non confundendos esse
m Vandalis Venedos; Venedos primum ultra Vistulam ad
ussiæ & Livoniæ littora habitantes, delatis sub Genserico in
ricam Vandalis, sensim eorum loca intrasse, singulasque tur- 7.
is & agmina, in quæ divisi fuerunt, singulas constituisse Respu-
cas. Quæ singulis nomina fuerint, & in quibus præcipue Ger-
niæ locis consederint, peculiari ex Bangerti in Helmoldum 9.
madversionibus Tabula exhibet Vir plurimum Reverendus.
n vero inter agmina illa, hinc & inde errantia & sedes quæren-
unum fuisse, ait, cui præcipue nomen Soraborum hæserit, Ve- 12.
lorum genus, quod inter Salam & Albim fixam sedem habue- 13.
suamque Regionem Sorabiam dixerit. Quam late ejus fines
uerint, duplici Schemate, Gundlingiano altero, altero Lœsche- 14.
no, Lectori ob oculis ponit, ex quorum utroque luculenter ap- 15.
et, suis olim distinctam pagis, ut dicebantur, fuisse totam Sora-
m, a quorum uno, qui sub Zitizi nomine innotuit, veteribus- 25.
e ejus colonis, Sorabis, nominis tandem originem traxisse, ait

 Sor-

Sorbigam, quod & testimonio aliorum confirmat. Hæc dum la-
p.19. tius persequitur Vir doctus, paucis simul fata exponit, quæ Secu-
lorum decursu sub Imperatorum in Germania Regimine gens So-
21. raborum experta est, scilicet sub Carolo M. Ludovicis, Pio &
23. Germanico, sub Henrico Aucupe, a quo ad internecionem cæsi,
26. Sorabia, patria, tandem exulare coacti fuerint. Posthæc Etymon
nominis, Sorbigæ, indagandum suscipit, cum Synonimia, natali-
28. bus & ætate ejus, quorum omnia intra Capitis I limites continen-
34. tur. Capite II de Oppidi situ, ambitu, magnitudine, portis etiam
48. & muris, tandem munitione, divisione & plateis agit. Cap. III
De illius Ædificiis publicis, iisdemque profanis, eoque spectanti-
7. bus prærogativis, jurisdictione, juribus & privilegiis. Capite IV
de Ædificiis sacris, primum de Sacello extra oppidum, in S.
Wolffgangi honorem olim structo, tum de Ædificio sacro oppi-
dano, Ecclesia duarum filiarum, Lœberizii & Zœberizii, Matre,
86. Scholæ porro & Nosocomii ædificiis publicis. Capite V Sorbi-
91. gæ characterem antiquum & modernum; Capite VI. Religio-
nem ejus & sacra describit, primum quidem sub antiquis tractus
illius incolis, Sorabis, gentilibus. Inter varia & multiformia Nu-
mina, quibus sacra fecit gens superstitiosa, quorumque præcipua
93. retulit Autor Cl. fuerunt Zwantewitz, idolum quanto promtius &
96. efficacius in responsis, tanto cæteris sanctius semper habitum;
98. Ridegast, Flynz, Zuttiber, Czernebog cum cæteris, in quorum
singulis describendis postquam versatus est, tandem post Henrici
101. Aucupis tempora fana & delubra eorum eversa, lucemque Evan-
gelii eo delatam fuisse, refert; ad sedis vero Romanæ principia
dum accommodata erat post profligatum Paganismum nova hæc
Evangelii doctrina, opportunam sibi dari vidit Noster, de Oppidi
102. sacris sub Papatu, dicendi occasionem. Hinc de instituto ibidem
103. sumtibus cujusdem civis animarum balneo, de personis, cultui sa-
105. cro mancipatis, Presbytero, Capellanis & Altaristis, de B. M. V. &
110. Corporis Christi Fraternitatibus, de Patronis, quorum tum auxi-
116. lia cives seorsim efflagitarunt, Mauritio, Anna, Wolffgango, Do-
minico, Francisco, Oswaldo, Maria Magdalena, Margaretha,
Sanctis, Historias & Capita studiose sibi excutienda sumsit, quibus
124. subinde lucem fœneravit veteribus aliquot Documentis, quæ ob-
viam

iam sibi facta simul imprimenda curavit Autor Cl. Et sanctior
undiu habita ibidem fuit illa Pontificiorum religio, usque dum,
epurgata B. Lutheri ministerio Evangelii doctrina, post Ducem p. 150.
eorgium anno trigesimo nono Seculi XVI rebus humanis subla- 151.
um, sub Fratris, Henrici Pii, regimine purioris etiam illius do-
rinæ lumine collustrari cœpit, quæ Romanensium sacris hucus-
ue accesserat, Sorbigensis Ecclesia. Capite VII. De Magistratu 152.
iperiori, personis nempe illustrioribus, quibus Oppidum hucus-
ie paruit, agitur. Seculis IX & X Burgwardium illud Feudum
ie Imperii fuisse, jam supra Capite V Noster probaverat. Hinc
illim apud Saxoniæ ævi illius Scriptores de Burgwardio Zurbici
usque Burggraviis, quorum primum successiones nonnisi ab
iperatorum in Germania gratia & arbitrio pependerint, usque
um Seculo X ad posteros Burchardi, etiam Buzici, Thuringiæ 155.
ucis, jure hæreditario illud pervenerit. Qui ab ista ætate ad 156.
onradum usque M. justa successionis serie se invicem excepe-
nt, eos succincte recenset Autor, simul Seculo XIII in potesta- 158.
n Archi-Episcopi Magdeburgensis illud venisse, probat, quo
e, aliis dijudicandum relinquit; rediisse vero ævo posteriori
illam Marchionum Misniæ, nominatim Friderici Severi, Wil- 159.
lmi, Friderici Bellicosi, Friderici Placidi, Ernesti & Alberti A- 160.
mosi, cujus quidem posteris, Albertina stirpe, ut dicuntur, ori-
dis, semper deinde oppidum paruerit, usque dum Serenissimo-
m Martisburgi Ducum ditioni jure successionis hæreditario, ex 162.
ecreto quidem Serenissimi Saxoniæ Electoris, Johannis Geor-
nominis hujus I, illud adjectum fuerit. Capite VIII Magistra- 169.
n inferiorem Autor describit. Capite IX Ecclesiæ & Scholæ 188.
inistros. Ut alia taceamus, sistitur hic imprimis Pastorum & 194.
aconorum, qui a tempore Reformationis ad præsentem usque
item Ecclesiæ ibi sacris præfuere, Historia, quam integram hoc
pite legi, gratum utique acceptumque erit patriæ civi, imo vero 260.
aliis, qui hoc scriptionis genere delectantur, inque suos illud
is convertere sciunt. Capite X Sorbiga Literata, XI varii ge- 269.
is memorabilia exhibentur. Undecim his Capitibus totum ab-
vitur opusculum, quod Reverendissimo Serenissimoque Prin-
i Martisburgensi, Mauritio Wilhelmo, inscriptum, præterad-

jectum in fine Indicem, præmissam habet Præfationem, qua instituti rationem exponit Autor Cl. Ea certe laus ipsi debetur, quod in describenda hac patriæ Historia, non ex quibusvis lacunis hauserit, verum duces sibi elegerit fidei probatæ Scriptores, Documenta etiam, Protocolla & Acta publica diligenter inspexerit, quibus fidem & autoritatem dicendis conciliari posse, existimavit. Ritus, mores & instituta, quæ nude saltem nominasse, ipsi non satis erat, quoties fieri potuit, toties a prima statim origine repetiit, &, quæ obscuriora videri lectoribus poterant, animadversionibus hinc & inde subjectis illustravit, ut adeo Scriptoris, qui patriæ Historiam elaborandam suscipit, boni omnino præsenti Topographia partes explevisse, dicendus sit.

DISSERTATIONIS DE MEDICORUM ROMÆ degentium Conditione ignobili & servili, contra Anonymos quosdam Notarum brevium, Responsionis, atque Animadversionis Autores, Defensio; Autore CONYERS MIDDLETON, S. T. P.

Pars Prima.

Cantabrigiæ, apud Edmundum Jeffery, 1727, 4.

Plag. 10.

VIx in publicum prodierat, quam in his Actis anni proxime præterlapsi p. 126 commemoravimus, Cl. *Middletonii* Dissertatio, cum variis Anonymorum scriptis, quibus hæc opponitur defensio, oppugnari cœpta est. Non parum vero indignatur Cl. Autor, quod in re literaria & antiquitatis cognitione minus versatos nactus fuerit adversarios, vix ullum a se responsum impetraturos, nisi unum ex his scriptis Cl. Meadii (quem magni a se fieri testatur) judicio comprobatum, ejusque jussu ac opera in publicum evulgatum intellexisset. Nos missis, quæ scriptis eristicis propriæ esse solent, de adversariorum ignorantia, maledicendi studio, querelis; pauca ex iis, quibus objectiones refutat, argumentis
p. 9. delibabimus. Ante omnia certis quæstionem suam limitibus denuo circumscribere necesse duxit, ne vaga sit omnis hæc dissertatio,

o, ex qua nulla unquam stabilis elici queat sententia. Ea igitur, ıæ de ignobili Medicorum conditione asseruit, ad eam urbis ætam, quæ Cæsarum antecessit temporibus, referri vult, ac per omne ud 700 circiter annorum spatium, Medicinam non nisi a pereinis libertis servisque administratam, a nullo vero civium traatam esse, contendit. Cum vero ab altera parte monumenta anquitatis, in quibus servorum Medicorum mentio injicitur, de irurgis explicari advertat, nondum illo tempore Medicinæ parionem factam, nec ullam Medicos inter & Chirurgos ratione nditionis distinctionem solidis demonstratam esse argumentis bitratur. Ad Celsi potissimum locum, quo de Medicinæ partiıne, tanquam suo tempore usitata, loqui videtur, provocant, qui ımæ quoque a se invicem Medicinam ad Chirurgiam distinctas isse volunt, quos vero meminisse jubet, Celsum, ut multi censent, iberii, certe Cæsarum floruisse temporibus; sicque nil quitam contra suam inde sententiam probari, utpote qui Cæsarum ıte aliam Medicinæ faciem, aliam Medicorum fuisse conditiom facile largiatur. Præterea tamen plurimis, ipsique Clerico in tis Medicæ Historia, dubium videri, an Celsi ætate partitio ista era ita in usu fuerit; an id tantum in animo habuerit, ut significet, quemadmodum ea fieri debuisset. Alius quoque Ciceronis us adducitur, ex quo patere videtur, Medicinæ divisionem ejus ıdum temporibus factam esse: ita enim L. 3 de Orat. c. 33 Crasait: an existimas, cum esset Hippocrates ille Cous, fuisse tum ıs Medicos, qui morbis, alios qui vulneribus, alios qui oculis derentur? Ad quem locum Cl. Autor monet, nondum satis per-uum esse, utrum de Medicina, uti tunc in Græcia, an uti Romæ rcebatur, Cicero intelligendus sit; concesso tamen, ad Medi- Romæ degentes id pertinere, ex aliis e contra monumentis pa-:, non generatim tunc obtinuisse morem illum, sed aliquatenus ım processisse. Utcunque vero largiatur, Medicorum & Chigorum distincta fuisse munera, nulla tamen ratione inde pro-, diversas propterea eorum conditiones aut vitæ sortes fuisse, si alterutros prælatos reliquis fuisse credendum, vulnerum dicos in urbe bellicosa majori in pretio fuisse magis verisimile ri, quod Archagathi, civitate & taberna publice empta donati,

p. 12.

17.

p. 29. ti, exemplo patere censet. Cum in confesso sit plurimos Romæ Medicos Græcos fuisse, atque *Middletonius*, & illos humilis seu potius infimæ sortis homines fuisse asseruerit, instant dissentientes, quo assertum illud argumento idoneo probare satagat; quibus paucis respondet, notum esse, totam Græcorum gentem odio & contemptui Romanis fuisse, ipsumque Græci nomen a plebe convitii loco usurpatum, jam vero facile quemque perspecturum, Medicos ulla apud suos gratia & dignitate florentes non facile quæstus ergo Romam migraturos, ibique contumeliis se plebis exposituros fuisse, humiles vero, & esurientes, quibus nulla apud suos præmia expectanda, lucri captandi causa Romam convolasse. Ad Ciceronem

32. nem demum provocaverunt adversarii, qui dum inter artes liberales recenseat Medicinam, omnem hanc dijudicaverit controversiam: verba Ciceronis L. 2 de officiis c. 42 hæc sunt: quibus autem artibus aut prudentia major inest, aut non mediocris utilitas quæritur, ut Medicina, ut Architectura, ut doctrina rerum honestarum; hæ sunt eis, quorum ordini conveniunt, honestæ. Qua occasione Notarum brevium Autor vocem *Ordo* arripuerat, Manutiorum, Pauli, Aldi, aliorumque autoritate evicturus, eam dignitatis significatum continere, atque ad Senatum Equitesve ad minimum, ad plebem vero nullo modo referri oportere: ad quod Cl. Autor regerit, Ciceronem ipsum hanc vocem non Senatui modo Equitibusve, sed plebi quoque & libertinis imo apparitoribus & scribis applicare; ut & Terentium, apud quem parasitus in Eun. ait: conveni hodie hominem mei loci atque *Ordinis*, & apud Gruterum p. 353 exhiberi inscriptionem mulieris, de marito loquentis: qui me ab imo *Ordine* ad summum perduxit honorem. Instant quidem homines, atque Ciceronem facta hic loci distinctione artes inter sordidas, & liberales, dum Medicinam his annumerat, manifesto declarare, hanc ingenuo cive non indignam esse; monet vero Noster, artes liberales proprie eas solum dici, ex quibus non quæstus aliquis, utilitasve ad vitam necessaria, sed libera quædam animi oblectatio quæratur; quoties vero de quæstuosis aliquæ, liberales tamen dicantur, id nonnisi improprio & laxiori vocis sensu accipiendum; quatenus a probrosis & turpibus distinguantur, atque isti hominum generi, cui conveniant, honestæ judicentur.

Hæc

Iæc de prima defenſionis parte annotaſſe ſufficiat; proxime forte
:cunda uberiora ſuppeditabit.

'IRORUM CLARISSIMORUM AD GUN-
'HERUM CHRISTOPH. SCHELHAMME-
UM Epiſtolæ ſelectiores, rem Literariam, Philoſophiam
'aturalem ac Medicinam potiſſimum ſpectantes. Recen-
it ſimulque Vitam Schelhammeri cum Indice Scriptorum
us præmiſit CHRISTIANUS STEPHANUS
CHEFFELIUS, Medicinæ D. & adhuc Practicus Vis-
marienſis, jam vero deſignatus Profeſſor Ordinarius
Regius in Academia Gryphiswaldenſi.

/ismariæ & Sundii, apud Sam. Gottlieb Lochmannum, 1727, 8.
Alph. 1 pl. 5.

'I recte inſpicias hoc opus, vita Cl. *Schelhammeri*, ſi non maxi-
mam libri partem, primam tamen eamque potiorem conſi-
; de epiſtolis vero ipſe Cl. Editor in præfatione ita diſſerit:
*ıantum vero ad epiſtolas Clariſſimorum Virorum ſelectiores, ad
helhammerum exaratas, attinet, ſcias me illas præcipue com-
:menti quaſi loco ad vitam Schelhammerianam fideliter cura-
que deſcriptas dediſſe.* Quod ad ipſam vero hiſtoriam vitæ
helhammerianæ Cl. Editor jam A. 1717 Oratione publica
:luti iſtius Viri memoriam celebravit, in Academia Kilonienſi,
ıſtea a mœſtiſſima vidua ad conatus hoſce neceſſaria obtinuit
ɔſidia, interque ea Genealogiam ſtirpis *Schelhammerianæ*, una
m vitæ, ab ipſo *Schelhammero* conſignatæ, fragmento, poſtea
oque multa a Joh. Burchardo Majo, 1726, 8 Id. Nov. ætat. 75, de-
ncto, conſecutus eſt, uti ipſe in præfatione refert fuſius, ubi ſimul
ıditos rogat, ut, ſi quas epiſtolarum *Schelhammeri* poſ-
leant, eas ſecum benigne communicent, quo una cum iis, quæ
nes ſe ſint, Reſponſis Medicis *Schelhammerianis*, deinceps
oque prodeant. Lucem primum aſpexit *Schelhammerus* Jenæ p. 5.
49 d. 13 Mart. Patre uſus *Chriſtophoro Schelhammero*, Medico 9.
n incelebri. Vix bimulus patrem Vinariæ 1651 d. 20 Jun. amiſit,
tunc fortunam experiri coactus fuit adverſiſſimam. Quinde- 10.

cim annos natus animum jam ad artem Medicam appulit, & a te-
p. 14. neris unguiculis rei herbariæ quasi innutritus fuit. Postquam ita &
16. Jenæ & Lipsiæ studiis operatus esset, iter instituit per Saxon. Infer.
19. in Belgium fœderatum, Angliam, Galliam & Italiam. Ipso Lug-
duni Batavorum versante, & Gallo-Belgium invadente, cum ceteris
civibus Academicis ad defensionem urbis arma capere fuit coa-
ctus, egregieque se præstitit. Quinquenni itinere superato, cum
vix reversus esset, Jenæ 1677 laurus & purpuræ honos ipsi conces-
sus. Animum induxerat Academiam Heidelbergensem adire,
quum Brunsvicenses & Luneburgenses Duces in Academia *Julia*
1679 munus Professionis Botanicæ Extraordinariæ illi deferrent,
quam 7 Julii, habita Oratione de variis Artis vicissitudinibus, est ag-
gressus. Subsequenti autem anno ejusdem disciplinæ Professor Or-
dinarius constitutus est. Hercyniam tunc præcipue Sylvam tanto
studio perreptavit, ut brevi tempore ultra sexcentas novas detexe-
29. rit plantas. Uxor ejus fuit, variis scientiis ac artibus, ut lingua Gal-
lica, doctrina Sphærica, Geographia, Historia, Poesi Germanica,
reque coquinaria, quam integro postmodum libro *illustravit*, ma-
xime versata, Maria Sophia, filia Celeberr. Hermanni Conringii.
30. Ex hoc matrimonio natæ filiæ optimarum artium linguarumque
studiis ita fuerunt imbutæ, ut vel cum doctissimis certare potue-
rint. Redierat inde Jenam 1690: ast 1695 a Christiano Alberto
Holsatiæ Duce Kilonium vocatus in locum Joh. Danielis Majoris,
32. 1693 mortui, eo migravit, & sub novi muneris auspiciis de ac-
commodata ad Artem ratione philosophandi verba fecit. Quanti
exteris in re herbaria, Chymica, Anatomica habitus fuerit, ex eo
inter alia constat, quod A. 1679 Kalend. Febr. a Carolo Patino in
Acad. Recuperatorum in Italia, & eodem anno 6 Kal. Julii a Joh.
Michaele Fehrio, Præside, in Acad. Naturæ Curiosorum Leopol-
dinam sub nomine Theophrasti receptus, hujusque Adjunctus a
Joh. Georgio Volckmaro, Præside, 1689 Kalend. Augusti renun-
44. tiatus fuit. Et Græcæ linguæ probe gnarum fuisse docet Aristo-
teles, qui cum Notis ejus MCStis in Bibliotheca Academica Kilo-
niensi asservatur. Præterea tantus fuit Orator, ut quum ad capes-
sendum Professoris munus, pro more, Principem Holsatiæ Fride-
ricum IV allocutus esset Gottorpii, Princeps, illo dimisso, palam
ad

l circumstantes, *Schelhammerum* non Professoris, sed magni ujusdam militiæ Ducis personam referre, dixerit. Mortuus est ndem 11 Jan. 1716. Enarrata ita vitæ ejus historia ad scripta pro-editur Noster, ubi primo expendit scripta edita a pag. 46 ad 79, uæ maximam partem Disputationibus & Programmatibus Aca-emicis absolvuntur. In quibus mentionem etiam facit litium, uæ illi cum Sturmio, tum & quæ cum Bernardo Ramazzino de lotu Mercurii in Tubo Torricelliano, quam Leibnitius impri-is diremit, intercesserunt; tum anneǝtuntur, quæ in Ephemeri-s Naturæ Curiosorum inseri curavit. Scripta edita excipiunt ine-ta a pag. 79 ad 98, in quibus primum merito occupat locum ma-nificum illud opus, propediem in lucem proditurum, quod uni-rsam Medicinam demonstrativis fundamentis innixam comple-itur, ut cetera omittamus. Hæc de vita ejus breviter: quod ad pistolas, ex his quoque pauca excerpemus. Slevogtius in Ger-anica Epistola Autorem scripti, cui titulus *Pufendorffius mo-stiæ admonitus*, fuisse Consiliarium aulicum Pfannerum testa-r. p. 168. 169. Directum hoc est Schediasma contra Epistolam, quam Pu-ndorffius sub nomine Nicolai Becmanni scripsit, ubi Pfannerum obiam de Sartagine appellat, teste eodem Slevogtio. Wedelius 179. iminentis barbariei hasce potissimum constituit causas: Pro-rum nempe incuriam & nauseam literarum, nec minus novita-amorem; æque ac exterorum, in quo quidem plerique ireolam quærunt, quibus omnis antiquitas sordet fœtetque. eibomius in curandis variolis utilissimam judicat venæ se-onem, ita tamen ut absint purgantia. Busmannus in Epi- 184. la Germanica de se prædicat, Div. Apostolum Paulum in nnio sibi apparuisse, uti P. Francisco Aquilano Romæ, quid o arcani sibi dixerit, alio tempore se aperturum pollicetur, & 189. erit quoque alia epistola, scilicet quod, cum in somnio mise- 196. m hunc vitæ statum perpendisset, Divus Apost. verba, quæ 1 *r. I v. 26-30* habentur, ad ipsum dixerit. Enimvero Meibomi-de eo testatur, eum ad melancholiam tandem propensum, in 230. orbo nihil medicamentorum, cibive vel potus assumere vo-isse, ac ita esse mortuum. Celeberrimus Sagittarius conatum 239. um, ad preces Civitatis Lindaviensis, Anonymi scriptum, quo

 suum

p. 240. Censuram Diplomatis Ludoviciani Conringii infringere allaboravit, refutandi exponit, ac a *Schelhammero*, ut sibi Wagnereccii librum quo Ludovico Diploma vindicare conatur, ac exemplar Censuræ Conringii proprium, quod fortasse notis MSCtis auxerit, & alia quædam subsidia a Conringio juniore procuret, vehementer rogat. Dominus Autor, Pechlinum, adversus Langium & Autorem Lexici Eruditorum, bis apud nos editi, demum hujus seculi
244. anno quinto vel sexto diem supremum obiisse, demonstrare contendit ex epistola Urbani Hiarne ad *Schelhammerum* directa & infra, nempe a pag. 240 usque 344, adducta, quanquam id exinde nondum satis liqueat. Sed non est, ut his diutius immoremur; interim felices successus apprecamur iis, qui doctissimi *Schelhammeri* opera anecdota in lucem edere constituerunt, Philiatris admodum haud dubie profutura.

THE ODYSSEY OF HOMER TRANSLATED from the Greek.

i. e.

ODYSSEA HOMERI CARMINE ANGLICO reddita; Autore ALEXANDRO POPE.

Volumina V.

Londini, apud Bernardum Lintot, 1725 & 1726, 12 maj.

Alph. 2 pl. 14 Tabb. æn. 24.

Cum multa, quæ de præstantia novæ hujus versionis Odysseæ Homeri, quæ omnibus fere simul formis eleganter impressa prodiit, dici possent, jam occupata sint in his Actis, in recensione Iliadis *Supplem. Tom. VII Sect. VII p. 281*, sufficiet, præcipua saltem, quæ altera hæc pars operis immortalis peculiaria habet, paucis delibasse. Primo exhibetur dissertatio exponens generalem scopum Epici poematis, speciatim Iliadis, atque Odysseæ, quæ contracta dicitur e Cl. *Bossu*, Galli, libello de carmine Epico, quam nos quidem repetere veremur. Nec qua fide, quave felicitate hanc Odysseæ versionem absolverit Autor, quæ utique cum Ilia-

de

e ipsius certare potest, dicemus: illud tacendum non est, pleraue, quæ exagitare solent Homero-Mastiges, sæpissime in partes, ad cum judicio vocatis, Eustathio, Daceria, nonnunquam & Dīymo, Spondano, aliisque, diligenter tueri Nostrum. Ita Jul. Cæs. caligeri Poetices Libro V in Homerum acerbitatem castigat, erraltum itidem & Rapinum, Poetæ iniquiores, refutat, antiquaım versionum Anglicarum, & Hobbesii imprimis errores notat, iterdum & descriptiones, quas optimi Anglorum Poetæ, *Spenr, Sheakspear, Milton, Dryden* habent, confert, loca obscura nos copiosis erudite illustrat, & antiquitatibus etiam sacris styloque blico subinde lucem affundit: nec tamen, interdum bonum dorıitasse Homerum, diffitetur. Speciminis gratia pauca adduxisse ıfficerit. In fronte Volum. I ad Odyss. lib. I, in judicio de Poeta oc ferendo, duo illa extrema, si quis Homerum humanis defectiıs non obnoxium statuat, & si quis ita eos exaggeret, ut nimium us laudibus detrahat, æque vitanda esse monet. Odysseam Iliade iritu & ardore poetico inferiorem esse concedit, magis tamen l mores facere contendit. Horatii duplicem translationem priorum Odysseæ versuum examinat, & eam, quæ epistola ad Lolım, *Trojani belli scriptorem* laudante, habetur, præfert. Prium in Odyssea simile demum lib. IV v. 449 occurrere observar, idque ab Hobbesio ridicule esse translatum: qui & optimum etam, & magnum historicum, Homerum & Thucydidem, verne sua pervertisse dicitur. De comestione piscium, ad quam enelaus, extrema urgente fame, socios suos compulsos narrat, e utarchi quæstionibus convivalibus notatur, antiquissimis temribus eam non fuisse usitatam, Pythagoricis vero penitus interdiam, nec usquam in sacrificiis oblatos pisces, &c. Ad Odyss. IV v. I, Protei fabulam ex Ægypto, cujus Reges variis leonum, boum, aconum, arborum, insignibus usi, quæque præstigiatoribus plefuerit, originem duxisse, e Diodoro Siculo & aliis adstruitur. l Odyss. V, v. 440, Versio Hobbesii inepta censetur, qui Minerm sub figura gallinæ aquaticæ locutam ait, cum actio saltem, a subito illa evanuit, non autem forma ab Homero sit descripta. l Odyss. V, 175, C. J. Scaligerum dicit præjudicio in Homerum orare, eique sæpe injuriam facere, ut cum h. l. Musæi versus

p. 172. 175. 177. Vol. II. p. 35. p. 70.

 citat,

citat, tanquam autoris genuini, Homero antiquioris, e quo sua
p. 75. hic minus feliciter hauserit. Ad Odyss. VI v. 230 Longini, qui Homerum in Odyssea cum Sole occidente comparat, judicio adstipulatur, eumque in Iliade meliorem poetam, in Odyssea meliorem virum referre ait.
Vol. III. p. 3. Ad initium Odyss. X prolixe agit de probabilitate poetica, ad quam sufficere ipsi videntur communis hominum opinio, sive vera, sive falsa, Numinis cujusdam introductio, & auditores rudes atque creduli, quales describuntur Phæaces, quibus Ulysses, verba sunt Horatii,

— *Speciosa dehinc miracula promit,*
Antiphatem, Scyllamque, & cum Cyclope Charybdin.

Tum & de Æolo, insularum Vulcaniarum rege, qui ventorum Deus, etiam ex sententia autoris nostri, fingitur, quod eorum observationem, & velorum usum in navigatione monstrarit, multa erudite disputantur. Ad initium Odyss. XI Abbati Fraguiero in *Memoires de Literature* adstipulatur Noster, quod Virgilius Æneid. VI longe melius repræsentarit Æneæ, quam Homerus Ulyssis descensum ad inferos, a quo, teste Horatio Lib. I Sat. VII, saltem videntur

Eliciti manes, animæ responsa datura.

Tum e *Sandysio*, quem fide dignum peregrinatorem, & limati judicii poetam vocat, omnem illam poeticam inferni descriptionem ab Ægyptiis petitam, ostendit, qui de Mumiis Memphiticis loquens, hæc habet: " Confectis his ceremoniis corpus imponunt cymbæ, trajiciendum super Acherusia, locum Memphi ad meridiem situm, per hominem, qui Charon dicitur. Id quod Orpheo ansam præbuit inferni sui portitorem describendi, deformem & illuvie sordidum, qualem & Virgilius Æneid. VI pingit. Ad hunc lacum est umbrosum templum Hecates, & portæ Cocyti, & Lethes, separatæ per cancellos ferreos. Transvecta corpora ad certos judices deferuntur, & si de male acta vita in examine constiterit, sepultura privantur; alias conceditur humatio. Hæc monstrant originem fabularum de Charonte, Rhadamanto, &c." (Poterat & ad h. l. Diod. Sic. lib. I c. 92 allegari.) Additur deinde ex Daceria, hunc librum evidenter ostendere antiquitatem opinionis de animæ immortalitate,
quæ

ıæ nititur necromantia, antiquiſſimum, teſte etiam Scriptura S.
:nus eſſe divinationis. Ad Odyſſ. XV v. 316 verſum unum in omni- Vol. IV.
ıs Homeri editionibus omiſſum, & duos mendoſe editos e Stra- p. 31.
ɔnis Geogr. Lib. VIII reſtituit, & Geographica quædam exponit
:curata diligentia & judicio critico excellens Interpres. Ad
dyſſ. XXII v. 246 idem obſervat, Deos bonos apud Homerum Vol. V.
:ſcendere, ut adſint bonis, non autem improbis. Ad v. 262, ubi p. III.
ıllas ſub hirundinis ſpecie apparuiſſe dicitur, notat, ſuperſtitio-
s gentiles crediſſe, apparitionem volucris cujusdam tem-
ɔre quodam critico ſignum eſſe præſentis Dei; deinde & inva-
iſſe opinionem Deos ipſos apparere ſub figura hujusmodi avi-
n, quæ eis ſacræ fuerunt, uti aquila Jovi, pavo Junoni: hinc
gures tam venerabiles habitos, & auguria tam ſancta.

In calce operis comparet *poſtſcriptum*, quo Autor de ſcopo
charactere Homeri in Odyſſea denuo lectorem monet, id-
e opus morale & politicum vocat, inſtructioni omnis gene-
hominum aptum, & imaginibus, præceptis atque exemplis
:num. Sententiæ quidem Longini, cui Odyſſea eſt opus ſeni-
ſi cum Iliade componatur, languidum, & minus poetici ſpiri-
habens, accedit, inde tamen ejus pretio quicquam decedere,
ʒat; ſiquidem alius fuerit poetæ ſcopus, cui totum carmen
:ommodarit. In Odyſſea, uti & Longinus recte obſervaverit,
raque magis eſſe Comica, dum repræſentantur procorum con-
ia & ludi, Calypſus, & Circes lenocinia, Phæacum mores, pu-
ı Ulyſſis, perſonati mendici, cum Iro, & quæ ſunt hujusmo-
ſtilo rebus convenienti ab Homero depicta: cum contra Ilias
opus plane tragicum. Hinc docet, tumidas deſcriptiones
:onum minutarum eſſe ſublime illud, quod regnat in fabula
ı Quixote. Poetam perpetuo ampullas & ſeſquipedalia verba
ɔantem ſimilem eſſe agyrtæ, non loquenti, ſed vociferanti.
iliorem eſſe ſtilum ſublimem, & obſcurum, quam nativa
ſpicuitate fluidum. Linguæ Græcæ emphaſin, & voces mire
ɔras exprimi ſatis ab interprete alia lingua non poſſe. Verba
qua & rariora ſuo loco adhibita, poema ornare. Cum judi-
his uſum eſſe Miltonum; imitatores autem ejus ineptos ni-
; archaismis peccare. Omni ſtudio ſe eniſum, ut ſtilo facili ac

per-

perspicuo characterem Homeri repræsentaret, ideoque amicorum censuris translationem suam, antequam ederetur, subjecisse. Denique festive respondet Daceriæ, quæ in editione secunda versionis suæ Homeri (Parif. 1719) nonnulla ex præfatione ipsius in Iliadem male, ut ait, intellecta & detorta acerbius reprehenderat. Se sub signis ejus militasse, & defensionem divini Homeri adversus omnes hujus seculi hæreticos suscepisse, & tamen ab ea accusatum, quod causam communem iniquiore censura prodiderit. Summum sibi inter mortales poetam videri Homerum; ipsi vero Daceriæ homine majorem, impeccabilem & infallibilem. Nimia illam admiratione Homeri in transversum rapi, se, quamvis sit poeta, tamen enthusiastam esse nolle: & quæ sunt alia, quæ omittimus. Hæc tandem excipit index, recensens imprimis, præter nomina propria, consuetudines, & opiniones antiquorum, descriptiones & comparationes. Indici demum subjuncta est versio *Batrachomyomachiæ*, sed notis destituta.

NOVA LITTERARIA.

VIr Vener. *J. F. Osterwald*, V. D. Min. Neocastri in Helvetia, cum audivisset, Londini ejus sub nomine imprimi *Compendium Ethicæ Christianæ*, quale ante aliquot annos, ut eo uteretur in Prælectionibus suis, concinnaverat, omnem quidem movit lapidem, quo minus liber hic vulgaretur, ipso invito, quod ita nondum elaboratus esset, ut in lucem publicam prodire posset. At cum id impetrare non potuerit, publice tamen protestatur, se nec hujus, nec cujusvis alterius editionis, quæ ex MSptis suis prodire dicatur, Autorem esse, & ad ea provocat, quæ jam A 1715 in Diario *Histoire Crit. de la Rep. de Lettres* Tomo XVI p. 342 de libris suis professus est.

Dresdæ Conf. *Adamus Frid. Glafey* JC. R. Pol. Consil. Aul. & Archivar. int. data ad Perill. & Excell. *Henricum de Bünau*, R. Pol. in supremo Senatu Eccles. Elect. Saxoniæ Præsidem, eidem Maj. Pol. a Cubiculis, item Justitiæ & Appellat. Consiliis & supr. Curiæ Lips. Assessorem, Epistola in 4 typis impressa, consilium suum aperuit de Historia Saxonica sigillis illustranda; rogans simul eruditos, ut in eo negotio suppetias sibi ferre non detrectent.

): (o): (

No. V.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji Anno MDCCXXVIII.

FOEDERA, CONVENTIONES, LITERÆ ET cujuscunque generis Acta publica inter Reges Angliæ & alios quosvis &c. ab ineunte Seculo XII ad nostra usque tempora tractata; accurante ROBERTO SANDERSON, *Generoso.*

Tomus XVIII.

Londini, per J. Tonson, 1726, fol.
Alph. 9 pl. 7½.

OMnis fere spes decollaverat, continuatione tam insignis operis fruendi, quod ob indices Tomo XVII copiose subjectos, in Actis A. 1721 p. 509 indicavimus. Sed fefellit jucunde opinionem nostram industria *Roberti Sandersoni*, qui Privilegio Regio largissime munitus, ut ad scrinia arcana perscrutanda admissus, opus vere Regium ad nostra usque tempora perduceret, Tomum XVIII jam typis vulgavit, & spem fecit, ut reliqua pari cura collecta, quæ ad nostrum pertingunt ævum, imposterum quoque nobis polliceri queamus. Præsenti Tomo, serius licet ad nos delato, quæ continentur singularia, ne ullam Operis illustris partem a nobis esse neglectam possimus argui, brevibus nunc sistemus.

Sub auspiciis comparet Index Chronologicus conventionum, literarum, & quæ sunt reliqua, hoc in Tomo ab A. 1625, regnante CAROLO I, usque ad finem A. 1626, primordia annorum Anglico more computando, exhibitarum. Continentur in eo commissio specialis de continuatione Sigilli Regii sub JACOBO I paullo ante defuncto usitati, donec aliud fuisset exsculptum, ne p. 1 & II.

 man-

mandatis CAROLI I præjudicium forsitan inde enasceretur.
p. 8. Edictum Regium, quo *libri Latini* Oxoniæ vel Cantabrigiæ summa cum cura impressi, & apud exteros denuo prælo subjecti, ob errores crassissimos ac detrimentum mercatoribus Anglicis inde
12. emergens, in Angliam apportari vetantur. Mandatum, quo Anglis jure retorsionis contra Hispanorum & Belgarum illis subjectorum naves subditosque uti permittitur, donec ipsis de damnis illatis
19, 831. fuerit satisfactum. Proclamatio, qua herba Nicotiana, excepta illa, quæ in Virginia aliisque Anglorum coloniis plantata fuerit, in Angliam advehi prohibetur, & advecta jam, sub pœna commis-
20. si, aliorsum deportari mandatur. Literæ *avocatoriæ*, quibus Angli, Imperatori, Regi Hispaniæ, vel Archi-Ducibus in Belgio terra marive militantes, domum redire quantocyus jubentur. Man-
21. data, ne alumen ab exteris advehatur; & ut abusus circa nitri &
23, 813. pulveris nitrati fabricas tollantur. Edicta Regia de ædificiis Lon-
33, 98, 826. dini extruendis, eorumque locationibus, quo præsertim inhibetur, ne Londinum novis ædibus adaugeatur, neve intra unicam domum plures uno conductores recipiantur, cum civitate incolis o-
87. nerata lues pestifera sit metuenda. Ex Decreto Regis edocemur, illos, qui contumaces cultui divino in æde sacra non interfuerint, pro quolibet mense summa viginti librarum Anglicarum fuisse
66. multatos. Commissio Regia monstrat insignem curam, quæ ad promovendos metallariorum labores, & impedimenta quævis amovenda fuit impensa, ut mineræ nobiliores in Comitatu Cardiganensi intra fines Walliæ, haud infelicibus auspiciis tentatæ, ulterius pervestigarentur; licet hodie plumbum tantum erui ex istis
72. fodinis, constet. Sequitur Proclamatio Regia, qua coloniæ Anglorum in Virginia, a Societate huc usque administratæ, ob plura
77. incommoda Præsidi Regio commendantur. Literæ ad legatum apud Batavos degentem, quibus ipsi injungitur cura, ut Anglis damna in Amboina illata resarciantur, & fœdus cum Batavis ad
78. terras Palatini recuperandas pangatur. Mandatum, quo vetantur
199, 120 sq. omnes ob luem Londini grassantem, ad curiam Regis intra 12 milliaria accedere, nisi quibus illud speciatim fuerit injunctum.
82. Commissio de augendis lanæ opificiis & pannorum textura, ut & piscatione maritima, qua simul exterorum merces, quibus facile

.e carere possint Angli, in regnum apportari, pecunia vero sub
ecie commerciorum præsertim a Societate Indica Orientali
chi vetatur. Conceſſio argentifodinæ Muglisbiensis in Comi- p. 90.
:u Palatino Episcopatus Dunelmensis, Duci Buckingamiæ facta,
tamen lege, ut decimam argenti partem ærario Regio inferret.
lictum, quo homines vilioris conditionis, suspectæ vitæ sive 94.
vis notæ macula laborantes, aula exire jubentur. Mandata, ne 108, 145.
onetam e cupro minutulam cudere, nisi Regia autoritate, licitum
, quo jure ante Jacobi I tempora quivis pro lubitu fuerat abusus.
lictum, ut strumis laborantes & Regio tactu sanari cupientes 118.
schatos & S. Michaelis Festo saltem ad Regem accedant, testi-
onio Parochi sui muniti, ne una jam vice tacti pluries isto medi-
:nine abutantur. Gratia Guilielmo Andreæ facta, ob neglectum 140.
ltum divinum, qua mulcta per leges irrogata ipsi remittitur.
onceſſio Generosis Cameræ Regiæ privatæ indulta, ut omnes, 146, 305.
ibus collati fuerint Archi-Episcopatus, 10 libras Sterl. Episco-
:us, 5 libr. honores Ducum 20 libr. Marchionum 20 libr. Comi-
n 10 libr. Vice-Comitum 8 libr. Baronum 6 libr. 13 Shill. & 4
ices, Baronettorum 5 libr. Equitum 5 libr. officia Magistratus
vici 5 libras eisdem persolvant. Hinc comparent Mandata, qui- 171, 181.
; Buckingamius Claſſi & exercitui, Palatino auxilio propediem
:tendo, præficitur. Commiſſio Thesaurario aliisque deman- 173.
a, ne terrarum quarundam oppignoratarum poſſeſſionem ultra
minum *nonaginta novem annorum, super tres vitas (annis ni-*
rum triginta & uno) determinabilem, concedant. Edictum de
:ris extra regnum e Seminariis Pontificiorum revocandis, & 179, 266.
:ro Pontificio ex Dominiis Anglorum ejiciendo: cui quidem 222, 223.
, velut pactis dotalibus cum sorore sua initis adversæ contra-
it Rex Galliæ; verum rebelles saltem, turbasque minitantes Ca-
licos, non homines quietis amantes, hæc tangere Carolus I re-
ndit. Deinde sistuntur jus retorsionis adversus Hispanos piratas 189, 222, 314.
glis conceſſum: modus procedendi in causis ad Stellatam Ca- 192.
ram pertinentibus: Mandata Legatis Anglicis data, ut fœdus
n Gallis contra Hispanos & invidendam Austriacorum poten- 207, 257.
n pangant, & securitatem Reformatis in Gallia concilient: uti
.egatis ad Batavos, ut sociatis cum Anglorum Regno viribus 209.

Hispanos adoriantur, & Daniæ Regi, Cæsareos oppugnanti, ære
p. 211. armisque præsto sint: illis autem, qui ad Danos Suecosque fuerant ablegati, ut Danis 6000 peditum, & 1000 equites cum apparatu bellico, aut 30000 librarum Sterl. singulis mensibus, si id magis arriserit, societatis nomine promittant: Suecis denique
212. pericula ab Austriacis, Bavaris Polonisque extimescenda ob oculos ponant, eosdemque ut sepositis cum Dano litigiis, Hispanorum naves a suis portubus arceant, eorundemque portus in Flandria sitos, sociata cum Anglis, Danis, Batavisque manu expu-
230. gnent, hortentur. Inde exhibetur Mandatum ad custodem Sigilli Regii, ut omnia superiorum Regum & Reginarum privilegia sibi oblata, exceptis diplomatibus Richardi III, consensu Parliamenti non firmatis, Regio Sigillo denuo muniri curet. Aliud Buckinga-
236, 246. mio datum, ut insigni parte thesauri Regii ex gemmis pretiosissimis & vasis aureis constante pignori data, ter centum mille librarum monetæ Anglicæ ab Ordinibus Belgarum generalibus eorumve subditis mutuo sumat; unde de penuria Regis cognosci
251. poterit. Edictum, quo Anglis omni commercio cum Hispanis
259. & quibusvis eorundem subditis interdicitur: & ut omnes Hispanorum aut peregrinorum eo tendentium naves rebus ad bellum
267. aut victum necessariis onustas expugnent, jubentur. Concessio indigenatus Merico Casaubono facta. Interdictum, ne tempore quadragesimali & diebus Veneris carne sed piscibus saltem vescan-
268, 822. tur cives, ut tum carnes in usum navigantium sufficiant, tum
309. piscatio maritima promoveatur; nisi a Rege ipso vel Episcopo fuerit dispensatum. Exhibentur postea Rotuli Parliamenti, anno pri-
335, 439. mo Caroli I habiti, ut & Parliamenti alterius eodem anno habiti,
439, 565. una cum declaratione Regia de causis hujus frustranei conventus ob turbida quorundam consilia. Dispensationes plures, ex quibus
659. perspeximus, Clericos juxta ordinationes Ecclesiæ Anglicanæ quotannis saltem ad tredecim conciones in Ecclesia sua habendas
672. esse obstrictos: præterea quendam ex soluto & soluta natum, & ab Archi-Episcopo Cantuariensi, Rege id ratum habente, legitimatum, ad Presbyterii & Diaconatus honores fuisse admissum.
721. Sequuntur inter alia interdictum, ne scripta turbulenta Parliamen-
780, 565. ti haud ita pridem dissoluti typis vulgentur: commissio Georgio Fride-

riderico Marchioni Badensi data, ut exercitu 4000 peditum, & 000 equitum coacto, Palatinum contra Hispanos eorumque socios juvet: varia Rescripta, quibus ob summam ærarii inopiam p.786,790. bertas conceditur, terras reditusque Regios ad certos annos lo- 806. andi, aut sub spe *Reversionis* lege Feudali vendendi: Commis- 791, 807. o Regia ad pacem cum Saleensibus piratis concludendam, rediendos captivos, & mercimonia instituenda; Edictum, ut No- 798. les prædia possidentes, & in civitatibus, Londini maxime, deentes, neglecta nimium œconomia & hospitalitate, ad sua revertur: Mandatum, ut Sacerdotes Romanenses, qui clandestine 801. a dogmata dilataverant, Gallorum precibus liberati, navibus in alliam transvehantur: Edictum, quo Anglis jure Retorsionis uti 802,825. ontra Gallorum piraticam permittitur: interdictum de corio 811. on exportando: solutio 2000 libr. Sterling. annuarum, Duci olsatiæ ad præstanda auxilia promissa, ex reditibus Regiis dinueranda: 816. Commissio, ut ab omnibus Angliæ incolis ad onera 836. lli sustinenda pecuniam mutuentur Delegati. Ceterum ut summo publicæ & literariæ rei emolumento Tomi hunc insecuturi l. *Sandersoni* cura laudatissima quantocyus, quoad fieri potest, cem aspiciant, ex animo vovemus.

A COLLECTION OF TRACTS.

i. e.

YLLOGE TRACTATUUM QUORUNDAM, jus privati Judicii, sufficientiam Scripturæ S. & termis communionis Ecclesiasticæ spectantium, occasione recentissimæ controversiæ Trinitariæ editorum a THOMA MORGAN, M. D.

Londini, apud Joh. Osborn, & Thom. Longmann, 1726, 8.

Alph. 1 pl. 8½.

Git causam Arianorum, contra statores & defensores doctrinæ Athanasianæ de S. S. Trinitate, Cl. Autor, si non satis becerte satis argute, tractatibus hisce stylo eleganti & multo sale

 con-

condito, scriptis, quos antea singulatim, nunc vero retractatos uno
volumine edidit. Librum integrum curatius recensere materia-
rum, quas pertractat, tum natura, tum varietas, præter instituti
nostri rationem, vetat: dabimus tamen titulos singulorum tra-
ctatuum, ex quibus prudens lector facile conjiciet, quid de libri
ipsius lectione sperandum sit. Tractatus autem hi sunt: I Epi-
p. 1. stola ad Tongium, Robinsonium, Smithium & Reynoldum, de
natura & consequentiis Enthusiasmi, continens observationes
nonnullas in *doctrinam de beatissima Trinitate stabilitam & de-*
43. *fensam.* II Postscriptum, cui occasionem dedit Bradburii discur-
sus sub titulo: *Necessitas contendendi pro religione revelata.*
61. III Epistola altera ad eosdem, qua natura & consequentiæ En-
thusiasmi defenduntur, contra *Reflexiones* Samuelis Francourti,
103. *de certitudine & infallibilitate.* IV Defensio Epistolarum præ-
cedentium, ad eosdem, contra Francourti *Enthusiasmum retor-*
151. *tum.* V Absurditas, quæ oritur ex oppositione fidei & rationis,
seu defensio religionis Christianæ, contra vim Enthusiasmi, in re-
181. sponsione ad orationem Bradburii *de Natura Fidei.* VI Funda-
menta & principia Christianæ communionis, considerata in Epi-
stola ad Joannem Cunming, occasione dissertationis ab eodem
editæ: *de authoritate consequentiarum, quæ ex Scriptura S. eli-*
255. *ciuntur.* VII Epistola ad Richardum Blackmore, occasione libri,
ab eo publici juris facti, sub rubro: *larva Arianis hodiernis de-*
323. *tracta.* IIX Refutatio falsorum principiorum a Josepho Pykio
assumtorum & applicatorum in libro, qui inscribitur: *candi-
dum examen præcipuarum difficultatum, quæ tam Trinitario-
rum, quam Arianorum, hypothesin comitantur & afficiunt.* Cui
additæ observationes quædam, in Richardi Blackmori, *justa præ-
judicia contra Arianam hypothesin*, una cum postscripto: de
reali consensu Athanasianorum & Socinianorum in controversia
359. Trinitaria. IX. Epistola ad D. Danielem Waterland, occasione
novissimorum ejus scriptorum pro defensione hypotheseos Atha-
389. nasianæ. X Epistola ad *Phileleutherum Britannicum*, sub titulo:
441. *Enthusiasmus desperatus.* XI Appendicula præcedentis epistolæ,
occasione libelli, cui titulus: *Comprehensio desperatior Enthusi-
asmo*, qui libellus a *Petro Nisbet* conscriptus esse fertur. XII Ap-
pen-

endix altera Enthusiasmi desperati, occasione libelli novi ab eo-
em Nisbero editi, sub titulo: *Comprehensio, confusio.*

*IOANNIS MARANGONI, PRESBYTERI VI-
ntini, Cathedralis Anagniæ jam Canonici, Thesaurus Pa-
ochorum, seu Vitæ ac monumenta Parochorum, qui san-
ctitate, martyrio, pietate, virtutibus, dogmatibus,
& scriptis Catholicam illustrarunt
Ecclesiam.*

Tomus I.

Romæ, ex officina Cajetani Zenobii, 1726, 4.
Alph. 3.

Astorum Ecclesiæ, quos *Parochos* vulgo vocant, tam difficilem esse conditionem, ut pauci salute beentur æterna, cum plures clesiæ Patres pronuntiarint, cumque hodie nonnulli ad id conmandum urgeant, perpaucos ex immenso isto Parochorum mero in Sanctorum Fastis inveniri; Reverendus Autor statuit orem hunc refellere, & eos in medium proferre, quos vel Ponces in censum Sanctorum adscripserunt adscribendosve judicaat, vel privata bonorum pietas titulo *Sancti* aut *Beati* condeavit. Nec vero soli curiositati satisfactum ivit Noster, sed hunc oque credidit sui laboris fructum fore, ut Parochi hodierni sanrum superioris ævi Parochorum gesta legentes, imitari studelaudabiles eorum mores. Venit enim ei in mentem, quod Belminus Episcopo cuidam, quanam via ad implenda officii sui nia facillime pervenire queat, roganti, respondit: *Legito*, inens, *vitas sanctorum Episcoporum ac relegito. Hanc namque m esse omnium expeditissimam, proprio didici experimento.* terum quæ hic tradit, ex ipsis se fontibus semper hausisse ait, orumque scriptorum verba retinendo fidelem, quam disertum, oricum videri maluisse. Quod si quis queratur, scriptoribus lis & accuratis permixtos hic esse minus bonos, ei respondet, sæpe id a se factum esse, ac nonnihil esse concedendum privatis

popu-

populorum traditionibus, nec ſpiritum devotionis critica hiſtoriarum vulgo receptarum cenſura exſtinguendum.

Totum Opus tribus Tomis conſtabit, quorum hic *primus* quatuor libros habet. Ac primus quidem liber triginta octo continet Capita, quorum *primo* de origine ac dignitate Parochorum agitur. Judicat ſcilicet Rev. Autor, Parochos ſucceſſiſſe LXX discipulis Chriſti, cum Papa ſit ſucceſſor Petri, & Epiſcopi ſint ſucceſſores reliquorum Apoſtolorum. Eorum dignitatem ex eo confirmat, quod & interfuerint olim ſubſcripſerintque Conciliis, & immediate in gradum Epiſcopalem evehi conſueverint, & poteſtatem habuerint excommunicandi, & ſtola, jurisdictionis ſigno, diſcreti ſint a ceteris presbyteris. *Cap. II* docet, primum Parochum in V. T. fuiſſe Abelem, in N. T. Chriſtum ipſum. Nec hinc ſolum elucere nobilitatem parochialis muneris, ſed ex eo etiam, quod parochis commiſſæ ſint animæ tam multorum hominum. Unde cum Chryſoſtomo concludit, Parochos ipſis regibus dignitate anteire, quippe corporalia duntaxat adminiſtrantibus: eoque minus dubitat, eorum nobilitatem eſſe ſuperiorem quavis nobilitate ſeculari. *Cap. III* ex hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptoribus copioſe demonſtrat, presbyteros primorum decem ſeculorum fuiſſe parochos, id eſt, curæ animarum adminiſtrandæ præfectos. *Cap. IV* veſtigia ſequens Thomaſſini & Morini, quorum e fontibus ſe hauſiſſe non diſſimulat, probat, Chorepiſcopos fuiſſe parochos a ceteris parochis nonniſi quibusdam Epiſcopalibus privilegiis diſtinctos. *Cap. V* de titulo *Parochi* agens, *parochiam* dictam eſſe putat quaſi *paræciam*, hoc eſt, *accolarum conventum*. Sed infra in *Addendis* p. 482 monet, ſe hic confudiſſe *parochiam* cum *paræcia*. *Parochiam* enim dici a παρέχω, unde *parochus*, id eſt, præbitor & copiarius; at *paræciam* eſſe a παροικέω, & ſignificare cœtum hominum una habitantium. *Cap. VI* recenſet eas Eccleſias, in quibus Capitulum ſeu Canonici exercent *parochialem* curam animarum, & quidem vel per ſe ipſos, vel per vicarios. Pari modo *Cap. VII & VIII* diſſerit de cathedralibus, itemque de collegiatis Eccleſiis curam parochialem annexam habentibus, & utrarumque catalogum exhibet, in quibus Archipresbyteri ſunt parochi. *Cap. IX, X, XI, XII, XIII & XIV* oſtendit, in Eccle-

:clesiis nonnullis Archidiaconos fungi munere parochiali, in
:ibusdam Decanos & Priores cathedralium Ecclesiarum, in aliis
æpositos talium Ecclesiarum, in aliis Cantorem vel Thesaura-
ım sive Sacristam. *Cap. XV* titulum Archipresbyteri conside-
:, tributum Parochis cum urbanis, tum ruralibus ecclesiarum
llegio Canonicorum carentium: itemque titulum Decani ru-
is. *Cap. XVI* de *Plebani* titulo verba facit, quem in eo ait differ-
a Parocho, quod hic uni, ille pluribus præfectus sit Ecclesiis.
p. XVII Præpositos ecclesiarum non Cathedralium exhibet pa-
:hiale munus exercentes. *Cap. XIIX* titulum contemplatur *Cu-
ti* sive *Curionis*, quod solet synonymum esse Parochi. *Cap. XIX*,
XX agit de vicariis tum perpetuis, tum amovibilibus, Parochia-
m Ecclesiarum, & de Adjutoribus Parochorum, ac Portiona-
, inde dictis, quod portionem aliquam accipiunt fructuum Pa-
:hialium. *Cap. XXI* docet, Rectoris titulum alicubi tribui Pa-
:his, & *Cap. XXII*, nonnullis locis Decanos vocari Parochos il-
, qui decem aliis suæ viciniæ presbyteris præsunt. *Cap. XXIII*
lum *Pastoris* illustrat Parochis tribui solitum. Esse, ubi Paro-
ıs vocetur *Prior*, vel *Parochus primitivus*, hoc est, primarius,
jectos sibi habens parochos alios; vel *Cappellanus*, vel *Abbas*,
Custos, discere licet e *Capitibus XXIV, XXV, XXVI* & *XXVII*.
ɔ. XXVIII docet, Abbates, Priores, & Monachos Ordinis S. Bene-
ti constitui solere parochos, & magnum exhibet hujus generis
ochorum catalogum: idemque *Cap. XXIX* exponit de paro-
s Ordinis Præmonstratensis. *Cap. XXX* de Commendatariis
t ecclesiarum Parochialium. *Cap. XXXI* inquirit, an Missiona-
Apostolici sint in numerum Parochorum referendi, idque ve-
ı esse, pronuntiat. *Cap. XXXII* ostendit, Parochos etiam extra
em Romam olim aliquando *Cardinalis* titulo præditos fuisse,
ıinc *Cap. XXXIII* de dignitate S. R. E. Cardinalium disputat,
que docet usque in medium seculi undecimi Romæ admini-
sse munus parochiale. Hac occasione delabitur ad eam quæ-
nem, ad quosnam pertineat electio Papæ, si forte accidat, ut,
ıncto Papa, nullus Cardinalis sit in vita: ac censet, tum Paro-
rum urbis Romæ fore, eligere novum Pontificem. *C. XXXIV*
ibet catalogum Presbyterorum tum Cardinalium, tum non

Cardinalium, qui in titularibus urbis Romæ ecclesiis parochiale munus administrarunt a S. Petro usque ad Silvestrum Pontificem: quem Catalogum *C. XXXV* continuat usque ad A. 1050. Profert hac occasione judicium suum de *Jacobi Corelli, Coloniensis*, qui A. 1406 Romæ vixit, *Chronico MS. Pontificum & Cardinalium a S. Silvestro usque ad Gregorium XII producto*, ac pluribus argumentis manifestum facit, tradi in eo incerta, fabulosa, & plane conficta, adeoque illud Chronicon fide indignum esse. Et hæc quidem cum scriberet, non dubitabat, Corellum esse verum autoris nomen. At inferius *lib. II cap. IX p. 322* narrat, se tandem in Allatii *Animadversionibus in libros Alphonsi Ceccarelli* verum Corelliani Chronici conditorem reperisse, famosum scilicet illum ipsum impostorem, Ceccarellum, quem constat sub Papa Gregorio XIII Romæ, postquam Instrumenta publicam fidem adulterantia sustinuisset confingere, capitis pœnas eo nomine luisse. *C. XXXVI* Autor noster Pontificum Romanorum catalogum producit eorum, qui prius fuerant Parochi. Horum etiam scripta recenset duce (id quod ipse fatetur,) Augustino Oldoino *in Athenæo Romano.* Fuerunt autem hujus generis Pontifices octoginta sex, inter quos ultimum locum tenet Hadrianus VI. Horum e scriptis unam commemorare lubet Æneæ Sylvii sive Pii II epistolam, p. 155 exhibitam, & ad Carolum Cyprianum exaratam, in qua graviter dolet, se juvenem edidisse *Historiam amorum Euryali & Lucretiæ*, istumque librum abjici jubet ac respui. Docet hic etiam Noster, A. 1524 ex officina Oporini, Basileensis typographi, prodiisse ejusdem Papæ carmen, inscriptum *Antidotum ad præcedentem Euryali & Lucretiæ historiam*, cum *Prosa ejusdem Antidoti. Cap. XXXVII* exhibet Cardinales ab A. 1050, qui prius fuere Parochi. Horum & scripta enumerat & vitas paucis describit. Hic igitur occurrunt (ut clarissimos omnium laudemus,) Cæsar Baronius, Cœlestinus Sfondratus, Franciscus Ximenius, Franciscus Zabarella, Guilielmus Sirletus, Joan. Gropperus, Josephus Saenz de Aguirre. Tandem *C. XXXIIX* producuntur Cardinales aliique viri Principes ecclesiarum parochialium Commendatarii.

Libro secundo proferuntur ordine alphabetico vitæ parochorum, qui *sanctorum* vel *beatorum* titulo a sede Apostolica, vel ejusdem

a aut Episcoporum tolerantia a particularibus ecclesiis vel ab iquis scriptoribus decorantur. Quorum etsi magnum exhibet alogum, facile tamen credit, se majorem numerum silentio eteriisse ob historicorum monumentorum penuriam. Nos & ic excerpemus clarissimos, eorumque nomina producemus, ut unt lectores nostri, ubi plura de singulis cognoscere queant. odit igitur hic Anscharius, Archiepiscopus Hamburgensis & :mensis; Anselmus, Archiepiscopus Cantuariensis; Augusti-, cujus vitam a quatuor viris singulari cura descriptam esse No- ait, a Possidio, ab Aloysio Torello in *seculis Augustinianis*, a briele Pennoto in *Historia tripartita sacri ordinis Clericorum nonicorum, libro primo*, & nuper a Cæsare Benvenuto a Crema, nonicorum Lateranensium Abbate, octo libris A. 1723 in 4 im- ssis in oppido Præneste; Basilius M. Cyprianus; Franciscus esius; Hieronymus, quem Cardinalem fuisse, e plurium te- noniis probatum it veterum scriptorum, laudans etiam Al- onsi Ciaconi A. 1584 Venetiis editum librum *super Cardinala- S. Hieronymi*; Jacobus de Vitriaco; Joannes Gerson; Chry- omus; Winfridus sive Bonifacius, Archiepiscopus MoguntI- & Martyr. *Libro III* sistit quinque parochos, quorum beatifi- onis vel canonizationis causa nunc versatur in sacra Congre- one rituum, eorumque vitas exhibet confectas autoritate Pa-

Hos quidem tamdiu nobis licebit silentio præterire, donec so- nis canonizatio clariores eos reddiderit sicut in cœlo, ita & in a. Denique *libro quarto* Rev. Autor eos exhibet parochos, qui lionarii facti martyrium subjerunt inter infideles vel hæreti-

Toti operi *p. 469–489* subjiciuntur *Corrigenda & Addenda*, uibus p. 470 sq. reperimus vitam Melch. Kleselii, & p. 472 sq. m Stanislai Hosii, Cardinalium. Illud postremo tacere no- us, esse in manibus nostris schedulam, secuturorum duorum morum argumenta repræsentantem. Scilicet secundus To- s libros continebit tres, quorum *primo* exponentur vitæ paro- rum 1500 & amplius, ad Episcopalem dignitatem evectorum; *ndo* parochorum eruditione clarorum, cum catalogis ope- & editionum eorundem; *tertio* eorum parochorum, qui re- ones, congregationes, ecclesias, vel alia pia loca fundarunt.

Tertii Tomi priore libro vitæ proferentur parochorum illorum, qui cum sanctitatis opinione ex hac vita emigrarunt, item qui victimæ caritatis effecti, tempore pestis in proximi salutem se morti obtulerunt; posteriore ducenti autores & amplius nominabuntur, qui de Parochis & eorum officio singulares libros conscripserunt.

DE LEGIBUS HEBRÆORUM RITUALIbus & earum rationibus Libri IV, Autore JOAN. SPENCERO, S. T. D. Ecclesiæ Eliensis Decano & Colleg. Corp. Christi apud Cantabrig. Præfecto. Editos, MSS. cum testimoniis autorum laudatis recensuit, & indices adjecit LEONARDUS CHAPPELOW, S. T. B. Coll. S. Johan. Cantabr. Socius & Professor Arabicus.

Cantabrigiæ, apud C. Crownfield, 1727, fol.

Alph. 14.

NE actum acturi, aut post Homerum Iliada scripturi videamur, tribus prioribus hujus elaboratissimi Operis voluminibus hic denuo recensendis jure supersedemus, utpote quorum summam mense Martio A. MDCLXXXVI in Actis nostris jamjam fuisse exhibitam, in memoriam revocamus; quamobrem quemvis novarum ac singularium, quas in lucem orbis eruditi *Spencerus* proposuit, opinionum pernoscendarum studiosum lectorem eo nos ablegantes nemo reprehendere poterit. In singularibus vero hujus recentissimæ pariter, ac nitidissimæ editionis, de qua post Autoris fata *Leonhardus Chappelow*, Professor Arabicarum literarum hodie Cantabrigiensis, præclare meritus est, breviter summatimque recensendis nostra in præsenti versabitur opera. Aucta enim hæc est non modo passim, ut infra docebimus, sed & imprimis ea commentatione, quam ipse *Spencerus*, ut in modo allegata recensione nostra jam annotavimus, olim promiserat, ita quidem, ut illa *Libri IV* hic occupet locum, in quo *de ritibus & institutis Hebræorum a gentium usu desum-*

imptis, nullibi vero a Deo præceptis aut ordinatis, fuse disse-tur.

Quemadmodum nimirum Clarissimus *Spencerus* in *tribus*, uos primum ediderat, *Libris* ingenio suo intemperanter abusus at, dum evincere volebat, ipsum Deum ex religiosis gentilium, axime Ægyptiorum, cerimoniis nonnullas, immo plurimas, d ab adhærente gentilismi fece cultuque profano purgatas, l sacrum transtulisse usum: ita in hoc *quarto* volumine omnem uditionis suæ apparatum eo contulit, ut sibi aliisque persuade-t, ecclesiæ Judaicæ antistites œconomiam & συγκατάβασιν lam divinam imitatos, nonnulla profanæ gentis instituta in sua onte admisisse sacra, adeo, ut rituum Judaicorum ex paganis ntibus derivatorum alii præscripto ipsius optimi maximique uminis deberent originem, alii vero ex imitatione populari, iam piam tamen & prudentem in *præfatione* honoris causa no-inat, sine diserto Dei jussu in cultum Judæorum publicum di-anaverint. Absolvitur, ut ad rem propius deveniamus, hic ipse ber XV *Capitibus*, ubi ejusdem generis Hebræorum cerimoniæ, e divino nutu, sola præsulum autoritate introductæ, sigillatim mmemorantur.

Et *Capite* quidem *I* congregatio fœminarum ad ostium ta-rnaculi *Exod. XXXVIII* memorata exempli gratia profertur: i conjecturæ ut species aliqua veritatis concilietur, ad Ægypti-fœminas, in Isidis potissimum & Cereris cultu occupatas, pro-catur, adjectis argumentis, explosisque objectionibus. *Cap. II* æ libationem *1 Sam. VII, 6, 2 Sam. XXIII, 16, Joh. VII, 37, 38* ponit, hujusque originem ex Ægyptiorum, Syrorum, Roma-rum, Græcorumque consimili ritu deducit. *Cap. III* Autor Mu-en, eandemque & vocalem & instrumentalem, ex gentili super-ione in Judaica sacra translatam esse contendit, hancque sen-tiam suam mascule vindicatum ivit. Idem *Cap. IV* saltationes ue choreas in sacrificiis, hilaribusque & festis diebus, maxime κηνοπηγίας solemnitate, usitatissimas, non ex Dei præscripto, e profana gentium paganarum superstitione ad Judæorum isisse usum, affirmare eo minus veretur, quo exploratius ipse et, ejusmodi saltationes, ubi una cum fœminis viri commisce-

 ban-

bantur, lasciviæ & licentiæ populari utramque patefecisse fenestram. *Cap. V* ramorum circumgestationem, in festo tabernaculorum usu receptam, cujus *Josephus* lib. 3 antiqu. cap. 10, & *Maimonides* in Lulabh. cap. 7 §. 23, mentionem faciunt, cum iis ramis, quos in honorem Minervæ circumferebant θαλλοφόροι, & cum Attica festivitate, quam ὀσχοφόρια vocabant Athenienses, aliisque gentilium huc pertinentibus institutis comparatam, ex iisque derivatam, prolixe exhibet. In *Cap. VI* lucernarum accensionem in Sabbathis & encæniis maxime observatam, & *Cap. VII* vinctorum liberationem, quæ in festo Paschatis accidebat, *Joh. XIIX, 39*, a gentilibus accepisse Judæos, haud parum luculenter traditur. Cumprimis *Caput VIII* vel propterea memorabile est, quod non solum Judaica in tabernaculo & templo usitata, sed & Christiana antiqua, templa, altaria, martyrumque sepulchra circumeundi consuetudo, a gentilibus orta censeatur, quippe cum & hi circa templa, idola, altaria, heroumque suorum deambulaverint sepulchra. *Cap. IX* in cerimoniarum a Judæis sine divino nutu e gentium sacris arcessitarum numerum referuntur ritus funebres & sepulchrales, sigillatim 1) tubicinum usus in exsequiis, 2) defuncti lotio, 3) compositio, 4) epulum funebre, 5) luctus funebris cerimoniæ, 6) sepulchrum circumeundi ritus, & denique 7) pyramidarum erectio. *Cap. X* ritus in deferendis Hierosolymam primitiis observatos, *XI* nudipedalia cum sacerdotum, tum gentis totius, *XII* lotiones Hebræorum quotidianas, easque partim totales, partim partiales ante prandium, *XIII* purificationes seu baptismum, 1) quoad initiationem, 2) expiationem, 3) sanctitatem vel regenerationem, 4) purgationem, *XIV* annuam encæniorum celebrationem, & *Cap. XV* denique morem Judæorum orandi versus templum recitat, eo consilio, ut omnia hæc instituta ab Hebrææ gentis præsidibus, injussu Dei, a commentitiorum Deorum cultoribus petita, & ad cultum vero Numini exhibendum translata fuisse, extra omnem, prout Autoris quidem nostri sententia fert, dubitationem collocetur.

Atque hæc est summa *libri quarti Spenceriani* operis recens editi, cujus recensendæ fidem nos initio dedimus. Singularis *Spenceri* opinio, quam, tanquam Helenam suam, novis hic exornavit

avit pigmentis, uti a nobis sub examen haud revocari potuit, ita uin varias eruditorum sit expertura censuras, nulli dubitamus; uandoquidem eandem in tribus prioribus libris propositam peraucorum promeruisse calculum, constat inter omnes.

Proximum est, ut, quæ operi adjecta est, pereruditam *de natura & origine phylacteriorum Judaicorum*, ab Autore itidem jam udum promissam, Dissertationem contemplemur. Phylacteria ter præcipua pietatis Judaicæ indicia vel instrumenta jure merioque connumeranda esse, ex *Chaldæi Paraphrastis*, ac *Maimonis* testimoniis, ut & celebratissimis Judæorum effatis, in præfaone evincitur. Quemadmodum vero tria sunt Phylacteriorum enera, nimirum טטפות quæ capiti, תפילין quæ manibus, & מזוזו quæ postibus affigebantur; ita non nisi de duobus istis, æ primo loco nominantur, hic instituitur tractatio: quorum *ap. I* fabrica, id est, materia & forma indicatur, adjectis, majoris erspicuitatis ergo, & Phylacterii capitis, & Judæi precibus atten-, adeoque תפילין, טלית & ציצית instructi, imaginibus. At *ap. II* Nomina 1) Hebræa טטפות & תפלי[illegible] 2) Græca, φυλακτήρια & ἀσάλευτα, enucleantur. Porro *Cap. III* Phylacteriorum origo non Deo tribuitur, contra quam *Justinus Martyr*, *Hieronymus*, *Theophylactus*, aliique recentiores eruditi opinan-, verum potius *Cap. IV* 1) e certis sacræ Scripturæ locis, quæ hic abusu vindicantur, perperam intellectis, 2) ex amuletis, lamis aut chartulis, quæ characteribus ethnicis & magicis exaratæ ant, consimilibusque gentilium ritibus in ecclesiam Judaicam opagatis deducitur, additurque 3) hujus conjecturæ defensio. *p. V* usum & intentiones horum Phylacteriorum religiosas ac erstitiosas, & *VI* antiquitatem, quæ sub exeuntis Judaismi temra refertur, ob oculos ponit. Tandem *Cap. VII* huic ipsi dissertioni finis imponitur corollario, in quo ex doctrina de Phylariis concluditur, Judæos profunda scripturarum, linguarum, iquitatum ethnicarum, propriarumque traditionum ignoranlaborare.

Præter insignes has, quas hactenus commemoravimus, acsiones, *libro* etiam *primo* pariter, ac *secundo*, nonnulla nova ca-, & eo quidem ordine, quo Autor voluit, ab Editore interserta, exhi-

exhibentur: ubi semel electa hypothesis, Deum videlicet ipsum, idololatriæ velut indirecte obviam iturum, cerimonias Judaicas tantum non omnes a profanis Deorum cultoribus depromsisse, nova capit præsidia. Ita enim statim *Lib.I Cap.II*, quod integrum de novo adjectum est, ex instituto evincitur, Decalogum non pro norma vitæ morumque universali admittendum, verum genti duntaxat Israeliticæ promulgatum divinitus esse, idololatriæ præcavendæ & eradicandæ gratia; id quod 1) de prioris, 2) de alterius tabulæ præceptis ostendit Autor, sibique hac ratione, 3) viam paravit ad comprobandum, leges quoque rituales eodem consilio a supremo legislatore fuisse datas: qua de re postea exposuit. Ejusdem libri *Cap. VI* docet, per legem Mosaicam gentium profanarum ab Israelitis, tanquam אנשי קדש *Exod. XXII, 31*, factam esse separationem, eamque 1) politicam non minus, quam naturalem; hancque 2) idololatriæ etiam fuisse impedimento. Qua occasione 3) lex illa perobscura *Deut. XXIII, 2*, de ממזר, quæ vox, explosis aliorum opinionibus, per *alienigenam*, *extraneum*, seu *gentilem* hic exponitur, lucem accipit, applicaturque 4) ad primariam hypothesin. Cui pariter corroborandæ *Cap. IX* inservit, de festis Hebræorum septiduanis, menstruis, annuisque exponens, remque per singula eundo demonstrans. Sic & *Cap. XIV* leges Judaici populi cerimoniales sive rituales in medium affert, probatque, 1) eas valde onerosas molestasque exstitisse, præcipue cum 2) numerosæ, inutiles, severæ, sumtuosæ, operosæ, novæque fuerint; indeque adeo consequi, 3) ut idolorum cultui obstiterint: tum 4) respondetur ad objectiones. Jungitur sub finem hujus voluminis *nova Dissertatio* de ratione legis usuram prohibentis, *Exod. XXII, 25, 26, 27*, alibique promulgatæ, ubi, sensu & scopo legis indicato, potiores ejusdem rationes, *a parte Dei*, & *a populi Judaici, regiminis, terræ, religionis*, *legumque* aliarum ad politiam Hebræorum pertinentium indole ac natura desumtæ, suppeditantur, ultimoque loco dubiis aliquot obviam itur.

Jam ad nova *Libri II* additamenta quod attinet, *Cap. VII* inter ea primum sibi vindicat locum, ubi lex de juvencula in valle aspera decervicanda, quæ *Deut. XXI, 3, 4* sancitur, enarratis ejusdem causis, obiter modo, ac veluti per transennam explicatur. *Cap. XVI*

VI legem pertractat de variis divinationibus inhibitis *Levit.* IX, 26, in qua Ebræa vox נחשׁ latiori ambitu non solum l ὀφιομαντείαν, sed & ad ὀρνιθομαντείαν, reliquasque divinatio- es refertur. Subsequens *Cap. XVII* agit de temporum observa- one *Levit. XIX, 26*, edocetque, hanc ea mente a Deo fuisse inter- ictam, ut περιεργίαν gentilium superstitiosam & magicam, qua es certos aut albo aut nigro lapillo notabant, a populo Judaico pelleret. In *Cap. XXI* lex, quæ ad אובות *Levit. XIX, 31*, respi- re Judæos vetabat, exponitur, ita quidem, ut, voce אבות de Spi- tu Pythonico seu fatidico explicata, rituque consulendi Pytho- es gentili, maxime Ægyptio, declarato, legis cautæ rationes reli- æ tractationis utramque faciant paginam, quas inter præcipua t, ne Israeliticus populus ob *Obboth* illos Ægyptios, virtutem opheticam mentientes, veros ac genuinos vates contemtui ha- ret. *Cap. XXII* vox משׂכית hoc est, lapis Syrorum & Ægyptio- m idololatricus, ex *Levit. XXVI, 1*, erudite describitur: sicut *Cap. XXIII, Levit. XXVI, 30*, alibique memorata במות seu Ex- lsa gentilium complectitur, quæ sunt vel *naturalia*, id est, mon- , in quibus exstruebantur delubra, aræ, hujusque generis alia ltus profani instrumenta, vel *artificialia*, quo numero altaria, lumnæque præaltæ habentur. Peculiari *Dissertatione*, *Cap.* *XIV* inserta, de Tyriorum *Gammadim* ad *Ezech. XXVII, 10, 11*, ctatur, quo nomine simulacra parvula, eaque plerumque pitalia, in domibus aut turribus paganorum, in earum tute- n erecta, insigniri dicuntur. *Cap. XXV* חמנים *Exod.* XII, 1 illustrat, hacque appellatione statuas vel columnas al- res, ligneas aut lapideas, ad Obelisci vel Pyramidis Ægyptia- similitudinem formatas, & ad Deorum cultum usurpatas, in- itari probat. *Cap. XXVIII* legem de מצבה ab altaris confinio novenda ex *Deut. XVI, 21, 22* exponit, hancque, sicut & reli- a hactenus recensita, non nisi ad idololatriam averruncandam, eo prohibitam esse observat. Eodem quoque legem, qua Eu- chi ab Ecclesia Dei arceantur, *Deut. XXIII, 1*, respexisse, *Cap.* *XIV* ostendit, eamque vindicat.

Claudit alterum volumen propter argumenti similitudinem

 Disser-

Dissertatio nova, eaque lectu perquam jucunda, in distichon illud *Martialis* vexatissimum, *Lib. XI Epigram. 95:*

Ecce negas, jurasque mihi per templa Tonantis.
Non credo: jura, Verpe, per Anchialum.

Ex ipsa nimirum carminis connexione lucide apparet, fuisse Romæ poetam quendam Judæum, qui, cum *Martialis* puerum deperiret, quin etiam pædicasse ferretur, interposito per *templa Tonantis* jurejurando, se purgaturus erat. *Spencerus* noster, *Seldeni*, *Grotii*, *Hammondi*, & aliorum de hocce juramento examinatis sententiis, in eam tandem ipse ingreditur opinionem, latuisse in eo ambiguitatem; quandoquidem Judæus subdolus non tam per templa *Jovis*, quam potius *Jovæ* juravisse videatur: ut adeo haud mirum sit, cur is apud *Martialem* suam decoxerit fidem. Per *Anchialum* vero, celebrioribus doctorum sententiis recensitis atque rejectis, intelligit ipsum illum *Martialis* puerum: & *juramentum per Anchialum* eo nomine prætulisse Martialem, quod ei non credibile videretur, Judæum per huncce amasium suum pejeraturum, eumque diris devoturum, cum ipsi metuendum esset, ne is ad iram provocatus, nudam apertamque veritatem proderet.

Subnectuntur indices rerum, locorum Scripturæ, & autorum Græcorum, Latinorum, Anglicorum, Hebræorum, Chaldæorum, Syrorum & Arabicorum, una cum eleganti operis Talmudici, *Mischnæ*, & totius *Jad Chazakah* Maimonidis, dispositione, ubi utrinque commendantur doctissimi viri, qui unam vel alteram partem Latine transtulerunt. Ceterum Clarissimus Editor Autores allegatos ipsemet evolvit, errata in citando commissa correxit, nihilque a se desiderari passus est, quod aut ad nitorem aut ad perspicuitatem operis facturum existimavit.

CURSUS PHILOSOPHIÆ ECLECTICÆ XXXVII Tabulis, iisque paulo plenioribus delineatæ, a JACOBO WILHELMO FEUERLINO, Professore Altdorfino.

Altdorfii & Norimbergæ, apud Jul. Arnold. Engelbrecht, 1727, fol.

Non

NOn sunt logodædalicæ hæ Tabulæ, sed succiplenæ, & Philosophum eclecticum in nuce exhibentes. Uniuscujusque enim disciplinæ philosophicæ summa capita hic traduntur perspicuo ordine & abdicatis, quantum fieri potuit, præjudicatis opinionibus. Ac prima quidem Tabula agit de Philosophia in genere; subsequentes septem persequuntur Historiam philosophicam; nona Philosophiam theoreticam generatim considerat; decima & undecima Arithmeticam exhibent & Geometriam, una cum duabus tabulis æneis; sequentes novem exponunt Physicam; vicesima prima & secunda tradunt Pnevmaticam; duæ subjectæ Theologiam naturalem & Ontologiam sistunt; vigesima quinta contemplatur Philosophiam practicam in genere, dividens eam in duas partes, quarum una actiones intellectus dirigit, altera actiones voluntatis; hinc tres sequentes exhibent Logicam, vigesima nona Criticam, trigesima Didacticam; trigesima prima & sequens Ethicam; tres subsequentes Jurisprudentiam naturalem; postremæ duæ prudentiæ publicæ & privatæ regulas repræsentant. Non est nostri moris, compendium compendii exhibere. Placet tamen pro specimine nonnihil proferre. *Tab. XXI* ait, modum, quo per sensationes ideæ oriuntur, nesciri, rem tamen ipsam, quod scilicet ideæ inde oriantur, in dubium vocari non posse, adeoque nel ex eo labefactari systema harmoniæ præstabilitæ, quod cum scepticismo Idealistarum non pugnare existimat. *Tab. XXII* spectra plurima deberi censet imposturæ sacerdotum & aliorum sinistrorum hominum, superstitiosorum & nimis credulorum erroribus & fallaciis: tantam quippe vim esse imaginationis per varia infantiæ terriculamenta, aliorum relationes aliasque causas præoccupatæ, ut phantasmata fictitia a sensationibus veris, & ab his subsequentia præcipitata & falsa judicia vix satis distinguere liceat. *Multum ergo tribuerem*, inquit, *duobus imperterritis testibus sine prævia communicatione idem expertis.* Caveri item jubet, ne rationibus S. Scripturæ falsum e præconceptis opinionibus affingamus sensum. Unde *1 Sam. XXVIII*, negat, Sauli visum esse Samuelem, & Pythonissam, se ipsum videre dicentem, mentiri potuisse. De magis & sagis judicat innumeras circumferri fabulas, e criteriis fidei historicæ rejiciendas: nonnulla tamen ita esse com-

parata, ut indicia dæmonum malorum probabilissime habeantur. *Tab. XXIX & XXX* etiam ars exegetica & disputatoria exhibentur satis concinne. *Tab. XXXIV* judicat, conjugium fratris cum sorore jure naturali incestuosum non esse: id enim qui statuat, eum non posse non concedere, totum genus humanum ortum esse ex incestuosis nuptiis liberorum Adami. Jus Principum circa sacra breviter, sed summorum insistens Philosophorum vestigiis, describit *Tab. XXXV*. Et hæc quidem e tanto philosophicarum sententiarum cumulo sufficiant.

AN INSTITUTION OF FLUXIONS &c.

hoc est,

INSTITUTIO FLUXIONUM, CONTINENS prima principia & operationes una cum usu & applicationibus aliquot methodi hujus admirandæ; Autore HUMFREDO DITTONO, nuper Magistro Scholæ novæ mathematicæ in Orphanotrophio Christi. Editio secunda, revisa, correcta & aucta a JOANNE CLARKIO, Th.D.

Londini, apud Jacobum & Johannem Knapton, 1726, 8.

IN gratiam tyronum Geometriæ sublimioris has Institutiones *Arithmeticæ Fluxionum*, quam vocant Angli, seu vulgo sic dicti calculi differentialis, cum conscripserit Cl. *Dittonus*; id imprimis agit, ut notionem *Fluxionum* explicet ac fundamenta calculi inde eruat. Secutus autem est schema, quod Vir magno suo merito summus, *Isaacus Newtonus*, Tractatui Quadraturarum præfixit, ut adeo Commentarii instar habendus sit hic liber in propositionem primam illius, qua Algorithmus iste continetur. Cum lineæ

Sect. I. continuo motu punctorum, superficies motu linearum & solida motu superficierum gignantur, ideo magnitudines tanquam *fluentes*, seu fluxu continuo mutabiles, considerantur, & hinc *fluentes* a *Newtono* appellantur; velocitates vero, quibus continua incrementa, quæ non tanquam actu generata, sed tanquam nascentia spectantur, *fluxiones* vocantur. Velocitas hic consideratur incre-

menti

nenti non actu geniti, sed nascentis, aut ad realem existentiam
endentis, propterea quod in incremento actu genito concipi de-
eat infinita varietas sive series velocitatum, atque adeo velocitati
espondere nequeat notio clara, distincta & determinata. Hinc in-
ert Noster, fluxiones quantitatum fluentium invenire, idem omni-
o esse ac relationem velocitatum motuum determinare, quibus
læ quantitates fluentes describuntur, & e contrario ex fluxione
perire fluentem, perinde esse ac ex relatione velocitatum geni-
icium determinare magnitudines, quæ iisdem gignuntur. Infert
orro, fluxiones esse exacte in ratione incrementorum nascenti-
n, cum velocitates in primo momento generationis, quo omnis
æqualitas exspiret, sint spatis proportionales. Quamobrem re-
tionem velocitatum, quibus quantitas fluens describitur, inven-
rum sumere debere incrementa eadem temporis particula ge-
ta & primam eorum rationem in statu nascentiæ, vel ultimam
statu evanescentiæ considerare tanquam relationem fluxionum.
ostquam huic notioni conformiter relationem fluxionum in va- Sect. II.
s casibus magnitudinum genitarum terminis ordinariis expres-
n demonstravit, inde ad notationem fluxionum progreditur, ab- III.
de notam, ut de eadem dicere superfluum existimemus. Algo-
bmum fluxionum expositurus, solvit problema *Newtoni: data* IV.
uatione, quæ aliquot quantitates fluentes involvit, invenire
isdem fluxiones, idemque demonstrat. Hinc demum quanti-
um fluentium fluxiones capiendi regulas deducit, quæ apud
s differentiandi regulæ appellantur, & in usu calculi familiares
e debent. Subnectit huic tractationi alteram de fluxionibus se- V.
ıdis, ubi demonstrat, regulas easdem hic obtinere, quas pro flu-
onibus primis dederat. Addit quoque fluxiones Logarithmo- VI.
n & quantitatum exponentialium, secutus ea in re vestigia cele-
rimi *Joannis Bernoullii* in Actis Eruditorum, quemadmo- VII.
n in præfatione ipse confitetur. A methodo directa ad inver- VIII.
ı progreditur, qua ex datis fluxionibus investigantur fluentes,
regulas fundamentales methodi inversæ ex directa deducit &
eteris ad *Cheynaum* & *Moivraum* lectorem ablegat. Et quo-
m calculi applicationem consuetam apud Anglos ex instituto
um tradidit *de Hayes*, quemadmodum a nobis annotatum est

Sect.IX. in Actis A.1705 p.474, ideo Noster nonnisi selecta quædam problemata exempli loco proponit, quæ inter *Bernoullianum* de curva celerrimi descensus, & *Leibnitianum* de curva isochrona compa- ret. Ultimo loco exhibet specimen usus fluxionum in Dioptrica & Catoptrica, quod nititur lemmate quodam *Newtoniano.*

PITHOMETRIÆ THEORIA ET PRAXIS nova &c. quarum illa post partes priores III, antehac separatim editas, addita ultima suppletur, altera recens editur a JOH. MATTHIA HASIO, Math. P.P.O. Witteb.

Wittebergæ, ap. hæredes God. Zimmermanni, 1728, 4.
Plag.19 cum 2 fig. æn.

TRactationis hujus Cl. Autor, Collega noster, in præf. occasionem scriptionis commemorat, suppeditatam a Viro Cl. Christiano Martini, nunc quidem Professi. Academiæ scientiarum Petropolitanæ, tum verò Wittebergæ studiis imprimis Mathematicis excolendis occupato: qui cum specimen profectuum in Algebra factorum more Academico editurus esset, materiam de dimensione doliorum, tanquam publico admodum utilem, elegit, atque adeo Autorem, cujus institutione utebatur in illis disciplinis, compellavit, ut ipsum in elaboratione adjuvaret atque dirigeret. Hoc labore suscepto, tres priores ad theoriam doctrinæ hujus spectantes partes forma disputationum Academicarum tum quidem statim publicatæ fuere, sed cum reliquarum partium editio hactenus aliquam remoram passa fuisset, hunc defectum supplere, & completam, prouti destinatio quoque prima fuerat, tractationem jam exhibere Nostro visum fuit. Est vero, ut in compendio dicamus, methodus & institutum Autoris tale, ut in utraque parte & theoretica & practica aliorum sententias & praxes magno numero allatas examinet, ponderet, & solutiones problematum Pithometricorum varias conferat, & quantum auxilii ab Algebra & Analysi recentiori in iisdem expectari possit, exponat.

Primo ostendit, vix esse spem, ut determinatio figuræ doliorum Geometrica vel Algebraica, qualem tentavit Illustris *Bernoullius,*

us, aliquid ſubſidii afferat in hac inquiſitione, dimenſionis ſcili-
:t doliorum, imprimis quia curvarum illarum definitiones for-
ıulas ſubminiſtrant, quæ Arithmeticam integrationem reſpuunt;
ıde recurri merito autumat ad hypotheſes rationabiles, de natura
. figura curvæ doliaris; adeoque exhibet ſolutiones in ſuppoſi-
ɔne dolii comparati *cylindro æquatarum baſium vel diametro-
ım baſeos*, *cono duplici truncato*; inque ſuppoſitione curvæ
rcularis Ellipticæ, parabolicæque, factæ partim a parabola trun-
ta, circa axin primarium, partim circa lineam ſemiordinatæ
l axin primarium parallelæ rotata. Quam poſteriorem ſup-
ɔſitionem tum aliis de cauſis, tum propter inferiora reliquis
æfert.

Scilicet in ea parte, qua de dimenſione doliorum ſemipleno-
m & quidem in ventrem cubantium agit, obſervat liquoris re-
lui quantitatem methodice reſolvi in duplicis generis partes:
ediam, cujus dimenſio in qualibet ſuppoſitione curvæ doliaris,
l circularis, vel ellipticæ, vel parabolicæ, facile habeatur, & bi-
s partes ad latus ejuſdem corpora trihedrica quædam conſtitu-
tes, quarum dimenſio per conſuetas calculi integralis regu-
non aliter haberi poſſit, quam ſi ſuppoſitionem ſecundam de
ura dolii parabolica ſecundo loco memoratam adoptemus.
ıæ ſuppoſitio adeo, ex eaque deducta reſolutio, eo gratior eſt,
ia ſimul corollarii loco exinde ſequitur, liquores reſiduos quoſ-
ıque in doliis, quorum ratio diametri ventris & fundi eadem,
nper eſſe in proportione Geometrica directa altitudinum.

Unde adeo in parte altera, in qua de praxi per virgas agitur;
n vulgarium virgarum quadraticarum & cubicarum, (quarum
ita fiunt, ut doliorum proportiones in transverſa ex orificio
ii ad extremum fundi ducta capiantur) nævos expoſuiſſet, com-
ndaſſetque pro doliis plenis metiendis potius cubicas virgas ta-
, quarum applicatio fit ad diametros ventris vel fundi ipſos vel
altitudinem dolii (cognita ſcilicet ſpecie dolii ſive proportio-
quam habet diameter ventris ejus ad diametrum fundi) tandem
praxi dimetiendorum doliorum proponit ſcalam aliquam Pi-
metricam ex fundamentis illius corollarii deductam.

Scala hæc non eſt alia quam curva aliqua, cujus abſciſſæ re-
ſpon-

ſpondent altitudini liquoris in dolio ejusmodi ſemipleno, ſemiordinatæ vero quantitati liquoris reſidui. Unde adeo priori cognita, poſterior ex illa figura per applicationem circini ad curvam & adjectam ſcalam cantharorum ſive menſurarum liquidi ſuetarum obtinetur. Servitque una ejusmodi curva deſcripta non ſolum pro omnibus doliis eandem proportionem diametri ventris & fundi & altitudinem dolii duplam diametri fundi habentibus, quantumvis de cetero differant magnitudine, verum & pro doliis altitudinis cujuslibet alius. Ita ut, ſi pro omnibus caſibus & ſpeciebus doliorum, (quæ ſaltem pro ratione proportionis inter diametros ventris & fundi variant) parati eſſe velimus, ſaltem alias ejusmodi curvas, vel ſcalas Pithometricas, numero ſane non admodum multas, deſcribi opus ſit. Sub finem præfationis Autor ſpem facit ſe editurum tractationis hujus compendium ad captum & praxin vulgi accommodatum Germanico ſermone.

JOANNIS BAPTISTÆ MORGAGNI, Primarii Profeſſoris Patavini & Regiæ Londinenſis Societatis Sodalis, Epiſtolæ Anatomicæ duæ, novas Obſervationes & Animadverſiones complectentes, quibus Anatome augetur, Anatomicorum Inventorum Hiſtoria evolvitur, & utraque ab erroribus vindicatur.

Lugduni Batavorum, apud Joannem Kerkhem, 1728, 4.
Alph. 1 pl. 18.

COmpoſitas fuiſſe, quæ Morgagnum inter & Blancum interceſſerant, lites, Lanciſii interpoſitione, in Actis 1720 Menſe Martio pag. 144, illius Adverſaria Anatomica omnia recenſentes, monuimus quidem, datam vero fidem diu ſervatam haud eſſe, tempus docuit. Poſtquam enim Johannes Baptiſta Blancus Hiſtoriæ Hepaticæ ſuæ novam paravit editionem & Animadverſiones adjecit, novis inſultationibus Morgagnum aliosque in illis laceſſere non dubitavit. Unde irritatus Morgagnus Blanci Hiſtoriam Hepaticam, ejusque tabulas, orationes, animadverſiones, examinavit, errores graphice depinxit, ſe, Malpighium, & Lanciſium defendit, huncque laborem amicis duabus in Epiſtolis communicavit,

cavit, quas dignas judicarunt iidem quæ divulgarentur. Cujusmodi lites tametsi nostras facere haud soleamus, negare tamen non possumus, contineri in præsentibus Epistolis haud vulgaria, quæ ad subtiliorem Anatomen, hepatis potissimum, spectant. Siquidem in iis disseritur de ligamento hepatis suspensorio & dextro, de trunci venæ cavæ habitudine, de naturali jecoris positu, sede & figura, de eminentiis & lobulis hepatis, de arteria hepatica, de cystis felleæ sede, de angulo meatus cystici cum ductu hepatico, de ingressu venæ portæ ad hepar, de venæ cavæ exitu ex hepate, de ramulorum venæ cavæ orificiis hiantibus, de vasis lymphaticis jecoris, de productionibus membranaceis inter pancreas & cysternam chyli, de ductu choledocho, de hepatis foveis, de funiculis, quos intercostalis & spinales nervi suppeditant, de ductibus hepati-cysticis & cyst-hepaticis in homine, de calculis vesicæ felleæ, de reticulata intimæ faciei folliculi fellis structura, de valvulis canalis cystici, de glandulis folliculi ejusque ductuum, de tunicis cystis, de sinubus ductus hepatici, de venæ portæ structura, de bilis & hepatis usu, hujusque morbis. Imprimis legi merentur, quæ Clariss. Morgagni pag. 45 de dilatatis ductibus cysticis, pag. 46 de calculorum vesiculæ biliaris colore, figura, consistentia, & diagnosi, pag. 68 de vesicæ urinariæ tunica media musculosa & figura, p. 74 de viperæ anatome, p. 92 de Academia & Professoribus quibusdam Bononiensibus, & p. 96 de Inventis Anatomicis disserit.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE de Louis XIV.

h. e.

COMMENTARII AD HISTORIAM LUDOVICI XIV, Galliarum Regis, pertinentes, congestæ ab Abbate DE CHOISY, Academiæ Gallicæ membro.

Tomi III.

Amstelod. apud J. Fr. Bernard. & N. E. Lucas, 1727, 12 maj.
Alphab. 1.

Editores statim in libelli hujus frontispicio nos admonent, hanc editionem correctiorem & auctiorem esse illa, quæ adhuc

furtim distributa est; tum in præfatione sinceritatem, veritatis amorem & stylum aulicum Autoris multis laudibus extollunt: ipsa vero inspectio prodit, amphoram cœpisse institui, exiisse urceum, opusque hoc non librum esse, sed libri embrionem, inchoatum, non absolutum, stylo magis vago & populari, quam nobili ac aulico conscriptum, sine judicio, sine ullo ordine. Fontes præterea, unde Autor relationes hasce hausit, ita comparati sunt, ut, si veritatis studium non debilitant, ipsam tamen veritatem parum confirment. Nempe omnia quæ suis oculis non vidit, ex muliercularum commercio, præsertim a *Matre* sua, (quam fœminam naris minime obœsæ, virisque illustribus & ipsi Regi familiarem fuisse centies inculcat) a servis regiis, a domesticis Cardinalis Mazarini, aliisque hujus farinæ testibus accepit, vel expiscatus est. Lepida sunt, quæ ipse Autor hac de re exponit Tom. I pag. 34 seq. *Dicam vobis*, inquit, *qua via has relationes solitus sim contexere: primum scribo omnia, quæ ipse scio, & quæ Mater mihi narravit. Deinde homines, qui negotiis gerendis interfuerunt, interrogo, sub specie quadam ingenuitatis & meræ curiositatis; cum nemo credat, me Regis historiam consignare velle. Colloquor cum* Rosio, *de tempore Cardinalis Mazarini, Briennium, Pontchartranum, Villaregium, & Pelissonium sæpe percunctatus sum. Tum garrientem audio vetulam* du Plessis-Bellierre, *quam ætas nondum insanire fecit. Confabulor cum senecione* Bontempio, *cum* Joyeuse, *cum* Chamarante *podagrico, & ob id magno sodalitii amatore. Quidquid ab horum congerronum uno audivi, id cum altero fabulandi materiam mihi prabet. Tandem diversas hasce lectiones inter se confero, & si in qua re plures conveniunt, hanc esse veritatem non dubito &c.* Inde est, quod ubivis autores suos sic producit: *dixit hoc mater mea; hæc me docuit Servianus, matris meæ cognatus; audivi narrantem Rozium* &c.

Interim negari nequit, in hoc libello quædam tamen scitu digna, huc atque illuc dispersa, inveniri; qualia sunt *apophtegmata* Ludovici XIV, quæ libro I magno numero cumulantur. In libro II mors Cardinalis *Mazarini*; in libro III autem *Fouquetii* thesauri regii summi Dispensatoris, lapsus & interitus curiose [...]is

is describuntur. Legi etiam meretur in Lib. VII historia *Danielis le Cosnac* Episcopi Valenciensis, & in Lib. IX historia *Brisacerii* cribæ, qui se pro filio Joannis Sobiesky, Poloniarum Regis, venitavit. Præsertim vero in Tom. I lib. 2 pag. 103 seq. characteres, eu descriptiones morum & indolis *Quatuorvirorum* istorum, enes quos, post Mazarini obitum, summa rerum in Gallia erat, deo nobis placuere, ut gratum nos lectoribus facturos existimeius, si illas animorum icones, licet paulo contractius, hic siamus:

NICOLAUS FOUQUETUS *magna negotia facillime ex-diebat; sed plerumque negligenter. Neque legum, neque literum rudis, conversationis suavitate, nobilitate morum & scrindi elegantia excellebat. In audiendo patiens, in respondendo mis, sibi ipsi tantopere blandiebatur, ut, si vel leve beneficium quempiam contulisset, amicum usque ad aram illum sibi fore n dubitaret. In diem licet viveret, parum providens quid turum sit, omnia tamen solus gerere, primus Regis amicus e, sed nec voluptatibus suis vel momentum temporis detrahevolebat. Non raro multis se impeditum negotiis simulans, in lla latitabat; sed dum clientes, ante ostium cubiculi ejus præantes, tanti viri indefessam diligentiam deprædicabant; ipse scalam occultam in hortum descenderat, ubi meretriculan consortium auri libris redimebat. Mazarino fatis functo, summa rerum potiri & Regem juvenem ludis deliciisque ocare posse sperabat; sed fallebatur: cum & Mazarinus male n Regi commendasset, & ipse reliquos Ministros nimia superoffenderet. Persuasus, satis divites esse Principes, dummodo ulus rebus omnibus abundaret, optimo præcepto, quod nimiextendebat, pessime utebatur, dilapidando Regis thesaurum, nique proventus, vel in triennium, anticipando,* &c.

MICHAEL TELLERIUS *omnia dona externa quam larime a natura acceperat, faciem venustam, oculos vegetos, risum entem, ingenium suave, facile & commodum, verbo, integram i viri superficiem. Tam circumspecte compositeque loquebat ut plerumque callidior haberetur, quam esset, nec raro prutiæ ejus homines tribuerent, quod ignorantiæ erat effectus.*

Modestus sine affectatione, benevolentiam Regis non minori cura, quam proprias divitias, celabat. Promittendo facilis, raro stabat promissis. In domesticis timidus, in publicis rebus animosus & audax, ingenio fruebatur mediocri & circumscripto, neque ad summa nato, tenacissimo tamen propositi, si aliorum ope semel animo conceptum esset; cum nullæ cupiditates motibus animi dextre imperantem ab instituto unquam averterent. Decorum & civilitatem in communi vitæ commercio stricte observabat, imprimis autem humanitatem, ultra quam de amicitia ejus parum erat sperandum. Inimicus contra implacabilis, nil cupidius quærebat, quam occasionem, a quo offensus esset, feriendi; sed feriendi clanculum, ne inimicos sibi compararet, quorum ne abjectissimos quidem contemnebat. Religionem devote semper coluit: unde paucis diebus ante obitum suum exclamavit, sed plane ex animo, se jam vitæ non pœnitere, cum hanc felicitatem fortuna sibi adhuc superstiti tribuerit, ut revocationem Edicti Nannetensis subscriptione sua corroboraret.

HUGO DE LIONNE, *nobilis Delphinas. Hujus animum nativa virtute sublimem, vegetum ac perspicacem negotia, quibus a Mazarino Cardinale mature fuerat adhibitus, maximopere acuerant. Homo quantumvis vafer, tantam calliditatis famam & existimationem possidebat, ut cum Italis nullum pœne tractare negotium posset, quippe sibi ipsis diffidentibus, si cum illo res agenda esset. Et ingenio & literis instructus, satis tamen male scribebat, sed facile; cum nollet operam dare, ut melius scriberet. Ceterum privati sui compendii parum cupidus & bona fortunæ ad id unum prodesse ratus, ut voluptatibus inservirent, chartis tesserisque avide ludebat, patrimonium dissipabat, nihilque sibi non permittebat, etiam cum damno valetudinis. Ignavus & languens, nisi agendi voluptate traheretur; impiger & indefessus, si necessitas urgeret, nihil admodum committebat vicariis, omnia ipse expediebat, scribebat, dictabat &c.*

JO. BAPTISTA COLBERTUS, *contracta fronte, oculis profundis, nigris spissisque superciliis, vultum præ se ferebat primo aspectu austerum, ferocem & indomitum: sed si paulo mansuefactus esset, facilis, expeditus & inviolatæ integritatis reperiebatur,*

tur, ut qui bonam fidem omnium negotiorum ſolidiſſimum fundamentum eſſe firmiter ſibi perſuaſerat. Pertinax induſtria ac inſatiabilis diſcendi ardor pro eruditione ipſi ſtabat, & quanto illiteratior, tanto magis id quærebat, ut doctus videretur. Quamobrem ſententias Latinas, quas in memoriam redegerat, doctoresque mercenarii ipſi explicaverant, alieno ſæpius tempore & loco proferebat. Poſteaquam vino valedixit, nulla amplius mala libidine captus eſt. Supremam fiſci præfecturam fideliſſime adminiſtravit; cum anteceſſores ejus pecuniam publicam exegiſſent, neque accepti neque expenſi habita redditave ratione. Homo ſolidi ingenii, ſed tardioris, ad ſubducendos calculos præcipue natus, perplexas implicatasque confuſiones, quibus Theſaurarii negotia fiſcalia conſulto intricaverant, ut in tenebris rem ſuam facerent, feliciſſime expedivit . . . Rem Galliæ navalem & maritimam non reſtituit; ſed de novo creavit, eamque ad illum, quo nunc ſplendet, virtutis ſolertiæque fulgorem perduxit; at maximis ſumtibus, interdum etiam inutilibus. Veneratione Regis ſui ſemper plenus, id unice meditabatur curabatque, ut nomini ejus immortalitatem pareret. Nummi, ſtatuæ, arcus triumphales, & quicquid Eloquentia atque Poeſis ſublime habent, in id impendebatur, ut Ludovicus Magnus maximam gloriam inter omnes gentes conſequeretur: huic fini nec labori, nec annuis penſionibus parcebat, quibus doctiſſimos quorvis, non Galliæ modo, ſed univerſæ Europæ viros in partes ſuas pertraheret &c.

Quis noſtrum Autorem poſſet contemnere? ſi ſic
Omnia dixiſſet.

Verum huic fimbriæ non reſpondet reliquum textum: ſcripſit tamen alia & meliora, quæ recenſuimus in his *Actis A. 1688 Menſe Jan. pag. 12* & *A. 1689 Menſ. Apr. pag. 222 ſeq.* In hoc quoque libro ipſe Autor *hiſtoriam Caroli VII*, Gallorum Regis, ſe in publicum emiſiſſe commemorat.

MEMOIRES DE MONGLAT.

h. e.

FRANCISCI DE PAULO CLERMONTII,

Marchionis DE MONGLAT, *Commentariorum de Bello Gallico - Hispanico*

Tomi IV.

Amstelodami, 1727, 12 maj.

Alph. 2 pl. 12½.

NUnquam pertinacius, quam seculo superiori, bella gesta sunt; quando Principes Christiani, nescio quo sinistro fato acti, pugnas ubicunque ciebant, bellumque in Bohemia ortum, hic omnem Germaniam & regiones Septemtrionales, per triginta annos, devastabat; illic Gallorum cum Hispanis dimicationes, A. 1635 clarigatæ inchoatæque, integram, qua Occidentem & Meridiem versus extenditur, Europam pervaserant, nec, nisi post viginti quinque annos sopiri potuerunt. Hoc bellum Gallico-Hispanicum describitur hisce Commentariis, quorum Autor *Marchio de Monglat*, ex illustri *Clermontiorum* familia oriundus, non modo belli aulæque artibus optime fuit instructus; quippe simul castris præpositus, *Marechal de Camp*, & summus vestiarii regii præfectus, *Grand Maitre de la Garderobe*: verum etiam tanta eruditionis fama sua ætate inclaruit, ut *Bibliothecæ* cognomen ferret, atque ab aulicis *Monglat la Bibliotheque* passim appellaretur. Dispescuit omne opus in XXIV Expeditiones bellicas, vulgo *Campagnes*, quæ nihil aliud sunt, quam Annales continui rerum ab A. 1635 usque ad A. 1660 in Europa gestarum, stylo equidem minus culto, masculo tamen ac nervoso, judiciique pleno, nec sine sale, conscripti. Proœmium, quo historia Galliæ a tempore pacis inter Henricum IV & Philippum II Hispaniæ Regem, A. 1598 pactæ, usque ad A. 1635 breviter & absolute enarratur, maximum hujus libri ornamentum est: cui relatio elegans, de induciis & pace generali, quæ A. 1660 ad montes Pyrenæos pacta, bellum Gallico-Hispanicum composuit, nec non rerum a Ludovico XIV gestarum recensio usque ad pacem Aquisgranensem, sive A. 1668, colophonem tanto opere dignum imponit. Autor sane, si quid judicamus, omne boni historici punctum tulit. Rerum, quas percenset, plerumque testis αὐτόπτης,

r, animum a quocunque pravo affectu alienum præ se fert. on Regi adulatur, non Primatibus, neque partium unquam, vel triæ aut religionis studio in transversum abripitur. Obsidio-s, prælia, & reliquas expeditiones castrenses enarrat, ut miles, gotia civilia, ut aulicus. Imprimis vero Richelii & Mazarini rdinalium publici status administrationes dexterrime exponit, eoque integrum regnum Ludovici XIII, & exordia regni Lu-vici XIV, Galliæ Regum, explicat. In ipsa horum Commenta-rum tractatione Autor Chronologiæ exactissimam rationem et; ita ut non annos tantummodo, quod in Annalibus fieri ne-e est, sed menses etiam & dies rerum memorabilium accu-distinguat. Nec Synchronismi obliviscitur; sed præter res lorum & Hispanorum, quæ in Germania, Italia & Lusitania derunt, tempore locoque congruo, assidua commemoratione rt. Verbo, liber hic non excerpi, sed legi integer relegique etur; cum nullibi non aliquid notatu dignum, utile vel ju-dum ejusmodi rerum intelligens existimator in eo offen-

STORIA ECCLESIÆ REFORMATÆ IN *igaria & Transylvania ex monumentis fide dignis a o quodam doctissimo magnam partem congesta, & mul-accessionibus locupletata, & hoc ordine concinnata a* IDERICO ADOLPHO LAMPIO, *S.S.Theol.* D. *Ej. & Hist. Eccles. in Academia Ultraj. Prof. Ordin.*

Trajecti ad Rhenum, apud Jac. van Poolsum, 1728, 4. Alph. 6.

ræfatione Cl. Editor inter pia desideria accuratiorem certa-inum Ecclesiæ reformatæ pro veritate historiam refert, cujus ultatem & utilitatem ostendit, & *Theod. Hasæum*, Theo-n Bremensem, ut Annales Ecclesiæ Reformatæ tandem, hortatur. Simul ostendit, aptissimum esse ad historiam rsalem conscribendam subsidium, si cœtus singuli de suo rrent, quicquid inter suos domi gestum esse, aut in Archivis

suis

suis annotatum, invenerint, aut memoria recoluerint, idque etiam ipsum impulisse, ut hanc apospasmatiam rerum ad Ecclesiam Hungaricam spectantium, quam Minister quidam verbi scripsit, hortatu D. *Dan. Ern. Jablonski*, publicæ exposuerit luci. Quamvis autem Doctissimus *Lampius* non ipse Autor hujus libri sit, multa tamen ad editionis hujus nitorem attulit, dum turbatum libri ordinem in formam quandam Annalium redegit, quædam minoris momenti omisit, & alia contra majoris momenti adjecit, aut ex autoribus excerpta, aut a viris doctis subministrata. Subjungit tandem binas Theologorum literas, e quarum posterioribus patet, Autorem hujus libri fuisse *Paul. E. Debrezeni*, apud O. Liszcenses Reformatæ Ecclesiæ Ministrum quondam pientissimum.

Tota historia in tres libros dividitur, quorum primus de primordiis nascentis Evangelii in Hungaria & Transylvania agit. Alter est principalis, & Annales Ecclesiæ Reformatæ in terris memoratis ab A. MDXVIII usque ad A. MDCCXXV continet. Tertius monumenta quædam ad illustrationem hujus historiæ pertinentia comprehendit. Primus liber quinque capitibus absolvitur. *Capite primo* primordia Ecclesiæ Christianæ ostenduntur, ubi Autor §. 1 ex locis *Rom. XV, 9* & *Col. III, 11*, (in quo posteriori loco per Scythiam, non Asiaticam, sed Europæam intelligi putat,) probare vult, cum ipsis nascentis Christianismi incunabulis initia conversionis Scytharum ac Pannoniorum conjungenda esse, quæ dein §. 2 alii Apostoli latius extenderint, ubi præsertim ex Hieronymo & Eusebio S. *Andream* nominat, cui tamen Cl. *Lampius* ex Origene, Eusebio, Nicephoro & Simeone Metaphraste contradicit. §. 3 Ex Tertulliano, Irenæo & Justino Martyre progressum Evangelii seculo secundo; §. 4 ex Philostorgio & Sozomeno seculo tertio; §. 5 ex Socrate & Zosimo seculo quarto describit, & §. 6 sigillatim de *Audii* laboribus in propagando Evangelio agit, eundemque ex Epiphanio contra eos defendit, qui ipsum hæreseos accusant. §. 7 enarrat persecutionem per *Atanaricum* in Scythia & Pannonia suscitatam, quæ (§. 8) Arianismo irrumpendi in has oras januam aperuerit, juvante Ulphila, & §. 9 S. Hieronymum suis popularibus Ungaris Evangelium prædicasse

Lib. I. Cap. I.

casse conjicit. §. 10 Alia vestigia Christianismi ad sec. IV spectantia, & §. 11 nomina illustrium quorundam in Pannonia Martyrum, Nicetæ, Proculi, Hormyli & Ruperti refert, quibus tandem §. 12 Ecclesiæ reliquias seculo V & seqq. subjungit.

Capite secundo de Ecclesia Reformata in Hungaria, sub *Carolo Magno* renascente agitur, & quomodo per ejus victorias Hungari ad fidem Christianam conversi sint. §. 1, 2 refutantur ex autoribus probatis sententiæ Stephani Szekelli & Pauli Lyznyai, conversionem hanc ad Hunnos Avares restringentium, & simul §. 3 *Caroli M.* orthodoxia defenditur, id quod cum Arnoldi hist. hæret. L. IX C. I collatum, ulteriori disquisitioni ansam dare potest. §. 4 enarratur, quomodo Hungari post tempora *Caroli M.* partim per sacrarum literarum in linguam Dalmaticam translationem, quam tamen Hieronymo adscribi non posse contendit, partim per vicinorum Polonorum exemplum in professione fidei Christianæ confirmati fuerint, donec per irruptionem paganorum opprimerentur. Cap. II.

Capite tertio ostenditur, quomodo tertia vice veritatis lux in Hungaria renata sit, & Geysa novæ Hungarorum conversioni occasionem præbuerit, §. 1, quam Stephanus Rex promovit, §. 2. Hic vero Autor simul ex scriptoribus Romanis infelicitatem temporum illorum §. 3 depingit, quam Papa Sylvester secundus, cujus vitia §. 4 recenset, vel secundum alios Benedictus VIII aut IX, auxerit. Nihilo minus non ita corruptam fuisse tunc Ecclesiam in Hungaria, ut in aliis locis, §. 7 ex ipsis decretorum Stephani Regis libris probatur, & §. 8, quomodo post varia certamina succreverit ecclesia sub Ladislao, ostenditur. III.

Cap. IV alia lucis apud Hungaros primordia a tempore *Waldensium* recensentur. Hinc Autor §. 1 *Waldensium* originem breviter tangit, eosque in Hungariam usque dissipatos fuisse docet; collata etiam §. 2 doctrina *Waldensium* cum Reformatæ Ecclesiæ placitis, ex Lancelotto probare nititur, eam cum Reformatorum doctrina convenire. Dein ostendit §. 3, Bulgarorum historiam cum Albigensium causa singularem habere nexum, id quod porro §. 4 probat ex Thuani Hist. L. XXVII ad A. Chr. 1561 p. 1213, qui scribit, *Convallensium partem in Sarmatiam transmigrasse.* IV.

grasse. §.5 refert, quomodo Hussitæ, quos Pius II Hist. Boh. C. XXXV Waldensium sectam vocat, cum Hungaris communionem coluerint, quod §. 6 ex *Perrino* & *Legero*, Historiæ Waldensis scriptoribus, aliisque probat. Narrat §. 7, Hussitas a Rege Matthia Hunniade primo durius, deinde mitius habitos fuisse, quod ulterius §. 8 testimoniis *Adriani Regensvolscii* & Autoris Hist. persec. Eccl. Bohem. corroborat. §. 9 affirmat, Hussitas sub Uladislao II eandem expertos esse sortem, quam sub Matthia; & §.10 corruptissimos Cleri Romani in Hungaria mores perstringit, quos §. 11 etiam *Joh. Vitesius*, Episcopus, graviter reprehendit. Tandem §. 12 alii motus describuntur, qui Reformationi in Hungaria viam aperuerint. *Capite* demum *quinto* excerptum ex præfatione scripti cujusdam *Severini Sculteti* affertur, quo præcedentis capitis narrata confirmantur, & sic Liber I clauditur.

Liber II Annales E. Ref. in Hungaria & Transsylvania continet ab A. MDXVIII usque ad A. MDCCXXV. Hic enarratur, quomodo partim per Librum *de horrendo Idololatriæ crimine*, partim per Lutheri scripta, semina reformationis in Transylv. sparsa sint A. MDXVIII & MDXIX. A. MDXXII *Vibelyinum*, superioris Hung. oppidum, & urbs *Cibiniensis* in regno Transsylvaniæ reformari cœperunt. In hac urbe *Marcus Pemphlingerus*, regius apud Cibinienses Judex, cœlestem doctrinam confirmabat, cujus tamen conatibus *Ludovicus* Rex obstitit, duobus edictis A. 1522 & A. 1523 editis. Imprimis notandum edictum contra Lutheri doctrinam a. c. promulgatum, nec non, quod in Comitiis Pestanis A. MDXXV editum est. Nihilominus post cladem Mohacsianam multi Evangelium amplectebantur, & quandem quam novus Hungariæ Rex *Johannes* novo edicto die 21 Jan. MDXXVII contra Lutheranos sæviret, omnes tamen fere Magnates Evangelio nomen dabant. Cumque deinde *Alex. Bethlenius* in Transylvania via charitatis dissidia religionis componere tentaret; Pontificii potius ferro & flamma cum Lutheranis sibi agendum esse putabant, quod Cibinienses permovit, ut die 18 Febr. A. MDXXIX proposito edicto, sub pœna capitis omnibus Monachis præciperent, ut intra triduum aut religionem Papisticam ejurarent, aut urbe excederent. A. MDXXX Confessio Rel.

quin-

inque liberarum civitatum Hung. superioris *Ferdinando I* exibebatur, cujus XX Capita recensentur, & *Annæ*, viduæ *Petri axith*, in Eccl. Hung. merita laudantur, quemadmodum etiam *asp. Dragffi* imperterritus in reformando animus describitur. d annum vero MDXXIII *Statilii*, Albæ Juliæ Episcopi, in Lueranos immanitas & miserabilis tandem exitus notatur. Ab A. IDXXXVI usque ad A. MDXL nihil memorabile adducitur, si quod hoc temporis intervallo *Joh.* Rex Hungariæ a persecuone Protestantium abstinuerit, & quod *Joh. Honterus* per Typographiam, suis sumptibus *Coronæ* in Transylvania instructam, ros Luthori & Aug. Confessionem typis exscribi curarit. Ad MDXLII reformatio Coronensis describitur, cujus A. DXLIII in Comitiis Transylvaniæ generalibus Claudiopoli *atthias Calvinus* & *Jer. Jackelius* intrepide rationem reddent, salvi ad suos dimissi; quem successum omnium Ecclesiarum xonicarum Reformatio A. MDXLIV consecuta est. Anno etiam DXLV Synodus Mediensis, in qua Lutherani Aug. Confessiom pro norma fidei deligebant, & Erdödiensis, in qua XXIX nistri XII articulis dogmata fidei suæ tradebant, habita. Con- *Martinusius* extrema quæque A. MDXLVI tentavit, & *Urbtjani*, qui omnes hujus Monachi conatus infringebat, veneno lulit. Postea sub *Ferdinando I* melioribus gaudebat fatis Ecla Hung. demulcentibus animum Imperatoris *Alexio Turzone*, sque filiis, *Georgio* & *Stanislao*. In A. MDXLIX incidit seda Synodus generalis Reformatorum, *Tornæ* habita, ubi Autor endit, non *Tornam* in Comitatu Tornensi, sed *Temeswari* intelligi. Sequebatur A. MDL ibidem alia Synodus, & *Stenus Szegedinus* multum pro religione propaganda laborabat. MDLI Helvetica Confessio plures adstipulatores nacta est, uti iteris *Joh. Reyertboy*, Secretarii Cancellariæ Hungariæ, appa- , & A. MDLII 1 Dec. in Synodo oppidi *Beregszasz* de præcis fidei articulis disputatum; uti etiam in Synodo A. MDLIV ebrata *Ovarini*, ad Samosium fluvium. Circa hæc tempora e inter Reformatos Lutheranosque schisma in Hungaria quoerupit, quod non parum *Franc. Stancarus* augebat. Sequenti MDLV *Ferdinandus I* quinque Hungariæ superioris civitati-

 bus

bus liberis liberum Religionis exercitium indulſit. A. MDLVI Synodum Thengerianam celebratam eſſe Autor conjicit, in qua Paſtores nobilem fidei Confeſſionem exhibuerunt. Incidit etiam in hunc annum Synodus Claudiopolitana, in qua publice decretum eſt, ut ſinguli Eccleſiar. Sax. in Tranſylvania Paſtores doctrinam de ſacramentis, in Eccleſ. Wittebergenſi receptam, amplecterentur, quemadmodum etiam in Cibinienſi Synodo ſtatutum. Cum autem A. MDLVIII *Stancarus Iſabellam*, Reginam viduam, per literas contra Lutheranos ſolicitaret; Paſtores Eccleſiæ Claudiopolitanæ Apologiam conſcripſerunt, cumque A. MDLIX lites inter Saxonicæ & Helveticæ Confeſſ. aſſeclas magis magisque invaleſcerent, diſputatio in urbe *Media* hoc & ſequentibus annis eſt habita. A. MDLXI Synodus Tranſylvanenſis controverſiam de myſterio divinæ prædeſtinationis compoſuit; tum A. MDLXII partim Confeſſio Catholica omnium incolarum Agrienſium, partim eorundem confœderatio ſequebatur. Anno vero MDLXIII in Comitiis Tordenſibus Decretum, A. MDLVII a regni Ordinibus factum, repetebatur, quo cuilibet concedebatur libertas eligendi religionem, quam vellet. Sequenti anno Generalis Synodus *Enjedinum* Tranſylv. oppidum indicta eſt, &, quod notatu dignum, A. MDLXV communio ſub utraque a *Pio V* Hungaris & Tranſylvanis conceſſa. A. MDLXVI partim ſubſcriptione Confeſſionis Genevenſis, partim Catecheſeon in his terris origine, partim Synodo Gönzienſi, cujus articuli hic recenſentur, memorabilis eſt; & ipſa hæc Synodus eo memorabilior, quod cauſa *Lucæ Agrienſis*, Deitatem Filii impugnantis, cujus propoſitiones cum reſponſionibus *Caſp. Karoli* inſeruntur, ibi diſcuſſa eſt. Habita etiam tum Synodus Thordenſis, in qua *Georgii Blandratæ* & *Franc. Davidis* impiæ de Trinitate opiniones damnabantur, tum Vaſarhelina. A. MDLXVII Synodus Debrecina propoſitiones de Unitate & Trinitate contra Socinianos publicabat, quemadmodum A. MDLXVIII Szikszoviana contra hoſtes Divinitatis Chriſti & Debrecinenſis ac Caſſovienſis contra Antitrinitarios pugnabant. Sequebatur A. MDLXIX Synodus Varadienſis, de qua fuſius hic agitur. Ad A. MDLXIX *Petri Melii*, Superint. Debrecinenſis enarrantur conatus contra Unitarios, quibus aula

tamen

tamen favebat; quo factum, ut Claudiopolitana urbs A. MDLXX tota eorum contagione inficeretur. Interea A. MDLXXI studiosi quidam nationis Hungaricæ & Transylvanicæ ad exteros, imprimis *Wittebergam*, ibant, majorum in rebus theologicis profectuum causa, ibique certis articulis, qui toti exhibentur, mores suos *circumvallabant*. Dum hi futuro Ecclesiæ suæ bono studebant, A. MDLXXII ecclesia Hungarica non leve damnum accepit, partim a *Georgio Carrachondia* fanatico, partim per mortem *Stephani Szegedini* & *Petri Melii*, duorum fortissimorum veritatis propugnatorum. Sequens A. MDLXXIV Synodo Enjedina, & A. MDLXXVI Synodo Herezeg - Szölösiensi memorabiles sunt; quemadmodum etiam A. MDLXXIX celebris inter *Blandratam* & *Franc. Davidem* extitit controversia. A. MDLXXX pro Fratribus Aug. Confessionis Articuli quidam confecti in arce *Muranii*, & juramento confirmati; Jesuitæ contra A. MDLXXXV auspiciis *Stephani Bathorei*, Regis postea Poloniæ, collegia *Claudiopoli* & *Albæ Juliæ* fundabant, qui tamen A. MDLXXXVIII a Principe Transylvaniæ intra quindecim dies omnibus ejus finibus exterminabantur. E contrario Reformatorum res adjuvabantur per *Casp. Karoli*, qui A. MDLXXXIX Biblia in linguam Hungaricam transferebat. Notandum, autorem ad A. MDXC mentionem injicere Formulæ Concordiæ, eamque *discordem & multis nominibus deplorandam Concordiæ Formulam* nominare. Edebatur A. MDXCI Apologia Barthphensis pro Formula Concordiæ, quam refutabat e Reformatis *Caspar Piscius* libro, cujus titulus: *Brevis & perspicua responsio ad maledicam & futilem Apologiam Mart. Wagneri testamentariam.* Eodem anno in Synodo Karolina protestatio Reformatorum contra Kalendarium Gregorianum lucem aspiciebat. Romanenses contra A. MDCIII Cassoviense templum Canonicis Agriensibus tradebant, id quod sequenti anno in Comitiis Posoniensibus variis motibus ansam dedit, qui A. MDCVI per pacificationem Viennensem, qua primum fundamentalis de libertate religionis Evangelicæ in Hungaria Articulus constitutus est, finiebantur. Cumque *Matthias II* Rex Hungariæ coronaretur, is Jesuitas finibus Hungariæ exire, & templa Evangelicorum aperiri præcipiebat. Turbabat vero hæc Halcyonia

Emericus Szilvas-Ujfalusi, Pastor Ecclesiæ Varadiensis, disciplinam Ecclesiasticam vellicans, contra quem ministri Ecclesiæ A. MDCX *Varadini* Synodum convocabant, & disciplinam Ecclesiasticam vindicabant. Et licet in hac Synodo *Emericus* delictum revocasset, tamen sub initium A. MDCXI denuo Ecclesias impugnavit. Exardebat tandem A. MDCXIX bellum publicum, ancipiti fortuna inter *Ferdinandum II* & *Gabrielem Bethlen, Transylvaniæ* principem & Evangelicorum tutorem, quorum ille Pastores Evangelicos, hic Jesuitas pellebat, gestum, sed eodem anno per pacis conditiones finitum. A. MDCXXVI Canones Ecclesiæ, communi Ministrorum suffragio in Synodo Komjathina conditi. Anno MDCXXX templa sunt a *Rakotzio* restituta, templum vero Varanovianum Reformatis ereptum. A. MDCXXXI *Paulus Almasi*, Vaciensis Episcopus, Ecclesiam Reformatam acriter persequebatur. Princeps *G. Rakotzius* bellum contra Cæsarem A. MDCXXXII pro religione gessit. A. MDCXXXIV Comes *Adam. de Bottyan* a fide reformata descicens, universalem in suo tractu Evang. ministrorum persecutionem instituit, cujus exemplum A. MDCXXXV sequebatur Comes *Joh. Hommonnay*, per quem claves Templorum oppidi Terebesiensis & pagi *Garany* incolis Helveticæ Confess. ademtæ sunt. *Posonii* A. MDCXXXVII Lutherani splendidissimum templum indultu Cæsaris ædificabant, quod proceres & religiosi deinde impediverunt. A. MDCXXXIIX alumni quidam Eccles. Hungaricarum, qui *Britanniam* adierant, Puritanismum Ecclesiis Reformatis inferre tentabant, inter quos *Joh. Tholnaeus* maximas turbas dabat, sicuti etiam A. MDCXXXIX *Nicolaus Drabitius* cœlestes revelationes jactitabat. A. MDCXL templi Varanoviensis restitutio multum Reformatis facessebat negotii. A. MDCXLIII libellus: *Jesus & Maria Clicus, Tyrnaviæ* in lucem prodiit, qui papicolarum idololatriam satis manifestavit. Sequenti A. immanis Romanensium Tyrannis Principi *Rakotzio* occasionem dabat *Ferdinando III* bellum inferendi, quod tandem eo ipso anno in favorem Protestantium componebatur. In Synodis Gonzina A. MDCXLV, & Thokaina A. MDCXLVI *Joh. Tholnæus* cum sociis ab officio suspensus est, donec Princeps controversiam Nationali Synodo termi-

terminandam curaret. Itaque Princeps *Georgius Rakotzi* d. 10 Junii Synodum in oppido *Szattmar Nemethi* indixit, cujus acta hic inseruntur. A. MDCXLVIII Mense Dec. in oppido *Sellye*, in Comitatu Nitriensi templum Reformatorum destruebatur; contra in urbe Cassoviensi iis loca pro Templo, Parochia & Schola assignabantur. Sequenti anno in *Transylvania* innotuerunt *Sabbatharii*, qui quidem Reformati, sed Judaizantes erant. A. MDCLVII in *Hungaria* inferiori Evangelici Pastores hinc inde pulsi, sed A. MDCLIX Comitiis primis sub *Leopoldo* habitis liberum religionis Evang. exercitium confirmatum. A. MDCLXIX Conventus *Eperjesinum* indicebatur, irrito tamen eventu. Ex mandato igitur Regis status & ordines regni in Civitate Neosoliensi congregabantur, sed cum postulatis Evangelicorum Legati Cæsaris non satisfacerent; illi relicta solenni protestatione, discedebant; quapropter cum eos Aula regia ut contumaces *Posonium* citaret, & propterea Princeps *Franc. Rakotzki* novos daret motus, a Cæsare *quadringenties centenis millibus* florenorum Rhenens. & multis arcibus mulctabatur. Gravis in sequentem annum incidebat persecutio, cui classicum cecinerat *G. Barsony*, Episc. Varadiensis, scripto libro virulento: *Veritas toti mundo declarata*. In hac persecutione martyrium passi *Joh. Szaki*, Pastor Ekliensis, & *Nicolaus Drabicius*, de quo tamen tanquam læsæ Maj. reo supplicium sumebatur. Neque A. MDCLXXII remittebat persecutio, quin potius omnia fere templa & scholæ Reformatis & Lutheranis eripiebantur, eorumque multi ad carceres & triremes damnabantur. Metuens hæc supplicia, & cupiditate honoris ductus *Jo. Batorkessi*, Reformatus, A. MDCLXXIV ad castra papicolarum transit, sed eo ipso anno vitam misere finit. Neque meliorem vitæ exitum nactus est A. MDCLXXVI *Stephanus Foldesi*, Apostata. Ad hunc annum Autor Annotationum XXIV Epistolas Virorum celebrium adducit, qui lugubrem Pastorum Evangelicorum *Hungariæ* ad carceres & triremes Religionis causa damnationem illustrant. Anno quidem MDCXXXI in Comitiis Sempronienfibus ea remittebat persecutio, cum in actis comitialibus art. XXV liberum religionis exercitium, & art. XXVI ædificatio templorum concederetur, sed annus proximus docuit, hos articulos tantum

in

in ſpeciem conceſſos; quod Comitem *Emer. Thokelium*, Malecontentorum (ut vocabantur) Anteſignanum, movit, ut non templum ſolum Caſſovienſe civibus Lutheranis, & Scholam Saros-Patakienſem Reformatis reſtitueret, ſed etiam aliis in locis idem conaretur. A. MDCLXXXIII in urbe Patakienſi Evangelicis templum reſtituebatur, qua tempeſtate etiam *Chriſtophorus Roxa*, Epiſcopus Tinenſis in Dalmatia, Pontificis nomine varia Principibus Proteſtantium religionis uniendæ media proponebat, papicolis nihilominus hoſtilia quævis perpetrantibus. Anno enim MDCLXXXVI templum, & ſequenti ſchola Patakienſis Helvet. Confeſſionis poſſeſſoribus rurſus eripiebatur, id quod etiam A. MDCLXXXVIII factum aliis in locis per Comitem a *Kollonitſch*, qui etiam anno ſequenti Paſtores Reformatos e provincia Rakotziana ejici jubebat. Continuabat interea A. MDCXCII *Chriſtophorus Roxa* unionis conſilia, ſed irrito conatu. A. MDCXCV *Matthias Rhadonai* Epiſc. Quinque-Eccleſienſis acriter Reformatos Barovienſes perſequebatur; & Jeſuitæ anno ſequenti incolis Helv. Confeſſionis Templum Caſſavienſe cum Parochia & Schola eripiebant. Initium ſeculi XIIX novis perſecutionibus januam aperuit, quarum origo Cardinali Collonitzio, *Paulo Eſterhaſi* Palatino, & *Paulo Szetſemſi* imputatur. Mitiora tamen, cum *Leopoldo* A. MDCCV ſucceſſerat *Joſephus*, fata rediere. Per hunc enim 700 templa Reformatis reddebantur; quam pacem poſt obitum ejus *Carolus VI* Proteſtantibus firmavit. Abutebantur tamen hoſtes religionis Cæſarea autoritate ad opprimendam Eccleſiam in oppido *Papa*, quod ex reſcripto Cæſaris de A. MDCCXIIX intelligitur. A. MDCCXX tolerabantur quidem Reformati, ſed omnes conventus Synodales iis interdicebantur, cumque de novo Biblia imprimi curaſſent, ea ad mandatum S. Cæſ. Maj. *Caſſoviam* erant convehenda, demum poſt multas preces reddita. A. MDCCXXI *Peſtini* d. 15 Martii Commiſſio Cæſarea in negotio religionis cœpit, quæ tandem per decretum Cæſaris ita finiebatur, ut religionis negotia in ſtatu, quo eſſent, manerent. A. MDCCXXI nonnulli ex ſacerdotibus ſchismaticis aliquam cum Eccleſia Romana amplectebantur unionem. Ad A. MDCCXIII quatuor commemorantur edicta Cæſ. in favorem Reformatorum, quæ tamen

&

& A.MDCCXXIV & A.MDCCXXV variis vexationibus violasse dicitur clerus Romanus.

Liber III monimenta quædam ad illustrationem pertinentia comprehendit. In hoc enarrando eo breviores erimus, quo plura, quæ hic illustrantur, Libro secundo jam adducta sunt. In quinque hæc Pars dispescitur sectiones. Prima habet enumerationem Ecclesiarum & Scholarum illustrium *Hungariæ* Reformatæ; altera continet documenta ex Archivis Capitulorum Mediensis, Cibiniensis & Coronensis, quæ de origine & progressu reformationis in *Hung.* agunt. Tertia agenda Ecclesiastica Reformatæ Eccles. in *Hung.* recenset; quarta versiones & editiones Biblicas, Psalterii & Canticorum, in linguam Hungaricam translatorum recenset; quinta ex VI capitibus constat. Primum caput miserum *Hungar.* Eccles. Reformatarum statum ab aliquot retro annis cum hodierno statu afflicto confert, & imprimis judiciorum Posoniens. extraordinariorum processum refert. Caput secundum de captivitate Bosoniensi & Berentsi quatuor Ministrorum Reformatorum & unius Augustanæ Confessionis agit. Tertium caput captivitatem Comariensem trium Ministrorum, unius Reformati, & duorum August. Confessionis; nec non septendecim Aug. Confess. Ministrorum apostasiam describit. Caput quartum captivitatem sex Reformatorum in Castello *Everbard* dicto refert. Quintum caput inauditam XXXIX virorum in captivitate Leopoldopolitana vexationem exhibet. Sextum de exportatione XLI ministrorum in triremes, & plus quam barbarica in itinere vexatione agit. Lib. III.

Habes, B. L. Sciagraphiam operis, non tam verborum suavitate, quam rerum gravitate memorabilis. Multa enim in eo inveniuntur, quæ historiam Ecclesiasticam & literariam illustrant. Habet hic historia ecclesiastica fontes, ex quibus historiam martyrum, reformationis in *Hung.* & *Transylv.* certaminum, sectarum, colloquiorum, Conciliorum particularium, persecutionum, Confessionum, unionis tentatæ, versionum Biblicarum, cantilenarum, &c. haurire potest. Habet hic historia literaria fontes, ex quibus vitæ variorum eruditorum, fata bibliothecarum quarundam, item apostatarum hauriri possunt. Optandum igitur, ut in omnibus regionibus viri quidam docti, documentis indubiis satis in-

 structi,

ſtructi, atque a ſtudio partium remoti, ſimili labore ſuæ Eccleſiæ ejusque reformationis fata deſcriberent, ſic multæ lacunæ & defectus ex hiſtoria eccleſiaſtica & literaria tollerentur.

A DEFENSE AGAINST THE TEMTATION to Self-Murther.

h. e.

DEFENSIO ADVERSUS TENTATIONEM mortis voluntariæ; Autore JOANNE WATTS.

Londini, apud Jo. Clark, R. Hett, E. Matthews & R. Ford, 1726, 12. Plag. 8.

Pietate erga genus humanum, imprimis autem concives ſuos, ductus venerabilis Autor diſſertatiunculam hanc, non minus ſanam rationem, quam verum Chriſtianismum ubivis præ ſe ferentem, ex profeſſo conſcribere animum induxit, ut habeat, quo ſe defendat contra ignea tela Satanæ & horrendam tentationem ſibi ipſi nefarias manus inferendi

Prodiga gens animæ & properare facillima mortem.

Rem autem omnem ſex capitibus ſive ſectionibus pertractat; quarum I indignitatem & injuſtitiam hujus criminis demonſtrat; II diſſuaſiones generaliores profert, ſtultitiam & periculum, quæ autocheiriam comitantur, oſtendendo; III prætextus & rationes, quibus vel autocheiriæ crimen excuſari, vel homines ad ſe ipſos impie necandos permoveri ſolent, examinat exploditque; IV media ſecuritatis adverſus hanc tentationem, ſeu admonitiones & conſilia in gratiam tentatorum ſuppeditat; V illos, qui ab hac tentatione liberati ſunt, ne in eundem verticem recidant, ſerio hortatur; VI denique præparat cautelas contra ea omnia, quæ ad vitam ante diem ſibi ipſi eripiendam hominem ſeducere poſſunt; inter quæ choream ducunt, intemperantia & exceſſus in cibo potuque ſumendo, pugnæ mercenariæ, duella, cetera.

THE DOCTRINE OF PLAIN AND ſpherical Trigonometry &c.

h. e.

hoc eſt,

DOCTRINA TRIGONOMETRIÆ PLANÆ & ſphæricæ, cum ejus applicatione & uſu in diverſis Matheſeos partibus; Autore GUILIEMO HAWMEY.

Londini, apud J. Darby, A. Abettesworth &c. 1725, 8.
Alph. 1 pl. 8½, Tabb. æn. 2 cum fig. plurimis textui inſertis.

CL. Autori, qui diem ſupremum obiit, dum Tractatus hic trigonometricus ſub prelo ſudaret, cum antea non ſine applauſu exceptum fuiſſet de Geometrica practica opus completum, in uſum tyronum Matheſeos Trigonometriam quoque planam & ſphæricam illuſtrare propoſitum fuit. Quamobrem non ſolum ſingula Trigonometriæ cum planæ, tum ſphæricæ, problemata exemplis illuſtrat, uſus in ſphærica regula generali *Nepperiana*, cui affinis eſt *Wolſiana* in Actis A. 1711 p. 500 commemorata; verum etiam omnem utriusque Trigonometriæ uſum, ſi a Theorica in Aſtronomia diſceſſeris, docet. Solvuntur adeo in *Altimetria* & *Longimetria* problemata metiendi altitudines & diſtantias, nec non in Architectura militari ex lineis & angulis aſſumtis inveſtigantur lineæ, quæ hiſce determinantur, in forma muniendi Belgica. In navigatione reperies omnes navigandi modos illuſtratos, nec non in Aſtronomia omnem ejus partem ſphæricam. Adjiciuntur præterea, quæ ad projectionem ſphæræ in plano ſpectant, nec non Geographiæ ac Gnomonicæ problemata, ope Trigonometriæ ſolvenda. Figuræ textui inſertæ partim ligno, partim æri nitide inciſæ.

ELOGIUM JO. PHILIPPI SLEVOGTII, JC.

LUctuoſum anno ſuperiori Academiæ Jenenſi exſtitit funus ſummi JCti & Literarum elegantiorum ſuo tempore Principis, *Joan. Philippi Slevogtii*, Jur. Doct. celeberrimi, Sereniſſimis Saxoniæ Ducibus a Conſiliis Aulicis, Collegiorum Juridicorum Præſidis ordinarii, Juris Canonici Profeſſoris publici, Curiæ Provincialis Aſſeſſoris & Academiæ venerandi Senioris. Natum hunc Jenæ anno recuperatæ gratiæ MDCXLIX die 27 Febr. parentes, *Paulus Slevogtius*, qui Academiam hanc

præclara linguarum Orientis ſcientia atque eximio Profeſſoris munere ornavit & *Barbara Catharina*, *Ringleriæ* ſtirpis, matrona, quoad vixit, integerrimæ virtutis, omni amore ſunt complexi, & ubi ad ætatem diſciplinæ ac præceptorum capacem pervenit, eum cum vitæ Chriſtianæ officiis, tum literis imbuendum tradiderunt præceptoribus, a quibus primum ingenii mentisque cultum cepit. Quum domi jam multum profeciſſet atque omnibus amœnum ac ſuave ingenium probaſſet, nactus eſt Gerani moderatores Gymnaſii, *Jo. Sebaſtianum Mitternachtium* & *Jo. Fridericum Kœberum*, egregios ſtudii liberalis adjutores, quorum ſolida docendi ratione brevi ea doctrinæ cepit incrementa, ut dignus haberetur, qui in lucem Academiæ prodiret atque altius induſtriæ quæreret theatrum. In urbem igitur natalem ubi revertit, contulit ſe ad Juris intelligentiam, ab illorum quidem opinione ac conſuetudine maxime alienus, qui vel ſacra Themidis, vel alius ſuperioris diſciplinæ, ſine ſapientiæ atque amœnioris doctrinæ adjumentis, quod eſt, illotis, ut ajunt, manibus, adire quenquam poſſe exiſtimant. Nequaquam ſtudia illa poſthabuit, aut neglexit, quæ ceterorum ſunt præſidia ac fundamenta: proinde non ſolum in hac Academia præceptis atque exercitationibus Philoſophorum diligentiſſime uſus eſt, horumque diſciplinæ ſe tradidit; verum etiam Helmſtadium profectus, ut bene cœpta perpoliret, ibi optimis artibus pectus ſuum implevit, ac præter ceteros coluit & ſectatus eſt inſignem veræ ac priſcæ eloquentiæ magiſtrum atque artificem *Chriſtophorum Schraderum*, ad cujus exemplum ſe conformabat ac conſuetudine ejus doctior meliorque reddebatur. Neque non in hoc curſu paullatim ad juris diſciplinam ſe contulit, atque in ſcholis *Jo. Eichelii* & *Hermanni Conringii* aſſiduus fuit auditor. Firmato per muſas Helmſtadienſes animo, Jenam diſceſſit & quo potuit, maximo conatu in id eniſus eſt, ut ad metam propoſitam, id eſt, ad ſolidam atque elegantem Jurisprudentiæ eruditionem perveniret: quo optimo conſilio quum hæc graviora aggrederetur, non poterat politæ ac liberalis artis curam ex animo abjicere, ſed ne rivos ſequendo, fontes ipſos limpidiſſimos amitteret, humanitatis ſtudia cum ſuperiori diſciplina ſemper conjuncta eſſe voluit.

Eo

Eo tempore Academiam hanc ornabat *Jo. Andreas Bosius*, cujus maxima facultas in liberalissimis studiis atque antiquis monimentis explicandis versabatur, a quo multa didicit, quæ ad usum singularem atque eximium Jurisprudentiæ poterat conferre. Ut tamen, quantum posset, in omni Juris scientia elaboraret, legum doctores publicos, summis meritorum ornamentis præstantissimos, *Strauchios*, *Schilteros*, aliosque coluit, eorumque interfuit commentationibus: pugnas, quibus committuntur ingenia, non subterfugit: nec solum magna differendi facultate *Strauchii* selectum Juris argumentum A. 1672 de *centesimis usuris & fœnore unciario* defendit; sed etiam promulgatas aliorum sententias feliciter oppugnavit. His auctus subsidiis A. 1684 pervenit ad artis suæ fastigium atque dimicationem de dignitate hac capessenda, cui præfuit *Ernestus Fridericus Schrœterus*, Antistes legum gravissimus, subiit, elegantissimum ingenii monimentum, quod inscriptum est: *delibationum juris specimen Academicum*, edens, atque inde laurea, insigni Juris exculti præmio, ornatus. Aperto semel ad capessenda virtutis præmia aditu, non minus honore ac fortuna auctum, quam meritis gravissimum atque ætate provectum Jena vidit *Slevogtium*. Primum ingressus est forum caussasque suscepit, quas ea sanctitate fideque sustinuit, ut rempublicam haud haberet quæstui, nihil ageret avare, nec litium series aleret callide; sed concordiæ conservandæ percupidus, pacis studium altercantibus suasit, justitiæ atque æquitatis præcepta semper secutus; & imprimis inopes afflictosque sublevavit. Quibus rebus fiebat, ut ampliores consequeretur honores: namque A. 1680 munus Philosophiam Moralem publice & Juris scientiam extra ordinem docendi impetravit, moxque in senatum Juridicum cooptatus, in quo Serenissimis Saxoniæ Ducibus doctrinam atque integritatem ita commendavit, ut eum semper ampliori honore dignissimum censerent, ubi accessionem illius fieri posse videbant. Itaque quum perillustris *Nicolaus Christophorus S. R. I.* Eques & *L. B. de Lyncker*, nuper pariter in summo ætatis & fortunæ culmine exstinctus, ad auspicanda Consiliarii Aulici in Imperio munera Jena excederet, in locum ejus successit, summa Præsidis collegiorum Juridicorum dignitate

 auctus,

auctus, ad quam 1719 alia itidem gravissima accessit, quando in-
dulgentissimi Nutritii eum honore Consiliarii Aulici orna-
bant. Rectoratum Academiæ quinquies gessit, ac Collegio Ju-
ris Consultorum Decanus sedecies præfuit. His fortunæ incre-
mentis ornatum cum eum Jena vidit, vidit pariter illum de cun-
ctis munerum partibus ita bene merentem, ut omnibus honori-
bus merita responderent, nec quidquam in ejus doctrina, labo-
re ac fide esset desiderandum. Multa harum virtutum moni-
menta extant, perpetuæ memoriæ dedicata. Loquuntur *Sle-
vogtium* eruditissimum *dissertationes de unione ecclesiarum &
beneficiorum quatuor*, 1678, ac *de divisione ecclesiarum ac bene-
ficiorum*, 1681, item *inscriptiones varii generis*, 1724: loquun-
tur tot disputationes egregiæ, commentationes solemnibus re-
citationibus præmissæ, in quibus selecta argumenta eleganter
exposuit, *de Philosophia Jureconsulti: Philosophia Papiniani:
diversitate ingeniorum: peregrinatione in studiis: ingeniis
Germanorum: primatu Papæ: Juris Canonici cultu ac laudi-
bus: Juris naturalis doctrina ad sacræ Scripturæ normam exi-
genda: fatis magnorum in aula virorum*, quæ omnia recensere,
nimis esset longum; hisce autem addere debemus orationes *de
libertate Academica* ac *Cura Principis circa religionem*. Ve-
nimus ad alias vitæ partes non minori virtute ac laude præstantis-
simas. Bis connubium feliciter iniit, altero domum duxit 1685
d. 27 August. *Annam Dorotheam*, filiam viri venerandi, *Jo. Ga-
brielis Hartungii*, sacrorum Slaizensium Antistitis, virginem
forma & virtute præstantem, ex qua unicam filiam, *Christia-
nam Dorotheam*, suscepit, mox a partu cum ipsa matre 1686 ex-
tinctam; altero connubio sociam sibi elegit A. 1689 die 23 Se-
ptembr. *Sophiam*, filiam *Georgii Gœtzii*, sacrorum apud Jenen-
ses Præsulis omni veneratione digni, ex qua 1720 d. 6 Octobr.
mortua, tulit octo liberos. Ex his supersunt Prænobilissimus
Georgius Gabriel, qui antea in legatione autoritate Potentissimi
Poloniarum Regis ad aulam Palatinam missa ab epistolis, nunc
eidem Principi in sanctiori tabulario regio fidem suam com-
mendat; *Jo. Guilielmus*, Vir nobilissimus, qui in Judicio Auli-
co est ab interioribus commentariis ac munus hoc nomine titu-
loque

loque Protonotarii singulari diligentia ac fide administrat; doctissimi *Jo. Philippus* & *Jo. Georgius*, quorum ille juris, hic artis Medicæ candidatus est, & *Sophia Dorothea*, quæ omnis virtutis, quam sexus capit elegantior, insigne exemplum, Consl. *D. Casp. Achatio Beckio*, singulari Academiæ Jenensis ornamento, connubio juncta ac mater decem liberorum ex eo facta. Ceterum nunquam corpore satis firmo fuit, quod tamen quo minus gravioribus morbis affligeretur, singulari temperantia, frugalitate, continentia, qua omnes animi perturbationes regebat, nunquam quippe cum Collegis aut quoquam alio simultatem exercens, ac constanti usu Medicinæ, quam socius nunc æternæ felicitatis frater, *Jo. Adrianus Slevogtius*, fecerat, impedivit. Verum & has vires, cum in flexu esset ætas, exhauriri omneque corporis robur plane imminui sensit, tandemque, cum nullum superesset in Medicis expertissimis remedium, beatam animam Creatori reddidit d. 7 Januarii A. MDCCVII.

NOVA LITTERARIA.

PArisiis nuntiatur, doctissimum Abbatem *Lenglet du Fresnoy* novam editionem, sed multo pleniorem, libri sui, *Methode pour étudier l'Histoire*, prelo subjecisse, subscriptionis lege imprimendam Tomis III in quarto charta magna, qui quindecim libras nunc, totidemque Mense Novembri proximo numerantibus (non subscribentes numerabunt 45 l.) eodem Mense tradentur a Typographis, *Petro Gandouin & Ant. Urb. Coustelier* vidua. Constabit primus æque ac secundus Tomus, quibus Methodus continetur, paginis 600, tertius vero, seu Catalogus Autorum, 700, & accedent primis Tomis, insigniter auctis, Chartæ Geographicæ XX, ultimus vero libris longe plurimis ita locupletatus est, ut tantum non singulis etiam judicia & censuræ fuerint additæ. Quo magis etiam operis utilitas promoveatur, seorsim, eadem tamen subscriptionis lege, quatuor Tabulæ Chronologicæ, ad Historiam universalem spectantes, æri incidentur, pro quibus subscribentes nunc tres libras ac totidem M. Novembri solvent, duodecim libris redimendis ab iis, qui non subscripserint.

rint. Integrum vero erit cuique, num utrique operi, an alteri tantum subscribere velit. Inter alia, quibus aucta est hæc Methodus, eminent 1) diversæ supputationes historiæ Judicum; 2) varia Systemata historiæ Ægyptiacæ, Marshami nempe, Pezronii, Turneminii; 3) varia Systemata historiæ Assyriacæ, Herodoti, Ctesiæ, Pezronii, Montfauconii & Turneminii; 4) Parallela historiæ Græcæ; 5) unio imperiorum sub Alexandro & divisio Imperii post ejus mortem.

In Belgio *Janssonii vander Aa* Lugduni Batav. & *Petrus Gosse* ac *Jo. Neaume* Hagæ Com. Typographi, lucubrationes Sociorum Academiæ Regiæ Scientiarum Gallicanæ, ante renovatam A. 1699 Academiam seorsim plerumque editas, collegerunt, quas V Voluminibus in 4, a Cl. *de's Gravesande*, Professore Lugdun. apte dispositis, pariter per subscriptionem recudere instituerunt. Qua collectione uti scripta exhibebuntur quadraginta, plurimis figuris æneis illustrata, ita exulabunt tamen Duumvirorum Clariss. *de Huygens* & *de Mariotte* observationes, quippe quorum Opera omnia junctim edita jam prostant. Constabit opus circiter 33 florenis Belg. non subscribentibus quadraginta florenis vendendum. An vero subscriptionis beneficium his ipsis Calendis Maji, quibus hæc scribimus, re vera exspiraverit, ut fert programma, asseverare haud possumus.

Veronæ *Jo. Albertus Tumermani*, Typographus, in eo est, ut Celeberrimi Viri, *Henrici Norisii*, Card. Opera omnia, majora, minora, edita, inedita, tribus in fol. Voluminibus, eleganti typo & charta, cum figuris nitidis, junctim edat. Cujus editionis curam præcipuam Ill. Marchio, *Scipio Maffeus*, habebit, quem docti quidam monachi Veronenses, a quibus notæ subinde addentur, adjuvabunt. Desiderantur subscriptores 300, quorum quisque pro singulis tomis quatuor Ducatos cum libris Ver. sex & quatuor solidis solvet, cum ceteris, qui non subscripserint, solvendi sint pro singulis sex Ducati. Primus Tomus post menses sex, reliqui intra annum & dimidium prodibunt. Ceterum in publico programmate observavimus, nullum subscriptioni statutum esse terminum præclusivum.

)։(o)։(

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Junii Anno MDCCXXVIII.

THE HISTORY AND ANTIQUITIES OF the Cathedral Church of Canterbury &c.

i. e.

HISTORIA ET ANTIQUITATES ECCLESIÆ Cathedralis Canttuarienſis & eo quondam pertinentis Monaſterii; Autore Viro Rev. J. DART.

Londini, apud Jo. Cole, Sculptor. J. Smith & rel. typogr. 1727, f. Alph. 2 pl. 10, Tabb. æn. maj. 49, præter paſſim inſertas.

EOdem ordine parique ornatu prodit hic liber, quo antea prodierat ejusdem Autoris Hiſtoria Weſtmonaſterienſis, a nobis in Act. Er. A. 1727 M. Jun. p. 241 recenſita. Nimirum poſt Hiſtoriam brevem templi cathedralis Cantuarienſis ſequuntur monimenta quædam illic obvia, e quibus velut in tranſcurſu deſcribemus illud Caſauboni Jun. quod ita ſe habet: *Sta & venerare, Viator. Hic mortales immortalis ſpiritus exuvias depoſuit* Mericus Caſaubonus, *magni nominis eruditique generis par hæres: quippe qui patrem* Iſ. Caſaubonum, *avum* Henricum Stephanum, *proavum* Rob. Stephanum *habuit; hui, quos viros! quæ literarum lumina! quæ avi ſui decora! Ipſe eruditionem per tot erudita capita traduce excepit, excoluit & ad pietatis (quæ in ejus pectore Regina ſedebat) ornamentum & incrementum feliciter conſecravit, Rempublicamque literarum multiplici rerum & linguarum ſupellectile locupletavit. Vir incertum doctior, an melior, in pauperes liberalitate, in amicos utilitate, in omnes humanitate, in acutiſſimis longiſſimi morbi tormentis*

Christiana patientia insignissimus. Gaudeat primaria hac Ecclesia primariis Canonicis, Casaubonis *ambobus, qui eundem in eruditorum, quo ipsa in Ecclesiarum serie, ordinem obtinent. Obiit noster pridie Idus Julii A. 1671, ætatis suæ 75, Canonicatus sui 46.* Subjiciuntur his vitæ omnium Archi-Episcoporum ab Augustino, initio Seculi VII florente, usque ad modernum Wilh. Wake, quanquam hunc tantum nominet Autor, dolendumque fit, eum in postremis tribus, Wilh. Sancroft, Joh. Tillotsono & Th. Tenisono, recensendis nimis brevem fuisse, & ne diem quidem aut annum emortualem Tenisoni attulisse. Brevis etiam est, ubi de Decanis & Prioribus Ædis Christi, de Archi-Diaconis item & Canonicis Cantuariensibus agit, quibus tandem addit Appendicem veterum documentorum, e Bibliotheca imprimis Cottoniana depromptorum. Ceterum Ecclesiæ hujus prospectus & Epitaphia elegantiora nitidissime æri incisa manu Jo. Colii exhibentur, qui & suo nomine librum hunc dedicavit moderno Archiepiscopo. Hæc de libro pretii, quam usus, majoris memorasse suffecerit.

LA RELIGION DES GAULOIS.
h. e.
RELIGIO GALLORUM VETERUM; AUTORE R. P. --- Benedictino Congregationis S. Mauri.
Tomi II.

Lutetiæ Parisiorum, apud Saugrainium, 1727, 4.
Alph. 5 pl. 9.

NOvum prorsus opus se aggressum esse, ait Rev. Autor, cui nomen esse *Jacobi Martini*, compertum habemus, novamque tentasse viam, cum hic exhibere studet non vere solum ac sincere, verum etiam satis copiose descriptam Gallorum veterum religionem. Ipsi enim illi Galli nihil de sacris suis scriptum reliquerunt: imo nefas ab iis habebatur, in vulgus edere religionem suam ejusque interiora. Quæ vero Cæsar, Diodorus Siculus, Mela, Strabo, & Plinius de ea tradunt, vix duabus paginis implendis sufficiunt. Ac e recentioribus hoc argumentum singulari studio tractavit unus *Elias Schedius*, qui tamen hoc vitii habet, quod & inutiles multas facit digressiones, & sacra Gallorum explicat e Roma-

Romanorum ſacris atque Græcorum. Totam igitur veluti meſſem ut orbi literato repræſentaret Rev. Autor, nihil fecit reliquum, ſed diligentiſſime perluſtravit hiſtoriam vicinarum Gallis gentium, itemque monumenta antiquæ Galliæ, quæ noſtram ad ætatem pervenerunt, ac tandem etiam linguam Armoricam in conſilium adhibuit. Etiam Clariſſimo *Montfauconio* ſe multum debere, eumque ſibi & conſilio & opera affuiſſe, ingenue fatetur. Ceterum cum Galli, Britones, Germani, Celtiberi, gentes fuerint ejusdem originis, harum quoque gentium priſcam religionem aperit, ſeque profitetur toto libro primo, & aliqua parte ſecundi, perſequi priſcam religionem univerſi Septentrionis.

Hæc ex Præfatione decerpſimus. Ipſum opus, quod quadraginta quatuor tabulæ æneæ mirifice exornant, in duos Tomos diviſum, quinque Libris conſtat, quorum duos prior, tres poſterior Tomus continet. Ex his ſequentia delibare libuit nobis, qui ceteroquin fatemur, totum opus refertum eſſe rerum eruditiſſime tractatarum, idque præter ceteros de meliore nota commendamus Germanis noſtris, quippe quos ſacra cum Gallis habuiſſe communia, Autor *lib. I cap. 6* monet, & *cap. 14 p. 132.*

Lib. I cap. 1 ſtatuit Rev. Autor, religionem vetuſtiſſimorum Gallorum non fuiſſe totam ethnicam, ſed, qualis Magorum Perſiæ & Gymnoſophiſtarum Indiæ fuerit, philoſophicam. *Cap. II* docet, Gallos occupaſſe & inhabitaſſe Britanniam, adeoque religionem quoque ſuam illuc invexiſſe; ſed hanc religionem in Britannia manſiſſe ſinceriorem, ac proinde a Gallis eos adoleſcentes, qui ſacris eſſent operaturi, in Britanniam mitti conſueviſſe diſcendi cauſa. *Cap. III & IV* aliquot argumentis contendit, Gallos pariter ac Britonas ſuam religionem non ex Ægypto, nec a Græcis Romanisve, accepiſſe, imo horum religionibus multo ſapientiorem fuiſſe Gallorum veterum, & potiſſimum Druidum, religionem. Simul docet, inter ethnicas religiones Gallicam eſſe antiquiſſimam, eumque in finem oſtendit, multis partibus inter ſe conſentire religionem Gallorum cum ſacris doctrinis inſtitutisque Perſarum, imo & Patriarcharum & Judæorum. Hinc *Cap. V* concludit, antiquiſſimorum Gallorum religionem fuiſſe maxime rationalem. Non enim habuiſſe eos ſtatuas vel imagines Deorum,

nec templa, & unum duntaxat veneratos esse Deum. Tandem demum eos vitiasse suam religionem religionibus pravis Græcorum ac Romanorum, ita tamen, ut non receperint Venerem, Cupidinem, & alia turpis famæ Numina. *Cap. IX* agit de ipsorum sacrificiis humanis, vel potius inhumanis, quibus sacrificabant homines. Qui mos cum plerasque omnes nationes pervagatus sit, *Cap. X* docet, miseros mortales id fecisse æmulatione Abrahami, filium suum immolare jussi, cui veteres imposuerint nomen *Saturni*. *Cap. XII* instrumenta sacrificiorum in Gallia usitata exhibet e priscis monimentis depicta. *Cap. XIII* commemorans, Cæsaris tempore Gallos nondum habuisse templa, addit, in eo Patriarchas Hebræos iis fuisse exemplo, quos quippe constet & ipsos templis caruisse. Statim tamen *Cap. XV* adjicit, eos paulo post Cæsaris tempora imitatione Romanorum simulacra Deorum habuisse & templa, quorum aliquot figuras producit *Cap. XVII & XVIII*. *Cap. XX* de *Bardis* agit, eosque etiam parasitos fuisse ostendit, pluribus id confirmaturus, si Wagenseilii nostri librum legisset *de Bardis Noribergensibus* patrio sermone conscriptum, & *Historiæ Noribergæ* annexum. *Cap. XXI* & undecim subsequentibus *Druidas* sistit contemplandos, eorumque autoritatem & potestatem, doctrinas, artes, inter quas & Medicam floruisse, manifestum facit.

Libri II cap. II Deum Gallorum *Esum* sive *Hesum* considerat, quem docet supremum illum & verum esse Deum, eosque refellit, qui, Martem sub eo vocabulo latere, arbitrati sunt. *Cap. III* agit de quercuum veneratione apud Gallos. *Cap. VII & VIII* statuas Jovis Gallicas, quæ adhuc supersunt, depictas repræsentat. De Mercurio Gallorum, quem *Teutatem* vocabant, disputat *Cap. IX & XIV* & sex iis, quæ subsequuntur; de *Ogmio* Deo *Cap. X, XI & XII*; de *Beleno* sive Apolline *Cap. XXI* & sequentibus septem; de *Penino, Abellione, & Dolichenio*, quorum quemque Solem fuisse, doctissime docetur, *Cap. XXIX, XXX & XXXI*. Cum etiam sub *Mithræ* nomine Galli Solem coluerint, de hisce sacris copiose agit *Cap. XXXII* & tribus consequentibus: quæ eo cupidius legi merentur, quod ipse Autor in Præfatione sibi videtur Philippo a Turre ac Reinesio vidisse acutius. Hos enim scribit haud satis explicasse

plicasse cultum Mithræ, se vero, duce Hieronymo, nodum hunc Gordium solvisse feliciter. *C. XXXVI* de *Camulo*, Gallorum Marte, exponit, & hinc *Libro tertio* multa monumenta, quæ nondum perierunt, Numinum Gallicorum illustrat, e. g. *Cap. VIII* agens de *Hercule Macusano*; *Cap. IX* de *Hercule Saxano*; *Cap. XX* & *XXI* de Deo *Cerunno*. *Quartus Liber* Deos exhibet serius in Gallia receptos, Saturnum, Vulcanum, Volianum, Bacchum, Telesphorum, Circium, Cybelen, Proserpinam, Ardoinam, Nehaleniam, Isidem, Onuavam. *Liber quintus* sepulturam veterum Gallorum describit & monimenta sepulcralia. Hic potissimum attentione digna sunt Capita quintum & sextum, quibus formula in multis Gallorum sepulcris conspicua: *sub ascia dedicavit*, examini subjicitur. Ac priore quidem describuntur simul ac proscribuntur variæ antiquariorum interpretationes; posteriore censet Autor, *asciam* istis locis non esse *dolabram*, (eine Axt) sed *ligonem* sive *rastrum*. Id probat cum e figura asciæ, priscis monimentis incisa; tum e nomine hujus instrumenti, hodieque in Languedocia usitato, *assado*; tum e Sidonii Apollinaris *Lib. III Epist. 12*, ubi mentio fit *rastri funebris*. Putat igitur, *asciam* fuisse rastrum peculiariter consecratum huic usui, ut eo egereretur terra sepulcro destinata, talique sub ascia sepulcra fuisse ibi locorum dedicata. Nova etiam ratione explicat illam XII tabularum legem: *Rogum ascia ne poleito*, hoc est, fossam rastro ne conficias, sed solis manibus. Memorat etiam, Montfauconium de superiore formula singulare Caput exhibuisse in suo *Antiquitatum* opere, & rejectis omnium interpretationibus suam liberaliter fassum esse ignorantiam.

VIE DU CARDINAL D'AMBOISE, PREMIER Ministre de Louis XII, Pere du Peuple.

h. e.

VITA CARDINALIS DE AMBOSIA, Ministri primarii Regis Ludovici XII, Patris Patriæ, cum comparatione Cardinalium celebrium, qui statui publico præfuerunt; Autore L. L. G.

Tomi II.

Amstelodami, apud Jacobum Sincerum, 1726, 12.
Alph. 3 pl. 5.

ETsi Cl. Autor in Dedicatione ad Regem modernum Christianissimum nomen exscripserit *Le Gendre* (Ludovicus prænomen est) causas tamen habuisse videtur, cur verum nomen typographi & loci impressionis non addiderit, quod tum ex subscriptione: *a Amsterdam, chez Jacques le Sincere, rüe Veritable au Miroir qui ne flate point*, tum ex typorum, qui in Gallia impressum librum docent, inspectione facile patet. In Præfatione profitetur se in hac Vita solam veritatem sectaturum, quod causam adulandi post tantum temporis intervallum, emortua imprimis familia Ambosiana, nullam inveniat: indignatur vero inter alia, Viros graves, ut Doctorem *Frizon* in Gallia Christiana & Patrem *Pommeraye* in Historia Archi-Episc. Rotomag. tam supine errare potuisse, ut hunc Cardinalem per triginta annos rebus Gallicis præfuisse assererent, cum constet facile, eum sub solo Ludovico XII, qui A. 1498 ad Regnum pervenit, non nisi ad diem 25 Maji 1510, quo ipse Cardinalis e vita decessit, atque adeo non nisi duodecim annis rerum summam moderatum esse.

p. 110. Ut pauca decerpamus, fuit Georgius de Ambasia seu Ambosius ex familia *de Berrie* oriundus, quæ tamen ob hereditatem, a Matilde Ambasia acceptam, nomen hujus familiæ & insignia adsciverat. Patre *Petro*, Camerario Regio, & matre *Anna de Beüel*
3, 4, 7. A. 1460 natus, octo fratres totidemque sorores habuit, de quibus merito observamus, quod & illi omnes summis muneribus fuerint ornati, & harum pars maritos spectatissimos nacta fuerit, pars ecclesias rexerit felicissime. Puer admodum, nullis licet litteris imbutus, ut tum ferebant tempora, Doctoris Juris Canonici
8. titulum facile impetrabat, & anno ætatis 14 ad Montalbanensem Episcopatum, autoritate fratrum (erat autem fere minimus natu)
9. evehebatur, mox deinde in aulam Eleemosynarii nomine sub Lu-
57. dovico XI vocatus. Inde sub Carolo VIII Archi-Ep. Rotomagensis factus, Ludovico Duci Aurel. Normanniæ Præfecto, postea Re-
64. gi, ita adhæsit, ut ejus per Normanniam Locum tenens fieret, &

cum

cum Rege in Italiam proficiscentem sequeretur. Rege mortuo, cum Ludovicus succederet, admotus mox gubernaculo Ambosius, autor fuit novo Regi, ut uxorem sterilem & deformem dimitteret, & regiam Viduam duceret. Notari vero meretur, quod, tametsi aulam solus regeret Ambosius, simul tamen, postquam Cardinalis dignitatem fuisset consecutus, etiam a Pontifice Alexandro VI Legati a Latere munus acceperit, eoque nullo Regis vel Papæ præjudicio diu functus sit. Mediolano capto, suasit Regi, ut illic conderet Professionem Theologiæ, Juris ac Medicinæ, eruditosque eo constitutis salariis evocaret, quamvis urbe ac provincia mox iterum spoliato. Profectus tum primum in bellum Ambosius noster, Locum tenentis generalis nomine, effecit, ut Sfortia proderetur ab Helvetis A. 1500 & Mediolanum iterum Gallis traderetur. Nec dici potest, quantam a Mediolanensibus gratiam retulerit, cum illis, deprecantibus ob fidem nuper solutam, in publica pompa Regis nomine ignosceret. Hinc & cum Hispanis de partiendo Neapolitano Regno non sine successu pactus, & cum Maximiliano Imp. Tridenti collocutus, hunc ad prorogandas inducias induxit. Pulsis deinde Neapoli Gallis, damni resarciendi causa rursus Noster cum exercitu in Italiam rediit; at dum, mortuis Alexandro VI ejusdemque successore Pio III, bis Romæ spe consequendi Pontificatus, cui maxime inhiabat, frustraretur, occasionem opprimendi Hispani amisit. Labascentibus inde prorsus Gallorum in Italia rebus A. 1504, Galliæ contra pestem jam grassantem provida cura prospiciebat Cardinalis, & mox iterum Cæsarem conveniens, qui Mediolani Gallis eripiendi cupidus erat, pacem cum eo sanciebat. Cum vero deinde novæ pactioni, qua unica Regis filia Philippi filio Carolo, postea V, sponsa promittebatur, subscribere a Regina coactus fuisset, mox per emissarios clandestinos status Regni suscitabat, ut certatim Regem admonerent, ne filiam externo Principi, potius ut proximo hæredi Francisco desponsaret; nec res successu caruit. Mox Ludovico Genuæ domandæ autor fuit, eaque occupata, Ferdinandus Cathol. Savonæ Ludovicum salutabat, & secreta cum Ambosio fœdera tractabat, quæ Venetis imprimis & Julio II suspecta videbantur. Cum deinde præcipuæ ejus partes fuissent in fœdere Camera-

censi,

p. 97. 123. 213. 131. 144. 154. 162. 198. 260. 273. 275. 302. 310. 370. 374. 400.

censi, infirmus licet, cum Rege contra Venetos ibat, ubique superior. Quid ejus consiliis gestum sit contra Venetos, non est ut re-
p. 462. petamus: ipse quidem podagra & febri fractus, dum aulam repeteret, Lugduni d. 25 Maji 1510 exspiravit. Hæc latius deducuntur Tomo I, variaque passim observantur ad externas res pertinentia, e quibus id unum memoramus, quod de Ferdinando Catholi-
292. co notat Autor, eum nempe monachis uti suevisse Legatis, quoties legationi dolus subesset. Tomo II elogium Ambosii prolixum satis recensetur, ejusque comparatio cum aliis Cardinalibus, qui Regna gubernarunt, Ximenio, Volsæo, Richelio & Mazarino instituitur, demumque genealogia familiæ Ambosiæ, cum testamento ipsius Ambosii Card. aliisque documentis publicis, ad historiam hanc spectantibus, subjicitur.

SAMUELIS PARKERI, EPISCOPI NON ita pridem Oxoniensis, de rebus sui temporis Commentariorum Libri IV; e Codice MS. ipsius Autoris manu castigato, nunc primum in lucem editi.

Londini, typis Jacobi Bettenham, 1726, 8 max.
Alph. 1 pl. 2.

NIsi *Parkeri* nomen tot egregiis litterarum monumentis clarum esset, soli *Commentarii de rebus sui temporis* famam ipsi perennem conciliarent. Cuncta enim optimi historici requisita undiquaque collecta huc transscribere, per instituti nostri rationem si liceret, singula eorum Nostro competere, facillimo negotio demonstratum daremus. Urgeamus saltem, ne tanta ejus merita silentio prætereamus, aliqua ut summa, ut omnium maxime necessaria. Rerum, quas describit, aut testis αὐτόπτης ipse fuit, aut ab aliis, qui factis interfuerunt, fideliter accepta refert, aut actorum publicorum, quorum fides maxima, autoritatem allegat. Accedit, quod utramque facit paginam, animus ab omni partium, quibus Anglia eo ævo distracta, studio longe alienus, virtutem quoque in hoste laudans. Omnia autem stilo puro, eleganti, historiæ scribendæ apto involvit, sparsis hinc inde

inde ad veterum exemplum flosculis, quos vocant, politicis. Plura in Nostri laudem haud cumulamus, quin potius, nisi te tantis deliciis indignum judices, ad ipsius libelli lectionem sincere ablegamus. Ut autem, quis fructus inde sperandus, scias, potissima ejus capita indicabimus. Exhibet gesta ab anno superioris seculi sexagesimo ad ejusdem octogesimum tertium, quatuor libris comprehensa. Carolo II per tot discrimina rerum ad avita regna p. 1.
reverso, quosvis post tot turbulentas tempestates halcyonicos dies sibi præsagiebant, quos turbarum tædium ceperat. Cromwelliani tamen, omnis Regii nominis infestissimi hostes, nova indies in 4.
Regis excidium cudebant consilia, facile valitura, nisi Caroli suorumque vigilantia Ludlovi, Venneri, Anabaptistarum & Presbyterianorum conjurationes in ipso partu suffocasset. Tantis moti- 16.
bus, ne ulterius serpant, obviam ibat Regni Senatus promulgatione legum de Cromwelli asseclis a magistratu abrogandis, de Typographorum (editus enim inter alia mendacia erat liber *Anni mirabiles* inscriptus, totus, quantus quantus, incredibilibus, quæ nuper facta somniabant, prodigiis plenus) audacia coercenda, deque disciplina Ecclesiastica *Uniformitatis* lege lata, quam a 22.
perduelli clero labefactatam Sheldoni Londinensis Episcopi, de cujus meritis multa Noster differit, eloquentia firmavit. Quibus 47.
factis permagna conjuratorum manus, sub prætextu Pontificiorum in Protestantes odii, Regis vitæ insidias struxit. Parum ergo aberat, quin *Uniformitatis* lex, nisi a proposito Regem cordatiores avocassent, fuisset abrogata. Eadem, ut in Anglia, in Hibernia 58.
mutatis actoribus fabula; sed noxia perduellium consilia Vernono Vice-Regi Philippi Aldeni & Theophili Jonesii calliditas 67.
prodidit. Novæ quoque mox in Anglia turbæ ortæ, quæ, Otesiis fratribus patrem conjuratorum principem frustra asserentibus, & Typographis famosorum libellorum pœnam luentibus, componuntur feliciter. Præterlapso inter hæc sexagesimo tertio anno, & 74.
bello in Belgas decreto, perduelles novos sumunt spiritus, mox per renovatam *Elizabethæ* legem penitus fracti. Hæc insequebatur pestilentia gravissima, perierunt enim ad ducenta millia hominum, quod damnum victoria Eboracensis Ducis de Opdami classe 79.
aliqua ex parte resarcitum videbatur Schismatici inde in patriæ

interitu salutem quærentes, Acheronta movere haud erubescunt.
p. 87. Pars consilia & auxilia hostibus ferunt, alii ipsam Regiam, nisi Albemarliæ Dux periculum discussisset, igne delere cupiunt. Anno sexagesimo sexto auspicato Angli, per belli furta evocati, atrox
90. navale prœlium cum Belgis committunt. Scoti sociorum clade nondum doctiores Turnerum capiunt, de quibus, isto e carcere
101. elapso, pœnas sumunt Deyellius & Drummondus. Hinc enarrato tredecim tectorum millium Londini incendio, quod Casparem Zieglerum Lipsiensem pridem ante (nempe in Exercitatt.
106. circa Regicidium Anglor.) prædixisse putat, finem imponit Noster primo Libro; nunc ad secundum. Tot, quarum seriem dedimus, miseriis defatigati Angli agunt de pace cum Batavis, qui fœdere
111. jam icto hostilibus pergunt. Sed en! dum paci externæ per triplex fœdus cum Sueciæ Rege & Belgii Fœderatis Provinciis in Regem Galliæ Ludovicum XIV consulitur, Britanniæ Regni Ordines in duas acies scinduntur, quod schisma omnium, quæ secuta sunt, ma-
119. lorum fontem merito dixeris. Mox enim *Coronæ*, quod vocant, *Pa-*
124. *trimonium* vænum exponitur; fœdere, quod paulo ante nominavimus, triplici rupto, novum cum Gallo in Batavos percutitur, miserisque istis bellum non indictum infertur. Congrediuntur Angli prœlio navali cum Batavis, superioresque, multis quidem, quibus Noster prolixum dicit panegyricum, viris fortibus amissis,
134. discedunt. Tot cædibus utraque gente attrita, Belgæ pacem petunt, quam, lite de demittendis velis composita, anno septuagesimo quarto impetrant. Patria, in qua alma pax vigebat, hinc paulum relicta, bella, quibus omnis fere Europa diripiebatur, Noster sistit. Gallorum victricibus armis ad resistendum societatem faciunt Imperator Romanus, Rex Hispaniæ & Fœderatæ Provinciæ, quibus accedunt Lotharingus, Brunopolensis & Luneburgensis Duces, Elector Brandenburgicus, Rex Daniæ, Osnabrugensis &
144. Monasteriensis Episcopi atque Palatinus Princeps. Tantam belli flammam, quæ tribus atrocissimis prœliis sævierat, extinguere, sed irrito successu, studet Anglus. Hinc Turini cæde & Cresquii clade iratiorem Martem sentit Gallorum res anno proxi-
155. me insequente septuagesimo quinto. Quapropter in inferiori æque ac superiori Germania ex æquo campo ad oppida bel-
lo

lo tracto, varia partium fortuna urbes obsidendo capiendoque pugnatur. Valencenæ, Cameracum, Audomaropolis, Visidungum, anno septuagesimo septimo, & sequente Gandavum, Hypræ, Lovacum & Puysardum expugnantur, qua etiam tempestate Crequium Starenbergius, cujus laudes Noster pro more prædicat, ad prœlium provocat. Gallus tandem viribus suis contra tot adversarios diffidens, pacem seorsim cum Batavis init, quamvis eodem, quo novæ pacis conditiones signatæ, die a Luxenburgo & Aurantiæ Principe cruentum pugnaretur prœlium, in quo Britannorum in exercitu Gallico, imprimis Ossoriensis Comitis, quem laudandi occasionem inde arripit, virtus præ ceteris enituit. Perlustremus nunc fata Suecorum, quos Danus & Brandeburgus ad incitas fere deducunt. Volgastia enim & Wismaria capitur anno septuagesimo quinto, & sequente sexto prope Lundinum Scanorum funesto inter Danum & Suecum prœlio commisso, hic ab isto septimo anno bello navali devictus & Stetinum a Brandeburgo expugnatum fuit. Anno proximo Dani, a Coningsmarekio haud ita pridem ex insula Rugia fugati, amissa recuperant, recuperatisque Sundin & Viritium Brandeburgus addit. In his Suecorum angustiis, ut in integrum restituantur, Brandeburgum & Danum cogit Gallus, quorum uterque hunc adversum casum tribuit Batavorum perfidiæ, quam suo itidem malo se expertos Hispaniæ Rex & Lotharingiæ Dux conquesti fuerunt. Maximum ex omni hoc bello commodum in Aurantiæ Principem, de quo majoribusque plura Libro III Noster disserit, derivatum fuit. Hinc Turcarum & Tartarorum in Poloniam incursionum mentionem facit Autor, quod Sobieskii virtutem multis encomiis ornandi ansam ipsi præbuit. Hæc excipit seditio Messinensis (ex cujus compositione quanta commoda Angli tulerint, demonstratur) & Hungarica, ut & origo obsidionis Viennæ, cujus in libertatem vindicatione tertius Liber clauditur. Descendimus ad IV & ultimum, ubi Noster, qui fere longius ab itinere decesserat, ad suos redit. Carolus tot turbis victus liberum omnium religionum concedit exercitium, quæ res duo bella civilia, alterum cum Parliamento de potestate in Ecclesiasticis, alterum cum Sectariis peperit. Jam Schaftoniensis Comes, cujus & Bridgemanni antecessoris vitæ exponuntur,

Margin: p. 161. — 166. — 177. — 182. — 186. — 192. — 206. — 217. — 227. — 242. — 251. — 262.

tur, Cancellariatu a Stranguajo exutus ad Sectarios in Pontificios transit. Hinc famosorum libellorum, ex quorum autoribus Marvellius quidam, qui lethalia ista, quæ Noster supra p. 119 significaverat, acerbiori stylo exarata dedit, præcipuus, magna vis in vul-
p. 288. gus mittitur. Inde occasionem Noster nactus, Sectariorum, quæ ab anno ejus Seculi sexagesimo septimo patraverant, scelera enumerandi, quorum antesignani Joannis Oweni *Apologiam pro Conscientiæ Libertate* multis & solidis argumentis refutat, & Thuanum, imperii in Ecclesiasticis moderationem collaudantem, erroris insimulat, suam insuper cuique permissam religionum licentiam, non e re publica, imo omnis pestis scaturiginem esse, firmis ra-
312. tionibus & exemplis adstruit. Res ipsa loquitur. Docemur quippe, *Papale* bellum ortum esse. Hinc Ducis Eboracensis nuptiarum dissolutionem postulant pacis publicæ turbatores, qui repulsam ferentes, majoris damni autores exstitere. Auxilia in hostes Regi Parliamentum abnuit, rumor de Pontificiorum & Gallorum insidiis falsus in credulam plebem spargitur, dissidium in utroque
319. Regni consessu miris modis seritur, fitque Parliamenti a Rege
334. continua secessio. Et hæc sunt quæ strictim e libro non magno memorare libuit.

DOMINICI GEORGII DISSERTATIO Historica de Cathedra Episcopali Setiæ Civitatis in Latio, cum appendice monumentorum, eandem Ecclesiam & Civitatem illustrantium.

Romæ, ex typographia Hieronymi Mainardi apud theatrum Capranicense, 1727, 4 maj.

Alph. 1 pl. 17.

QUo paucioribus iter tritum fuerit viatoribus, eo plura offendes obstacula, eo major cura erit adhibenda. Eadem fata experiuntur, qui temporis injuria obliterata in scenam producunt. Bibliothecas enim perscrutari, codices vetustiores diurna nocturnaque versare manu, lapides ex ruderibus eruere, inscriptiones, quas situs exedit, legere, hoc opus, hic labor est. Laudanda itaque Cl. Autoris, jam variis scriptis illustris, industria, qui in præ-

præsenti Dissertatione nihil, quod ad rem suam faceret, intactum reliquit. Setia, vel, uti apud Italos audit, *Sezza*, est urbs Campaniæ, antiquitate præ ceteris maxime conspicua, id quod Noster p. 2 seqq. ex lapide, in quo Hercules ejus conditor dicitur, & ex clarissimis veterum Geographorum æque ac Historicorum testimoniis docet. Huic oppido priscum splendorem, tot seculis obscuratum, restituisse hodiernum Papam Benedictum XIII, merito dicendum est. Testantur id duæ Constitutiones de restituta Setinæ civitati cathedræ Episcopalis dignitate, deque ejus cum Tarracinensi Ecclesia, æque principali, unione, anno nostri seculi vigesimo quinto & sequente sancitæ, quas Noster post dedicationem (inscripsit autem librum eidem Pontifici) & præfationem exhibet. Sed, qui haud animo æquo hanc Setiensium fortunam intuebantur, eam duobus telis impugnabant. Alii jus cathedras Episcopales pro lubitu constituendi Papæ competere; alii Setiam tanti muneris capacem esse, negabant. Utrisque solide Noster respondet: illis in dedicatione, his per totum opus. Nonne longe viliores urbes in Latio eadem prærogativa gavisæ fuerunt? Adeat, qui Historiæ Ecclesiasticæ adeo expers est, Nostrum a p. 6 usque 58. Nonne tot, quot vix vicina oppida, superbit sanguine & egregie gestis nobilibus? Affatim hoc docet finis libri. Nec ex suo hæc Noster. Stant ab ejus partibus fidei haud sublestæ monumentorum nubes, quorum potissima, numero XXXIV, vide sis totius rei tractationi subjuncta. Augiæ stabula Nostro fuisse purganda, singulæ ferme paginæ loquuntur. Audiamus aliqua ex multis. Episcoporum catalogi haud tolerandis nævis laborabant. Hinc p. 36 & 38 Ughellus, p. 41 seqq. Lucas Holstenius, p. 48 Antonius Massa fuerunt emendati. Gothos, Longobardos & Saracenos Noster queritur, in vetera monumenta crudeles, historiæ Italiæ Ecclesiasticæ æque ac profanæ operam danti tantas peperisse difficultates, ut, qui eas ex voto superare credat, somniasse videatur. Cujusvis proinde viri boni officium est, ut, qua lacunas inde ortas suppleat, nullam occasionem prætermittat. Cujus rei Noster probe memor, p. 37, 74, 75 & 76 Ughellum, p. 48 vulgatum Gallesiensium & p. 61 seqq. Setiensium Præsulum catalogum ex MSto, quod in Monasterio Perusino asservatur, auxit. His laboribus

haud levibus ſuperatis, reſtabat alius fere Herculeus. Veterum a noſtra longe diſpar pronunciatio & exinde orta ſcriptura multos in transverſum rapuit, hinc ne idem Noſtro accideret, omnis lapis erat movendus. Deſiderabatur in Conciliorum ſubſcriptionibus Laurentinus Epiſcopus. *Lorenſis* quidem, nullibi *Laurenſis* legebatur. Quare Noſter p. 8, collata cum p. 25, in eam adductus fuit opinionem, barbaris olim temporibus *Laurentum* fuiſſe dictum *Lorentum*. Omnes, qui vel per tranſennam impreſſos, ne dicam ſcriptos libros aſpexerunt, ei ſubſcripturos eſſe confidimus. Legiſſe enim meminimus apud Suetonium de Veſpaſiano c. XXXII, ipſum *ploſtra* pro *plauſtris*, *Flaurum* pro *Floro* dixiſſe. Et ne plura in medium proferamus, *Plautius* apud Salluſt. Cal. XXXI & Suet. Cæſ. V in MSStis, quæ vel Commentatores vel nos ipſi vidimus, audit *Plotius*. Quam τȣ̃ *au* cum *o* confuſionem ſedulo annotarunt Voſſius de arte Gramm. II, 4, Sanctius Min. IV, 16, voce *Morus*, Jul. Cæſ. Scaliger de Cauſ. L. L. I, 8, quibus omnibus facem prætulit Feſtus voce *Orata*. In eundem cenſum venit τȣ̃ *b* cum *c* & *v* commutatio, quæ quo frequentior in libris ſcriptis, eo facilior ad aberrandum a recta via. Poſſemus aliunde ſexcenta exempla transſcribere, niſi jamjam paratas fruges apud Noſtrum appoſitas inveniremus. Sic p. 35 allegatur inſcriptio, in qua *Viterbienſis* per *b*, ſicut p. 76 *Vulturnenſis*, *Verulenſis* & p. 102, *Valvenſis* eadem ratione, it. p. 40 in lapide a Blanchino quondam deſcripto *Benturi* pro *Venturi*; at e contrario ibidem *tivi* pro *tibi* & p. 54 *Vicoaventinenſis* pro *Vicohabentinus* extat. Sufficiat, delitias, quas magno apparatu in hoc opere invenies, primis labris deguſtaſſe. Non poſſumus autem non omnes ac ſingulos, quibus iſta, quæ antiquitatem redolent, bene ſapiunt, ad has epulas invitare, ſpondentes, hilarem quemque inde abiturum eſſe.

SCRIPTORES RERUM GERMANICARUM, præcipue Saxonicarum, in quibus ſcripta & monimenta illuſtria, pleraque hactenus inedita, tum ad Hiſtoriam Germaniæ generatim, tum ſpeciatim Saxoniæ ſuperioris, Miſniæ, Thuringiæ etc. ſpectantia, continentur: Ex ſua Bibliothe-

ca

ea aliisque edidit JO. BURCHARDUS MENCKENIUS, JCtus, Potentissimo Regi Polon. atque Electori Saxoniæ a Consiliis Aul. & Historia, Hist. in Acad. Lips. Prof. Publ. & Societat. Reg. Britann. & Boruss. Socius.

Tomus I.

Lipsiæ, impensis Joan. Christiani Martini, 1728, fol. Alph. 12, Tabb. æn. 8.

AMantissimus Historiarum Imperator, Divus Maximilianus I, peculiari rescripto omnes quondam Imperii Proceres admonuit, id darent gloriæ Imperii, & suæ quisque gentis decori, ut, qua possent, industria & fide in domesticos lares inquirerent, quo de potissimis Germaniæ Principibus æviternum conderetur monimentum. Eximie hoc officio usque huc defuncti sunt illi imprimis, qui Scriptoribus, quorum opera in describendis Germaniæ gentibus olim fuerat versata, colligendis & e tenebris eruendis singularem navarunt industriam, unde Leibnitii Scriptores Brunsuicenses, Pezii Austriaci, Ludewigii Herbipolenses & Bambergenses, Moguntini denique Joannis in publicum prodiere, ut plures taceamus. Et ne deesset Saxoniæ nostræ suus hac in parte splendor, effecit nunc Celeb. *Menckenius*, Præses noster, Vir de universa re literaria egregie meritus, editis nuper admodum duobus Tomis Scriptorum aut MSCtorum, aut raritate MSCta ferme superantium, quibus non parum nitoris Tabulis æneis typorumque elegantia accedit. Hos dum Sacratissimæ Sarmatarum Majestati, Patriæ Patri longe Clementissimo, devotissime consecrat, in Dedicatione inter alia memorat, Saxoniam nostram nunc maxime literarum gloria florere, testaturque, nuper ipsum Potentissimum Sardiniæ Regem Lipsiam nostram in Germania, ut Lutetiam Gallorum, & Londinum Anglorum, potissimas literarum in Europa sedes agnovisse. Enimvero promiserat Vir Celeb. ab aliquot annis publico programmate singularem Scriptorum Saxonicorum, Misnicorum ac Thuringicorum collectionem, quæ non rariora modo, sed & passim obvia scripta complecti debebat,

bebat, ut haberent exteri, unde integrum historiæ nostræ systema peterent. Verum dum plures interea ad ipsum perferrentur Codices MSCti, non ad nostram modo, sed universam Germaniæ historiam spectantes, qui lucem nunquam adspexerant, abjecto priori consilio, Bibliothecæ suæ locupletissimæ cimelia, in quibus quidem Saxonica eminebant, cum perpaucis, impressis licet, rarissime tamen obviis, & nunc vel ad Codices revisis vel notis illustratis, sub generaliori inscriptione in lucem protraxit. Sibi quidem pro modestia & candore, quo pollet, singulari integrum haud fuisse profitetur, omnia notis collustrandi, ut adeo paucas tantum, sub manu notas, sibi vindicet. Attamen ad integritatem Codicum exprimendam nihil omisit, adeo ut maluerit errare cum MSCtis, distinctionibus etiam singulis retentis, quam intempestive hariolari. Patescit illud statim in primo Opusculo, *Autoris nempe Anonymi Chronico veteri a Carolo M. usque ad mortem Friderici II Imp.* quod ita scrupulose ex membrana Bibliothecæ suæ, 400 circiter annorum, describi curavit, ut sphalmata quoque fuerint retenta, quæ tamen quivis facile emendaverit. Integrum Chronicon, quod ab ipsa creatione, ut pleraque illorum temporum, incipit, huc transcribere vix operæ fuisset pretium; placuit potius Editori a tempore Francorum, imprimis Caroli M. incipere, & deinde quoque Ecclesiastica quædam, aliaque parum ex usu visa prætermittere. Ipse Autor in exordio Operis sui ad librum, *Pantheon*, provocat, quo nomine *Gottfridi Viterbiensis Pantheon*, a Pistorio Scriptorum Tom. II editum, indigitare videtur. Anonymus tamen ab eodem multum est diversus, & cum Viterbiensis vix nominet Henricum VI, ipse longius progreditur, dignus omnino, qui in lucem protrahatur, cum fabulas non adeo sectetur,
p. 30. dum e. g. Fridericum Barbarossam Alexandri III mandatis per omnia quidem obedivisse scribit, nihil tamen de conculcatione Imperatoris addit; præterea de morte Friderici refert, ipsum, dum vellet liberare Teutonicum, qui in flumine transvadendo submergebatur, pectus, dum nataret, ad lapidem magnum allisisse, inde-
31. que animam emisisse; & Philippum Ottoni IV Imperatori Arela-
33. tensi Regno cessisse, affirmat. Succedunt II *Lectiones emendatio-*
37. *res & auctiores Chronici* ALBERICI, *Monachi trium fontium* ab

ab A. 960 ad A. 1241. Vulgaverat ipsum Chronicon *Leibnitius* in *Accessionibus Historicis*; pulchro tamen Codice e Belgio ad se delato, operæ pretium putavit Noster, ut, diversissimis inde lectionibus in lucem protractis, librum utilissimum integritati suæ restitueret. Quis fuerit Albericus, ex fronte libelli, & dictis ad A. 1237 constat, ubi scribit: *obiit primus Abbas Ecclesiæ nostræ novi Monasterii Leodiensis:* unde & de vicinis rebus Gallicis, Metensibus, & Verdunensibus fuit sollicitus. Videtur vero pluribus annis huic Chronico insudasse, dum ad A. 1216, de *moderna Angliæ Regina*, & ad A. 1239 de *Joannis de Palatio Carpini Historia Tartarorum* A. 1246 conscripta, verba facit; nec mirandum, istum ad A. 1106 diserte notasse: *Ex aliorum libris lecta posuimus. Ceterum quæ sequentur, quia recentis memoriæ sunt, a probabilibus Viris tradita, vel a nobis ipsis visa, vel audita, ponemus:* quæ minime obsunt, quo minus eundem totius Operis autorem existimemus. Recte de ipso judicaverat *Jac. Thomasius de plagio literario §. 585*, Albericum inter eos nominans, qui centone quodam ex variis Chronicis consarcinato componuntur. Nec quisquam sane accuratius ubivis notavit, ex quibus profecerit, in quibus sunt longe plurimi hodie prorsus deperditi, quorum tamen fragmenta Alberico adhuc debemus. Præterea non res modo in Republica gestas per singulos annos non sine delectu commemorat, verum & primus horum scriptorum Historiam literariam juvat, neminem omittens hominum paullo doctiorum, barbaris etiam seculis florentium, cujus non scripta adducat diligenter, imo Epitaphia, atque integras quandoque epistolas afferat. Sequitur III *ANDREÆ* p. 89.
Presbyteri Chronicon breve ab A. 568 usque ad A. 874, ex membrana seculi circiter IX notas habente ac forte autographa productum, quod cum Cel. *Menckenio* communicavit Juvenis quidam modestissimus, sub *Hermannii Philomusi* nomine latitans, tum forte revelandus, cum *Lucii Licinii*, quas promisit, *Epistolas* in lucem protrahet. Vixit autor Ludovici II Imp. tempore, cujus 100.
funus se comitatum dicit, mox in Ca[illegible]lomanni adventu in Italiam abrumpens. Nomen Andreæ ipse prodit, & Presbyterum se esse testatur; forsitan idem ille est Andreas Presbyter Ravennatensis, qui & *Agnellus* appellatus, Autor *historiæ Pontificum Ravenna-*

rum, quam Cel. *Muratorius* tum seorsim, tum inter Italicarum Rerum Scriptores Tomo II, magna cura edidit. Agnellus enim ille circa A. 805 natus, & noster Andreas circa A. 878, quo fere telam abrupit, mortuus videtur: præterea loquendi modus idem,
Not. ad p. 92 ut *Philomusus* singulari exemplo docuit: saltem patria adhuc crucem figit, cum ille Ravennas, hic Mediolanensis vel Mediolano vicinus fuisse videatur. Huic junguntur ex membrana vetusta Bi-
101. bliothecæ *Menckenianæ* IV *Annales Francorum ab A. 801 ad A. 822*, quorum Autor rebus notatu non indignis, uti de Venetis a
104. Carolo M. debellatis & subactis, portenta quoque fabulis similia
107. admiscuit. V prodit liber inter impressos rarissimus, *PETRI SAXII, Arelatensis Ecclesiæ Canonici, S. Theol. Doct. Pontificium Arelatense, seu Historia Primatum S. Arelatensis Ecclesiæ*; quem editum olim Aquis Sextiis, A. 1600, forma quadripartita, sed mox, ne jura Germaniæ in Arelatense regnum nimis omnium oculis paterent, suppressum, & 20 vel 30 Vallensibus, modo exemplum daretur, venditum, jam pridem optarunt eruditi in Collectione aliqua recudi, Germani imprimis, quod Imperatores nostri diu tenuerint regnum Arelatense, & ex Arelatensi haud dubie stirpe prodierit primus Thuringiæ Comes Ludovicus Barbatus, Caroli quippe Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis filius, unde passim scriptores, ut *Tentzelius* in hoc ipso Opere *T. II p. 998*, hanc stirpem primam Comitum seu Landgraviorum Thuringiæ *Arelatensem* vocarunt. Equidem Cl. *Knesebeck* in *Prodromo Juris Publici universalis* complura diplomata ex hoc Opere, quod totum ex diplomatibus compositum & collectum est, hinc inde excerpserat, nondum tamen restinguens sitim eruditorum, cui nunc demum, integro opere recuso, satisfieri poterit; imprimis dum sphalmata frequentia, quæ sensum fere obscurabant, sublata, & justæ distinctiones positæ, ita tamen, ut diplomata intacta relinquerentur, citationes præterea, in margine sine nota appositæ, suis locis sint assignatæ, ac summaria margini adscripta. Ceterum de Autore, qui forte *de la Roche* apud suos audiit, nihil fere proditum reperitur, nisi quod ipse se sub Clemente VIII Avenione in Collegio & æde B. Nicolao sacra per septennium studiis operatum, & sub Horatio Montano A. 1602 in Archiepiscopale sodalitium S. Are-

Arelat. Ecclesiæ receptum, Petri d'Angiers hortatu laborem hunc aggressum esse, memorat. Hunc excipiunt VI *Diplomata CXXIX* p. 329 & 367.
Abbatiam Chomburgensem prope Halam Suevorum sitam concernentia ab A. 1090, quo fundata, ad A. 1480. 379. Notum est in finibus Suevize & Franconiæ Monasterium Chomburgense, non Comburgense aut Cambergense, ut falluntur alii, in monte situm, a fluvio *Chobe* seu *Kochen* præterlabente nominatum. Habuit Chombergum olim Nobiles de Chomberg, inde Episcopos Augustanos, & horum permutatione Comites Rotenburgi Dominos, ex quibus Richardus arcem illic extruxit, quam deinde filius ejus Burchardus S. Benedicto sacravit; inde Seculo XII Abbatiæ nomine paruit Episcopo Herbipolitano, habetque hodie Advocatos Pincernas de Limpurg, qui Advocatiæ feudum recipiunt ab Herbipolensi, qua de re multus est *Mart. Magerus a Schœnberg*, Prælaturæ hujus olim Syndicus, in *Advocatia armata*, quo cum meretur conferri *Crusius in Annalibus Suevicis*, ubi & Catalogum Abbatum imperfectum tentavit, hic sub auspicium Diplomatarii ex ipsis diplomatibus suppletum. Integrum Diplomatarium ab Ill. *Ziegmanno*, Ser. Duci Saxo-Gothensi quondam a sanctiori Senatu, benignissime communicatum, rebus minoris momenti omissis, nunc justo ordine dispositum, haud ingratum erit Suevis maxime & Franconibus. Interea cum Cl. *Schannat Vindem. Liter. T. II*, inseruerit Anonymum de origine & Abbatibus hujus cœnobii, eodem facile nunc carebimus, ut & Diplomatario ab eodem nuper promisso. VII *Diplomata LV, res Comitum Gleichensium ab A. 1217 ad A. 1518 concernentia*, ex Casp. Sagittarii historia Comitum 533.
Glichensium MSCta desumta, quæ cum pluribus aliis ejus MSCtis, diplomatibusque Oldeslebiensibus & Capellendorfensibus Cel. Editori obtulit *Polyc. Leyserus*, Juliæ nuper ornamentum, ad quem Sagittariana omnia pervenerant, cujus mortem nimis festinatam nunc acerbe dolemus. VIII *Diplomata Bremensia* 583.
XVII, e Chronico Bremensi majori vernaculo, Saxonica dialecto scripto, Bibliothecæ *Menckenianæ*, transsumta, excepto Diplomate tertio, quo Otto III Ecclesiæ Hamburgensis privilegia firmat, quodque descriptum accepit Cl. Collector ex Codice Vindobonensi, unde sua diplomata, ab his plane diversa, descripserat Lin-

p. 613. denbrogius in *Script. Germ. Septentr.* Succedunt IX *Diplomata*
675. *Oldislebensia CXCVII*, & X *Capellendorfensia CLXXXVIII.* Vicus Thuringiæ prope Saxenburgum fuit Oldislebia, Benedictinorum cœnobio clarus, donec puriora sacra reducerentur, unde pactum postea inter Principes Seren. Domus Sax. Ernestinæ, ut esset perpetuo penes familiæ seniorem, pro cura Directorii. Capellendorfium arx hodie & præfectura in Thuringia ad Ducem Saxo-Vinariensem spectans, olim sub conventu Monialium familiæ S. Benedicti florebat, cujus statum jam pridem mutatum esse, ex postremis hisce documentis intelligitur. Diplomata hæc, licet non omnia ejusdem valoris, insignem tamen præstabunt usum Familiæ Burggraviorum Kirchbergensium, Pincernarum de Apolda, itemque de Varila. Lectu tamen digniora sunt XI *a*) *Diplomata*
763. *XXXVI, e Bibliotheca Academica Lipsiensis membranis descripta;* quæ ad Portense, Montis Sereni, ipsum Paulinum Lipsiense & Caltenbornense imprimis Monasterium spectant. His opportune addita sunt *Conradi Marchionis Misniæ Diplomata duo*, donationes S. Sepulchro & Hospitali Hieros. A. 1145 factas concernentia, & *compositiones* quædam *amicabiles* inter Principes & Episcopos aliquot Germaniæ, Wilhelmi potissimum Ducis Saxoniæ autoritate, A. 1460 factæ, ex ejusdem Bibliothecæ penu depromtæ.
813. Ad res Imperatorum quorundam illustrandas faciunt XI *b*) *Vita Caroli M. Autore DONATO ACCIAJOLO, Florentino, eleganter descripta, & ex MSCto plenius edita.* Libellus est exiguus, sed compto sermone compositus, cujus autor sæpe secutus Eginhardum, habet tamen plura, vel apud hunc minime vel paulo aliter expressa. Inciderat enim in manus Cl. *Menckenii* Vita hæc Caroli M. ante duo circiter secula manu exarata, nullo quidem Autoris nomine apposito. Suspicatus tamen ex venusta dictione *Acciajolum* Autorem, in *Wicelii Hagiologico* p. 178 *b* sqq. eundem reperit insertum, sed omissa præfatione, & majore parte finis, quæ in ipsius Codice extabant; hunc igitur secutus est Noster, ita tamen, ut cum Wiceliano eundem subinde compararet. Hac occasione & Wicelium a ridiculo errore, cujus nomine a Vossio, Bælio aliisque accusatur, vindicat *Menckenius.* Wicelium enim putabant, stolide hanc Caroli M. vitam Plutarcho attribuisse, ob verba in

in margine adscripta: *ex Plutarcho:* cum Wicelius potius innueret editionem vitarum Plutarchi, quas Acciajolus Latino idiomate donaverat, adjecta in calce Vita Caroli M. a se ipso composita. XII *Legenda Patroni Germaniæ S. Bonifacii Libris II, Latine, cum alia Legenda Bonifacii vernacula paulo diversa.* Partem Legendæ Latinæ, scilicet a Capite VIII Libri II, jam publicaverat *Tentzelius Suppl. 2 Hist. Goth.* attamen cum Sagittarius subinde totum opusculum luce non indignum judicaverit, ex Codice correctiori Bibliothecæ *Menckenianæ*, secundum Sagittarianum, ut videtur, descripto, & Hortlederi, ut fit verisimile, scholiis interpolato, merito idem huc translatum est. XIII *ERMOLDI NIGELLI, Abbatis, ut videtur, Anianensis, & Autoris synchroni, de rebus gestis Ludovici Pii Augusti ab A. 781 ad 826, Carmen elegiacum; e Muratorii Scriptor. Rer. Ital. T. II P. II.* Opus hoc, multorum votis diu expetitum, tandem in lucem emiserat nuper Muratorius; attamen cum collectio illius sumtuosa, & raro apud nos sit obvia, optime de Germanis nostris, qui non minus sibi Nigellum, quam Itali vindicant, meretur Noster, dum opus illud cum omni apparatu, doctissimique Muratorii notis, denuo incudi subjiceret. Plura de Nigello, qui Imperatorem pientissimum contra calumnias ingenue defendit, peti possunt ex præfatione Muratorii, p. 866 hic inserta. XIV *BENZONIS, Episcopi Albiensis, Panegyricus Rhythmicus in Henricum III Imp. alias IV Germ. Regem.* Libros hos VII Benzonis, Episcopi Albensis seu Albiensis in Italia, uti seipsum sæpius vocat, de rebus ad Henricum, quem vulgo IV dicimus, Imp. pertinentibus, non ineleganter, quamvis subinde, ut existimandum, corrupte descriptos, opportune, jam ferventibus operis hujus typis, transmisit Summe Venerandus inter Suecos Episcopus *D. Ericus Benzelius*, tradente illos, dum Lipsiam transiret, Illustrissimo Comite, *Claudio Ekeblad.* Singulare hoc est Seculi XI monimentum, cujus Autor, literarum pro illa ætate haud ignarus, simul Historicum, Panegyristam & Poetam agere voluit. Quem ordinem sibi præstituerit, haud facile divinaveris; nunc enim monita dat Henrico IV Imp. nunc eum in Pontificem excitat, nunc quæ ipse pro Cæsare patraverit, enarrat, & mercedem præstolatur, se *Episcopum sine Episcopatu*

p. 833. 865. 957. 1045, 1058, 1059, 1073.

p.1051,1060 *scopatu languentem oculis & pedibus* vocans, ubique vero maxi-
1061,1064. mum contra Papam zelum prodit. Ceterum in similibus & exemplis, e sacris & profanis Autoribus petitis, totus est, vocabulis quoque Græcis, etsi Latine scriptis, & subinde quoque in Latinum
1047, 1069. sonum detortis, frequentius utitur, voces quandoque easdem repetit, nunc literas duplices simpliciter effert, ut *abscisis*; nunc simplices geminat, ut *summere*; nunc literas permutat, ut *acclesia, tocius*; literam *h* vocibus sæpe præfigit, ut *hori*, *honere*; ut alia taceamus, quæ num Autori omnia, an scribæ sint attribuenda, cum de ætate Codicis nulla simul mentio fuerit facta, non satis liquet. Ceterum cum Oedipo esset opus, ad enodanda obscuriora, nec otium suppeteret ipsi Editori librum, quem brevi typis subjici ordo postulabat, perlustrandi, operam hanc lubentissime in se suscepit Cons. D. *Jac. Aug. Franckensteinius*, Collega noster perindustrius, ut summa capita margini apponeret, & quantum per alia negotia & temporis penuriam, fervente prelo, licuit, Notas
1073. quasdam subjiceret. XV *EBERHARDI WINDECKII Mogunt. Historia Vitæ Imp. Sigismundi vernacula.* Diu jam expetitum est hoc opus ab eruditis, cum ejus spem dudum *in Proleg. Act. Conc. Const. T. 5 p. 6*, fecisset Cel. *Herm. von der Hardt*, tres libri Codices MSC. Vindobonensem, Gothanum, & Leibnitianum nactus, simulque novum de vita Sigismundi librum pollicitus. Sed cum Vir Cel. consilium hoc penitus abjecisse videretur, & exemplum illud Saxo-Gothanum, omnium forte antiquissimum, a Viro summo, *Ern. Sal. Cypriano*, cui & alia debet hæc Collectio, ut maximas ei hoc nomine grates debeat Orbis literatus, promtissime Nostro fuisset procuratum, ipse recentiorem Codicem, jam pridem in Bibliotheca sua splendidissima exstantem, qui tamen raro opis quid attulit, cum Gothano contulit, & librum, quamvis vernaculum, integrum atque incorruptum vulgandum, optime censuit. Cumque ex verbis in fine Codicis adscriptis pateat, eum ab *Ulrico Aicherio* Egræ jam A. 1461 descriptum esse, suspicatur, hunc fere primum dispersas Autoris chartas, quas, ut in Præf. testatur, amanuensi *Henrico Noribergensi* dictaverat, collegisse, & annorum ratione neglecta, descripsisse, quæ Cel. *Menckenii* cura secundum justam temporis seriem transposita videbis

Win

Windeckius ille, ut ipse profitetur, quindecim annorum puer, p. 1072.
Moguntia, patria sua, cum insignis autoritatis mercatore Pragam
profectus, Sigismundo inde per 40 annos usque ad ejus obitum
adhæsit, & plerisque ipsius rebus interfuit. Cumque Sigismun- C. 132.
dus eum in rebus arduis in consilium adhibuerit, Consiliarium 130.
Cæsaris eum recte dixeris; & quod esset civis Moguntinus, etiam
apud Archi-Episcopum singulari gratia floruit, ejusque apud Cæ-
sarem negotia curavit. Rebus angustis Imperatoris sæpius pro-
spexit, ut cum ejus nomine pretiosa quædam cimelia oppignora-
ret Brugis pro 18000 Flor. se ipsum vadem constituens, quam
summam Sigismundus ægre refundebat. Mox ad Moguntinos 51. sq.
aliosque fuit missus, urbes quasdam oppignoraturus, quod qui-
dem successu caruit. His vero rebus ita sibi devinxit Cæsarem, ut 59.
hic ipsi annuos reditus e vectigali Moguntino constitueret. Fi- p. 10. 5, 1182.
dem autori facit, quod res describat, quibus ipse interfuit, & de 1276.
dexteritate sua juratus testatur in Præfatione. Et Cleri quidem vi- 1075.
tia non tacet, ejusque avaritiam & ambitionem omnis calamitatis
fontem agnoscit. Inserta sunt passim acta publica & integræ Epi-
stolæ; imprimis vero jucunda videntur, quæ res Sigismundi do-
mesticas concernunt. Ita stupri violenti, falso licet, insimulatus C. 32.
est a Friderico Duce Austriæ; tum ejus in uxorem Barbaram in- 86.
dignatio, hujusque miseria commemoratur. Matriculam impri- 108.
mis Imperii hic videas omnium antiquissimam de A. 1422; cum
vetustissima huc usque fuerit habita, quæ A. 1431 promulgata.
Dattium quoque multis in locis ex Windeckio emendandum ac 149.
supplendum deprehendes, ut taceamus illa de Sigismundi coro-
natione & arrogantia Pontificis. Illud vero nobis visum est ridi- 189.
culum, quod Sigismundum veneno prope enecatum Medicus
quidam, Suevus natione, (*ein grober Swop*, ut loquitur Windeck) 20.
accedens, pedibus per integras 24 horas suspenderit. Ceterum
haud silendum, Autorem ultra Sigismundi tempora progredi, &
rebus Alberti II degustatis, circa coronationem Friderici III Imp.
& investituram Brandenburgici Marchionis aliorumque A. 1442
Aquis celebratam subsistere. XVI. *ANTONII de MUSICA,* p. 1289.
*Antwerp. Commentariolus rerum a Carolo V Imp. ad S. Digeri-
um gestarum.* Testem oculatum producimus, qui Commissarii

nomi-

nomine Provisori exercitus Cæsari tunc adhæsit. Opusculum ex Codice autographo Bibliothecæ Regiæ Londinensis a B. *Jo. Guil. Jano*, Wittebergensium Theologo, ante paucos annos descriptum, huc maxime referendum videbatur, quod ista obsidio A.
p. 1296. 1544 suscepta, ad Mauritii Sax. D. res gestas spectet, qui Cæsari ul-
1307. tra 1300 equites adduxisse, & strenue multa gessisse, tum in obsidione, tum post urbem captam, memoratur. Etsi vero Autor stilum suum modeste vocet rudem, minime tamen videtur contemnendus, si pauca negligentius ab homine militari expressa excipias.
1317. Sequuntur hunc prolixiores XVII *Annales Reip. Augustanæ, seu Augstburgenses, ab ACHILLE PIRMINIO GASSARO relicti, & ex autographo nunc primum editi.* Etsi de *Gassari*, Lindaviæ d. 3 Nov. A. 1505, Ulrico Gassero, Maximiliani I Chirurgo, nati, & Augustæ d. 4 Dec. A. 1577, melancholia & febre ardente mortui, vita *Mart. Crusius* & sub nomine *Pirminii*, quod illi demum in Confirmatione A. 1512 a Jo. Fabro, Vicario tum temporis Parochiæ Lindaviensis, inditum, *Paul. Freherus* sint commentati, plura tamen de eadem perbenigne communicarunt Nostro *Wolfg. Jac. de Sulzer*, Reip. Augustanæ Senator, & *Christoph. Koch a Gailenbach*, Dicasterii ibidem Assessor. Auriaci nempe in Gallia Doctoris titulum adeptus Gassarus, Augustam venit circa A. 1546; uxorem habuit *Catharinam Werderin de Feldkirch*, eaque mortua *Annam Mariam Ohnin*, *Hieron. Tuecheri* viduam, quæ ipsi jura civitatis Augustanæ attulit, eaque defuncta
1902. aliam duxit, *Scholasticam Bühlerin* 1552; quæ ipsum non ita multo post turpiter deseruit, unde vixit cælebs cum filio suo & genero *Machario Rumlero* ad finem usque vitæ. A. 1568 stipendium a Senatu meruit menstruum 10 aureos, per annum fere integrum, quo pestis ibi sæviit. Fuit præterea Reip. Augustanæ Physicus, Historicus insignis & Medicus certæ peritiæ & felicitatis, ut adeo a Jo. Alberto, Duce Megapolitano, perliterato Principe, aliisque magnæ dignationis viris, literas sæpius plane familiares acciperet. Exstat adhuc illius effigies, quæ ab illa ex Codice Gothano hic ære expressa paullo differt. Maximi ipsum fecit *Conradus Gesnerus*, eundemque insignibus ornavit elogiis; *Jo. Langius* eum adeo vocat alterum in re medica Achillem. Ingentem librorum copiam

copiam collegerat, unde *helluo librorum* dictus; quam post ipsius mortem sibi comparavit Huldericus Fuggerus, ac postea testamento cum reliquo apparatu reliquit Palatinatui. Filium post se reliquit nullum, filiam vero *Annam, Rumlero* nuptam: scripsit libellum *de peste*, editum *Noribergæ* 1544 in 4, *Hippocratis Aphorismorum methodum novam*, Sangalli 1584 in 4; *Curationes & Observationes medicas* & Collectanea practica a *G. H. Welschio* in Sylloge Observat. Med. & in Centuria Consil. Med. repetita, *Catalogum Regum Hierosol.* tabulam Mathematicam, *Sciaterion pedarium* inscriptam, *Epigrammata ad Dioscor. Euporistam Nonnum Medicum*, ac *Lucæ Stenglini* opera; *Alex. a Süchten* Propositiones Sarmaticas Medicas confutavit. Antiquitatum Germ. & linguæ imprimis Germanicæ vetustæ studiosissimus, *Otfridi Evangelia Gothica* primus descripsit & illustravit, v. *Act. Erud.* 1727 p. 146, addiditque Lexicon vocum veterum & intellectu difficilium, utque imprimeretur, misit ad Conr. Gesnerum, & cum is typographum nancisci non posset, ad Matthiam Flacium, colligendis testibus veritatis & Centuriis Hist. Eccl. tum intentum. Præterea extant in Bibliotheca Augustana *Catalogus Regum omnium, quorum sub Christiana professione per Europam adhuc regna florent, in gratiam Dn. Ulrici Fuggeri A. 1554 collectus & primum editus Augustæ Vindelicorum in 4to*, & *Historiarum & Chronicorum epitome veluti index*, Basil. 1532 in 8; qui postremus liber ad A. 1531, non 1520, ut fallitur Sagittarius, pertingit. Annales nostros quod attinet, *Draudius, Lipenius, Struvius, Whear* inter editos dudum numerarunt, falso; cum cœptum jam, ob Patriciorum quorundam præjudicium, suppressum fuerit opus. Usus vero est Noster Codice Gothano, a summe Rev. *Cypriano* ipsi communicato, qui pro avtographo ideo habendus, quod plurima suis locis inserenda adscripta sint eadem prorsus manu, qua textus ipse exaratus, quæque adeo, cum & stylum Autoris prodant, in contextum sunt relata. Equidem *Heinzelium*, Senatorem Augustanum, qui Gassarum maxime in hoc opere adjuvit, Codicem Annalium avtographum possedisse, constat ex Epistola a Conf. a *Gailenbach* communicata, & Præ-Nobiliss. *Sigism. Jac. Ammanum*, Patricium Augustanum, servare alium Codicem, in quo nonnulla, quæ

de sua vita ipse Gassarus reliquisse traditur, excerpta ex Henr. Panthaleonis & Hier. Wolfii scriptis de Gassaro, Xysti Betulei Carmen in Autorem, Cyriaci Wagenbergi Epistola ad Autorem, dedicatio Autoris ad Heinzelium & ejusdem Responsoria ad Autorem, ac Dedicatio Autoris ad Henricum Rhelingerum de Radau continentur; præterea Autoris autographum extare apud Ill. B. *de Rehlingen*, præfatione seu dedicatione ad Magistratum Augustanum auctum, quæ ad Appendicem libri hic conspicitur; unde suspicari licet, Gassarum librum pluries subsecivis horis descripsisse, ut inde non sit mirum, si autographa ejus plura, pluribus ab Autore inscripta, deprehendantur. Illud fuisset optandum, ut fontes indicasset Gassarus; fidem tamen ipsi asserunt *Dav. Langenmantelius*, in præfatione libri: *Historie des Regiments der Reichsstadt Augspurg*, ubi Gassarum limpidissimos ubique fontes degustasse testatur, & *Engelbertus Werlich*, qui in *Chronico Augustano P. II*, sua ab A. 552 ad A. 1520 ex Gassaro supplevit. Ex Pontificiis, alioquin partium studii ipsum accusantibus, illo usi sunt sæpius *Stengelius* & *Mæhnerus*, ex nostris *Seckendorfius, Cyprianus, Henznerus, Tentzelius, Fellerus, Bruckerus* aliique. Cæterum insigne familiæ Gassari, ab *Ammano* communicatum, hic

p.1955. expressum sistitur. Tomum huncce claudunt *XVIII COSMÆ, Pragens. Eccl. Decani, Chronicæ Bohemorum Libri III ad Edit. posterior. Freber. recogniti & notis illustrati a* Christiano Gottlieb Schwarzio, *Prof. Publ. Altorf.* Cum Marq. Freherus Scriptores Rer. Bohem. ederet, antiquissima simul Cosmæ Pragensis Chronica Bohemorum exhibebat, multis tamen in libro I, & libri II parte maxima, & integro libro III truncata. Quadriennio ferme post Pragam pervenit, inciditque in exemplum integrum, quod ut 1607 Hanoviæ imprimeretur, addita S. *Adalberti vita* & quibusdam aliis, effecit. Eodem vero usus videtur Codice, qui hodienum extat Pragæ apud Rev. Patres Societ. Jesu, cumque in illo pariter habeatur *Benessi a Weidmühl vita Caroli IV*, optat Cel. Editor, ut Rev. Patres publico ulterius eam non invideant. Ceterum paucissima editionis Freherianæ postremæ prostant exempla, unde liber exiguæ licet molis, quinque vel sex Joachimicis vendebatur. Cum vero is plura ad res Saxonicas & Misnicas

spe-

ſpectantia contineat, autor Noſtro extitit Celeberrimus *Chriſtianus Gottlieb Schwarzius*, Altorfenſis Academiæ decus, ut liber publico commodo recuderetur, notis ſuis erudite illuſtratus, quamvis nomen revelari modeſte recuſaverit. Majora dabit Vir perinduſtrius in *Tom. III*, ubi *Petri Albini de Burggraviis Leisnicenſibus* rariſſimum libellum diſſertationibus notisque ſuis illuſtrabit. Coſmas noſter diverſus eſt a Coſma Ep. Pragenſi, quippe jam 1098 e vivis erepto, cum noſter contra 1099 Sacerdotio initiatus, demum 1125 d. 21 Octobris octuagenarius deceſſerit. Maximi fecit Coſmam noſtrum *Balbinus* in *Epitome Rerum Bohemicarum L. 3. c. 8. p. 212*, quod ſumma fide Hiſtoriam ab A. 1038 ad A. usque 1125, & ipſam fere mortem produxerit. Additam a Frehero *vitam S. Adalberti*, ad res Germanicas vix ſpectantem, & a Caniſio, Editoribus Actor. Sanctor. & Bzovio, (ab hoc quidem ſub falſo Sylveſtri II nomine) editam, & a Coſma noſtro, ut falſo ſibi perſuaſerat Freherus, minime profectam, hic fruſtra expectaveris. Interea Ill. Editor collaudat diligentiam *Chriſtiani Gottlob Haltauſs*, Juris & amœniorum literarum ſtudioſi, qui & plura ex vetuſtis membranis accurate magnaque felicitate deſcripſit, & quædam vernacula, in ſecundo quidem Tomo, Latinitate donavit, & contenta margini appoſuit, indicem ſuo tempore operi additurus. De Tomo II operis ſplendidiſſimi dicemus Menſe proximo.

ALEXII SYMMACHI MAZOCHII, METROPOLITANÆ Eccleſiæ Campanæ Canonici Theologi, in mutilum Campani amphitheatri titulum, aliasque nonnullas Campanas inſcriptiones commentarius.

Neapoli, ex typographia Felicis Muſcæ, 1727, 4 maj.
Alph. 1 pl. 2½, Tabb. æn. 2.

NOn ſine inſigni voluptate feſtivam hanc doctiſſimi Mazochii lucubrationem perlegimus; materiæ jucunditate, doctrinæ criticæ apparatu, & virilis gravisque ſermonis elegantia certatim commendandam. Erutum inter Campani amphitheatri rudera, menſe Septembri 1726, fragmentum marmoreum fuerat, ad totius

forte operis titulum ſpectans; prægrandibus litteris conſignatum, altum tres pedes Comanos, quatuor latum, quod una cum
TAB. III. ſupplementis Cl. Editoris adjecta tabula exhibet. Hujus veluti
Fig. I. redemtor extiturus Noſter, doctum hunc condere aggreſſus eſt commentarium, præmiſſa de Campani amphitheatri mentione a viris doctis injecta præfatione, in octo capita diſtributum.
p. 3 cap. I. Caput I, priores elogii lineas illuſtraturum, juſtam fere coloniæ Capuam deductæ, Campanæque urbis hiſtoriam complectitur.
4. Antiquis temporibus municipii jure gaviſa eſt Capua, poſtquam T. Veturio Calvino, & Sp. Poſtumio Coſſ. A. V. C. 419 civitas data fuerat Campanis. Suis ergo Capua utebatur legibus & ſacris, junctaque connubiis Romanis erat, donec ab Hannibale A. V. C.
5. 542 devicta, in præfecturæ formam redigeretur. Jugo igitur Romanorum accepto, Præfectus, qui jura daret, per annos 152 eo mittebatur quotannis, ſæpiusque per idem ſpatium Capuam deducebatur colonia. Et prima quidem a Bruto, Patre illius, qui Cæſarem
8, 12. interfecit, ea circiter tempeſtate, cum Sylla in Mithradaticum bellum intento, fœdiſſima Marianorum per Italiam graſſaretur do-
6. minatio. Altera L. Corn. Syllæ fuit, quam *Sigonius de jur. Ital.* III, 4 cum Bruti colonia miſcuit. Injuſte quidem ex mente Autoris, cum Brutus cives dederit, Sylla milites; ille præfecturam ſuſtulerit, hic retinuerit. Poſtea P. Servil. Rullus, Trib. pl. legem pro-
12. mulgavit, ut Capuam in coloniam quinque colonorum millia adſcriberentur, iisque & Campanus ager & Stellatis divideretur. Sed Cicero obſtitit, cui proinde & ſtatua a Campanis dicata fuit, ſimulque Patris Urbium appellatio communi religione tributa. Quadriennio tamen exacto A. V. C. 694 legem C. Jul. Cæſar per-
13. tulit. Enata hinc JULIA COLONIA, celeberrima quidem, non tamen prima colonorum deductio, quam & elogium no-
14, 9, 2. ſtrum memorat, quæque cives, veteranos nempe milites attulit, inter civiles adeo numeranda, neutiquam militares. Trucidato
25, 26. Cæſare, impari idem ſucceſſu a M. Antonio tentatum: felicius vero ab Octav. Auguſto, qui ſupplementa tandem coloniæ adſcri-
27 ſq. §. 3. pſit. FELIX vocatur colonia, quod a Sylla Felice primum conſtituta fuerat: non a Campania Felice, cum is Campaniæ titulus tantam non ferat ætatem. *Sigonius* hic emendatur, Campanam

Syl-

Syllæ deductionem *l. c.* sollicitans & labefactans: propinaturque conjectura, eam forte omnem coloniam a Sylla fuisse deductam, quæ JULIÆ FELICIS nomine celebratur in monumentis. p. 31.
AUGUSTÆ cognomentum ex SCto Campanæ urbi impositum. Tribus enim ab Octavio Augusto vicibus, vel deducta eo iterum colonia, vel renovata vetus est. Semel ex triumvirali lege: hinc Octavii ipsius jussu: tandem, quo noster titulus respicit, post Actiacam victoriam. Hinc Cl. Autor *duo auctaria* intercalat, quorum *prius* de Campana Pertica ejusque præfecturis terrisque agit. *Pertica* agrario nomine, universum territorium, novis assignatum colonis, notat: *Præfectura* vero, quicquid deficiente coloniæ solo ex alterius oppidi finibus decisum perticæ adjungitur. Limes perticæ septentrionalis, alias *Kardo;* orientalis, *Decumanus* dicebatur: in Campano autem agro *Kardo* orientem, & *Decumanus* meridiem spectabat. *Hic* ad mare usque longissime explicabatur, *ille* vero brevior erat. *Alterum Auctarium* circa Campanæ coloniæ terminos litteratos occupatur, quorum quatuor, incertæ tamen originis, Cl. Autor reperit. Quodsi hariolationibus dandum aliquid, existimat, eos post confecta civilia bella, jussu Imp. Cæsaris defixos esse. Succedit de tempore extructi amphitheatri, & Campani ærarii viribus disputatio. Natales amphitheatri ad tempora coloniæ, non reipublicæ Campanæ, Cl. Autor refert. Ligneum illud ante vel lateritium fuisse putat, quam conderetur marmoreum, a Capuæ coloniæ ærario demum excitatum. Coloniæ enim cuivis peculiare ærarium erat, quod reditus ex prædiis publici, pœnæ, hæreditates, legata, donationes, & principum liberalitas augebant. Præerant eidem quæstores coloniarum, vel præfecti ærario, qualis Campaniæ Calenus obtigerat, spectabantque huc Kalendarii curatores, publicam coloniæ summam fœnori dantes, singulisque calendis extorquentes usuras. Campanum certe ærarium pingue admodum prædiis fertilissimis erat. Terra Cnosia apud Cretenses triginta scutatorum millia quotannis reipublicæ Campanæ reddebat: quæ Lucani amplissimi agri, & Levesgæi collis proventibus perpetuo augebantur. Reliquos tituli versus c. II & III expendunt. HADRIANUM legendum esse monent, quod excitandis reficiendisque operibus plu-

33. §. 4. 34. 41. 51-56. 57. §. 5. 59. 60. 61. 62. not. 35. c. II, III. p. 65, 73.

plurimum is impenderit, ſtupendumque extruxerit Nemauſenſe amphitheatrum. Incidit operis hujus architectura in extremos
p. 67. Hadriani annos, eos forte, cum (Tillemontio arbitro) A. C. 119 in Campaniam ſecederet, deque reficiendo cogitaret amphithea-
75. tro. Mors tamen eundem prævenit, unde filio Antonino, ob inſignem erga cærimonias publicas curam & religionem Pio dicto,
77. plura Parentis ædificia dedicanti conſummantique, relinquenda fuit operis dedicatio. Anſam hinc arripit Doct. Autor, lepida do-
79—107. ctaque quam interpoſuit *Diatriba de dedicationibus* fuſius agendi. Conferre præcipue ea jubet, quæ *Gutherius de vet. jur. pontif.* III, 11, 12 docet, quibus ſupplementa ſaltem ſe ſcribere profitetur.
§. 1. In veram *dedicationis* notionem, primo ſtatim loco ſollicite inquirit, eamque a *conſecratione* omnino differre tuetur. Utraque, ait, ſine altera peragi poterat. Conſecratio præcedebat modo, modo ſequebatur: imo in deteſtationem quandoque *conſecratio* fiebat, *dedicatio* nunquam. Patuit tamen ſubinde latius dedicationis vocabulum, conſecrationem ſuo quoque ambitu complexum.
80. Proprie vero *dedicare* nihil aliud erat, quam primo fabricæ uſu eam ſecuturis dicare addicereque uſibus. Sequiori Latinitati idem illud *encaniare* dicebatur. Apud Græcos ἐγκαινίζειν & καθα-
81. ρεῦν occurrit: illud *dedicare*, hoc *conſecrare* notat. Nec ignota Ebræis dedicatio, quod collatis Scripturæ locis *Deut. XXI, 5, Pſ. XXIX, (XXX) 1, Neh. XII, 27, Dan. III, 2*, oſtenditur. Vetus Latium,
83. not. 46. primo cujusvis rei uſu eam *dedicari* dixit. (*Dedicere* namque, a Cel. Facciolati, in edit. Calepiniani Lexici adoptatum, merito exulat.) Frequentiora id docent marmora, ſcriptaque recentiorum
84—88. quoque comprobant. Sic *togam in funus dedicare*, eſt novæ togæ uſum in funere inchoare; *dedicare in cenſum*, eſt incepta rei poſſeſſione eam in cenſum deferre; *rudem carinam dedicare*, eſt novam & mare nondum expertam ponto committere &c.
89. *Sub aſcia dedicare monumentum*, quæ in Lugdunenſibus ſæpe agris formula reperitur, non, ut Gutherius & Fabrettus exponunt, ſepulchri mediocritatem, veluti unius aſciæ, qua calx ſubigitur,
90. ope, ſine ullo inſtrumento λαξευτικῷ abſoluti, innuit: ſed potius ſepulchrum recens extructum, antequam perfectum fuerat, dumque ſervet adhuc fabrorum opus, cadavere illato encæniare notat.

tat. Expoſita *dedicationis* voce, illi enarrantur, ad quos templorum, publicorumque operum dedicatio pertinuit. Penes duumviros id fuiſſe, Gutherius ſtatuit, caſtigatus a Noſtro. Plebiſcito namque olim præficiendus erat, qui dedicaret opus, dedicantique tribuebatur, ut nomen ſuum inſcriberet, etiamſi ædificaſſet alius. Magna inde dedicandi ambitio, donec poſt Claudii fata ad Principes lege regia illud officium tranſiret. Profecti hinc ſæpius Roma ſunt Imperatores ad aliquid dedicandum, vel etiam alteri imperatorio nomine dedicandi poteſtatem indulſerunt, cujus rei in Eccleſia Romana veſtigia monſtrat Cl. Autor. *Conſecrationem* ordo tangit, certis ritibus conceptisque formulis, a Gutherio Briſſonioque traditis, peragendam. Cavendum imprimis erat, ne verbulo aberraret, qui conſecrabat Pontifex, & ne quicquam emota perturbataque mente ab eo fieret: ſingulis fere bonis conſecrandis peculiaris lex erat, ex docta *Anton. v. Dalen de conſecrationibus ethnicis* commentatione addiſcenda. Diſceptatur præcipue, an *opera publica* ſolenni ritu ſacrata fuerint? quod de Romanis, ob ſummam Pontificii juris apud veteres inſcitiam, affirmare dubitat Noſter, melius de Græcis, hac ex parte religioſioribus, ſentiens. In eo tandem definit, *res ſacras*, conſecratas, *ſanctas* vero dedicatas ſaltem fuiſſe. Singularum autem rerum, bibliothecarum ſcilicet, ædium, viarum, &c. *dedicatio*, anniverſariis ſolennibus celebranda, vel epulis abſolvebatur, ſeu cœna recta eſſet, ſeu Sportulæ: vel nummis ea lege diſpenſatis, ut veſcerentur in publico cives. Caput IV aliud amphitheatrale epigramma exponit, per eadem hæc tempora repertum:

p. 91 ſq. §. 2. 93. 95. 96. 94 ſq. 97 §. 3. 100. 101. §. 4. p. 102-106. c. IV, p. 107.

SATELLIA. M. F. ANUS

APODYTERIUM. AD. NOVITATEM. R... eſtituit

EPISTYLIS. CETERISQUE. MARMORIBUS O...rnavit.

Obſcura eſt gens Satellia. *Epiſtylium* noſter per *architrabem* exponit, quam ligneam ante, prima omnium marmoream fecerat Satellia. Docte præterea *de apodyteriis balnearum & gymnaſiorum*, h. e. cellulis illis, ubi loturi vel gladiaturi veſtes deponebant, & ubi gladiatores mortui ſepeliebantur, ac conficiebantur ſemivivi, quorum deſperata erat curatio; *de catabulo* ſeu clauſura 108-112.

ani-

animalium, ubi detinebantur & ad crudelitatem in bestiarios eru-
c.V,p.113-- diebantur eadem; *deque ludo gladiatorio* differit. Caput V
119. Campanorum in omne ludorum genus, gladiatorios imprimis,
studium describit: adeo nimirum in eos proni erant, nulla ut
mensa satis apparata censeretur, ad quam non aliquot gladiato-
VI,VII,120- rum paria committerent. Cap. VI & VII Campani amphitheatri
146. antiquam recentioremque faciem, appellationes, fata, Capuæque
VIII,146. obsidiones dominosque tradit. Cap. VIII de scenicis Campano-
rum ludis ac theatro, eorumque in ludos studio præcipit, *legem-*
148-155. *que paganam pagi Herculanei* ex veteri elogio integra com-
158-164. mentatione exponit. Adjecta est jucunda in *Campani proscenii*
TAB.III. rudis scalpturæ aliquod *anaglyptum* exercitatio. Exhibet illud
Fig. 2. Deorum statuas, per angulos, ubi urinam facere solebant, ar-
cendæ immunditiei causa dispositos, quod ex angue appicto No-
ster divinat. v. *Pers. Sat.* 1. LUCCEIUS nimirum, cognomen-
to PECULIARIS, REDEMTOR, qui sartum tectum
mundumque omni parte tuebatur proscenium, pellibus victi-
marum in Campano Capitolio ex more ædis (Virgil. Æn. VII, 87)
incubans, per quietem admonitus reparavit proscenium, hoc-
que anaglyptum EX BISO, h. e. ex viso, fecit. Sistit vero hæc
tabula, ex mente Cl. Autoris, a Mabillonio & Paschali abeun-
tis, 1) *machinam versatilem*, (tympanum forte,) a calcantibus
hominibus velut duobus tympanotribis versatam, attollendis
demittendisque ponderibus aptam; cum *trochlea* & *ductario*
fune, qui circa tympanum advolvitur, *columnaque* prisci operis,
in fundamenta novi ædificii reponenda. Adest proxime 2) *ima-*
guncula humi sedens, cum *malleo* & *scalpro*, Luccejum Peculia-
rem, vel architectum referens. Adstat 3) *Minerva* hastata, galea-
to & cristato vertice, cum Medusæ capite in pectore, Pallas illa
μηχανῖτις, manum machinæ bono omine admovens. Porro 4)
Jupiter μηχανεὺς assidet, superne nudus, inferne tectus, diade-
matus, fulmen dextra, sinistra sceptrum crassiusculum, *ῥόπαλον*
tenens. 5) *Diana* sequitur, itidem *μηχανῖτις*, alte succincta, tute-
lare Campanis numen, Minervæ Jovique in Campano Capitolio
Dea σύνναος. Hanc 6) *Genius* excipit, imposito epigrammate
indicatus, *publicus* videlicet, eodem plane habitu, quo in Trajani
&

& Hadriani numismatibus occurrit indutus. 7) *Serpens cristatus* superest, vel *διαιρετικὸν* Capuæ simulacrum, cujus olim cives a serpentum frequentia Ophici, Opici, Opsci & Osci appellitati fuere; vel etiam Dei topici solenne signum. Index tandem Mazochiani operis restat, quem *additamenta* præcedunt, multa ve- p.165-172. terum loca, titulos varios, mores antiquorum, instrumenta, formulas, voces, æque ac opus ipsum illustrantia, in quibus omnino habebunt, quod exerceat ingenium, Critici. Præclare ad ultimum de reliquis, quas perpolit doctissimus Autor, lucubrationibus criticis, *commentario* imprimis *de originibus Campanæ urbis*, quem 57. p. 57 exspectare jubet, ominamur.

TITI FLAVII CLEMENTIS, VIRI CONsularis & Martyris, Tumulus illustratus.

Urbini, typis Ven. Capellæ Sanctiss. Sacramenti per Antonium Fantauzzi, 1727, 4, ch. maj.

Pl. 7½.

EMinentissimus Cardinalis ANNIBAL ALBANUS d. 22 Januarii 1725 cum in sua illa S. Clementis Papæ & Martyris Basilica, Romæ in Cœlio monte sita, S. Ignatii Antiocheni Episcopi & Martyris ossium partem, quæ sub Altari majori recondita esse credebatur, eruere vellet; Altare majus subrui, egeri terram, & locum totum aperiri jussit. Verum nihil ibi tum repertum est, præter capsulam plumbeam, qua ossa aliquot & ossium fragmenta continebantur, cineres præterea cruore concretos, vas vitreum effractum, urceum fictilem, crucem geminam, alteram ligneam, alteram æream, & imaginem ceream duplicem, quæ agni formam referebat. Capsulæ imposita erat tabula marmorea, quæ ex altera pagina literas habebat tribus versibus digestas, *vid. Fig. 3*, in altera TAB. III. vero tria monogrammata, *vid. Fig. 4, 5 & 6.* Hanc inscriptionem Fig. 3, 4, 5 Anonymus noster illustrandam sibi sumsit, ut supra dicti Cardi- & 6. nalis studio & voluntati obsequeretur. Absolvit autem rem omnem tribus paragraphis.

In §. 1 docet, quomodo legenda sit hæc inscriptio. Et Fig. 3 quidem lineas duas priores sic omnino legendas esse asserit: *Flavius Clemens Martyr hic feliciter est tumulatus.* Tertia vero linea

nea quomodo non sit legenda, facilius esse dicere, quam quomodo legenda sit, fatetur. Hinc diversas quidem interpretationes affert; certi autem nihil statuit. Nam qui hanc lineam sic legendam putant: *LEO Ius DOCTor XISTus Martyr VIus A Sancto Petro ECclesiæ rector*, sive *VIus Apostolicæ Pontifex ECclesiæ*, vel inde refutantur, quod Xistus seu Xystus, vel ut alii scribunt, Sixtus Martyr sextus Ecclesiæ Pontifex nulla ratione dici potest. Non nemo ergo ita hæc explicavit: *LEO I DOCTor XrISTiani natis Anno CDXL ASsumtus Pontifex ECclesiæ*. Sed quoniam præter cetera, quæ possint opponi, in hac inscriptione non XL, ut ille suspicabatur, sed VI manifeste legitur, ingenium quidem, inquit Autor, & interpretandi solertia laudari debet, ipsa vero interpretatio pro vera suscipi non potest. Affert ergo Francisci Mariani, Bibliothecæ Vaticanæ Scriptoris, hac de re conjecturas, qui probabilius statuit, sic explicari: *LEO I DOCTor XISti*(seu Christi)*COncilium VIum Autoritate Sancti Petri EGit*. Tandem subjungit alterius cujusdam Viri, incredibili, ut ait, sagacitate in ejusmodi rebus præditi, lineæ hujus tertiæ lectionem scilicet: *LEO I DOCTor Xristi 13 Mensis VIti Ad S. Petrum Eundem Gestavit*. Verum, inquit Noster, si hæc foret lineæ tertiæ sententia, longe serius, & quidem ab homine valde imperito conscriptam esse oporteret. Primum enim illæ, quæ vocantur cifræ Arabicæ, qualis est 13, non ante Seculum XII a Latinis usurpatæ sunt: deinde non ad S. Petri, sed ad S. Clementis Papæ Basilicam gestatum est corpus hujus FLAVII CLEMENTIS, cui apposita est hæc inscriptio.

Cum ergo omnia hæc interpretamenta procul a scopo aberrent, ex ipso ductu formaque literarum autem satis appareat, hanc lineam tertiam tempore longe inferiore scriptam esse, quam duæ priores, nobis maxime arridet conjectura Venerandi cujusdam Præsulis nostræ Religionis, quam nobiscum perhumaniter communicare dignatus est: nempe non *Leonem I* sed *Leonem III* hic nominari, qui circa finem Seculi VIII Pontificatum adeptus, usque ad annum Christi 816 regnavit, magnus reliquiarum cultor, magnus Basilicæ S. Clementis fautor; cujus utriusque rei testimonia clarissima reperimus apud Baronium, illius quidem ad

A. 799 num. 10, hujus vero ad A. 796 num. 28, item ad A. 816 num. 61. Igitur sic fortasse rectius hæc legerentur: *LEO IDibus OCTobris XrISti Martyris reliqVIAS Posuit Ecclesiæ Gremio.*

Partem adversam, quam repræsentant Fig. 4, 5, 6, sic legendam Autor noster non dubitat: XPICTOC IHCOUC, sive *Christus Jesus Dominus*, vel *Deus Optimus* vel etiam *Dominatur*, qua occasione de monogrammate Christi, jam ante Christi tempora in nummis Ptolemæorum conspicuo, sed postea a Grammaticis Græcis præcipue in libris & monumentis pro nomine Christi adhibito, aliisque a pag. 11 usque ad pag. 21 satis curiose agit. TAB. III. Fig. 4, 5, 6.

In §. 2 Autor, quo tempore posita fuerit hæc inscriptio, disquirit, conjecturasque trahit cum ab iis, quæ plumbea illa capsula concludebantur, Crucibus & Agnis cereis, tum a ductu ac forma literarum, quibus exarata est inscriptio; ex quibus omnibus concludit, non ante Seculum VI aut VII, sed nec multo post Seculum septimum, ipsam esse positam & exaratam, id quod fere coincidit cum tempore Leonis III Papæ.

In §. denique 3 quis sit Flavius ille Clemens, cujus memoriæ dicata est hæc inscriptio, demonstratur: scilicet non *Clemens* ille *Romanus*, quem inter summos Pontifices vulgo numerant, sed T. FLAVIUS CLEMENS, cujus mortis & martyrii non Christiani tantum scriptores, sed *Suetonius* etiam in *Domit. cap. 15* & *Dio Cassius Hist. Rom. lib. 67 pag. 766 A* memoriam reliquerunt. De hujus Clementis genere, Consulatu & morte pro Christo tolerata a pag. 39 usque ad finem egregie Autor noster differit, qui de cætero integrum hoc argumentum, non minore elegantia, quam modestia & eruditione, pertractat, hancque dissertationem in splendidissima charta, characteribus ornatissimis excudi curavit; majoris etiam decoris gratia, in fine adjecit nitidissimam nummi in hanc rem fabricati figuram, cujus altera pars faciem Papæ regnantis & verba: BENEDICTUS XIII PONT. MAX. parte adversa autem hanc inscriptionem refert:

CORPORE
SANCTI FLAVI

CLEMENTIS
EXCONSULIS
ET MARTYRIS
TRANSLATO.

M. DCCXXVII.

PETRI ANTONII MICHELOTTI, TRIdentini, *Apologia, in qua summum Geometram*, JO. BERNOULLIUM, *motricis fibræ in musculorum motu inflatæ curvaturam rectissime supputasse, defenditur*, & RICH. MEAD, *Georgii II Magnæ Britanniæ Regis Archiatri, objectionibus respondetur*, &c. *ad Virum Celeb.* JAC. HERMANNUM. *Accedit rari ex utero morbi historia*, &c.

Venetiis, apud Jo. Gabr. Hertz &c. 1727, 4.
Plag. 6 & Tab. æn. 1.

COmmemoravimus in Actis nostris, Mens. Aug. 1724 p. 349, calculum Bernoullianum, in definienda figura, quam induere debent vesiculæ sive cellulæ fibrarum motricium, propterea non satis accuratum videri Cl. *Richardo Mead*, quod considerasse has cellulas Bernoullium existimaverit ut figuras planas, non vero ut solida, per revolutionem figurarum planarum circa axem generata. Contra hanc objectionem Celeb. Bernoullium atque ejus hypothesin & calculum in præsenti scripto erudite & satis copiose defendit Vir Cl. Petr. Ant. Michelotti. Sed & se ipsum defendentem introducit Bernoullium, dum partem epistolæ, a Viro Celeb. ad se perscriptæ, exhibet, quam hoc loco inserere non alienum arbitramur. Ita igitur Bernoullius:

Si meam, inquit, *Cl. Mead de muscularium cellularum formatione opinionem assecutus esset, de quo ad me scribis, & de quo in Actis quoque Eruditorum Aug. Mense 1724 Lipsiæ publicatis refertur, nequaquam objecisset. Ecce enim, quemadmodum ejusmodi cellulas efformari concipio. Pono ego quoque, ut ille*, (fig. 7) *muscularem fibram fabricatam esse ad instar cavi alicujus cylindri*

TAB. III. Fig. 7.

dri ABCD, *transversariorum ligamentorum ope, in partes, sive exiguas cellulas,* ABFE, FEGH, GHDC, *distincti, ita ut post factam inflationem ejusmodi figura oriatur, qualis est* (fig. 8) IKLMNOPQ. *Verum enim vero ejusmodi excavatæ columellæ* ABCD *superficiem ex minoribus fibris inter se ita aptatis, colligatisque, ut densas membranas, cujusmodi sunt illæ quæ intestinorum caveas comprehendunt, contexant, intertextam esse, cum Cl. Mead minime comminiscor. Namque motrix fibra juxta meam ideam speciem habet cylindri* ABCD, *ex villis secundum ejus longitudinem circa oppositas bases parallelo situ ita dispositis, ut superficiem creent non continuatam, sed perexiguis interstitiis, parvisque foraminibus ad lumen ab ipsius cylindri cava patentibus interruptam: ejusmodi vero cylinder, sive columella* ABCD, *in cellulas, sive parvas caveas,* ABFE, EFGH, GHDC, *per transversaria filamenta dividitur; atque iccirco in figuram* IKLMNOPQ, *cujus qualibet cavea cælestem armillarem (ut Astronomi loquuntur) sphæram, ad polos obtruncatam, ingentem meridianorum circulorum, gradu vel paulo amplius inter se distantium, numerum obtinentem repræsentat, inflatione transformabitur. Ex hac autem sententiæ meæ explanatione, ut quemlibet villum, non secus ac si in plano existeret, inflecti, sic villos* IL, KM, LN &c. *cavearum nimirum, ad fibram, musculorum motum præstantem, attinentium latera, in circulares arcus, quemadmodum in mea de Motu Musculorum Dissertatione præmonstravi, curvari revera debere, preclare intelligitur. Dispiciamus nunc, ipsene Cl. Mead commemoratarum cellularum laterum curvaturam, in hypothesi, qua superficiem cavi cylindri* ABCD, *continuam membranam, flexilem tubum constituentem, esse ponit, magno rerum geometricarum apparatu definire tentans, allucinetur. Putat, latera* AE, EG, GC, *in non inflato cylindro, sive in flaccescentibus cellulis, de quibus est sermo, æqualis omnino cum lateribus* IL, LN, NP *earundem jam distentarum cellularum esse longitudini: id vero manifeste falsum est; quippe non latus, sed magnitudo, seu extensio totius membranæ cellulam effingentis, quum hæc inflatur, remanet eadem. Quamobrem Problematis, quod sexta sua propositione sol-*

TAB. III. Fig. 8.

 ven-

ejiciuntur. Quemadmodum autem lenia purgantia pro hoc scopo parum præstant, ita ex drasticis elaterium potissimum commendat. Quodsi vero nec drasticotera desideratum exhibeant effectum, diutius eis insistere prohibet, quoniam tum particularum sanguinis vis est fracta, vel compages serosarum particularum multo tenacior existit, quam ut in glandulis commode secerni valeant; hinc ad diuretica potius & roborantia refugium capiendum esse monet. Interim præcaveri posse, ne nova colluvies viscera contaminet, dicit, si mixtura sanguinis conservetur, atque pori & ductus glandularum roborentur; id quod a chalybeatis cum adstringentibus miscendis expectandum. Paracenthesi ubi opus est, non errare eos existimat, qui simul & semel omnes aquas ex abdomine evacuant. In *Tympanitide* flatus non pro causa sed pro effectu morbi habet, utpote qui tam duram expansionem præstare nullo modo, facilius autem per paracenthesin expelli possunt, cum tamen hic tumor multum negotii facessat Medicis. Existimat potius, intumescentiam abdominis a præternaturali distensione fibrarum musculosarum & membranosarum partium oriri, ansamque concedere flatibus & aqueis particulis in vapores resolutis in spatium illud quasi vacuum irruendi. Supponit enim, spiritus animales in hoc morbo, haud secus ac in hystericis & hypochondriacis affectibus, a temperamento inordinato & constitutione quadam præternaturali incitatos irruere magno cum impetu in musculos & membranas, harumque fibras usque adeo extendere, ut in hoc statu spasmodico seu tetanico amissa vi elastica resilire nesciant. Hinc quoniam constat, causas morborum a depravata systematis nervosi & spirituum animalium constitutione ortas difficillime removeri, non mirum putat, tympanitidem adeo facile curari haud posse. Omnia enim remedia calida, aromatica, carminativa, plus nocere quam juvare. Operam potius dandam esse suadet, ut motus irregulares compescantur, & spirituum animalium activitas refrænetur; pro quo scopo leniora tum purgantia tum martialia laudat. *Icteri* causam quærit vel in obstructione tubulorum & aciniorum hepatis, vel in bilis quantitate aucta aut qualitate depravata; inter causas antecedentes accensat terrorem subitaneum, vel alios affectus enormiores, paralyticam

cam fibrarum flacciditatem, metastasin materiæ morbificæ, cruditates primarum viarum, scirrhum hepatis, calculos folliculi fellis, mensium suppressionem, febres intermittentes, colicam, & morsus animalium venenatorum. Præter ea, quæ speciales causas corrigunt, ventriculi virtutem digestoriam confortandam, sanguinem roborandum, & bilis particulas depravatas & præcipitatas evacuandas esse præcipit, hinc emetica, purgantia leniora, martialia & marina utramque facere paginam perhibet. *Calculi* causam remotam & antecedentem ponit in facultate digestiva ventriculi, sanguinis & spirituum destructa, ob quam impuritates & feculentæ portiones relictæ coagulationes & concretiones producunt, quæ in arctiori combinatione copiosioris salis volatilis, & paucioris acidi consistunt. Quoad Therapiam curatoriam sabulum evacuandum, & præcavendum est, ne novum generetur; prius peragitur per purgantia, & aquas minerales, quibus interponenda sunt diuretica; posterius per talia, quæ separant viscidas sabulosas a reliquis particulis sanguinis, qualia sunt chalybeata. Therapia præservatoria lenioribus purgantibus, ut senna, rhabarbaro, elixir salutis, &c. semel per mensem assumtis, vel aquis mineralibus purgantibus, diureticis & alterantibus absolvitur. Inter diuretica prævalent millepedes; alterantia sint, quæ acidas & acres humorum particulas temperant, ut corallia, chelæ & lapides cancrorum, testæ ostrearum, &c. nec negligenda bona diæta ratione motus, aeris temperati, & victus. Lithontripticorum efficacia nulla est. Si calculus vesicæ ad tantam accreverit magnitudinem, ut per urethram ejici haud valeat, ad lithotomiam deveniendum, quæ optime per incisionem in regione pubis peragitur. *Diabetes* causa immediata est relaxatio seu ampliatio præternaturalis tubulorum & glandularum renalium, ob quam major copia seri ex massa sanguinea secernitur: aut colliquatio & fusio sanguinis: aquosæ enim portiones in cellulis & poris partium stagnantes acidam & acrem contrahunt qualitatem, serum præcipitantem; inter causas antecedentes immoderata ingurgitatio potulentorum spirituosorum, & systema nervosum per subitaneos animi affectus alteratum accusatur. Remedio sunt, quæ connexionem particularum sanguinearum firmam conservant, & to-

 num

num fibrarum renalium confortant. Utrumque præstant, quæ incrassant sanguinem & crasin ejus firmant, ut glutinosa & mucilaginosa, gummi Arabicum, tragacanta, olibanum, & mastiche, item quæ acidum & austerum invertunt, ut corallia, margaritæ, cinamomum; quæ fixis vel volatilibus & alcalicis salibus sunt referta, ut & opiata. Nec contemnenda sunt in principio vomitoria, quia revellunt & sistunt exorbitans profluvium urinæ, item purgantia, ut rhabarbarum; omnium vero optime aquæ minerales tam calcariæ quam martiales conducunt.

SALOMONIS VAN TIL, S. THEOL. DOCT. & Prof. in Acad. Lugd. Bat. Commentarius in quatuor Pauli Epistolas &c.

Amsteledami, apud Gerardum onder de Linden, 1726, 4.
Alph. 2 pl. 21.

CUm Vir clarissimus *Daniel Bedberus* opus analyticum Cel. *Tillii*, in Acta nostra A. 1721 p. 58 relatam, in lucem publicam prodire juberet, in præfatione illius operis monuit, latere quidem adhuc in scriniis lucubrationes *Tillii* ineditas, in epistolas nonnullas Pauli, ante exactum Academiæ cursum conscriptas, Autoremque in animum induxisse suum, easdem, si strictiori prius examini subjicere licuisset, in lingua Belgica cum aliis communicare; has ipsas vero, si ita, prouti ab Autore relictæ sunt, in publicum mitterentur, literatis minus forsitan profuturas. Alii autem in Belgio postea jactarunt, uberiores se commentarios Tillianos ad illas Pauli epistolas procurare potuisse: nonnulli etiam Editorem clarissimum incusarunt, optimos eum privatis studiis reservare labores, & fragmenta tantum in lucem protrahere. Ut itaque novo quodam specimine probaret Editor, nihil sibi antiquius esse, quam omnia *Tillii* inedita scripta, quæ aliquo modo sine ejus famæ laceratione in lucem emitti possunt, orbi literato offerre; non solum *Commentarios* ejus in quatuor Pauli Epistolas, nempe *priorem ad Corinthios, Epistolam ad Ephesios, Philippenses & Colossenses*, sed etiam varias *dissertationes* in apertum protulit, quæ a nemine unquam descriptæ, sed manu Autoris exaratæ, ad ipsum pervenerunt.

Com-

Commentariis hisce *Tillii* præmissa est ejus dissertatio de primi seculi adversariis, sincerioris evangelii hostibus, contra quorum studium confirmandi erant genuini Apostolorum discipuli. Et hæc quidem non omni ex parte est consummata, sed primas tantum perfecti operis, quod ad Epistolas Apostolorum rectius intelligendas plurimum lucis allaturum fuisset, exhibet lineas: digna tamen est, quæ omni perlustretur studio, cum statum ecclesiæ, qualis in primo fuit seculo, quinque capitibus haud leviter depingat. Hostes enim purioris doctrinæ evangelicæ ab Apostolis prædicatæ Autor in capite primo generatim enarrat, & in quatuor dividit classes. Ad primam referuntur *Judæi*, nunquam non Christo ejusque Apostolis, & Christiano nomini infensi, *1 Thess. II, 14-16:* ad alteram *gentiles*, qui vel instinctu Judæorum Christianos persequebantur, vel maximam partem odio & contemtu Christianos prosequebantur, sectam aliquam Judæorum nos esse opinantes: ad tertiam vero & quartam referuntur adversarii ex ipso ecclesiæ gremio suborti, quorum alii dicuntur Christiani *Judaizantes*, vel Pseudo-Christiani ex Judæis, qui ex studio placendi Judæis, vocatos ex gentibus circumcisionem ritusque Judaicos suscipere debere contendebant; alii vero appellantur Christiani *paganizantes*, vel externe credentes ex gentibus, qui non Judæis solum, sed & gentibus gratificandum esse rati, nec a scortationibus abstinebant, nec ab idolothytis, nec a suffocatis. Hosce adversarios ecclesiæ Autor in quatuor sequentibus capitibus speciatim persequitur, & luctam Apostolorum cum Judæis *cap. II*, cum gentibus *cap. III*, cum semijudaizantibus *cap. IV* & cum gnosticis seu Nicolaitis *cap. V* exponit. Per hos intelligit homines philosophiæ Platonicæ, eique traditivæ addictos, jactantesque, se cum istius Philosophiæ principiis religionem Christianam non solum posse conciliare, sed etiam ex ea illustrare, & per eam confirmare, modo ea pertractetur methodo, ut a communibus dogmatibus more philosophico pergatur ad singularia. Atque in hac dissertatione conciones Apostolicæ Judæis & gentibus oppositæ paucis illustrantur, concionis Paulinæ, *Act. XIII, 16-41*, analysis exhibetur, & inter alia observatur, orthodoxos Paulum senten-

tiarum, quas recte tuebantur, habuisse magistrum; Judaizantes Petrum allegasse patronum & Gnosticos Apollinem.

Ad Commentarios ipsos quod attinet, prolixa singulis præmittitur Isagoge, in qua post topographicam civitatum & regionis descriptionem, & status politicus, & gentium idololatria, & Christianorum status ecclesiasticus; tumque epistolæ Paulinæ occasio, scopus, argumentum & circumstantiæ commonstrantur. Imprimis Isagoge ad Epistolam Pauli ad Ephesios pag. 113-185 attentius perlustrari meretur. Hæc enim in tres partes divisa, primum in septem capitibus statum Ephesi politicum, urbis situm, eminentiam & prærogativas, historiam, quæ per modum annalium in compendio proponitur, formamque regiminis, anni Asiatici rationem, Judæorum inter Ephesios degentium conditionem, & denique Ephesiorum virtutes & vitia delineat. Deinde loco ... num, & in specie Ephesiorum idololatriam, Dianam, ejusque statuam, templum, cultum, sacrorum ministros & sacra tempora VII capp. prolixe & erudite describit. Et tandem statum Christianismi inter Ephesios X capp. paucis persequitur. In ipsis Commentariis præmittitur analysis, quæ ab ea, quam opus analyticum exhibet, plurimum differt, & non solum in plerisque capitibus brevior, in quibusdam vero prolixior est, sed etiam textum sacrum longe aliter dispertit. Tum sequuntur scholia, ex Beza, Coccejo, Knatchbullo aliisque collecta, in quibus quamplurimæ occurrunt observationes, textum Apostolicum egregie illustrantes; haud raro autem selectum judiciumque desideres. Versio quoque Belgica in scholiis illis sæpius notatur & emendatur; (conf. p. 61, 76, 102 &c.) & p. 109 citantur scholia ad Acta Apostolorum, quæ nondum edita sunt. Tandem subjungitur ἐπίδειξις, sive uberior demonstratio theseos Apostolicæ per argumenta ab ipso Apostolo allata.

Commentariis additæ sunt eclogæ, & dissertationes quinque chronologicæ. In eclogis chronologicis p. 387-428 per XXVII articulos exponitur universa Chronologia a condito orbe usque ad annum, mensem, atque diem nati Christi, & lites chronologicæ optima ratione componuntur. Ex. gr. qui in annis antediluvianis cum Vossio interpretationem Græcam τῶν LXX Hebræo Codi-

Codici præferunt, refutantur artic. II. In annis Judicum computandis Chronologos fere omnes errare, quod contemporanea subordinaverint, monetur art. VII; & art. VIII locus dubius, *Act. XIII, 20*, illustratur, calculo annorum 450 ab anno quadragesimo Mosis ad 13 annos Samuelis perducto. Assyriorum Reges enarrantur art. XI–XV, & duplex occupatio Babyloniæ, altera a Xenophonte, altera ab Herodoto descripta, asseritur art. XVI. Ahasverum, Estheræ maritum, Græcis dici Cyaxaran & Darii Medi filium Cyrique socerum fuisse, probatur art. XVIII. Ex quibus de reliquis facile ferri potest judicium. In dissertationibus Theologico-Chronologicis ultimum vitæ Christi annum, mensem atque diem definiturus Autor, primam dissertationem Petavio, Dodwello aliisque opposuit, qui Judæos tempore Christi in neomeniis definiendis, non Φάσιν Lunæ, sed vitiosum aliquem cyclum secutos, a vera lunatione biduum aut triduum aberrasse contendunt. Tum veluti rem extra controversiam positam assumens, Jesum Christum sub Tiberio Imperatore, Pontio Pilato procuratore, & Cajapha pontifice, ministerium suum in his terris incepisse & absolvisse, in altera dissertatione de annis ministerii Christi disputat, & ultimum vitæ Christi annum non cum anno æræ vulgaris XXIX componendum esse, contra Emanuelem a Schelstrate in tertia; nec cum anno æræ vulgaris XXX, contra Philippum Landsbergium in quarta; sed annum Æ. V. XXXIII solum requisitis conditionibus facere satis, in quinta dissertatione demonstrat.

VITA ET RES GESTÆ DIVI GEORGII I, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regis, heroico carmine descriptæ ab ESAIA PUFENDORFIO, Sacræ suæ Reg. Maj. in Ducatu Cellensi Consiliario Aulæ & Cancellariæ.

Cellis, typis Christ. Jul. Hofmanni, 1727, fol.

Pl. 94.

ORdior Herois permagni gesta GEORGI,
Gesta, quibus belli pacisque is tempore fulsit,
Gesta, quibus cælo se gloria sustulit ejus.

EN initium carminis heroici, memoriæ Georgii I, Regis nostræ ætatis & sapientissimi & felicissimi, consecrati. Divisit Illustris Autor id in quatuor Sectiones sive Libros, quorum primo majores Regis describit ordine; altero, quæ domi forisque gessit usque ad A. 1714, quo factus est Rex Britannorum; tertio gesta ejus regia exhibet universa; quarto denique de morte ejus disserit deque successione Filii. Singulis paginis subjecit annotationes, loca indicantes eorum autorum, qui de quaque materia egerunt pluribus: ut adeo compendiosam hic habeamus, sed eandem satis perfectam Georgii I historiam. Concludimus iisdem verbis, quibus Autor opus suum finiit:

Sis felix, faustus, sospes, GEORGE SECUNDE,
Sceptra tuumque thronum confirmet numine blando
Jova suo, & multos jubeat superare per annos
Communes extra casus sortemque caducam,
Perpes uti vigeat mens fortis corpore forti,
Dum seris olim frontem veneranda senectus
Inducat rugis & spargat tempora canis.
Aurea pax vireat, nostrisque perennet in oris,
Civibus ut liceat ditis placida otia pacis
Cum pietate gravi lætis traducere rebus,
Publica resque habeat salve atque Ecclesia pura!
Floreat & vivat conjux, Regina benigna!
Vivat Fridricus Ludovicus, *Patris imago!*
Floreat Augustus Guilielmus *tempore longo!*
Quinarum crescat Charitum chorus ille sororum,
Altera perpetuos ut possit pandere plausus!

M. ANTONII MURETI OPERA; TOMUS I, Orationes continens.

Veronæ, apud Jo. Alb. Tumermannum, 1727, 8.

Alph. 1 pl. 10.

PRimo hoc *Tomo*, quem ceteri Tomi singuli post singulos sex menses excipient, (tres autem jam prodiere) Orationes viri summa eloquentiæ laude conspicui exhibentur, & quidem eo-

eodem ordine, quo in editione præclara nostri Thomasii. Omissa tamen est laboriosa & pererudita ejus Præfatio, pro qua exhibentur duæ Dissertatiunculæ, altera Vitam Mureti complexa, altera de ejus Operibus eorumque editionibus exponens. Et Vita quidem hic promittitur, *si res spectes, copiosius certiusque, si stylum, castigatius descripta*, quam descripserant antea alii. Multi certe hic notantur errores, qui in historiam Mureti irrepserant. Negatur quippe, Scaligero magistro usum fuisse Muretum: negatur, eum in Academia Parisina Professorem fuisse, & aliquando auditores habuisse Henricum Regem & Catharinam conjugem: negatur, eum Tolosæ creatum fuisse Doctorem Juris: negatur, Mureto Tolosa discedendum fuisse ob commissum crimen longe turpissimum: negatur denique, eum postremis vitæ annis nomen dedisse Societati Jesu. In altera Dissertatione Editor sentit, Muretum meliorem fuisse Oratorem, quam Poetam, fuisse item eximium Criticum, præclarum JCtum, linguæ Græcæ & Historiarum peritissimum. Hinc recensitis ejus Orationum editionibus, (nam ceterorum Mureti librorum editiones prætereuntur silentio,) doctissimus Editor commemorat, se initio sequi constituisse editionem Thomasianam: at venisse suas in manus editionem Aldinam A. 1575, permultis locis manu ipsius Mureti correctam, auctamque versione libri quinti Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum. Se igitur servasse quidem Thomasianæ editionis ordinem, præmissis etiam epicediis atque elogiis Mureti, additaque tota Oratione funebri Francisci Bencii, e qua tantummodo excerpta dederat Thomasius; sed secutum esse Orthographiam Aldinam, & adjunxisse laudatam modo versionem libri Aristotelici, una cum ipsius Mureti correctionibus: illas vero correctiones, quas Orationibus suis alleverat Muretus, & quæ universæ vix unam implent paginam, præliminari suæ Dissertationi conjuncte inseruisse.

TRAITE DE L'ALGEBRE &c.

hoc est,

TRACTATUS DE ALGEBRA; AUTORE CROSA, Membro Academiæ Regiæ Scientiarum.

Parisiis, apud Franscifcum Montalantium, 1726, 8.

Alph. 1 pl. 9 Tab. æn. 1.

In

IN hoc tractatu Cl. Autor stylo amplo & diffuso Algorithmum speciosum communem & extractionem radicum ex æquationibus quadraticis, cubicis & biquadraticis explicat, cum sic tyronibus se consulere confidat, qui præcisa dictione minime juventur. Postquam igitur de notatione quantitatum disseruit, additionem, subtractionem, multiplicationem & divisionem litteralem una cum formatione potentiarum docet. Difficultates enodaturus, cur potentiæ litterales & numerorum ultra tres dimensiones ascendant, id, quod in quæstione est, respondet, scilicet quantitatem in genere & numeros sine fine multiplicando ad dignitates ulteriores evehi posse. Docuit vero jam olim *Stifelius*, cum Algebra nasceretur apud Europæos, quomodo potentia quævis solido quodam exprimi possit, & ex comparatione progressionum arithmeticarum & geometricarum numerorum cossicorum seu algebraicorum, qui potentiis istis respondent, naturam deduxit. Immo notum est, quod potentiis quoque plana, nec non lineæ, perinde ac solida sua respondeant. Tractat deinde de progressione arithmetica & geometrica & inde ad algorithmum litteralem fractionum progreditur, quem non differre a communi in Arithmetica tradi solito constat, cum numeri indeterminati, quos litteræ exprimunt, tractentur tanquam determinati. Quemadmodum vero exponentium dignitatum indeterminatorum nullam mentionem facit; ita quoque reductionem quantitatum irrationalium ad formam rationalium negligit, a Viro etiam post fata summo *Isaaco Newtono* maximo emolumento in Analysin introductam. Quamobrem necessarium fuit, ut algorithmum irrationalium more antiquo traderet. Æquationes quadraticas affectas solvit, reductione ad integras facta addendo quadratum dimidiæ quantitatis cognitæ secundi termini: quæ via omnium planissima est. Extractioni radicis cubicæ inservit regula sic dicta *Cardani*, quæ terminum secundum deficere supponit in casu quolibet, ubi adfuerit, facile tollendum. Quoniam extractio radicum ultra quartum gradum nondum reperta; igitur Noster in extractione radicum ex æquationibus biquadraticis desinit: regulas enim extrahendi radices per approximationem, quales complures prostant, insuper habet. Colophonis tandem loco de analysi, in qua usus algorithmi speciosi & calculi algebraici, qui radicum extractionibus potissimum absolvitur, pauca nonnulla tradit: solis enim præceptis contentus ab exemplis abstinet. Talia desiderantibus commendat *Diophantum* & *Presteti* elementa Matheseos, nec non *Guisnei* Algebram ad Geometriam applicatam & *Hospitalii* Tractatum analyticum de sectionibus Conicis.

)(o)(

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii Anno MDCCXXVIII.

ABREGE' DES MATHEMATIQUES &c. hoc eſt, *COMPENDIUM MATHESEOS IN USUM Majeſtatis Imperialis univerſæ Ruſſiæ adornatum; Tomus I, continens Arithmeticam, Geometriam & Trigonometriam.*

Petropoli, typis Academiæ Imperialis Scientiarum, 1728, 8. chart. aug.

Plag. 8½, Tabb. æn. 8.

Tomus II, continens Aſtronomiam & Geographiam.

Ibidem A. eodem, 8, chart. aug.

Plag. 6.

Liber rariſſimus, cujus nonniſi viginti quinque, ut accepimus, exemplaria nitide impreſſa ſunt, ſive chartæ auguſtam ſpeciem, ſive typorum & figurarum æri inciſarum elegantiam ſpectes, dono Amplisſimi *Schumacheri*, Bibliothecarii Imperialis, ad nos pervenit. Tomi primi Autor eſt celeberrimus *Hermannus*, qui propediem Tractatum brevem de Architectura militari & civili eidem adjunget: Tomum ſecundum condidit Aſtronomus præclarus *de l'Isle*. Per quæſtiones & reſponſiones prima iſtarum ſcientiarum rudimenta perſpicue explicantur.

Hermannus in Arithmetica algorithmum in integris & fractis cum extractione radicis quadratæ tradit, omiſſa extractione radicis cubicæ, propterea quod operatio difficilior paucis verbis explicari nequeat, & regulæ trium directæ brevem quandam mentionem injicit. Geometriam in *Longimetriam*, *Plenimetriam* &

Stereometriam dividit. In *Longimetria* lineæ in genere, tum rectæ, curvæ & circularis in specie, nec non linearum perpendicularium & parallelarum atque angulorum definitiones affert, modumque angulos & lineas cum in charta, tum in campo metiendi exponit. Nec hic silentio præterit lineam horizontalem cum arte libellandi. In *Planimetria* definitionibus figuræ in genere & figurarum rectilinearum in specie exhibitis, figuras rectilineas describere docet. Definit deinde circulum eumque per data tria puncta describendi modum exponit. Tandem modum determinandi areas figurarum rectilinearum subnectit. In *Stereometria* absolutis definitionibus cubi, prismatis, parallelepipedi, cylindri, pyramidis, sphæræ, solidorumque regularium capacitatem eorum ad mensuram revocat. In *Trigonometria* explicatis terminis solutionem triangulorum & rectangulorum more communi expedit.

Insulanus aut, si mavis, *de l'Isle* describit primo in genere stellarum genera, fixas nempe, planetas & cometas, notionem motus communis & ejus ope globi artificialis repræsentationem, nec non elevationem poli, quam Petropoli 59 graduum 57 minutorum deprehenderunt. Disserit deinde in specie de Sole, Luna & eclipsibus, quinque planetis primariis eorumque secundariis, cometis & systematibus mundi. Physica prætermittit & nonnisi astronomica recenset. De Sole dum agit, rationem reddit, cur dies æstate longiores quam hieme, cur non eadem hora eodem die Sol ubivis terrarum oriatur & occidat, cur dies longissimi, qui Petropoli est 18½ horarum, atque brevissimi, qui ibidem 5½ horarum, non ubivis terrarum eadem, atque docet, quomodo in mappis geographicis elevatio poli notetur & quinam in iisdem atque globis terrestribus sit Meridianorum usus. Similiter dum de Luna specialia tradit atque eclipsibus, differentiam inter motum Solis & Lunæ exponit & rationem reddit, cur non in omni novilunio videatur eclipsis Solis, nec in omni plenilunio eclipsis Lunæ, cur eclipseos Solaris quantitas non eadem ubivis locorum, nec utraque eclipsis eodem tempore ubivis accidat. Indicat denique usum eclipsium. De ceteris planetis paucissima in medium affert, contentus indicasse periodi, qua circa Solem revolvantur, quantitatem

tem & numerum Satellitum Jovis atque Saturni, una cum usu eclipsium circumjovialium in Geographia & navigatione. Cometarum phænomena præcipua succincte recenset & differentiam systematum *Ptolemai* & *Copernici* palmariam monstrat, monens, observationes astronomicas non sufficere quæstioni huic decidendæ, utrum terra quiescat & Sol moveatur, an vero Sol quiescat & terra moveatur, & mox phænomena cœlestia per systema *Copernicanorum* distinctius explicans. In Geographia regiones Europæ, Asiæ, Africæ & Americæ enumerat, & cuinam Principi vel Monarchæ pareant, indicat.

Monet *Hermannus* in præfatiuncula, a Collegis suis expectanda esse similia compendia *Historiæ veteris ac modernæ, Politicæ, Heraldicæ* & *Genealogiæ*.

PIECES, QUI ONT REMPORTE' LES DEUX pris de l'Academie Royale des Sciences &c.

h. e.

DISSERTATIONES PRÆMIIS DUOBUS ab Academia Regia Scientiarum pro A. 1720 propositis condecoratæ.

Parisiis, apud Claudium Jombertum, 1721, 4.
Pl. 13 Tabb. æn. 1.

R*Oüillé de Messay*, Consiliarius in suprema curia Parisiensi, Academiæ Regiæ Scientiarum pecuniam legavit, unde quotannis duo præmia distribuantur iis, qui illius judicio optime disseruerint de rebus ad Systema mundi generale & Astronomiam physicam atque navigationem pertinentibus. Præmium prius est 2000; posterius 1500 librarum. Cum A. 1719 Academia Scientiarum ea fini eruditis proposuisset quæstiones, 1) *quodnam sit principium & quænam natura motus, nec non causa communicationis motuum*, & 2) *quinam sit optimus modus in mari conservandi æqualitatem motus penduli, sive ope alicujus machinæ, sive vi suspensionis suæ*; præmium prius obtinuit Cl. *Crosa*, tunc temporis Philosophiæ ac Matheseos Professor Lausanensis, posterius vero horologiopœus quidam Batavus, cui *Massy* est nomen, illite-

ratus equidem, ſed tamen ingenioſus. Quoniam intereſt Reip. litterariæ, ut memoria eorum conſervetur, quæ præmiis condecorata fuere ab Academia Regia Scientiarum; nos hiſtoriæ litterariæ in his Actis conſulentes, ea negligere non debemus: utut igitur diſſertationes, quæ huc usque præmium meruere, ad manus noſtras tardius pervenerint; illarum tamen mentionem facere nos jubet inſtitutum noſtrum. In ſcenam igitur nunc producimus diſſertationem primam atque ſecundam, de ceteris in ſequentibus dicturi. Monet autem Academia Regia Scientiarum, quod *Autorum placita, quibus præmium decernit, minime ſua faciat; nec inventa probet, ſed earum tantummodo diſſertationum, quæ ſub manibus ſunt, unam ceteris præferat.* Abſit adeo, ut quis ſibi perſuadeat, judicio illius inventa eſſe ab autoribus, quæ ad inveniendum proponebantur, v. gr. cauſam motus & cauſam communicationis motus nunc eſſe repertam. Videamus, quid de utraque videatur Cl. *Croſæ*.

Quoniam corpus omne ad motum & quietem indifferens, vi experientiæ, motus cauſam quandam extrinſecam eſſe debere infert, diſputans contra motus æternitatem & contra hypotheſin, qua aliis corporibus motus, aliis quies eſſentialis tribuitur. Eam igitur detecturus, in naturam corporis ſibi inquirendum eſſe ducit. Multus eſt in adſtruenda hypotheſi *Carteſianorum*, quod ſubſtantia corporis ſit extenſio ipſius, cum in eam quadret definitio ſubſtantiæ, qua ens per ſe ſubſiſtens ſeu propriam ſibi exiſtentiam habens definitur, ut adeo ipſi corpus & extenſio ſint unum idemque. Figuram attributum extenſionis eſſe ait, ſeu extenſionem ipſam, quatenus terminata; motum vero attributum ejusdem extenſionis, ſeu extenſionem ipſam, quatenus locum mutat. Corpus cum ſe ipſum ex ſtatu quietis in ſtatum motus transferre nequeat, cauſam motus *intelligentiam* quandam eſſe ſtatuit, conſequenter cum *Carteſio* eam tandem in potentia & voluntate Dei, tanquam intelligentiæ ſupremæ ac æternæ, quærit, cum is producere poſſit, quicquid velit, quemadmodum anima ſolo nutu ſuo moveat membra corporis aut minimum agitet cauſas, quibus motus muſculorum perficitur. In naturam motus inquiſiturus, ſupponit ſphæram ſuperficiei politæ intra aliam cavam quieſcentem, ſed

ſed voluntate Dei efficaci in gyrum actam, & inde infert proprietates motus, quas vocat, eſſentiales ſequentes: nimirum 1) motum eſſe ſtatum corporis ſuperficiem extenſioni contiguæ continuo applicantis; 2) nullam dari in ſphæra mota partem, quæ non continuo eodem modo mutet ſitum reſpectu partium ſuperficiei concavæ; 3) aggregatum partium, ex quibus ſphæra componitur, dum continuo ſitum mutat, ſpatium percurrere, atque hinc patere, quantitatem motus æſtimandam eſſe facto ex celeritate in maſſam, quod alias obſcuritate laborare fatetur. Motum non differre a quantitate ſua probat, quod motus ſit ſtatus corporis ſpatium percurrentis & quantitas motus continuo ſpatio proportionata: quantitatem vero motus eſſe vim corporis inde colligit, quod corpora non habeant vim niſi per motum & vis motus ſit motus ipſe. Communicationem motus ex mente *Carteſianorum* explicaturus, eam perinde ac motum ſphæræ ſuæ ſolitariæ ab efficace voluntate Dei deducit, qui, ubi vult, corpus aliquod moveri, etiam velle debet, ut alterum, quod motui obſtat, loco ſuo cedat. Sapientiæ autem divinæ tribuit, quod non eadem celeritate cedat, qua movetur incurrens, ſalva hujus celeritate, cum ſic exiguo tempore motus in immenſum augeretur, non ſine præjudicio pulchritudinis univerſi. Voluiſſe itaque Deum, ut corpus motum tantundem motus amittat, dum in alterum incurrit, quantum alterum per conflictum recipit. Enimvero hæc hypotheſis Noſtro minus placet, quod corpora ſic non ſint cauſæ veræ ſuorum effectuum, ſed tantummodo apparentes. Quamobrem probaturus percuſſionem eſſe veram cauſam motus communicati, independenter ab omnipotente Dei voluntate, motum ait eſſe ſtatum corporis realem, aut potius corpus ipſum certo modo exiſtens. Qui dicat, corpus locum ſuum perpetuo mutare, eundem hoc ipſo aſſeverare, quod motui ſuo oppoſita loco pellat, & qui dicat corpus realiter moveri, eundem aſſeverare, quod motui ſuo oppoſita realiter loco pellat, cum contradictionem involvat, locum continuo mutare, nec tamen motui oppoſita loco pellere. Hunc eſſe characterem eſſentialem cauſæ veræ, quando contradictionem implicet, quod agat, & effectus ab actione ejus minime naſcatur. Mutationem loci eſſe ſtatum activum; effectum neceſſarium ſtatus

 hujus

hujus activi esse efficere, ut corpus, quod loco pellendum, etiam locum mutet. Deum, dum motui existentiam dedit, eidem quoque indidisse vim loco pellendi corpora, & hanc vim ab ipso corpore non differre. Nudis adeo assertionibus hypothesin suam confirmat & ad qualitates occultas tanquam ad sacram quandam anchoram confugit. Systema causarum occasionalium tandem impugnans, consequentiarium agit, sumens, quod libertas eodem evertatur, & inde inferens, quod sic genus humanum in Pyrrhonismum redigatur maxime absurdum, dum se liberum esse putet, cum tamen minime sit; quod omnis moralitas, omnis virtus, omnis lex, omnis obligatio tollatur; quod Deus perinde fiat autor mali ac ordinis; quod nomina sapientiæ, sanctitatis, justitiæ, misericordiæ, etiam quando de Deo usurpantur, sint voculæ nihil significantes; quod universum compositum sit ex automatis, quæ videntur agere, nec tamen agunt; quod notio entis supremi redigatur ad notionem entis ad automata ista movendum necessitati. Mittimus alia, in qua facundiam suam exercet Cl. Autor: suffecerit ad animum revocasse, quod judice Nostro motus sit status corporis, isque mutabilis, atque idem tamen cum corpore; quod Deus statui huic mutabili indiderit vim, & vis statui indita sit eadem cum corpore; quod status sit activus & tanquam vera causa agat. Absit tamen, ut quis sibi persuadeat, Academiam Scientiarum placita ista probare vel sua facere, vi eorum, quæ supra notata sunt.

Progredimur ad dissertationem alteram sive propositiones examini Academiæ Regiæ Scientiarum subjectas de modo optimo æqualitatem motus penduli in mari conservandi. Notat Autor industrius & ingeniosus, horologia oscillatoria fixa tam exacta se vidisse, quæ intra annuum spatium non ultra tria minuta a cœlo discesserint. Jam igitur ab A. 1714 de eo cogitavit, annon machina excogitari possit, quæ modum penduli in navi a ventis & fluctibus agitata ita conservet, ut horologium in mari eadem accuratione tempus indicet medium. Ea fini perpendit, quænam sint ea, quæ ad regularitatem motus penduli fixi aliquid conferunt. Primo itaque loco cum occurreret pondus, quod constanter pendulum eodem modo animat, ipsum scilicet a nulla alia, nisi

vi

vi gravitatis agitatum; ope elateris motum æque regularem obtenturus, loco unius majoris uti jubet pluribus minoribus, quæ constanter simul in idem subjectum agunt. Ut vero actio semper sit eadem, singulis diebus singulos tendi jubet elateres, veluti si octo fuerint, primo die primum, secundo secundum & octavo tandem octavum, nono autem iterum primum. Composuit Autor machinam istiusmodi, & motum a quatuor elateribus productum conferens cum motu penduli fixi, æquipollentiam utriusque ipso facto didicit. Expendit secundo loco modum, quo regularitas motus axis pinnati conservatur: quod artificium cum in horologiis portatilibus non perinde ac in oscillatoriis locum habeat, experientia fretus, commendat elaterem spiralem ab *Hugenio* in Diario Eruditorum Parisino A. 1675 d. 25 Febr. publici juris factum & insigni cum successu horologiis portatilibus hactenus applicatum. Observat nimirum, eum non minorem regularitatem admittere, quam pendulum fixum, modo horologium a perito artifice tractetur, qui de regularitate ejus non amplius spondere possit quam durante cursu suo, intra 24 vel 30 horas communiter absolvendo. Parens Nostri cum inventum *Hugenianum* legisset, experimentum instituit & concordiam penduli fixi atque elateris spiralis admiratus, horologia portatilia ejus formæ primus construxit, qualia in Anglia hodie construuntur. Porro cum constet, corpora durissima, veluti marmora & metalla, frigore condensari, calore autem dilatari, atque hinc motum horologiorum nunc accelerari nunc retardari, ubi in diversa climata transportantur; ideo suadet, ut horologia cistæ includantur, in qua vi lampadum fide thermometri idem caloris gradus conservetur, qui sub zona torrida maximus deprehenditur. Cista ista eo modo suspenditur, quem jam exposuit *Hugenius* in horologio oscillatorio. Motus regularitatem in horologiis hac ratione conservari omni anni tempestate, facto experimento Autor didicit. Colophonis tandem loco describit perfectionem, ad quam ars conficiendi horologia, præsertim portatilia, perducta, ut inde colligi possit, quænam a principiis penduli regularitatem in navi conservandi ab ipso traditis expectanda sint.

Des

Des Freyherrn von Caniz Gedichte rc.

h. e.

LIB. BARONIS DE CANIZ POEMATA

maximam partem ex αὐτογράφοις emendata & aucta, quibus annotationes subnexuit, vitam præmisit, & in calce de eo, quod Gustum meliorem in Poesi & Oratoria arte appellare solemus, disquisitionem subjunxit JOANNES ULRICUS KOENIGIUS, *Serenissimo Polon. Regi & Saxoniæ Electori a Secretioribus Epistolis & Poesi.*

Lipsiæ & Berolini, apud Ambrosium Haude, 1727, 8 maj.
Alph. 2 pl. 6 cum fig. æn. 3.

ILlustrissimi Canizii Poemata numero pauca, mole parva, sed ad antiquitatis amussim exæquata, & melioris ævi primitias, quis est in patrio Parnasso tam hospes atque peregrinus, ut ignoret? Fuere sane in oculis & manibus civium, queis

de meliore luto Titan præcordia finxit;

nisi quod plures doluerint, istas gemmas & ipsas a mangonibus male habitas, & venum in vilissimo vasculo esse expositas; poemata, inquam, ejus Viri, & ipsa tam multis turpissimisque mendis defœdata, & præterea tam misere sordideque excusa fuisse, ut res foret probatu haud difficilis, veterem ætatem & critices imperitam, & deliciarum typographicarum rudem, plus honoris Joanni Sachsio suo habuisse, quam hanc nostram, cultam adeo atque perpolitam, præstantissimo Poetæ. Quare merito cum sanctæ Vatis memoriæ, tum Amplissimo Editori gratulamur, immo huic quoque gratias agimus, quod patriam communem tanto munere bearit, effeceritque magno suo labore & sumtu, ut illa non habeat amplius, quare Galliæ Boilavium, aut si quis est alius magnorum Poetarum apud exteros pulchre editus, invideat. Sive enim chartarum magnitudinem elegantiamque quis intueatur, sive typorum nitorem varietatemque, sive ordinis in universo opere adhibiti concinnitatem, sive in emendandis operarum typographicarum erroribus multam curam, sive imaginum æri affabre incisarum per-

perpulchrum decus, five lemniſcorum ornamentorumque multiplicium, & Editoris ingenium, & artificis ſolertiam ſpirantium, copiam: ſane ille fatebitur, nihil hic deſiderari, quod efficere poterat, ut hæc Canizianorum editio a ſumma perfectione quam proxime abeſſet. Sed hæc oculos peritorum imperitorumque primo intuitu non fugiunt; nunc quid intus lateat, commemorabimus.

Poſt frontem, pulcherrima imagine decoratam, cujus & utroque ſermone ligato & non ligato ſubjuncta eſt explicatio, primo merito loco legitur operis ad Herculem harum regionum Muſagetam, Illuſtriſſimum Comitem Wackerbarthium, dedicatio, quam Canſteinianæ præfationes, duabus editionibus, primæ A. CIↃ IↃ CC & noviſſimæ A. CIↃ IↃ CCXIX præfixæ, excipiunt. Pone ſequitur Nobiliſſimi Kœnigii præfatio, ex qua, ſi lubet, diſcere poteris, quot vicibus Poemata illa edita ſint, (nempe, intra annos undeviginti ſaltem novies illæ delitiæ deſideratæ ſunt) quot in hac decima editione loca luxata ſint reſtituta, quot alia vulnera ſanata, quid in annotationibus ſit præſtitum, qua illæ fini conſcriptæ, qui opem tulerint, ubi Illuſtris Beſſeri, B. Nicolai Zapfii, Conſiliarii Aulici Saxo-Gothani, ab annis Academicis veteri amicitia Canizio noſtro conjunctiſſimi, & Illuſtris Weiſſii, Regi Poruſſiæ a ſecretioribus Cameræ conſiliis, nomina eminent, quæ denique ſit maximi Poetæ in omnibus, quibus ludere ei fuit volupe, carminum generibus præſtantia. Proxime ferit oculos Illuſtriſſimi Vatis memoria, duplici imagine nobis ſervata, quarum illam ærea Tabula excuſam pictoriæ inciſoriæque artis inſignibus artificibus, hanc, operoſiſſimam vitæ deſcriptionem indefeſſæ Ampliſſimi Editoris diligentiæ debemus, utramque ſane perjucundam, quod in illa ora Viri quaſi coram inſpicere, & frontis indicio eximias animi dotes cognoſcere, in hac autem, animi præcellentis quandam veluti icona intueri, &, quam nihil frons fallat, diſcere liceat. Illam repetere vetat inſtituti noſtri ratio; hujus ut quædam epitome in hoc tot eximiis imaginibus doctiſſimarum Virorum exornato Eruditionis Atrio deſit, non patiemur.

Fridericus Rudolphus Ludovicus, familia gentis Caniziæ Pruſſica, A. CIↃ IↃ CLIV, XVII Novembris progenitus, patrem

habuit Ludovicum, Electori Brandenburgico ab Aulæ, Cameralis Judicii, & Prussicæ Provinciæ Consiliis, matrem *Annam Elisabetham*, Conradi a Burgsdorf, summi in Aula Electorali Brandenburgica Camerarii, filiam. Patrem ante amisit, quam nasceretur; nec apud Matrem, summo Campi Mareschallo Saxonico, Baroni Golzio, secundis nuptiis junctam, commode satis educari poterat; quare Aviæ amantissimæ, Burgsdorfiæ commendatus, sub præceptoribus domesticis tantum profecit in Literis, ut ad uberiorem bonarum artium mercaturam anni seculi illius septuagesimo primo Lugdunum Batavorum, &, cum Avia longinquam absentiam amplius ferre non posset, anno tertio & septuagesimo Lipsiam commigraret, ubi cum Jo. Hauboldo Einsidelio, Electori Saxoniæ postea a sanctioribus consiliis, &, qui ad eundem summæ dignationis locum evectus est, Carolo Godefrido Bosio, S. R. I. Comite, qui unus ex illis sodalibus hodie superest, & Zapfio, Bosii studiis ista tempestate præfecto, conjunctissime vixit, &, præter serias literas, Poesin, ad quam natura factus videbatur, excoluit. Confecto studiorum curriculo animus Nostro erat, *Ulyssis* exemplum sequi & multorum mores populorum inspicere, cujus rei cum veniam & ab Avia, & a summo Principe obtinuisset, ingressus est iter Italiam versus, & ea pariter atque Gallia, Anglia, Belgio lustratis, multisque celebribus, magnis, & Illustribus Viris, maxime Noviomagi, ubi tum pacis negocium agitabatur, salutatis, non salvus modo & incolumis, sed multis sapientiæ & eruditionis opibus locupletior ad suos reversus est. Vix reducem magnus Elector, Fridericus Wilhelmus, in numerum Generosissimorum Juvenum retulit, qui sibi a Cubiculo esse solebant, quo factum, ut Bello Pomeranico & obsidioni Sedinensi, A. 1678 Stralsundensi, anno proximo expeditioni Suecorum e Prussia ejiciendorum gratia susceptæ, muneris causa interesset, quo in Mandelslohium quendam translato, ab Electore duobus Capitaneatibus, Zossenensi, Trebbinensique ornatus est. Aderant tempora, quibus de matrimonio ineundo Nostro cogitandum erat, nec deerat digna ducendi conditio: nempe dudum placuerat Dorothea Emerentia Arnimbia, Baronis Cansteinii, Consiliarii intimi, Supremi Aulæ Mareschalli, & Cameræ Præsidis privigna, virgo omnibus sui sexus vir-

virtutibus conspicua, cum qua tantopere, & per omnem vitam, immo post funera adamata Doride sua tandem anno supra millesimum sexcentesimum octogesimo primo faustissimis ominibus junctus est. Constituerat apud se, isto thesauro, & Tusculani sui, cui Blumbergio nomen, otio frui: sed, ut solent ejusmodi ingenia non sibi, sed reipublicæ ac orbi nasci, Electori ab Aulæ & Legationum Consiliis esse jussus, primum suæ prudentiæ, & in rebus agendis peritiæ tyrocinium anno octogesimo secundo in Aulis Electorum Rhenanorum, & inde in Francofurtano Conventu posuit, eo equidem cum successu, ut Elector loco Zossenensis & Trebbinensis Capitaneatuum, quas Noster volens in eundem Mandelslohium, cujus supra mentio facta est, transferebat, maxime opimam Müllenhofii & Müllenbeckii præfecturam sponte sua offerret. Mox ad Coloniensem Electorem, & aliquoties Hamburgum, intestinorum dissidiorum sopiendorum causa missus, utroque in loco fidelitatem suam & dexteritatem Domino suo facile approbavit. Cognita his experimentis virtute dignus repertus est, qui ad Augustissimum Imperii Caput anno octogesimo sexto mitteretur, ubi primum Budæ expugnationem Imperatori gratulatus est, deinde Hamburgensibus turbis sedandis, tum evertendis Gallorum machinationibus operam navavit, ea equidem Cæsaris in omni re gratia usus, ut discedens etiam clementissima formula dextra Augusti conscripta Domino suo commendaretur. His servitiis meruit gratiam Friderici Wilhelmi Magni, qui eum, præter memoratas dignitates, inter Cubiculi quoque Comites retulerat; neque sane minore gratia apud Filium Fridericum floruit, a quo initio suscepti regiminis Consiliarii intimi dignitate ornatus, mox Viennam Legatus missus est, ut mortem magni Electoris Imperatori ritu solemni nunciaret, atque brevi post iterum, ut, natum esse recenti Electori filium, eidem indicaret. Anno superioris seculi octogesimo nono cum dissidiis inter Regem Daniæ & Holsatiæ Ducem coortis componendis, tum controversiæ de successione Lauenburgica amica ratione finiendæ, Electoris sui nomine operam dedit, qua re, tum etiam aliis multis suis meritis effectum esse videtur, ut exeunte anno Sonnenburgi inter Milites Illustrissimi Ordinis Johannitici legeretur, & Schievelbeinensis

nensis Commendaturæ vacuam possessionem exspectare juberetur. Anno supra millesimum sexcentesimum nonagesimo primo Cizam, secundo & tertio bis in Saxoniæ inferioris tractum, successionis Mecklenburgicæ amice ordinandæ causa, Domini jussu abiit, quarto socrum amisit, quintum autem expertus est perquam tristem atque lugubrem. Eo enim anno & Blumbergii sui partem dimidiam funesto igne in cineres versam vidit, & conjugis omnibus sexus sui virtutibus ornatissimæ cineres flevit, doluitque ereptum animæ dimidium suæ. Ad alios fortunæ ictus invicto animo Canizius, huic dolori cessit; quare suasum est, persuasumque tandem, ut itinere suscepto molliret curas; verum enimvero cum in eo esset, ut Namurcum abiret, obsidionem spectaturus, invisurusque amicos nonnullos ibidem hærentes, imperia Domini intercesserunt, ut Mecklenburgum versus legatus lites inter Principes de hereditate exortas componere anniteretur. Redux etiam in re familiari sensit, quantam in optima conjuge fecerit jacturam, tandemque alia Legatione ad eosdem Principes Mecklenburgicos & ad Holsatiæ Ducem defunctus, se permoveri passus est, ut Virginem, a moriente conjuge flenti marito commendatam, Dorotheam Mariam, e Liberis Baronibus de Schwerin secundis nuptiis duceret, quarum nuptiarum ritibus cum ipse Elector gratiosissime adesset, novum sponsum inter suos status Ministros, inque ipsum Consiliariorum intimorum Collegium se cooptare, lætus conviva edixit. Imperator etiam pristinorum meritorum memor & tanti Viri eminente virtute compulsus, anno nonagesimo octavo & Nostrum & posteros, si quos habiturus fuisset, S. R. I. Liberos Barones esse, sua sponte voluit. Mox nova eaque amplissima ei Legatio delata est, primum, ut Hanoveræ recenti Electori, postea Magnæ Britanniæ Regi, Georgio exponeret, quantum Dominus suus de defuncti Patris Electoris morte doleret, deinde ut Hagam Comitum se conferret, & gravissimis consiliis, quæ ibidem inter Britanniarum Regem Wilhelmum, Belgicam Rempublicam, & alios Principes agitabantur, Electoris sui nomine interesset; quod magna cum cura, & multa cum gratia apud eos, cum quibus agendum erat, præstitit, donec intestinus, immo internecinus hostis, apostema in pectore, eum redire domum, immo, aliis morborum gene-

generibus accedentibus & a pertinaci vi sua nihil remittentibus, vasa colligere cogeretur. Quanta animi magnitudine fato suo occurrerit, legant hic loci relatum, qui volent. Nos mortem, qui anno nonagesimo nono XI Aug. ei obtigit, narrabimus. Illo mane, vestibus omnibus indutus, rogabat nobilem virginem, quam natu grandiorem, conjugique suæ cognatione conjunctam, habebat inter familiares, ut suis manibus sustentatum ad fenestram adduceret, liberioris aeris hauriendi causa; ubi conspecto Sole oriente, in hæc lætus erupit verba: *O pulcherrimam rem! quæ, licet rerum creatarum numero sit, cum tamen tam bella appareat, tantum delectet, o! quantum conspecta ineffabilis illa summi Autoris pulchritudo delectabit;* quibus dictis repente mortuus concidit. O dignum Equite Christiano vitæ exitum!

Sed redeamus in ordinem, memoriam mariti excipit memoria uxoris, Doridis optimæ imago, uti eam partim artifices nobis servarunt, partim posteritati commendavit Illustris Besserus eximio carmine, quo Canizium Viduum, id flagitantem, solatus est. Sequuntur Poemata ipsa summa cum cura recensita, notis luculentis instructa, accessionibus haud spernendis locupletata, & in suos dispartita ordines, sacrorum, misti generis, satyricorum, & ex peregrinis linguis in vernaculam conversorum, funebrium, & elegantium denique jocosorumque, quæ si laudaremus multis, merito illud vetus occineretur nobis: Noctuas Athenas. Sed & de adjectis Commentariis, quid multa? Intelligent reapse æqui lectores, eosdem lucem haud exiguam carminibus afferre. Inter misti generis poemata pag. 57 Noster ad Eusebium de Brand, Status Ministrum, & Electori ab intimis Consiliis:

Wie rühmlich du die Zeit auf Schulen angeleget,
Das gab uns zu verstehn das tiefgelehrte Blat,
Dadurch Arminius ward in der Gruft beweget,
So bald der muntre Brand nur auf den Lehrstul trat.

Paucos fuisse credimus, tantæ in hariolando felicitatis, ut intellexerint, quod res est, & quod ibidem in notis legitur, Dn. de Brand, more genti suæ perquam familiari, præter Juris & Politices studia tanto ardore Theologiæ Francofurti ad Oderam vacasse, ut publi-

cam etiam dissertationem de Jacobi Arminii hypothesibus in cathedra defenderit. Pag. 113:

Er wird nicht weniger entzückt,
So bald der Dudelsack in seiner Schencke klinget,
Als wenn Bellerophon von seiner Liebe singet.

Vix erit quisquam, qui postremum versiculum intelligat, nisi qui fando acceperit, aut hic legerit, post Pacem Naviomagensem Bellerophontem, multo sumtu, magnaque artis musicæ elegantia, in Theatro Parisino spectatum auditumque esse. Sed & quæ sequuntur, *Blanc mangé, Linguattole, Glomms, Pomocheln*, esculentorum genera, & Prussica Numina, *Perkun, Potrimpos, Pikoll*, paucissimis Germanorum nota erunt, & illa p. 118:

Und wenn kein grosser Hecht hier in die Darge beisst,
So gilt mein Giebelfang, der oft das Netze reisst.

& iterum p. 124:

Werd ich, in meinem, nun zu Gustgen mich gesellen,
So thu desgleichen auch bey deiner liebsten Drellen.

Quæ explicata legat, qui volet. Superest Amplissimi Editoris de Gustu in prosa versaque oratione disquisitio, sane perdocta & perquam accurata, e qua definitionem Gustus utriusque, melioris, deteriorisque, p. 292 excerptam hic tradimus: Melior Gustus in utraque oratione est *mentis quædam veluti spontanea vis atque virtus, verum, bonum, venustum, uti est, percipiendi, & a falso, malo, invenusto, sive illud in verbis, aut in rebus, aut denique in totius operis constitutione lateat, promte & veluti momento separandi; ex qua in voluntate justum arbitrium justusque selectus, in exercitatione concinna applicatio profluit.* Deterior Gustus *animi* est *quidam morbus, atque inertia, qua verum, bonum, venustum, non, uti est, percipitur, adeoque cum falso, malo, invenusto, sive in verbis, sive in rebus, sive in operis universi natura, confunditur, unde in voluntate iniquum arbitrium ineptusque delectus, in exercitatione inconcinna applicatio.* Legant reliqua harum literarum amantes: neque enim facile quempiam illius lectionis pœnitebit, quod illa disquisitio, non minus quam reliqua in hoc opere ab Amplissimi Kœnigii manu profecta, etiam ob eximiam sermonis nostri puritatem, stylique elegantiam ma-

maximopere sint commendanda. Nos plura non addimus, quod hujus scripturæ modum jam fere excessisse videamur, neque commode singula ex doctissimo scripto afferri possunt, in quo omnia inter se connexa, & uno veluti vinculo inter se colligata exstant.

Nihil adeo superest, quam vovere ex animo, ut in illa plura Caniziana eruendi spe, qua Nobilissimum Virum duci novimus, fortunam haud lævam, immo faventissimam experiatur; simul majorem in modum rogare, ut & Criticen in Caniziana, & illius de Gustu disquisitionis partem reliquam, ut utilissimam, ita jucundissimam, publico bono quam ocyssime subjungat.

JO. FRANCISCI BUDDEI, TH. D. ET P.P. Miscellanea sacra, sive Dissertationum aliarumque Commentationum, ad Theologiam, historiam Ecclesiasticam & recentiores controversias spectantium, Collectio in tres Partes distincta, cum Indicibus necessariis.

Jenæ, sumptibus Jo. Felicis Bielckii, 1727, 4.
Alph. 12 pl. 9.

QUatuordecim præterlapsi sunt anni, quum Summe Reverendus ac celeberrimus suisque meritis plane insignis Autor collectionem quandam Dissertationum suarum Theologicarum aliarumque commentationum, *Syntagma Dissertationum Theologicarum* inscriptam, ederet. Hujus vero Syntagmatis quum nova paranda esset editio, illud augere, novamque partem, illas Dissertationes commentationesque Academicas, quæ ab eo post editum Syntagma luci publicæ erant traditæ, complectentem, adjicere, celeberrimo Autori placuit. Immo ut desiderio bibliopolæ, cujus sumptibus hæc Miscellanea excusa sunt, satisfaceret, tertiam quoque Partem adjecit, in qua Dissertationes exhibentur, quæ ab iis, qui respondentium munere functi sunt, conscriptæ & sub moderamine Autoris nostri publico eruditorum examini traditæ fuerunt. Tria igitur sunt Syntagmata, quæ hæc Miscellanea sacra in se continent. De primo non est, quod quadam dicamus, quum summa illius a nobis in Actis nostris 1714 mense Augusto pag. 385 sit relata; id tamen monendum est, quod *Meditationes sacræ*, quæ

quæ illi additæ erant, nunc minus exhibeantur, quoniam seorsim prelo subjici debent. In secundo Syntagmate primum locum occupat commentatio de *Pelagianismo in Ecclesia Romana per bullam anti-Quesnellianam, a Clemente XI P. R. promulgatam, triumphante*, in qua Autor multa tradit erudite, quæ ad historiam Pelagianismi in Ecclesia Romana ejusque progressum pertinent; quum autem per bullam istam anti-Quesnellianam per Pelagianismum in Ecclesia Romana triumphare contendit, neutiquam statim cuncta Quesnellii asserta calculo suo approbat, monetque, pleraque ita esse comparata, ut anguis in herba lateat. Sequitur *recentissimarum de sacra Cœna controversiarum Sylloge*, in qua præter alia controversia, quam Leonhardus Christophorus Sturmius de verborum sacræ Cœnæ institutionis interpretatione excitaverat, attingitur. Scripserat Sturmius ad ipsum Autorem nostrum, eique significaverat, ad confirmandam sententiam suam de sensu vocis τȣ͂το in verbis institutionis sacræ Cœnæ, hoc tantum superesse, ut consensu Patrum veteris ecclesiæ confirmaretur, quumque putaret, id ab eo fieri posse, ut hunc laborem in se susciperet, rogaverat. Respondit Venerandus Autor noster, maximopere eum falli, utque hoc ostenderet, in hac Sylloge loca quædam Ignatii, Justini, Irenæi, Tertulliani adduxit, iisque demonstravit, veteris ecclesiæ doctores expositioni illius adversari. Tertia Dissertatio exhibet *Judicium B. Martini Lutheri de Ecclesia Romana expensum & vindicatum*, quæ opposita est libro, qui inscribitur: *aufrichtiger Abriss der wahren und ganzen Catholischen Kirchen, wie man sie mit Augen sehen kan*, in quo Autor, quem Georgium Christophorum Ferdinandum a Ræsewiz esse constat, id agit, ut quibusdam Lutheri testimoniis probet, Romanam Ecclesiam omnino esse veram, atqui hoc est, quod Autor noster heic refutat, Lutheri judicium de ecclesia hac expendens. Quarto loco conspicitur Schediasma de *Ecclesia Romana cum Ruthenica irreconciliabili*, de quo jam in Actis nostris *Supplement. Tom. VII Sect. X* diximus; ultimum autem locum tenet Dissertatio *de statu Ecclesiarum Apostolicarum, earum præcipue, ad quas Paullus Apostolus Epistolas suas scripsit*, in qua præcipue illustrat controversias, ad quas Apostolus hic in litteris suis respexit,

atque

atque errores, quos simul confutavit. Hisce dissertationibus addita sunt, elegantissima Oratio de *bonarum litterarum decremento nostra ætate non temere metuendo;* commentationes Theologicæ de *apostasia;* de *eo quod in Theologia pulchrum est*, cujus commentationis partem quandam in linguam Gallicam translatam exhibet celeberrimus Jo. Petrus Crosa, posteriori Tomo novæ editionis Tractatus de *pulchro;* item de *libertate cogitandi*, quæ Autori *discursus de libertate cogitandi* est opposita; de *criteriis veræ & falsæ inspirationis*, quæ spectat ad inspiratos, quos vocat, qui eo tempore, quum scriberetur, ingentem dederunt strepitum; de *fallibili Pontificis Romani infallibilitate* contra Matthæum Petitdidierium, de *conciliis Lateranensibus rei christianæ noxiis*, & *de origine Socinianismi ab ecclesiæ emendatione non repetenda.* Prout harum dissertationum commentationumque Theologicarum argumenta sunt egregia atque optime excogitata; ita Autor noster ista more suo, id est, accurate atque erudite exposuit atque illustravit.

Tertium horum Miscellaneorum sacrorum Syntagma, quod Dissertationes Theologicas sub moderamine Autoris publico examini expositas continet, nobis exhibet Dissertationem de *Pædobaptismo*, oppositam clarissimo Viro, Antonio van Dalen; de *hamartigenia;* de *beatitudine in regno gratiæ exhibita*, quæ respicit ad controversiam illam in Holsatia agitatam: num beatitudo fidelium in hac vita a beatitudine electorum in altera vita specie, an gradu differat? item de *fide, quam nonnulli fingunt, naturali*, in qua præcipue sententia Poireti refutatur; de *Salvatoris nostri exaltatione dolorosa ejusque effectu*, ex *Joh.* XII, 32; de *origine mali* contra hypotheses recentiorum quorundam, præcipue Leibnizii; de *usu mysteriorum fidei in praxi vitæ christianæ;* de *omnibus concedenda Scripturæ sacræ lectione* contra bullam anti-Quesnellianam; de *discrimine naturæ & gratiæ quoad facultatem recordandi, seu memoriam;* de *Jesu melioris fœderis sponsore;* de *colloquiis charitativis seculo XVI per Germaniam irrito eventu institutis*, quæ dissertatio satis est ampla; de *anima sede peccati originalis principali;* de *Galilæa, rebus gestis & miraculis Christi clara*, & de *idoneo litterarum sacrarum*

interprete. Equidem hæ dissertationes non omnes ejusdem sunt generis, quod ipse celeberrimus Autor noster in præmissa præfatione fatetur; singulæ tamen diligenter sunt conscriptæ, nec solum dignitate argumentorum suorum se commendant, verum etiam variarum rerum eruditus apparatus in illis invenitur, ex quo multa capita historiæ ecclesiasticæ, recentiorum controversiarum aliarumque Theologiæ disciplinarum sunt illustranda.

JO. GEORGII WALCHII, THEOL. D. ET P. P. *Commentatio de Concilio Lateranensi a Benedicto XIII celebrato.*

Lipsiæ, sumtu Jo. Frid. Gleditschii B. Filii, 1727, 8.

Plag. 11.

QUum memoria Concilii Lateranensis, quod paucis abhinc annis Benedictus XIII celebravit, merito conservanda sit in commentariis historiæ ecclesiasticæ, maxime utilem operam S. R. Autor collocavit in hac Commentatione conscribenda, imprimis quum non solum historiam illius recensuerit; sed etiam quid res Christianæ ab eo sperare possint, luculenter monstraverit. Atqui hoc imprimis nomine commentatio hæc conscripta est, ut pateat, quod ab hoc Concilio nulla Ecclesiæ Romanæ emendatio sit speranda, quod ut evincat tria capita commentationis constituit. Primum agit de *emendatione Ecclesiæ Romanæ frustra tentata*, in quo ex monimentis historiæ ecclesiasticæ enarratur, quomodo emendatio Ecclesiæ Romanæ sit tentata in Conciliis, Pisano, Constantiensi ac Basileensi, de quibus singulis contra objectiones Romanensium probatur, quod fuerint Concilia legitima atque universalia; sed deliberationes in illis susceptæ feliciori destitutæ fuerint successu. Idem demonstratur de variis Romanis Pontificibus, qui meliorem rerum sacrarum conditionem sint meditati, minus vero perfecerint, præcipue de Leone X, Adriano VI, de cujus deliberata ecclesiæ mutatione multa sunt dicta, neque non de Clemente VII, Paulo III. Hisce expositis Autor noster causas recenset, cur hujusmodi consultationes nihil effecerint. Caput secundum exponit de *ipso Concilio Lateranensi a Benedicto XIII*

XIII celebrato, cujus historiam ita tradit, ut primum nomen *Lateranense* explicet; deinde quotum sit hocce Concilium Lateranense, expendat; porro alias illius circumstantias referat atque acta, quæ prodierant, strictim recenseat. Capite tertio Autor differit de *nævis Concilii hujus*, quos ad tres classes revocavit, ita ut ad primam scopum vitiosum; ad secundam ejus normam minus rectam & ad tertiam decreta erronea atque inutilia retulerit. Ipsa hæc decreta distincte ac distribute exquisivit, ac quum alia ad dogmata, alia ad res civiles & politicas, ac denique nonnulla ad disciplinam ecclesiasticam pertinere monuit, de singulis, quæ in illis sint vitiosa, sedulo ostendit. Inter alia observat S. R. Autor, quod Benedictus XIII, non sua voluntate commotus, sed sacri ordinis virorum vi ac fraudibus coactus, constitutionem *Unigenitus* confirmaverit, quoniam clarissime significaverit, quo loco rigidos infallibilitatis papalis defensores habeat, postquam Natalis Alexandri scripta numero librorum prohibitorum eximi voluerit. Hac occasione varia differuntur de Natali Alexandro. Disputat quoque Autor contra Missam Romanensium, eorumque confirmationem in baptismo aliaque dilucidat capita, de quibus inter illos nostræque Ecclesiæ Theologos agitantur controversiæ.

SPECIMEN PHILOLOGICUM DE VETErum gentilium & Judæorum Theologia Mythica. Accessit ברכה כהנים *id est: ratio, qua filii Aaronis, ut dicuntur, diebus festis e suggestu plebi benedicere solent. Ubi invenies quæ hactenus nemini fuere observata. Autore*

M. SEBASTIANO JACOBO JUNGENDRES, Norimb.

Sumtibus Autoris, 1728, 4.

Plag. 13.

ILlud imprimis docta hac commentatione datum sibi existimavit Cl. Autor, ut a communi illa, qua Mythica premi Theologia solet, suspicione, quasi vero anili saltem garrulitati vanisque otiosorum hominum debeatur deliriis, strenue eandem vindicaret; eamque potius præcipua continere naturalis doctrinæ, reli-

gionis, morumque capita, suavibus tecta fabularum involucris,
p. 8. pro ea qua pollet antiquitatum peritia, erudite assereret. *Pars operis Generalis*, circa Mythologiam in genere occupata, indo-
16. lem ejus, partes, finemque tradit: hinc ad originem, quam servo-
24. rum gregi tribuit, fataque illius progressus, Scriptores Mythicos, inque illis Locmannum, Phædrum, Hyginum, Ovidium, Livium Andronicum, Æsopum præcipue affert, mentione pervetustæ ali-
21. cujus Æsopi editionis injecta, Parmæ apud Antonium Zarotum 1474, curante Rimicio excusæ, quæ Cel. Fabricii in Bibl. Gr. studium omnino effugit. *Pars Specialis* Theologiam Gentilium my-
29. thicam *Sectione I* commemorat, natales ejus, partes, occultamque tractandi rationem, quæ abigebat impetuosius a sacrorum commercio rudem plebeculam, quo & superstitiosius venerarentur mystas, & illi liberius interim in honestatem castitatemque omnem,
45–56. remotis arbitris sævirent. Enarratis, qui huc spectare videbantur, scriptoribus, Orpheo, Museo, Lino, Homero, Hesiodo & Ovidio, *altera Sectione* ad Judæorum Theologiam Mythicam pergit:
57. quam cum Cabbala imprimis contineat, ejus in historiam spatiosius excurrit, puramque Cabbalam a Mose ad Esdram obtinuisse, impuram vero, rebus Judæorum in deterius ruentibus, surrogatam
68. in prioris locum fuisse, monet. Fabularem autem docendi rationem ab incunabulis Israeliticæ rei Noster repetit, a Prophetis sæpe, ipsoque Servatore, Talmudicas subinde imitato allegorias, ado-
70. ptatam. Sequiori ævo ad offundendas auditori tenebras, studio componebantur fabellæ, in cujus rei fidem speciminis loco
73. unum alterumque Apellarum commentum, v.c. de relicto a creatore ab aquilonari parte in firmamento foramine, ab eo qui Deum
75–77. se esse affirmaret, olim consuendo; de Leviathanis fœmella occi-
77–81. sa, justisque venturis sale condita; de זיז שדי Ps. L,11, seu insigni ave, caput in cœlos efferente, pedibus in mari relictis, &c. in-
87. geniose de rebus mysticis exponit; additis, quæ Christianorum sacra sua occultandi consuetudinem illustrare poterant, quibus-
89. dam observationibus. Subjuncta operi brevis est de ברכה כהנים s. eo Judæorum ritu disquisitio, quo festis diebus, dum benedictionem cœtui impertiuntur sacerdotes, ad singulas ejus voces, præcedentes iterat, variaque Scripturæ oracula intercalat populus. Ipse

hæc

hæc ita eloquitur Cl. Autor: *Praxis ita se habet: Sacerdotes, qui stant ante* ארון הקודש, *incipiunt cum verbo* יברך; *tunc statim repetit populus idem verbum, additque versiculum ex Psalmo, aut alio libro sacro in margine annotato; tam diu enim sacerdotes verbum* יברך *extendunt & sine omni intervallo addunt* יי; *populus vero repetit primum verbum cum voce* יי, *iterumque addit duos versus, duobus verbis adscriptos. Postea* כהנים *tertium verbum canunt, & populus iterum ab initio omnia verba incredibili velocitate repetit; tam diu enim sacerdotibus in unius verbi pronuntiatione commorandum est, donec populus cum omnibus ab initio repetitis finem fecerit, & sic deinceps, ita ut sacerdotes nullum verbum repetant, nec pausam faciant, sed una serie benedictionis verba recitent, semperque eorum quodlibet tam longe extendant, donec & populus cum sua recitatione ad finem pervenerit.* Ordo vero, quo demurmurantur singula, hic est: p. 90.

יברך Ps. CXXXIV, 3.	ישא Ps. XXIV, 5.
יי Ps. VIII, 2.	יי Jes. XXXIII, 2.
וישמרך Ps. XVI, 1.	פניך Ps. XXVII, 9.
יאר Ps. LXVII, 2.	אליך Ps. LXXXVI, 4.
יי Ex. XXXIV, 6.	וישם Num. VI, 27.
פניך Ps. XXV, 16.	לך 1 Chron. XXX (29) 11.
אליך Ps. CXXIII, 1.	שלם Jes. LVII, 19.
ויחנך Ps. CXXIII, 2.	

Tandem vero, quemadmodum Novi Testamenti, typis Germanico-Hebraicis exscribendi, editionem, a Cl. Autore p. 76 & 91 exoptatam, ter jam ac pluries forte, A. 1540, 1592, & iterum 1700 per Christianum Mollerum, curatam fuisse, ex Cel. Wolfii Biblioth. Hebr. P. 2 p. 459 didicimus; ita ut Cl. Autor, quæ B. *Wagenseilius* in *Supplemento MS. Bibliothecæ Rabbinicæ, ad Abr. Hinckelmannum*, quod possidere se p. 67, * affirmat, in litterariæ rei incrementa consignata reliquit, suo tempore benevole promat, humanissime ab eodem contendimus.

JO. ALBERTI FABRICII, SS. THEOL. D. ET Prof. Publ. Hamb. Bibliothecæ Græcæ Volumen XIV, ultimumque. Accedit Index generalis ad universa quatuordecim Volumina.

Hamburgi, sumtu viduæ Felgineriæ, 1728, 4.
Alph. 4 pl. 2.

TAndem ergo, plausus inter & congratulationes universi eruditorum orbis, quinque post lustra ad umbilicum perduxit S. R. Autor voluminosum Bibliothecæ Græcæ opus; supplementa saltem ac castigationes, suo posthac tempore, additurus. Ultimam nunc ejus Partem exhibet, suprema Libri VI capita complexam. Quod primo statim loco occurrit XI Caput, *Leonis Allatii συμμίκτων* s. opusculorum Græcorum & Latinorum indiculum sistit, Romæ 1668 exscriptum: quem *Constantini Lascaris, Byzantini*, de scriptoribus Græcis, patria Calabris, *p. 22*, Siculisque *p. 27*, & de gestis SS. Apostolorum Petri & Pauli, eodem Autore interprete, commentationes excipiunt *p. 36*, ex Antiquitatum Siciliæ Thesauro depromtæ. Succedit *p. 38* Antiochenorum Episcoporum ac Patriarcharum, chronologico & alphabetico ordine digesta enarratio, ex Actis Sanctorum repetita; & *Simeonis, Thessalonicensis* Archi-Episcopi, contra hæreses opus, de fide, ritibus & mysteriis Ecclesiasticis, *p. 49*: una cum Indice scriptorum, in *Vincentii, Bellovacensis* Episcopi, Speculo naturæ occurrentium, *p. 107*, ad editionem Duacensem A. C. 1624. Caput XII *p. 125* scripta Græca, quæ commentitiis Autorum nominibus circumferuntur, indicat, præsidiaque Critices in genuinis & spuriis fœtibus secernendis extollit. Monstrosum scilicet hoc veterum cacoethes fuisse, *p. 127* docet, levia scripta magnis autoribus elocandi, tantisque eadem exornandi nominibus. Allatis igitur variis imposturæ hujus, quæ & leges ad Deos retulit autores, causis, criteria promit *p. 133*, quibus detegi a nobis hæc poterat versutia, addito *p. 134* Autorum elencho, quorum de arte critica lucubrationes supersunt. Occasionem tam facilem non frustra dimissurus S.R. Autor, *Gemisti Plethonis* compendium Zoroastreorum & Platonicorum dogmatum, Græce & Latine inseruit, *p. 137*; de *Orozonte*, scriptore supposi-

postititio, scholia, *p. 145*; *Pseudo-Callisthenis* de rebus Alexandri M. exordium Græcum, *p. 148*; & genuina *Berosi* fragmenta, *p. 175*, adulterinis illis a *Joanne Annio*, Romæ 1498, & deinde sæpius divulgatis, non admiscenda. Anniani hujus operis hic exponuntur contenta, scriptaque, quibus & impugnatum illud & defensum fuit, adjecto imprimis Lusitanice & Latine *Academiæ Regiæ Ulyssiponensis* decreto, quo Academici, Annianorum aliorumque scriptorum suppositorum autoritate uti, graviter prohibentur, *p. 211–227*. Epistolæ accedunt, *p. 227–270*, quas *Diodori Siculi* nomine, *Antoninus Mongitor* in Bibliotheca Sicula venditavit, numero sexaginta & sex, ex Italica *Octavii Archangeli* versione Latine redditæ a V. C. *Abr. Preigero*, & ex Scriptorum Siciliæ Thesauro mutuatæ. Ingeritur præterea *p. 150 §. 8* in *tria Fabriciani Codicis Pseudegraphi V. T. Volumina* Index capitum, cum supplementis quibusdam ac Paralipomenis, quæ inter *Psalmus CLI* cum versione veteri & notis *p. 160* eminet, seorsim a *Pl. R. Dno M. P. C. Hilschero*, Palæo-Dresdensis Ecclesiæ meritissimo Pastore, cum vita Goliathi & Epistola de Oge Gigantum maximo, Budissæ 1716, 4 editus. Sequuntur *Apocryphorum V. T. L.* 1691 impressorum summaria *p. 174* & *Codicis Apocryphi N. T.* cujus elenchus Vol. XIII Bibl. Gr. *p. 833* traditur, auctarium, *p. 270*. Disserit illud de Prot-Evangelio Jacobi, Evangelio infantiæ Salvatoris, Evangelio Nicodemi, Actis Pilati, ejusque ad Tiberium epistola, de Pseudo-Abdia, deque Corinthiorum ad Paulum literis, per Stephanum Presbyterum scriptis, ac per Diaconos, Threzum Thechumque in urbem Phœniciæ apportatis; & Pauli ad Corinthios responsoriis. Utraque hæc epistola, in Guil. Whistoni gratiam ex Armenico in Latinum, a Viro Eruditissimo *M. V. la Crose* versa, integra hic comparet. Variæ ad ultimum memorantur *Mariæ Epistolæ*, ea imprimis, quam *ad Messanenses* dedisse fertur, enarratis simul *p. 276*, qui eandem illustrarunt, scriptoribus. Quod restat operis, accuratus & copiosus rerum & Autorum sibi *Index generalis* vindicat, in XIV Bibliothecæ hujus volumina concinnatus, quem singulari in Musas studio Viri Cl. *Jo. Christiani Wolfii*, Physic. & Poes. in Gymnasio Hamb. P. P. deberi, S. R. Autor in præfatione gratus celebrat.

D. VIR-

D. VIRGINII VALSECHII, CASINENSIS, IN Academia Pisana Sacr. Liter. & Hist. Eccl. Professoris, Epistola de veteribus Pisanæ civitatis constitutis, ad Clariss. & Reverendiss. Patrem D. GUIDONEM GRANDI, Camaldulensem, S. Michaelis in Burgo Abbatem, & in eadem Academia Matheseos Profess. præstantissimum.

Florentiæ, typis Regiæ Celsitudinis, 1727, 4.
Plag. 6½.

CUm doctissimus *Valsechius* epistolam a Guidone Grandi ad V. Cl. Josephum Averanium perscriptam legisset, qua is, allata e cœnobii sui tabulariis judiciali sententia A. 1193 ostendit, seculo XII Pisano in foro usum Pandectarum utique viguisse, contra id, quod in Historia Pandectarum senserat V. Cl. Henricus Brencmannus; statim cupiditas ipsum cepit, vetera etiam Pisanæ civitatis constituta, quibus Brencmannus potissimum nititur, inspiciendi. Hæc epistolæ hujus edendæ Nostro fuit occasio. Initium vero facit ab examine sententiæ de neglectu Juris Justinianei in foro Pisano usque ad A. 1262 & ulterius, quam proposuit Celeberrimus Brencmannus, *Pisis civilem prudentiam integro seculo friguisse, nec ullius in jure usûs autoritatisque fuisse, dum in ipsa Urbe jam statim sub Eugenio III, h. e. circa A. 1150, ex jure Cæsareo causæ deciderentur, dumque A. 1158 ab Imperatore ex Bononia quatuor Professores litium dirimendarum causa ad conventum in Roncalliis acciti fuissent atque brevi omnia undique fora ferventissimis juris Romani concertationibus perstreperent.* Existimat enim Vir eruditissimus, primum, usos esse Pisanos adhuc post Friderici conventum diutissime mixta quadam Jurisprudentia, ex jure scripto & consuetudinario; deinde, scriptum illud jus constitisse ex Lege Romana & Longobardica; tertio, *Legem Romanam* Pisanis dictam esse compilationem Juris e Codice Theodosiano & fragmentis quibusdam Ante-Justinianeis ab Alarico sub Gothis conceptam; quarto, ex hac Lege Romana, exque Jure Longobardico & Pisanæ civitatis consuetudinibus in foro ibi jus redditum esse usque ad A. 1262 & ultra. Prius quod attinet, id adeo

adeo verum profitetur Noster, ut jure simul scripto & consuetudinario hodienum uti Pisanos, doceat. Neque magis negat alterum, quippe quod e prologo veterum Constitutorum satis probetur. Tertium, quod Brencmannus confirmat tribus Codicibus MStis, Codicem Theodosianum cum Novellis Theodosii, Valentiniani & Majoriani complexis, addita juris epitome, & qui *Lex Romana* inscribuntur, id non omnino placet Valsechio nostro, Codicem & Novellas Justiniani simul *Legis Romanæ* appellatione venisse, statuenti, ita, ut Ludovicus Pius, Viros omnes Ecclesiasticos Lege Romana jubens vivere, Codice etiam & Novellis Justiniani eos uti jusserit, cum post edictum illud Ludovici ad has quoque Leges, ut Romanas, provocatum, easque jamdudum usurpatas a Gregorio M. constet, in causis Ecclesiasticis. De Novellis notabilia præsertim sunt exempla in Concilio, ut vulgo creditur, Parisiensi, verius in Duziacensi, A. 871, tempore Ludovici II celebrato, & quæ proferuntur alia ab Hincmaro diversis locis. De Codice vero illud observatione dignissimum quod Joannes VIII, in Concilio Tricassino secundo, A. 878, legem Arcadii & Honorii laudans, quæ in utroque codice extat, solum citat Justinianeum. Hinc verosimile fit, easdem Justiniani leges comprehensas fuisse *Lege Romana*, pro qua Leo IV Pont. Max. eodem seculo IX Lotharium Imperatorem rogavit, & qua populum Rom. Lotharius uti sivit. Ceterum & Henrici II Imp. Edictum non tres modo e Codice & Novellis Justiniani leges citat, sed palam etiam facit, seculo XI jus Justinianeum in jurejurando calumniæ esse judiciis observatum. Sed, quarto loco quod asseruit Brencmannus, non sine Pisanæ civitatis injuria, ad id confutandum ex statutis Pisanis potissimum Epistola hæc comparata est. Namque ex Codice MSto Constitutionum Pisanæ civitatis, quem Florentiæ in Bibliotheca Strozjana viderat, in cujus ultimæ rubricæ fine legitur: *Constituimus atque firmamus, ut omnia constituta a nobis correcta vel emendata & mutata*, &c. *lecta & publicata sunt MCCLX, Indict. III, tempore Domini Riccardi de Villa, Pis. Potestatis;* in eoque additum aliquando cernitur: *Commune Legis & Usus*; alicubi plenius: *Hoc constitutum est commune Legis & Usus*; & ex Constitutione, quæ, ut ait, in me-

 dia

dia hujus Codicis est, quamvis tempore multo anterior praecedenti, (quae vero nihil aliud est, quam prologus veterum statutorum,) collegit Clarissimus Brencmannus, non ex jure Justinianeo, sed ex Lege Romana Ante-Justinianea, jure Longobardico & Pisanis consuetudinibus in foro Pisano judicatum esse ultra A. LXII seculi decimi tertii. Nullum itaque, nec levissimum vestigium Legis istius Romanae, quae Codice Theodosiano & fragmentis Ante-Justinianeis constiterit, in Constitutis, quibus & tum olim & postea ad hunc diem usi Pisani, apparere, docet Noster. *Constituta* haec, uti inscribuntur, A. 1161, more Pisano, qui est communis 1160, primum compilata fuerunt in unum volumen, indicio prologi, quem & Cl. Brencmannus totum exhibuit, & Noster e Codice seculi XIV, ad vetustiorem alium descripto, repetit. Variant quidem Codices in anno & indictione: sed, ubi scribitur 1141, manifestus est scribae lapsus: neque *Indictio nona* recte ponitur, ut apud Brencmannum, cum *octava*, quae est anni communis 1160, recte conveniat anno Pisano 1161. Talis enim est aera Pisana, ut auspicetur ab incarnatione Domini, seu Deiparae conceptu, non vero a nativitate, sive a Calendis Januariis proxime sequentibus, quo pacto annos nativitatis Christi novem mensibus antevertunt, in connumerandis annis exactiorem Dionysii supputationem secuti; & hoc more veteres Chronographi Pisani rerum gestarum tempora signarunt. Indictione autem Romana, seu Pontificia, non Constantinopolitana, seu Constantiniana, usi illo aevo Pisani, ut Noster ex subscriptione duarum sententiarum, quas in fine epistolae apposuit, probat. Post prologum sequuntur constitutorum XXIX rubricae, quae ad *usum* pertinent, & quarum sub finem in Codicum uno, quos Noster consuluit, scriptum est: *Expliciunt Constituta usus Pisanae Civitatis;* id quod titulo prologi respondet: *Incipit Prologus Constitutorum usus Pisanae Civitatis.* Sic & in fine rubricarum LVII, ad *legem* spectantium, duo Codices habent: *Explicit Constitutum Legis Pisanae Civitatis.* Vetera haec Constituta subinde variis temporibus recognita, aucta & correcta: cumque rubricae usus & legis seorsim ac mutato saepe ordine lectae sint in Senatu, inde fortassis factum, ut inverso ordine rubricae legis primo in recentioribus Codicibus loco extent, se-

quan-

quantur, inserto prologo, rubricæ usus. Duo Codices post constituta usus exhibent XXXIII rubricas, & in uno Codicum sub finem hujus augmenti legitur: *Ratificata & approbata fuerunt suprascripta ordinamenta A. MCCCXXIII Indict. sexta tertio nonas Decembris:* additæ etiam rubricæ XXVIII, a Pisanis civibus compositæ & a Prioribus Libertatis & Vexillifero Justitiæ populi Florentini confirmatæ A. 1478, die 28 Mensis Februarii, ac demum rubricæ, sic inscriptæ: *Statuta novissima edita A. MDXVI;* aliaque nonnulla. Et his constitutis hodie utuntur adhuc Pisani: utuntur in subsidium jure Justinianeo, postquam ipsis avtonomia, seu propriarum legum usus jurisque communis a Florentinis relictus atque identidem confirmatus fuit. Nihil adeo vero in iisdem constitutis ex jure Theodosiano est, ut potius tota ferme ex universo jure Justinianeo, ac præsertim Pandectarum, concreta videantur, quamvis Brencmannus, compilatores statutorum Pisanorum magis in Codice Justiniani versatos fuisse, quam in Pandectis, dixerit. Ipsum Prologi statutorum exordium descriptum est ex *l. 1 ff. de or. Jur.* & complures Pandectarum leges, paucis mutatæ vel interpolatæ, ut *l. 2 ff. ne quid in loc. publ. & 4 l. 1, 2, 3 & 4 ff. de feriis, l. 18, 19 ff. de Legib. l. 56 de Reg. jur.* aliæque sub rubricas translatæ. Manifesto quoque *l. 7 C. de Legib.* iis verbis, quibus extat in Codice Justinianeo, cum aliter legatur in Theodosiano, invenitur in utrisque constitutis, Legis & Usus. Notaverat jam doctissimus Grandi, in epistola ad Averanium, loca, in quibus cum *Lex Romana*, tum *Jus Romanum* memoratur, sed quæ, num ad Justinianeum, an vero ad anteriora jura referri debeant, aliis judicandum reliquit. Sunt ea *de legitima*, ubi Pisana, quæ major est, opponitur Romanæ, *de successione patronorum in bona libertorum*, *de successione fisci* ac denique *de pœna invasorum* ex *l. 7 C. unde vi;* quæ Noster singula juri Justinianeo vindicat, adjutus ipsorum Interpretum Pisanorum suffragiis. Laudat ex iis Masum a Tripallo, qui sub finem seculi XIII claruit & Antianorum, ut vocati, i. e. Seniorum ac primorum Pisanæ civitatis munere functus est, itemque Jacobum Andream Ibonem de Lavajanis, qui seculo XV exeunte scripsit, quorum ad antiqua Pisarum statuta notæ & in Codicum uno textui adscriptæ, & seorsim

ſim a textu conſtitutorum quoque extant. Memorat & alias aliorum notas in Piſana Conſtituta, quæ omnes hunc modum ſervant, ut juri Juſtinianeo concordantia vel contraria diligenter animadvertant. Quod vero ſcripſit Brencmannus, & ſupra indicatum eſt, in ipſis Conſtitutis quandoque legi: *Commune Legis & Uſus*, & alicubi plenius: *Hoc conſtitutum eſt commune Legis & Uſus*, id adeo verum eſt, ut notari vel maxime mereatur, non ſolum ſuas Leges ſuosque uſus habuiſſe & habere Piſanam civitatem, ſed & duas in ea *Curias* quondam fuiſſe, aliam *Legis*, aliam *uſus*; in illa quæſtiones Legis actas, in hac quæſtiones uſus: hinc in Conſtitutis uſus eſt rubrica: *Quæ quæſtiones ad Leges, & quæ ad uſum ponantur*; & in Conſtitutis Legis hæc alia: *De quæſtionibus & cauſis judicio Legum inceptis, ut ad uſum non vadant, & e contra.* In curia Legis ſecundum Legis conſtituta judicabatur, quemadmodum in curia uſus ſecundum uſus conſtituta. Quia tamen aliqua etiam conſtituta erant utraque in curia ſervari juſſa, hæc proinde *communia Legis & Uſus* dicta fuere; & capitulis utrobique obtinentibus inſcriptio: *commune Legis & Uſus*, præfixa, alicubi, cum Legis curiæ proprium jus proponitur, adjecta nota: *Hoc capitulum habet locum in Lege tantum.* Habuerunt itaque & habent hodie Piſani peculiares ſuos uſus ſuasque Leges, Juſtinianeo Juri nonnunquam adverſantes, hinc tamen colligi nequit, eos Juſtinianeo jure uſos neutiquam fuiſſe, cujus adeo plena ſunt eorum conſtituta. Nec mirum, peculiares iſtos uſus Legesque Piſæ invaluiſſe, cum, ut Prologus Conſtitutorum loquitur, non tam civibus illic jus reddendum eſſet, quam advenis.

Qui pergit Piſas, videt illic monſtra marina,
Hæc urbs Paganis, Turchis, Libycis, quoque Parthis
Sordida, Chaldæi ſua luſtrant littora detri:

ſcribit Domnizo, ſub finem ſeculi XI in *vita Mathildis.* Cumque in his veteribus Conſtitutis tam magnus ſit Pandectarum uſus, eaque ex univerſo fere jure Juſtinianeo compoſita videantur, veroſimilis eſt conjectura, Piſanos ante ipſorum compilationem, factam anno communi 1160, imo & ante Amalphitanam expeditionem A. 1135, Pandectas poſſediſſe, earumque ſtudio addictos fuiſſe. Quid? quod Gratianus, ſub ipſius Amalphitanæ expeditionis tem-

tempora, duas Pandectarum leges recitat, nec, velut tum primum in lucem Pandectæ fuissent revocatæ; videturque incredibile, statim, ac ex Amalphi Pisas illæ allatæ sunt, exemplar earum in Gratiani manus Bononiam pervolasse. Sed & ante Gratianum Ivo Carnotensis leges Pandectarum retulit, & ante Ivonem Robertus Montensis de Lanfranco & Guarnerio scripsit, *eos* A. 1032, *repertis apud Bononiam Legibus Romanis Justiniani Imperatoris, operam dedisse, eas legere, & aliis explanare.* Alia insuper datur conjectura de Pandectarum apud Pisanos, ante expeditionem Amalphitanam, usu. Abbas Constantiuus Cajetanus, *commentario in vitam Gelasii II,* tradit, Pisanos *leges maris* condidisse, quæ A. 1075 Romæ a Gregorio VII Pont. Max. fuerunt approbatæ. Et extant ipsæ *Maris ordinationes* cum Latino & Gallico, tum Italico idiomate, inscriptæ: *il Consolato di Mare*, una cum indiculo, quo loca & tempora notantur, quibus eæ leges receptæ, & in quo Pisani illas Majoricæ incolis tradidisse memorantur, idque factum A. 1115. Habetur etiam Pisis *Breve Maris*, a Pisanis conditum anno Pisano 1323, consistens 192 capitibus, quibus alia capitula subduntur diversis temporibus condita, & alia quædam ex Constitutis usus, A. 1161 compilatis, puta, *de naulo navium, de jactu navium, de rebus quæ inveniuntur in mari, de damno navi dato ab altera navi*, quæ capitula cum capitulis Consulatus maris fere consentiunt, sub rubrica vero: *de jactu navium*, prorsus ea, quæ *tit. ff. ad L. Rhod. de jactu*, statuuntur, imo ipsam *l. 2 illius tit.* referunt. Fortassis hæc ipsa veteris maritimæ legis sunt capitula. Certe non aliis nautici juris legibus usos esse Pisanos, cum sua Constituta compilarunt & deinceps usque ad A. 1323, illud ipsum *Breve Maris*, de quo modo dictum, indicio est: nam ex constitutis usus ista de jure nautico transferri solum voluerunt, alias etiam leges eo relaturi, si tum extitissent. Ponas hanc conjecturam, quocunque lubet loco. Satis luculenter Justinianei juris, ac speciatim Pandectarum usum antiquiorem civitati suæ vindicavit doctissimus Valsechius, cui quamplurimum debemus, quod tam bene mereri voluerit de obscura adeo illa fatorum juris Romani apud Italos periodo, cujus meliores magisque idonei indagatores & interpretes non sunt, quam domestici: optandumque

foret,

foret, ut eruditiores Itali id sibi negotii datum esse intelligerent. Ceterum adjecit Noster *quatuor sententias*, quarum prior, A.796 lata, juris Longobardici, reliquæ, seculo XII dictæ, juris Romani usum in civitate Pisana conspicue demonstrant & illustrant. Adornavit eas annotationibus probis, & in tribus posterioribus sententiis manifesta juris Justinianei indicia detexit, ut rerum judicatarum autoritatem adaugeret, quam Clarissimus Grandi jam produxerat.

Genealogische Tabellen ꝛc.

h. e.

GENEALOGICÆ TABULÆ FAMILIARUM nonnullarum Principali vel Comitiva dignitate illustrium, quas in Hispaniis, Italia, Galliis, Magna Britannia aliisque regnis partim florere adhuc, partim defloruisse novimus, adjecta illustratione historica, ex idoneis scriptoribus & monumentis, chronicis etiam, tabulis genearchicis, & necrologiis manuscriptis petita.

Pars I & II.

Francofurti ad Mœnum, 1728, 4.

Alphab. 4.

CUm ea sit hujus ævi felicitas, ut inter alias omnes artes bonas imprimis illa veritatis lux, Historia, clarius exsplendescat, merito lætamur, esse Viros doctos, qui nostra hac tempestate, instituto veluti certamine, in id incumbunt, ut illa vetustatis nuncia altero oculo, Genealogia, quam rectissime valeat. Inter hos eximium meretur locum Tabularum Genealogicarum, quæ in manibus sunt, Autor doctissimus, in cujus schedis cum essent, quæ ad illustrandas nobilissimas atque illustres propagines facerent, ista communi bono, quamvis nomine modestissime suppresso, in publicam lucem exponere haud gravatus est.

Non intelligemus rectius, quam multa in vulgaribus libellis minus obvia hic legere liceat, quam ex ipso Tabularum Genealogica-

gicarum Indice. Sunt autem Tomi primi Stemmata 1 Principum Rosenbergiorum, 2 Comitum & Principum Hornanorum, 3 Ducum Offunensium, 4 Ducum Escalonæ, 5 Ducum Medinæ Celi, 6 Ducum Medinæ de Rio Secco (ita enim tradere hæc & alia nomina placet, ne fuga Charybdis barbaræ in obscuritatis Scyllam incidamus) 7 Ducum Medinæ Sidoniæ, 8 Ducum de Infantado, 9 Gentis Cardonensis & Cordubensis, 10 Principum Vallis di Taro, 11 Principum & Comitum Columnensium, 12 Principum & Comitum Sapiehanorum, 13 Ducum Albæ, Fernandinæ, & Montalti, 14 Ducum Najarensium, 15 Ducum Sulmonensium ex Gente Lanoja, 16 Marchionum Pescarensium & Vastiorum, 17 Comitum Oropesensium, 18 Principum de Espinoy (Spinetenses latine appellant) 19 Principum Lignensium &c. 20 Ducum Bullioneorum ex Arenbergicis, 21 Principum & Comitum Croyensium, 22 Ducum Thouarsiorum & Principum Tarentinorum ex gente Tremolia, 23 Vice-Comitum Turenniorum, & Ducum Bullioneorum ex Turriis Arvernis, 24 Ducum Britanniæ, 25 Comitum Vertusiorum, 26, 27 Comitum Armagnacorum, 28 Regiæ familiæ Albretanæ, 29 Ducum Alenconiorum, 30 Comitum d'Evreux (Ebroicensium) 31 Comitum & Ducum Nivernensium (Nevers) 32 Principum Curtiniaci (Courtenay) 33 Comitum de Foix & Candale (Fuxii & Candalæ) 34 Ducum Rohanensium, 35 Montmoranciorum, 36 Comitum & Ducum Villarsii, 37 Ducum Crussolii, Usesii, & Ventadurii, 38 Ducum de Rochefoucault & Rocheguyon, 39 Polignacorum, 40 Ducum Buflerii & Villaregiorum, 41 Ducum Noaliorum, 42 Ducum Aumontii & Villaquierii, 43 Ducum de la Force & de Lanzun, 44 Ducum de Mortemar, 45 Ducum Durasii, S. Simonis, Ruffeci, & Meillerayii, 46 Ducum Laynio-rum &c. 47 Comitum Torigniorum, nunc Valentinensium Ducum, 48 Ducum & Comitum Estreorum, 49 Ducum Bervicensium, 50 Ducum Southamptonii, Graftonii, S. Albani, Richemondiæ & Comitum Albemarliorum, 51 Ducum Boltoni, 52 Portlandiæ, 52 Marlborongii, 54 Comitum Northumbriæ, 55 Ducum Rutlandiorum, 56 Suffolcensium, 57 Schrewsburensium, 58 Sommersetensium, 59 Nortfolcensium, 60 familiæ Stanlejæ, 61 Ducum Buckinghamii, & Comitum Staffordensium, 62 Ducum Hamil-

miltoniorum, 63 Comitum Burlingtoniorum & Corckiorum & Ducum Queensburensium & Douvrensium, 64 Comitum Westmorlandiæ, 65 Ducum Sommersetii sanguinis Lancastrensis, 66 Ducum Novicastrensium (Newcastle) 67 Comitum Clarendonii, 68 Huntingtonii, 69 Oxfordiæ, 70 Essexiæ, 71 Ducum Bedfordensium, 72 Comitum Cumberlandiæ, 73 Comitum & Ducum Warwici, 74 Ducum Exoniæ (Excester) 75 Comitum & Ducum Cantii & Suffolciæ ex gente Graya, 76 Comitum Sunderlandiæ, 77 Gentis Bourgchieriæ & 78 Bercklejæ. Tomi II: 79 Ducum de Gravina, 80 Poliorum, 81 Gandiæ, 82 Friasiæ (Frigidam appellant latine) 83 Pennarendæ, 84 Bejaræ, 85 Gentis Egmondiæ, 86 Comitum Altamiræ, 87 Ducum Albuquerquiorum, 88 Marchionum Bedmariæ, 89 Comitum Ognatensium, 90 Ducum Medinæ de los Torres, 91 Ducum Feriæ, 92 Comitum de Cifuentes, 93 Comitum Palmæ, 94 Villarmajorii, 95 Ducum de Arcos, 96 de Abrantes, 97 de Cadaval, 98 de Veraguas, 99 Marchionum de Arronches, 100 Comitum de Benavente, 101 de S. Stephano (S. Istevan del Puerto) 102 Ducum Popoli, 103 Principum de Cellamare, 104 Ducum S. Severini & Sesti, 105 Ducum Bisacciæ, 106 Ducum Atriæ, 107 Principum Avellinensium, 108 Principum Bisignani, 109 Ducum Montis leonis, 110 Ducum Bracciani, 111 Ducum Palestrinorum, 112 Principum Plumbini (Piombino) 113 Comitum Archinti, 114 Comitum Borromeorum, 115 Principum Sulmonensium ex Borgesiis, 116 Principum Ricciæ, 117 Ducum Castelli de Sangro, 118 Ducum Onnanorum & Cæsarinorum, 119 Ducum Matalonæ, 120 Gentis Albanæ, 121 Ducum S. Agnani, 122 S. Simonis, 123 Grammontiorum, 124 Richeliorum, 125 Gevresensium, 126 Brissacorum, 127 Meillerayii, 128 Ludensium, 129 Roqueloriorum, 130 gentis Coislinianæ, quibus observationes de compluribus familiis Genealogicæ, quæ justam tabulæ speciem præbere nequeunt, & equitum ordinis Aurei Velleris nomenclatura, uti illi anno superiore D. Andreæ Festo, ordinis simul sacro, extitere, subjunguntur. In his autem Autor eruditissimus ita versatus est, ut Tabulis illis præmissis, explicationem quandam Historicam subjecerit, cum aliis minoribus Tabulis passim insertis illustratam, tum variis etiam sepulchralibus Inscriptionibus, Diplomati-

bus-

busque maximam partem ineditis exornatum. In calce uniuscujusque dissertationis historicæ Scriptorum mentio facta, quibus usus est Amplissimus Autor, rariorum fere, sæpius etiam Manuscriptorum. In hunc modum Columnensium res p. 59 & sequentibus monumentorum sepulchralium Epigrammatibus ubique velut totidem gemmulis sunt distinctæ. Sapiehanæ domus notitia p. 78 diplomatibus aliquot suffulta, & ex probatissimis monumentis conscripta, non potest non esse gratissima. Spinetensium Principum Genealogia p. 103 ex MSto commodum editur, maxime quod illa in Ludovico Melodunensi, Spineti Principe, Duce Jojosæ, Pari Franciæ, A. 1724 defuncto, desierit. Stemma Ducum Thouarsiorum & Principum Tarentinorum ex Tremoliis p. 140 perlustrasse, harum rerum studiosum haud pœnitebit; Manuscriptorum fidei enim & hæc maxime innituntur, uti Indiculus Autorum, & Excerpta Genealogica ex Instrumentis Arcis Mercurianæ in calce adjecta satis testantur. Albretanæ domus res exornat p. 212 Contractus factus inter Dn. Amanyon Sire de Albret & ejus liberos ex MSto editus, ex quo apparet consuetudo usitata domus de Albret, successionem & favorem primogeniti attingens. Montmoranciorum stirps p. 285 ex Genealogia MSta excerpta ex titulis Canonicorum de Montmorancy & archivis Dni Connestabilis, ut & ex Excerptis ex Inventario MSto Castri de Chantilly traditur. Gentis Levisiæ, Rupifucaldiæ, aliarum res genealogicas non minus idoneis monumentis niti, inspicienti patebit. Nos ad commendationem operis, hedera licet nihil indigentis, satis dixisse opinamur.

SCRIPTORES RERUM GERMANICARUM, præcipue Saxonicarum, &c. Ex Bibliotheca sua aliisque edidit JOH. BURCHARDUS MENCKENIUS, Potentissimo Regi Poloniæ atque Electori Saxoniæ a Consiliis Aul. & Historia, Hist. in Acad. Lips. Prof. Publ. & Societat. Reg. Britann. & Boruss. Socius.

Tomus II.

Lipsiæ, impensis Joh. Christiani Martini, 1728, fol.
Alph. 12 c. fig. æn. 4.

ILlustris Operis Tomum II, memores promissi, nunc pro meritis Scriptorum egregiorum, quæ in eo continentur, sistemus eo alacriori studio, quod ea solam Historiam patriæ nostræ concernunt, & ex MSCtis fere tantum, quæ conservari merebantur, heic sunt collecta. Primum locum occupat *Pauli Langii Chronica Numburgensis omnium Episcoporum, qui ab Ottone M. usque ad Carolum V continua successione rexerunt.* Langius, Zwiccaviæ natus, e familia S. Benedicti monasterii Bosaviensis prope Elistram, Trithemii discipulus, & Historicus, scripsit Numburgense
p. 65. hoc Chronicon A. 1532 & sequentibus. Hoc quamvis conveniat in multis cum Chronico ejusdem Citicensi, *Tomo I Pistorii* dudum inserto, quod & copiosius est, & integra exhibet diplomata, ad quæ heic tantum provocat, multa tamen etiam habet, quæ illic frustra quæras. Pervenit in manus Cl. Editoris Codex avtographus, quippe eadem manu quædam emendata deprehenduntur, & dedicatio, vernacula licet, heic quoque inserta, haud frustra videtur præmissa. Continet is utrumque Chronicon, tam Latinum, quod integrum heic exhibetur, quam vernaculum, ex quo illa loca, quæ in Latino non extabant, in notis subjectis, Latine reddita, conspiciuntur, consulto nonnunquam Chronico illo Citicensi. Cum vero Citicense tantum procedat ad annum usque 907, in Numburgensi tamen Autor ad A. 1536 excurrit; & prius quidem hoc Num-
18,20,26,55, burgense exaratum esse ab Autore, ex eo patet, quod in hoc passim
85,88. in Lutherum insurgat, & Georg. Spalatinum, Cizæ concionantem,
97. refutet, cum contra in Citicensi non modo mitius cum Luthero agat passim, verum & in *edit. Pistor. nov. f.* 1281 Lutherum, ceu *Theologorum suæ tempestatis omnium facile sapientissimum & Principem*, multis elogiis cumulet, eumque *invictum se hactenus præstitisse*, testetur. II comparet *Anonymus de fundatione & be-*
102. *nefactoribus Ecclesiæ Pegaviensis*, cum Editoris nostri *Catalogo Abbatum Pegaviensium, & diplomatibus ad idem monasterium pertinentibus.* In Codice nimirum Bibliothecæ nostræ Academicæ Paullinæ exhibentur celebris apud nos Abbatiæ Pegaviensis acta quædam cum diplomatibus, e quibus de privilegiis & bonis ipsi

ipſi comparatis conſtare poteſt: atque his Noſter inſeruit Catalogum Abbatum, quamvis vigeſimi tertii nomen nullibi potuerit detegere, nec poſt XXIV quisquam compareat, forte quod poſt Simonem, invectis Proteſtantium ſacris, Abbatum dignitas exolevit. Sequitur III *Calendarium Pegavienſe*, quod Ill. *Hoffmannus* in *Introduct. ad Scriptores Luſat. ſ. 8* dudum commendavit. Uſus ejusdem haud erit exiguus, cum dies ſummorum Principum emortuales heic accurate deſignentur, ut Friderici Imperat. ad XI Kal. Junii 1190, Adolphi Imp. occiſi ad V Non. Jul. 1298, item depoſitio Innocentii Papæ XVI ad Kal. Aug. 1216; præterea multorum heic conſervatur memoria, de quibus fruſtra alibi quæſiveris. Ita memorantur hic conſanguinei & affines Wicperti fundatoris, Wicpertus pater ejus & mater Sygena, Wicpertus item Comes filius, Henricus Marchio filius, ejusque uxor Berchta Comitiſſa filia fundatoris, ut conſanguineos Abbatum quorundam, aliquot Archi-Epiſcopos Magdeb. item Præſules Mersburg. & Numburgenſes ac Comites de Lyzenic, qui cœnobii hujus fratres fuerunt, nunc taceamus. IV occurrit *Chronicon Montis Sereni ſeu Lauterbergenſe*. Uſum ejusdem, ante A. 400 ſcripti & ſub *Conradi Lauterbergii* nomine ſæpe citati, nemo, niſi in hiſtoria plane hoſpes ignorat, cum ex vetuſtis habeamus neminem, qui majori apparatu de rebus noſtris ſit commentatus, quive magis res Genealogicas illuſtraverit. Equidem primus jampridem *Maderus* Helmſtadii 1665, & demuo Cel. *Hofmannus Script. Luſat.* T. I, idem produxerant in lucem. Verum illa editione rarius ſe offerente, hac vero, abſente Editore, ſphalmatibus corrupta, a quibus nec Maderiana erat vacua, *Menckenius* noſter non una ex parte opem afferre utiliſſimo operi tentavit. Etenim Chronicon Vetero-Cellenſe, in quo integra fragmenta ex Lauterbergenſi emendatius quam in hoc ipſo afferebantur, in illis locis contulit; habuit præterea in manibus duos Codices verſionis vernaculæ ejusdem Chronici Cellenſis, indulgente alterum *Cl. Jo. Matthiæ Geſnero*, Bibliothecario Saxo-Vinarienſi, ſub tit. *Chroniken der Marggrafen von Meiſſen*, quod propter nonnulla de rebus Florentinis in fine a Joanne Pucheler cive Florentino addita circa A. 1488, eidem totum falſo tribuerat Schurzfleiſchius: alterum ſub

p. 107.

155.

156.

rubrica: *Chronica der Marggrafen von Meichsen, und wie sie an die Marggrafschaften und Fürstenthümer kommen sind, nach laut der Chronica auf S. Peterberg*, Norimberga communicatum ab Ill. *Jacobo Imhoff von und zu der Weidemühl*; quibus non sine fructu usus est in notis Cl. Editor: plura tamen se debere profitetur Illustrissimo *Ludovico Ottoni Nobili Domino de Plotho*, Potentissimo Regi Borussiæ a Consiliis sanctioribus, qui ex instructissima Bibliotheca sua non modo varias lectiones Codicis Chronici Montis Sereni satis vetusti, qui olim Petri Albini ac deinde Seidelii fuisse memoratur, ad Maderianam editionem exacti, verum etiam Supplementum ejusdem nondum editum antea, cujus in re genealogica usus insignis esse potest, liberaliter ad Nostrum transmisit, ut adeo hic omnino e re duxerit, opus totum ad Maderum recensum, & notulis quæ potissimum varias lectiones repræsentant, subinde illustratum hic sistere. V *Chronicon Terra Misnensis*, quod A. 1720 cum Annalibus Vetero-Cellensibus ediderat Cel. Struvius, ex singulari Codice, de quo conferri meretur ejus Præfatio, heic repetita. Quæ Chronica, ne parvitate sua perirent, huic corpori videbantur inserenda, maxime cum & hic suppeterent auxilia e Bibliotheca Lipf. Academica. Illic enim Chronici istius, quod Struvius inde ab initio mundi repetitum dederat, lacinia non contemnenda, res scilicet ab A. 1431 ad A. 1486 complexa, & quidem longe emendatior atque auctior inveniebatur, unde in prioribus quidem solus *Struvianus* textus est adhibitus, inde vero ab A. 1431 ad finem Codex Lipf. MSCtus est expressus, ita tamen, ut si quæ exhiberet textus Struvianus, quæ heic non extabant, ea suo loco, sed diversis literis, insererentur, rejectis simul in notulas lectionibus variis, unde nunc demum integrum opus prodit, quamvis non usquequaque sibi simile, cum in prioribus Struvianis moderna scribendi ratio locum invenerit, hæc vero lacinia Codicis lectionem retineat. Ceterum scripsisse Autorem sub Friderico III A. 1483, patet ex loco, qui in Struviana editione non extat: nec videtur tenuis sortis homo & plebejus, ut sibi persuasit Cl. *Struvius*, cum familiariter satis versatus fuerit cum Nuntio Bartholomæo de Maraschis, qui ad conciliandos Fridericum Imperatorem & Matthiam Ungariæ Regem a Pontifice, quanquam frustra,

p. 33.
313.
357.
357.

ſtra, miſſus fuit, cujus quidem nec tacet nævos ſcriptor verax, ut ex alio loco, qui pariter exulat apud Struvium, colligitur. VI *Annales Vetero-Cellenſes Hiſtoriam Miſniæ Marchionum continentes.* Non ideo quidem hoc nomine dicuntur, quod de Veteri Cella agant, de qua pauca admodum hic occurrunt, ſed quod Autor monachus fuerit Vetero-Cellenſis, qui Annales hos ex Chronico Montis Sereni aliisque conſarcinavit. Fabricius eos ſua manu deſcripſerat, Albinus vero, Spalatinus, Peckenſtein ſæpius ad illos provocant. Struvium imprimis, qui hos Annales cum Chronico antecedenti vulgaverat, hic ſequi viſum fuit Cl. Editori, ita tamen ut verſiones illas duas vernaculas, ſupra memoratas, Schurzfleiſchianam ac Imhofianam, imo & ipſum Chronicon Montis Sereni continuo adhiberet, unde loca corrupta & nomina imprimis propria locorum emendare ipſi licuit. Annales hoſce intra paucos annos *Jo. Petrus de Ludewig* & *Jo. Fridericus Schannat*, ille in *Reliquiarum MS. T. VIII p. 172 ſeq.* hic in *Vindemiis liter. P. 2 p. 74*, ceu hactenus ineditos, ſub rubro diverſo produxerunt, nullam Annalium Vetero-Cellenſium mentionem facientes. Ex quibus in Appendice ad hunc *Tomum II* ſub *num. 32*, adjectæ ſunt variæ lectiones, & loca quædam ac ſupplementa in Struvii Codice deſiderata. Et Ludewigianum quidem Codicem, qui poſt Struvii & Schannati editos prodiit, tam quoad textum, quam Chronologiam eſſe corruptiſſimum, & Struviano multo inferiorem, ex obſervatis in *Actis* noſtris *A. 1727 p. 182*, & ſpeciminibus hiſce abunde intelligitur, nec in illo plura tribus, quæ in noſtro deſunt, loca invenies. Aſt Schannatano nomen impoſuit editor *Joh. Tylichii*, Præpoſiti S. Mauritii prope Numburgum, qui ſe ipſum etiam Doctorem Decretorum & in ſtudio Lipſienſi Lectorem vocat. Cumque illud res antiquas, quæ ante Autoris ætatem acciderunt, eodem fere ordine & iisdem fere verbis, quibus noſtrum Chronicon, receuſeat; dubium ſubnaſcitur, utrum *Vetero-Cellenſi* huic inſcriptio iſta ſit relinquenda, an vero nomen *Joh. Tylichii*, Vetero-Cellenſis, nemini antea cognitum, ei præfigendum. Priorem ſententiam firmat, quod Fabricius & Albinus hoc Chronicon dixerint Vetero-Cellenſe, & non credibile ſit, Tylichium eo proceſſiſſe audaciæ, ut res antiquas ex alio

p. 373. 377. 2175. 314.

Autore verbotenus exſcriptas pro ſuis venditaret. Alteram ſententiam juvat, quod Schannati editio plura in epitomen contrahat, & in Struviano ac Ludewigiano Codice ex Chronico Montis Sereni adjecta vel omittat, vel paucioribus exprimat; præterea in Ludewigiano legantur ea, quæ ſatis clare Autorem Joh. Tylichium produnt, *v. eund. p. 207* & *p. 255*, & *Schannat. p. 86.* Hinc lectori dijudicandum erit, utrum hoc Chronicon Anonymo, an *Joh. Tylichio* ſit vindicandum, qui forte diverſis exemplaribus id conſcripſerit, quorum alterum fuerit plenius, alterum contractius, uti ſolebant interdum Autores. Ceterum Chronicon, ex Struvio heic inſertum, deſinit A. 1375, Ludewigianum A. 1346; pergit *Tylichius* apud Schannatum usque ad A. 1420, cumque in ejus continuatione res contineantur, quæ Autoris ætate accidere, optimo conſilio iſtas in hoc opere Appendicis loco cum collationibus cernes adjectas l. c. Acceſſerunt poſtea quædam vernacula ex Codice verſionis Schurzfleiſchiano non contemnenda, ſub lemmate:

p. 417. VII *res Miſnicæ ab A. 1426 ad A. 1488 verſioni Germanicæ Chronici Vetero-Cellenſis additæ, & Joh. Puchelero adſcriptæ a C. S. Schurzfleiſchio.* Extabat præterea in Bibliothecæ Lipſ. Academicæ

435. membrana VIII *Chronicon Vetero-Cellenſe Minus*, ex quo excerpta dederat *Tentzelius in Bibl. Cur. ad A. 1704 p. 1063*, quod hic integrum a tempore Caroli Magni conſpicies, maxime quod Chronologia Principum noſtrorum hinc mire juvari videatur. Huic ex alio ejusdem Bibliothecæ Codice, in grandiſſimo folio exarato, Monumenta quædam Veterem Cellam concernentia & dedicationes altarium & capellarum in eadem hoc loco videbis adjuncta: aliqua ex iſtis publicaverat Cel. *Joh. Conr. Knauth*, in Chronico ſuo Cellenſi, plura tamen ſpicilegia reliquit, & ab ejus lectione ſubinde, inſpecto ſtudioſius codice, fuit diſcedendum. Ipſe Codex Chronici Cellenſis Minoris inſcribitur *de tribus præcipuis circumſtantiis geſtorum*, i. e. *perſonis, locis, temporibus*, qua ratione Autor memoriæ diſcipuli, quem Filium vocat in præfatione, conſulere inſtituit. Itaque non plenam ſuppeditat rerum narrationem, ſed primas quaſi lineas ducit hiſtoriæ, in gratiam diſcipuli; unde Chronicon ab origine mundi mera fere nomina usque ad nativitatem Chriſti exhibet, dehinc vero duabus paginis omnia

omnia distinguit, Pontifices & res Ecclesiæ in una, Imperatores vero & res seculares in altera describens, quem ordinem tamen, post A. 1100 ob rerum ubertatem deserit. Hinc illa, quæ Caroli M. ætatem præcesserunt cum prolixa operis præfatione heic prætermissa, & a Carolo M. demum consilio Tentzelii res descriptæ sunt. IX *Erphurdianus antiquitatum variloquus*, ab A. 438, quo conditum tradit Erfurtum, ad A. 1517 porrigitur. Debetur is Ill. p. 461.
J. G. ab Eckardt, qui & totum *variloquum* cum Lamberto Schaffnab. ejusque continuatore, Monacho Erfurtensi, studiose contulit, unde multa illustrata, hiulca vero suppleta. Dolendum enim est, Scriptorem, dudum omnibus desideratum, integrum adhuc dari non potuisse. Equidem B. *Casparus Sagittarius* Variloquum v. Tom. I
hunc in eodem Codice, qui Legendam S. Bonifacii continebat, ut Script. Sax
ipse testatur in Epist. *de Ant. Statu Thur. p. 60*, asservaverat, unde cum reliquis Sagittarianis idem venit in manus B. *Polyc. Leyseri*: sed ut idem Codex lacunis multis laborabat, ita nullæ hinc suppetiæ fuerunt sperandæ, cum ex eo ipso Codice præsens exemplum 61.
videatur descriptum. X *Chronica Erfurdensis civitatis*, quorum Autor creditur *Theod. Engelhusius*, ab eodem Cel. *Eckhardto* communicata, qui & ex eo, quod in binis Codicibus Bibliothecæ S. Crucis Hannoveræ subjuncta deprehenderet majori Chronico *Engelhusii*, jam pridem edito, eidem adscribenda judicavit, in quibus breviter admodum res ab A. 438 ad A. 1422 Autor tangit. XI
Chronicon & Annales Torgavienses ab A. 1496 ad A. 1601 recentio- 565.
rem quidem Autorem habent, hucusque ignotum, qui vernacula Annales hos composuit, quos, cum pauca hactenus de hac urbe in lucem prodierint, in Latinam linguam decenter transferri, & heic inseri Cl. *Menckenius* curavit. XII *Georgii Spalatini Chro-* 589.
nicon & Annales ab A. 1513 ad finem A. 1526. Clarissimum reformationis tempore nomen fuerat *Spalatini*, qui Johanni Friderico a studiorum institutione, & Friderico Sapienti Electori Saxoniæ a Secretis pariter ac Concionibus Aulicis fuit, summis, quoad vixit, rebus adhibitus, & ad Comitia non una vice missus, ut adeo in negotiis arduis pars magna fuerit. Plura de hujus vita quin repetamus, otium nobis fecere Caspar Sagittarius & Christoph. Schlegelius; illud tamen ex Diario nostro notandum, quod Nicolaum

Marc-

Mareschalcum Thurium, quem legationi a Megapolitano in
p. 630. Saxoniam missæ interfuisse testatur, Præceptorem suum vocet;
qui in historiis ipsemet egregie versatus, Spalatino forte tantum
Historiarum amorem inspiraverat, ut primus postea Saxoniæ Hi-
storiographus constitutus, multa reliquerit scripta historiam no-
stram illustrantia, e quibus paucissima adhuc lucem adspexere,
quædam vero post fata Viri longe nunc extra Saxoniam sunt
translata. Hoc in numero fuit Chronicum nostrum seu potius
Diarium, ipsa autoris manu scriptum, & ab Ill. *Raymundo Krafft
de Dellmenzingen*, Reipublicæ Ulmensis Consule, liberaliter
communicatum, quod in rebus ad Caroli V electionem, cui no-
ster cum Friderico Sapiente interfuit, spectantibus, aliisque ab A.
1513 ad A. 1526, non in Saxonia modo, sed & alibi per Germaniam
gestis, eximium præstabit usum. Ceterum aliud quoque ejus Dia-
rium ab A. 1519 ad A. 1542 in Archivo Vinar. adhuc superesse, te-
stantur *Seckendorff in Hist. Luther.* & *Tentzel. in Colloqu. menstr.
ad A. 1671*; de reliquis scriptis vernacula ab isto exaratis, cum de
latino quoquam præter hoc nostrum nobis non constet, suo loco
663. inferius dicemus. XIII *Abrah. Thammii Chronicon arcis & urbis
Coldicensis*. Magnæ fuerat apud suos Thammius autoritatis,
Consul & Scriba Coldicensis, cujus Chronicon vernacula hacte-
nus in paucorum manibus extans, Latinitate donatum, in publi-
cum protraxit Cl. *Editor*, resecans tamen superflua & fabulas re-
dolentia, ubi Berosi autoritatem Autor secutus, Colduos suos ex
753. arca Noæ produxit. XIV *Pauli Martini Sagittarii Diss. de Roch-
litio*. Producuntur scilicet hic aliquot Viri in rebus patriis perin-
dustrii, Concionatoris Aulici & Superintendentis Generalis Al-
tenburgici, qui magna felicitate Scriptores Saxonicos passim
emendavit, Dissertationes, quas scholæ præfectus, & nondum Mi-
nisterii sacra ingressus, Altenburgi per modum Programmatum
publicaverat, raritate cum MSCtis certantes, ex quibus hæc ipsa
763. de Rochlitio Altenburgi A. 1677 in 4to prodiit. XV *Ejusdem de
nummis Saxoniæ Ducum Dissertationes VI*, ibidem 1679 toti-
dem Programmatibus exscriptæ, tantæ raritatis, ut diligentissi-
mum Tentzelium fugerint, & Altenburgenses Biographi eas inter
scripta ejus anecdota numerent. Continuare easdem, deque
Tha-

Thalero imprimis agere constituerat, nisi eodem anno, ut p. 781.
ex ultima Diss. patet, e schola in cathedram Eccles. vocatus,
abrumpere filum coactus fuisset. Cum vero Editor Cel. servaret
in Bibliotheca sua ejusdem *Syllabum monetæ cupreæ Saxoni-* 786.
cæ, lineæ Electoralis, ex Avtographo descriptum, nec antea
editum, eum in *prima Appendice* statim adjunxit, & Diss. ejus-
dem *de Comitis Palatini Cæsarei dignitate ab Imperatore Ma-* 789.
ximiliano I Friderico Sapienti Electori Saxoniæ collata, cujus
mentionem fecerat Diss. VI de nummis, *Appendicis secun-* 782.
dæ loco subjecit. XVI Succedit *Ej. Diss. de locis sepulchrali-* 797.
bus Serenissimæ familiæ Wittekindeæ, ab excessu Ottonis Divitis,
qua Illustris Domus Saxonicæ Viri Fœminæve, Altenburgi, in Cella Veteri, Cizæ, Coburgi, Cruceburgi, Dresdæ, Erfurti, Freibergæ, Gothæ, Halæ, Jenæ, Isenaci, Lipsiæ, Magdeburgi, Martisburgi, Misenæ, Portæ, Reinhardisbornæ, Salfeldiæ, Suselizii, Torgaviæ, Vinariæ, Weisenfelsæ & Wittenbergæ sepulti, allegatis plerumque diebus emortualibus, breviter & succincte recensentur. Verum par erat, ipsas monumentorum inscriptiones
in lucem proferri; hinc accessere XVII *Samuelis Reyheri Mo-* 809.
numenta Landgraviorum Thuringiæ & Marchionum Misniæ, Gothæ 1692 in fol. typis exscripta, figurisque elegantissimis longe plurimis exornata, eaque tantæ hactenus raritatis, ut vix unum alterumve exemplar & quidem integrum extra Gotham fuerit visum, ita vero nunc recusa, ut figuris, quæ collectionis hujus pretium aucturæ erant nimium, omnibus omissis, notæ tamen Clarissimorum Virorum, *Hortlederi* & *Tentzelii*, quæ exemplo in Bibliotheca Regia extanti hujus manu adscriptæ erant, a Cl. Bibliothecario Regio, *Sigismundo Gottlieb Seebisch* hunc in usum communicatæ, ut & varia monumenta, Reyhero haud visa, suo loco ex *Andr. Sennerti* Athenis Witteb. & *Dav. Schirmeri* Conditorio Saxon. Fribergensi adderentur; unde multo nunc utilior & novus quodammodo hic liber figurarum jacturam accessionibus hisce jucunde pensabit. Ceterum etsi nomen præposuerit *Samuel Reyherus* J. U. D. & Mathem. in Acad. Kilon. P. P. plerique tamen eum patris ejus potius, *Andreæ*, Scholæ Gothanæ Rectoris, qui Principis sui munificentia adjutus, pleraque monumenta suis

oculis inspecta delineari curaverit, industriæ deberi existimant.
p. 886. Singulare Collectionis hujus ornamentum est XVIII *Wilh. Ern. Tentzelii Fridericus Fortis redivivus, hoc est, vita & fata Friderici Fortis sive Admorsi Landgr. Thur. & Marcb. Misn.* Nihil unquam ornatius & majori eruditionis apparatu elucubraverat Cel. *Tentzelius* hoc ipso opusculo, quod paulo ante mortem Lipsiam secum attulit, & nitide sua manu descriptum, obtulit Typographis, non dissimulans, quanti sibi labor constiterit. Sed ab his rejectus, quod pretium operæ nimium statuere visus esset, 80 scilicet Joachimicos, Dresdam rediit, librumque Viro dexterrimo, *Jo. Christ. Müldenero*, Potent. Regi Polon. & Elect. Sax. a Consiliis Aulæ & Justitiæ, transcripsit, a quo illum tandem justo pretio redemit & ab interitu vindicavit Noster. In eo diligentissimus Autor tum bella inter Fridericum & Patrem Albertum, Erfurtenses aliosque, qui hujus partes sequebantur, gesta, tum quæ ad hæreditatem Friderico illi a Conradino & Italis ipsis destinatam, sed pessimis Patris consiliis impeditam faciunt, luculenter admodum, Archivi subinde subsidiis confirmatus, descripsit.
1015 & 1057. Huic *Jo. Garzonis Bononiensis Rerum Saxonicarum libri duo*, ut & *Philippi Melanchthonis Oratio de Friderico Admorso*, cum notis & emendationibus Tentzelii, qui hæc addi ob materiæ affinitatem cupiebat, subjunguntur, licet Garzonem inter Scriptores Lusatiæ recudi Cel. *Hofmannus* curaverit. Merentur enim variæ lectiones & perpetuus ille errorum index, quem subjecerat *Tentzelius*, tum & testimonia de Garzone studiose collecta, ut publici juris fierent. Patet ex his, Autorem extraneum & rerum nostrarum haud gnarum pleraque ex Erasmi Stellæ communicatis hausisse, quæ intermixtis, ut historicus videretur, Orationibus & Epistolis spuriis deformavit magis, quam ornavit, in sermone plerumque comtus, sæpe tamen, vitio, ut creditur, descriptorum,
885. barbarus; *Indices locupletissimi*, a Typothetis erronee in titulo
1067. indicati, indici universali Collectionis hujus alio tempore inferentur. XIX *Georg. Spalatini vitæ aliquot Electorum & Ducum Saxoniæ inde a Friderico I sive Bellicoso, usque ad Johannem Fridericum.* Codex libri satis vetustus, ex instructissima Menckeniana Bibliotheca depromtus, conscriptus erat ab Autore lingua ver-

vernacula, in gratiam eorum, qui nostra non intelligunt, in Latinum nunc idioma traductus. Propositum fuit Autori, prosapiam Ducum Saxoniæ, inde a Friderico, Bellicoso (quod elogium tamen, a nostro quippe haud memoratum, recentius videtur) ad Johannem ejusque liberos deducere, simulque notatu digniora de quovis breviter percensere, licet in rebus, quibus ipse interfuit, uti circa nuptias Johannis, justo fuerit prolixior, quæ tamen prisci moris cupidis haud ingrata erunt. Sed hæc hactenus; ne nimis prolixa ejusdem operis recensione molesti simus: quæ de XII scriptis aliis, in hoc Volumine exstantibus, dicenda supersunt, proximo Mensi reservamus.

CAMERA ET INSCRIZIONI SEPULCRALI de Liberti, Servi ed Ufficiali della Casa di Augusto &c.

h. e.

CONDITORIUM ET INSCRIPTIONES sepulchrales Libertorum, Servorum aliorumque, qui Imp. Augusto erant ab officiis, detectæ in Via Appia, & annotationibus illustratæ a FRANCISCO BIANCHINI, Veronensi.

Romæ, apud Joan. Mariam Salvioni, 1727, fol.
Alph. 1 pl. 2 Tabb. æn. maj. 6.

INsigne hoc antiquitatis monumentum, quod Novembri mense A. 1725 in vinea quadam ad viam Appiam, uno, & quod excedit, ab Urbe lapide, effossum fuit atque detectum, dignum utique fuisse, cui describendo explicandoque operam commodaret suam Cl. *Bianchini*, editis ad Anastasium Bibliothecarium Commentariis insignis, omnes fatebuntur, quibus perlecto hoc opere, illius præstantiam cognoscere datum fuerit penitius. Conditorium est, pro asservandis cineribus Libertorum, Servorum aliorumque, qui tum ipsi Imperatori Augusto, tum conjugi præsertim Liviæ a domesticis officiis fuerant, magnifice admodum, & pro seculi Augustæi more opere tessellato exstructum. In singulis,

lis, quæ vocant, columbariis, five loculis, duæ cinerariæ defunctorum ollæ repofitæ confpiciuntur, additis infcriptionibus, quibus demortui nomen atque officium defignatur, & quæ millenarium numerum longe excedunt, unde facile aulæ Cæfareæ, integris miniftrorum cohortibus fuperbientis, magnificentiam cognofcas. Poftquam Cl. Editor internam monumenti ftructuram curate fub operis aufpicium delineavit, ad ipfas infcriptiones fepulchrales exhibendas, & magno cum antiquariæ eruditionis apparatu explicandas accedit, atque hac occafione neutiquam proletaria, de variis apud antiquos fervorum, quibusque præfecti iidem fuerant, officiorum, generibus affert, *Pignorii* aliorumque de his Commentariis illuftrandis maxime comparata. Dolendum interim eft, quod illorum, qui effodiendo huic antiquitatis thefauro adhibiti fuerunt operarii, negligentia, & *Francifci Benci*, vineæ, quam diximus, Poffefforis, intempeftiva ac nimia feftinatione factum fit, ut minor, atque par fuerat, cura habita fit lapidum integre confervandorum; quorum non minima pars læfa eft, reliqua vero jam in eminentiffimi Cardinalis *Alexandri Albani* Mufeo affervatur. Ceterum ne minus decore laciniam vefti eleganti detrahere videamur, librum non magnum harum delitiarum cupidis totum perlegendum relinquimus.

APPARATUS S. ENTHYMEMATICO-Exegetici Pars altera, obfervationes in novum Fœdus exquifitiores comprehendens; Autore M. HARTWICO BAMBAMIO, Ecclefiafte in patria Petro-Paulino.

Hamburgi, apud J.W. Fickweiler & C.W. Brandt, 1727, 8.
Alph. 1 pl. 18.

PArti priori hujus operis, explicationi Scriptorum facrorum Antiqui Fœderis infervienti, & in his Actis Supplem. T. IX Sect. IX recenfitæ, fuccedit pofterior, quæ ad intelligendos Novi T. libros facit, in cujus præfamine Pl. Rev. Autor multa Cel. oll ergii fcriptis, & quædam B. Dorfchei in Acta Apoftolorum com-

commentario, nondum in lucem editis, se debere fatetur, atque priorem partem ab animadversionibus cujusdam Censoris vindicat. In *prima* sectione generales exhibet observationes, versaturque in exponendis variarum lectionum causis Obs. I–VI, in instrumentis discernendi genuinas a spuriis VII, in examinanda, quæ de iisdem est, Erasmi regula, VIII, in pretio illis statuendo, IX. Tum ad versuum distinctiones accedit, & a Rob. Stephano factas, etsi non careant nævis, X, temere mutandas negat XI, additque, distinctiones minores multos defectus compositionis & divisionis secum ferre, Apostolos sua scripta distinxisse, sed librarios idem facere ob remoram in scribendo neglexisse, XII, receptas non repudiandas, XIII, de accentibus idem habendum, XIV, & lectionem originalem non temere sollicitandam, XV. Hinc pergit ad stylum & contendit, libros N. T. dialecto communi esse exaratos, XVI, vocum, quæ in his habentur, usum esse eundem, qui in profanis scriptoribus & communi loquendi consuetudine observetur, XVII, illos carere barbarismis, XVIII, solœcismis, XIX, & hebraismis, XX, nec stylum eorundem Hellenismi nomine traducendum, XXI, XXII, etsi quædam vocabula novam vim & significationem acceperint, –XXVI, operamque dandam, ut vocabulorum significatio recte eruatur, –XXX, & attendatur, num articulus præpositivus, ὁ, ἡ, τὸ, subjecto, cui proprius, an prædicato sit additus, XXXI, & quæ particularum vis sit, XXXII, nec sine gravi causa enallagen, ellipsin & similes figuras Grammaticas statuendas, XXXV. Deinde suppeditat regulas, quarum usus est in interpretatione oraculorum Veteris Testamenti in Novo allegatorum, docetque, de Christo adducta secundum sensum literalem de eo loqui, quædam non nisi per accommodationem esse adhibita, & modos ea adducendi esse varios, –XLIX. Postremo his nonnulla subjungit de peculiari quarundam vocum significatu, de rebus ad N. T. pertinentibus, atque illis oraculis, quæ ex antiquitate Judaica optime illustrantur, –LXVIII. In sectione *secunda*, quæ generales ad quatuor Evangelistas observationes continet, agit de Evangelistis Obs. I–VI, de Johanne peculiariter & discipulis communiter–

IX, de quibusdam formulis loquendi ab Evangelistis adhibitis–XIII, de Jesu n minibus –XVIII, de argumentis, quibus se esse Messiam probavit, –XXI, de ejus genealogia –XXX, orationum circumstantiis, argumentis & auditoribus, imprimis parabolis, –LXXXIV, actionibus & passionibus –CXVI, dictionibus Evangelistarum singularibus, & Domini rebus gestis, –CXXXII. Differens in sectione *tertia* de specialibus, ex Evangelistis suggerit pauca de *Matthæo* Obs. I—VI, de *Marco* –IX & de *Luca* –XV, plura vero de *Johanne*, quem canonem N. T. disposuisse, I ordinis rerum ac sermonum præ reliquis Evangelistis studiosum fuisse; II mysteria oratione simplici & plana exposuisse, III præcipuos fidei Christianæ articulos de Trinitate, de Christo, de libero arbitrio, de regeneratione, de justificatione, & de fide salvifica luculenter proposuisse, & confirmasse, –XXVIII, & peculiari dictione usum esse, –LVIII ostendit. Cum in locis Evangelistarum, quæ sibi repugnare videntur, conciliandis multum sit positum, in sectione *quarta* sistit canonum harmonicorum duodecada, traditque, omnes Evangelistas justum temporis ordinem in historia Evangelica observare I; hysterologias, si quædam occurrant, ordini historiarum neutiquam præjudicare, II; temporis & loci diversitatem certissima esse criteria, historias, quæ prima fronte videntur eædem, pro diversis habendas, III; easdem conciones a Christo sæpius repetitas, & varia miracula, quæ fuerunt similia, sæpius ab ipso facta; IV; actiones aliquo modo parallelas, non pro iisdem habendas, V; paucularum circumstantiarum varietatem non ostendere, in varias historias dispescendas esse narrationes, non per omnia similes, si cetera consentiant, VI; nec contradictionis nec corruptionis suspicionem esse, ubi exigua varietas circumstantiarum aut ordinis in narratione unius ejusdemque historiæ occurrat, VII; Spiritum S. historicam Evangelistarum seriem ita disposuisse, ut mutuas invicem conferrent operas ad historiæ ordinem atque complimentum, VIII; quod historiæ apud Evangelistas sæpe conjungantur, ideo factum esse, quod non unus Evangelistarum omnia Christi facta conscribere debuerit, IX; sicubi

ubi narratæ historiæ unus Evangelista hanc, alius aliam subjicit, tenendum esse ordinem historiæ ejus Evangelistæ, qui manifestiorem temporis notam & seriei historicæ suppeditat, X; unum Evangelistam explicare alterum, XI; quo harmonia Evangelica eo concinnior sit, observandum esse, quod apud Johannem tria priora ministerii Christi paschata numerentur, secundum quæ historia commode digeri possit, XII. His sectione *quinta* addit specimen Theologiæ veræ Apostolicæ triginta aphorismis inclusum, in quo totidem religionis Christianæ dogmata ex Actis Apostolorum egregie corroborantur. Extremo sectione *sexta* ad libros Apostolicos tran t, agitque non tantum de Apostolorum personis, dictione, ratione connectendi & proponendi dogmata in epistolis, Obs. I—XXXI, sed etiam peculiariter de epistolis primum Pauli, quarum stylus non sit κατεσραμμένος, sed εἰρόμενος, & vocibus, quæ singularis sint significatus, atque argumentis, mysteriis, & præcipuis fidei articulis, -CXLIII, tum *Petri*--CLIII deinde *Jacobi*, CLV, & postremo *Johannis*, CLXX. Variorum locorum N. T. illustrationes & explicationes, cum communes, tum singulares, in hoc scripto extare, patet, quarum tamen selectus Benevolo Lectori, cum ita non possit institui, ut unicuique satisfiat, relinquitur.

GOTTLIEB STOLLII INTRODUCTIO IN Historiam litterariam. Latine vertit CAROLUS HENRICUS LANGIUS.

Jenæ, apud viduam Joannis Meyeri, 1728, 4.

Alph. 5 plag. 11.

Miro cum applausu ab eruditis, qui rei essent litterariæ studiosi, hic liber fuit exceptus, cum primum in lucem prodiisset, atque nobis etiam in *Actis* ad A. 1718 p. 558 ex merito commendatus. Dum vero inter hæc semel atque iterum, anno primum 1722, post A. 1726, illius repetenda fuerat editio, insignibus abs Cel. Autore supplementis qualibet instructa, dolebant

bant interim exteri, ab usu se atque lectione libri hujus elegantis vernaculæ nostræ ignoratione arceri, atque, ut vel primum Latine fuisset conscriptus, vel, in commune eruditis idioma traductus aliquando exhiberetur, impense optabant. Noluit his desideriis deesse bibliopola, sed, quemadmodum promovendis eruditæ civitatis, qua potest, commodis nullam non operam laudabiliter hactenus impendit, ita V. Cl. *Carolo Henrico Langio*, Artium Magistro, transferendi hanc *Introductionem* in sermonem Latinum provinciam detulit. Egregie is partibus interpretis, quod instituta nos edocuit versionis cum textu comparatio, est defunctus; nihilque plane intermisit, quod decus operi quocunque modo conciliaturum perspexerat; ut adeo non vulgarem ab exteris laboris gratiam illum jure suo exspectare posse, plane confidamus, qui simul, ut brevi *Vitam Scioppianam*, *Frischlinianæ* illi, quam jam dedit doctissimus Interpres, elegantiæ laude nihil quidquam concessuram, feliciter ad finem perducat, exoptamus.

SURVEYING IMPROVED,
hoc est,
PLANIMETRIA ET LONGIMETRIA promota, Autore HENRICO WILSON.

Londini, apud J. Batley, 1726, 8.
Plag. 24 Tabb. æn. II.

CUm Autor omnem theoriam & praxin artis agrimensoriæ, quæ *Planimetriæ* ac *Longimetriæ* nominibus appellari solet, tradere intendat; parte prima Arithmeticam communem & decimalem; definitiones, theoremata & problemata geometrica agrimensori necessaria, cum Trigonometria plana, secunda; descriptionem & usum instrumentorum geodæticorum tertia; problemata denique planimetrica & longimetrica quarta explicat. Appendicis loco adjicitur brevis descriptio artis libellandi.

No. VIII.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Augusti Anno MDCCXXVIII.

JOANNIS SCHILTERI, JCTI OLIM Argentoratensis, Thesaurus Antiquitatum Teutonicarum, Ecclesiasticar. Civil. Literar. exhibens monumenta Civilia, Historica, miscella, edita, inedita. Pleraque illustravit JO. GEORG. SCHERZIUS, D. Pand. & Jur. Publ. in Univ. Argentor. P. P. Præfationem præmisit JO. FRICKIUS.

Tomus II.

Ulmæ, sumptibus Dan. Bartholomæi, 1727, fol.
Alph. 8 pl. 18.

STrenue in edendo ornandoque Thesauro *Schilteriano* pergunt Duumviri doctissimi *Scherzius Frickiusque*, edito nuper Tomo II, quem proxime sequetur Tomus III, Glossarium daturus, cujus maximam partem jam vidimus typis absolutam. Exstat hic primo loco antiquissimæ *Legis Salicæ* textus vetustior, ex Bibliotheca Parisiensi Regia, ubi eum latere, *Schiltero* per litteras indicaverat *Carolus Bultellus*, supplicum libellorum in curia Parisiensi Magister, a *Jo. Georgio Schotto* descriptus, Latinus quidem, sed vocibus Germanicis plurimis refertus, quas *Schilterus* in Glossario suo imprimis explicavit. Ne vero nudus hic textus compareret, cum omittendas putarint *Schilteri* notas Editores, quippe nondum satis limatas, singulis paginis iidem subjungi curarunt variationes insignes, tum ex editione Jo. Bas. Heroldi, quæ in non paucis differt a nostra, tum ex alia vetusta, quam e Codice Guelfferbytano haud ita pridem eruit Vir Ill. Jo. Georg. Eccardtus, cujus tamen notas, ne quid alieni sibi vindicarent, intactas

reliquerunt. Præter hunc textum vetustum e tribus, ut diximus, Codicibus, ut in ipso Capitum numero, ita in verbis quoque passim admodum diversis, repræsentatum, accessit seorsim recentior, jussu Caroli M. emendatus & promulgatus, quem Steph. Baluzius inter Capitularia sub *Pactus legis Salicæ* titulo publicavit, subjectis Fr. Pithœi & Hier. Bignonii notis doctissimis. Præmissa etiam est docta *Schilteri* ad Legem Salicam præfatio, cum *Jo. Frickii* ad eandem Supplemento; quorum ille de nomine legis Salicæ, ejus loco natali, quem non Germaniæ superiori, sed inferiori potius vindicans ad Salam seu Isalam constituit, de Malbergiis, sive judiciis subordinatis, in quibus jura reddita, & servata protocolla rerum judicatarum, unde quatuorviri illi, Wisogastis & reliqui res similiter judicatas collegerunt, & de ambiguis deciderunt, deque vocabulis Malbergicis agit; hic vero Saliorum nomen non officii vel dignitatis, sed omnino gentis Francicæ fuisse contendit, variorum de terra natali legis Francicæ sententias examinat, evincitque contra Hadr. Valesium & Gabr. Danielem, non a Gallis aut Rege demum Clodovæo latam esse hanc legem, sed a Francorum gente adhuc libera, priusquam Rhenum transiisset, in Germania Seculo V nondum adulto, disquirit porro, an lex ista modum posuerit Regiæ potestati, & in originem legis de successione masculina Regum Francorum inquirit, editiones denique varias describit & nostræ merita allegat. Succedit II *Jus provinciale Alemannicum* seu *Speculum Suevicum*. Destinaverat priorem hanc Speculi Suevici partem Thesauro suo ipse *Schilterus*, postquam ejus partem posteriorem seu Jus Feudale Alemannicum jam A. 1697 Latina versione & luculento commentario instructum seorsim edidisset. Nam cum is insignem Codicem Seculi XIV e bibliotheca Hortlederiana a Pryschenkio de Lindenhoven, Hortlederi genero, dono accepisset, de aliis Codicibus, quos conferret, circumspiciens, duos a Lambecio, unum ex Jungiana bibliotheca Francof. tres ex archivo civitatis Argentinensis, ac quartum e Bibliotheca Univers. Argentin. obtinuit, iisque probe collatis, notas quamvis paucas, subjecit. Sed accessit his Cons. *Scherzii* diligentia, qui membranam, quæ ad initium Seculi XIV spectat, ex Ampliss. Reip. Ulmensis Consulis, Raymundi Krafft de Delmensingen

singen Bibliotheca nactus, ejus textum Suevica imprimis dialecto conspicuum, unde facile arguas in ipsa Suevia fuisse conscriptum, quamvis passim iis, quæ tractu temporis accessere, destitutum, pro fundamento posuit, tum consuluit Codicem Wurmbrandianum a Jo. Augusto Nob. Dom. a Berger Lipsiæ 1725, 4, & Ingolstadiensem a Cl. Schannat eodem anno inter *Antiquos Scriptores & Documenta* vulgatum, nec non Codices MSS. Waldnerianum, Feschianum Basileensem, Uffenbachianum, propriumque, & varias lectiones e Codice Bibliothecæ S. Mariæ ad Scotos Viennæ communicatas, ut & impressos quosdam Codices vetustos. Præterea versionem Latinam luculentam concinnavit, cui etiam addidit, quæ in textu Krafftiano desiderabantur, prolixioribus glossematis ad finem rejectis, notasque subjecit non tam juridicas, quam philologicas, quæ ad textum intelligendum & versionem vindicandam spectant. Enimvero Cons. *Scherzius*, cum ad Caput 127 pervenisset, ipsis Calendis Septembris 1727 in gravissimum morbum incidit, ita ut tot Codicum collationem relinquere cogeretur Viro Cl. M. Georgio Lizelio, Ulmensi, qui eo labore egregie defunctus; versionem tamen & notas, inter maximas licet animi corporisque imbecillitates, ipse absolvit. Non minorem operam præstitit III *Stryckeri Carolo*, seu rhythmo antiquo Germanico de Caroli M. expeditione Hispanica, quem Pseudo-Turpini fabulis refertum & ex Gallico, ut videtur, poemate, *le Roman de Roncevaux*, desumtum ex MSto pergameno Argentinensis Reip. cum chartaceo, quem modo laudatus Lizelius communicavit, collato, primus nunc edidit, ac versione quidem insuper habita, notis suis illustravit *Scherzius* noster. Huic adjunxit IV *Anonymi*, quem Stryckerus quodammodo renovavit, fragmentum *de bello Caroli M. contra Saracenos*, versu pariter Germanico, sed vetustiori compositum, quod *Wolfframo ab Eschelbach* adscribendum putat, cujus sub nomine Longus in Bibl. Hist. Galliæ simile opus carmine Theotisco exstare in Vaticana testatur. Accessere vero passim non modo *Schilteri*, verum & *Scherzii* notæ, in quibus inter alia deprehendimus p. 4, occasione monetæ, Germanice *Bisantinge* vel *Bysande*, latine *Byzantii*, *Byzantini* dictæ, doctum exhiberi specimen ex Eliæ Brackenhofferi,

Tredecemviri olim & Scholarchæ Argentin. Lexico vernaculo rei nummariæ MS. quod hodie est in manibus filii cognominis; cui nos cum *Scherzio* merito Lucinam faventem apprecamur. Quod sequitur V Ἐπινίκιον rhythmo Teutonico *Ludovico Regi acclamatum, cum Nortmannos A. 883 vicisset*, ex Codice MS. Monasterii Elnonensis sive S. Amandi in Belgio a Jo. Mabillonio descriptum & B. *Schiltero* communicatum, idem jam A. 1692 Argentorati cum versione Latina & commentatione historica ediderat; quod tamen nunc paullo auctius & emendatius ex ejus autographo prodit. Prodiere etiam jam antea VI *Paræneses antiquæ Germanicæ*, Tyrolis Regis Scotorum ad Filium Fridebrantum, ut & Winsbeckii ad Filium & Winsbeckiæ ad filiam, singulari carminis genere expositæ, quippe a Goldasto post quinque Paræneticos Latinos ex Bibliotheca Schobingeriana Insulæ ad Lacum Acroniæ 1604, 4 editæ; qui tamen liber hactenus admodum fuit inventu difficilis, adeo ut bene huic Thesauro consuluerit Cons. *Scherzius*, qui eum tandem cum obtinuisset, transmisit Lutetiam ad uxoris fratrem Johannem Christoph. de Bartenstein, S. Cæsareæ Maj. nunc in secretiori Austriæ inferioris Cancellaria a Consiliis, qui pro insigni in litteras amore, impressa cum Codice Bibliothecæ Regis Christianissimi diligenter contulit, quas lectiones Noster hic exhibet, notis Goldastianis suas quoque superaddens. Accessit primi velut Tomi Supplementum VII *Tatiani Syri Harmonia Evangelica*, e Latina Victoris Capuani versione in linguam Theotiscam antiquissimam translata. Nempe cum incertum esset, utrum *Schilterus* opus hoc Thesauro suo inferre constituerit, nec ne, cum nihil initio inter schedas ejus præter Præfationis initium, quod hic comparet, inveniretur, non potuit quidem illud Tomo I, ad quem revera pertinebat, inseri. Ast diligentius inspectis Campoduni MSStis *Schilterianis* geminum apographum Harmoniæ hujus repertum, alterum incerta manu descriptum, cujus varias lectiones hic deprehendimus, alterum vero e Codice Oxoniensi, quem Franc. Junius e Bibliotheca Bonav. Vulcanii nactus erat, a Jo. Philippo Palthenio Prof. Gryphiswaldensi, qui A. 1710 ultima Maji non sine magna eruditi Orbis jactura rebus mortalibus ereptus est, summo studio depictum, ad-

ditis

ditis etiam, quas Codici a M. Frehero, ut putat, allitas deprehenderat, variis lectionibus; cujus Viri etiam variæ exstant ad *Schilterum* Epistolæ, quibus ei editionem libri in Thesauro faciendam commendat. Ast Palthenius diuturnæ moræ, ut videtur, pertæsus, ipse postea A. 1706 cum notis eruditis Gryphiswaldiæ opus hoc in vulgus edebat; quam adeo editionem ita nunc repetere Editoribus nostris, imprimis Cl. *Frickio*, visum est, ut eam non modo conferrent cum altero illo Codice *Schilteriano*, sed etiam cum ipso apographo Paltheniano, sæpe, quod mireris, ab impressis abeunte, notas vero textum Theotiscum illustrantes, hic omitterent & Glossario *Schilteriano* intersererent. Ceterum etsi titulus Codicis Juniani loquatur Tatianum Alexandrinum, attamen nec Alexandrinum fuisse Tatianum, sed Syrum, immo non Tatianum sed quemvis alium operis fuisse autorem, erudite probatur tum a *Schiltero* tum a *Frickio*. Subjectum quoque huic Harmoniæ est VIII *Fragmentum* aliud *Theotiscum*, quo Christi cum Samaritana muliere Colloquium rhythmo vetustissimo exhibetur. Depromptum id est e Lambecio Comment. de Bibl. Cæs. L. II C. V p. 383, addita versione & notis ipsius, ut videtur, *Schilteri*, sed omissis, quod nollemus, Lambecianis. Denique Paralipomenon loco ad hunc Tomum II additæ sunt Constitutiones aliquot vetustæ Germanicæ Friderici I & II, Rudolphi I, Alberti V & Ludovici IV Bavari, vel scriptæ & promulgatæ hac lingua, vel certe jam pridem translatæ, quæ ex duplici Codice, Goldastino & *Schilteriano*, in utroque latere hic junctis sed inter se admodum diversis, exhibentur. Extremo loco adjecta sunt Programmata duo funebria & Oratio parentalis in *Schilterum* nostrum a Jo. Henr. Feltzio, JCto, habita, una cum Monumento sepulchrali, omnem ejus vitam complexo, & a Jo. Christiano Simone posito, ut & operum *Schilterianorum* Catalogo, quæ ut describere nobis ad alia festinantibus non licet, ita vitæ inde compendium extrahere supervacaneum videtur, cum idem jam exstet in Lexico Eruditorum *Menckeniano* vernaculo.

POETÆ LATINI REI VENATICÆ SCRIPTORES & Bucolici Antiqui: videlicet GRATII FALI-

SCI, atque M. AURELII OLYMPII NEME-SIANI *Cynegeticon, Halieuticon & de Aucupio. Cum notis integris* CASP. BARTHII, JANI VLITII, TH. JOHNSON, ED. BRUCEI. *Accedunt* M. LANGII *Dispunctio notarum* J. VLITII, & CAJI *Libellus de canibus Britannicis: itidem Bucolica* M. AURELII OLYMPII NEMESIANI & CALPURNII, *cum notis integris* ROBERTI TITII, HUG. MARTELLI, CASP. BARTHII, JANI VLITII & *Commentario* DIOMEDIS GUIDALOTTI & BAD. ASCENSII. *Quibus nunc primum accedunt* GERARDI KEMPFERI *Observationes in tres priores Calpurnii Eclogas. Cum Indicibus copiosis.*

Lugduni Bat. & Hagæ Comitum, apud Jo. Arn. Langerak, P. Gosse, J. Neaulme, R. C. Alberts & J. van der Kloot, 1728, 4.
Alph. 5 pl. 12.

INdex libri satis ambitiosus lectorem nostrum doceat, quid in nova ista editione quærere debeat: cur vero tot bibliopolarum nomina adscripta sint, causam aperiet finis Præfationis, ubi ita bibliopola: „ Socios vero huic operi imprimendo adscivi bibliopo„las Hagienses, ut tanto magis ab omni injuria, si quis (quod ne„que spero, neque credo) afferre cogitet, universos tutos conjuncta præstet opera. „ Hæc ille. Quam injuriam homo loquatur, nos quidem ignoramus: nisi innuit aliam editionem horum Poetarum, a Celeberrimo Burmanno adornandam, quod alibi jam nunciavimus. Sed hoc durum esset injuriam dicere; durum etiam, si quis ob lucrum bibliopolæ eruditos Heinsii & Burmanni annotationibus privare vellet; fortasse & Jos. Scaligeri. Sane nos haud ita pridem in Schedis Lindenbrogianis ἀπόγραφον Scaligeri in hos Poetas emendationum, (quæ quamquam non omnes æque probæ sint, ostendunt tamen, quibus locis hæsitaverit vir magnus) reperimus: & exemplar earum haud dubie Celeb. Burmannus in manibus habebit. His, inquam, eruditi carere debent, si injuria est, bene mereri de litteris. Apage hanc tyrannidem!

in

In manus etiam nostras pervenit unica plagula, sic inscripta: *Prodromus animadversionum in novam editionem Poetarum rei Venaticæ sub auspiciis Viri Clarissimi proditam*, quo in scripto ostenditur, quinque in uno vocabulo peccata admisisse eos, qui curam hujus editionis habuerunt, unum sensui communi & usui venatorum contrarium, duo in leges carminis & metri incurrentia, reliqua vero duo Grammaticæ canonas temerantia, dum in Gratii Cyneget. v. 55, ita emendarunt:

Illa vel ad flatus Phœnices *oppande serenæ*,

Vulgo legebatur, & vere:

Illa vel ad flatus Helices *oppande serenæ.*

Sed ab his abstinere licebit. Notæ integræ virorum doctorum alias jam vulgatæ sunt, quare de iis verbosi esse non debemus. Solæ *Brucei* & *Kempferi* nunc primum prodeunt. Illæ breves sunt & a tirone, ut bibliopola memorat, confectæ; at Kempferianæ tanto longiores, ita ut minoribus litteris impressæ, in solas III Eclogas Calpurnii conscriptæ, viginti tamen amplius plagulas impleant. Qui potuit auctor, inquis? Quidlibet de quolibet dicendo & notissima quæque corradendo: quod in tanta litterarum luce nemini non molestum erit; saltem in tali Calpurnio ne superiore quidem seculo ferendum fuisset. Quare satis de hoc libro dictum existimantes, Specimen Emendationum Scaligeri hac occasione addimus. Is itaque in Gratii Cyneget v. 14 legit:

Tu trepidam bello vitam, Diana, ferino
Quæ *primam quærebat opem, dignata repertis*
Protegere auxiliis.

Edd. vulgatæ omnes: Qua *primam quærebat opem.* V. 16 Scaliger:

Adscivere tuo comites sub nomine, Diva,
Centum omnes nemorum, centum de fontibus, omnes
Najadas

Vulgo: *Divæ* & *Najades*. V. 22 Scaliger:

Contra mille feras, & non sine crimine—

Vulgo: *carmine*. V. 25 Scaliger:

Prima jubent tenui nascentia *jungere filo*
Lina, *& quadruplici tormento adstringere* limbos.

Vul-

Vulgo: *nascentem i. f. Limbum*, & interpretes vehementer laborant. V. 43 Scaliger:

— — — — — *lino*

Velatur sonipes lascivi *turba* canopi.

Vulgo: *æstivi Canopi;* Barthius ex vet. editione citavit; *Ægypti Canopi;* Salmasius corrigebat: *festivi Canopi.* V. 53 Scaliger:

— — — *ergo seu pressa flumina valle*

Intrat *opus*, crassæque *malum fecere paludes.*

Vulgo: *Inter opus, caussaque.* Sed satis de Gratio. In Nemesiani Cyneget. V. 13 legit Scaliger:

Obvia Calliope, facias *insistere prato*

Complacito.

Vulgo: *facies.* Sed *facias* etiam Vlitio in mentem venit. V. 43 *incendia Glauces* Scaliger agnoscit, plane ut Pithœus & interpretes. V. 44: *Non* crinem *Nisi;* Pithœus & aliæ edd. *crimen Nisi.* V. 114 Scaliger:

Huic parilem submitte marem, sint omnia magna.

Vulgo: *Sic omnia magnum*, quod fortasse Barthius optime exposuit. V. 151 Scaliger:

— — *dabit mater partus* examen honesti,

quomodo & Barthius ex veterrima sua editione. Vulgo: *partus examine honestos:* Et sequenti v. 102 malebat Scaliger:

Exitio *natos servans, trepidoque periclo*

cum in Parisiensi editione reperisset: *Indicio servans.* Vulgo: *Judicio* eleganter.

V. 170 refingit Scaliger:

Infirmi*que pedes* nutantia *crura* reponunt,

cum Pithœus contra metri leges edidisset:

Infirmosque pedes & crura nutantia *ponunt.*

Bene Barthius: *crura & nutantia;* alii: *& crura nutantia.* Sed gustum dare voluimus. Exstat etiam in Cygnea bibliotheca Editio horum Venaticorum & Bucolicorum, manu ipsius Barthii passim ornata, quam tamen chartæ vitio non semper juste assequi licet. Inde Barthii notæ multum auctiores edi possent.

M. TUL-

M. TULLII CICERONIS DE LEGIBUS Libri tres. Recensuit, ac P. VICTORII, P. MANUCII, J. CAMERARII, D. LAMBINI & F. URSINI notis suas adjecit J. DAVISIUS Coll. Regin. Cantabr. Præses. Accedit HAD. TURNEBI Commentarius.

Cantabrigiæ, typis Academicis, sumt. Corn. Crownfield, 1727, 8. Alph. 1 pl. 4.

MAgna cum voluptate in manus sumsimus egregiam hanc Ciceronis de Legibus editionem, cum propter argumentum, quod dissertissimus Romuli nepotum tractat, tum propter Celeb. *Davisii* cognitam spectatamque eruditionem. Gratulamur etiam orbi erudito, ad hos libros curam doctissimi Editoris sese extendisse, eoque magis, quod nunc sperare incipiamus, fore, ut Libros *Tullii* Oratorios idem ingenium perpoliat atque emaculet. De nitore chartæ ceterisque commodis hujus editionis disserere supervacaneum est, & de ipso instituto & modo annotationum paucis defungere possumus, si dicamus, sibi & hic similem esse Celeb. *Davisium.* Adhibuit septem codices manu exaratos, ad quorum fidem hanc *Tullianorum* Operum partem recenseret: in his veterrimus est Parisiensis ex Jesuitarum bibliotheca, cujus varias lectiones accepit a doctissimo Jo. Walckero. Proximus illi est Codex Regis Britanniarum bibliothecæ Jacobeæ, ætatem quadringentorum annorum præ se ferens: ejus usum concessit vir summus Rich. Bentlejus. Duos communicavit Nob. Eduardus Harlejus, unum Cl. Rich. Medus, sed hi recentiores sunt: id quod etiam de Collegii *Balliolensis* apud Oxonienses MSpto, nec non de excerptis *Eliens.* dicendum est. Præterea haud neglexit, quæ olim Gruterus ex Palatinis, alii ex aliis codicibus annotarunt, eaque vel ad confirmandam suorum librorum lectionem produxit, vel aliis de causis examinavit. Ubi ab libris parum auxilii sperandum erat, ut sunt multa in his libris corruptissima, sagaci, quantum potuit, conjectura, aptaque divinatione usus est. Ita factum, ut multis nunc locis hos Ciceronis libros emendatiores habeamus. Sic Lib. I cap. VII antehac vulgabatur nullo sensu: *Quibus autem hac*

sunt inter eos communia, & civitatis ejusdem habendi sunt. Si vero iisdem imperiis & potestatibus parent: multo etiam magis parent huic cœlesti descriptioni. At Celeb. *Davisius* librorum vet. ductu reposuit: *Si vero iisdem imperiis & potestatibus parent ii, multo magis. Parent autem huic* cet. optime profecto. Lib. III cap. XIII ex duobus MSS. & pluribus impressis nunc legitur: *Vir magnus & nobis omnibus amicus L. Lucullus* ferebatur quam *commodissime* respondisse, *cum esset objecta magnificentia villæ Tusculanæ*, cet. Alii minus eleganter dederunt: *L. Lucullus* efferebatur quasi *commodissime* respondisset, *cum esset objecta* cet. Ex sola conjectura emendavit Lib. I cap. II: *Fannii autem* ætati *conjunctus Antipater*, vulgata erat: *Fannii autem* ætate *conjunctus*; in Turnebi editione: Fannio *autem ætate conjunctus*. Item Lib. II, cap. IV: *ne, cum referenda sint ad eam nobis omnia*, labamur *interdum* errore, *ignoremusque vim* sermonis *ejus*, reliqua, ubi & dictionem *labi errore* illustrat. Vulgo dabant: *labamur interdum errore* sermonis, *ignoremusque vim* sermonis *ejus*, ταυτολόγως. Ad quod genus corruptionis nos obiter ea etiam referimus Lib. I cap. VII: *Inter quos porro est communio legis*, inter eos *communio juris est. Quibus autem hæc sunt*, inter eos *communia, & civitatis ejusdem habendi sunt.* Nempe posteriore loco τὰ *inter eos* vacant, & ex superiore versu repetita sunt per incuriam librariorum, scribendumque: *Quibus autem hæc sunt communia, & civitatis ejusdem habendi sunt.* Celeb. *Davisius* putabat, scriptum forte fuisse: *Quibus autem hæc sunt* inter se *communia*. Sic Lib. II cap. XXIV, conjectura ex verborum nexu partim, partim ex MSptis capta, reposuit: *Honoratorum virorum laudes in concione* memorent, *easque etiam cantu ad tibicinem prosequantur*, cum vulgo legeretur: *laudes in concione memorentur.* Sed hac libertate, qua conjecturas in contextum recipimus, nunquam usus est præstantissimus *Davisius*, nisi ubi certæ claræ emendationes esse videbantur. Multas sane pereruditas passim in notis tantum propositas deprehendimus. Sic Lib. I cap. II pro his: *cujus loquacitas habet aliquid argutiarum . . . . in orationibus autem* multus & ineptus ad *summam impudentiam*, haud invita Minerva substituit: *in oratio-*

tionibus autem multas ineptias ac *summam impudentiam*: ea certe, *multas ineptias*, in MSS. etiam reperiuntur. Ejusdem Libri cap. III malebat: *neque enim* occupato *opera, neque impedito animo*, Editiones & MSS. habent: *occupata opera*. Lib. I cap. XVII loco hiulco & manifeste corrupto, qui in vulgatis hoc modo circumfertur: *Nos ingenia juvenum non item ad ingenia natura virtutes & vitia, quæ exsistunt ab ingeniis judicabuntur? An ea non aliter? honesta & turpia non ad naturam referri necesse erit?* ita legendum censet: *Nos ingenia juvenum* confitemur *ingenita natura. Virtutes & vitia, quæ exsistunt ab ingeniis, non ad naturam referri necesse erit?* reliqua ex annotatione marginali nata esse existimat. Illi etiam, qui ab Editore veterum autorum non tam emendationes, quam illustrationes historiæ veterumque sententiarum exspectant, a *Davisio* abunde sibi satisfactum invenient. Quid? quod ne illa quidem ex Rævardo, Gravina, Brissonio, Cujacio aliisque illustrare omisit, quæ proprie ad antiquissimam Romanorum Jurisprudentiam faciunt. Utilissime etiam integrum Adr. Turnebi in hos libros Commentarium ex optima Guil. Morellii (nam Commeliniana primam, eamque longe jejuniorem, expressit) editione subjunxit, eumque, appositis Librorum & Capitum numeris, cum antea nudi tantummodo autores citarentur, legentium commodo adaptavit. Ita sane in omnem partem de autore suo bene promeritus est Celeb. *Davisius*, cujus candori & modestiæ æqui lectores facile donabunt, si quas conjecturas liberiores & audaciores ab eo prolatas videbunt. Nos certe eam rationem, quam fine notarum attulit, veram agnoscimus, & hoc unicum lectorem nostrum præterea docemus, Celeb. *Davisium* existimare, a Cicerone non tres, sed octo libros de Legibus esse conscriptos. Sententiæ hujus rationes in Præfatione proposuit, ubi legi possunt.

RECENSIO COLLECTIONIS SCRIPTORUM rerum Germ. & Saxon. MENCKENIANÆ continuata.

Vid. Acta Erud. Mensis Julii p. 321 sequ.

SEquitur XX *G. Arnoldi vita Mauritii Ducis Saxoniæ S. R. I. Septemviri*. Librum eundem ex versione Germanica *Dav.*

Schirmeri, Bibliothecarii Elect. Saxon. Johannis Georgii II juſſu adornata, ſæpe olim transſcriptum, ac ab *Imman. Webero* editum Gieſſæ A. 1719, 8 novimus. Verum corrupto admodum exemplo uſus erat Weberus, quod docuit *Cl. Schmauſſius*, in *Hallenſium vermiſchten Bibliothec P. 15 p. 206*, adhibito Codice MSCto Thomaſiano. Pauciſſimi quoque vitam Arnoldianam, authentico idiomate Latino exaratam, viderant. Eandem igitur Vir Ill. *Mich. Henr. Gribnerus*, Aulæ ſimul & Academiæ noſtræ inſigne decus, e ſcriniis ſuis protractam, liberaliſſime communicavit, & quo collectioni huic inſerretur, Autor extitit. Conſuluit tamen & Noſter verſionem vernaculam, tum eam, quam ipſe ſervabat, MSC. & cum IV Codicibus collatam, tum Weberianam, unde notas addendi occaſio eſt ſubnata. Scripta eſt hæc vita Latino ſermone puro & luculento, cum delectu rerum exquiſito, nec judicio minori.
p. 1255. Quis fuerit Autor, abunde docet epitaphium in fine additum, patetque ibidem e diſtichis Joach. Camerarii ad filium Arnoldi, Joh. Georgium, eum poſthumum hoc opus prelo paraſſe, quod tamen, aſperam forte fortunam expertum, adhuc delituit.
1257. Hanc vitam excipiunt XXI *Orationes X funebres, quarum una, cum funus Electoris Mauritii per urbem Lipſiam duceretur, ceteræ anniverſariæ memoriæ diebus habitæ ſunt, compoſitæ a Joach. Camerario*, quæ apud nos A. 1719, 8 impreſſæ, ab *Ill. Gribnero* communicatæ, dignæ videbantur, quæ tum ob res non omnibus notas, tum ob vim dicendi incomparabilem heic legerentur. Vix enim credas fieri poſſe, ut idem argumentum idem Autor toties eo ingenii perſpicaciſſimi acumine, ea ſermonis ubertate in cathedram adducere poſſit, ut nulla oratio alteri ſimilis videatur, & ne formula quidem ulla in omnibus bis adhibita deprehendatur.
1391. XXII *Epiſtolæ arcanæ 33, ab Henrico II, R. Gall. ad miniſtros ſuos & amicos in Germania, & ab his ad Regem A. 1549 & 1553 ſcriptæ, de fœdere cum Mauritio Electore Saxoniæ, hujusque morte & iis, quæ poſtea in Germania tentavit Albertus Brand.* Deſcripſit eas maximam partem ex autographis Bibliothecæ Reg. Pariſ. *Joh. Guil. Janus*, νῦν ἐν ἁγίοις; quibus tres per modum appendicis ex eadem Biblioth. acceſſere. Priores quatuor, ad A. 1549, reliquæ omnes ad 1553 ſpectantes, Germaniæ noſtræ res con-

concernunt. Elucet inde, quantæ existimationis apud Gallos fuerit Mauritius noster, cujus ingenium & characterem epistolæ hæ egregie depingunt, multa insuper hactenus parum nota continentes.

XXIII *Excerpta Saxonica, Misnica & Thuringica ex Monachi Pirnensis, vero nomine Joh. Lindneri, seu Tiliani, onomastico autographo.* Debentur illa amplissimo Senatui Lipsiensi, qui ex instructissima Bibliotheca sua Codicem hunc promi in publica commoda, & quæ ad nostras res pertinent, inde excerpi annuit. *Godof. Christ. Gœzius*, Prætor quondam & Bibliothecarius, in programmate, quo Bibliothecam hanc aperiendam A. 1711 indixit, p. 30 seqq. de hoc Codice memorat, esse illum difficillimæ lecturæ, secundum Alphabeti seriem A. 1529 (seu potius 1530, uti ex mentione virorum ibi memoratorum constat) contextum, ac Ser. Principi Georgio Sax. Duci inscriptum; Codicem esse chartaceum, qui autographus Autoris æstimetur; Fabricium *Matthæo Sartorio*, Petrum Albinum Chron. Misn. p. 344 *Jo. Lindnero* eum tribuere; consentire tamen eos, Monachum fuisse Dominicanæ familiæ, Pirnæ commorantis, valde industrium, qui e plurimis Chronicis, Commentariis aliisque tam nostrarum, quam exterarum regionum, monumentis litterariis, Regum, Principum & personarum illustrium vitas & res gestas, regnorum item, provinciarum, urbium, cœnobiorum, origines ac vices miro labore, sed impari judicio consignaverit; utrumque etiam multa in hac farragine ab aliis non memorata vel prætermissa sibi in concinnandis operibus suis ingentem præbuisse usum, haud dissimulare; apographa hujus libri olim extitisse in bibliotheca Electorali Dresdensi, Paulina, & Senatoria Zwiccaviensi, incertum quo fata nunc desiderata; Codicem vero hunc in bello tricennali, cum Pirna ab hostibus diriperetur, interitum vix effugisse. Laudant Autorem *Laur. Wilhelmus in Descript. Zwickav. p. 55, Zeilerus P. II de Historicis p. 55, Tentzel. in Bibl. cur. ad A. 1704 p. 1105.* De nomine Autoris Albini placuit sententia, qui Lindnerum, vel Latino idiomate *Tilianum* (ita in titulo heic præfixo loco *Tillani* legendum) vocavit, cum contra Fabricius opinetur, *Sanctorium* opus primum collegisse, Lindnerum in epitomen redegisse. Licet autem non ubique usus sit judicio limato; & in Lutherum ejusque socios subinde ita debacche- p. 1447.

bacchetur, ut vix possit ab ipsis cordatis Pontificiis sine stomacho legi, fuit tamen magno emolumento in rebus patriæ Scriptoribus sequentibus, ita ut ipse Fabricius, teste Albino *l. c. vocabularium suum ex quo* vocare consueverit. Igitur ne locorum, virorumque aut fœminarum illustrium nomina miscerentur, binos heic indices secundum Alphabeti ordinem cernes, horum alterum, alterum illorum, appendice singulis addita, tum hominum extra Saxoniam viventium, tum urbium extra illam sitarum, quæ dum memorat, subinde Autor inserit quædam ad Historiam nostram spectantia, alieno sæpe loco res observatu dignas afferens.

p. 1633. XXIV *Monachi Isenacensis*, vulgo *Joh. Rohte, Chronicon Thuringiæ vernaculum.* Codex hujus Chronici immanis fere molis, e Ducali Saxo Weissenfelsensi Bibliotheca pridem Nostro communicatus, & manu Viri cujusdam Cl. historiæque patriæ cupidissimi in hos usus descriptus est, omissis vulgaribus atque externis, quæ ad Thuringiam non spectabant. Erat folio maximo, æquans ulnam crassitie, in papyro membranam æmulante, literis non uncialibus, sed ita longis scriptus, ut ad digiti articulum accederent, quem diu Weissenfelsenses contempserant, quod in veteri Catalogo titulus ejus legeretur *alte Päbstliche Legenden*, quamvis verus titulus in hoc Codice sub finem ante Indicem legatur. Extant vero & alii Codices hujus Chronici satis vetusti, ut Vinariensis, qui ex cœnobio Kaltenbrunnensi in manus Fabricii, & hinc in bibliothecam Vinariensem perlatus, unde eum impetravit Cl. Collector, raro tamen illo usus, cum variorum manibus minus accurate, omissis plerumque punctis, descriptus, & vetustiores formulæ subinde ad recentiorem loquendi modum detortæ in eo observentur. Gothæ quoque in Biblioth. Ducali idem Chronicon asservatur, notus sub titulo *Veteris Chronici MS. in Bibliotheca Gothana*, seu *Chronici Germanici Bibl. Ducalis Goth.*; ubi aliud quoque extat MS. in 4to brevius de Landgraviis Chronicon, a *Tentzelio in Supplem. Goth.* sæpe laudatum, sed ex majori illo magnam partem excerptum, imo, quod Tentzelio nondum constabat, a Matth. Maler Erfurti 1522, 4 editum, sub tit. *Chronica, wie die Landgraven von Doringen sich erst erhuben und uffkommen sind, auch wie das Land an Herzogen Friedrichen und Herzogen Hilhelmen*

von

von Sachsen geerbt. Variis modis Chronicon nostrum, *Thuringicum* nempe, *Isenacense, Erfurtense, Lauterbrunnense*, it. *Joh. Rohtii* Chronicon, vocatur ab Autoribus, ut Fabricio, Albino, Casp. Sagittario, G. Mich. Pfefferkorn, Franc. Paullini in præfatione ad Annales Isenacenses, ex qua patet, Autorem fuisse *Joh. Rothium*, Lucemburgensem, Sacerdotem & scribam Isenaçensem, & Canonicum B. Mariæ Virg. qui Wilhelmi Ducis, Friderici Bellicosi filii, tempore vixerit, ejusque primæ uxori Annæ, cujus Capellanus fuerat, illud inscripserit. Præter memoratos ad illud provocant Carion, Melanchthon, Peucerus, Centuriatores Magd. Brotuffius, Jac. Weberus, Spangenberg, Dresserus, Peckenstein, Jo. Mich. Koch in Descript. arcis Wartburg. Paulus Jovius, alias Göze, in Chronico MSC. uti patet ex *Tentzelii Bibl. Cur. ad A. 1704*, tum & Melissantes seu Jo. Godofr. Gregorii in Tr. *von Bergschlössern*, nemo tamen frequentius Cel. *Tentzelio in Supplem. II Hist. Goth.* licet in eo fallatur, quod apographum Junckerianum pro eodem venditet cum nostro. Illud enim apographum alterius est Autoris, Rohtium subinde describentis, nempe Adami Ursini, Mühlbergensis, qui Chronicon Thuringicum vernaculum, ad A. 1500 deductum, A. 1547 composuit, passim in MSC. obvium, cujus etiam *Appendix* in Bibliotheca Francofortana ad Mœnum extat. Sperare autem nos jubet Cl. Editor, ut hoc etiam aliquando, saltim ab A. 1433 aut 1440, ad quem nostrum Chronicon pertingit, in lucem protrahat. Ceterum comparet heic dedicatio carminica ad Annam Thuringiæ Landgraviam, initio quidem vel unica linea mutila. Videntur autem quædam literæ initiales, ex mente Autoris, a ceteris singulari typo distinguendæ; quod si enim singulorum versuum (quatuor vero lineæ versum complent) literas initiales, incipiendo a linea octava, accurate componas; facile elicies: *Frowen Annen Lantgrafinnen zcu Doringen.* Hunc excipiunt XXV *de S. Bennone Ep. Misnensi scripta varia, imprimis Hieronymi Emseri vita S. Bennonis.* In paucorum erat manibus Vita S. Bennonis, ab *Emsero* Lipsiæ 1512 paucis plagulis edita, & a Collectoribus *Actor. Sanct. T. 3 M. Jun.* inserta, unde locus illi concedendus hic videbatur, tum quod Autor in Præf. erudite agit de origine, situ, ceremoniis, ecclesiæ ac civitatis Misnensis, tum quod

p. 1634.

quod ea, quæ in ipsa vita continentur, ad historiam sacram Misniæ apprime spectant, ut taceamus, res Germanicas, quales fuere Gregorio VII Pont. cui fere unus e Germaniæ Episcopis Benno adversus Henricum IV adhæsit, inde lumen accipere. Equidem Ill. *Seckendorffius in Hist. Luther. L. 1 p. 286* de eo scribit, *velle se, ut a pluribus legerentur insulsi & superstitiosissimi literatoris, quem Luthero velut Achillem opponit Maimburgius, ineptiæ;* quibus tamen verbis Theologica tantum respicit, in quibus suo tempore Luthero acriter contradixerat Emserus. Nam postquam idem hoc libro futuræ Bennonis canonisationi velut prælusisset, demumque A. 1523 Johannes XII Episc. Misnensis, e Schleuniziorum gente, ab Hadriano VI Pont. ut ea sequenti anno publice celebraretur, impetrasset, Lutherus id sibi datum putabat, ut rudem plebem ab hac superstitione avocaret, edito libello vernaculo paulo ante solennia illa A. 1524, hoc tit.: *Wider den neuen Abgott und alten Teufel, der zu Meissen soll erhaben werden*, cui eodem anno respondit Emserus, sub tit. *Antwort auf das lästerliche Buch wider Bischoff Benno zu Meissen und Erben der Heiligen jüngst ausgegangen.* Sed uti controversiis Theologicis minime immisceri cupit Noster, ita religioni haud duxit, Emseri vitam Bennonianam integram cum notis *Godofredi Henschenii & Dan. Papebrochii*, ut & reliqua scripta, quæ ad miracula & canonisationem Bennonis pertinent, ex Actis Sanctorum huc transcribere, paginis etiam editionis Antwerp. ad marginem citatis. Dedit quoque ex iisdem iconem ipsius Bennonis, tres vero figuras majores in *Actis SS. p. 204* additas, nempe 1) Sacellum Bennonis, Monachii, 2) arcam ossium, 3) mitram, casulam & pedum ejus, ne libri hujus pretium augeretur nimium, consulto omisit. Equidem mollienda fuissent durius in Lutherum dicta, nihil tamen mutatum, ne corruptum esse Emserum, queri posset quispiam, plane tamen omissa est notula illa *p. 193 Tomi III M. Jun.* ab istis Collectoribus subjecta, ubi ad verba textus: *Episcopus Numburgensis*, se nullum in tota Germania, & ne alibi quidem agnoscere Episcopatum Numburg. fatentur; ne mirentur Lectores, ista viris in re Ecclesiastica tam versatis excidere potuisse. A Sancto ad Sanctam fit progressus, XXVI

p. 1987. *Variæ lectiones & supplementa ad Theodorici de Thuringia seu de*

de Apoldia vitam S. Elisabethæ. Etsi Theodorici Thuringi, de Apoldia cognominati, ordinis Prædicatorum, de vita S. Elisabethæ, Andreæ Regis Hungariæ filiæ & Ludovici IV seu Pii Landgravii Thuringiæ & Hassiæ uxoris, natæ 1207 & A. 1231 Marpurgi, quo marito mortuo se receperat, denatæ, ac A. 1236 in Beatarum numerum relatæ, libros VIII jam pridem Canisius, ac nuper *Jacob. Basnagius* cum notis in *Lectionum Antiqu. Canis. T. 4 p. 113* ediderint, mereri tamen videbantur variæ lectiones & supplementa haud exigua, in duobus Codicibus membranaceis in Bibl. Paulinam nostram ex Monasterio Vetero-Cellensi delatis, ut heic producerentur. Basnagius, Vossium forte secutus, vocat eum Theodoricum Thuringum de Apoldia cognominatum, putatque, eum circiter A. 1229 natum, decimo octavo ætatis anno cœnobium ingressum, cum jam senectutem attigisset, sexagenarium, A. 1289 vitam S. Elisabethæ ex scriptis Magistri Conradi de Marpurg, qui ejus Concionator vocatur in *Theodorici L. III c. 9*, libello item *de dictis quatuor ancillarum S. Elisabethæ*, antehac nondum edito, aliisque monumentis concinnasse; nescit tamen, quo in Monasterio vixerit, cum nec ipse Autor, nec quisquam alius id indicaverit. Cum autem in nostris Codicibus Autor Monachos Reinhartiborn. fratres nominet, & de Monasterio Reinhartiborn. multa habeat passim singularia, apud Canisium & Basnagium non extantia, de calamitatibus etiam hujus cœnobii non semel conqueratur; non injuria forte eum dixeris sacerdotem Reinhartibornensem. XXVII publico usui nunc primum sistitur *Libellus de dictis quatuor ancillarum S. Elisabethæ, sive examen miraculorum ejus;* qui dignus omnino visus, qui ex membrana antiquissima Bibl. Paulinæ, olim Vetero-Cellensis, lucem aspiceret. An ab ipsis ancillis scriptus, quod vult *Basnagius l. c. p. 115*, dubium videtur, cum enim solennia canonisationis & testimonia ancillarum heic conjungantur, vernaculo primum sermone exposita, ut verisimile, Anonymus hæc collegisse, paulo post canonisationem, & stylo Latino, quamvis simplici, conscripsisse videtur. XXVIII *Autor Rhythmicus de vita S. Elisabethæ Landgraviæ Thuringiæ.* Producuntur hi rhythmi Germanici e Bibl. *Saxo-Gothana*, licet in titulo *Vinariensis* per errorem fiat mentio; etsi

p. 2007. (margin, beside "nensem. XXVII")
2031. (margin, beside "tur. XXVIII")

etsi vero Tentzelius eos ultra seculi XV ætatem non ascendere judicet in *Suppl. Hist. Goth. II p. 536*, imo vix ob sermonis puritatem sint efferendi ultra seculum XVI, ipsum tamen poema longe videtur antiquius, atque adeo ipsis S. Elisabethæ temporibus, Sec. XIII, propius, nova quidem veste sub finem seculi XVI fuisse indutum, & ad castiorem Germani sermonis rationem reductum.
a §. 3 ad 6. Prolixe heic describitur, quemadmodum sex Phonasci in aulam Hermanni Landgravii venerint Wartburgum, quorum unus, Klingsör, in ipsa die nativitatis Elisabethæ, natam hac die Hungariæ Regi filiam, olim sanctissimam, & Ludovici, Hermanni filii, sponsam futuram, gaudentibus, qui aderant, omnibus, vaticinatus esse dicitur, quæ cum aliis ejusdem commatis memoravit & *Joh.*
a fol. 1697 *Rohtius in Chronico Thuringico*; & licet hujus quoque operis
ad 1700. partem non minimam occupent miracula, multa tamen insunt historiam Thuringiæ juvantia, quæ non fabulatorem, sed Histo-
p. 2003. ricum egisse Autorem, persuadent. XXIX *Peregrinatio seu Passagium Alberti Ducis Saxoniæ ad terram sanctam.* Sterile nonnullis videbitur hoc opusculum, cum tamen ipsa brevitate se commendaret, essetque a R. P. *Bernhardo Pez* ideo transmissum, ut locum in hac collectione consequeretur, omittendum id minime duxit Noster. Descripserat illud e Cartusiæ Gemnicensis in Austria Codice Vir in colligendis veterum monumentis studiosus, R. P. *Leopoldus Wydemann*, cujus elogium dedit Cel. *Pezius Diss.*
2113. *Isag. T. I Thesauri Noviss. anecdot.* XXX *Joh. Rathhalter de meritis Alberti D. Sax. locum tenentis Generalis per Brabantiam, in domum Burgundicam.* Libellus hic vernacula compositus A. 1488 ab ipsius Ducis Alberti primum, post Maximiliani Imperatoris in Frisia Ministro, Consiliario & ærario præfecto, qui ad Nostrum, cum inscriptione: *ex Archivo-Saxonico*, dudum pervenit, exiguus quidem, plura tamen continet lectu digna. Imprimis testatur de Alberti fide egregia in Cæsarem, a qua dimoveri nullo pacto potuit, omnes facultates impendens, ut Frisia & Brabantia ad obsequium Cæsaris filiique Philippi reducerentur, publice testatus: *præstare, ut omnes Principes Saxoniæ, quam ut*
2121. *unus Rex Romanorum panem emendicaret.* Fidem autoris firmat, quod rebus omnibus ab Alberto in Belgio gestis usque ad ejus mor-

mortem interfuerit. XXXI *Georg. Spalatini Diss. Geneal. Historica de Alberti D. Sax. liberis.* Et hæc Spalatini Dissertatio, ut plures aliæ, partim hactenus vulgatæ, partim adhuc edendæ, e Bibliotheca *Saxo-Gothana* fuit communicata, quæ Latino idiomate, ut supra de hujus Aut. vitis aliquot Sax. Electorum factum, non donata, quod malint aliqui, omnia eo, quo scripta sunt ab Autoribus, sermone vulgata. Præterquam vero, quod Genealogiæ potissimum in hoc opere rationem habere voluit, simul etiam historiam percensuit Autor, multaque ad privatam Principum vitam spectantia subinde annotavit, nec pauca sub *Georgio* Principe & aliis ad religionem pertinentia protulit. Agmen claudunt XXII *Addenda ad Annales Vetero-Cellenses*, de quibus jam supra nobis dictum est. Ceterum tertium seu ultimum Tomum, priores illos aut superaturum, aut æquaturum certe Scriptorum selectu ac dignitate, propediem sperare jubet Cel. Editor, cui perficiendo integram sanitatis nuper affectæ restaurationem usumque vitæ diuturnum ad ulteriora rei publicæ pariter ac literariæ commoda promovenda, publico nomine vovemus.

n. XIX.

Geschichte der Teutschen, biß zu Anfang der Fränckischen Monarchie.

h. e.

GESTA GERMANORUM, AD INITIA MOnarchiæ Franciæ; Autore D. JO. JACOBO MASCOVIO.

Lipsiæ, apud Jac. Schuster, 1726, 4.

Alphab. 3.

Literis traditurus Cons. Autor Gesta Germanorum, a primordiis inde gentis ad exstinctam usque Carolingicam stirpem, hoc tomo subsistit in iis temporibus, quibus vergente Seculo V a Clodovæo in Galliis conditum est regnum Francorum. Repetuntur ab eo initia Historiæ, tam Germaniæ universim, quam origo, mores, habitationes, bella & migrationes singulorum ejus populorum. Solent hi populi vel sanguine & origine æstimari; vel

nexu & finibus Reipublicæ, quibus juncti circumseptique fuerunt. In prioris sensus latitudine Autori Germani veniunt, ductu Plinii & Taciti, & ideo quæcunque gentes lingua, forma, religione, & moribus originem Germanicam referunt, earum gesta recensuit. Insequitur eas quoque, quæ mutatis sedibus ex Germania exierunt, habetque rationem Regnorum ab iis foris constitutorum. Non ultra vero retro progressus est, quam ad ea tempora, quibus Germaniam jam inhabitabant Germani, prætergressus dubias conjecturas de eorum adventu. Præter perspicuitatem & tersam sermonis puritatem imprimis ordinem & certitudinem sectatur. Itaque chronologiæ rationem sollicite habet, & subjicit, cum expedita crisi, locos autorum ætate æqualium, numos etiam, inscriptiones, & alia monumenta, quæ ad confirmationem illustrationemque aliquid conferre possunt. Digna profecto Periodus Historia, in qua diligentia poneretur, ea quippe complectens tempora, quibus multa Europæ regna originem suam debent.

Libri numero decem sunt. *Primus*, in quo incunabula gentis, *descendit usque ad finem belli Cimbrici*. Descriptis antiquissimis Germaniæ finibus, designat Autor colonias, quas Tarquinii Prisci ævo Ambigat, Celtharum Rex, propter hominum multitudinem, & agri inopiam, trans Rhenum misit, quæ duce Sigoveso,
§.1—4. Regis ex sorore filio, in Sylva Hercynia consederunt. Ostenditur
dein verisimiliter, inter Gallos, qui capta Roma Capitolium obsedere, Germanos fuisse, cum iter ad Appenninos montes, quos Galli transierunt, semi-Germanis gentibus obseptum fuerit. A M. Marcello circa A. V. DXXI cum Insubribus Germanos victos fuisse, fidem quibusdam faciunt Fasti Capitolini ad hunc annum;
4. verum suspicatur Autor, nomini Germanorum, per hæc tempora
adhuc ignoto, Cenomanos, Insubribus vicinos, substituendos esse.
5. 6. Recensitis coloniis, quas Germani antiquissimis temporibus in
Gallias misere, & exposita origine nominis Germanorum, ad bellum transit, quod CX circiter annis ante Christum natum, Cimbri & Teutones, adscitis in itinere Ambronibus & Tigurinis, con-
7—11. tra Romanos moverunt. Describuntur fuse vicissitudines hujus
belli, donec omnibus Romæ trepidantibus in ea periculi magnitudine delectus est C. Marius, qui rem Romanam restitueret.

Ab

Ab eo Ambrones primum & Teutones ad Aquas Sextias, capto eorum Rege Teutobocho, dein Cimbri quoque in campis Raudiis in Italia, ad internecionem deleti sunt. Quæ dum ad finem usque libri persequitur Autor, multa lectu digna inspergit de patria Cimbrorum, eorum armis, mulieribus vatibus, tauro æneo, per quem fœdera pangentes jurare solebant, de arcu triumphali apud Arausiones falso pro monumento victoriæ adversus Teutones habito, & Cimbrorum philosophia de morte. Memorabile inter cetera quod ad §. 12 nota 7 observat, inventum ante C plus minus annos Sceleton pedum 25 cum semisse; idque pro ossibus Teutobochi, Regis Teutonum, venditatum, excogitata mendaci epigraphe: *Teutobochus Rex*; donec Peirescius a peritis tractari ossa jusserit, ubi elephantem pro rege habitum, deprehensum sit. §. 11 seqq.

Liber II exponit *bella Germanorum cum Julio Cæsare.* Ariovistus, Suevorum Rex, qui insignem Galliarum partem occupaverat, suspectus Cæsari ob potentiam, frustra habito colloquio, tandem cum multis gentibus Germanicis, quas auxilio adsciverat, prœlio superatur. Atuatici, Cimbrorum in Gallia reliquiæ, quod 2-7. cum Belgis contra Cæsarem conjurassent, sub jugum missi. Usi- 8. petes & Tenchteri, gentes Germanicæ, a Suevis sedibus suis pulsæ, cum in Galliam irrupissent, a Cæsare fusi; eorum equitatum, qui prœlio non affuerat, quod Sicambri recepissent, Cæsar, indicto iis bello, Rhenum ponte trajicit. Sed miles Romanus, in terra ignota tum primum vestigia figens, delusus a Sicambris, in interiora Sylvarum fugientibus, unde venerat, revertit. Treviri, Ebu- 12-15. rones, Nervii, Germanicæ originis Galli, infensum dein Cæsarem habuere. Mixta iis signa Germanorum, quos ut edomaret Cæsar, Rhenum iterum ponte juncto transit; atque ideo Rhenus in triumpho, quem Cæsar de Galliis egit, visus. Consilium vero Cæsaris, quo, subjugatis Parthis, per Scythiam & Germaniam in Italiam regredi parabat, iis accensendum videtur, quibus sæpe, etiam ultra vires blandiri heroibus ambitio solet. Hoc loco, quoniam 15-31. tum magis innotescere cœpere mores gentium Germanicarum, de habitu corporis, animi indole, variis administrandæ Reipublicæ formis, Deorum, heroum, vaticiniorum, lucuum religione, sacrificiis, sacerdotibus, re militari, legibus, judiciis, artibus, opi-

ficiis & ſcientiis diſſerit Autor; eaque imprimis notat, quorum veſtigia & uſus hodie adhuc ſuperſunt.

Liber III pergit *ad devictum a Germanis Quintilium Varum*. In eo Ubii ab Agrippa trans Rhenum ducuntur. Suevi in
Galliam irrumpentes a C. Carinate, Treviri a Nonio Gallo fun-
§. 1—3. duntur. Subjicitur diviſio Galliæ Belgicæ, quam tum Auguſtus
ſuſcepit, in Belgicam & Germaniam, Germaniæ in primam &
ſecundam, & deſignantur ſigillatim populi, qui in utraque habi-
5. tarunt. Pergit dein Autor ad bellum, quod Sigambri ſub Auguſto
cum Romanis geſſerunt. Victus primum a Romanis Melo, Dux
Sigambrorum, dein a Sigambris M. Lollius, legatus Cæſaris;
6—10. amiſſa legionis V aquila. Exponitur dein, qua ratione Nori-
10—11. cum, Rætia item & Vindelicia provinciis Romanis adjectæ ſint,
& quæ diviſio, qui fines, & primaria eorum oppida fuerint. In-
ter hæc Sigambri, Uſipetes, Tenchteri, Rhenum rurſus trajiciunt.
Miſſus Druſus, ut eos compeſceret, qui Cheruſcos & Cattos &c.
quoque laceſſivit. Qua occaſione de foſſa Druſi, de origine oppi-
di Emdæ diſſerit, & de monumento Druſi apud Moguntiacum
13—18. diverſas ſcriptorum ſententias ſubducit Autor. In deditionem tan-
dem a Tiberio accepti Sigambri, locatique fere trans Rhenum, in
18. quorum vacuas ſedes Tenchteri & Uſipetes conceſſerunt. Nobi-
le dein regnum a Marcomannis, Duce Maraboduo in Bojehemum
deductis, conditum, in quorum priores ſedes leviſſimus quisque
vicinorum confluxere, quæ origo gentis forſitan & nominis Ale-
19—24. mannorum. Denique digna lectu deſcriptio cladis Varianæ, qua,
25 ſeqq. Arminio duce, effectum eſt, ut Imperium Romanum ripa Rheni
terminaretur.

Liber IV porrigitur *ad finem belli Batavici, a Claudio Civili moti*. Inter præcipua, inimicitia capitalis Arminii cum ſoce-
ro Segeſte; Segeſtes, una cum filia Thusnelda, tum ex Arminio
gravida, liberatus a Germanico; tota expeditionum Germanici
3—18. & Arminii, præliorumque ratio exponitur. Tum domeſticum
bellum, quod Longobardi & Semnones, ab Arminio ad Marobo-
duum deficientes, inter utrumque concitavere. Maroboduus
paulo poſt a Catualda, Gothonum Duce; Catualda a Vibilio pul-
ſi; uterque ad Romanos confugere. Clariſſimorum Regum fata,
&

& Vannii Regnum, hac occasione conditum, fusius descripta apud autorem legi merentur. Inter hæc Arminius, liberator Germaniæ, expletis septem & triginta annis vitæ, duodecim potentiæ, cum in suspicionem affectati regni incidisset, suorum perfidia exstinguitur. Ejus honori tamen Irminsulam, quam Carolus M. delevit, positam, verisimile videtur Autori. Inclytum dein nomen Claudii Civilis, qui excitatis ad libertatem capessendam Batavis suis, auctus opibus Gallorum trans Rhenum, Germanorum cis Rhenum colentium, Vespasiano Imperium auspicante, multis prœliis strenue rem adversus Romanos gessit. Magna in eo bello autoritas Velledæ, mulieris vatis, & memorabilis imprimis pugna navalis in ore Mosæ a Civili cum Romanis commissa. Gratam adeo posteris etiam Claudii Civilis memoriam observat Autor, ut Wilhelmum, principem Arausion. illum fœderis Belgici auspicem, ei comparare non dubitaverit Hugo Grotius in dedicatione Antiquitatum Belgicarum. Repræsentavit hoc bellum XII tabulis Otto Veenius, pictor; magna artis laude. Non minori illud cum voluptate ex vero hic descriptum legas.

§. 19, 20. 21. 40 sqq.

Liber V inde *ad bella cum Probo gesta porrigitur*. Eminet inter reliqua bellum Marcomannicum. Conspiraverant gentes omnes ab Illyrici inde limite: præcipui Marcomanni, Hermunduri, Quadi, Suevi, Sarmatæ. Pulsæ a vicinis gentes Germanicæ, dum receptum negantibus arma inferunt, tanti motus occasio. Notius in omni Historia Marcomannicum hoc bellum, quam quod hic exponi mereatur. Gesta primaria columnæ incisa: quam, post tot seculorum intercapedinem, Sixtus V, Pontifex Maximus, Romæ restituit; æri incisam commentariis illustravit Jo. Petrus Bellorius. Sub Gordiano prima mentio Francorum, de quorum origine Autor Geographi Ravennatis sententiam, primordia gentis ab Albi flumine repetentis, Leibnitiique conjecturas certis argumentis observationibusque ex Francorum progressu instruit. Sub Gordiano & successoribus inter arma Burgundorum, Herulorum, Alemannorum graves imprimis Imperio Romano esse cœperunt Gothi, Asiam, Græciam, Thraciam &c. miserrime devastantes.

13-24. 31.

Liber VI subsistit *in descriptione bellorum, quæ Franci & Ale-*

Alemanni cum Juliano gesserunt. In eo & prima Saxonum men-
§. 2. tio, quorum ortus & antiquas sedes Autor explicat. Magna hic rerum varietas, cum miras Imperii Romani sub Diocletiano & Constantino formas & vicissitudines attingere oportuerit. Ita enim facilius jam intelliguntur turbatissimæ alias populorum Germanicorum res, modo his, modo illis Romanorum partibus implicitæ. Dum conversionem Constantini M. florentesque ab eo tempore in Belgica, utraque Germania, in Rhætia & Norico Christianorum cœtus, memoriamque Materni, Coloniensis, & Agrœcii, Trevirensis Episcopi, utriusque apud Constantinum gratiosi, recolit; origines Ecclesiæ Germanicæ repetit, quarum notitia valde prodest, cum rationes hierarchiæ, quæ in Germania postea regno fuit, reddendæ sunt.

Liber VII eos Germanicorum populorum *motus complecti-tur, qui* paulo post *magnæ*, quam vulgo vocant, *gentium migra-tioni ansam dederunt.* Agmen in eo ducunt bella, quæ Valenti-nianus adversus Francos, Saxones, & Alemannos gessit: Aleman-nico bello Burgundi immixti. Hos Autor in notis ad §. VIII Ger-manicæ origini, cognatoque Gothis & Vandalis sanguini asserit, idque ipsum disertis ætate æqualium scriptorum testimoniis com-probat. Tum ingens clades, quam ab Istro Romano Imperio sub Valente intulerunt Gothi, ab Hunnis patria exturbati prolixe de-scribitur. Inter hæc legi imprimis merentur, quæ de Gothorum
13-30. ab Istro ultra Tanaim colentium finibus, deque Theruingis, sive Thoringis, Greuthingis, aliisque Gothici nominis populis, deque Alanorum, & Hunnorum denique origine, sedibus, institutis ple-nius disseruntur. Utcunque deinde, sub Theodosio, Rhenus & Danubius Romanum limitem tuitus est. Ille Athanaricum, prin-cipem Theruingorum, qui inter occidentales Gothos clarissimi erant, Constantinopoli recepit, atque una cum illo multa Gotho-rum millia, quorum pars paulo post Alarici ductu Illyricum & Italiam concussit. Idem Theodosius Greuthingos trans Istrum repulit, quo loco illustrantur figuræ aliquot in columna cochlea-ri conspicuæ, in qua patris victorias Gothicas repræsentavit Arca-dius, æmulatus columnam, quam vetus Roma M. Antonio dica-tam mirabatur. Interea Rhenus sub Maximo, Valentiniano II, Eugenio

Eugenio aliquoties Alamannorum, Francorumque signa, modo hostilia modo amica vidit. In fine libri Autor Gothorum conversionem ad fidem Christianam explicat. Hic Socratem, Sozomenum, Jornandem, atque alios, qui Arianæ eos Sectæ adscribunt, cum Ambrosio, Hieronymo, & Chrysostomo, puritatem religionis in Gothis laudantibus, conciliat. Hic & de Episcopis Gothorum agit, præcipue de Ulphila, excogitatisque ab eo literis Gothicis, & versione scripturæ sacræ Gothica, ex qua deinde reliquos Germanos profecisse, testimonio Valafridi Strabonis probat. Agit quoque de Evangeliis Gothicis, quæ nec tamen integra supersunt, & dialectum produnt Theotiscæ cognatam, multa vocabula a Græcis, nonnulla etiam a finitimis Sarmatis trahentem. Denique & literarum Gothicarum diversitatem a runis Borealium ibidem notat.

Libro VIII memorabilis periodus continetur, qua varia *regna in provinciis Romanis a migrantibus Gothis*, *Vandalis*, *Suevis*, *Alanis*, &c. condita sunt, quæ omnia nuspiam adhuc tam concinno ordine scripta leguntur. Incidit illa periodus in tempora, quibus morte Theodosii labefactata fuit respublica. Statim enim Vise-Gothi, Duce Alarico, de cujus patria & genere Autor in §. IV disserit, in Græciam irrumpunt: mox pace facta, Alaricus Præses a Romanis Illyrici Orientalis constituitur. Franci Marcomere & Sunnone ducibus res novas moliuntur, tumque excisa primum a Francis Augusta Trevirorum, præfectura Galliarum Arelatum translata. Saxonibus, littora Britanniæ & Gal- §. 6.
liæ infestantibus, nequiequam oppositus limes Saxonicus, de cujus origine quæ olim Huetius in Originibus Cadomensibus scripsit hic curatius expenduntur. Tum enarratur ingens tumultus, 7.
quo Imperium Orientis, Gaina, Gothus, concussit. Alaricus, dein Rex a suis creatus, Italiam petit, & bis a Stilicone vi- 8, 9.
ctus, Honorio fœdere adversus Arcadium jungitur. Interea 10–14.
Rhadagisus, Rex, ut quidam (nec enim constat) volunt, Gothorum, ut alii, Vandalorum, qui & memoriam ejus in Deo Rhadogast coluisse quibusdam dicuntur, cum ingenti adest exercitu, & jam in Tusciæ confiniis constitutus, Romanorum sanguinem Diis suis vovet. Romæ terror ingens: aversum 14.
periculum virtute Stiliconis, opem ferentibus Gothis & Hunnis

quibusdam. Vandali postea, Alani, Burgundi, Suevi, forsitan re-
§. 15, 16. liquiæ exercitus Rhadagaisi in Gallias irrumpunt, ex quo tempo-
re initia magnæ gentium migrationis repeti solent. Alaricus Ita-
18–28. liam iterum ingressus, Romam ter obsidet, eamque tandem expu-
gnat. Quicquid deletæ Trojæ, Carthagini & Numantiæ acerbum
& luctuosum contigit, illud tum Romam expertam, quosdam exi-
stimare, animadvertit Autor, inter quos *Jac. Benignus Bosuetus*,
exstinctam Babelem in Apocalypsi de hac Romæ expugnatione
28. intelligendam esse, contendisse deprehenditur. Verum ostendit
Autor, mitiorem Alarici indolem fuisse, quam cujus memoria
infamia urbis eversæ notari debeat. Pepercisse recte sentientium
templis pietatem Regis Ariani: viduæ & virgini præsidio fuisse
clementiam ejus: combusta ædificia quædam, sed pauca. Capta
29. urbe Alaricus abiens immatura morte rebus excessit humanis, ei-
que successor lectus est Athaulphus. Devastatis Galliis, in Hispa-
30. niam tum irruperunt Vandali, Suevi, Alani, Burgundi. Post cru-
enta prœlia, sorte ducta distributæ regiones. Vandalis & Suevis,
quo communi nomine & Marcomanni & Quadi comprehende-
33. bantur, Gallicia, quæ tum latius patebat, cessit. Alanis Lusitania
& provincia Carthaginensis. Rus, ex veteri gentis more, victor
amabat; oppida Hispanis relicta, qui, cum a Germanis, etsi devi-
cti, mox ut socii & amici foverentur, tributariæ inter Romanos
sollicitudini indulgentiam Germanorum prætulerunt. Athaul-
phus, Alarici successor, armis sibi A. 412 viam aperuit in Galliam.
Sedes regia, Heraclea ad Rhodanum, quæ diu post *palatium Go-
thorum* audiit, quemadmodum Sylva vicina *la Selva Gothesca*
dicta est. Nec quid deesse videbatur felicitati Athaulphi, nisi ut
sanguis Gothorum misceretur sanguini domus Augustæ. Ducta
35–40. in matrimonium ab Athaulpho Placidia, Theodosii M. filia.
Pulsus dein a Constantio, patricio, jugum Pyrenæum transit
Athaulphus, & Barcinone tandem parricidio suorum exstingui-
tur. Per hæc tempora quoque Burgundis pars Germaniæ primæ
38. a Romanis concessa, ut ibi præsidio & a barbaris gentibus propu-
gnaculo essent Romanis, quæ initia regni Burgundici Gundicario
auspice conditi. Apud Visi-Gothos, interempto Athaulpho,
40–43. Wallia regnum capessit, qui pace cum Romanis A. 416 sancita,
devi-

devictis Suevis, Alanis, Vandalis sedem regiam Tolosam, capta Aquitania secunda, transtulit. His recensitis, ad Gallias divertit Autor, & postquam statum provinciarum Galliæ exposuit, incerti §. 44.
arguit, quæ de Pharamundo, Rege Francorum, tanquam regni Francici conditore, circumferuntur; tum historiam legis Salicæ 45.
tradit; denique de intestinis Suevorum & Vandalorum bellis disserit, illud sigillatim observans, jam tum prævaluisse virtutem Germanorum, a pristinis institutis nimium degenerantibus moribus Romanorum. Librum claudit disquisitio de conversione Germanorum ad fidem Christianam. 47.

Liber IX continet gesta Germanorum *ad finem bellorum cum Hunnis gestorum.* Nobiles Alani, Vandali, Hunni, Angli, Saxones. Alanis, qui, cæteris in Hispaniam transeuntibus, in Gallia remanserant, sedes ab Aetio A. 440 data rura urbis Valentinæ. 15.
Vandalorum Rex, Gensericus, Carthaginem capit, cujus instauratæ opes tum pristinum fere splendorem æquabant, quo olim cum Romanis de principatu contenderat. Puriori dein doctrinæ addicti, vi coacti ad subscribendum hæresi Arianæ, quam ipse Vandalorum Rex amplectebatur; Quodvultdeus Carthaginis Episcopus, in exilium ejectus. Tum sibi Gensericus Africæ meliorem partem una cum Sardinia, Sicilia, Corsica, Majorica, Minorica subjicit, terræ sorte distributæ, unde nomen sortium Vandalicarum. Interea Hermanaricus, Svecorum Rex adversam propter valetudinem administrationi impar regni, filio id suo Rechilæ 16–20.
cedit, qui occupata Merida & Hispali, Bæticam & Carthaginensem provinciam ditionibus suis adjecit. Clodio, Francorum Rex, 20.
infelici prœlio cum Aetio contendit. Genio in convivio Francis indulgebat, cum a Romanis invaderetur. Descriptio convivii 21.
apud Sidonium Apollinarem habitum corporis & mores Francorum eosdem penitus delineat, quos Germanis Tacitus tribuit. Attila, de cujus genere, ditionibus, sede, uxoribus, corporis & animi habitu lectu digna referuntur, cum primum ab Honoria, Va- 23.
lentiniani III Imperatoris sorore, spe matrimonii allectus esset, arma contra Imperium Occidentis movere cœpit. Dissimulatum consilium obtentu Gothorum, contra quos solos expeditionem sese parare, Attila præ se ferebat. Nec tamen his credulus Valen-

tinianus, qui suam rem agi probe intellexit. Ab Attila primum intrata Gallia. Factionibus divisi inter duos Principes Franci, quorum unus Attilam sequebatur, alter a partibus Romanorum stabat. In exercitu Attilæ Rugii, Scyri, Burgundi, Thuringi, Bructeri, etiam Franci. Aetius pro Romanis, junctis sub Theoderico Rege Visigothorum armis, depugnabat. In campis Catalaunicis
§. 12-39. diu conflictum ambiguo Marte. Theodericus in acie interemptus: tandem inferior Attila; excitatus ab Aetio Princeps Francus, qui inter Romanos agebat, ut clade Attilæ ad occupandum regnum uteretur. Hunc Principem, eundem Meroveum fuisse existimant recentiores, qui & stirpis Merovingicæ conditor est, asseverantes, eum Clodionis filium natu minorem fuisse; verum
29. id incerti arguit Autor. Attilam, dum in Gallias tendit, Thurin-
30. gos attigisse, plerique tradunt, qua ratione de gentis hujus origine differitur, eaque a Gothis derivatur. Deinde Attila iter in Italiam capessit, capta Aquileja, terrore ingruentis hostis vicini in maris Adriaci insulas fugiunt, unde initia nobilissimæ Venetorum civitatis unanimis scriptorum consensus repetit. Penetrat dein Hunnus in Liguriam, Mediolanum & Papiam capit. Ex improviso tamen conciliata pax: qua in re clara opera Leonis Pontificis Maximi. In Galliam reversus Attila, Alanos lacessivit. Periculosum id visum vicino regi Visi-Gothorum Thorismundo: adest cum exer-
31-34. citu: funditur Hunnus a Visi-Gothis, iisque solis, non admissis, ut antea, in partem gloriæ Romanis. Ab Attila quieti Saxones, Duce Hengist & Horst circa A. 449, incertum casu, an contra Scotos & Pictos auxilio evocati a Vortigerno Britonum Rege, in Britanniam appellunt. Assignata iis primum insula Taneth, mox
34 seqq. portio ipsius Britanniæ: amicitiam affinitate firmavit Vortigernus, ducta Hengisti filia. Pulsi dein a Saxonibus Angli, in Australes regni partes concesserunt; cum Saxonibus Angli & Jutæ, auctores gentis, quæ post tot mutationes & libertatis studio, & legibus & lingua originem a Germanis refert.

In Libro X eodemque ultimo, qui *ad initia regni Clodovai descendit*, exstincto Valentiniano III, Gensericus Carthagine Romam classe petit. Capta urbs sine negotio, nemine resistente. Ut
3. ædificiis & hominibus igni & ferro parceretur, apud Gensericum

Leo

Leo Pontifex Maximus impetravit. Prædæ tamen acta ingens vis, abducta ornamenta imperialia, vasorum magna copia, & inter hæc vasa Judæorum, quæ Titus Vespasianus post Hierosolymorum excidium cum aliis asportaverat. Eudoxia, Valentiniani III vidua, & filiæ Placidia & Eudoxia, captivæ in Africam abductæ, & nupsit Eudoxia filia Hunerico, filio Genserici natu minori, eoque nexum sanguinis vinculum inter utriusque gentis
principes. Attila A. 453 diem vixit supremum. In caussis mortis §. 6.
variari, observat Autor. Sunt, qui inter amplexus Ildiconis, venustissimæ formæ puellæ, sanguine e naribus prorumpente, exstinctum tradunt: alii Provinciæ mulieris manu confossum referunt. Deletus cum Attila regni splendor. Id discordia filiorum factum, quorum jugum mox excussum est a devictis gentibus. Gepidarum Rex, Ardaricus, cujus nummi in legibus Burgundorum memorantur, inter ceteros inclytus, qui superatis Attilæ filiis, Hunnos ad Pontum Euxinum repulit, ipse Thraciam obtinuit, nisi quod remansere Hunni quidam, a quibus Zeckelios derivari annotat
Autor. Dum hæc aguntur, Ostro-Gothi, qui ipsi quoque antea 7. 8.
Attilæ obnoxii fuerant, suo Marte Pannoniam occupant, diviso regno inter fratres tres, Valemirum, Theodemirum, & Widemi-
rum, & libertatem armis ab Attilæ filiis tuentur. In Hispania Vi- 9.
si-Gothi cum Suevis colliduntur. Exstincto Rechila, qui regnum Suevorum a patre Hermanarico, ejus in Hispania conditore, per manus traditum acceperat, Rechiarius filius successit A. 448. Is
Theoderici, Regis Visi-Gothorum, filiam duxit. Elatus dein 9.–13.
opibus affinis regis, quas sibi præsidio fore sperabat, negotium Romanis facessere instituit semel & iterum. Patri interim apud Visi-Gothos successerat Theodericus II (cujus egregiæ animi & corporis dotes ex Sidonio Appollinari lib. 19 Ep. 13 repetuntur)
qui ex fœdere suo cum Romanis, cum primum per legatos Rechi- 13.
arium nequicquam monuisset, ne amicis Romanis gravis esse vellet, expeditionem adversus eum movit, & duodecimo ab Asturicensi urbe lapide ingenti Suevorum clade superavit. Rechiarius captivus ad Theodericum ductus, quo interempto Suevorum
magna pars se dedidit. Attritum eorum regnum tandem a Re- 24.
mismundo restitutum circa A. 465, qui ut gratiosus esset apud Theo-

Theodoricum II Gothorum Regem, filiam ejus uxorem sibi adjunxit. Faustum Suevis connubium; nisi quod gentem labes hæreseos Arianæ, cui tum Visi-Gothi subscribebant, simul infecit.
§. 22. Gundobaldum, Regem Burgundionum Olybrius Imperator patricium Romanum creavit, qua occasione de successione Gundicarii, Burgundionum primi Regis, latius disseritur. Euricus,
25-30. Theoderici II frater, ejusdemque in regno Visi-Gothico successor, dilatato in Galliis regno Hispaniam Tarraconensem & Bæticam adjecit. Tumque, ut plerique sentiunt, confectum per Hispanias Imperium Romanum, regione omni divisa inter Suevos & Gothos. A bello ad pacis artes revocatus Euricus, Gothis, qui adhuc moribus & consuetudine tenebantur, leges scriptas tulit. Sed minuit gloriam studium sectæ Arianæ, quo abreptus recte sentientes etiam persecutus est. Hæc facies rerum, cum Chlodovæus Francis præesse cœpit, cum Odoacer, Rex Scyrorum, Rugiorum & Herulorum, occiso Oreste, Magistro militum, capto filio ejus Romulo, Imperatore per ludibrium creato, perempto quoque Julio nepote, Imperio Romano finem fecit. Finem & ipse facit Autor, Epilogi ergo pluribus exemplis comprobans, quicquid hodie per Europam in Romanis provinciis superest gentium, Germanorum magis, quam Romanorum instituta præ se ferre.

Optabunt haud dubie, his lectis, multi, exteri imprimis, librum tanto eruditionis apparatu, tam exquisito judicio, conscriptum, Latino potius quam Germanico idiomate compositum, imprimis cum ex aliis ejus scriptis cedro dignis, quamvis haud magnæ molis, pateat, quam probe perspectas habeat Veneres Romanas; nec dubitamus, eum, cum periodum sibi præstitutam absolverit, si graviora negotia haud obstent, horum quoque votis satisfacturum.

Johann Hübners, Rectoris der Schule zu S. Johannis in Hamburg, Genealogische Tabellen.

i. e.

JOHANNIS HUBNERI, RECTORIS SCHO-

læ

Io. Johannæ Hamburg. Tabulæ Genealogicæ ab initio ad nostra tempora continuatæ.

Tomi III.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschii B. Fil. T. I, 1725, T. II, 1727, T. III, 1728, 4 oblongo seu fol.

Alph. 11 plag. 8.

Kurtze Fragen aus der Genealogie.

i. e.

EJUSDEM QUÆSTIONES SUCCINCTÆ Genealogicæ ad Tabularum Genealogicarum Tomos III.

Ibid. apud eund. 1725, 1727 & 1728, 12.

Alph. 1 pl. 19.

JAm pridem de Historia, Geographia & Genealogia, simulque de cupida harum litterarum juventute immortaliter meritus est Celeberrimus Autor. Nam ut alia ejus scripta taceamus, utpote poetica, in quibus præter *Manuale poeticum* vernaculum, quod tyronibus eximio usui esse potest, eminet *Versio* vernacula metrica operis incomparabilis *Thomæ a Kempis de Imit. J. C.* Lipsiæ, ubi pleraque Autoris scripta prodiere, A. 1727, 8 edita, ad modum versionis Gallicæ Petri Cornelii, Poetæ celeberrimi, composita, & ad excitandam promovendamque in omnis ætatis, sexus & conditionis, pæne dixerim, & religionis hominibus pietatem egregie accommodata, quam beatæ Conjugi, natæ Oleariæ, pie dedicavit; primum Orbi litterato innotuit A. 1692 *Compendio Geographico*, vernacula, ut cetera fere omnia, & methodo quidem erotematica, in 12 vulgato, eodemque triginta tribus vicibus, emendatius identidem & auctius, sub prelum hactenus misso, &, quod mireris de libro Germanico, multis millibus exemplaribus impresso. Hinc *Historiam* omnium Imperiorum, Regnorum ac Principatuum civilem simili methodo ac forma tradere instituit, absolvitque X Voluminibus, sæpissime recusis, quorum quidem I A. 1697 primum, X A. 1707 prodiit; additis subinde supplemen-

tis,

tis, quorum prostant hoc tempore Partes XII, statum singulo-
rum Regnorum & provinciarum, de quibus in Historia ipsa agi-
tur, tam publicum quam privatum, bella, aulæ vicissitudines, le-
gationes & reliqua ab A. 1708, quo edi cœperunt, ad A. 1719 com-
plectentes; atque hæc Supplementa spes est mox ad nostra tem-
pora continuanda. Nec minus bene de juventute meruit, editis A.
1715 in 8 *Quæstionibus Biblicis* vernaculis, quibus historia S. Vet.
& Novi Testamenti tam dilucide proponitur, ut nihil supra;
optandumque foret, ut pari ratione omnem Historiam Ecclesia-
sticam, ut spem olim fecisse meminimus, exponat. Quæ omnia
non alia de causa nondum commemoravimus, quam quod com-
pendiorum histor. in Actis nostris mentionem facere, pro insti-
tuti nostri ratione, haud consuevimus. Uti vero, quod præcipuum
a natura habet, in his omnibus methodo admodum luculenta &
eleganti usus est Cel. Autor, miscens ubique utile dulci & memo-
riam lectorum egregie juvans, ita se ipsum quodammodo super-
asse dicendus est in his ipsis, quas modo exhibemus, *Tabulis Ge-
nealogicis* ad commodiorem Historiæ suæ usum rite digerendis
& memoriæ accommodandis. Nam cum neminem lateat, quam
intricata res sit genealogica, merito Lectores, inspectis mille ta-
bulis, quæ tribus his Tomis continentur, mirabuntur, omnia tam
apte tam concinne disposita, ut in originibus familiarum, conjun-
ctionibus item per nuptias factis, in liberis porro genuinis & no-
this, & juribus etiam successionis cognoscendis, nemo quicquam
desiderare valeat. Ita ex. gr. Tomo I, qui primum A. 1712 & quar-
tum A. 1725 prodiit, exhibetur Tab. 36 origo Hispaniæ Regno-
rum, Legionis, Superarbiæ, Navarræ, Arragoniæ & Castellæ;
Tab. 43 Genealogia proponitur Principum ex domo Borbonica,
Hispanica & Austriaca, qui sub auspiciis nostri seculi de successio-
ne in Monarchiam Hispanicam inter se contendebant; Tab. 69
unio Provinciarum Belgicarum per matrimonia facta; Tab. 79
constitutio præsentis in Anglia successionis, & Tab. 80 jura An-
gliæ in Galliam illustrantur; Tab. 87 Regum Daniæ, Tab. 92 Re-
gum Sueciæ & speciatim Tab. 78 Regum Angliæ Caroli II & Ja-
cobi II liberi ex concubinis nati producuntur; & cum familias
quoque, quæ Pontifices nobis dedere, cognoscere expediat, Tab.
319.

319-322 Genealogiæ breves sistuntur Pontificum, qui integro seculo regnarunt, a Clemente VIII ad Benedictum XIII. Uti vero primo hoc Tomo familias Regum Principumque omnis Europæ, tum recentiores, tum vetustas, non omissis Patriarcharum ante & post diluvium, Judicum item & Regum populi Judaici, Maccabæorum & Herodianorum tabulis, (quod de his quoque in Historia sua, in qua perpetuo Lectorem ad Tabulas has Geneal. ablegat, egisset) excussit, ita Tomis II & III, nuper editis, id hactenus egit, ut familias illustriores Comitum, speciatim in Germania florentium, in gratiam gentis suæ, cujus magis interest domestica quam externa cognita habere, expenderet. Ceterum nec siccas & elumbes Tabulas edidisse satis habuit; verum ad singulos Tomos addidit Quæstiones Genealogicas, in minori forma vulgatas, quibus & usum Tabularum ostendit, & subinde eas emendat ac supplet. Præterea quo magis iis consulat, qui modernum familiarum illustrium Europæ statum continuo ante oculos habere cupiunt, *Lexicon Genealogicum portatile* vernaculum Hamburgi 1727 in 8 in lucem emisit, quod ut quotannis cum novis supplementis prodeat, se curaturum, *in Præfat.* Tomi III Tabb. Geneal. pollicetur. Sed quid attinet plura dicere de operibus elucubratissimis, quæ maximam partem jamdudum in omnium manibus versantur, Germanorum certe; quanquam & Belgæ, laborum tanti Viri utilitatem perpendentes, ne cives sui eâ priventur, operam hactenus dedere, ut, quemadmodum Geographia ejus & Historia, ita & Genealogica hæc opera in Belgicam linguam luculenter traducerentur. Nobis nihil reliquum videtur, quam ut Deum Opt. Max. exoremus, ut Viro in publica commoda nato, sed ad senium jam vergenti, vires integras ac vegetam senectutem concedat, quo, quæ plura pro incredibili ad promovendas bonas litteras ardore molitur, feliciter absolvat.

FRIDERICI HOFFMANNI MEDICINÆ Rationalis Systematicæ Tomus tertius, quo vera Therapiæ fundamenta, medendi methodus, & leges tam Naturæ, quam Artis, nec non selectissima Remedia cum eorundem Phy-

Physico-Mechanico operandi & dextre applicandi modo fideliter traduntur &c.

Halæ Magdeburg. in officina Rengeriana, 1727, 4.

Alph. 3 pl. 7.

TErtius hic est Medicinæ Systematicæ Tomus, quem in gratiam rationalium Medicorum publicavit Vir annis pariter atque meritis gravis, illustris *Hoffmannus*. Cum enim in priore Tomo, A. 1718 Mens. Jul. p. 317 sqq. in his ipsis Actis recensito, Physiologiam, in altero vero, A. 1722 Mens. Jun. p. 315 sqq. a nobis pariter laudato, Pathologiam plenius pertractasset; in hoc demum tertio solida præcepta & fundamenta artis Therapeuticæ tradere consilium cepit. Ipsum hoc præstantissimum opus in duas Sectiones distributum est, quarum prior XVI, posterior vero X
Sect. I. capita complectitur. Definit vero Ill. Autor Therapiam per pru-
Cap. I. dentiam corruptos & inversos vitales motus, functiones ipsius corporis diversimode lædentes, per congrua remedia, debito tempore & accommodata methodo, in integrum restituendi & amis-
II. sam sanitatem revocandi. Præmissis igitur generalioribus ad therapeuticæ veritatis cognitionem requisitis, ad specialiora transit, primumque judicii therapeutici principium constituit in morborum historiis ad ductum Hippocratis recte & sufficienter concinnandis, ita ut circumstantiæ necessariæ sedulo adjiciantur, fictitiæ vero omittantur, imprimis autem ad sexum, ætatem, vitæ genus, aerem, loca & aquas, victum & potum, excretorum modum
III. & rationem aliaque id genus solicite respiciatur. Verum quum morbi prima fronte sæpius fallant, unusque alterum facile mentiatur; unicuique speciales suas notas characteristicas sapienter assignat, ne scil. Medicus e. g. uterum a prole distentum pro hydrope aut ascite, asthma flatulentum pro catarrho suffocativo,
IV. syncopen pro apoplexia &c. incaute habeat. Alterum deinde Therapiæ fundamentum in ipsa cognitione ortus & caussarum morbi ponit, quam cum Hippocrate potissimum ex proportione, mensura & temperamento motuum & humorum corporis petendam censet. Ostendit ergo ex solo solidorum & fluidorum mechanismo varie turbato plerorumque morborum, qui ibi suse recen-

recenſentur, genealogiam eſſe deducendam. Iſtam vero turbationem vel ſpaſmo adſcribit, vel atoniæ: utrumque certe ex miro partium corporis conſenſu, mediantibus nervis, quinto imprimis & octavo eorum pari, egregie docet, idque vel ex unius ventriculi cum capite, œſophago, ductibus biliariis, diaphragmate, pulmonibus, renibus &c. ſympathia valide probat, hincque demonſtrat, quomodo ex hoc ſpaſtico accelerato & irregulari ſolidorum motu contenta ibi fluida bona & laudabilia, ita vero conquaſſata, in ſalſa, ſulphurea, bilioſa & heterogenea demum degenerare poſſint. A manifeſtis morborum cauſis ad abditas eorundem deſcendit, refertque inter illas ſphacelationem & putredinem partium nobiliorum internarum, v. g. ventriculi, duodeni, pulmonum &c. porro abſceſſus integumentorum abdominis, thoracis, meſenterii, item exulcerationes ventriculi, veſicæ, proſtatarum &c. effuſiones ſanguinis in capite, & vaſorum brevium ventriculi, rupturas hæmorrhoidalium venarum, lienis, uteri &c. ulterius ſcirrhos viſcerum & glandularum &c. polypos cordis & arteriarum, calculum etiam renum & veſicæ, flatus denique, vermes & eroſionem ventriculi & inteſtinorum. Poſthæc damna recenſet ex cohibita cuticulari excretione derivanda: defectus vero perſpirationis cauſam adſcribit potiſſimum diverſæ aeris corpus ambientis & prementis qualitati, unde morbos anni temporibus familiares, epidemios, endemios, ſcorbutum, febres & defluxiones catarrhales &c. ſcite deducit. His ſubjungit graviſſima pathemata ex retrocedente in ſanguinem rurſus materia excrementitia ſeparata jam & extra cutis peripheriam delata, in achoribus, tinea, favis, plica Polonica abſciſſa, ſcabie, antiquis ulceribus intempeſtive conſolidatis, arthritide, podagra, ſudoribus axillarum & pedum, coryza, bubonibus, gonorrhœa, fluore albo &c. temere repulſis metuenda. Ipſum quoque ſanguinem non perverſa tantum ſui qualitate; ſed ſola etiam quantitate nocere aſſerit, quem in finem a natura repertum eſſe ait in feminis tributum lunare, in maſculis vero fluxum hæmorrhoidalem, de quo imprimis obſervat, quod ante hos 40 annos, ex quo Medicinæ exercendæ manus primum admovit, non adeo frequens & familiaris fuerit, ac noſtra quidem ætate, cujus cauſam mutationi laborioſi vi-

Cap. V. VI. VII. VIII. IX.

tæ generis in desidiosum & molle ingeniose assignat: utrumque vero hoc profluvium criticum & salutare haud esse turbandum aut reprimendum graviter monet, atrocissimaque recenset symptomata exinde provenire solita.

Cap. X. Porro morborum ex morbis generationem dilucide evolvit, docetque fusius, quomodo, v. g. ex apoplexia paralysis, ex epilepsia cæcitas & strabismus, ex mania melancholia & ex aliis morbis alii incunabula sua trahant; submovendas ergo esse priorum morborum reliquias, ne novis fomitem subministrent, prudenter subnectit.

XI. Jam pulsus examen instituens, rejectis fictitiis plerumque ejusdem classibus Galenicis, quatuor tantum ipsius species ad motus essentiam pertinere affirmat, pulsum scil. magnum & parvum, celerem & tardum, atque ex his compositum vehementem ac debilem; monet tamen, nullam dari differentiam inter pulsum celerem & frequentem, quod jam olim fusius atque solidius demonstravit contra celebrem Medicum, olim Collegam suum, jam Archiatrum Regium. In genere vero mutari pulsum ratione sexus, temperamenti, ætatis, laboris, affectuum, sermonis intensi, rariorum medicamentorum, potus quoque, nec non venæsectionis, balneorum, aliarumque circumstantiarum, subnotat; ab hoc ad mutationem pulsus in febribus, hæmorrhagiis, dysenteria, aliisque morbis pectoris, capitis &c. transit, monetque, non in uno saltim aut altero manus carpo, verum & in collo atque temporibus explorari debere pulsus rhythmum, quod, experientia teste, pulsus in manu multum sæpius discrepet a pulsu partium commemoratarum.

XII. Quid vero de ipso sanguine ejusque imprimis sero diversi coloris supernatante sit sentiendum, item quale examen per ponderationem, exsiccationem & affusionem variorum salium & liquorum cum ipso sanguine sit instituendum, quodque judicium exinde formari debeat, in sequentibus erudite ostendit.

XIII. A sanguine ad urinæ & sudoris examen se confert, probatque ex curioso experimento de se ipso sumto & lectu digno, priorem quantitate & pondere omnes alias corporis excretiones, in nostro climate frigidiore, superare, contra quam in suo calidiore observavit Sanctorius: porro in ipsa urina triplex sal, culinare, acidum & volatile hospitari, nec non oleum subtile calidum, item & principium terrestre ipsi inesse.

inesse. Quem autem usum in pathologicis & therapeuticis præstet uroscopia & uromantia, & quid de diverso urinæ colore & sedimento sit judicandum, latius ibidem explicat. Quomodo vero sudor differat ab ipsa perspiratione, item quod sulphureæ sit indolis, & non unius semper coloris & odoris, & quando denique salutaris & criticus, quando vero suspectus & mali ominis sit, solide ibidem disquirit: his demum quædam adjicit de alvinæ excretionis necessitate & diversa in morbis qualitate, diversoque hinc omine nunc in salutem, nunc in funestum eventum. De celebri Cap. XIV. illa in morbis crisi, ipsisque diebus criticis testatur, eos in experientia rationali omnino esse fundatos, hincque ingenue communicat, quid per praxin quadraginta amplius annorum in omnis generis febribus, præcipue vero variolis, morbillis & petechiis circa crisin observaverit, additque in fine porismata quædam practica Medicis cognitu utilissima. Ceterum prognosin de certis XV. imminentis in morbis periculi, ipsiusque mortis, indiciis utilem quidem censet & necessariam; arduam tamen simul ac difficilem; certa ergo signa indicat, ex quibus vel de spasmo ferali, vel de inflammatione & sphacelatione letifera & instante morte sententiam ferre liceat. Ipsam vero causam mortem in morbis generantem XVI. esse pronunciat penitus sublatam progressivam & circularem sanguinis & humorum, beneficio cordis & vasorum, motionem, siquidem in defunctorum cadaveribus deprehensum fuerit, nunc sanguinis serique extravasationem, nunc polyposum concrementum, nunc denique sphacelationem mortem immediate produxisse. Quibus singulis perquam solide & erudite pertractatis, ad Sect. II. ipsam nunc medendi methodum propius accedit, optimamque Cap. I. censet ipsius naturæ, qua causæ morbificæ vi motus mechanici solidorum & fluidorum per varia emunctoria sua sponte exterminantur. Quia vero illi naturæ motus sæpius justo sunt debiliores; II. succurrere ipsi tum debet solertia Medici rationalis, removendo primum obstacula, ut ipsa liberius operari possit, & sequendo dein ipsius ductum in omnibus; quem in finem III. Autor quatuordecim leges generales præscribit artifici in medendo apprime profuturas. Ad hæc ipsa quoque remedia in auxilium advocanda III. esse monet, dolet vero in tanta eorum silva nonnisi paucissimorum

rum vires & proprietates Medicis esse cognitas, utpote veræ pa-
thologiæ & philosophiæ experimentalis Chymico-Mechanicæ
Cap. IV. plerumque ignaris. Insigni ergo philiatrorum allevamento, in-
digestam hactenus medicamentorum molem in quatuor classes
generales primus digerit, primamque constituit alterantium, alte-
ram evacuantium, tertiam roborantium, & quartam denique se-
dantium: Alterantia iterum subdividit in absorbentia, temperan-
tia, incidentia sive attenuantia & demum emollientia & demul-
V. centia: Evacuantia porro in emetica, laxantia, purgantia, sudo-
rifera, diaphoretica, diuretica, emmenagoga, hæmorrhoides mo-
ventia, expectorantia, errhina & sternutatoria, apophlegmatizan-
VI. tia & salivantia: Roborantia iterum in analeptica, balsamica, sto-
machica, visceralia, adstringentia & travmatica: Sedantia deni-
que in antispasmodica, anodyna & narcotica. Singula hæc cu-
VII. juslibet classis medicamenta cum cura recenset, eorumque virtu-
tes dilaudat, imprimis vero cuivis capiti saluberrima adjicit theo-
remata & corollaria practica, in quibus & de eorum agendi mo-
do, & quomodo cum fructu sint adhibenda, erudite tractat. Pa-
naceas, arcana & specifica universalia, qualia vulgus jactant & im-
VIII. postores, dari, recte quidem negat, non negat tamen specificam
quibusdam remediis inesse in certis morbis efficaciam, exempli
loco afferens rhabarbarum in diarrhœa, corticem chinæ in febri-
bus intermittentibus, nitrum in inflammatoriis, camphoram ni-
tro nuptam in malignis, acetum & succum limonum in peste
ipsa, ut de aliis taceamus. De venæsectione, usu scarificationis &
cucurbitularum, nec non de applicatione hirudinum proponit
IX. theoremata XXI cum suis scholiis lectu sane dignissima, in qui-
bus præclare docet, quid ante & post venæsectionem, & in ipsa
sanguinis missione sit observandum; item quando & quibus ap-
X. plicandæ sint cucurbitulæ & hirudines. Postremum de generibus,
usu & præparatione balneorum & pediluviorum agit, plenaque
testatur fide, in gravissimis morbis debellandis, qui recensentur,
balnea aquarum Teplicensium, item & simplicium temperate ca-
lidarum levamen attulisse præsentissimum; cautelas tamen adji-
cit circa eorum usum ratione subjectorum observandas. Ingenio-
se quoque ad balnea refert clysmata & enemata, quia intestina cras-

sa

sa eluunt & abstergunt: distribuit vero clysteres in alterantes, evacuantes, roborantes & sedantes, quorum singulorum ingredientia curate percenset, additis de usu clysterum in praxi medica amplissimo, nec non de cauta eorundem applicatione monitis utilissimis. Atque hæc fere sunt, quæ ex opere hoc præstantissimo, in quo nihil non bonum & lectu dignum, carptim excerpere licuit. Sub finem optamus, velit summum Numen illustri Autori honoris sui & ætatis spatium jam fere decursum adhuc proferre, quo quartum etiam, quem meditatur, Medicinæ Systematicæ Tomum, de quo jam aliquot paginas feliciter profligatas & typis descriptas esse scimus, ad umbilicum perducere possit; tumque vix erit dubium, habituros esse olim philiatros Systema plane incomparabile & omnibus ferme numeris absolutum.

JO. FRIDERICI WEIDLERI OBSERVATIO conjunctionis Lunæ & Saturni, & auroræ borealis, quæ una eademque vespera post diem XXV Junii A. CIↃ IↃ CCXXIIX Vitembergæ contigerunt.

CONjunctionem Lunæ & Saturni contemplaturus primum dedi operam, ut tempus horologii oscillatorii, quod ad manus erat, quam correctissimum redderetur. Eum igitur in finem quadrante quinquepedali, cujus in his Actis Mense Januario h. a. p. 42 memini, altitudinem lucidæ aquilæ paulo ante observationem accurate mensus sum. Deinde per telescopium astronomicum sex pedes longum & micrometro instructum, adspexi Saturnum Lunæ jam propinquum, & capta aliquoties utriusque distantia, deprehendi minimam 1 m. 20 s. die 25 Junii hora 12 m. 39 s. 33. Transibat autem Saturnus supra Lunam, ita ut linea recta, per ipsum & Hevelii lacum nigrum minorem, qui juxta mare hyperboreum situs est, ducta, fere ad centrum Lunæ tendere videretur. Idem Saturnus per telescopium XXII pedes longum visus, annulum suum versus terram utrinque apertum gestabat.

Eadem vespera diei XXV Junii, hora XI, aurora quædam borealis maxime illustris effulsit. Scilicet sub septentrione conspicie-

ciebatur tractus quidam caliginoſus, horizonti ſub altitudine 6 circiter graduum incumbens. Atque hic jam monſtri aliquid alere videbatur. Nam cœlum reliqua parte ſerenum nubibusque vacuum erat, & imprimis ſeptentrionali horizonti vicina regio, tum perpetuam lucem, à Sole non alte infra finitorem condito acceptam, ſpargere debebat. Suſpicioni noſtræ eventus reſpondit, ſiquidem ex illis tenebris prodibant ſub initium tres quatuorve in verticem porrectæ columnæ luminoſæ, hiſque lente progreſſis in ortum, mox novæ ab occaſu ſuccedebant. Hæ columnæ non erant ejusdem longitudinis & craſſitiei. Quædam a ſexto gradu altitudinis ad Zenith usque extendebantur, aliæ vix tertiam illius arcus partem percurrebant. Spiſſiores unum circiter gradum latæ erant. Circa horam XII magis verſus occaſum inſolitum lumen vergebat. Hinc oriebantur arcus quidam lucidi expanſi inter favonium (W) & cæciam (N.O.) Iidem quoque repentinas ſubibant mutationes, & modo longiores modo contractiores evadebant. Nonnullorum derepente diſcerptorum lumen undulatum, in ſtar fluctuum aquæ ventis commotæ, in verticem provolvebatur. Tales undæ illam, quam dixi, cœli regionem aliquandiu tenebant, quandoque cum iisdem rectilinea fulgura permiſcebantur, vel novi arcus inde contorquebantur. Maximus horum arcuum inter favonium & cæciam hora XII m. 15 expanſus per ipſum Zenith ducebatur, verum etiam hic ſubito in undas luminoſas diffundebatur. Neque minus memorabile erat phænomenon conſpectum paulo ante horam XII. Nam plures columnæ lucidæ tenuiores in Zenith, tanquam ad centrum ſuum, undiquaque confluebant, etſi ipſum Zenith non penitus attingerent. Aer tota illa nocte perquam tranquillus erat, leni cæcia ſpirante. Motus materiæ lucentis fere continuus erat, & evanida lumina plerumque nova excipiebant. Copioſiora tamen circa horam XI & XII, quam poſt illud tempus obſervabantur. Ceterum hujus phænomeni deſcriptionem vel ideo publicandam putavi, quia nondum reperi, tam illuſtrem auroram borealem hactenus a quoquam æſtate fuiſſe viſam. Quæ enim ab aliis deſcriptæ ſunt, quantum memini, omnes vere vel auctumno apparuerunt.

A TREA-

A TREATISE OF THE MECHANICAL Powers,


h. e.

TRACTATUS DE POTENTIIS MECHANICIS, in quo leges motus & proprietates potentiarum, methodo facili ac familiari explicantur & demonstrantur;

Autore ANDREA MOTTE.

Londini, apud Benjamin. Motte, 1727, 8.
Plag. 15, & Tabb. æn. 3.

QUæ hoc libello continentur, primum quidem viva voce in collegio Greshamensi prælegit doctissimus Autor; qui proinde non Mathematicorum methodo, sed discursu quodam continuo ea proponenda judicavit, omnique studio id efficere conatus est, ut, neglecta potius brevitate quam perspicuitate, expressiones inveniret quam maxime familiares, & ad vulgare sermonis genus quam proxime accedentes. Quo & multis aliis harum rerum studiosis, neque in Geometria nimium versatis, & imprimis etiam industriis ac peritis opificibus, rem non ingratam neque inutilem factam a se esse judicat. Divisus est tractatus totus in sectiones tres, cum appendice. In prima sectione explicantur ac demonstrantur leges motus, tanquam principia scitu quam maxime necessaria, unde proprietates potentiarum mechanicarum deinceps deducendæ sunt. De duobus prioribus axiomatibus sive legibus motus Newtonianis hoc loco imprimis agitur, itemque de massis & velocitatibus corporum, ex quibus vires eorundem atque effectus æstimari debent. Cum maximi momenti atque amplissimi usus sit propositio illa notissima de compositione motuum, quod corpus duabus viribus & directionibus simul impulsum diagonalem describere debeat parallelogrammi, cujus aliquod latus eodem tempore descripsisset, si alterutra vi sola fuisset impulsum, hinc nova quadam demonstratione confirmare atque illustrare propositionem illam, operæ pretium duxit clarissimus Autor. Est autem demonstratio hu-



jusmodi: Ducta intelligatur recta *ACD*, juxta cujus directionem impulsum sit vi quacunque corpus *A*. Impellatur deinde idem corpus in puncto *C*, nova quadam vi, cujus linea directionis sit *EH*. Ducantur per punctum *D*, (in recta *AD* pro lubitu assumtum) tres rectæ, quarum una *GH* ad *EH* sit inclinata, cum eaque concurrat in puncto *H*; altera *IK* sit ad *EH* parallela; tertia denique *LM* ab eadem recta *EH* versus *M* declinet. Evidens est, corpus *A*, si absit vis nova *EH*, sola vi *AD* ita propulsum iri, ut uno atque eodem temporis puncto per tres illas rectas transeat, nempe per communem earum intersectionem *D*. At ubi corpus, propter applicatam vim novam, priorem suam directionem mutare, & secundum *YZ* progredi cogitur, perspicuum est, quod tres istas rectas successive & diversis temporibus intersecare debeat, puta in punctis *a*, *b*, *c*. Dico igitur, hoc pacto necesse esse, ut pertingat ad rectam *GH*, in puncto *a*, citius quam ad eandem pertingere potuisset in puncto *D*, si sola vi *AD* fuisset impulsum. Quod plane evidens est. Nam conspirant duæ vires ad impellendum corpus versus lineam expositam; altera versus punctum *D*; altera versus *H*: unde fieri non potest, quin major oria-

oriatur celeritatis gradus, quam si unica vis singularis applicata fuisset. Contra idem corpus, propter accedentem eandem vim novam, tardius pervenire debet ad punctum *C* rectæ *LM*, quam absque hac vi ad punctum *D* pervenisset. Nam vis *EH*, quod vel ex sola diagrammatis inspectione patet, continuo id agit, ut corpus a recta *LM* retrahat; unde motum versus eam retardari haud dubie necesse est. Quoniam igitur corpus ad lineam inclinantem *GH* citius, & ad declinantem *LM* tardius pervenire debet, sequitur ut ad lineam mediæ positionis *IK*, quæ ipsi *EH* parallela est, nec citius nec tardius, sed eodem temporis puncto pervenire debeat, quo quidem ad *D* pervenisset, si sola vi *AD* fuisset impulsum. Quo demonstrato, non difficile est Autori, etiam id quod reliquum est demonstrare. Nobis vero longius cum eo progrediendum haud videtur. Quin potius ab una ad alteram nunc transimus libelli sectionem; ubi de præcipuis & usitatissimis potentiis mechanicis sigillatim & succincte tractatur. Septem vulgo numerari solent ejusmodi potentiæ, libra, vectis, trochlea, axis in peritrochio, planum inclinatum, cuneus, & cochlea; quibus variæ aliæ addi possent, ut vela navigiorum molarumque alatarum, arcus & elateres tensi, mallei. Autor de illis septem in hac sectione ordine agendum, de velis autem in alia sectione aliquid addendum judicavit. Methodo utitur ejusmodi, ut primo constructionem & applicationem machinæ explicet ac demonstret, deinde præcipuas quasdam conclusiones inde deducat. Libræ proprietates partim comparatione ponderum eorumque velocitatum, partim resolutione motuum, more Newtoniano, demonstrat. Quod si in locum ponderis alterutrius vis alia, ut animalis, substituatur, machinam, mutato nomine, non libram dici, sed vectem, docet. Vectis quatuor recenset genera. Nam præter homodromum & heterodromum etiam recurvum memorat, atque eum, ubi vis applicata est inter fulcrum & pondus. Quid trochleæ, imprimis multiplicatæ, itemque axes in peritrochio, commoditatis habeant præ vecte simplici, ad elevanda altius vel facilius pondera, & quæ sint istarum machinarum præcipuæ proprietates, porro explicat. Filum, quo pondus in plano inclinato susti-

netur, ad alterutrum brachium libræ applicat, atque ita, ope theorematis de resolutione motuum, proportionem quærit inter pondus illud atque aliud æquale pondus, quod ex eodem libræ brachio ad perpendiculum dependet. Vim cunei & cochleæ ex iis determinat, quæ de plano inclinato dicta sunt: ceterum exactissimam & Geometricam harum potentiarum computationem, propter nimiam frictionem, in praxi aut vix aut ne vix quidem evitandam, plus curiositatis quam usus habere contendit. In Sectione tertia partim generales quædam observationes de machinis antea descriptis continentur, partim etiam brevis tractatio de velis navium molarumque alatarum. Observat Autor, frequentissimam sed minus propriam esse loquendi rationem, cum machinæ augere vires dicuntur; machinas enim, proprie loquendo, non augere vires, sed id tantummodo efficere, ut convenientissime vires applicari possint. Deinde de prima origine atque inventione machinarum, itemque de imperfectione illarum, a frictione potissimum proveniente, nonnulla strictim commemorat. De venti in expansum velum effectu ostendit, quod se habeat ut quadratum velocitatis venti, atque ut quadratum sinus anguli incidentiæ simul. Agit etiam de directione, juxta quam velum a vento impellitur. De curvatura veli, de axe æquilibrii, de via ipsius navis, nihil demonstrat. Restat appendix: ubi termini quidam pure geometrici, quos evitare quibusdam in locis Autor non potuit, imprimis vero proportiones sinuum, luculentius explicantur. Quod reliquum est, quin Vir doctissimus, si id instituto suo convenire judicasset, passim etiam majora quædam expromere potuisset, non videtur dubitandum.

INDEX THEOLOGORUM EVANGELICO-Lutheranorum chronologicus, sistens a tempore reformationis ad nostra usque tempora illorum nomina, patriam, officia, & annos emortuales; Prodromi loco Bibliothecæ universalis Theologorum Ecclesiæ Lutheranæ, præmissa allocutione

locutione epistolica, editus a JOH. ANTON. STRUBBERG, *Osnabrugensi.*

Lemgoviæ, ex officina Meyeriana, 1727, 8.

Plag. 16.

QUod evulgato ante triennium, de condendis Theologorum Lutheranæ Ecclesiæ vitis, schediasmate vernaculo significavit consilium Cl. Autor, id præmisso huic libello *discursu præliminari*, denuo exponit, auxiliaque eruditorum in gravi hoc & difficili negotio iterum sibi iterumque exorat. De quatuor præcipue rebus dissertatione hac procemiali agit. *Primo* de historia biographiæ Theologorum Lutheranorum differit, ductis a Luthero initiis, qui & ipse sodalium nonnullorum vitas consignavit, & alios, ut idem molirentur, gravius admonuit. Hujus deinde alii numerose legerunt vestigia, in duas Classes, eorum scilicet qui sine discrimine Lutheranæ & Reformatæ Religionis Doctorum historias dedere, & quibus separatim de Lutheranis agere constitutum fuit, Autori nostro distincti. Eos huc simul qui Academiarum, Gymnasiorum, Ecclesiarum certarum, urbiumque singularum Theologos enarrarunt, arcessit, illis qui singularia ex vitis eorum excerpsere, & quorum adhuc expectantur lucubrationes, copiose adjectis. *Hinc* suum, quod cepit, consilium, ordinemque ac methodum sollicite observandam, disertius explicat. Opere nimirum vernaculo Theologorum A. C. addictorum, meritis scriptisque ac fatorum vicissitudine, inde ab initiis Ecclesiæ a Luthero repurgatæ ad præsentem usque ætatem celebrium, vitas complectetur, fata eorum, animi dotes, qualitates, mores, virtutes, nævos, casus & calamitates, peculiares hypotheses & controversias, scriptorum vel editorum, vel in schedis adhuc latentium catalogum, itinera, amicos & familiares, inimicos; commercium literarium, genealogias, epitaphia, symbola, aliaque singularia scitu digna. Ordine, quo excesserunt singuli e vita, chronologico librum digeret, stylo usurus liberali, miti, urbano, candido, cunctaque ex fontibus fide dignis hausturus. In tres partes opus dirimet, ad trium, quibus Ecclesia Lutherana floruit, seculorum decursum, a præsenti, quo vivimus,

§. 6. 16. 32. 33.

facturus initium, indicemque subjuncturus locupletem. Ut vero, qua fide, quove studio versaturus in his sit Doct. Autor, Lectori
§. 18. constaret, *tertio loco* subsidia ac fontes, quibus præter jam addu-
ctos, & eos qui generatim eruditorum vitas conscripsere, usurus est, indicat. Elogiorum nempe, judiciorum, & bibliothecarum scriptores in consilium adhibebit, qui singulorum memorias scri-psere, tum & qui vitas eruditorum per nationes, provincias, & ur-bes dispofuere, qui Reformationis, & singularum Evangelii Ec-clesiarum historias condidere, qui res civiles perorando mentio-nem Lutheranorum Theologorum injecere, qui doctorum viro-rum sibi homonymorum vitas collegere, qui singularia ex erudi-torum gestis annotarunt, & qui tandem Ephemerides, aut Episto-las eruditorum ediderunt, vel etiam manu exarata, & inedita non-
28. nulla reliquerunt *Quarto* utilitate laboris commendata, obstetri-cantes sibi eruditorum manus enixissime expetit, utque suppetiæ ferendæ ad *Nicol. Försterum*, Bibliopolam Hanoveranum, & *J. Henr. Meyerum*, Lemgoviensem & Osnabrugensem, nundina-rum tempore Lipsiæ etiam commorantes, mittantur, humanissi-me rogitat. Proxima se allocutione progressum operis memora-turum, aliorumque benevolentiam celebraturum esse spondet. Quo autem, ubi fata forte Autorem prævenerint, securitati con-quisitæ supellectilis consulatur, apparatum omnem bibliothecæ cuidam publicæ, suo tempore nominandæ, inferendum curabit, ne sua aliorumque opera præmatura morte evanescat. Specimen expectandi operis, quod hac vice communicat, Theologos nostri & superiorum seculorum, ordine annorum feralium chronolo-
p. 174. gico, & appendix superstites adhuc, eo fine exhibet, ut, qui desunt, ab erudito lectore indicari, quæque parum accurate allata sunt, corrigi & emendari queant. Neque vero, quin laudatissimum hoc egregiumque Cl. Autoris conamen, & probaturum se eruditis Evangelicæ professionis æstimatoribus, & omni facultate ab illis, in rei litterariæ incrementa, justumque Ecclesiæ nostræ splendorem, promovendum sit & juvandum, ulli dubitamus.

OECONOMIA SALUTIS EVANGELICA, IN justo Articulorum nexu, methodo demonstrativa digesta, & uti

uti acuendo spirituali judicio, juvandæque memoriæ, sic etiam Christianæ praxi accommodata; Autore D. JOACH. LANGIO, S. Th. Prof. Ord. in Reg. Frid.

Halæ Magdeb. in officina Fritschiana, 1728, 8.
Alph. 1 plag. 8.

QUamvis eorum voluminum, quibus Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ *ὑποτύπωσις* continetur, hoc imprimis seculo adeo nulla sit penuria, ut iis potius tantum non abundare videamur; diversa tamen tractandi ratio, stilique varietas, ac novitatis gratia efficiunt, ut, quæ novis ornamentis in lucem emittuntur, institutiones dogmaticæ non possint non eruditis valde arridere. Nonnullos præterea copiosa tractatio juvat, neque hi arctioribus semet circumscribunt limitibus; sunt vero etiam alii, qui summam modo Theologiæ Christianæ in compendio, ac velut in nuce exhibere conantur. Atque in horum numero Autor, quem jam honoris causa appellavimus, œconomiæ salutis Evangelicæ celeberrimus, locum sibi quoque vindicat haud sane ultimum. Nostri jam instituti ratio fert, ea breviter summatimque recensere, quæ ad indolem libri paullo curatius introspiciendam utcunque pertinere videbuntur.

Præmissa est universæ salutis œconomiæ *epitome Isagogica;* eaque satis ampla copiosaque, ubi haud secus, ac in tabulis synopticis, integer Articulorum fidei Christianæ omnium conspectus oculis objicitur. Præter stili facilitatem, methodus etiam uti maxime nativa, sic facillima est, & non solum juvandæ memoriæ, verum judicio quoque acuendo non parum inservitura. Etenim demonstrativa quadam ratione, & logica, quam vocant, connexione cuncta inter se cohærent, & ut a primis utriusque, & naturalis & revelatæ, religionis principiis initium capitur, sic ab istis pergitur ad ea consectaria, quæ catenata serie inde consequuntur. Id quod ex hac idea, quam delineaturi sumus, nemini non lucide apparebit.

Omnes, quotquot dantur, Articuli fidei non nisi *decem* includuntur *membris*, ita quidem, ut unumquodvis *membrum tres* complectatur Articulos. Sic statim in *Membr. I*, quod *salutis principium* tradit, *Art. I* de religione naturali, *II* de religione V. ac N.

T.

T. revelata, *III* de religionis revelatæ principio, Scriptura sacra, agit. Sub *Memb. II*, ubi *salutis Autor, Deus*, describitur, *Art. I* de Dei essentia, *II* de mysterio Trinitatis, & denique *III* de divinitate Christi & Spiritus S. præcipit. *Memb. III*, in quo *divina opera*, præcipue ad *salutis* institutionem pertinentia, utramque paginam faciunt, *Art. I* de creatione, *II* de imagine Dei, *III* de divina providentia, tractat. *Memb. IV* de *salutis* institutæ *jactura* sic nos erudit, ut *Art. I* lapsum protoplastorum, *II* statum peccati, *III* vires liberi arbitrii, exhibeat. *Memb. V salutis* restituendæ *fundamentum in Christo* docet, ita, ut *Art. I* de persona Christi, *II* de statu Christi duplici, & *III* de officio ejusdem triplici creditu necessaria proponat. *Memb. VI*, postquam de officio Spiritus S. isagogice actum est, *salutis media*, ad ejus *ordinem* tendentia, ostendit, quæ sunt vi *Art. I* verbum Dei, *II* Sacramenta utriusque fœderis, *III* ministerium ecclesiasticum. *Memb. VII* de *salutis ordine*, & quidem respectu *beneficiorum* conferendorum, exponit: in quo *Art. I* de vocatione, conversione &c. *II* de justificatione & electione, *III* de reliquis gratiæ muneribus, locum quisque suum occupat. *Memb. VIII salutis ordinem*, respectu *officiorum*, a salvatis salvandisque præstandorum, delineat: ubi exhibetur *doctrinæ practicæ* sive *moralis* compendium, dum *Art. I* de conscientia, *II* de officiis erga Deum, *III* de officiis erga homines, nos ipsos & alios, differit. *Memb. IX salutis* restitutæ *consortes* ob oculos ponit: quorsum refertur *Art. I* de ecclesia, *II* de magistratu, *III* de conjugio & statu œconomico. Tandem *Memb. X* de *salutis* consummatione agit, & in eo *Art. I* de resurrectione mortuorum, *II* de extremo judicio, *III* de vita & morte æterna, pertractatur. Cuilibet dogmati *sedes biblicæ*, vel, si mavis, dicta, in quibus quodque fundatum est, præmittuntur; his proxime juncta est *definitio*, cujus potiora momenta in addito *Scholio* indicantur, & sic indicata sigillatim uberiorem lucem accipiunt, usu multiplici ubique subjuncto. Ceterum controversiæ hic nullæ tractantur, si ab iis discesseris, quæ in elenchtico usu paucis modo attinguntur, eo consilio, ne in his theticæ theologiæ cultor plane sit hospes: qui & ad *causam Dei*, librum ejusdem doctissimi Autoris, cujus nos recensionem in Actis ipsis aliis locis jam adornavimus, sæpissime ablegatur.

Sub finem præfaminis idem Clarissimus Theologus haud dubiam spem orbi facit eruditi Commentarii in singulas Novi Testamenti epistolas & Apocalypsin, futura hieme, volente Deo, prelo subjiciendi: ad quem utilissimum laborem feliciter auspicatoque perficiendum vitam ei viresque precamur.

): (o) : (

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXXVIII.

THESAURUS JURIS ROMANI, CONTINENS rariora meliorum Interpretum Opuscula, in quibus Jus Romanum emendatur, explicatur, illustratur, itemque classicis aliisque Autoribus haud raro lumen accenditur. Cum Præfatione EVERARDI OTTONIS, JCti & Antecessoris.

Tomus III.

Lugduni Batavorum, apud Joannem vander Linden, jun. 1727, fol. Alph. 5 plag. 17.

PRimum isthoc in fasce locum obtinent *Quatuor fontes Juris Civilis*, Dædaleum illud opus Viri incomparabilis, Jac. Gothofredi, quo nemo adhuc „ omnium, quotquot fuerunt, interpretum, ortus & progressus juris, e tenebricoso antiquitatis carcere, magis produxit in lucem, vel ex Historicis, tam Græcis, quam Latinis, ex Patribus, Conciliis & Synodalibus Actis explicavit eruditius; nullus utilitatem, ex legum inscriptionibus hauriendam, compactis & coaßatis, quæ ex eodem libro supersunt, fragmentis, magis est assecutus; neque alium novi, qui tot speciminibus Juris studiosos docuerit, quibus annis Jurisprudentiam contrectare, aut qua arte & apparatu veterum prudentum fragmenta, Pandectis inserta, aggredi, aut quibus rationibus Principum constitutiones a falsi suspicione vindicare oporteret; „ inquit Vir Præclarissimus, *Everardus Otto*, cujus elegantissima præfatio fere tota circa immortale istud monumentum ingenii Gothofrediani, ac præsertim ejus partem primam,

mam, fontem omnis publici privatique juris, leges XII tabularum, occupatur. Harum legum fragmenta, ordini restituta, necdum annos triginta natus edidit Gothofredus, primum Heidelbergæ, A. 1616, senex vero eadem, repetita cura, notis quamplurimis auxit & A. 1652 moriturus Esaiæ Colladoni, JCto & Senatori Genevensi, mandavit, uti eorum editionem, una cum tribus reliquis juris civilis fontibus, Legis Juliæ & Papiæ, ut & Edicti perpetui fragmentis, itemque Sabinianorum librorum ordine serieque, procuraret. Non vero vulgaria, & omnibus nota dictaque, de illis, quæ ad historiam XII tabularum pertinent, verbosis commentariis præfari voluit doctissimus Otto, memor veteris dicti:

Occidit miseros crambe repetita magistros;

potius, quod ad perfectionem commentarii Gothofrediani deesse videbatur, de legum Decemviralium præstantia, quibusdam in dubium vocata, disputat, atque in decem capita sequentia, de quibus iniquissimi illi Censores præcipue errores, lapsus & παροράματα ingeminant, diligentius inquirit: I *an Romani prudenter Leges peregrinas adoptaverint?* II *quænam illæ sint Græciæ urbes, a quibus Leges petitæ?* III *an Leges Regiæ cum Regibus prorsus evanuerint?* IV *num origo ultima Legum Decemviralium sit ex Jure Mosaico repetenda?* V *quo pacto Leges genuinæ a spuriis, & VI* *verba illarum antiqua a recentioribus separanda sint?* VII *an Decemviri æquitatem & prudentiam legislatoriam adhibuerint ubivis?* VIII *quanta utilitas ex limpido hoc Juris fonte hauriri possit?* IX *quinam ejus interpretes fuerint veteres & recentiores?* ac denique X *quid præ ceteris præstiterit Jac. Gothofredus, & quid in eo potissimum desiderandum videatur?* De his singulis ut multa cum eruditione differit & judicat, ita, quod capite sexto ad tabulam I, III & V de verbis antiquis & legitimis inveniendis illustrandisque spicilegium facit, imprimis desiderium injicit, similem curam universo legum Decemviralium corpori navatam videndi, quo uno velut conspectu, qui præiverint Gothofredo, quive meliora attulerint, cognoscere &, quæ summo Viro prætermissa sunt, edoceri detur. Postremo capite justum constituit pretium ac dignitatem operi Gothofrediano, cui longe nimium cedunt omnes quoruncunque ad Leges XII tabu-

tabularum Interpretum conatus, & quod recentiores omnes non secus, ac legitima & originaria verba, velutique e tripode dicta, pressim sequuntur, neque præceptis ejus meliora investigare audent, vel certe supervacuum laborem credunt. Veruntamen Cl. Otto egregio diligentiæ suæ exemplo, cum in superioribus capitibus, quæ autoritatem præcipue legum Decemviralium attingunt, tum in hoc posteriore capite, quo varia in commentario Gothofrediano animadvertit & emendat, luculenter ostendit, Gothofredum hominem fuisse, & patere adhuc ingeniis campum, in quo sese exerceant. Fontes juris civilis in hoc tomo excipit *animadversionum Juris Civilis Liber* ejusdem Jac. Gothofredi, totus Joannis Steckii *Anticriticis Observationibus*, quæ Tomo I hujus Thesauri extant, oppositus, & totidem capitibus ejus respondens, quo retundit nefariam insulsi hominis audaciam, uno velut elogio atque horrendo prope carmine, quicquid emendationum ab Alciato, Cujacio, Hotmanno, Donello, Fabro legibus civilibus admotum erat, proscribentis. Succedit III Jac.Gothofredi *de Cenotaphio, deque diversis, super ejus religione, Ulpiani & Marciani sententiis, diatriba*, cui & eruditio varia & raritas locum hic dedit. Jam sequuntur: IV Paganini Gaudentii, interpretis in Lyceo Pisano clarissimi, qui Romanas antiquitates & Theologiam cum Jurisprudentia conjunxerat, *Expositionum Juridicarum libri duo, quibus etiam Tacito, Suetonio aliisque lux conciliatur, cum additamento Critico:* V Gregorii Lopez Maderæ, Mantuæ Carpentani, postea in Academia Complutensi doctoris vespertini & per varios munerum gradus ad supremum usque magni Castellæ Senatus ordinem A.1619 promoti, *Animadversionum Juris Civilis Liber singularis*, in quo, ipse licet antiquitatis peritus, eos notat, qui jura intelligere sine Cicerone, Tacito aliisque antiquis nescirent, atque in *cap. ult.* reprehendit Pandulphi Prateji, qui nunc VI sequuntur, *Jurisprudentiæ mediæ Libros IV*, in quorum prioribus tribus, & quidem in primo is sexaginta & centum geminationes, in secundo sedecim omissiones, in tertio quinque & triginta inversiones collegit, ab architectis in corpore juris relictas. VII Emundi Merillii *ad libros duos Quæstionum Callistrati, item ad t. D. de servitutibus, ut & ad leges 31 priores tit.*

tit. D. de reb. cred. commentarii nunc primum exhibentur e codice manuscripto. VIII *Dispunctor ad Merillium, seu de variantibus Cujacii interpretationibus Dispunctiones LIII*, Autore Osio Aurelio, ut titulus præfert; sed verum ei nomen Francisci Ory. Ipse Doctor regens Academiæ Aurelianensis ditissimus, multique ingenii & laboris fuit, qui etiam *apparatum Jurisprudentiæ*, & *de pacto, dotalibus instrumentis adjecto*, scripsit. De raritate hujus dispunctoris, qui ad priorem Merilliani operis Variantium ex Cujacio comparatus est, satis constat, postquam de ea jam conquestus Bern. Gessari, in historia de Merillio, operibus ejus præmissa. IX Guil. Barclaji, primum in cathedra Mussipontana Professoris & Decani, simul Ducis Lotharingiæ Consiliarii supplicumque libellorum Magistri, post in Universitate Andegavensi Antecessoris primarii, *in titulos Pandectarum de rebus creditis, & de Jurejurando, commentarii.* X Marci Vertranii Mauri *de Jure Liberorum liber singularis*, quem in præfatione ad Philibertum Bugnonium, Matiscensem JCtum, se scripsisse, ait, imitatione Pauli Jurisconsulti, cum tamen hujus de jure libellorum, nullus de jure liberorum liber memoretur, *l. 11 D. de Legation.* Fuit Maurus discipulus Joannis Geraldi, Jani Papii & Æmilii Ferretti, cujus imitatione notas ad Tacitum edidit, bonas, ut tum tempora erant. Scripsit quoque philosophus *de fiducia*. Sed quæ de lege Papia in hoc commentario dixit, pleraque rectius elegantiusque scripsere recentiores. XI Car. Annibalis Fabroti, Antecessoris Aquis-Sextiensis, varia opuscula: *ad tit. Cod. Theod. de Paganis, sacrificiis & templis, notæ: Exercitationes XII, quibus accedunt leges XIV, quæ in libris Digestorum deerant, Græce & Latine nunc primum ex Basilicis editæ: Replicatio adversus Cl Salmasium, in qua, mutuum alienationem esse, ostenditur, de dominio dotis, & de condictione tractatur.* Notas ad tit. Cod. Theod. de Paganis, miscellas & variæ scriptionis plenas, ipsi invito extorsere necessarii, postquam Jac. Gothofredus specimen suæ commentationis in Codicem Theodosianum ad eundem titulum ediderat. Exercitationes varia præstant eruditione, ac diligenter amœniores juris quæstiones pertractant, earumque prima *de justo partu*, & ultima *ad l. 18 C. de transact.* ceteris palmam præripiunt. Apologiam

giam præmisit Fabrotus pro Græcis Βασιλικῶν interpretibus, sed maxime pro Theophilo, Institutionum paraphraste, de quo Em. Merillius non satis honorifice senserat *lib. VIII Observ. cap. 24 sequ.*& in *Append.Variant.ex Cujac.cap.2.* Replicationem adversus Salmasium præcessit epistola Fabroti ad amicum, statim cum lecta esset, Vulcano committenda. Hæc tamen, Æg. Menagius effecit, ut in Salmasii manus perveniret, qui in epistola ad eundem novem argumenta sibi obmota diluere conatur, cui replicando Fabrotus respondit. XII Constantii Landi, Caselarum Padi Comitis Patriciique Placentini, *ad tit. Pandectarum, de Justitia & Jure, enarrationum liber*, ejusdem *in l. 1 & 7 D. de legib. interpretatio*, item *in l. 18, D. de acqu. & am. poss. brevissima declaratio.* Ejusdem *in Jus Civile sparsim contentarum exercitationum*; item *prætermissorum libellus.* XIII Joannis Leunclavii *notatorum libri duo*, ad complura Codicis, Novellarum, Digestorum, Institutionum Juris civilis loca, quæ integritati suæ restituuntur & vindicantur. XIV Henrici Brenemanni *Lex Remmia, sive de Legis Remmiæ exitu, liber singularis*, una cum dissertatione *de fatis calumniatorum sub Imperatoribus*, nunc primum luce donatur. Invenit vero Vir doctissimus rationes, quibus existimaret, defendi posse, Legem Remmiam ne sub ullo quidem Imperatorum obtinuisse, multo minus sub Constantino demum desiisse eam dicendam, contra Cujacii & reliquorum omnium interpretum opinionem. Colophonem huic Tomo imponunt XV *Glossæ veteres verborum Juris, quæ passim in Basilicis reperiuntur*, quas e manuscriptis Codicibus Bibliothecæ Regiæ erutas & notis illustratas edidit Carolus Labbæus, anno superioris seculi sexto. Accesserunt nunc in hac editione ipsis glossis additiones ex libro manuscripto, præterea Josephi Scaligeri & aliorum doctorum virorum emendationes, denique notæ Viri Amplissimi, Antonii Schultingii. Occasionem huic editioni præbuit fatum exemplaris, quod Scaligero quondam donaverat Car. Labbæus. Namque legit id Scaliger & multis in locis correxit manu propria, deinde ad Labbæum remisit, qui ipse constituerat incudi reddere has glossas cum additionibus e MSto meliori, & cum Scaligeri notis, interea vero exemplari, quæ noviter præstiturus erat, manu propria ad-

adſcripſerat: deſumſit inde Henricus Copes, JCtus & apud Sylvæ-Ducenſes quondam Scabinus, aliique codici adjecit, cui & unam alteramque correctionem adlevit: pluſculæ tamen notæ ſunt Gisberti Cuperi. Pervenit poſterior Codex liberali Copeſii manu ad Virum Illuſtrem Corn. van Bynckershœck, qui typographo, hujus Theſauri editori, utendum indulſit. Plurimum vero lucis & ornamenti acceſſit a notis excellentiſſimi Schultingii, qui, Virorum inſignium, Joannis Meurſii, Caroli du Freſne, Barn. Briſſonii, imprimis vero Baſilicorum & Scholiaſtæ, Theophili, aliisque præſidiis adjutus, quin etiam ultra ejusmodi adminicula, pro multiplici doctrina ſua, elegantiſſima multa annotavit, additiones a Labbæo prolatas ſuis inſeruit locis, uncis incluſas, notas Labbæanas, Scaligerianas, & reliquas, quibus addita erant nomina, iisdem diſcrevit, alias, ubi omiſſa nomina, ſtellula ſignavit. Ac de ſuo longe numeroſiores notas daturus erat, ſi vel fontes, unde quidquid hauſtum eſſet, ubique voluiſſet indicare, vel etiam ipſorum autorum errores perſtringere, aut ſi pluſculum temporis ſuppetiiſſet. Etenim Bibliopola ſerio id jam agit, ut hic Theſaurus ad finem perducatur, ideoque properato fuit opus. Deſtinavit is unum adhuc Tomum eidem adjiciendum, cui accedet quoque Index generalis legum, in quatuor his Tomis illuſtratarum aut emendatarum, ac perpauca operarum errata emaculabuntur. Convertet deinde ſolicitudinem ſuam ad edenda Balduini, nec non Scipionis & Alberici Gentilis Opuſcula, magnam eruditorum, elegantia ſua & accuratione, gratiam initurus.

THE TRUE SCRIPTURE-DOCTRINE OF the Holy and ever Bleſſed Trinity, ſtated and defended in oppoſition to the Arian Scheme.

h. e.

VERA SCRIPTURÆ DOCTRINA DE SANcta & beatiſſima Trinitate ſtabilita ac defenſa contra Arianum Schema; Autore ABRAHAMO TAYLOR.

Volumina II.

Lon-

Londini, apud Jo. Clark & Richard Hett, 1727, 8.
Alph. 1 pl. 13.

IN Præfatione Cl. Autor diversa exhibet schemata, contra doctrinam de sanctissima Trinitate in unitate Dei, ab hæreticis in medium allata, quorum notatu maxime digna censet Sabellianum, cum quo Socinianum fere sit unum idemque, & Arianum. Utramque vero hypothesin ortum inde traxisse, quod homines isti confuderint essentiam & personam, dictitantes, diversas personas non esse, quæ non habeant diversam naturam vel essentiam. Sabelliani ex Scriptura sacra convicti, quod Filius & Spiritus S. repræsententur certe ut divini; unum supremum Deum, cui tria competant diversa nomina, esse statuebant, ac ut tuerentur veram divinitatem Filii & Spiritus S. negabant eos reales esse personas. Hoc schema non tantis premitur difficultatibus ex ratione depromtis, quibus omnes reliquæ hæreticæ hypotheses impugnari possunt, sed adeo manifeste repugnat Scripturæ sacræ, ut, quocunque tempore Anti-Trinitarii eo confugerint, ipsorum causa statim fuerit desperata. E contrario Ariani semper agnoverunt, Filium & Spiritum S. esse personas, ast vero ad ordinem creaturarum eos redigere nefario ausu conati sunt, quamvis ab hac appellatione sedulo abstinuerint, ut communem orthodoxorum censuram effugerent. Quam Arianorum Historiam ex Patrum & Historiæ Ecclesiasticæ monumentis Autor recenset, simulque ostendit, quinam post tempora Reformationis præcipui Anti-Trinitarii fuerint, ad quorum partes eruditum Erasmum ac inter Remonstrantes nonnullos, ut Episcopium ac Curcellæum, quam proxime accessisse judicat. Quin etiam Petavium Jesuitam, vel Arianismo faventem, vel aliud quid, quicquid demum sit, spectantem, omnes ingenii nervos intendisse, ut probaret, omnes scriptores ante Nicænum Concilium huic Arianorum sententiæ, ab isto Concilio damnatæ, fuisse addictos, qua de re non solum Zwickerus, Socinianus Medicus, ab Hoornbeckio solide confutatus, verum etiam notissimus Arianus Sandius in Historia Ecclesiastica mirum in modum gloriati sunt. Qui prætextus vanissimi Petavii & Sandii excitarunt eruditum Episcopum, Georgium Bullum, ut admirabili operi manum admoveret ac defensionem Fidei Ni-

cænæ

cænæ ederet, in qua antiquos Scriptores, qui intra tria prima Ecclesiæ Christianæ secula floruerunt, erudite ac solide vindicavit a calumnia nulli prorsus fundamento innixa. Contra quod elaboratissimum opus ab adversariis nihil scriptum est, quod mereatur aliquam responsionem, nam quæ nuper a D. Whitby contra illud publicata fuerint, pro delirio merito habenda esse, Autor censet.

Ipsa vero Cl. Autoris nostri intentio in præsenti libro eo spectat, ut Summarium sistat controversiarum, quæ ad doctrinam de S. Trinitate pertinent, veramque divinitatem Filii & Spiritus S. validissimis clarissimaque luce coruscantibus argumentis evincat, itemque præcipuis satisfaciat objectionibus, quæ ab adversariis catholicæ doctrinæ opponuntur. Totum tractatum dispescit Autor in tres partes, quarum priori argumenta proponuntur, quæ divinitatem Patris, Filii & Spiritus S. conjunctim probant, id quod probatur cap. I ex notione, quam Scriptura sacra de Deo nobis suppeditat, ubi luculenter nobis ob oculos ponit unitatem naturæ Dei & trinitatem personarum, nimirum Patris, Filii & Spiritus S. in una divina natura. Hæc gloriosa doctrina omni tempore fuit fides Christianæ Ecclesiæ, quamvis captum rationis longe excedat, quomodo tres personæ sint unum quid ratione naturæ. Neque erubescit Autor, cum de re ipsa certissime sit convictus, fateri ignorantiam modi hujus magni mysterii, quod vel propterea aliquis minus mirari queat, cum in ipso naturæ regno sat multa occurrant, ubi de ipsa re nemo dubitare potest, cum modum rei nullus vel acutissimorum philosophorum explicare valeat, uti inter multa alia exempli loco esse potest unio animæ rationalis cum corpore nostro. Quam ob causam Cl. Autor non vult imitari eorum vanitatem ac superbiam, qui non contenti iis, quæ revelata sunt, claras hujus mysterii notiones afferre fategerunt, quæ res vires creaturæ finitæ multum superat. Quo factum est, ut ii, qui altum & supra id quod scriptum est, sapere voluerunt, insignem numerum difficilium vocabulorum & obscurarum notionum introduxerint, quæ tantum abest ut rem magis perspicuam faciant, ut eam potius confusam ac intricatam reddant. Cap. II Autor probat unitatem naturæ vel essentiæ Patris, Filii & Spi-

Spiritus S. ac multis vindicat locum celebratissimum *1 Joh. V, 7.* tum contra eos, qui hæc verba nil aliud quam unitatem consensus probare contendunt, nam unitatem naturæ indicari, vel exinde constare, quod Apostolus in sequenti versu, ubi loquitur de spiritu, aqua & sanguine, consentientibus in unum testimonium, stylum mutet ac dicat: καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν, cum e contrario de Patre, Filio & Spiritu S. dixerit: καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι, hi tres unum sunt, non unitate personæ, sed naturæ vel essentiæ; tum contra eos, qui hunc textum supposititium esse affirmant, ubi Autor probat, tum in multis vetustis MSCtis, tum in versione Armenica eundem translatum legi, adeo ut hoc Sandius frustra negaverit, & Millius quoque testetur, se a Viro longe doctissimo, Guilielmo Guisio, certiorem factum esse, pericopen hanc præferre versionem Armeniam. Legitur itidem textus iste in antiqua versione Italica, statim sub initium Christianismi confecta, prout ex citationibus Tertulliani, Cypriani, Fulgentii aliorumque, qui hac versione usi sunt, apparet: neque ab Hieronymo, qui antiquam versionem emendavit, locus iste rejectus est, quandoquidem in antiquissimis hujus emendatæ Hieronymianæ versionis exemplaribus legatur, uti pluribus probavit Martinus in peculiari dissertatione Critica, quam de hoc textu Johannis publicavit. Præterea Noster multos affert scriptores usque ad sextum seculum, qui hoc dictum citarunt. Cap. III & IV Autor æqualitatem Patris, Filii & Spiritus S. probat tum ab æquali cultu religioso, quo Scriptura S. eos prosequi jubet, tum a forma baptismi; cum enim baptismus in nomine trium instituatur, sequitur, ut, si unus horum trium sit persona, etiam reliqui duo sint personæ, item si Pater est verus Deus, Filius quoque ac Spiritus S. Deus sint necesse est. Hinc certissimum esse, quod a primis temporibus Christianismi forma baptismi nunquam de Deo ac duabus creaturis vel inferioribus Diis, primo subordinatis, intellecta fuerit, sed de tribus personis, quarum quælibet sit Deus, & quæ secundum essentiam sint unus ille verus ac summus Deus, id quod pluribus testimoniis scriptorum ac symbolorum primitivæ Ecclesiæ Autor confirmat.

Postquam in prima parte Autor argumenta in medium attulerat,

lerat, ex Scriptura S. depromta, quæ æqualem gloriam trium divinarum personarum in sanctissima Trinitate adstruunt: jam in secunda Christi, ac in tertia parte Spiritus S. divinitatem separatim probat, quam veritatem minime per remotam consequentiam ex Scriptura elici ait, quin potius clarissimam ejus lucem oculis sedulorum Scripturæ scrutatorum abunde sese ingerere, tanta cum evidentia, ut homo sana mente præditus nihil amplius desiderare possit. Quamvis enim Christus ut mediator inter Deum ac homines & justus Dei Patris servus, ratione officii voluntarie in se suscepti, ut nimirum redemtionem generis humani efficeret, ceu inferior Patre eidemque subordinatus repræsentetur; minime tamen gentium hoc divinitatem Christi evertit: nam secundum naturam, quam ab æterno per generationem habet, nimirum divinam, æque magna de Christo ac de Deo Patre manifesto prædicantur. Hoc integris XII capitibus Autor probat, quæ præcipue eo redeunt, ut ostendatur, Christum esse Patri ὁμοούσιον, i. e. unam eandemque numero cum Patre naturam & essentiam habere, quæ sit causa, ut nomen Jehovah soli Deo proprium ac alteri incommunicabile Christo tribuatur, itemque ut Christus Deus appelletur absque omni restrictione ac limitatione.

Hinc porro evincitur, Christum Deo Patri secundum divinam naturam esse æqualem, ipsique competere non solum nomina Dei atque titulos gloriosos ad solam majestatem divinam pertinentes, sed etiam attributa divina, æternitatem puta, immutabilitatem, omniscientiam, omnipræsentiam, item summi Dei opera, creationem, conservationem, miraculorum patrationem, tandemque cultum religiosæ solique Deo debitæ adorationis. Et ex iisdem nominibus, attributis, operibus, ac cultu divino, Spiritui Sancto quoque competente, ejusdem divinitas in tertia Parte capitibus IV solide adstruitur, loca Scripturæ S. diligenter explicantur & ab objectionibus adversariorum strenue vindicantur.

A DEFENCE OF THE DOCTRINE OF THE Resurrection of the same Body, by WINCH HOLDSWORTH.

i. e.

VIN-

VINDICIÆ DOCTRINÆ DE EJUSDEM corporis resurrectione; Autore VINC. HOLDSWORTH, Theol. D. & Collegii S. Johannis Bapt. Oxon. Socio.

Londini, apud Car. Rivington, 1727, 8.
Plag. 19.

CUm S. R. Autor in sermone quodam sacro Lockii de resurrectione corporis humani sententiam impugnasset, eumque non obscure Socinianismi arguisset, moxque quidam ex illius discipulis Apologiam pro Lockio edidisset, suarum partium putavit Noster, quæ de Lockio protulerat, porro tueri, eumque paulo accuratius refutare. Duæ inde hujus operis partes enatæ, quarum prima Autor probat, Lockium quædam asseruisse a Socini mente haud aliena, ut: ideam Dei menti humanæ insitam non esse; animam humanam tempore inter mortem & resurrectionem modio alto sopore occupari; peccatum originis ab Adamo in omnem humanum naturam derivatum non esse; Christum satisfecisse justitiæ divinæ pro peccatis hominum, proprie dici non posse; damnatos post hanc vitam non æternis cruciatibus afficiendos; idem corpus post resurrectionem non restauratum iri. Imo eum mysterium Trinitatis impugnasse putat, quamvis ab hoc crimine videatur olim a Stillingfleeto absolutus; nimirum quia sufficere dixit, ut quis Christianus sit, si credat, Christum esse verum Messiam, cum tamen præterea necesse sit, ut credat, Messiam illum verum Dei filium atque adeo naturæ divinæ esse. Sunt plura, quæ Lockio, quem cum Shafftsburio, Collino & Trenchardo, Deistis, æquiparat, ex ipsius Paraphrasi Epistolarum Paulinarum & Legibus in Garolina Insula observandis objiciuntur, quæ prætermittimus. Parte libri altera Autor Lockii sententiam de resurrectione non ejusdem corporis impugnat, imprimisque passim de artibus Lockii conqueritur, nunquam ingenue sententiam suam prodentis, sed ita semper loquentis, ut in jus vocato verba in alium detorquere sensum liceret. Quare resurrectionem ejusdem corporis negare videri non vult, sed arbitratur saltem, in S. Codice nunquam ejusdem corporis resurrectionem vel a Christo vel ab

Apostolis ejus, hoc in argumento tamen sæpius versatis, disertis verbis proponi. Sermone igitur dicto, quo hanc opinionem Autor noster aggressus erat, non modo resurrectionem corporis, sed imprimis ejusdem corporis vindicare instituerat, nugas philosophicæ atque mathematicæ identitatis, quibus mentem suam adversarius obvelaverat, explodens, eoque sensu identitatem hanc interpretatus, quo vulgo homines a pueritia ad senectutem idem habere corpus dicuntur, demonstratque una, hanc identitatem disertis S.Scripturæ verbis exprimi & innui. Quæ adversarius his opposuit, eo maxime redeunt, ut ostenderet, aut non discessisse Lockium a recepta in hoc doctrinæ Christianæ capite sententia, aut cum quæstio illa non sit de fidei fundamento, liberum cuique relictum esse, quomodo concipere hanc resurrectionem atque explicare velit. Hisce Noster respondet, Lockium, utcunque argute terminis luserit, ita se abscondere non posse, quin mens ipsius satis appareat, eumque, aliorum humanitatem, ut permittant, se circa articulum, qui non est de fidei Christianæ fundamento, suo abundare sensu, implorantem, illam vix mereri, cum immodeste admodum pro lubitu a se efficiam interpretationem judicio ecclesiæ universæ, jam a multis annis recepto, præfidentius opponat. Eandem vero in hoc articulo jam antiquissimis temporibus SS.Patrum, atque Christianæ fidei Symbolorum, sententiam fuisse, quam Ecclesia adhuc tuetur, impugnatam temere a Lockio, utut ille causetur, quod disertis verbis ejusdem corporis resurrectio in symbolis illis haud exprimatur, uberius exponit. Propius inde ad vindicandum ab adversarii argutiis sermonem suum accedit, atque porro, quam proposuerat ibi vulgarem, ut vocat, identitatem corporis resurgentis, contra Lockium, negantem mathematicam & numericam identitatem, quod corporis humani particulæ a pueritia ad canos usque continuo diffluant, adeoque in resurrectione non nisi prima stamina reliqua fore asserentem, defendit. Inconstantiam rursus Lockio exprobrat, ita passim locuto, ut non modo mathematicam & numericam identitatem negare, sed hominem resurgentem novo prorsus corpore donare videatur. Inquirit inde in dignitatem quæstionis hujus ac vindiciarum vulgo receptæ sententiæ necessitatem, cum non appareat, qua ratione si

si Lockii sententiæ quis subscribat, veritatem minarum, in S. Scriptura de puniendis in eodem corpore patratis sceleribus revelatarum, asserere ac tueri queat. Præterea doctrinam Scripturæ Sacræ hanc esse, quam Lockius negaverat, allegatis atque a subdola Lockii interpretatione vindicatis pluribus S. Codicis locis, imprimis *Rom. VIII, 11, Phil. III, 21, 1 Cor. XV, 53, Joh. V, 28, 29*, aliisque confirmat. Quandoquidem vero cum sublimi admodum Philosopho ipsi res est, qui in S. Scriptura erat imprimis versatus, facile est colligere, quanti Autori nostro constiterit, inventa ab ipso atque miro ingenii acumine ac solertia stabilita argumenta explodere. Præclara vero sunt, atque Autoris ingenium eruendis abstrusis aut studio absconditis rebus aptum satis produnt, quæ contra adversarium an τὸ φθαρτὸν & τὸ θνητὸν idem sit quod νεκροὶ, it. an mortui & corpora mortuorum secundum S. Scripturæ stylum idem sint, disputat, aut quibus ea persequitur, quæ inter Lockium & Worcestriensem Præsulem olim agitata fuerunt, quæ repetere non patitur instituti nostri ratio. Inde ejusdem corporis resurrectionem argumentis ex natura atque essentia tum Dei, tum hominis petitis adstruit, nec interesse, sive homo resurgat, sive non resurgat, nisi eodem præditus corpore restauretur, nec hanc resurrectionem, sed novam prorsus vitam, absque pristino corpore fore, pluribus confirmat. Neque argumentis duntaxat adversus Lockium utitur, sed passim acutissimo Philosopho, receptam de mortuorum resurrectione sententiam impugnanti, propositum maxime fuisse, ut incautis, nullam plane resurrectionem fore, persuaderet, suspicatur, quæ conjectura de mente Lockii, pridem e vivis sublati, num locum inveniat, aliis dijudicandum relinquimus.

THE ENGLISH BARONAGE, OR AN HISTOrical Account of the Lives and most memorable Actions of our Nobility.

i. e.

BARONATUS ANGLIÆ, SIVE DESCRIPTIO Historica Vitarum & rerum imprimis memorabilium

 Nobi-

Nobilitatis Anglicæ; Autore ARTHURO COL-
LINS, *Equite.*

Volumen I.

Londini, apud Robertum Gosling, 1727, 4 maj.
Alph. 3 pl. 19 fig. æn. 5.

GEnerari & nasci fortuitum licet sit, dicente Tacito, Nobili-
tatem tamen, si dignitatem hæreditariam virtutibus exor-
nare conentur posteri, honos decusque semper manebunt. Non
defuerunt proinde superioribus nostrisque temporibus Historici,
qui Nobilium res memoratu dignas in singulis fere regionibus
litteris consignarent. Hinc suæ quoque gentis curam insignem si-
bi desumsit Collinus, Guil. Dugdalii Baronatum Angliæ errori-
bus haud destitutum, mancum præterea rebusque imprimis re-
centioribus carentem cernens, dum vitas, res gestas, fata, de-
scendentes, & matrimonia Nobilium Anglorum ex Manuscriptis,
documentis publicis, Kingii notis MSCtis ad Dugdalium, ac scri-
ptis Historicis aliis, subjectis ubique sub finem pagellarum Au-
toribus fide dignis, & adjunctis figuris Heraldicis, memoriæ man-
dare est aggressus, unde quædam hoc loco communicare, no-
stri erit officii. Imprimis vero notamus, præcipue Tomo hoc
contineri Gentes illustres, Cavendish, seu Duc. Devoniæ, Chur-
chill, Marlborough, Pelham Holles, Duc. Novi Castri, Sackvil
nunc Duc. Dorciæ, Compton Comitum Northamtoniæ, Lumley
Comitum Scarburgi, Comitum Cholmondelejæ, Hervey Comi-
tum Bristolii, Baronum Cartereti, Baronum Staweli, ac Baronum
Walpoliæ, quorum cognomina, Normannis usitata, & ab officiis,
p. 1. civitatibus similibusque desumta, Eduardi II ævo Anglis in usu
imprimis esse cœperunt. Vesana Thomæ Wolsæji ambitio exinde
14. elucescit, quod insignibus Regiis in moneta publica expressis, li-
teras nominis sui initiales T. W. ex utroque latere apponi cura-
verit, exsculpto inferius galero Cardinalitio: quanto splendore
vixerit, numerus 800, ipsius servitio addictorum, monstrat, quos
inter primæ Nobilitatis viri extitere. Johannes Dux Marlborou-
41 ghii, inter Heroas nostri temporis inclutus, Jacobo II ad solium
Regi-

Regium vix admoto, Anglica libertate usus, prædixit, se aliquando, si religioni & conscientiæ vim inferret, obsequium ipsi denegaturum; prœlio ad Walcurtium tam prospere rem gessit, ut p.144. Waldeccius nunciaret Wilhelmo III, Marlboroughium uno die artes summi Militiæ Præfecti perspexisse melius, quam aliis pluribus annis obtigerit. Defuncto Wilhelmo III, cum fama ferret, Annam ultima ejusdem voluntate a successione fuisse exclusam, 151. cum aliis fuit delegatus, ut chartas Regias scrutaretur, sed rem secus se habere fidelissime mox detexit. Arcem Leodiensem 153. vi expugnavit, Anglis prædam tam insignem reportantibus, ut 3 auri Tonnæ florenorum, & myrias chirographorum atque ultra numeraretur, & uni ex gregariis Anglorum mille aurei Gallici (*Louis d'or*) in sacculo reperti obtigerint. Res ad Mosellam ex 209. voto haud succedentes, tarditati Germanorum & Ludovici Badensis invidiæ in Marlboroughium tribuuntur. Postea Marlborou- 295. ghius ideo maxime officiis omnibus est privatus, ne Eugenium, Imperatoris nomine in Angliam transfretantem ad disturbanda Rigidiorum consilia, calculo suo juvaret. Sigilla tanti quondam 345. æstimata apud Anglos, ut Regi saltem, Nobilibusque, non inferioris ordinis hominibus, iisdem uti licuerit, & illi, qui sigillum adulterassent, deportatione punirentur. Primus inter Anglos fer- 489. me Henrici II tempore usus est cognomine Turchillus, Comptoniæ gentis sator, nomine *Turchillus de Eardene* a domicilio mutuato; quæ tamen, quomodo cum superioribus conveniant, nos vix perspicimus. Davidson, qui sententiam adversus Mariam 552. Scoticam citius, quam per erat, executioni mandaverat, 10000 libr. Sterl. & carcere pro arbitrio Reginæ est punitus. Plura nunc de Illustri *Walpoliorum* gente, fide in Regem patriamque, ætate 651. imprimis nostra, famam immortalem nacta, dicere est animus. Nomen a castro *Walpoliæ* in Comitatu Norfolcensi inditum est genti, quæ ante Wilhelmi Conquestoris tempora inter Anglos jam inclaruerat. Richardi Walpolii sub Wilhelmo illo mentio fit 652. in charta, qua socer Guil. de Navelton terras suas in vicinia Houghtoni, sede postmodum familiæ usque ad Henricum III, transfert in generum Richardum. Hujus filius Henricus decoratus equestri dignitate, de quibusdam feudis nobilibus est investitus

ab

p. 653. ab Henrico II. Hoc ſatus Johannes miles feudis pluribus auxit terras, & Jurati officio Norfolcienſis Comitatus nomine Weſtmonaſterii 1253 functus, Henricum, Wilhelmum & Radulphum filios reliquit. Eodem ævo vixerunt agnati, Wilhelmus, Adamo de Walpol prognatus, arbiter in gravioribus negotiis ſæpe conſtitutus, Robertus de Walpol, Henrico III & Eduardo I a rebus domeſticis, Edmundus de Walpol, Abbas S. Edmundi in tractu Suffolcienſi, 1256 denatus, & Alexander, cujus fidei plura ab Edu-
654. ardo I fuerunt commiſſa. Radulphus ille, Johannis filius, in Norvicenſem Epiſcopum 1288 electus, a præſtatione primitiarum, Archi-Epiſcopo Cantuarienſi pendi ſolitarum, ſedem ſuam
655. liberavit. Hinc ad tollenda diſſidia in Elienſi Præſulatu ſubnata, ſummi Pontificis mandato 1299 ad iſtam ſedem eſt translatus; obiit 1302. Alter Johannis filius, Henricus, a crimine perduellio-
657. nis, ſub Henrico III ipſi imputato, ſe purgavit; ſub Eduardo I equeſtri honore mactatus, in bellis contra Gallos Scotosque vir-
660. tute militari eminuit. Filius hujus Henricus, matre Iſabella, Petri Osberti filia, natus, Comitiis ſub Eduardo II & III ſæpius interfuit, ex uxore Aliſa relinquens filium Henricum, cujus ætate Richardus & Adamus agnati, monetæ Regiæ curatores, quoque in-
661. notuerunt. Henricus vero Comitia ſæpius frequentavit, adhuc ſub Henrico IV 1407 ſuperſtes, unde *Senior* dictus fuit. Secutus eum filius Henricus fidem contra Eboracenſes Henrico VI juravit, mortuus circa A. 1442. Ex Margaretha, Oliverii le Croſſe fi-
664. lia, genuit Henricum & Johannem, quos inter Henricus ex Margaretha, Johannis Harſici filia, procreavit Joannem, qui ex Eliſabetha, Roberti Shawi filia, habuit liberos Thomam & Wilhelmum, ſine prole extinctum. Thomas, 1512 defunctus, ex Joanna, Guilielmi Cobb filia, & Aliſia, uxoribus, ſobolem progenuit Agnetem, Guil. Ruſſelio nuptam, & Eduardum ac Henricum, qui obiit 1514. Ex hoc Henrico & Margaretha Haltofria prodierunt, Tho-
666. mas, Joannes, Franciſcus & Chriſtophorus; Joannes Juris ſcientia inclutus, ſed in flore ætatis extinctus 1557, ex Catharina, Edmundi Kniveti filia, relinquens Mariam, Janam, Catharinam & Annam, filias hæredes, & Wilhelmum, qui absque ſobole deceſſit. Edu-
667. ardus autem Thomæ filius uxorem duxit Luciam, Theodorici Rob-

Robsarti filiam, terrarum avitarum ex asse hæredem, cujus avus Joannes Robsartus, S. Georgii eques, bellica virtute contra Gallos, regnantibus Henrico IV, V & VI eminuit: mortuus est Eduardus 1558, relinquens Elisabetham, Martino Cobbio nuptam, Joannem, Richardum & Theodoricum. Ex his Theodoricus duas habuit uxores Wyboroughiam & Catharinam Threviliam, ex quarum priori sobolem tulit Richardum, natum 1568 & 1632 defunctum, & Luciam, natam 1569; ex altera vero Alisiam natam 1579, Eduardum natum 1587, & Annam natam 1582, Joanni Pepysio nuptam. Johannes autem, Eduardi primogenitus, Sidesternum in Norfolcia ex hæreditate Annæ Dudlejæ accepit, ac Guilielmi Collybuti filiam Catharinam sibi sociavit, mortuus 1585. Ex illo matrimonio nati, Eduardus 1559, in itinere postea defunctus, Collybutus & Thomas, gemelli, nati 1561, Dorothea nata 1558, Catharina nupta Philippo Russelio 1561, Bona nata 1560, & a Johanne Amyaso in matrimonium ducta, Elisabetha, Richardo Bunting 1591 nupta, Brigitta, nata 1569 & Henrico Paynell 1593 elocata, & Collybutus successor parentis. Hic ex Elisabetha, Edmundi Baconi filia, genuit Robertum, natum 1593, Joannem n. 1595, qui ex Froxmer Corbeti filia & terrarum hærede procreavit Elisabetham, Eduardo Pepysio, Brigittam, Francisco Thoresbyo, & Susannam, Joanni Hario nuptas; porro Collybutum natum 1597, & Baconum natum 1599, absque prole defunctos, Elisabetham natam 1594, Thomæ Clistono, & Annam natam 1596, Thomæ Petto, eoque defuncto, Henrico Hungatio matrimonio junctas. Collybutus obiit 1646: Robertus filius duxit Susannam, Eduardi Barkhami filiam, ex qua genuit Elisabetham natam & denatam 1615, Janam natam 1617, Elisabetham natam 1620, & Eduardum n. 1621, decessit ipse 1663. Eduardus in eo fuit totus, ut Carolus II solio avito restitueretur: hinc inter Ordinis Balnei (*Bath*) equites allectus, Regni comitiis sæpe interfuit, & Lynniis, a quibus fuerat nominatus, fidem suam adeo probavit, ut ab illis Tabula ænea, fidei dexteritatisque tessera donaretur. Mortuus est A. 1666. Ex Susanna, Roberti Cranii filia, genuit Robertum natum 1650, Janam, Eduardum, Elisabetham, Joannem, Annam, Dorotheam, Susannam, Mariam, Eduardum, plerosque in infantia, aut sine pro-

Margin: p. 673 (beside "Joannem, Richardum & Theodoricum"), 674 (beside "ta, & Collybutus"), 675 (beside "to, eoque defuncto"), 676 (beside "decessit ipse 1663").

prole fatis functos, Horatium n. 1663, qui Annam Osborniam, Thomæ Ducis de *Leeds* filiam, duxit in matrimonium, nulla tamen sobole relicta 1717 decessit; & Elisabetham n. 1665 & Jacobo
p. 677. Hostio elocatam. Robertus filius Comitia regni sæpius frequentavit, & Militiæ Norfolcensi est præfectus. Uxor Maria, Godofredi Burwelli filia, peperit Mariam, Carolo Turnero 1689, Dorotheam, Carolo Vice-Comiti Townshendiæ, ac Susannam, Antonio Hammondio, nuptas; præterea filios, Robertum, Horatium & Galfredum, de patria sua immortaliter meritos. Ex his Galfredus inter Heroas maritimos nomen meruit, globo tormenti, cum
678. adversus Gallos in bello Hispanico pugnaret, dextro brachio truncatus; inde ad Comitia Regni selectus, Cursus publici quoque curam gessit. Ex Cornelia Haya uxore nullam suscepit prolem, & diem obiit 1726. Alter ex illis *Horatius*, Stanhopium 1708 comitatus in Hispaniam, postea Townshendio in Belgium misso, Secretarius Legationi adfuit. Dehinc in Anglia eodem officio functus, 1715 Batavos Legatus adiit. Munus Secretarii Thesauri Regii brevi dimisit; mox Commerciorum & Plantationum cura ipsi demandata. Post ad Comitia sæpius delegatus, ad Gallos 1724 missus est Legatus primi Ordinis extra ordinem. Mariam, Petri Lombardi filiam, 1720 sibi sociavit, Horatii & Mariæ ex eadem
679. parens factus. Primus e tribus Roberti filiis, *Robertus*, Hongh-toni, sedis avitæ, hæres, ad omnia regni Comitia ab A. 1700 nominatus, illis, qui figmento illi Regio Bononiensi blandiuntur, nimium adversus, indignationem aulæ adeo incurrit, ut 1711 Turri Londinensi aliquandiu includeretur. A. 1705 cura rei maritimæ ipsi cum aliis commissa, 1707 a Secretis Belli, & Thesaurarius
680. Classis 1709 constitutus. Sacheverellianæ accusationis capita cum aliis compilavit, & gratias publicas hoc nomine meruit 1710 ab inferiori Ordinum Senatu: verum eodem anno omnibus mutatis, ipse quoque officiis publicis fuit privatus. Georgius I autem, solio admotus, tanti æstimavit Roberti Walpolii fidem, ut quinto post adventum die ipsi thesaurum bellicum crederet. A. 1715 Fisci cura ipsi commissa, & Ærarii publici Cancellarius est constitutus, quæ munera cum 1717 dimisisset, anno tamen 1720 iisdem
681. denuo fuit decoratus. Ab A. 1715 ab intimis consiliis fuit Regi suo,
&

& eodem in Germaniam profecto, Vicarius una cum aliis nominatus est. A. 1725 Equestri ordini *Balnei*, & sequenti anno *S. Georgii* est adscriptus. Uxor Catharina, Jo Shorteri filia, ipsum fecit parentem Roberti, Eduardi & Horatii, ac Mariæ, Georgio Vice-Comiti Malpasio elocatæ. Filius Robertus ab A. 1720 exteras terras adiit, 1723 Regia clementia Baronis de Walpolia honore ornatus. Lubet vero, Diploma quod meritissimi imprimis Parentis merita continet, hic integrum, prout a Nostro exhibetur, repetere: *Cum se meritis suis erga nos nostramque Domum & Patriam suam quamplurimis egregie nobis commendarit perdilectus & perquam fidelis Consiliarius noster*, Robertus Walpole, *ærarii nostri cum viris selectioribus Præfectus, nec non Scaccarii nostri Cancellarius, non indignum duximus, qui in Procerum nostrorum ordinem cooptaretur. Sed cum ipse malit amplissimos honores meruisse, quam assequi, quo familiæ saltem ejus nobilitandæ consulatur, statuimus honores, Patri debitos, in Filium conferre, &* Robertum Walpole, *juniorem, Optimatium ordini adscribere. Quo de adolescente nihil non præclarum licet ominari; qui optimam jamdudum indolem disciplinis optimis excoluit, idque nunc agit, ut, quicquid scitu dignum alicunde conquiri possit, domum comportet; cum domi interim habeat, unde discat, si quid sit reliqui, quod est egregium. Nec fas est dubitare, quin Patrem ducem secutus, dignitatem ex paternis meritis oriundam suis posthac auctiorem posteritati traditurus sit. Quin & id volumus, optimæ spei Juvenem titulos inde suos auspicari, unde &* nomen Walpolianum *& gens illa pervetusta duxit originem; quæ a primis usque Eduardorum temporibus in agro Norfolciensi consedit, ibique nunquam non inter maxime ingenuas habita est ac celebrata. Sciatis igitur &c.* Redux domum factus hic Robertus, sociam sibi elegit 1724 Margaretham, Samuelis Rollii filiam, hæredemque. Ceterum ut Cl. Autor ulterius laborem utilissimum continuet, publico nomine eundem rogamus.

p. 682.

MEMORABILIA CUJUSVIS SECULI, Historica & Geographica, Genealogica & Dogmatica, item Pro-

Prognostica Prophetarum; Autore DEODATO DE SEM *&c.*

Romæ, ex Typographia Rochi Bernabo, apud Laur. & Thomam Pagliarini, 1727, fol.

Alph. 4 pl. 7.

ILlustrissimo ac reverendissimo *Petit Didier*, Episcopo Macrensi, Abbati S. Petri Senonensis, O. S. Benedicti, congregationis S. S. Vitoni & Hidulphi in Lotharingia, omnigenæ eruditionis Præsuli, *opus hoc, omnigena eruditione refertum*, quod sub TRIANGULI titulo jam dudum latebat, summi Viri patrocinium exspectans, e tenebris erutum, Patrono tanquam optimo Laurentius & Thomas Pagliarini Fratres, Dicant Dedicantque. Etsi difficile sit satyram non scribere, cavendum tamen, ne contra librum hunc, autoremve ejus, quippiam temere proferamus: cum homine nobis res est, Hercule tragico terribiliore. Ita enim in præfatione minatur: *Quicunque huic Triangulo mei libri bellum (quamvis imbelle fuerit) calami, aut lingua aut rixosum prælium prælo præsumserit intimare, inferam: eum ex illis esse, quos verus Deus per suum Prophetam Isaiam cap. 48, 22, prædixit: impiis non esse pacem. Quacunque persona hoc opus (quod cedit ad majorem veri Dei gloriam, ad humani generis conversionem, ad pacificam Regum & Principum cohabitationem, aut bonam invicem intelligentiam, ad regnorum & urbium conservationem, ad populorum & familiarum salutem, emolumentum & prosperitatem) quocunque modo impedire, perturbare, obnubilare, aut opprimere laboraverit, aut contribuerit, timeat; ne veniant super ipsum invidiæ, odii, persecutionis, iræ, spoliationis, ægritudinis, subitaneæ mortis maledictiones, quas Deus pacis voluerit evibrare.* Intra nostram igitur nos pelliculam continere oportebit: faciamus tamen quod faciendum est; recenseamus breviter argumentum libri, specimina tractationis edamus, judicium lectori, audacioribus autem experimentum hujus fulguris ex pelvi relinquentes.

Trianguli titulum hoc opus inde accepisse videtur, quod in tres partes sectum est, quarum *prima* continet historiam *præteri-*

teritorum ab exordio creationis usque ad annum Christi 1707. *Secunda* historiam *modernorum* i. e. Regna orientis & occidentis geographice; genealogice autem hodiernos Reges Europæ, Principes, Comites, Episcopos orientis & occidentis in concilio generali congregatos, diversa hodienum dogmata per orbem dispersa, describit. *Tertia* denique pars exhibet historiam *futurorum*, sive futurum statum populi vero Deo unice chari & supremum ejus Pontificatum. Quælibet pars in aliquot Sectiones, quælibet Sectio in certos Articulos distributa est, quos omnes & singulos enarrare supervacaneum videtur; præsertim cum ipsi libro præfixus sit *Index Sectionum & Articulorum* satis amplus.

Quam belle autem, quam dextre hæc omnia Autor pertractet, lectori ex sequentibus patebit. Part. I pag. 5 de Angelis hæc nobis narrat: *Numerus Angelorum trium prædictarum Hierarchiarum tantus est, ut stellas in cælo, atomos in aere, arenas in terra, folia in arboribus, fruges in campis, flores in hortis, pisces in aquis, animalia in terris excedat.* Ibidem de diabolis: *Nunc pauca quoque de malis* (Angelis) *transeunter dicere oportet, nimirum: quod Lucifer, qui primus erat Cherubinus ejusque asseclæ, licet in primo instanti creationis essent in gratia & viatores per fidem, spem & charitatem, nihilominus, inflati superbia ex donis quæ possidebant a Deo, rebellarunt; sed quo motivo, doctores nesciunt determinare.* Pag. 16 postquam docte, ut solet, disputavit, an Paradisus in Babylonia, an in Syria, an in Palæstina situs fuerit, hæc subjungit: *Circa situm terrestris paradisi solum superest aliquid succincte dicendum de illius ornamentis & primo de aeris salubritate; nam juxta Gonneti sententiam collocatus erat in excelsissimo monte, viginti cubitis super omnes terræ montes, ubi aer erat saluberrimus ac temperatissimus* &c. Ne diu nimis circa mundi exordia commoremur, saltum in propinquiora tempora faciamus. Ad Sec. XIII pag. 97 Autor noster de ordine Dominicanorum & Franciscanorum sequentem historiam, apocrypham quidem, verissimam tamen, si ipsi credimus, affert: *Deus suscitavit hoc Seculo S. Dominicum A. 1203 Ord. Prædicatorum, & S. Franciscum Assisium 1207 Ord. Minorum fundatores; nam ut refert Mag. Seraphi-*

nus Capponi a Porrecta in suis veritatibus aureis &c. cum B. Virgo filium suum tribus lanceis orbem universum ob ejus scelera disperdere volentem conspexisset, hos duos Ordines adinvenit, ac eidem Filio suo irato, pro totius orbis conversione idoneos, præsentavit, quasi dicens, hoc ad filium carmen: beatos illos digito monstrans:

Nate mea hac genitura orbem salvato gemella,

ipsosque a Filio inde pacato commendatos, in urbe Romana conjunxit. Ad Sec. XVI: *Hoc Seculo,* inquit, *fætebant hæresi Martinus Lutherus, Anabatistæ. Petrus Vermillus cogn. Martyr, David Georgius. Carolostadius. Libertini. Oecolampadius, Antichristiani. Zwinglius, Brentius, a quo Ubiquetarii. Melanchton, Bucerus, Jonas Lutheri coquus, qui se justum Jonam jactitabat. Calvinus, Servetus. Beza, Deistæ sive Trinitarii. Brunistæ, Puritani, Sabbatarii, Arrabonarii, Metamorphistæ: Anti-Lutherani, Matthias Flaccius, Infernales, Invisibiles, Pharellus, Biblistæ* &c.

Ne autem in præteritis tantum tam rara & inaudita scire Autor credatur, recensebimus etiam pauca quædam ex Sectione hujus operis secunda, quæ *historiam modernam* refert, & quidem catalogum *Acatholicorum modernorum,* qui pag. 204 seq. prolixe enarratur, excerpemus, ubi doctrinæ occurrunt & nomina, quorum si quis certam cognitionem habet, illum obscurissima & ignotissima quævis historiæ modernæ nosse confitebimur. E. c. RUSTICI vel RUSTICALES *Lutherani nolunt solvere tributa suo Principi, nisi cogantur.* PISTORICI *Lutherani docent, Christi corpus esse præsens in Eucharistia sub pane, velut caro cocta in ardocrea.* INTERIMISTÆ *ex medio Lutherani & catholici.* BOQUINII *docent, Christum non esse crucifixum pro peccatoribus.* NUDIPEDES *spirituales separati Anti-Lutherani cuncta deseruerunt excepta falsa doctrina.* OLLARII *Anti-Lutherani sese invicem alternativis in dies tractare solent conviviis.* Addendi his essent *Tibbi* vel *Meliapi, Batenburgici, Pastoricidæ, Communistæ, Condormientes, Larmogani, Effrontes Neutrales* & ducenti alii, quos Autor commemorat, nisi hæc ad demonstrandam miram ejus in historia scientiam sufficere crederemus.

Cum

Cum autem tam vera claraque de præſentibus Autor noſter referat; quam certa ſint, quæ de *futuris* prænuntiat, haud difficile eſt conjicere. Præſertim legi merentur, quæ de *vermibus infernalibus* admiranda nobis & horrenda narrat Part. III Sect. III Art. I. Nempe diverſos fore vermes apud inferos, quorum alii corpus, alii animam damnatorum corrodent, horribiles, fœdiſſimos, immortales, venenoſos, carnivoros, eſitantes quidem, nec tamen ſe ſatiantes. *Tertia in inferno pœna,* inquit, *conſiſtit in vermibus immortalibus, qui viſu & ſibilo ſunt horribiles & vivunt in flamma, ſicut piſces in aqua. Scaturient hi vermes per nares, oculos, aures, ora damnatorum, qui perpetuis morſibus inteſtina illorum & ſingula membra vellicabunt* &c. A pag. 286 usque ad pag. 314 Autor accuratiſſime deſcribit particulare illud judicium, quod Chriſtus ſtatim poſt obitum cujuslibet hominis inſtituet, ubi defunctus, cujuscunque ſtatus, conditionis, ſexus, profeſſionis officiive fuerit e. g. *Agricola, Hortulanus, Vinitor, Stabularius, Pediſſequus, Cubicularius, Coquus, Pincerna, Ancilla* &c. quam rigoroſiſſime examinabitur, & judicabitur, non modo de propriis, ſed & de alienis peccatis, quibus aliquo modo *conſentitus* (ita Noſter loquitur) vel cooperatus fuerat. Pro exemplo tranſcribamus examen *Ancillæ*, quæ in particulari illo judicio, referente Semo noſtro, inter ceteras quæſtiones, ad haſce imprimis reſpondere cogetur: *Si ſuæ Dominæ quovis modo cooperata fuerit ad illicitum amorem? An herbas, aut aliud medium quæſiverit & adhibuerit ad abortum ſuæ Dominæ procurandum, quoad conceptum illicitum fœtum, aut embrionem occidendum? An varia garriverit, ad rixas & odium cauſanda? An Sagam vel Veneficam vel Ægyptiacam conſuluerit & aliquid prohibitum ab illa didicerit? An ſervo, vel cani permiſerit ipſa carnaliter uti? An ſuam Dominam docuerit aliquam ſuperſtitionem aut prohibitam ſecretam artem, ad nocendum alteri, ad amorem alterius efficiendum? An ſuæ Dominæ filiam docuerit obſcœnas cantilenas, eam titillaverit, excitaverit, aut ei aliquid applicaverit, ad illicitam carnis voluptatem, aut immundum amorem verſus hominem aut beſtiam excitanda? An in medio vaſis butyri corruptum in mele ſtercus infantis in fundo vaſis poſuerit?*

MISCEL-

MISCELLANEA SILESIACA CONTINUAta, variisque hinc inde præsidiis adornata, Collectore THEODORO CRUSIO, Ducatuum Suidn. & Jaurav. Advocato jurato.

Lignitii & Lipsiæ, apud hæredes Rorlachianos, 1728, 8. Alph. 1.

POstquam primæ Miscellaneorum horum Partis mentionem fecimus in Actis Er. A. 1723 M. Dec. p. 535, par est ut alteram quoque, nuper editam, perlustremus. Exstant vero hic octo scripta breviora, quæ cuncta unam concernunt Vratislaviam urbem. Primum est *Mart. Radeckii* Carmen *in Insignia Senatus Po-*
p. 13. *pulique Uratislav.* in eadem urbe A. 1567 editum, ubi Noster in notis monet, diligentissimum patriarum antiquitatum scrutatorem D. *Jo. Godofredum Baro* Commentarios de Insignibus Vratislav. moliri. Succedit 2) *Dan. Illmeri* Narratio brevis *de Vratislavia Silesiæ Metropoli*, publice facta Wittebergæ 1628; in qua dum agitur de bibliotheca publica Elisabethana, a Thoma a Rehdiger fundata, inter alios, qui de ea egerunt, commendatur in
49. notis B. Gryphius, qui in Charactere idonei Bibliothecæ Custodis recenset Codices MSptos, qui ex ultimis Turciæ atque Persiæ oris eo pervenerunt. 3) *Jo. Andr. Mauersbergeri* Diss. sub præsidio Jo. Lehmanni Wittebergæ A. 1668 habita, *de Vratislavia Si-*
101. *lesiæ Metropoli*. Ibi observat Editor, jam Academia, a Divo Leopoldo Imp. A. 1672 fundata, Vratislavienses, licet invitos, gaudere. 4) *Christoph. Coleri* Carmen *in fatales turris & templi Elisabethani Vratislav. casus*, cui annectitur 5) *Andr. Calagii Suggestum Magdalæum Vratislaviense novum*, carmine adumbratum, Vratisl. 1581, & 6) *Mart. Radeckii* Carmen *de Ludorum literariorum apud Vratislav. initiis & incrementis*, editum ibid. 1567. Sequitur 7) *Adami Pantke* Diss. hist. *de Nobilitate Vratislaviensium erudita*, quam apud nos defendit A. 1697, multis a Cl. Editore notis eruditis & XV Nobilium eruditorum vitis aucta. In illis de Andrea Dudithio, Episcopo Quinqueecclesiensi &
212. Cæsareo ad Henricum Valesium Pol. Reg. Legato, traditur, eum tantum Ciceronianæ eloquentiæ fuisse admiratorem, ut integrum Cice-

Ciceronem ter manu propria descripserit. De Adamo a Rhediger refertur, quod ope & subsidio nummorum antiquorum, quos ille Romæ collegerat, suos de re nummaria labores susceperit Hubertus Golzius. Denique VIII accessit *Christiani Sperlingii* poetica Enarratio de obsidione Vratislav. a Tartaris A. 1241 facta & miraculo soluta, sub titulo: *Flammis cœlitus missis defensa Vratislavia*, edita Vratisl. 1665. Ceterum inscripsit hanc Miscellaneorum Partem Cl. Editor Ill. *Friderico Guilielmo a Sommersberg*, Viro historiæ patriæ imprimis promovendæ nato, a quo longe majorem *Scriptorum rerum Silesiacarum* Collectionem propediem exspectamus. p. 232.

FRANCISCI IRENICI, ETTLINGIACENSIS, Exegesis Historiæ Germaniæ, nunc denuo recognita, notisque illustrata; accedit CONRADI CELTIS Descriptio urbis Norimbergæ; curante JO. ADAMO BERNHARD.

Hanoviæ, apud Jo. Conr. Maximil. Ziegler, 1728, fol.

Alph. 6 pl. 14, computatis XXV Tabb. Geneal.

PErutilem laborem in se suscepit Cl. *Bernardus*, Scholæ Hanoviensis Rector meritissimus, quod hanc *Fr. Irenici* Exegesin, bis licet antea, Hagenoæ primum A. 1518 ab ipso Autore, iterumque a filio ejus Paulo Irenico Basileæ 1567 in fol. editam, sed hactenus tamen admodum inventu difficilem, non modo denuo prelo subjecit, quod dudum optarunt eruditi, sed & doctissimis subinde notis ita illustravit, ut desiderari nihil omnino posse videatur. Etsi vero de Autoris, qui pro nomine vernaculo *Friedlib* Græcum *Irenici* pro more suæ ætatis adscivit, vita & rebus parum annotarint Scriptores, non tamen prætermittenda nobis sunt, quæ Cl. Editor undique sollicite collegit. Natus nimirum Etlingæ, oppido sub Badensi ditione sito, circa annum, ut Noster evincit, 1495, cum in patria & mox Pforzhemii sub Ge. Simlero in literis profecisset, & Melanchthonem *fere puerum*, ut ipse loquitur, *vix quippe XX annorum, ceterum adultissimum ac litterarum experientia nulli secundum, cui quantum anni & corporis moles detraxerant,*

xerant, tantum ingenio adjecerant, præceptorem habuisset, Heidelbergam ad moderandam studentium adolescentiam cum aliis evocatus, ibidemque circa A. 1518 Scholæ S. Catharinæ præfectus est. Hinc mature Lutherum sectatus, evangelii doctrinam, cum in patria non liceret, Gemmingæ publice professus per aliquot annos, cum Reuchlino & Bilibaldo Pirckheimero aliisque frequens literarum commercium aluit. Quanto studio vero res Germaniæ omnis ævi, quam mature, excusserit, ex hoc ipso opere patet, quod jam anno ætatis vigesimo tertio suscepit: de quo prætermissis Jac. Spiegelii, Jac. Schopperi, Bœcleri & Reimmanni encomiis, unum producemus Viri Ill. Jo. Petri de Ludewig judicium. Ita vero ille Præfat. in Germ. Princ. C. II p. 41: *Liber rarus est, sed utilitate varietateque rerum aliis præstat ejus ævi scriptoribus. Habes in eo Germaniam veterem, mediam & novam: rationes Germaniæ cum universim, tum per omnes Principatus & Comitatus proditas sigillatim, historicas, genealogicas, politicas, theologicas, litterarias, geographicas, astronomicas; ut valde mirer, hoc apparatu ista ætate hoc opus prodiisse. Papa bibliopolam privilegio munivit per universum orbem. Nævi, quibus liber scatet, temporis magis sunt, quam scriptoris, qui nullis vigiliis videtur pepercisse.* Et quod ad hos quidem attinet, sunt qui Latini sermonis puritatem majorem, in Genealogia præterea & Geographia, ut & allegandi ratione nonnulla desiderent, siquidem, quod ad postremum, Taciti annales & historias una serie enumerat & sub Eutropii nomine ejus continuatorem Paulum Diaconum inducit: at hoc tempori, quo vixit, condonandum videtur. Adhibuit vero Cl. Editor utramque editionem, & cum in secunda desiderarentur Tabulæ Genealogicæ, quæ in prima passim inseruntur, quamvis more veterum per circulos & ramos nimis distortos dispositæ, non modo eas hic iterum dedit, verum & luculentius, ut recentiores solent, descripsit, eoque Lectorum commodis optime consuluit. Præterea cum integra non raro capita, & passim lineæ aliquot omissæ in altera editione fuerint, ea omnia restituit Noster; nec tamen hanc neglexit, ubi scripturæ compendia, lectu difficiliora, restituit & in Latinitatem infrequentem animadvertit. Adjecit etiam ex priori editione Cel-

tis

tis Norimbergam, quæ in posteriori desiderata fuit, & ex utraque Orationem Irenici protrepticam in amorem Germaniæ ad Cancellarium Electoris Palatini Florentium de Phenningen, J.V.D. ex qua non minus, quam ex universo opere, patet, quantum Autor in optimis scriptoribus Græcis & Latinis fuerit versatus. Ceterum incertum videtur, utrum plus debeamus Cl. Editori, quod librum Irenici quasi sepultum in lucem revocaverit, an, quod tot notas eruditissimas adjecerit, e quibus exquisitam historiæ Germanicæ notitiam, velut ex ungue leonem, cognoscimus, optamusque, ut rem litterariam juvare felicissime pergat.

Nützliche Sammlungen zu einer historischen Hand-Bibliothec von Sachsen ꝛc.

h. e.

JO. GOTTLOB HORNII, M. A. REG. PRUSS Societ. Scient. Socii, Analectorum Bibliothecæ portatili Historiæ Saxoniæ annexarumque regionum parandæ profuturorum Pars I, seu Lineamenta historico-diplomatica de Officialibus hæreditariis ex ordine equestri in provinciis Sereniss. Electoris & Ducum Saxonicorum antiquitus constitutis, sigillatim de Mareschallis, Camerariis, Dapiferis & Pincernis Saxoniæ, Thuringiæ, Misniæ atque Hennebergæ &c.

Lipsiæ, sumtibus Wolfg. Deerii, 1728, 4.
Pl. 22½ fig. æn. 1.

CLar. Autor in votis habens, ut facies historiæ patriæ in dies fiat lucidior, decrevit scrutantibus eandem, quantum pote, manus auxiliatrices afferre, eoque singulis minimum nundinis, quæ hic celebrantur, plagulas aliquot publicare. Non solum vero id curabit, ut proprias lucubrationes suas subinde communicet; verum & aliorum monumenta anecdota, diplomata præsertim atque chartas vetustas magno numero interspergerет; neque negliget dissertationes & schedas minores, quæ impressæ quidem, sed hactenus rarius comparuere. His prælibatis Autor in Præf.

prima hac Parte materiam tractat, nemini adhuc satis tentatam. Curæ ipsi videlicet fuit adumbrare incunabula, statum & vicissitudines *Officialium hæreditariorum*, qui antiquitus in provinciis, Sereniss. Domui Saxonicæ hodie parentibus, fuerunt instituti, *Mareschallorum* puta, *Camerariorum*, *Dapiferorum* & *Pincernarum*.
§. 1. Enimvero auspicia differendi capit ab enodatione discri-
p. 1 sq. minis inter *liberos* & *ministeriales*, quale seculis mediis in nobi-
§. 2-11. litate obtinuit. Recensitis igitur diplomatibus domesticis æque
p. 2 sqq. ac vicinis, describere primo aggreditur *liberos*, & ostendit, sub
§. 12. eo nomine non solum Equites & Nobiles ordinis inferioris, sed
20 sq. Comites quoque & Dominos, quin adeo Principes, comprehen-
§. 13. sos fuisse. Disputat hac occasione adversus V. Ill. *Eccardtum*, quo
21. sensu *Tidericus* ex tribu *Buzici*, propagator Sereniss. stirpis Sa-
p. 22. xonicæ hodie dominantis, apud veteres *Vir egregia libertatis* sa-
§. 14. p. 23. lutetur. Fatetur interim Noster, liberos, quos tractus Saxonicus
§. 15. confinesque quondam aluere, æstimatione nequaquam unifor-
p. 24 sq. mes, neque illos, qui in Principum territorio consederunt, ab omni nexu homagii atque subjectionis exemtos, quin potius a ministerialibus hoc saltem titulo discretos fuisse, quod ditionem suam tenerent mero jure allodiali, nec ideo servitia præstarent, quæ feudis militaribus & aulicis tunc incumbebant. Monstrat porro, quod tales non modo sub Principum imperio reapse fuerint, verum etiam in Thuringia sigillatim Landgraviis tam arcto nexu fuerint adstricti, ut in alienandis bonis suis consensum eorundem implorare deberent, imo ab his, ad instar Ministerialium, certis castris adjici, cum eis denique commutari aut di-
§. 16. vendi potuerint. Ex quibus omnibus denique colligit, liberos,
p. 25 sq. qui ætate media erant, cum liberis Dominis & Baronibus hodier-
not. p. 26 sq. nis minus recte commisceri, explicans pariter, qui quondam Ba-
§. 17. ronum, quive Nobilium & Dominorum elogio venerint. Pro-
p. 29 sq. gressus hinc Autor ad *Ministeriales*, tabularum fide deprehendit, fuisse tales tum Cæsaribus & Imperio, tum Præsulibus ecclesiarum & Principibus ac Comitibus, nec inter istos, quod aliis
§. 18. quidem videtur, multum fuisse discriminis, quin potius posterio-
p. 31 sqq. ribus etiam familias florentissimas Comitum, Dynastarum & Equitum fuisse accensitas, ipsosque ad negotia tum aulæ tum re-

gionis

gionis graviſſima haud ſecus ac liberos adhibitos. Utendum pro- §. 19
inde cenſet circumſpectione, ſi quando vox Miniſterialis manci- p. 33 ſqq.
piis adeo & hominibus infimæ ſortis attributa reperitur, ne hi
cum illis confundantur. Neque enim ferendum V. Ill. *Ludwigi-* §. 20.
um, quod ex hiſtoria Miſnica *Eliſabetham Maltitiam*, Henrici p. 35 ſqq.
Illuſtris, & *Cunigundam Iſenbergiam*, Alberti Degeneris conju-
ges, ad claſſem hanc mortalium abjectiſſimam traxerit. Haud §. 21.
interim negat, ſtatum Miniſterialium ordinis equeſtris, qua per- p. 41 ſqq.
ſonas, qua bona, qua matrimonium, qua prolem adſtrictiſſimum,
ut in ſenſu improprio proprii homines atque ſervi facile potu-
erint nuncupari. Munia vero eorundem ſe retuliſſe non tam
ad res bellicas, quam civiles, palatinas modo, modo provinciales,
& ad hæredes tranſiiſſe, argumentis idoneis evincit, quantumvis
ipſos ſæpenumero ſub jure vaſalli & miniſterialis potuiſſe ſimul
conſiſtere, largiatur. Claudit tandem Autor hunc diſcurſum, mo- §. 22.
nens, qua ratione in provinciis Saxonicis & liberorum & mini- p. 46 ſq.
ſterialium appellatio ſeculo XIII ac XIV exſpirarit. Hinc ſcopo §. 23.
propius acceſſurus, confirmandum ſibi ſumit, *Officiales hæredi-* p. 47 ſq.
tarios ſeu *Mareſchallos*, *Camerarios*, *Dapiferos* & *Pincernas* ad
Miniſteriales Principum cumprimis pertinuiſſe. Nec adeo videt, §. 24.
qua ratione doctrina V. Ill. *Ludwigii*, illos ab his ſollicite diſcer- p. 48 ſqq.
nentis, Saxonicis commode applicetur. Porro cum earundem §. 25.
functionum origines nondum ſint ſatis expeditæ, neque conſtitu- p. 51 ſqq.
tio de expeditione Romana vulgo inſcripta eas ſatis declaret,
haud interim veretur V. Cl. *Eſtorio*, officia hæc ab Ottonum Im-
perio accerſenti, accedere. Obſervat vero quod præter Princi- §. 26.
pes Epiſcopi quoque & Abbates, atque adeo Comites, longe citi- p. 54 ſq.
us ac alii autumarunt, Mareſchallos & ceteros officiales ſibi ad-
ſciverint, nec olim, ut quidem poſtea factum, opus habuerint
peculiari Imperatoris privilegio, quia ſuffecerit praxis invetera-
ta & jus provinciæ; præterea quod uterque Ordo, eccleſiaſticus
& ſecularis, haud perpetuo contentus fuerit quaternione, quin et-
iam Principes non detrectarint ſimili ratione Præſulibus mini-
ſtrare, ut ſaltem exempla Bambergenſis & Herbipolenſis, ex hi-
ſtoria Saxonica, probent. Quemadmodum autem ſuperiore me-
moria non inſolens fuit, ut alia aliaque officia imperii, aulæ vel

provinciæ in familias transirent lege hæreditaria, ab iisque no-
not.p.63 sqq. mina utplurimum gentilitia mutuarentur, id quod exemplis ex
historia nobilitatis depromptis in annexis notis copiosissime ro-
boratur: ita etiam cum quatuor Palatinis mature admodum alibi
vel seculo XI, in Thuringia vero & Misnia minimum seculo
XII evenisse advertimus. Facti rationem Noster se in Jure feuda-
69. li antiquo invenisse contendit, quanquam V.Cl. *Estor* multo aliter
de hac re pronunciet. Ceterum quidem ordo nunc tractationis po-
sceret, ut cum Autore descenderemus ad specialiorem *Officialium
ditionis Saxonicæ hæreditariorum* considerationem; at enim
cum nimia rerum varietas obstet, quo minus eos Lectori no-
stro uno quasi intuitu conspiciendos exhibere possimus, sal-
tem cum ipso secundum provincias nostras considerabimus,
quas nobiles familias Principes fungendis honoribus illis & ad
§. 28. posteros propagandis antehac dignas putârint. Sane quod ad *Du-
p.69 sq. catum Saxoniæ* attinet proprie sic dictum, conqueritur, de *Came-
rariis, Dapiferis* & *Pincernis* ejusdem hodie parum vel nihil co-
§.29–35. gnitum esse. Soli ergo restant *Mareschalli*, gente *Læseri*, de qui-
p.71 sqq. bus prolixe agit Noster, maxime cum etiam hodie præ ceteris
§.36–52. ex dignitate sua emolumenta satis ampla percipiant. Notiores
p.88 sqq. sunt Officiales *Landgraviatus Thuringiæ*, quippe cui jam seculo
XII exeunte *Mareschalli* de *Ebersberg*, *Camerarii* de *Fabner*, *Da-
piferi* de *Schlotheim* & *Pincernæ* de *Varila* præsto fuere, sequio-
ri tempore varia subinde a variis domibus gentilitiis cognomi-
na sortiti. Unde fit, ut passim legas *Mareschallos* de *Eckersbergs,
Goldbach, Thamesbrücken, Trebere, Gosserstedt, Froburg, Gutt-
manshausen, Sonneborn* atque *Holzhausen*, itemque *Dapiferos* de
Flachheim & *Sommerde*, nec non *Pincernas* de *Apolda, Debr-
zen, Saleck, Wiedebach, Rottelsberg, Korbisdorf, Veste, Dorn-
burg, Nebra, Trebera, Kevenburg, Bedern, Vondaff, Uttenbach*
& *Tautenburg*. Singulos Noster sigillatim sollicite contempla-
§. 42. tur, ut prætereamus, quæ de Comitum *Beichlingiorum Mareschal-
p.102. latu supremo* affectato & *Camerariorum* de *Mühlhausen* digna-
§. 43. tione imperiali commemoravit. Neque *Misnensi Marchiæ* sui
p.103 sq. defuere Officiales, quos aliquando ab Officialibus *Marchiæ Lands-
§.53.p.122. bergensis* fuisse diversos, probabile reddit. Eminent facile inter
istos

istos *Mareschalli* de *Mockeriz* & *Biberstein*, *Camerarii* de *Gnanstein*, *Dapiferi* de *Borne* & *Wellerswalde*, *Pincernæ* de *Landsberg* atque alii. Supereſt poſtremo *Principatus Hennebergiæ*, cujus ratione inter alios celebritatem adepti ſunt *Mareſchalli* de *Oſtheim*, quos & de *Kunſtadt*, *Strauff*, ac *Schleuſingen* quandoque cognominari videas, nec non *Dapiferi* de *Kemmaten*, *Henneberg*, *Ailsleben*, *Bennhauſen*, *Eiſfeld* & *Wezhauſen*. Colophonem demum Autor opellæ impoſiturus, paucis diſquirit, quatenus officia hæcce vel hodieque uſu ſint recepta vel obſoleverint, cauſas etiam notans, quæ interitum eorundem potuerint maturare. §. 54–63. p. 123 ſq. §. 64–69. p. 143 ſq. §. 70. p. 153 ſqq.

I CESARI IN METALLO MEZZANO e piccolo &c.

h. e.

IMPERATORES EX ÆRE MEDIO[illegible] & minimo collecti in Muſeo Farneſiano, Tomus deci[illegible] qui complectitur numos Nervæ, Traiani, Plotinæ & M[illegible]diæ. Opus PETRI PIOVENE, Societatis Jeſu; dedica[illegible] Sereniſſimo FRANCISCO PRIMO, Duci Parn[illegible] Placentiæ &c.

Parmæ, e typographia Ducali, 1727, fol.

Alphab. 3 pl. 16 & Tab. æn. 19.

NOn modo eruditionis, verum & diligentiæ laude P[illegible] druſio, deceſſori ſuo, nihil concedit Cl. Piovenius. [illegible] enim nonus Muſei Farneſiani Tomus, opera curisque e[illegible] litus, lucem adſpexit, vix abiit triennium, cum decimum [illegible] dit, numiſmata ſecundi ac tertii moduli, ſub Nerva & T[illegible] cuſa, tabulis XIX exhibentem. De eo ut luculentius co[illegible] utriusque Imperatoris nummos quosdam, ſelectu non nim[illegible] xio, nec tamen nullo habito, promemus, oſtendemusque, qu[illegible] iis lucem Cl. Piovenius affundat.

Ac Nervæ quidem numiſmata tabulis prima atque altera ſculpta reperiuntur. Inter illa tametſi nulla fere, niſi obvia, occurrunt,

nus Capponi a Porrecta in suis veritatibus aureis &c. cum B. Virgo filium suum tribus lanceis orbem universum ob ejus sce-lera disperdere volentem conspexisset, hos duos Ordines adinve-nit, ac eidem Filio suo irato, pro totius orbis conversione idone-os, præsentavit, quasi dicens, hoc ad filium carmen: beatos illu digito monstrans:

Nate mea hac genitura orbem salvato gemella,

ipsosque a Filio inde pacato commendatos, in urbe Romana con-junxit. Ad Sec. XVI: *Hoc Seculo,* inquit, *fætebant hæresi Mar-tinus Lutherus, Anabatistæ. Petrus Vermillus cogn. Martyr, David Georgius. Carolostadius. Libertini. Oecolampadius, Anti-christiani. Zwinglius, Brentius, a quo Ubiquetarii. Melanchton, Bucerus, Jonas Lutheri coquus, qui se justum Jonam jactita-bat. Calvinus, Servetus. Beza, Deistæ sive Trinitarii. Brenti-stæ, Puritani, Sabbatarii, Arrabonarii, Metamorphistæ: Anti-Lutherani, Matthias Flaccius, Infernales, Invisibiles, Pharellus, Biblistæ* &c.

Ne autem in præteritis tantum tam rara & inaudita scire Au-tor credatur, recensebimus etiam pauca quædam ex Sectione hu-jus operis secunda, quæ *historiam modernam* refert, & quidem catalogum *Acatholicorum modernorum*, qui pag. 204 seq. prolixe enarratur, excerpemus, ubi doctrinæ occurrunt & nomina, quo-rum si quis certam cognitionem habet, illum obscurissima & ignotissima quævis historiæ modernæ nosse confitebimur. Ec. RUSTICI vel RUSTICALES *Lutherani nolunt solvere tributa suo Principi, nisi cogantur.* PISTORICI *Lutherani docent, Chri-sti corpus esse præsens in Eucharistia sub pane, velut caro cocta in ardocrea.* INTERIMISTÆ *ex medio Lutherani & catholi-ci.* BOQUINII *docent, Christum non esse crucifixum pro pecca-toribus.* NUDIPEDES *spirituales separati Anti-Luthera-ni cuncta deseruerunt excepta falsa doctrina.* OLLARII *Anti-Lutherani sese invicem alternativis in dies tractare solent con-viviis.* Addendi his essent *Tibbi* vel *Meliapi, Batenburgici, Pa-storicidæ, Communistæ, Condormientes, Larmogani, Effronte-Neutrales* & ducenti alii, quos Autor commemorat, nisi hæc ad demonstrandam miram ejus in historia scientiam sufficere crede-remus.

Cum

Cum autem tam vera claraque de præsentibus Autor noster referat; quam certa sint, quæ de *futuris* prænuntiat, haud difficile est conjicere. Præsertim legi merentur, quæ de *vermibus infernalibus* admiranda nobis & horrenda narrat Part. III Sect. III Art. I. Nempe diversos fore vermes apud inferos, quorum alii corpus, alii animam damnatorum corrodent, horribiles, fœdissimos, immortales, venenosos, carnivoros, esitantes quidem, nec tamen se satiantes. *Tertia in inferno pœna*, inquit, *consistit in vermibus immortalibus, qui visu & sibilo sunt horribiles & vivunt in flamma, sicut pisces in aqua. Scaturient hi vermes per nares, oculos, aures, ora damnatorum, qui perpetuis morsibus intestina illorum & singula membra vellicabunt* &c. A pag. 286 usque ad pag. 314 Autor accuratissime describit particulare illud judicium, quod Christus statim post obitum cujuslibet hominis instituet, ubi defunctus, cujuscunque status, conditionis, sexus, professionis officiive fuerit e. g. *Agricola, Hortulanus, Vinitor, Stabularius, Pedissequus, Cubicularius, Coquus, Pincerna, Ancilla* &c. quam rigorosissime examinabitur, & judicabitur, non modo de propriis, sed & de alienis peccatis, quibus aliquo modo *consentitus* (ita Noster loquitur) vel cooperatus fuerat. Pro exemplo transcribamus examen *Ancillæ*, quæ in particulari illo judicio, referente Semo nostro, inter ceteras quæstiones, ad hasce imprimis respondere cogetur: *Si suæ Dominæ quovis modo cooperata fuerit ad illicitum amorem? An herbas, aut alind medium quæsiverit & adhibuerit ad abortum suæ Dominæ procurandum, quoad conceptum illicitum fœtum, aut embrionem occidendum? An varia garriverit, ad rixas & odium causanda? An Sagam vel Veneficam vel Ægyptiacam consuluerit & aliquid prohibitum ab illa didicerit? An servo, vel cani permiserit ipsa carnaliter uti? An suam Dominam docuerit aliquam superstitionem aut prohibitam secretam artem, ad nocendum alteri, ad amorem alterius efficiendum? An suæ Dominæ filiam docuerit obscœnas cantilenas, eam titillaverit, excitaverit, aut ei aliquid applicaverit, ad illicitam carnis voluptatem, aut immundum amorem versus hominem aut bestiam excitanda? An in medio vasis butyri corruptum in mele stercus infantis in fundo vasis posuerit?*

MISCEL-

MISCELLANEA SILESIACA CONTINUATA, variisque hinc inde præsidiis adornata, Collectore THEODORO CRUSIO, *Ducatuum Suidn. & Jaurav. Advocato jurato.*

Lignitii & Lipsiæ, apud hæredes Rorlachianos, 1728, 8. Alph. 1.

POstquam primæ Miscellaneorum horum Partis mentionem fecimus in Actis Er. A. 1723 M. Dec. p. 535, par est ut alteram quoque, nuper editam, perlustremus. Exstant vero hic octo scripta breviora, quæ cuncta unam concernunt Vratislaviam urbem. Primum est *Mart. Radeckii* Carmen *in Insignia Senatus Populique Vratislav.* in eadem urbe A. 1567 editum, ubi Noster in
p. 13. notis monet, diligentissimum patriarum antiquitatum scrutatorem D. *Jo. Godofredum Baro* Commentarios de Insignibus Vratislav. moliri. Succedit 2) *Dan. Illmeri* Narratio brevis *de Vratislavia Silesiæ Metropoli*, publice facta Wittebergæ 1628; in qua dum agitur de bibliotheca publica Elisabethana, a Thoma a Rehdiger fundata, inter alios, qui de ea egerunt, commendatur in
49. notis B. Gryphius, qui in Charactere idonei Bibliothecæ Custodis recenset Codices MSptos, qui ex ultimis Turciæ atque Persiæ oris eo pervenerunt. 3) *Jo. Andr. Mauersbergeri* Diss. sub præsidio Jo. Lehmanni Witteb ergæ A. 1668 habita, *de Vratislavia Si-*
101. *lesiæ Metropoli.* Ibi observat Editor, jam Academia, a Divo Leopoldo Imp. A. 1672 fundata, Vratislavienses, licet invitos, gaudere. 4) *Christoph. Coleri* Carmen *in fatales turris & templi Elisabethani Vratislav. casus*, cui annectitur 5) *Andr. Calagii Suggestum Magdalæum Vratislaviense novum*, carmine adumbratum, Vratisl. 1581, & 6) *Mart. Radeckii* Carmen *de Ludorum literariorum apud Vratislav. initiis & incrementis*, editum ibid. 1567. Sequitur 7) *Adami Pantke* Diss. hist. *de Nobilitate Vratislaviensium erudita*, quam apud nos defendit A. 1697, multis a Cl. Editore notis eruditis & XV Nobilium eruditorum vitis au-
212. cta. In illis de Andrea Dudithio, Episcopo Quinqueecclesiensi & Cæsareo ad Henricum Valesium Pol. Reg. Legato, traditur, eum tantum Ciceronianæ eloquentiæ fuisse admiratorem, ut integrum Cice-

Ciceronem ter manu propria descripserit. De Adamo a Rhediger refertur, quod ope & subsidio nummorum antiquorum, quos ille Romæ collegerat, suos de re nummaria labores susceperit Hubertus Golzius. Denique VIII accessit *Christiani Sperlingii* poetica Enarratio de obsidione Vratislav. a Tartaris A. 1241 facta & miraculo soluta, sub titulo: *Flammis cælitus missis defensa Vratislavia*, edita Vratisl. 1665. Ceterum inscripsit hanc Miscellaneorum Partem Cl. Editor Ill. *Friderico Guilielmo a Sommersberg*, Viro historiæ patriæ imprimis promovendæ nato, à quo longe majorem *Scriptorum rerum Silesiacarum* Collectionem propediem exspectamus. p. 232.

FRANCISCI IRENICI, ETTLINGIACENSIS, Exegesis Historiæ Germaniæ, nunc denuo recognita, notisque illustrata; accedit CONRADI CELTIS Descriptio urbis Norimbergæ; curante JO. ADAMO BERNHARD.

Hanoviæ, apud Jo. Conr. Maximil. Ziegler, 1728, fol.

Alph. 6 pl. 14, computatis XXV Tabb. Geneal.

PErutilem laborem in se suscepit Cl. *Bernardus*, Scholæ Hanoviensis Rector meritissimus, quod hanc *Fr. Irenici* Exegesin, bis licet antea, Hagenoæ primum A. 1518 ab ipso Autore, iterumque a filio ejus Paulo Irenico Basileæ 1567 in fol. editam, sed hactenus tamen admodum inventu difficilem, non modo denuo prelo subjecit, quod dudum optarunt eruditi, sed & doctissimis subinde notis ita illustravit, ut desiderari nihil omnino posse videatur. Etsi vero de Autoris, qui pro nomine vernaculo *Friedlib* Græcum *Irenici* pro more suæ ætatis adscivit, vita & rebus parum annotarint Scriptores, non tamen prætermittenda nobis sunt, quæ Cl. Editor undique sollicite collegit. Natus nimirum Etlingæ, oppido sub Badensi ditione sito, circa annum, ut Noster evincit, 1495, cum in patria & mox Pforzhemii sub Ge. Simlero in literis profecisset, & Melanchthonem *fere puerum*, ut ipse loquitur, *vix quippe XX annorum, ceterum adultissimum ac litterarum experientia nulli secundum, cui quantum anni & corporis moles detraxerant,*

xerant, tantum ingenio adjecerant, præceptorem habuisset, Heidelbergam ad moderandam studentium adolescentiam cum aliis evocatus, ibidemque circa A. 1518 Scholæ S. Catharinæ præfectus est. Hinc mature Lutherum sectatus, evangelii doctrinam, cum in patria non liceret, Gemmingæ publice professus per aliquot annos, cum Reuchlino & Bilibaldo Pirckheimero aliisque frequens literarum commercium aluit. Quanto studio vero res Germaniæ omnis ævi, quam mature, excusserit, ex hoc ipso opere patet, quod jam anno ætatis vigesimo tertio suscepit: de quo prætermissis Jac. Spiegelii, Jac. Schopperi, Bœcleri & Reimmanni encomiis, unum producemus Viri Ill. Jo. Petri de Ludewig judicium. Ita vero ille Præfat. in Germ. Princ. C. II p. 41: *Liber rarus est, sed utilitate varietateque rerum aliis præstat ejus ævi scriptoribus. Habes in eo Germaniam veterem, mediam & novam: rationes Germaniæ cum universim, tum per omnes Principatus & Comitatus proditas sigillatim, historicas, genealogicas, politicas, theologicas, litterarias, geographicas, astronomicas; ut valde mirer, hoc apparatu ista ætate hoc opus prodiisse. Papa bibliopolam privilegio munivit per universum orbem. Nævi, quibus liber scatet, temporis magis sunt, quam scriptoris, qui nullis vigiliis videtur pepercisse.* Et quod ad hos quidem attinet, sunt qui Latini sermonis puritatem majorem, in Genealogia præterea & Geographia, ut & allegandi ratione nonnulla desiderent, siquidem, quod ad postremum, Taciti annales & historias una serie enumerat & sub Eutropii nomine ejus continuatorem Paulum Diaconum inducit: at hoc tempori, quo vixit, condonandum videtur. Adhibuit vero Cl. Editor utramque editionem, & cum in secunda desiderarentur Tabulæ Genealogicæ, quæ in prima passim inseruntur, quamvis more veterum per circulos & ramos nimis distortos dispositæ, non modo eas hic iterum dedit, verum & luculentius, ut recentiores solent, descripsit, eoque Lectorum commodis optime consuluit. Præterea cum integra non raro capita, & passim lineæ aliquot omissæ in altera editione fuerint, ea omnia restituit Noster; nec tamen hanc neglexit, ubi scripturæ compendia, lectu difficiliora, restituit & in Latinitatem infrequentem animadvertit. Adjecit etiam ex priori editione Celtis

tis Norimbergam, quæ in posteriori desiderata fuit, & ex utraque Orationem Irenici protrepticam in amorem Germaniæ ad Cancellarium Electoris Palatini Florentium de Phenningen, J.V.D. ex qua non minus, quam ex universo opere, patet, quantum Autor in optimis scriptoribus Græcis & Latinis fuerit versatus. Ceterum incertum videtur, utrum plus debeamus Cl. Editori, quod librum Irenici quasi sepultum in lucem revocaverit, an, quod tot notas eruditissimas adjecerit, e quibus exquisitam historiæ Germanicæ notitiam, velut ex ungue leonem, cognoscimus, optamusque, ut rem litterariam juvare felicissime pergat.

Nützliche Sammlungen zu einer historischen Hand-Bibliothec von Sachsen rc.

h. e.

JO. GOTTLOB HORNII, M. A. REG. PRUSS Societ. Scient. Socii, Analectorum Bibliothecæ portatili Historiæ Saxoniæ annexarumque regionum parandæ profuturorum Pars I, seu Lineamenta historico-diplomatica de Officialibus hæreditariis ex ordine equestri in provinciis Sereniss. Electoris & Ducum Saxonicorum antiquitus constitutis, sigillatim de Mareschallis, Camerariis, Dapiferis & Pincernis Saxoniæ, Thuringiæ, Misniæ atque Hennebergæ &c.

Lipsiæ, sumtibus Wolfg. Deerii, 1728, 4.

Pl. 22½ fig. æn. 1.

CLar. Autor in votis habens, ut facies historiæ patriæ in dies fiat lucidior, decrevit scrutantibus eandem, quantum pote, manus auxiliatrices afferre, eoque singulis minimum nundinis, quæ hic celebrantur, plagulas aliquot publicare. Non solum vero id curabit, ut proprias lucubrationes suas subinde communicet; verum & aliorum monumenta anecdota, diplomata præsertim atque chartas vetustas magno numero interspergetur; neque negliget dissertationes & schedas minores, quæ impressæ quidem, sed hactenus rarius comparuere. His prælibatis Autor in Præf.

prima hac Parte materiam tractat, nemini adhuc satis tentatam.
Curæ ipsi videlicet fuit adumbrare incunabula, statum & vicissi-
tudines *Officialium hæreditariorum*, qui antiquitus in provinciis,
Sereniss. Domui Saxonicæ hodie parentibus, fuerunt instituti,
Mareschallorum puta, *Camerariorum*, *Dapiferorum* & *Pincerna-*
§. 1. *rum.* Enimvero auspicia differendi capit ab enodatione discri-
p. 1 sq. minis inter *liberos* & *ministeriales*, quale seculis mediis in nobi-
§. 2-11. litate obtinuit. Recensitis igitur diplomatibus domesticis atque
p. 2 sqq. ac vicinis, describere primo aggreditur *liberos*, & ostendit, sub
§. 12. eo nomine non solum Equites & Nobiles ordinis inferioris, sed
20 sq. Comites quoque & Dominos, quin adeo Principes, comprehen-
§. 13. sos fuisse. Disputat hac occasione adversus V. Ill. *Eccardtum*, quo
21. sensu *Tidericus* ex tribu *Buzici*, propagator Sereniss. stirpis Sa-
p. 22. xonicæ hodie dominantis, apud veteres *Vir egregiæ libertatis* sa-
§. 14. p. 23. lutetur. Fatetur interim Noster, liberos, quos tractus Saxonicus
§. 15. confinesque quondam aluere, æstimatione nequaquam unifor-
p. 24 sq. mes, neque illos, qui in Principum territorio consederunt, ab
omni nexu homagii atque subjectionis exemtos, quin potius a
ministerialibus hoc saltem titulo discretos fuisse, quod ditionem
suam tenerent mero jure allodiali, nec ideo servitia præstarent,
quæ feudis militaribus & aulicis tunc incumbebant. Monstrat
porro, quod tales non modo sub Principum imperio reapse
fuerint, verum etiam in Thuringia sigillatim Landgraviis tam
arcto nexu fuerint adstricti, ut in alienandis bonis suis consensum
eorundem implorare deberent, imo ab his, ad instar Ministeria-
lium, certis castris adjici, cum eis denique commutari aut di-
§. 16. vendi potuerint. Ex quibus omnibus denique colligit, liberos,
p. 25 sq. qui ætate media erant, cum liberis Dominis & Baronibus hodier-
not. p. 26 sq. nis minus recte commisceri, explicans pariter, qui quondam Ba-
§. 17. ronum, quive Nobilium & Dominorum elogio venerint. Pro-
p. 29 sq. gressus hinc Autor ad *Ministeriales*, tabularum fide deprehendit,
fuisse tales tum Cæsaribus & Imperio, tum Præsulibus ecclesia-
rum & Principibus ac Comitibus, nec inter istos, quod aliis
§. 18. quidem videtur, multum fuisse discriminis, quin potius posterio-
p. 31 sqq. ribus etiam familias florentissimas Comitum, Dynastarum &
Equitum fuisse accensitas, ipsosque ad negotia tum aulæ tum re-
gionis

gionis gravissima haud secus ac liberos adhibitos. Utendum proinde censet circumspectione, si quando vox Ministerialis mancipiis adeo & hominibus infimæ sortis attributa reperitur, ne hi cum illis confundantur. Neque enim ferendum V. Ill. *Ludwigium*, quod ex historia Misnica *Elisabetham Maltitiam*, Henrici Illustris, & *Cunigundam Isenbergiam*, Alberti Degeneris conjuges, ad classem hanc mortalium abjectissimam traxerit. Haud interim negat, statum Ministerialium ordinis equestris, qua personas, qua bona, qua matrimonium, qua prolem adstrictissimum, ut in sensu improprio proprii homines atque servi facile potuerint nuncupari. Munia vero eorundem se retulisse non tam ad res bellicas, quam civiles, palatinas modo, modo provinciales, & ad hæredes transiisse, argumentis idoneis evincit, quantumvis ipsos sæpenumero sub jure vasalli & ministerialis potuisse simul consistere, largiatur. Claudit tandem Autor hunc discursum, monens, qua ratione in provinciis Saxonicis & liberorum & ministerialium appellatio seculo XIII ac XIV exspirarit. Hinc scopo propius accessurus, confirmandum sibi sumit, *Officiales hæreditarios* seu *Mareschallos*, *Camerarios*, *Dapiferos* & *Pincernas* ad *Ministeriales Principum* cumprimis pertinuisse. Nec adeo videt, qua ratione doctrina V. Ill. *Ludwigii*, illos ab his sollicite discernentis, Saxonicis commode applicetur. Porro cum earundem functionum origines nondum sint satis expeditæ, neque constitutio de expeditione Romana vulgo inscripta eas satis declaret, haud interim veretur V. Cl. *Estorio*, officia hæc ab Ottonum Imperio accersenti, accedere. Observat vero quod præter Principes Episcopi quoque & Abbates, atque adeo Comites, longe citius ac alii autumarunt, Mareschallos & ceteros officiales sibi adsciverint, nec olim, ut quidem postea factum, opus habuerint peculiari Imperatoris privilegio, quia suffecerit praxis inveterata & jus provinciæ; præterea quod uterque Ordo, ecclesiasticus & secularis, haud perpetuo contentus fuerit quaternione, quin etiam Principes non detrectarint simili ratione Præsulibus ministrare, ut saltem exempla Bambergensis & Herbipolensis, ex historia Saxonica, probent. Quemadmodum autem superiore memoria non insolens fuit, ut alia aliaque officia imperii, aulæ vel

§. 19 p. 33 sqq.
§. 20. p. 35 sqq.
§. 21. p. 41 sqq.
§. 22. p. 46 sq.
§. 23. p. 47 sq.
§. 24. p. 48 sqq.
§. 25. p. 51 sqq.
§. 26. p. 54 sq.

 pro-

provinciæ in familias transirent lege hæreditaria, ab iisque no-
not.p.63 sqq. mina utplurimum gentilitia mutuarentur, id quod exemplis ex historia nobilitatis depromptis in annexis notis copiosissime roboratur: ita etiam cum quatuor Palatinis mature admodum alibi vel seculo XI, in Thuringia vero & Misnia minimum seculo XII evenisse advertimus. Facti rationem Noster se in Jure feuda-
69. li antiquo invenisse contendit, quanquam V.Cl. *Estor* multo aliter de hac re pronunciet. Ceterum quidem ordo nunc tractationis posceret, ut cum Autore descenderemus ad specialiorem *Officialium ditionis Saxonicæ hæreditariorum* considerationem; at enim cum nimia rerum varietas obstet, quo minus eos Lectori nostro uno quasi intuitu conspiciendos exhibere possimus, saltem cum ipso secundum provincias nostras considerabimus, quas nobiles familias Principes fungendis honoribus illis & ad
§. 28. posteros propagandis antehac dignas putârint. Sane quod ad *Du-*
p.69 sq. *catum Saxoniæ* attinet proprie sic dictum, conqueritur, de *Camerariis, Dapiferis* & *Pincernis* ejusdem hodie parum vel nihil co-
§.29–35. gnitum esse. Soli ergo restant *Marescballi*, gente *Læseri*, de qui-
p.71 sqq. bus prolixe agit Noster, maxime cum etiam hodie præ ceteris
§.36–52. ex dignitate sua emolumenta satis ampla percipiant. Notiores
p.88 sqq. sunt Officiales *Landgraviatus Thuringiæ*, quippe cui jam seculo XII exeunte *Marescballi* de *Ebersberg*, *Camerarii* de *Fabner*, *Dapiferi* de *Schlotheim* & *Pincernæ* de *Varila* præsto fuere, sequiori tempore varia subinde a variis domibus gentilitiis cognomina sortiti. Unde fit, ut passim legas *Marescballos* de *Eckersberga*, *Goldbach*, *Thamesbrücken*, *Trebere*, *Gosserstedt*, *Froburg*, *Guttmanshausen*, *Sonneborn* atque *Holzhausen*, itemque *Dapiferos* de *Flachheim* & *Sommerde*, nec non *Pincernas* de *Apolda*, *Deberzen*, *Saleck*, *Wiedebach*, *Rottelsberg*, *Korbisdorf*, *Veste*, *Dornburg*, *Nebra*, *Trebera*, *Kevenburg*, *Bedern*, *Vondaff*, *Uttenbach* & *Tautenburg*. Singulos Noster sigillatim sollicite contempla-
§. 42. tur, ut prætereamus, quæ de Comitum *Beichlingiorum Marescbal-*
p.102. *latu supremo* affectato & *Camerariorum* de *Mühlhausen* digna-
§. 43. tione imperiali commemoravit. Neque *Misnensi Marchiæ* sui
p.103 sq. defuere Officiales, quos aliquando ab Officialibus *Marchiæ Lands-*
§.53.p.122. *bergensis* fuisse diversos, probabile reddit. Eminent facile inter istos

istos *Mareschalli* de *Mockeriz* & *Biberstein*, *Camerarii* de *Gnanstein*, *Dapiferi* de *Borne* & *Wellerswalde*, *Pincernæ* de *Landsberg* atque alii. Superest postremo *Principatus Hennebergiæ*, cujus ratione inter alios celebritatem adepti sunt *Mareschalli* de *Ostheim*, quos & de *Kunstadt*, *Strauff*, ac *Schleusingen* quandoque cognominari videas, nec non *Dapiferi* de *Kemmaten*, *Henneberg*, *Ailsleben*, *Bennhausen*, *Eisfeld* & *Wezhausen*. Colophonem demum Autor opellæ impositurus, paucis disquirit, quatenus officia hæcce vel hodieque usu sint recepta vel obsoleverint, causas etiam notans, quæ interitum eorundem potuerint maturare.

§. 54–63. p. 123 sq.
§. 64–69. p. 143 sq.
§. 70. p. 153 sqq.

I CESARI IN METALLO MEZZANO e piccolo &c.

h. e.

IMPERATORES EX ÆRE MEDIOCRI & minimo collecti in Museo Farnesiano, Tomus decimus, qui complectitur numos Nervæ, Traiani, Plotinæ & Matidiæ. Opus PETRI PIOVENE, Societatis Jesu; dedicatum Serenissimo FRANCISCO PRIMO, Duci Parmæ, Placentiæ &c.

Parmæ, e typographia Ducali, 1727, fol.

Alphab. 3 pl. 16 & Tab. æn. 19.

NOn modo eruditionis, verum & diligentiæ laude Paulo Pedrusio, decessori suo, nihil concedit Cl. Piovenius. Ex quo enim nonus Musei Farnesiani Tomus, opera curisque ejus expolitus, lucem adspexit, vix abiit triennium, cum decimum ille dedit, numismata secundi ac tertii moduli, sub Nerva & Trajano cusa, tabulis XIX exhibentem. De eo ut luculentius constet, utriusque Imperatoris nummos quosdam, selectu non nimis anxio, nec tamen nullo habito, promemus, ostendemusque, quam iis lucem Cl. Piovenius affundat.

Ac Nervæ quidem numismata tabulis prima atque altera sculpta reperiuntur. Inter illa tametsi nulla fere, nisi obvia, occurrunt,

runt, passim tamen ad illustranda ea doctissimus Piovenius collegit, quæ legisse haud pœniteat. Ejusmodi est, quod ad Tab. I, numum XIV incusum, quo Nerva P. M. TR. P. II COS. IIII appellatur, præeunte Pagio, qui fuse ea de re, Dodwellum revincit, qui Plinii, Victoris & Lactantii autoritate adductus statuit, Nervam, adoptato Trajano, summa se imperii potestate prorsus exuisse. Humani autem non nihil patitur Cl. Piovenius, ubi affirmat, Victorem memoriæ prodidisse, sexto mense imperio se abdicasse Nervam, idque pluribus refellit. Sexto enim decimo id factum tradit Victor, pro quo numero XVI minorem XIV reponendum in textu ejus esse, Cl. Pagius contendit. Tabula II nummus I, qui hinc caput muliebre sistit cum inscriptione: IMP. NERVA CAES. AVG. illinc globum cum temone litterisque SC. occasionem Piovenio nostro subministrat sub examen vocandi sententiam Tristani, existimantis, & uxorem Nervæ & ex illa filium nomine Calpurnii fuisse. De eo nummo Ill. Spanhemius, qui & pridem Tristanum hac ex parte confutavit, in altera præstantissimi operis sui editione p. 622: "Verosimilius quis ignotum ex au-"toribus Nervæ matrimonium colligat ex ejus nummo Mediceo, "in quo caput muliebre ornatum diademate: ni tamen insolitus "apud Romanos illis temporibus usus diadematis ad Deam ali-"quam, puta Junonem, eundem nummum referendum potius ar-"guat." Hæc verba, resectis postremis, tertia operis ejus editio T. II p. 288 mutata exhibet hoc modo: "Uxorem Nervæ in sin-"gulari nummo Mediceo . . . . . signari forte censuit peritus "olim ejusdem gazæ custos, Petrus Fittonius, in quo caput mulie-"bre diademate ornatum cernitur cum inscriptione: IMP. "NERVA CAES. AVG. in aversa globus cum temone." Mirum, utrobique Virum summum in capite muliebri diadema agnoscere, cum præter ornamentum capitis muliebre, quod mitram appellat Cl. Piovenius, nihil ibi appareat. Tabulæ ejusdem II nummum VII illustraturus Vir doctissimus, in quo laureæ juxta litteras S C. insculptum K, sententiam Harduini confutat, qui statuit, litteris his in præsenti aliisque similibus Nervæ nummis significari menses imperii ab eo gesti, natalemque hujus in natalem urbis, ut securius illi tribuere biennium solidum possit, rejicit.

Vir

TAB. IV ad A. 1728. M. Sept. pag. 417.

Fig. 1.




Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.




Fig. 5.




Fig. 6.



Fig. 7.




Fig. 8.



Vix autem ſatis patet, quo pacto affirmare poſſit Cl. Piovenius, Harduinum viceſimum menſem imperii Nervæ aſſignare Novembri A. C. XCVII. Nam ita eum facere ſane par erat: ſi enim nonus imperii annus a die XI Kal. Januar. cœpit, profecto viceſimus ab XI Kal. Novembr. cœperit, neceſſe eſt. At Harduinus, *noſtro autem calculo*, inquit, (miro ſane ac proprio viro paradoxis ſententiis nimio plus addicto) *ſiquidem in Natali Urbis accepit imperium a Senatu, menſis imperii & nonus & viceſimus a die XI Kal. Januar. æque incipit, ille quidem exeuntis A. 96, iſte exeuntis A. 97.* Hiſt. Aug. p.746.

Sed plus ſatis de Nervæ nummis; ad Trajanum pergimus, cujus nummos & multitudo ſua, (nam tabulas XVII complectuntur) & præſtantia, imprimis ſi Græcos ſpectes, lectoribus harum veteris ævi reliquiarum ſtudioſis vel maxime commendat. Nos inſtituti noſtri memores, miſſis ceteris, rariores quoſdam urbium Græcarum, atque earum præcipue, quæ apud Vaillantium in Opere Græcorum numiſmatum ſub Trajano vel prorſus non reperiuntur, vel quarum alios, quam Vaillantius, nummos profert Cl. Piovenius, breviter ſtrictimque attingemus. Primo nobis ſe offert ΑΝΕΜΟΥΡΙΕΩΝ nummus ex Tab. XII n. 2, ignotus Vaillantio, cui præcedentem cum litteris ΑΝ . . . . . . quantum judicare de eo ex delineatione licet, geminum arbitrari posſis. Ejus averſa in parte caput turritum cernitur, perinde ut in illo, quem e collegio Ludovici magni ſub Domitia laudat Vaillantius, quod ipſum tamen caput Domitiæ, neſcio quo jure, ibi Vir ceteroqui harum litterarum peritia nemini ſecundus adſcribit. TAB. IV. Fig. 1 & 2. ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ ΜΑΤΡΟΛΕΙΤΑΝ tres nummos affert Vaillantius, quibus quartum ex Tab. XII n. 4 addas licet, Fig. 3. cujus averſa pagina navem exhibet, indicium, ut videtur, navigationis, qua Heraclea Ponti, quippe urbs ἐυλίμενος Straboni, floruit, quanquam eam ad claſſem Athenienſium ſub Lamacho adverſus Heracleenſes miſſam, ſed tempeſtate fœda disjectam laceratamque, de qua re Juſtinus, referre mavult Cl. Piovenius. Nummus, qui Tab. XVI n. 2 extat, ΦΛΑΟΥΙ. ΝΕΑΠΟΛ. ΣΑΜΑΡ. cum litteris L. E I. ſub Trajano harum litterarum gnaris Fig. 4. tanto plus admirationis moveat, neceſſe eſt, quod Titi & Domitia-

 ni

ni nummi cum epocha L. A I. extant, quam cum Norisius repetat ab anno Urbis DCCCXXIII, fieri non potest, ut Trajani nummus cum epocha L. E I. reperiatur. An igitur Trajani nummus non est, quem ei tribuit Cl. Piovenius, quando adversa pars ejus, prorsus detrita, ægre unam alteramve litteram legendam exhibet? An vero epocham non complectuntur urbis litteræ illæ, sed annos imperii Trajani? Ita sibi persuadet Vir clarissimus, cui, si certo is nummus ad Trajanum pertinet, nemo non assentietur. Hoc pacto vero & litteræ L. A I. in Titi & Domitiani nummis annum Imperii XI designent, oportet, contra quam visum est Vaillantio & Harduino, qui si probabilem rationem petant, cur non alii, quam tam sero cum eodem Imperii anno cusi a Neapolitanis Samariæ nummi sub Tito & Domitiano reperiantur, quid responsurus sit, viderit. Sed si de superiori nummo, utrum ad Trajanum pertineat, nec ne, dubitari quodammodo potest, multo majori fortasse jure dubitabitur de nummo ΟΡΘΩΣΙΕΩΝ, Tab. XVIII n. 11 delineato, qui non caput Imperatoris, sed ΣΥΝΚΛΗΤΟΥ, *Senatus*, exhibet, ut docet inscriptio, tametsi vultum Trajani in capite nihilominus agnoscit Cl. Piovenius, ratus, nihil absoni esse, sub capite Senatus Imperatorem, velut genium ejus, repræsentari.

TAB. IV. Fig. 5.

ΓΑΒΑΛΕΩΝ in Phœnicia duos nummos cum æra BNP affert Vaillantius, quibus hic in Tab. XIX n. 1 tertius accedit, cum eadem epocha quidem, sed typo diverso, mulieris stantis dextraque spicas aut papaver, sinistra hastam tenentis. Epocham Gabalensium Cl. Piovenius ab A. V. DCCV repetit, nec Norisium, qui ejus initium in A. DCCVII, nec Harduinum, qui in A. DCCVIII rejicit, secutus. ΜΑΓΥΔΕΩΝ in Pamphylia nummus cum litteris anni ΙΕ apud Vaillantium describitur; similem Cl. Piovenius in eadem Tab. XIX n. 5 exhibet cum litteris ΙΔ. Quod ipsum satis est, ut credamus, diversos ab utroque nummos laudari, præsertim cum Vaillantius suum ex propria penu promat. Harduinus alium ex gaza regia commemorat, cum L. I. legique in eo ait ΜΑΚΥΛΕΩΝ, ut in superiori, quondam Foucaldino, nunc Parmensi, ΜΕΓΥΔΕΩΝ. Sed reponendum fortasse ΜΑΓΥΔΕΩΝ utrobique, tametsi Cl. Piovenius ex suo ΜΑΓΙΔΕΩΝ, littera I pro Y scripta, exhibet, minus vere, nisi omnia nos fal-

Fig. 6.

Fig. 7.

fallunt, sive errore id factum sit operarum, sive, quod scriptura nummi aliquantum detrita oculorum aciem fugeret. TIBERIOΠΟΛΕΙΤΩΝ nummum cum Dianæ Ephesiæ typo laudat Vaillantius, docetque, ex sua eum supellectile in gazam Foucaldinam transiisse. Unde dubitari vix poterat, quin idem sit, quem Tab. XIX n. 6 sistit Cl. Piovenius, quando is nullum alium Tiberiopolitarum profert. At in eo ipso nummo non Diana Ephesia cernitur, sed mulier insidens monti, unde aqua erumpit, sinistra serpentem pascens, hoc est, Hygeia vel salus. In eodem comparet epocha ET. ΑΠ, quæ est non Tiberiopolitarum in Phrygia, quos designat vox ΤΙΒΕΡΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, sed ΚΛΑΥΔΙΟ ΤΙΒΕΡΙΕΩΝ *Claudio Tiberiensium* in Palæstina. Atque ita reapse legendum esse, non tantum ex Vaillantio, qui nummum ex regia Gallorum gaza describit, sed & e Norisio patet, qui ejusdem integriorem, quam est Cl. Piovenii, ectypum ære expressum sistit in libro de Epochis Syro-Macedonum Diss. V C. 6, qui conferri meretur. Epocham ΑΠ Vir doctissimus, perinde ac Norisius, repetit ab anno Vrbis DCCLXX, non tamen a vere, sed autumno. Nummus enim cum litteris L.A P. quibus nixus epochæ initium ab autumno in vernam tempestatem revocat Vir summus, non Trajani, ut ille persuaderi sibi passus erat, sed Hadriani est, extatque in florentissima gaza Parmensi, unde eum suo tempore descriptum dabit Cl. Piovenius, quam in rem, atque adeo ad totum opus hoc, æternum gentis Farnesiæ decus, absolvendum vitam ei ac vires ex animo apprecamur. TAB. IV. Fig. 8.

BIBLIOTHECA JURIDICA UNIVERSALIS, sive JO. JAC. SPEIDELII Sylloge Quæstionum Juridicarum revisa, correcta & aucta.

Volumina II.

Norimbergæ, sumtibus B. Jo. Andr. Endteri Hæredum, 1728, fol. Alph. 29 pl. 15.

TItulum dedimus Operis sat vasti generalem, sed ut constet, quid in eo præstitum sit, operæ pretium fuerit etiam specia-

 lio-

liorem huc e fronte transscribere. Est vero hic: *Bibliotheca Ju-
ridica universalis, sive Quæstionum Juridicarum omnis generis,
theoreticarum, ac practicarum, veterum & recentiorum, Juris
Civilis, Canonici, Feudalis, Publici ac Privati, Communis & Sta-
tutarii, ex variis Doctorum Decisionibus, Consiliis, Consultatio-
nibus, Resolutionibus, Tractatibus & aliis, quotquot fere in pu-
blicum prodierunt, Scriptis Juridicis quam plurimæ myriades,
olim a* Jo. Jacobo Speidelio, *JC. Judicii Imperial. Aul. Consilia-
rio, sub Tit. Sylloges variarum Quæstionum, compilatæ & publici
Juris factæ: jam vero nova plane & longe accuratiori methodo
ita adornatæ, ut singulæ Quæstiones sub certas Classes & Titulos
relatæ, in affirmantem vel negantem sententiam resolutæ, autori-
tatibus & testimoniis Doctorum roboratæ, resectis inutilibus, ta-
diose repetitis, & quæ alieno loco posita erant, justo ordine, con-
grue loco, propositis, sed & adjectione integrarum vocum, multa-
rumque millium novarum Quæstionum ex recentissimis Autoribus
Juridicis horumque Quæstionibus prioribus, per totum opus
aspersione & accessionibus, opus duplo plus auctum, ita ut ad in-
star Bibliothecæ locupletissimæ casus in foro & auditorio obveni-
entes inde facili negotio resolvi, & in spinosioribus controversiis
& perplexis quibusvis quæstionibus consilium ex arena capi, quin
& illæ statim decidi, decisæ autem Doctorum suffragiis stabiliri
possint, autore B.* Johanne Jacobo Curtio, *JCto, Ser. Duc. Wür-
temb. intimæ admissionis quondam Consiliario, Procancellario,
Feudorumque Præposito: nunc denuo revisum, recognitum, no-
visque scriptorum, qui vel deerant, vel novissime demum prodie-
runt, & infinitarum Quæstionum additionibus, ditatum ac do-
tatum, opera ac studio B. Autoris ex Filia Nepotis,* Jac. Davidis
Mœglingii, *U. J. D. & Academiæ Tubingens. Juris Canon. Prof.
Publ. Ord. Ser. Ducis Würtemb. Consiliarii.* Atque ita videri possu-
mus recensione libri non novi defuncti, nisi nonnihil etiam de
elegantissima Conf. *Mœglingii* Præfatione, quæ huic editioni ac-
cessit, dicendum esset. Primum enim eorum examinat senten-
tiam, qui omnes Juris locos, quos ajunt, communes aspernan-
tur. Deinde Quæstiones quasdam inanes, a JCtis motas, produ-
cit, quibus lectis vix risum teneas; sed has atque similes, quæ
usum

usum non habent, ex opere hoc exulare voluit. Denique instituti hujus rationes pandit, ac scopum ejus & multifarias utilitates repræsentat. Postquam enim altera editio operis Speideliani prodiisset, obstetricante Celeb. *Curtio*, Nostri avo materno, idem de tertia nova veste adornanda serio cogitabat. Nam & ingens in opere confusio regnabat, quod Quæstiones alieno loco tædiose repetitæ comparebant, & multa delicatioris seculi genius respuebat, plurima vero omissa desiderabant eruditi, nec apparebat, utrum Autores commendati affirmarent quæstionem aut negarent. Quibus omnibus medelam afferre conatus, ante omnia Quæstiones omnes resolvit, resolutas sub certa capita & classes, prout natura & indoles suadebat, redegit, otiose repetita resecuit, substitutis novis quandoque vocibus, totumque opus multis Quæstionum myriadibus infinitisque Doctorum autoritatibus ex instructissimis, sua aliorumque, bibliothecis locupletavit. Quanta fuerit operis exspectatio, ex Jo. Ge. Kulpisii, Jo. Ulr. Pregizeri, & Lauterbachii, quo imprimis amico usus est Curtius, locis, a Nostro productis, patet. Enimvero cum idem Conf. Curtius partim munerum gravitate prohibitus, partim morte A. 1692 præventus, laborem non nisi a littera *A* ad vocem *Feudum* produxisset, opportune accidit, ut opus affectum in manus inciderit Viri Cons. *Jo. Bernardi Sattleri*, JCti, Ser. Ducis Würtemb. lineæ Neostad. ut & Ordinum Provincialium Ducatus Würtemb. Consiliarii & Cancellariæ Neostad. Directoris, qui cum regendæ Mœglingii nostri, unici Curtii hæredis, minorenni ætati Curator datus esset, cœptam telam pertexere pro incredibili in Nostrum amore instituit, tandemque laborem immensum feliciter ad umbilicum deduxit.

MATERIA MEDICA, OR A NEW DESCRIPTION of the Virtues and Effects of all Drugs or simple Medicines, now in use.

i. e.

DESCRIPTIO NOVA VIRTUTUM ET EFFECTUUM omnium Simplicium Officinalium; cum Introdu-

ctione & Observationibus EDUARDI STROTHERI, *M. D. & Colleg. Med. Lond. Reg. Collegæ.*

Londini, apud Carolum Rivington, 1727, 8.
Alph. 2.

PAulus Hermannus, Princeps suo tempore Botanicorum, Materiæ Medicæ excolendæ admodum studiosus fuit, Auditoresque suos hoc in scientiæ genere summa fide & industria instruxit, nihil vero de eadem luci publicæ exposuit. Ex MStis tamen Collegiis orbi literato communicarunt Johannes Sigismundus Henningerus *Pauli Hermanni Cynosuram Materiæ Medicæ; Argentorati 1710,* 4, nec non D. Christianus Ludovicus Welschius *Lapidem Materiæ Medicæ Lydium seu accuratum medicamentorum simplicium Examen secundum ductum partium eadem constituentium eorumque virtutes formantium institutum & brevissima methodo dispositum a Paulo Hermanno; Lipsiæ 1703, 8.* Sic & haud ita pridem extitit, qui ejusmodi Collegium Materiæ Medicæ Hermannianum Anglico donavit idiomate, quod dignum judicavit Clarissimus Strotherus, quod typis exprimeretur, adjunxitque eidem non solum Introductionem generalem de operationibus omnium medicamentorum in corpore humano, sed & Observationes quandoque Simplicibus adjecit. De Materia Medica Hermanni aliquid monere, eo magis supervacaneum ducimus, quo pluribus jam versatur manibus modo commendata Cynosura ab Henningero edita, eadem tradens, quæ in præsenti opere exhibentur, sub hac tamen differentia, quod, cum Henningerus Simplicia in diversas classes, habito ad internam partium constitutionem respectu, dispescuerit, hic juxta literas Alphabeti in Voluminis I Parte 1) radices, 2) herbæ, 3) excrescentiæ, 4) cortices, 5) ligna, 6) semina, in 7) quæ Voluminis II primam efficit, fructus, 8) farinas, 9) & 10) succos, 11) gummata, balsama, & resinas, 12) animalia, eorumque partes, 13) flores, 14) mineralia, metalla & lapides, & in 15) marina explicentur; quibus digressio de purgantibus, quorundamque medicamentorum compositionibus & formulis adjecta est. Ex Introductione & Observationibus Clariss. Strotheri nunc quædam cum L. B. su-

mus

mus communicaturi. In Introductione de Operationibus medicamentorum in corpore humano ſequentem commendat methodum Autor. Inquiſituri in cauſas naturales conſiderare debemus objectum, num ſit ens, an actio? Circa ens inveſtigandum eſt in ejus eſſentiam & qualitates tam eſſentiales quam adventitias. Sic materiæ eſſentiam conſtituit extenſio, proprietates eſſentiales ſeu univerſales gravitas, motus, diviſibilitas, figura & impenetrabilitas; particulares & adventitias calor, frigus, color. Circa actionem conſideranda eſt facultas, actio ipſa, ejusque radix & modus. Sic reſpiratio eſt actio, cujus radix animaleitas, facultas capacitas aerem admittendi & excludendi, exiſtit, modus vero a ſtructura thoracis, pulmonum &c. dependet. Actionem & ejus facultatem ſemper cognoſcimus, modus ſæpe nos latet, e. g. quando magnes ferrum attrahit; nec minus cauſa ſeu textura partium, e. g. in determinanda vi elaſtica chalybis. Facultates per principia mechanica in actum deducuntur, circa quæ ſupponendum eſt, dari materiam aliquam univerſalem, omnibus corporibus communem, & immutabilem, eſſentialiter extenſam, quæ dividitur in ſolidam & fluidam; illa eſt, quæ obtinet ſuperficiem inæqualem, qua variis punctis tangit planum; hæc, quæ cedit tangenti & ex corpuſculis circularibus conflatur. Materiæ hujus proprietates eſſentiales ſunt gravitas, diviſibilitas, mobilitas, figurabilitas, impenetrabilitas. Proprietates ſecundariæ radicatæ ſunt in diverſa textura corporum, & conſiſtunt in diverſo ordine, relatione, vicinitate, diſtantia & ſitu particularum: omnia corpora poſſunt in quatuor claſſes ſeu formas dividi, quarum ſingulæ utplurimum certum poſſident numerum proprietatum mechanicarum, ita ut hæ claſſes, principia chymica alias dictæ, cauſæ immediatæ exiſtant actionum, affectiones mechanicæ antecedentes, & materia ipſa procatarctica cauſa. Criterium horum principiorum chymicorum eſt, quod omnia, ſi quam proxime fuerint homogenea, comprimi ſe non patiantur, quod tamen contingit, ſi alia atque alia inter ſe invicem combinentur, idque ratione motus, figuræ, aliarumque proprietatum mille modis fieri poteſt. Dantur etiam qualitates compoſitæ, quæ a materia varie modificata dependent, mereque accidentales ſunt, ita ut, ſi proprietates materiæ quocunque modo alte-

alterentur, ipsæ pariter proportionate immutatæ compareant. Dicuntur hæ vel primæ, ut calidæ, frigidæ, humidæ, siccæ; vel secundæ, ut volatiles, fixæ, corrosibiles, corrosivæ; vel sensibiles vel occultæ; optimus tamen eas dividendi modus est, quando aliæ dicuntur activæ, passivæ aliæ, quarum illæ a motu, hæ a quiete dependent. Ad illas refertur calor, volatilitas, corrosivitas, elasticitas, solutio, attenuatio, fermentatio, effervescentia, præcipitatio, filtratio, incisio, odores, sapores & colores: ad has frigus, siccitas, humiditas, fixitas, corrosibilitas, opacitas, flexibilitas, tenacitas, fragilitas, laxitas, durities, mollities, cohæsio, incrassatio, obtusio, & absorptio. Hæc si applicentur ad corpus humanum, ejusque partes fluidas ac solidas, videmus, variis eas subjectas esse alterationibus. Quodsi enim fluida rarefiunt, tubi elongantur, attenuantur suaque elasticitate privantur: si abundant particulis oleosis vel aqueis, vasa oblinuntur, laxantur & perdunt motum suum tonicum; sin terrestribus aut salinis solida stimulantur, vellicantur, hinc vel magis elastica vel rigida redduntur, ac corroborantur; sin nimis cohæreant, propter motum justo languidiorem & amplam superficiem vasorum parietibus firmius impinguntur. Cum igitur fluida circulentur per suos canales, varios impulsus & impressiones recipiunt pro varia horum contractione, idque per pulsum cordis; unde etiam apparet, quid hujus systolen & diastolen, i. e. circulationem sanguinis promoveat. Scilicet quæcunque resistentias removent, influxum sanguinis & spirituum restaurant, vasa flexilia reddunt, & tonum conservant. Jam quod medicamenta attinet, qualitates hæc obtinent decompositas, quatenus duas vel plures ex compositis possident; harum aliæ univoce agunt, dum digestiva relaxant & stimulant, sarcotica relaxando & stimulando vasa inaniunt, ac contrahunt, epulotica contrahunt & absorbent; aliæ æquivoce, sic cephalica non solum dicuntur, quæ vasa stimulando & viscositatem incidendo sanguinem imminuunt, & attenuant, ut acorus, caryophyllata, angelica, &c. sed & quæ sal volatile, quo abundat sanguis, infringunt, ut spiritus vitrioli. Quando igitur medicamenta contra morbos a scriptoribus materiæ medicæ commendantur, non acquiescendum est in qualitatibus decompositis, quatenus dicuntur anti-pleu-

pleuritica, antepileptica, &c. sed ad compoſitas refugium capere, & inveſtigare debemus, quibus facultatibus talem effectum præbeant. Sic quoniam millepedes facultatem poſſident fluida attenuandi & ſolida ſtimulandi, antaſthmatici dicuntur, ſed non adhibendi ſunt, niſi quando pulmones pituitoſa materia ſunt infarcti. Effectus enim decompoſiti a qualitatibus compoſitis, hæ vero a principiis mechanicis dependent. Sic antihydropica ſtimulant & attenuant; ſtimulatio autem dependet a figura medicamenti & attenuatio a motione, ſubtilitate & pondere. Hæc figura, motio, ſubtilitas & pondus ſunt proprietates mechanicæ corporum, a quibus originaliter omnes alterationes in corpore humano derivantur, nec ultra progredi in effectibus naturæ explicandis licet. Sed pergimus ad obſervationes a Clariſſ. Strothero recenſitis ſimplicibus adjectas, quæ ſunt Phyſicæ, Botanicæ, Pathologicæ, Therapevticæ, Chymicæ & Pharmacevticæ; ex quibus paucas allegabimus. Salia in plantis juxta Autorem male Vol. I p. 15.
dicuntur fixa; ſub hoc enim nomine veniunt lixivioſa ſalia & quæ igne parata ſunt; poſſunt vero vocari alcaliſata, quia ſalium fixorum virtutes obtinent. Vegetabilia ſalibus volatilibus ebria 21.
coctionem non ferunt; ſin oleoſas ſimul contineant particulas, hæ impediunt, quo minus illæ avolent. Tremor a mercurio oritur, quia hic abſorbendo ſalia ex ſanguine vaſa nimis rigida red- 47.
dit, ſalibus vero volatilibus oleoſis corrigitur. Malignitas in eo 213.
conſiſtit, quod activæ particulæ viſcidis ſint involutæ. Magna eſt convenientia inter viſcum quercinum & alchymillæ folia intui- 274.
tu mutationis coloris; utraque enim ſi recens pulveriſentur, viridem præ ſe ferunt colorem, ſucceſſu temporis flaveſcunt; ſin tantillum ſalis volatilis eisdem addatur, priſtinum recuperant colorem. Ex quibus concludit, colorem viridem a certa ſalis volatilis oleum attenuantis proportione dependere, aeri vero expoſitos pulveres acidum ab eo ſub certa proportione admittere, quod colorem mutat; vel evaporata ſalis volatilis vel olei portione, quod reliquum eſt, ab acido vel plantæ, vel aeris, vel utriusque ſpiſſeſcit. Amara raro ſupra alembicum aſcendunt; poſt- Vol. II p. 13.
quam autem methodi ſalia fixa in volatilia transmutandi cognitæ nunc nobis ſunt, videtur in colocynthide, cujus aqua deſtillatur

 amara,

amara, analogi quid latere cum invento hoc artificioso. Amara enim aliquandiu asservata parum vel nihil salis fixi obtinent, quo tamen recentia abundabant; & colocynthis spongiosa substantia prædita, mox corrumpitur, & volatile quasi redditur, indeque
Vol.II p.66. supra alembicum ascendit. Fistulam denique ani spiritu vini camphorato curatam refert. Mittimus observationes uberrimas simplicibus ex Regno Minerali petitis adjectas, ad librum ipsum
Vol.I p.17. L. B. remittentes. Interim non possumus non monere, corrigere quandoque & castigare Strotherum Hartmannum, dum e. g. negat, bistortæ saporem adstringentem testari de particulis terrestribus plantæ; siquidem terrea per se nullum continent saporem, mista vero cum acido adstringentia evadunt; Turpethi
93. virtutem catharcticam alcalicis augeri, quia hæc resinas dissolvendo vim purgantem destruunt; spiritum Ligni sancti ad luem ve-
270. nercam conducere, cum sit acidus; gallas terrestribus tantum
Vol.II p.23. gaudere particulis, siquidem alias ferrum non posset præcipitare in atramentum. Falso enim vulgo credi existimat, styptica ut talia præcipitare aquas minerales. Hæ enim nihil aliud sunt quam ramenta metallica, ab acido quodam subterraneo in Vitriolum corrosa. Hinc cum cuncta vitriola solum a salibus præcipitentur, sequitur, gallas continere sal aliquod vitriolo contrarium.

DE CURA ECCLESIÆ VETERIS CIRCA Canonem sacræ Scripturæ, & conservandam codicum puritatem, Commentatio Theologico-Critica; Autore JOANNE FRICKIO, S.T.P.

Ulmæ, sumtibus Dan. Bartholomæi, 1728, 4.

Alph. 1 pl. 2½.

MAxime Reverendus Autor, cujus eruditos labores jam sæpius in his Actis laudavimus, hic fundamentalem illam de Canone Biblico doctrinam quatuor persequitur in Capitibus. Horum *primo* originem investigans sacri codicis, Mosem docet *Deut. XXXI, 26*, libros suos Ecclesiæ dedisse cum cura servandos, nec dubitat, idem fecisse Prophetas succedentium temporum, Esdram

Esdram denique non tanquam criticum, sed tanquam virum θεόπνευστον, disjecta Mosis ac prophetarum monumenta in unum corpus collegisse atque edidisse. Hinc Rich. Simonii sententiam de canone Scripturæ sacræ refellit, similemque Pyrrhonismum introducere conatos, Lud. Cappellum, If. Vossium & Jo. Morinum, debita censura perstringit. Quam vigil fuerit divina providentia, ut & conservarentur sacri libri & sinceri manerent, ex Christi probat & Apostolorum ad illos provocationibus sine ulla corruptionis mentione. Disputat etiam contra Pontificios, non ab Ecclesiæ arbitrio pendere autoritatem Canonis, sed a Deo. Tandem adversus Huetium contendit, *Canonem sacrum* non dici indicem & catalogum librorum divinorum, sed regulam divinam veritatis.

Cap. II de cura Ecclesiæ Christianæ circa Veteris Testamenti codicem differit, initio docens, Christum & Apostolos, dum libros Vet. Test. nominatim laudarunt, apocryphos non item, hoc ipso ostendisse nobis libros canonicos. Hinc testimoniis Patrum Ecclesiæ probat, Ecclesiam semper in id incubuisse, ut libris canonicis nullus adjungeretur apocryphus, sed illi ipsi libri, quos Pontificii postea autoritate canonica impertire ausi sunt, excluderentur. Unde & accurate diluit, quæ Pontificii e posterioribus Conciliis Patrumque allegationibus valere putant ad autoritatem canonicam conciliandam iis libris, quos nos una cum prisca Ecclesia e Canone excludimus.

Cap. III curam Ecclesiæ circa Novi Test. Canonem laudat. Initio ostendit, jam vivis Apostolis circumferri cœpisse libros suppositios, indeque necessariam fuisse constitutionem Canonis: quem primis statim temporibus in Conciliis constitutum fuisse, e quodam Tertulliani loco docet, idque negantem Jo. Clericum refellit. Quæ vero de Canone N. T. traduntur in *Canonibus Apostolorum* & in *Constitutionibus Apostolicis*, rejicit, ac duo ista scripta nullius esse autoritatis, evincit non solum contra Turrianum pontificium, sed etiam contra Montacutium, Beveregium & Whistonum. Tum e *2 Petri III, 15* docet, Apostolos curam gessisse librorum N. T. canonicorum, nec dubitat, Joannem Apostolum fuisse primum N. T. Canonis autorem & constitutorem.

 Quod

Quod si quis objiciat, dubitatum diu fuisse de autoritate Epistolæ ad Hebræos, Jacobi item & Judæ, posteriorumque Petri & Joannis Epistolarum, respondet, duce Millio, has epistolas edito jam Codici Apostolico deinceps adjectas fuisse a particularibus Ecclesiis, & hinc ortam esse per aliquod tempus controversiam.

Cap. IV, quantæ curæ fuerit vetustissimæ Ecclesiæ puritas Codicum N. T. probat ex Irenæo, Tertulliano, Ignatio, Origene, Justino: & hac occasione notat Millium, nimis exaggerantem variantes lectiones, ejusque speciatim refellit sententiam, qua statuit, doxologiam Orationis Dominicæ non esse genuinam, sed a Græcorum liturgiis insertam. Longior hic est Rev. Autor, ac singula Millii argumenta proponit, expendit, & erudite confutat. Ultimo loco querelas Hieronymi aliorumque veterum de codicibus N. T. depravate scriptis producit, simulque eos commemorat, qui prisco ævo operam dederunt codicum N. T. emendationi. Respondet, istas Hieronymi, scriptoris hyperbolici, ceterorumque querelas haud esse fide dignas, ac præterea distinguendum esse inter codices publicos & privatos.

PHILOCALIA EPISTOLICA, SIVE CENtum Epistolæ varia notatu digna, imprimis ad sanctiorem doctrinam atque Historiam Ecclesiasticam spectantia, continentes. E MSStis edidit, notis illustravit & præfatione, in qua de similibus nonnullis Epistolarum Collectionibus differitur, nec non indicibus auxit JO. HENR. A SEELEN, SS. Theol. Lic. & Gymn. Lubec. Rect.

Lubecæ, sumtibus Pet. Bœckmanni, 1728, 8.

Alph. 1 pl. 7.

QUemadmodum minime accedimus eorum sententiæ, qui nihil in ejusmodi literis, quales hæ ad familiares, contineri, nisi quod ad accuratiorem imo firmiorem de eruditorum quorundam vitis atque scriptis notitiam faciat, statuunt; ita nulli dubitamus asserere, illos, qui, quas in promptu habent,

bent, epiſtolas latere patiuntur, parum probandos eſſe. Quo enim rariora de vitis excellentium virorum indicia ſunt, eo ſollicitius quasvis, ſi vel ſint minutiſſimæ particulæ, e latebris, in quibus deliteſcunt, in medium protrahendas eſſe, res ipſa loquitur. Ab iis igitur, qui nihil indignius ducunt, quam, quibus ſtudiorum incrementa debemus, ignorare, magnam inibit gratiam Cel. *a Seelen*, quod non ſolum hactenus noctem, hiſtoriæ litterariæ undiquaque offuſam, profligare maſcule allaboraverit, ſed & in poſterum eidem majorem lucem ſe accenſurum nos doceat in nota ad Ep. LXII, editurus quippe, ne alia urgeamus, in ordinem redactam & novis acceſſionibus auctam *Joannis Hermanni ab Elswich Tractationem Hiſtorico-Theologicam de Sanctis Pontificiorum Non-Sanctis*, cui quo minus ultimam manum imponeret, mors prævenit B. iſtum Virum. Sed futura faciamus miſſa, in præſentia ſermo nobis ſit de hac *Philocalia Epiſtolica*. Epiſtolas, quæ hic occurrunt, quondam exaraverunt *Jo. Æpinus, Eberh. Anckelmann, Jo. Dan. Arcularius, Carol. Arndius, Andr. Arnoldus, Conr. Beckerus, Pet. Bockelmannus, Jac. Bordingus, Jo. Botkerus, Dav. Clodius, Jo. Diecmannus, Jo. Pet. & Mart. Difenbachii, Nathan. Dilgerus, Paul. Eberus. Jo. Fechtius, Mich. Færtſchius, Nic. Gallus, Jo. Gezelius, Chriſtian. Grundmann, Jo. Dan. Gukkelen, Jo. Heinzelmannus, Martin. Helvicus, Tilem. Heshuſius, Joach. Hildebrandus, Jo. Chriſtian. Iſingius, Georg. Lani, Mart. Lutherus, Jo. Frid. Mayerus, Phil. Melanchthon, Hect. Mithobius, Ol. Moberg, Joach. Morlinus, Juſt. Jac. Mullerus, Jo. Gottfr. Olearius, Pet. Palladius, Anton. Reiſerus, Jac. Schallerus, Dan. Sever. Schultetus, Theoph. Spizelius, Thom. Stegerus, Tob. Wagnerus, Chriſtoph. Wegleiter, Jo. Weinmannus, Jo. Joach. Zentgraf*, ac *Caſp. Ziegler*. En, qui ſcripſerint, nunc quid ſcripſerint, accipe. Erit autem iſtud, ſi in compendium mittamus, ad tria potiſſimum capita referendum. Eruditorum enim Βιόγραφοι, quos habemus in manibus, vel augeri, vel emendari, vel corroborari inde poterunt. Poſterius cum brevitati, cui maxime ſtudemus, adverſetur, omittemus, at priora paucis licebit exequi. De cetero norma, ad quam hæcce componemus, erit Lexicon Eruditorum, quod hic A. 1726 iterum prodiit, hoc in genere, noſtra quidem ſententia, abſolutiſſimum.

mum. Deesse ibi compertum habemus vitam *Bern. Rothmanni*, Monasteriensis in Westphalia Episcopi, Lutheri coævi, puriori doctrinæ initio addicti, sed, turpe dictu, postea Anabaptistarum, qui *Rothmannistarum* nomen ab eo sortiti sunt, præcipui μεσοχόρε, id quod docemur per Ep. I & II iisque subjunctas annotationes. Hunc excipiat *M. Jo. Christian. Isingius*, Ecclesiæ Cathedralis Cniphov. Diaconus, qui uti ipse Ep. XXXI, Regiomonte A. 1665 scripta, testatur, edidit *IV Exercitationes in Josuam*, *Examen duarum Quæstionum Dreierianarum*, Διάσκεψιν *de Ecclesia Catholica concioni Dreieri de eadem materia oppositam*, *Concionem valedictoriam* A. 1656 habitam, kurtze Anweisung, wo D. Dreyers Schwarm-Theses bereits wiederleget &c. Quibus Duumviris jungas *M. Jo. Philipp. Tonsorem*, Rectorem olim Stadensem, postmodum Hadelicarum Ecclesiarum Superintendentem, quod cognosces ex Ep. XXXV: *M. Jo. Heinzelmannum*, veteris Soltquellæ itidem Superintendentem, teste Ep. LXXX: *Jo. Dan. Gukkelen*, Inspectorem Ottovillæ, secundum Ep. LXXXV: ac denique duos *Difenbachios*, quorum alter *M. Jo. Petr.* in Franconiæ quodam oppido a Concionibus Aul. & S. fuit, ex Ep. XCII, alter *Martinus*, prioris, ut opinor, filius, Dissertationem *de Henrici VII morte violenta* composuit, quod ipse Ep. XCIII & XCIV ostendit. Post hæc *Antonii Reiseri* vitæ erit inserendum, quod ipsi post Rectoratum Augsburgensem officium Ecclesiasticum Ohringiæ, in Comitatu Hohenloico sito, A. 1674 vel sequente, quod Ep. LXXIV, LXXV & LXXVI indicant, demandatum fuerit, unde decedens Giessæ A. 1678 consecutus est gradum Licentiati, cum ob temporis angustiam Doctoris non liceret. Ipso enim anni proxime insequentis principio Pastoris ad D. Jacobi munus in inclyta urbe Hamburgo ipsi erat ineundum, quod apparet ex Ep. LXXVII & LXXVIII. Cunctis, quæ diximus, ad amussim respondet Reiseri hujus Epitaphium, quod cernere est in *Auctario* ad *Inscriptiones Hamburgenses Theod. Anckelmanni* p. 49. Reliqua, levioris momenti, mittentes, ad alterum, quod supra promisimus, descendemus, paucisque id absolvemus. Incodem, quod jam allegavimus, Lexico Eruditorum memoriæ proditum est, *Nic. Gallum* vice Superintendentis Ratisbonæ A. 1552 fungi cœpisse; sed anno sequente id demum factum, perhibet Ep. VI.

Ibidem

Ibidem legimus, *Joseph. Adjuti*, Wittebergæ quondam Ital. Lingu. Professoris, diem emortualem fuisse d. 21 Maji A. 1668, at si Epist. LXVII est habenda fides, sequeretur, ipsum uno & viginti diebus citius naturæ debitum solvisse, ita enim dicto loco invenimus: *XIV abhinc diebus diem supremum obiit D. Josephus Adjuti, Syrus Ninivita, Lingu. Ital. Prof.* Hæcce autem scripta fuerunt Wittebergæ d. 13 Maji 1668. Præter enarrata occurrunt & alia, haud minus notatu digna, quæ lectorem nostrum latere nolumus. De *Academiæ Witteb. Scholasticis*, quo sub nomine Crypto-Calviniani, Witteb. degentes, virus suum spargebant, agunt Ep. XIV & XV, in quarum ultima mentio fit carminis, quod inscriptum fuit *Hortus Libani*; quid vero istud fuerit, exponit nota 49. Colloquium Theologorum Bremæ habitum iri, docet Ep. XVI, eademque corporis & sanguinis Christi in S. Cœna præsentiam stabilit. Ep. XVII somnia, quæ de Androgyno *Plato* in *Convivio* & quem presso pede secuti sunt, Rabbini & Marsilius Ficinus somniarunt, in brevi quasi tabella conspicienda sistit. In notis ad Ep. XLV typis descripta est schedula de Ravii, quæ possidere gloriabatur, MSStis sub rubrica: *Catalogus Græcorum MStorum Bibliothecæ Orientalis, possessore Christiano Ravio.* De lite super suam Disputationem de *Origene & Origenianis* mota apud Bebelium queritur, & crimen, cujus falso insimulabatur, diluere studet Ep. LX & LXI Fechtius. Ep. LXVI Lutheranorum per Saxon. Jubilæum, ut ita dicam, semiplenum, A. 1667 celebratum, commemoratur. Ep. LXXX contra Majoristas, abstinentiam a peccatis ad salutem æternam esse necessariam statuentes, multis disputatur. Ex Ep. XCVI notetur judicium de celebri, haud ita pridem defuncto, D. Peterſenio, ejusque, quas crepavit, visionibus, quarum fontes rationibus valde probabilibus deteguntur. Ultimum tandem, cujus mentio fieri debet, est dubium, quod, an Græcorum Accentus jam Aristotelis ætate in usu fuerint, Elswichio movet Carol. Arndius Ep. XCVIII.

Lebens-Beschreibung.

hoc est,

VITA ET SCRIPTA JO. GEORG. LEUCKFELDII, Pastoris primarii Grœningensis, & Regiæ Societ. Prussicæ Membri,

bri, Autore M. TOBIA ECKHARDO, Gymn. Quedlinb. Rectore.

Quedlinburgi, 1727, 4. Plag. 8.

LEuckfeldii, quem sua scripta Germanis patriæ historiæ amantibus carum & clarum; nostra hæc *Acta* etiam exteris honorifice notum fecerunt, vitam & merita descripsit Cl. Eckhardus, & merito nos ipso duce breviter hic describimus. Natus est vir percelebris Heringæ, quod Thuringiæ est oppidulum, A. 1668 d. 4 Julii, patre agricola: quod vitæ genus ipse quoque, si matris viduæ consilia valuissent, secuturus erat. Sed suasit ei & persuasit suus Genius, ut, jam licet ætate provectior, totum se daret literis, & in scholis Francohusana & Quedlinburgensi magnos faceret progressus. Hinc nostra in Academia quinquennium consumsit inter perpetuos labores literarios, præcipua tamen cura incumbens in cognitionem historiarum. A. 1700 Serenissima Abbatissa Gandersheimensis eum fecit Secretarium suum & concionatorem aulicum. Hic in tabulario inveniens vetustissima diplomata, magis se accendi in dies sensit ad investigandas antiquitates Germaniæ, maxime ecclesiasticas. A. 1702 constitutus est Pastor primarius Groningæ, qui vicus non longe distat Halberstadio, & hanc stationem retinuit per omnem vitam. Hic, quicquid temporis alii sui ordinis otio vel negotiis œconomicis impendere solent, in studio consumebat historico, & libros conscribebat magnis virorum præstantium elogiis (quæ quidem diligenter hic exhibet Cl. Eckhardus) ornatos. Edidit scil. separatis libris *Antiquitates Walckenredenses, Poeldenses, Blanckenburgenses, Gandersheimenses, Ilfeldenses, Michaelsteinenses & Amelunxbornenses, Grœningenses, Bursfeldenses, Katelenburgenses, Halberstadienses, Præmonstratenses, Alsledienses & Walhusanas una cum historia cœnobii Kelbrani*: *Vitam Cyriaci Spangenbergii*: *Vitam Henr. Meibomii*, cujus & *Historiam cœnobiorum Mariobornensis & Mariobergensis* edidit: *Vitam Jo. Spangenbergii*: *Vitam Tilmanni Hesbusii*: *Vitam Hermanni Hamelmanni*: *Antiquitates nummarias*, sive *de nummis bracteatis Halberstadiensibus, Magdeburgensibus & Quedlinburgensibus*: cujus generis duos posthac libellos edidit: libellum *de quinquaginta quinque Theologis, qui anno ætatis quinquagesimo quinto vita excesserunt*: alium *de septuaginta novem Theologis, qui octogesimum annum vivendo superarunt*: librum denique *de atheismo inter Christianos vigenti*. Edidit præterea *Scriptores tres rerum Germanicarum*, itemque *Henr. Buntingii Itinerarium Scripturæ sacræ* una cum multis accessionibus. Quod si longius nactus esset vitæ spatium, accepisset ab eo literatus orbis *vitam Jo. Lezneri*, historici Saxoniæ inferioris; *vitam Martini Chemnitii*; *Henr. Buntingii Chronicon Brunsuicense & Luneburgense*; *Volumen epistolarum Theologorum seculi XVI*; & *Antiquitates plurium monasteriorum*. Sed destinata hæc evertit mors, quæ hydrope viam parante virum optimum oppressit A. 1726 d. 24 Aprilis.

No. X. 433

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Octobris Anno MDCCXXVIII.

CYCLOPÆDIA, OR AN UNIVERSAL DICTIONARY of Arts and Sciences &c.

h. e.

LEXICON UNIVERSALE ARTIUM ET Scientiarum; continens Definitiones terminorum & explicationes rerum, quæ iis significantur, in Artibus tum liberalibus tum mechanicis, atque in Scientiis humanis & divinis; Figuras, species, proprietates, productiones, præparationes, & usus rerum naturalium atque artificialium; Originem, progressum & statum rerum Ecclesiasticarum, Civilium, Militarium, & commercialium; cum variis Systematibus, Sectis, Opinionibus &c. Philosophorum, Theologorum, Mathematicorum, Physicorum, Antiquariorum, Criticorum &c. tanquam Compendium totius antiquæ & recentioris Eruditionis, ex optimis Autoribus, Dictionariis, Diariis, Transactionibus, Ephemeridibus &c. excerptum ab E. CHAMBERS, *Nob.*

Volumina II.

Londini, apud J. Knapton, J. Senex, W. & J. Innys, & rel. 1728. fol. maj.

Alph. 22 plag. 8 & Tabb. æneis 28.

Singulari diligentia & summo eruditionis omnigenæ apparatu conscriptus est a Nobilissimo Autore hic liber, sine dubio utilissimus & multis nominibus commendandus. Nec ni-

mia polliceri titulum lector inveniet. Nam quæ ad Philosophiam, Theologiam, Medicinam, Mathesin, Artesque mechanicas spectant, pleraque explicata sunt; neque etiam Antiquitates, artem criticam, commercia, militiam, Heraldicam, ipsiusque Juris cum universalis tum præcipue Anglicani scientiam neglexit Autor; quanquam ea, quæ mere sunt historica, de rebus gestis populorum ac Principum, deque vitis illustrium virorum, ex instituto certe, non attigit. Experimenta etiam in Physicis & demonstrationes in Mathematicis, nisi ubi singularem habere utilitatem viderentur, consulto prætermisit. Ceterum non modo ex optimis Lexicis, cum particularibus, tum magis universalibus, quæ hodie magno numero extant, imprimis Academicorum Gallicorum, Patrum Trevoltianorum, Davilerii, Chomelii, Savary, Chauvini, Harris, atque ex ipsis optimorum Autorum scriptis singularibus, pleraque desumsit, atque in Mathematicis præsertim Elementorum Matheseos Wolfii, quem passim etiam laudat, multum usum fecit; sed & hinc inde de proprio penu quædam addidit, atque illud imprimis efficere omni studio contendit, ne acervum quendam exhiberet articulorum sine ordine & nexu cumulatorum, quod incommodum universis fere Lexicis hucusque commune fuisse constat, sed ut ubique ostenderet, quomodo res quæque cum aliis & cum integris disciplinis cohærerent; qua de causa in plerisque articulis frequentissimæ aliorum articulorum allegationes occurrunt. Denique & illud laudandum est, quod affectibus non facile locum dedit. Newtonianæ quidem Philosophiæ imprimis favet, quam quidem extra Angliam tam exiguos adhuc progressus fecisse miratur. Ceterum incomparabili illi Viro tam serviliter haudquaquam adhæret, ut aliorum famæ propterea invideat, atque ut universa ejus dicta pro infallibilibus habeat; multa potius etiam exteris Philosophis ac viris doctis, Germanis, Gallis, Italis, cum recentioribus tum antiquis, tribuit; quod homines ingenuos & veritatis amantes quam maxime decere certum est. In præfatione satis prolixa non solum instituti sui rationem reddit, sed & de variis rebus copiose disserit, quarum notitia ad totum opus pertinere visa est. Ac primum quidem præcipuas universæ cognitionis humanæ divisiones, artiumque & scientiarum nexum

nexum & subordinationem exponit. Deinde sermonis & vocabulorum egregium usum commemorat. Porro de artium ac scientiarum discrimine, & de vera horum vocabulorum vi disquirit. Postea de terminis technicis, de Definitionibus, & de Lexicis verba facit. Tandemque ad suum institutum rediens, imperfectionem operis modeste excusat, utilitatem demonstrat, atque imposterum etiam Supplementa quædam se daturum pollicetur. Scientiæ & artis ea est differentia, judice Autore nostro, ut illa dependeat a ratione pura, atque, ut ita dicam, generali vel omnibus hominibus communi; hæc contra a ratione particulari, sive ab ingenio certorum hominum. Illa nihil aliud est quam continua series deductionum & conclusionum, ad quas via recta pervenire unusquisque potest, qui justam adhibet attentionem; hæc a via ista recta remota est. Illam cuivis reperire licet; hanc unus reperit autor, ceteri non nisi traditione discunt. In illa mens est passiva; in hac activa, quippe cum scientiam ad proprias quasdam & peculiares occasiones applicet. Scientia nascitur a principio naturali; ars vero a morali. Illa dici potest esse originis divinæ; hæc humanæ. Longum esset omnia persequi, quæ ad explicandam hanc distinctionem ab Autore porro afferuntur, de Enthusiasmo imprimis, omnibus artificibus & inventoribus, imo toti generi humano ita proprio, ut homo rectius forte definiri posse videatur, quod sit *animal enthusiasticum*, quam *animal rationale*; de theoriis nostris philosophicis, quæ nihil aliud sunt quam enumerationes legum, i. e. actionum creatoris; de caussis & occasionibus; ac de multis aliis rebus, lectu sane & consideratu hautquaquam indignis. Quibus nunc quidem prætermissis ad ipsum librum accedimus, ex copiosissimis articulis eum loco speciminis allaturi, qui agit de *Barometris*.

Barometrum est machina, qua metiri licet gravitatem atmosphæræ & variationes, quæ in ea, propter mutatam imprimis tempestatem, accidunt. Præmissa hac definitione, atque explicata differentia inter barometrum & baroscopium ex mente Wolfii, commemoratoque experimento Torricelliano, quo tanquam fundamento nititur hæc machina, constructionem ejus tradit Autor, ac deinde varia exponit tentamina, quæ eo consilio facta sunt, ut muta-

mutationes barometrorum magis notabiles magisque accurata fierent; unde complura orta sunt barometra diversæ plane structuræ. Cartesius, ac postea Hugenius, ut columnam in barometro suspensam amplificarent, eam ex mercurio & aqua composuerunt, & ita quidem, ut aqua superiorem, mercurius inferiorem locum occuparet. Quod cum illam haberet incommoditatem, ut aer in aqua hærens, paullatim ex ea ascenderet in spatium superius, quod ab omni aere vacuum esse debet; hinc postea, inverso ordine, Hugenius & Hookius aquam infra mercurium collocarunt, duplici tubo & vasculo usi, methodoque satis nota, sed in qua illud potissimum desiderandum videtur, quod perpetua aquæ evaporatio admodum incertas reddit barometri variationes; quamquam evaporationem istam quodammodo prohibere potest gutta olei amygdalorum, in superficie columnæ aqueæ natans. Itaque alii, ut ait Cl. Autor, (nobis enim satis constat, Celeb. Bernoullii hanc esse inventionem) barometrum horizontale sive rectangulare construxerunt, applicato scilicet tubo horizontali, in extremitate aperto, ad alterum perpendicularem, qui non modo in superiori parte hermetice sigillatus & ab aere vacuus, sed & vase quodam cylindrico ampliore instructus esse debet, ut, cum in eo mercurius, more consueto, per paucas lineas vel ascendit vel descendit, idem in tubo inferiori horizontali & satis angusto, per spatium multo amplius promoveatur. In hoc barometro illum notat defectum Cl. Autor, quod propter attritum atque attractionem mercurii & vitri, longitudinemque scalæ, præsertim in repentinis ascensibus vel descensibus, mercurius rumpatur, & relicta aliqua ejus parte æqualitas ascensus ac descensus maximopere turbetur. Pergit deinde ad barometrum diagonale, in quo pars superior, ubi mercurius ascendit ac descendit, ad partem reliquam inferiorem inclinata est; ad barometrum rota instructum, quod commentus est Hookius; ad barometrum pendulum figuræ conicæ; ad barometrum marinum Hookii; ad barometrum vel baroscopium staticum Boylei, Guerickii &c. atque illis omnibus tanquam accuratissimum præfert barometrum Caswellii, cujus etiam constructionem & usum propriis Autoris verbis describit. Explicatis variis barometrorum generibus ad recensenda eorum phænomena

mena pergit Noster; ubi primo quidem docet, quantus sit mercurii in barometro simplici descensus, si illud ad loca excelsiora transfertur. Deinde commemorat, quanta sit observata altitudo maxima & minima mercurii, diversis in locis ac diversis temporibus. Porro varias affert Boylii, Halleji, Bealii, Derhamii, aliorumque observationes barometricas; exempli causa, quod flante Euro vel Borea, ac serena frigidaque tempestate, mercurius plerumque altissime ascendat; quod in regionibus septentrionalibus multo major quam in meridionalibus, intra tropicos vero perexigua vel plane nulla mercurii in barometro variatio observetur; quod magnæ identidem in aere mutationes fiant, absque notabili alteratione barometrorum; quod diversis in locis atque etiam satis inter se dissitis, ut Londini & Tiguri, uno atque eodem fere tempore mercurius ascendat vel delabatur; & quæ sunt alia hujus generis, silentio nunc prætereunda. Post phænomena de eorum causis doctissimorumque Physicorum hypothesibus copiose disseerit. Hallejus ex natura ventorum variarumque exhalationum terrestrium totam rem explicare conatus est; a quo dissentit Autor noster. Sed nec Leibnitii hypothesis ipsi satisfacit, quippe quam perinde ut Desagulierius, ad quem provocat, non satis recte intellexisse videtur. Quod si ea legisset, quæ B. Rastius, in peculiari Dissertatione contra Desagulierum, & Richterus in Novis litterariis nostris, A. 1721, in 8 divulgatis, hac de re proposuerunt, vidisset sine dubio, quam bene cum sua ipsius sententia, quam postremo loco explicat, hypothesis Leibnitii concordet. Hoc enim certissimum est, quam diu vapores in aere hærent, totum eorum pondus; ubi vero descendunt, non nisi partem istius ponderis, in aerem redundare. De cetero, an descensus vaporum efficiatur, solo volumine eorum aucto, & imminuta superficie, ut Nobiliss. E. Chambers existimat; an vero ipsius densitatis mutatio accedere debeat; postremo, an etiam ante descensum vaporum, gravitas aeris imminui aliunde possit; quæstiones esse videntur necdum satis expeditæ.

LEXICON MILITARE, AUTORE CAROLO DE AQUINO, Societatis Jesu.

 Partes II.

Partes II.

Romæ, typis Antonii de Rubeis, 1724, fol.
Alph. 12 plag. 8.

ANte quatuor annos editum hoc opus, ſed hactenus latens, nunc demum ad nos perlatum eſt: poſtquam ejus exempla plura Amſtelodamum ad *Brunel* Bibliopolam pervenerunt. Inſigni id induſtria elaboravit doctiſſimus Autor, nec quicquam facile prætermiſit, quod ad illuſtrandam rem militarem cum antiquam tum medii & recentioris ævi pertinere viſum fuit. Lipſio, Patritio, Naudæo, atque adeo in recenſione vocum barbaricarum Carolo du Freſne, ſe plurimum debere, candide fatetur. Quoniam vero latiſſime patens tractatio militaris a veterum inſtitutionibus repetenda, & ex uſu multijugi variarum nationum deſcribenda eſt, idcirco nihil ſibi audendum temere, nihil inconſultis omnium fere ætatum teſtimoniis pronunciandum, judicavit. Concilianda Scriptorum teſtimonia ſæpe ſibi adverſa; anceps & incerta fides Interpretum ſuſtentanda; quæ paſſim occurrunt obſcura, luxata, hiantia, & nullis non mendis deformata, ex virorum doctrina præſtantium caſtigationibus, gloſſematis, conjectaneis, emaculanda ac ſarcienda fuere. Præterea & ipſe, aliorum ſtudia juvandi fovendique gratia, ex propriæ criſeos penu non ita pauca deprompſit, quæ aliorum ſcriptis aut ſqualorem detergerent, aut robur adjungerent. Sicubi vero in ſcriptoribus notare quædam, vel rejicere, ratio ſuaſit & ſtudium veritatis, id omni ſtudio cavit, ne quid caliginis eorum nomini offunderet, quorum dictis non nihil lucis adſpergere conatus eſt. Nihil enim importunius & ab omni humanitate remotius cenſet, quam ob nævos aliquot & leves maculas ſolicitare cineres, nec ſinere ut conquieſcant eorum manes, ex quorum laboribus impenſe proficimus, quique doctiſſimis vigiliis literarum gloriam & dignitatem aſſertum iverunt. Addendum quoque illud videtur, non ſolum frequentiſſime in hoc Lexico citari ſcriptores cum veteres tum juniores, imprimis etiam Poetas atque alios Autores Italos, ſed & integra & ſæpe non parum prolixa eorum loca paſſim tranſcripta eſſe. Quod ad res ipſas pertinet, de quibus ſibi agendum putavit Vir præ-

præstantissimus, eæ quidem ad complures referri possunt classes; sed præcipuæ hæ sunt: de militia & ad eam spectantibus generatim; de Religione & bonis moribus; de Diis militaribus; de Heroibus & Ducibus fabulosis; de festis, sacrificiis, & ludis militaribus; de tyronibus & exercitatione; de duce supremo & ejus insignibus; de virtutibus, disciplinis & doctrinis militum; de bello indicendo, ejus apparatu, delectu; de bellicis magistratibus; de ministris, fabris, servis; de instrumentis musicis; de acclamationibus, canticis, saltationibus; de vexillis, armis, & machinis; de vigiliis, exploratoribus, nunciis; de vestibus; de arca militari & stipendiis; de annona; de suppellectile, oneribus, & impedimentis; de equis; de castrametatione; de munitionibus; de præmiis, pœnis, & re judiciaria; de obsidione; de suppliciibus & dedititiis; de seditione; de pace & fœderibus; de victoria, triumpho, trophæis; de navibus bellicis; de funere & morbis; de variis animalibus; de adagiis denique & quæstionibus quibusdam militaribus. Quæstiones, quas militaras vocat Autor, sunt hujusmodi: Præstetne e subditis quam ex exteris conflare exercitum? præstetne ex rusticis & vilioribus, quam ex civibus commodi census, habere delectum? utrum exercitus utilius conflectur ex una gente, quam e pluribus? an bellatores litteratos esse conveniat? utrum præstet obedire, quam contra imperium uti occasione rei bene gerendæ? utrum exigua, an procera statura, oporteat legi militem? an Jason primam navem invenerit? an commentitia reputanda, quæ referuntur de gigantibus? an proxime morituri polleant facultate divinandi? & quæ sunt alia his similia. Adjecti sunt tres Indices; quorum unus articulos operis exhibet in certas classes distributos; alter est rerum notabilium satis copiosus & utilis; tertius complectitur voces Italicas, cum earum explicatione, & articulis, in quibus quærendæ sunt. Diximus de universi operis œconomia. Restat ut nonnulla ex articulis singularibus, exempli causa proferamus. Sub titulo *Alæ* hæc habet Autor: Alæ, ut docet Gellius lib. 16 cap. 4, equitum sunt ordines, ita dicti, quod legiones dextra sinistraque, quasi alæ in avium corporibus tegant. Licet autem Lipsius alas peculiares auxiliorum faciat, negetque, in Romanis legionibus equitatum alarum nomine

nomine vocitatum; contrarium tamen clare pronunciatur a Gellio, qui legiones Romanas alis equitum coopertas scribit, loco præfato. Iterum quamvis alæ de equitatu proprie dictæ passim reperiantur, acute tamen Lipsius auxilia sociorum in duas alas fuisse divisas, ex Livio colligit, & promiscue appellatas, tum de equitatu, tum de peditatu. Cum etenim auxilia non haberent nomina legionum, quæ erant peculiares Romanorum, eadem in duas partes ex Polybio primum separat atque Alas appellat. Sic autem Livius lib. 40: *Egregie legiones, nec segnius duæ alæ pugnabant.* Ubi Lipsius ab universo exercitu commissum prælium censet, conjunctim pugnantibus Romanis legionibus & alis, i. e. copiis auxiliorum, in quibus omnibus omnino peditum numerus equites superabat. Idem colligit ex Livio lib. 27: *Prima legio & dextra ala prælium inibant.* Ubi iterum Historicus legionibus auxilia conjungens horum partem alam vocat. Hæc vero mihi Lipsii sententia non admodum firmo argumento videtur inniti. Ubi enim Livius alas legionibus jungit, exponi ita potest, ut non copias auxiliares intelligat, sed certum illum numerum equitum Romanorum, qui dextra sinistraque Romanas legiones tegebant, alæque dicebantur, ut aperte testatur Gellius l. c. Ad asserendam Lipsianam, quam dixi, opinionem, plus habent roboris loci aliquot ex Livio & Cæsare, in quibus alares cohortes & alarii pro copiis auxiliorum non obscure usurpantur. Sic autem Livius libro: *Spurius Nautius Dux alaribus cohortibus erat;* & iterum: *D. Brutum Scævam Legatum cum legione prima & viginti alaribus cohortibus ire adversus hostem jubet.* Clarissime vero Cæsar lib. 1 Bell. Gall. *Omnes alarios in conspectu hostium pro castris minoribus relinquit, quod minus multitudine Legionariorum militum pro hostium numero valebant.* Tametsi vero ex memoratis locis promiscue sumantur alæ tam de pedestribus quam de equestribus copiis in auxiliis sociorum, communi tamen sermone & plerumque apud scriptores alæ solos equites indicant: sinistra vero & dextra ala sinistram vel dexteram denotat partem equitatus. Ex quo etiam habes primariam equitatus divisionem in alas esse, quæ porro in turmas, & hæ in decurias dividuntur. Addere huic articulo alium placet, sed quindecies fere majorem, ob eamque rem necessario

con-

contrahendum, qui agit de *Bombarda*. Dicta ea est a bombo & ardeo, quasi bombus ardens; vulgo *Cannone*, a figura cannæ, quam exhibet. Alio nomine apud Latinos tormentum curule igniarium. Alia sunt nautica seu navalia, alia terrestria; atque hæc iterum vel muralia, quæ ad disjiciendos aut defendendos muros adhibentur, vel curulia campestria, quæ usum habent in prælio terrestri. Sunt autem fistulæ æneæ vel ferreæ majores ignivomæ, quæ ore metallico glandes æneas succensasque pilas, cum gravibus globosisque interdum saxis projiciunt, fragore horrisono, & quam latissime disseminant, cum immensa hominum strage, & impetu, jactis e cœlo fulminibus minime impari. Urbium muros, cuneos hostium, & obstantia quæque demoliuntur ita, ut adversus earum violentiam nihil satis tutum possit consistere. Archidamus, Agesilai filius, cum allatum sibi novum exitiosumque e Sicilia telum inspiceret, fatale instrumentum demiratus sic fertur exclamasse: *Periit virorum virtus.* Qualecunque demum Siciliense illud fuerit jaculi genus, præ nostris hisce metallis fulminantibus ludicrum omnino inventum esse oportuit ac deridendum. Bombardæ descriptionem affert deinde Autor e Fr. Patricii de Regno lib. 7, citatque etiam Barth. Faccium de Gest. Alphonsi lib. 6. Ridet atque explodit eorum sententiam, qui originem bombardarum accersunt a Salmoneo, Æoli filio, vel ab Archimede Syracusano, vel a Zimosco Frisiæ Rege; vel qui eas non satis distinguunt a lithobolis veterum machinis, aliisque oppugnatoriis organis, catapultis, ballistis, onagris, glandibus plumbeis funditorum, ignivomis doliis, igne Græcanico, phalaricis, pilisque admoto igne contortis, &c. Iis procul dubio magis assentior, inquit, qui cum Polydoro Virgilio lib. 2 de Rer. Invent. & Stephano Forcatulo lib. 4 de Imp. Gallor. autorem bombardæ commemorant Bertholdum Suvartum, hominem Germanum, vitæque (ut ferunt) Monasticæ addictum. Is cum metallis transformandis diffingendisque inane studium sed operosum adjiceret, ex Chymistarum instituto, nitro, cinnabari, & alumine confectum in mortario asservabat pulverem, lateritio contectum operculo. Cum autem illuc forte scintilla concidisset, superimpositum laterem magno impetu ictuque repentino

Kkk supra

ſupra cubiculi fornicem expulit. Animadverſa ille rei novitate ſulphur & contuſos carbones addidit, injectoque igne oppido validiorem ejaculationem fieri cognovit. Quo experimento edoctus machinam noſtræ militiæ tormentariam, generis humani majorene damno an utilitate neſcias, confecit monſtravitque. Quomodo vero caſus primum invenerit rationem firmiſſima quæque ædificia per ignem pulverarium diſſolvendi, quantumque funeſtiſſimum hoc machinamentum univerſæ veterum arti machinariæ præſtet, ſic exponit Ant. Cornazanus lib. 3 cap. 2 de re militari:

Regina delle machine e corona
Trovata fu' per man d' un' alchimiſta,
Se vero è quel ch' l Tedeſco ragiona,&c.

Sexaginta hoc loco verſus affert Autor ex libro commemorato; ac deinde Jo. Marianam reprehendit, qui Lombardas (ſic enim in Hiſpania bombardæ appellatæ fuerunt) in Longobardia inventas, atque inde nomen ſuum traxiſſe ſuſpicatur, de Reb. Hiſp. lib. 19 cap. 14. Ceterum hanc machinam a Germanis dono traditam primum fuiſſe Venetis contendit, cum eos apud foſſam Clodiam Genuenſes obſiderent, teſte Platina in vita Urbani VI. Jovius (cujus etiam verba allegantur ex Elogiis Illuſtr. Vir. lib. 3) ita perhibet, Barth. Coleonem, Veneti exercitus ducem, primum omnium inſtituiſſe, ut terreſtri prælio adverſus hoſtium cuneos bombardæ directæ emitterentur, cum prius in arcium defenſione ſolummodo, vel earundem oppugnatione, eſſent adhibitæ. Idem fere prodiderunt Blondus, Volaterranus, alii. Laonicus Chalcocondylas lib. 8 & 9 de reb. Turcicis prolixam habet bombardæ deſcriptionem, cum ejuſdem origine, memoratque unam imprimis, Byzantium allatam, cum eam urbem oppugnaret Mechmetes Amuratis filius, cujus tanta fuit magnitudo, ut a 70 jugis boum & a 2000 viris trahenda eſſet, globumque emitteret, cujus pondus tria circiter talenta contineret. Idem etiam ſeptem talentorum lapidem excuſſum narrat. Lud. Areoſtus non uno in loco injicit mentionem curulium tormentorum & fiſtulæ manuariæ, quæ inſtrumenta fere ſub ejus ætatem prodierunt. Ipſe vero, ut terribilis quidem, ſed tamen ingenioſiſſimi

nil inventi commemoratione præstantissimum suum Poema de Orlandi insania exornaret, per anachronismum, quæ usitata est præclaris poetis figura, eandem machinam inducit in tractatione rerum aliquot secula ante gestarum. Atque hoc loco plus quam centum versus Italicos ex Poeta illo adducit Noster. Postea iterum ad varias figuras, magnitudines, & denominationes bombardarum, ballistarum sulphurearum & igniariarum, cannarum pulverariarum, fistularum chalybearum, quæ communi vocabulo *Artiglierie* vocantur, redit. Et quasi res ipsa, inquit, non satis terroris offerret, ferali invento plus adhuc minarum ac truculentiæ addidimus multiplici horrore & ferocitate appellationum. Quæsitis nimirum a ferocissimis animalium notis arma pestifera dicimus Colubrinas, Basiliscos, Sagros, Falcones, Moschettas, Smerlios, Spingardos, Serpentinas, Archibusios, Sclopos, Pistolas, organa diaboli, &c. Meminit deinde etiam bombardarum futilium, quas ex corio & pellibus conficere nonnulli docuerunt; sed futile inventum & postea intentatum vocat. De pulvere pyrio Sinensium ad hunc modum loquitur: Non sum ignarus, Sinensibus pulverem illum fuisse in usu multas ætates, antequam Europæis innotesceret. Verum illis ad urbanam pompam potius quam ad machinas militares deserviit. In pyrobolis, aliisque, ut vocant, artificiis igniariis, sic eodem utuntur, ut late discurrentibus flammis non modo colores omnes, sed rerum variarum figuras scitissime assimilent & mentiantur. Quod si bellum urgeat, in tractatione nitrati pulveris Europæorum magisterium & operam advocant. Sub finem hujus articuli ex usu bombardarum apte dici ostendit Autor, tormenta obvertere vel dirigere in aliquem locum, *piantar la batteria;* instruere, onerare tormentum pila ferrea & pulvere pyrio, *caricare il cannone;* explodere, displodere, exonerare tormentum, *sparar l'Artiglieria;* bombardas humo immergere, inhumare, *sotterrare;* ejicere ex curru vel exarmare, *smontare;* impactis clavis obstruere, *inchiodare;* perfringere fulcra tormentorum, *scavalcare l'Artiglieria.* Atque hic de origine usuque bombardarum ex probatissimis scriptoribus (quibus etiam Is. Vossius & Phil. Camerarius adduntur) delibatis, superesset, ut de ratione certis-

que regulis dirigendi librandique igniariaria tormenta, in quo maxime vertitur usus omnis fructusque ejus machinæ, aliquid adjiceretur. Verum ea res, inquit Autor, exactissima methodo & prolixa tractatione per otium agitata est a Magistris Matheseos & Architecturæ militaris, qui rem tormentariam ad certas præscriptiones nuperæ Areotectonices diligenti studio exegerunt.

DICTIONNAIRE UNIVERSEL DE LA FRANce ancienne & moderne & de la Nouvelle France.

h. e.

LEXICON UNIVERSALE FRANCIÆ Veteris & modernæ ut & Novæ Franciæ, quo omnia, quæ eo spectant, dilucide explicantur.

Tomi III.

Parisiis, apud Saugrain, Patr. J. Saugrain viduam & Petr. Prault, 1726, fol. maj.

Alph. 25 pl. 9.

POstquam Typographi modo nominati librum sub tit. *Denombrement de la France par Generalitez, & par Elections ou Recettes* edidissent, non sine plausu exceptum, quippe brevi tempore his in 4 & 12 distractum, fuere tamen plerique, qui optarent, Geographiam Galliæ methodo alphabetica, atque adeo per modum Dictionarii, quo facilius inveniant loca desiderata, in lucem edi. Quibus adeo ut consulant Nostri, novum hoc Lexicon condi curarunt, adhibitis non modo subsidiis, quæ Longus commendaverat in Bibl. hist. Franciæ p. 965, sed & distributis per omnes Franciæ provincias schedis plusquam 20000, quibus earum Præfectos aliosque viros industrios, ut suppetias ferre dignentur, invitabant. Etsi vero votis ipsorum nondum satis ab his fuerit responsum, paucique succurrerint, quorum nomina, exceptis qui prohibuissent, subjecta articulis deprehendimus, sperant tamen Typographi, opere jam semel edito, & methodo accuratius perspecta, plures ad sequentes editiones augendas opem

opem allaturos. Interim operam dedere in hac prima, ut cujusque loci, montium item, sylvarum, fluminum, nomina Latina & Gallica, vetera & recentia, indicarent, urbium faciem, situm, jurisdictionem, civium numerum, mores & ingenium, commercia, nundinas, manu facta, agri proventum, totumque statum œconomicum, tum & templa, monasteria, hospitalia, Collegia, &, si quæ fuerint, Academias, virosque eruditione aut bello claros inde oriundos, describerent. Cum vero in libro illo: *le Denombrement*, quem quodammodo secuti sunt, nulla mentio facta esset Pagi Venascini, Dombarum item, Lotharingiæ & Barri, Novæ Franciæ atque Insularum & Coloniarum Gallicarum, ne quid desiderari posset, operæ pretium duxerunt, ut de singulis per modum alphabeti seorsim agerent sub finem Tomi III. Nec indigna lectu sunt, quæ in præmissa ad hoc opus Introductione de Francia in genere, veteri maxime; de divisione ejus Geographica; Ecclesiastica, cui accedunt Universitates studiorum in Gallia viginti; militari itidem; justitiaria seu civili, ubi de Parliamentis, Parisiensi, Tolosano, Rotomagensi, Gratianopolitano, Burdigalensi, Divionensi, Aquensi, Britanniæ minoris, Palensi, Metensi, Vesontino, Duacensi; de œconomica porro & collegiis huc spectantibus, sunt exposita. Ceterum ne quid in veteri Geographia desideretur, inserta passim videas veterum populorum Galliæ nomina, Latinis nominibus expressa. Quanta vero hic copia inveniatur urbium ac locorum, ex eo intelligitur, quod unius ejusdemque nominis loca subinde plurima, ex. gr. *Beaumont* 54, *Chapelle* 219, *Chatillon* 34, *Clermont* 20, *Condé* 27, *Dampierre* 30, *Marigny* 24, *Marolles* 18, *S. Germain* 138, *S. Pierre* 187, *S. Martin* 317 occurrunt, in quibus rite a se invicem distinguendis nihil omiserunt Autores. Ne nihil speciminis loco afferamus, in gratiam potissimum eorum, qui historiam litterariam amant, supplebimus hic ea, quæ olim, scil. in Actis A. 1709 p. 153, e Fr. Thomæ Corneille Lexico universaliori Geographico, de Academiis seu societatibus eruditis Galliæ, quæ extra Lutetiam clarent, attulimus. Nimirum Aquis Sextiis Academia elegantiorum litterarum, cui XL Socii destinati, confirmata fuit A. 1668 diplomate Regio, sequenti anno d. 8 Jun. actis Parlia- T.I p. 47.

T. I p. 95. liamenti inserto. Ambiani inde ab A. 1702 coaluit Societas literaria, Præside & Secretario gaudens, cui nihil quidem adhuc præter diploma Regium deest. Andegavi A. 1686 instituta est Academia humaniorum litterarum, cujus Socii numerantur tri-
111. ginta sex. Arelati Academia Scientiarum congredi cœpit A. 1668,
159. diplomate Regio confirmata, & quadraginta Sociis composita, qui jubentur e nobilitate legi, nisi forte exteri scientia quadam præ aliis celebres adsciscendi sint. Post primum Præsidem Ducem de S. Agnan, præsidium ejus obtinuit Marchio de Dan-
1040. geau. Non tacemus etiam, Divione A. 1723 novum Collegium Juris Civilis & Canonici, ad instar scholarum Juris Parisiensium, institutum fuisse. Sed hæc ex Tomo I: in sequentibus parcius ea, quæ ad literas spectant, attigere Autores, adeo ut miremur, eos ex. gr. Ludorum floralium Tolos. de quibus l. c. varia curiosa ex Cornelio attulimus, vix duobus verbis meminisse. Satis fuse tamen agunt de Academiis Parisiensibus, de quibus quidem & alias abunde constat.

AN UNIVERSAL ETYMOLOGICAL English Dictionary,

h. e.

DICTIONARIUM UNIVERSALE ETYMOlogicum Anglicum; edidit N. BAILEY,

Φιλόλογος.

Volumen I.

Londini, apud J. Darby, A. Bettesworth & rel. 1726, 8 maj.

Volumen II.

Ibid. apud T. Cox, 1727, 8 maj.

Alph. 5½.

ETsi Volumen I, ante sexennium primum editum & GEORGII II Regis M. Britanniæ, hodie feliciter imperantis, Liberis Serenissimis inscriptum, bis inde cum additionibus recusum fuerit, tantum tamen post messem illam spicilegium sibi reli-

relictum vidit doctissimus Autor, plurimis jam in usum scholarum editis libellis notus, ut novum plane Volumen superiori anno in lucem produxerit, quod cum annexum habeat Dictionarium Anglicum Orthographicum, prius illud mole æquat. Ita vero in Opere concinnando versatus est Autor, ut & nihil prætermitteret eorum, quæ *Somnerus*, *Camdenus*, *Versteganus*, *Spelmannus*, *Casaubonus*, *Thomas Henshaw*, *Skinner*, *Menagius*, *Minshew*, *Harris*, *Philips*, *Kersey*, *Blunt* aliique observarunt, & præterea in aliquot mille vocabula, ceteris omnibus intacta, studiose inquireret. Nec vulgares tantum voces attulit, quæ tum ex vetustioribus linguis, Græca, Latina, Britannica, Francica veteri, Saxonica, Danica, Normannica, tum ex modernis, Gallica, Germanica, Belgica, Hispanica, Italica, descendunt, verum etiam difficiliores & quas terminos artis vocamus, quo spectant voces, quæ Anatomiam, Botanicam, Medicinam, Pharmaciam, Chirurgiam, Philosophiam, Theologiam, Mathesin, Grammaticam, Rhetoricam, Musicam, Heraldicam, (quam etiam figuris illustrat) rem maritimam, disciplinam militarem, rem equestrem, venatoriam, aucupia, rem piscatoriam, hortensem, œconomicam, coquinariam &c. concernunt. Simul & explicavit imprimis voces, quæ ad Jura Anglicana, ad Mythologiam item veterum gentilium & Hieroglyphica Ægyptiorum spectant, nec omisit nomina propria personarum & locorum Angliæ paulo illustriorum, diversas quoque variarum Angliæ provinciarum dialectos annotavit, & proverbia Anglis recepta illustravit. Atque in his omnibus ea usus est circumspectione, ut in iis tantum, quæ momentum trahant, paulo prolixior, in reliquis omnibus fuerit brevissimus. Lexicon Orthographicum postremo in eorum gratiam addidit, qui Anglice bene loqui, pronuntiare & scribere velint. Itaque vocibus a probis autoribus receptis asteriscum addidit, accentus singulis vocibus imposuit, quod jam tentaverat in Lexici Etymol. Volumine II, significationes vocum Gallice & Latine, tum & phrases & sententias proverbiales, quæ vocibus certis aptæ sunt, subinde adjecit. Plane ut non dubitemus, non modo Anglis, verum & exteris institutum Autoris omnino profuturum. Quantum ad Præfationem non inelegantem, primo Volumini

mini præmissam, ostendit Autor, omnem linguam incrementa aut mutationes suas tum incursionibus ac victoriis exterarum gentium, tum commerciis, tum denique curæ ornandæ aut amplianda linguæ cuique genti familiari debere, idque exemplo Anglicæ probat. Postquam enim Romani, ac postea Saxones, Dani, Normanni in Angliam venissent, pulsam quodammodo Britannicam veterem & montibus Walliæ, in qua hodienum vigeat, conclusam, ac tanto plura vel pauciora a gentibus illis recepta fuisse vocabula, quo diutius illæ vel brevius in Anglia regnarent; ex commerciis vero Italica quædam illata fuisse, maxime iis temporibus, quibus Regnum Papæ erat ita obnoxium, ut is plenas naves mitteret monachorum, qui beneficia Ecclesiastica illic obtinerent, multique vicissim Romam ad obtinendum Papæ favorem proficiscerentur: accessisse denique eruditorum solertiam, qui cum artibus & scientiis vocabula etiam peregrina, Græca imprimis, invexerint; quo factum adeo sit, ut lingua Anglica omnium Europæarum facile perfectissima existat.

A NEW DICTIONARY OF HERALDRY.

h. e.

NOVUM DICTIONARIUM HERALDICUM, quo termini & regulæ Artis Heraldicæ explicantur, & simul de præcipuis Ordinibus equestribus ac dignitatibus Eccles. Civil. & Militaribus agitur. Revidit & correxit, literasque ad Typographum addidit JACOBUS COATS.

Londini, apud Jeremiam Batley, 1725, 8 maj.

Alph. 1 fig. æn. Tabb. 7.

CUm Johann. Guillim Ars Heraldica (*A Display of Heraldry*) A. 1724 in fol. sextum prodiisset, multum quidem auctior ac figuris ornatior, cui sub finem Lexicon Heraldicum admodum breve accesserat, operæ pretium se facturum putavit, nisi nos omnia fallunt, anonymus hujus libri Autor, ut illud paulo latius diduceret, & quæ in eo desiderabantur, ex aliis scriptoribus fide

fide dignis, ad quos passim provocat, suppleret, id imprimis etiam diligenter curans, ut subinde ostendat, qua ratione alii Anglica, quæ dedit Noster, artis vocabula Latine expresserint, sæpe quippe in eo inter se dissentientes. Nec est ut plura de hoc opere dicamus, cum cetera ex titulo pateant. Illud in gratiam eorum, qui Historiam Litterariam amant, ex præmissa *Jacobi Coats* Epistola ad Typogr. notamus, hunc ipsum autorem esse additionum, quæ in ultima illa editione libri illius Guillimiani accesserunt, etsi nomen suum in libro nuspiam expresserit; & quamvis ipse liber sub Guillimi nomine hactenus venerit, eum tamen potius deberi Johanni Barkham, Decano Bockingensi, qui cum libro, quem juvenilibus annis collegerat, nomen præponere nollet, illum Guillimo edendum dedit, qui, quibusdam nullius momenti additis, opus egregium sibi asserere non dubitavit.

L. ANNÆI SENECÆ TRAGOEDIÆ CUM notis integris JO. FRED. GRONOVII, & selectis J. LIPSII, M. A. DELRII, J. GRUTERI, H. COMMELINI, J. SCALIGERI, D. & N. HEINSIORUM, TH. FARNABII aliorumque; item observationibus nonnullis H. GROTII. Omnia recensuit, animadversiones, notas atque Indicem novum locupletissimumque adjecit; ipsum vero auctoris Syntagma cum MS. Codice contulit JOANNES CASPARUS SCHROEDERUS.

Delphis, apud Adrianum Beman, 1728, 4.
Alph. 6 pl. 5.

NOn repetimus veterem, licet justissimam, querelam de splendida miseria & ambitiosissima paupertate editionum, quas Batavi librarii orbi erudito quotidie obtrudunt. Postquam enim infelici fato nec sine litterarum detrimento huic operæ & curæ indocti homines damnati sunt, hi omnes compacto, quasi in Velabro Olearii, id agere videntur, ne quis ex optimis scriptoribus remaneat, de quo non pessime meruerint. De nova hac Tragœdia-

gœdiarum Senecæ editione, cum parum de ſuo, novi nihil attulerit Editor, quid præſtitum ſit, paucis verbis enumerabimus. *Schrœderus*, Rector Scholæ Delphenſis, obloquitur, interdum non ſine contumelia, Critico ſummo Jo. Fr. Gronovio; ex unico MS. chartaceo & Editionibus duabus, altera Bernardini Marmitæ, altera Badii Aſcenſii, diſcrepantes hic illic lectiones profert, easque autoritati veterrimi MS. Florentini, ubi viſum eſt, opponit; decem circiter loca ex Face Artium citat; ex Rutgerſii variis lectionibus & Celeb. Burmanni notis in Valerium Flaccum totidem fere emendationes ſubnotat, &, præter pauca alia, cum Farnabio ſuo aliquoties digladiatur. Hæc ſunt merita novæ editionis. Nam quod in titulo nomina illa immortalia *Grotii, Heinſiorum, Gruteri, Lipſii* aliorumque fulgent, quæ in aliarum editionum indicibus non comparent, iſtud neminem decipere debet. Nihil enim prorſus de curis illorum Virorum attulit, quod non in Gronovii Editione habeatur: immo quorundam integras notas ne vidit quidem unquam, eamque ob cauſam in illos, qui integras notas edunt, ſatis acrem declamationem, ut ſolent ſibi conſcii, paravit. Interim nos non adeo reprehendendum exiſtimamus, quando quis pauca in commune confert, qui pauca poteſt: at qui id cum injuria magnorum Virorum & intoleranda quadam ſuperbia faciunt, hi, ſi odium optimi cujusque incurrant, id ſibi imputare debent. Utinam vero iſtud in hunc Editorem non magna ex parte caderet. Certe, poſt nobilem illum Ciceronis commaculatorem, nemo majore faſtu, oſtentatione & ſtrepitu, quam *Schrœderus*, nihil egit: & tamen in viros eruditiſſimos inſurgere potuit. Audiamus ipſum. „Equidem „nihil minus, inquit, antehac cogitaveram, quam de edendo Se„neca, ullove alio antiquitatis monumento deinceps publican„do, certus in poſterum mecum habitare atque aliis illibatam „relinquere gloriam, quam emaculandis veterum ſcriptis & „conſtipandis undique interpretum variorum annotationibus „ſibi pollicerentur. Quo in propoſito non parum me confirma„vit, quod ſentiebam ea, quæ ὁ πάνυ ope Florentini codicis ad „autorem hunc expoliendum contuliſſet, ſi non omnia, maxi„mam certe partem veluti ex tripode depromta a nonnullis ex-

iſtima-

„ ißimari; adeo, ut qui tanto oraculo obloqui ſuſtineret, is per „ ſuppoſitos cineri doloſo ignes inceſſurus vulgo putaretur.„ „ Nihilominus tantum apud me valuit bibliopola „ *cet.* Hæc ille ſub initium Præfationis. Et fatemur, *inflatum* hoc genus dicendi nobis jam timorem incutiebat, & conſilium, ſi integrum eſſet, capiebamus illud inclamare:

Ἄρν' ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκατε·
Τυφὼν γὰρ ἐκβαίνειν παρασκευάζεται.

Mox in optimum Gronovium plura dicta, non tamen contumelioſa, legebamus, deinde plura pro Farnabianis notis, ut ſemper homines ex ſuo ingenio alios judicant: inter hæc quædam duriuſcule in doctiſſimum nepotem eximii Gronovii, ſed obſcure & tamen magnis verbis. Illa etiam murmura conceptos ventos teſtabantur. Tandem tempeſtas erupit in caput Viri Celeberrimi, integritate vitæ non minus, quam eruditione conſpicui, & qui unus optimo cuique eſt pro mille Schrœderis, *CAROLI ANDREÆ DUCKERI*, quæ tamen lectores fortaſſe, qui nihil tale hic exſpectabant, longe magis percellet, quam venerandum illud caput. En ipſa verba magiſtri: „ Ego, quo minus graculi „ iſti ſuperbiæ atque arrogantiæ ſuæ litent, non intercedam. „ Sed nec quoque tam abjecte de me ſentiam, ut reponendum „ quidquam eſſe putem famelico ephemeridis nuperæ conſarci„ natori, qui Tragico noſtro, antequam is publico ſe commit„ teret, obſcævare non ſit veritus; inductus, *ut videtur*, ab ob„ ſcuro alaſtore. Satis erit, ſi dixero, riſiſſe me, Trajectino Gy„ mnaſio cum præeſſem, *Zoili* iſtius difficiles putidasque *nugas*; „ quin & poſt meum inde diſceſſum ſpreviſſe *impii* ac *nequiſ*„*ſimi* hominis *ſtolidam* iracundiam, qui fortunas meas famam„ que doloſa criminatione cum peteret, dediſſet ſe turpiſſime; „ poſtquam vanitatis affectatæ manifeſtus tam præclaris auſis „ excidiſſet. At vide, quid ſperatus *Varilectionarii Thucydidei* „ titulus efficere poſſit; cum tantum nominis decus ſibi bellus „ homo non aliunde, quam ab inſana eruditis quibusdam viris „ detrahendi libidine inchoandum eſſe duxerit.„ Hæc ſunt deteſtanda illa Schrœderi maledicta in Celeberr. Duckerum, qui

 nunc

nunc magna cum exſpectatione eruditorum novam Thucydidis editionem parat. At quodnam eſt tam grande illud peccatum, cujus cauſa iratus ludimagiſter tanta acerbitate inſurrexit? Rem omnem tenemus, & quamvis hoc ſit contra inſtitutum noſtrum, ſemel tamen leges negligere, & ordine eam narrare volumus, quo impietas & inhumanitas Schrœderi magis eluceſcat, & exemplum ſit ille inauditæ cum eruditis agendi licentiæ. Cum primum fama increbeſceret, quod Schrœderus novam Senecæ editionem pararet, is qui *Nova Litteraria*, quæ hic *Lipſiæ* publicantur, vernacula lingua conſcribit, inter alia & hoc nunciaverat, ſed addito judicio, non adeo magnam eſſe exſpectationem apud eruditos operæ, quam Senecæ impenderet Schrœderus, ſiquidem hunc ex editis libellis æſtimare liceret. Trajecti, quo loco vivit integerrimus Duckerus, ſimilia Nova Litteraria publicantur, quorum autor (hic eſt ille *ephemeridis conſarcinator* verbis Schrœderi) quem ipſum bibliopolam Trajectinum, qui Nova ſua vendit, eſſe putamus, ex Lipſienſibus Novis ea, quæ de Seneca hic dicebantur, & plura alia, totidem verbis in *ſua* transtulit: ut cuilibet, qui vel hanc, vel aliam plagulam conferre voluerit, ſtatim apparebit. Schrœderus elogium in Trajectina Ephemeride legens, ibidem illud natum & ab Celeb. Duckero bibliopolæ ſubminiſtratum eſſe, male (cum tamen *Delphis* vivat) divinavit: immo & hoc, & omnia alia, quæ ibi de viris eruditis dicebantur, a Duckero profecta eſſe injuſte cenſuit. Hinc illa ira, illa inſana maledicta: & tamen nulla plane in Duckero culpa. Qui ſi vel maxime hoc, & multo acerbius judicium de Seneca Schrœderi tuliſſet, tam inhumane tractari nunquam promeruiſſet. Hoc certe in aurem Schrœdero dicere poſſumus, fuiſſe apud eruditos, quotquot hic interioribus litteris pretium ſtatuunt, novæ editionis Senecæ Tragœdiarum exſpectationem: ſed ea ſtatim ſublata eſt penitus, cum ipſum hanc curam ſuſcepiſſe inaudirent. Nec opus eſt, ut multis doceamus exemplis, Editorem nihil plane præſtitiſſe, quo litteræ lætari poſſent. Videamus modo, quam temere obloquatur ſummo Gronovio. Ad Thyeſten v. 171 ex duobus integerrimis libris Lipſiano & Florentino notat Gronovius: *obvios fluctus ore petens*, quod ſe diſerte teſtatur ſola reven-

rentia codicum recepturum, quamvis suspicari possis interpretantium esse. Quid igitur opus erat illo Schrœderi: *fluctus ore* vocans. *Rectius hoc, quippe ἐμφατικώτερον quam* petens? Quasi non idem jam dixisset Gronovius. Quam ridiculum autem est, quod homo vulgatam defenderit illo Virgilii: *Tum cornix rauca pluviam* vocat *improba voce*, quasi & cornix Maronis bibere vellet, quando pluviam prædicit. Ad v. 9 ejusdem Thyestes solam Ascensii scilicet Editionem iisdem duobus codicibus opponit, atque τῷ πάνυ insignem etiam hallucinationem tribuit, quod verba ista in Edd. vulgatis *semper accrescens jecur* ad Tityum retulerit. Ipse ita distinguit & exponit: „aut num semper mihi „accrescens jecur (*quibus per oppositionem cohæret illud* pœna „Tityi, *supple* existens, *vel* quæ pœna Tityi fuit) pascet vulne„ribus meis effossis atras aves? *Et num jecur illud meum* (*in„tellige hæc sequentia per epexegesin*) *reparans nocte, quidquid „amisit die*, pabulum plenum monstro recenti jacet, h. e. *in „cruciatum meum positum est, sive apponitur pabulum fœdæ „recenti volucri?*„ Hæc ille. Et ita quidem cogitare & scribere solent Schrœderi, at non Annæi. Gronovius & ante eum Raphelengius ex MSS. dederunt:

Aut pœna Tityi (*mihi venit:*) qui specu vasto patens
Visceribus atras pascit effossis aves;
Et nocte reparans, quidquid amisit die,
Plenum recenti pabulum monstro jacet?
In quod malum transscribor?

Quæ etiam sine interprete intelliguntur. Eadem Tragœdia v. 518 Gronovius ex optimo libro confirmat:

— — *Supplicem* primus *vides.*
Hæ te precantur pedibus intactæ *manus.*

Schrœderus iterum ex Ed. Ascensii retinendum putat: *pedibus* injunctæ *manus*. At non cepit bonus vir elegantiam veteris scripturæ. Proprie manus supplicis tangunt pedem; sed Annæi ta-lia perquam scite commutant, & alteri tribuunt, quod est alterius. Cujus moris si non ignarus fuisset, nunquam Ascensii Glossam unicis membranis opposuisset. Ejus generis est lectio v. 892: *Dum cœlum vocat*, quæ ipsi non minus arridet, quam Florenti-

gœdiarum Senecæ editione, cum parum de suo, novi nihil attulerit Editor, quid præstitum sit, paucis verbis enumerabimus. *Schræderus*, Rector Scholæ Delphensis, obloquitur, interdum non sine contumelia, Critico summo Jo. Fr. Gronovio; ex unico MS. chartaceo & Editionibus duabus, altera Bernardini Marmitæ, altera Badii Ascensii, discrepantes hic illic lectiones profert, easque autoritati veterrimi MS. Florentini, ubi visum est, opponit; decem circiter loca ex Face Artium citat; ex Rutgersii variis lectionibus & Celeb. Burmanni notis in Valerium Flaccum totidem fere emendationes subnotat, &, præter pauca alia, cum Farnabio suo aliquoties digladiatur. Hæc sunt merita novæ editionis. Nam quod in titulo nomina illa immortalia *Grotii, Heinsiorum, Gruteri, Lipsii* aliorumque fulgent, quæ in aliarum editionum indicibus non comparent, istud neminem decipere debet. Nihil enim prorsus de curis illorum Virorum attulit, quod non in Gronovii Editione habeatur: immo quorundam integras notas ne vidit quidem unquam, eamque ob causam in illos, qui integras notas edunt, satis acrem declamationem, ut solent sibi conscii, paravit. Interim nos non adeo reprehendendum existimamus, quando quis pauca in commune confert, qui pauca potest: at qui id cum injuria magnorum Virorum & intoleranda quadam superbia faciunt, hi, si odium optimi cujusque incurrant, id sibi imputare debent. Utinam vero istud in hunc Editorem non magna ex parte caderet. Certe, post nobilem illum Ciceronis commaculatorem, nemo majore fastu, ostentatione & strepitu, quam *Schræderus*, nihil egit: & tamen in viros eruditissimos insurgere potuit. Audiamus ipsum. „Equidem „nihil minus, inquit, antehac cogitaveram, quam de edendo Se„neca, ullove alio antiquitatis monumento deinceps publican„do, certus in posterum mecum habitare atque aliis illibatam „relinquere gloriam, quam emaculandis veterum scriptis & „constipandis undique interpretum variorum annotationibus „sibi pollicerentur. Quo in proposito non parum me confirma„vit, quod sentiebam ea, quæ ὁ πάνυ ope Florentini codicis ad „autorem hunc expoliendum contulisset, si non omnia, maxi„mam certe partem veluti ex tripode deprompta a nonnullis existima-

„ iſtimari; adeo, ut qui tanto oraculo obloqui ſuſtineret, is per „ ſuppoſitos cineri doloſo ignes inceſſurus vulgo putaretur.„ „ Nihilominus tantum apud me valuit bibliopola „ *cet.* Hæc ille ſub initium Præfationis. Et fatemur, *inflatum* hoc genus dicendi nobis jam timorem incutiebat, & conſilium, ſi integrum eſſet, capiebamus illud inclamare:

Ἄρν' ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκατε·
Τυφὼν γὰρ ἐκβαίνειν παρασκευάζεται.

Mox in optimum Gronovium plura dicta, non tamen contumelioſa, legebamus, deinde plura pro Farnabianis notis, ut ſemper homines ex ſuo ingenio alios judicant: inter hæc quædam duriuſcule in doctiſſimum nepotem eximii Gronovii, ſed obſcure & tamen magnis verbis. Illa etiam murmura conceptos ventos teſtabantur. Tandem tempeſtas erupit in caput Viri Celeberrimi, integritate vitæ non minus, quam eruditione conſpicui, & qui unus optimo cuique eſt pro mille Schrœderis, *CAROLI ANDREÆ DUCKERI*, quæ tamen lectores fortaſſe, qui nihil tale hic exſpectabant, longe magis percellet, quam venerandum illud caput. En ipſa verba magiſtri: „ Ego, quo minus graculi „ iſti ſuperbiæ atque arrogantiæ ſuæ litent, non intercedam. „ Sed nec quoque tam abjecte de me ſentiam, ut reponendum „ quidquam eſſe putem famelico ephemeridis nuperæ conſarci- „ natori, qui Tragico noſtro, antequam is publico ſe commit- „ teret, obſcævare non ſit veritus; inductus, *ut videtur*, ab ob- „ ſcuro alaſtore. Satis erit, ſi dixero, riſiſſe me, Trajectino Gy- „ mnaſio cum præeſſem, *Zoili* iſtius difficiles putidasque *nugas*; „ quin & poſt meum inde diſceſſum ſpreviſſe *impii* ac *nequiſ-* „ *ſimi* hominis *ſtolidam* iracundiam, qui fortunas meas famam- „ que doloſa criminatione cum peteret, dediſſet ſe turpiſſime; „ poſtquam vanitatis affectatæ manifeſtus tam præclaris auſis „ excidiſſet. At vide, quid ſperatus *Varilectionarii Thucydidei* „ titulus efficere poſſit; cum tantum nominis decus ſibi bellus „ homo non aliunde, quam ab inſana eruditis quibusdam viris „ detrahendi libidine inchoandum eſſe duxerit.„ Hæc ſunt deteſtanda illa Schrœderi maledicta in Celeberr. Duckerum, qui

 nunc

nunc magna cum exſpectatione eruditorum novam Thucydidis editionem parat. At quodnam eſt tam grande illud peccatum, cujus cauſa iratus ludimagiſter tanta acerbitate inſurrexit? Rem omnem tenemus, & quamvis hoc ſit contra inſtitutum noſtrum, ſemel tamen leges negligere, & ordine eam narrare volumus, quo impietas & inhumanitas Schrœderi magis eluceſcat, & exemplum ſit ille inauditæ cum eruditis agendi licentiæ. Cum primum fama increbeſceret, quod Schrœderus novam Senecæ editionem pararet, is qui *Nova Litteraria*, quæ hic *Lipſiæ* publicantur, vernacula lingua conſcribit, inter alia & hoc nunciaverat, ſed addito judicio, non adeo magnam eſſe exſpectationem apud eruditos operæ, quam Senecæ impenderet Schrœderus, ſiquidem hunc ex editis libellis æſtimare liceret. Trajecti, quo loco vivit integerrimus Duckerus, ſimilia Nova Litteraria publicantur, quorum autor (hic eſt ille *ephemeridis conſarcinator* verbis Schrœderi) quem ipſum bibliopolam Trajectinum, qui Nova ſua vendit, eſſe putamus, ex Lipſienſibus Novis ea, quæ de Seneca hic dicebantur, & plura alia, totidem verbis in *ſua* transtulit: ut cuilibet, qui vel hanc, vel aliam plagulam conferre voluerit, ſtatim apparebit. Schrœderus elogium in Trajectina Ephemeride legens, ibidem illud natum & ab Celeb. Duckero bibliopolæ ſubminiſtratum eſſe, male (cum tamen *Delphis* vivat) divinavit: immo & hoc, & omnia alia, quæ ibi de viris eruditis dicebantur, a Duckero profecta eſſe injuſte cenſuit. Hinc illa ira, illa inſana maledicta: & tamen nulla plane in Duckero culpa. Qui ſi vel maxime hoc, & multo acerbius judicium de Seneca Schrœderi tuliſſet, tam inhumane tractari nunquam promeruiſſet. Hoc certe in aurem Schrœdero dicere poſſumus, fuiſſe apud eruditos, quotquot hic interioribus litteris pretium ſtatuunt, novæ editionis Senecæ Tragœdiarum exſpectationem: ſed ea ſtatim ſublata eſt penitus, cum ipſum hanc curam ſuſcepiſſe inaudirent. Nec opus eſt, ut multis doceamus exemplis, Editorem nihil plane præſtitiſſe, quo litteræ lætari poſſent. Videamus modo, quam temere obloquatur ſummo Gronovio. Ad Thyeſten v. 171 ex duobus integerrimis libris Lipſiano & Florentino notat Gronovius: *obvios fluctus ore petens*, quod ſe diſerte teſtatur ſola reveren-

rentia codicum recepturum, quamvis ſuſpicari poſſis interpretantium eſſe. Quid igitur opus erat illo Schrœderi: *fluctus ore vocans. Rectius hoc, quippe ἐμφατικώτερον quam* petens? Quaſi non idem jam dixiſſet Gronovius. Quam ridiculum autem eſt, quod homo vulgatam defenderit illo Virgilii: *Tum cornix rauca pluviam* vocat *improba voce*, quaſi & cornix Maronis bibere vellet, quando pluviam prædicit. Ad v. 9 ejuſdem Thyeſtes ſolam Aſcenſii ſcilicet Editionem iiſdem duobus codicibus opponit, atque τῷ πάνυ inſignem etiam hallucinationem tribuit, quod verba iſta in Edd. vulgatis *ſemper accreſcens jecur* ad Tityum retulerit. Ipſe ita diſtinguit & exponit: „aut num ſemper mihi „accreſcens jecur (*quibus per oppoſitionem cohæret illud* pœna „Tityi, *ſupple* exiſtens, *vel* quæ pœna Tityi fuit) paſcet vulne„ribus meis effoſſis atras aves? *Et num jecur illud meum (in„tellige hæc ſequentia per epexegeſin) reparans nocte, quidquid „amiſit die*, pabulum plenum monſtro recenti jacet, h. e. *in „cruciatum meum poſitum eſt, ſive apponitur pabulum fœda „recenti volucri?*„ Hæc ille. Et ita quidem cogitare & ſcribere ſolent Schrœderi, at non Annæi. Gronovius & ante eum Raphelengius ex MSS. dederunt:

Aut pœna Tityi (*mihi venit:*) qui ſpecu vaſto patens
Viſceribus atras paſcit effoſſis aves;
Et nocte reparans, quidquid amiſit die,
Plenum recenti pabulum monſtro jacet?
In quod malum transſcribor?

Quæ etiam ſine interprete intelliguntur. Eadem Tragœdia v. 518 Gronovius ex optimo libro confirmat:

— — *Supplicem* primus *vides.*
Hæ te precantur pedibus intactæ *manus.*

Schrœderus iterum ex Ed. Aſcenſii retinendum putat: *pedibus injunctæ manus*. At non cepit bonus vir elegantiam veteris ſcripturæ. Proprie manus ſupplicis tangunt pedem; ſed Annæi talia perquam ſcite commutant, & alteri tribuunt, quod eſt alterius. Cujus moris ſi non ignarus fuiſſet, nunquam Aſcenſii Gloſſam unicis membranis oppoſuiſſet. Ejus generis eſt lectio v. 892: *Dum cœlum vocat*, quæ ipſi non minus arridet, quam Florenti-ni

ni MS. Grotii & Gronovii, *Dum cœlum vacat*, diis nempe, qui, ut mox addit, fugerant. Ad Herculem Furentem v. 36 Gronovio incertam conjecturam objicit, cum is tamen suam lectionem ex MS. Moguntino manifeste comprobaverit. Eadem Tragœdia v. 886 Gronovius ex laudatissimis membranis reposuit:

Quodcunque adluitur *solum*
Longo Tethyos ambitu.

At Editor ex duobus impressis & uno MS. suo æque probum judicat vulgatum olim: *abluitur solum*, æque scilicet probum apud illos, qui inventis frugibus glande vesci solent. Hujus farinæ est illud in Phœnissis, ubi v. 31 Gronovius ex iisdem membranis reposuit, quod Florens Christianus conjectura assecutus erat. Oedipus nempe loquitur:

— *quid moror sedes meas?*
Mortem *Citharon redde, & hospitium mihi*
Illud meum restitue, ut exspirem senex,
Ubi debui infans.

Occurrit Schrœderus & vulgatum revocat: *Montem Citharon redde*, quod nive Gallica frigidius est. In Hippolyto v. 222 ex Florentino reponit Gronovius:

Ne crede Diti: *cluserit regnum licet,*

idque optime interpretatur, & facillimum nobis erat monstrare, hoc etiam Annæis valde familiare esse. At hospes in eorum lectione Schrœderus optimam interpretationem Gronovii *lepidum commentum* vocat, & puerile illud vulgatum:

Ne crede: Ditis *cluserit regnum licet*

tuetur. In Medea v. 680 ex Etrusco scripsit Gronovius:

Et triste læva comprecans *sacrum manu*,

eum *complicans*, quod vulgabatur, nullum sensum haberet. Ejus tamen patrocinium suscepit Editor. In Hercule Oetæo v. 1124, partim ex libris, partim ex conjectura reponit Gronovius:

Quis tantum capiet nefas
Fati? *quis*, Superi, *locus*
Pontum, sidera, tartara
Regna unus capiet tria?

elegan-

elegante profecto. Schrœderus in Ed. Ascensiana verissimam lectionem deprehendisse sibi visus est, & increpat Gronovium valde inique, quod *superos* tanquam θεὸν ἀπὸ μηχανῆς obtruderet, scribitque: *quis* superus *locus*, ineptissime. Hanc tamen solam justam divisionem esse dictitat. Dedisses huic homini viginti aliquot veteres impressos, aut manu exaratos libros, totum Senecam Glossis & librariorum somniis conspurcasset, qui ex Badii editione, cujus alioquin opera eruditis ne titivillitii est, tot facinora audet. Verum ex his jam satis apparet, quam injuste summo Viro obloquatur Schrœderus: neque tamen pepercit filio ejusdem, Jac. Gronovio, quem satis acerbe tangit nota ad Herc. Oetæum v. 1475: quam confidentiam a tali pædagogo nunquam exspectassemus. Sed Batavi ludimagistri hoc sibi proprium habent, ut simul cum regno scholastico confidentiam & fastum arripiant, sibique idem in viros eruditos, quorum umbram etiam venerari deberent, quod in pueros suos, licere arbitrentur. Hæc mittimus. Unum addere debemus. Gloriatur in Præfatione Schrœderus, sese notas etiam variorum emendasse, & vitia priorum editionum sustulisse. Sed tu, Lector, si vacat, inspice notas ad Herc. Fur. v. 45 & ad Medeam v. 387 & 723, & senties, quam vere hoc dixerit. Ne ex Gronovii quidem notis vitia typorum sublata sunt. Sic ad Herc. Fur. v. 624 etiam hac editione laudatur Ovidius XV Metam. 299, cum indicari deberet v. 229. Ista tamen, qualiacunque sint, libenter condonassemus homini; at enormis illa inhumanitas, qua Celeb. Duckerum tractat, & temerarius ausus contra Gronovium insurgendi & manes tanti Viri sollicitandi ferenda haud fuerunt.

PHILOSOPHIA RATIONALIS, SIVE LOGICA, methodo scientifica pertractata & ad usum scientiarum atque vitæ aptata. Præmittitur Discursus præliminaris de Philosophia in genere; Autore CHRISTIANO WOLFIO, Consiliario aulico Hassiaco, Mathematum ac Philosophiæ in Academia Marburgensi Professore primario,

rio, Professore Petropolitano honorario, Societatum Regiarum Britannicæ atque Borussicæ Sodali.

Francofurti & Lipsiæ, in officina libraria Rengeriana, 1728, 4.
Alph. 4 pl. 20½ Tab. æn. 1.

POstquam Autor Opera philosophica Germanica ad finem perduxit; nunc promissi memor ad Latina, multo majora magisque exasciata, edenda progreditur & eorum Tomum primum in lucem profert, quo præter *Logicam* discursus præliminaris de Philosophia in genere continetur, institutum Autoris exponens, utut perinde ac opus logicum scientifica methodo conscriptus dogmaticus haberi debeat. Monet in præfatione, eam in Philosophia desiderari evidentiam, quæ sola assensum gignit certum atque immotum, nec quæ in ea traduntur usui vitæ respondere, propterea quod exulent notiones ac propositiones determinatæ, sine quibus, quæ afferantur, nec satis intelligi, nec sufficienter probari, nec ad casus vitæ obvios dextre applicari possint. Generi igitur humano Philosophiam utilem effecturus, nihil admittendum esse duxit, nisi quod satis fuerit explicatum ac sufficienter probatum, & voces a notionibus confusis ad distinctas & a significatu vago ad fixum reducere ac propositiones imprimis determinatas condere studuit. Propositiones singulas alio charactere imprimi curavit, quam earum demonstrationes, & singulis illustrandis ampla subjunxit scholia minuto charactere expressa, ut lectio operis facilitetur & absque labore pateat, quænam in futurum usum memoriæ demandanda, nec ab invidis, malevolis ac imperitis ipsi imputari queant dogmatis suis contraria, quemadmodum nuper factum ab *Anti-Wolfianis*.

Exposita in *Discursu præliminari* differentia cognitionis historicæ, philosophicæ & mathematicæ, hactenus non satis expensa, id imprimis agit, ut ostendat, philosophiam, qualem ipse definit, in qua ratio redditur, quomodo possibilia actum consequi possint, esse ex numero eorum, quæ impossibilia non sunt, fierique posse, ut ejus compotes reddamur. Evincit etiam possibilem esse philosophiam Juris, Medicinæ, artium quarumcunque, im-

mo

mo ipsa artis opera philosophicam admittere cognitionem. Utilitatem philosophiæ & ejus præ cognitione historica præstantiam commonstrat, nec judicem in controversiis philosophicis agnoscit, qui sola cognitione historica instructus aut nonnisi historicam cognitionis philosophicæ alterius cognitionem habet. Inter partes philosophiæ præter vulgo notas refert *Philosophiam practicam universalem*, cujus olim pro cathedra in Academia nostra specimen dedit, *Technologiam*, seu scientiam artium & operum artis, *Grammaticam, Rhetoricam* & *Poeticam philosophicam, Artem inveniendi*, Logicæ contradistinctam, *Cosmologiam generalem*, quam primus Metaphysicæ partem condidit, *Teleologiam*, quæ fines ac usus rerum naturalium explicat, nec non *Logicam probabilium*. Demonstrat ordinem, quo disciplinæ philosophicæ pertractandæ, hoc potissimum usus principio, ut illæ præcedant, unde ceteræ principia demonstrandi & notiones simpliciores in definiendo mutuantur. Exponit *methodum philosophicam*, hoc est, ordinem, quo in tradendis dogmatis uti debet philosophus. Potissimæ regulæ huc redeunt, in Philosophia non utendum esse nisi terminis accurata definitione explicatis, nec principiis nisi sufficienter probatis; nullam esse admittendam propositionem, nisi quæ ex principiis positis legitime deducitur; in propositionibus conditionem accurate esse determinandam, sub qua prædicatum subjecto convenit; in demonstrationibus non plura contineri debere, quam quæ lectori antecedentium gnaro sufficiunt ad revocandum cetera in memoriam ad ratiocinia complenda requisita, & propositiones singulas eo ordine collocandas esse, quo subeunt animum demonstrationem concipientis; hypothesibus philosophicis non esse concedendum locum, nisi quatenus ad veritatem liquidam inveniendam viam sternunt, atque adeo eas arcendas esse tanquam principia ex dogmatum demonstratione aut probatione, hoc est, earum propositionum, quæ ad usum quendam practicum conduntur, veluti ad actionum liberarum directionem; eum in omnibus tenendum esse ordinem, ut præmittantur ea per quæ sequentia intelliguntur & demonstrantur, vel minimum probabiliter adstruuntur. Ad has & alias geminas regulas demonstrandas hoc potissimum uti-

utitur principio, quod in Philosophia omnimodæ studendum sit certitudini, methodique philosophicæ cum mathematica identitatem ostendit, quæ perinde ac philosophica ex notione certitudinis derivatur. Tradit præterea regulas de stylo philosophico, cujus hanc supremam legem statuit, quod in eo non habenda sit ratio rei alterius, quam ut alteri animi nostri sensa aperiamus. Inter regulas istas reperies, quod a recepto verborum significatu non sit recedendum, quod ejusdem vocis idem constanter esse debeat significatus, quod voces a significatu vago ad determinatum sint reducendæ, quod, quæ intrinsece differunt, diversis nominibus insignienda, quod termini philosophici semel recepti non immutandi, non tamen satis accurate definiti accuratius definiendi, quod terminis utendum sit propriis, nec pluribus, quam quot ad veritatem nude proponendam sufficiunt. Has methodi stylique leges sancte custodivit in opere suo Logico, & se custoditurum promisit in ceteris philosophiæ partibus. Logicam enim suam ita conscripsit, ut, dum quis ejus regulas sibi cognitas atque perspectas reddit, eo ipso habitum iisdem utendi acquirat: neque enim in Logicæ tractatione desiderari passus est regulas, quas ipsa ceteris præscribit disciplinis. Ultimo tandem loco de libertate philosophandi agit, eique opposita philosophandi servitute. Ostendit, servitutem philosophandi cum methodo philosophica consistere non posse; eum, qui methodo philosophica philosophiam tradit, in eligendis sententiis solius veritatis rationem habere, rationibus omnibus extrinsecis exulantibus; eundem suo, non aliorum stare debere judicio, nec ab aliis tradita admittere posse, nisi quatenus ea ex principiis suis demonstrari & intelligi possunt; eum non habere opus, ut oppositas sententias refellat, nec fieri posse, ut vel veritati revelatæ, vel virtuti, vel statui publico contraria doceat. Atque ideo probat, methodo philosophica philosophanti libertatem philosophandi integram esse concedendam, nec ullum hinc religioni, virtuti ac Reip. periculum metuendum: sine illa autem libertate nullum esse scientiæ progressum, quæ tum demum incrementa captura sit, quando methodo philosophica philosophari cœperint homines. Ceterum ne philosopho contradictiones Philosophiæ & Theo-

Theologiæ in detrimentum scientiæ obtrudantur, easdem demonstrandas esse evincit, atque exemplo hypotheseos terræ motæ probat, curiam Romanam regulæ istius rationem habuisse, quæ probe perpenderit, non Scripturæ sacræ aut veritati revelatæ repugnare, quod receptæ alicui interpretationi Scripturæ sacræ aut thesi theologicæ inter ipsos Christianos adhuc controversæ contradicit. Logicam Germanicam, cujus quinquies recusæ ultra octo millia exemplaria partim in eruditorum, partim in juventutis studiosæ manibus versantur, in Actis A. 1713, cum primum prodiret, recensuimus: sed ea præsentis operis nonnisi prima rudimenta continet. Dividitur hoc in duas partes, theoreticam atque practicam, quarum hæc ad istam in sesqui altera fere est ratione. Theoriæ Logicæ in Prolegomenis triplicem lapidem Lydium offert, quod nempe ea sit praxi veterum Geometrarum conformis, quod per ejus regulas rationem reddere liceat cogitationum, quæ sese invicem naturaliter consequuntur, & quod ejus regulæ ex ipsa mentis humanæ natura & notione entium in genere demonstrari possint. Postquam igitur distincte explicavit, quæ de operationibus mentis observantur, indeque notionis, termini, judicii, propositionis, individui, speciei ac generis, nec non ratiocinationis notiones aliasque agnatas deduxit, notitias quasdam generales entis tradit, quæ fœcunda in Logica principia præbent. Ea quæ enti insunt, vel constantia sunt, vel mutabilia. Illa tam diu insunt, quam diu ens speciem ac genus non mutat; hæc de eodem nonnisi sub certa conditione enunciari possunt. Quæ constanter insunt, eorum alia determinantur per alia, ita ut, si hæc insint, non possint non ipsa quoque inesse; alia vero tantummodo sibi mutuo non repugnant, ita ut una inesse possint & per ipsa cetera, quæ constanter insunt, determinentur, ipsa vero non determinentur per alia, quæ insunt. Posteriora *essentialia* vocat Autor; priora *attributa*; mutabilia vero, quorum tantum possibilitas, non vero actus per constantia determinatur, *modos* appellat. Per essentialia genera & species determinantur: identitas enim determinationum quoad essentialia similitudinem entium parit, in qua genera & species consistunt. Essentialia & attributa, nec non modorum possibilitates de ente absoluto enun-

ni MS. Grotii & Gronovii, *Dum cælum vacat*, diis nempe, qui, ut mox addit, fugerant. Ad Herculem Furentem v. 36 Gronovio incertam conjecturam objicit, cum is tamen suam lectionem ex MS. Moguntino manifeste comprobaverit. Eadem Tragœdia v. 886 Gronovius ex laudatissimis membranis reposuit:

Quodcunque adluitur *solum*
Longo Tethyos ambitu.

At Editor ex duobus impressis & uno MS. suo æque probum judicat vulgatum olim: *abluitur solum*, æque scilicet probum apud illos, qui inventis frugibus glande vesci solent. Hujus farinæ est illud in Phœnissis, ubi v. 31 Gronovius ex iisdem membranis reposuit, quod Florens Christianus conjectura assecutus erat. Oedipus nempe loquitur:

— *quid moror sedes meas?*
Mortem *Citharon redde*, *& hospitium mihi*
Illud meum restitue, ut exspirem senex,
Ubi debui infans.

Occurrit Schrœderus & vulgatum revocat: *Montem Citharon redde*, quod nive Gallica frigidius est. In Hippolyto v. 222 ex Florentino reponit Gronovius:

Ne crede Diti: *cluserit regnum licet,*

idque optime interpretatur, & facillimum nobis erat monstrare, hoc etiam Annæis valde familiare esse. At hospes in eorum lectione Schrœderus optimam interpretationem Gronovii *lepidum commentum* vocat, & puerile illud vulgatum:

Ne crede: Ditis *cluserit regnum licet*

tuetur. In Medea v. 680 ex Etrusco scripsit Gronovius:

Et triste læva comprecans *sacrum manu*,

cum *complicans*, quod vulgabatur, nullum sensum haberet. Ejus tamen patrocinium suscepit Editor. In Hercule Oetæo v. 1124, partim ex libris, partim ex conjectura reponit Gronovius:

Quis tantum capiet nefas
Fati? *quis*, Superi, *locus*
Pontum, *sidera*, *tartara*
Regna unus capiet tria?

elegan-

eleganter profecto. Schrœderus in Ed. Ascensiana verissimam lectionem deprehendisse sibi visus est, & increpat Gronovium valde inique, quod *superos* tanquam θεὸν ἀπὸ μηχανῆς obtruderet, scribitque: *quis* superus *locus*, ineptissime. Hanc tamen solam justam divisionem esse dictitat. Dedisses huic homini viginti aliquot veteres impressos, aut manu exaratos libros, totum Senecam Glossis & librariorum somniis conspurcasset, qui ex Badii editione, cujus alioquin opera eruditis ne titivillitii est, tot facinora audet. Verum ex his jam satis apparet, quam injuste summo Viro obloquatur Schrœderus: neque tamen pepercit filio ejusdem, Jac. Gronovio, quem satis acerbe tangit nota ad Herc. Oetæum v. 1475: quam confidentiam a tali pædagogo nunquam exspectassemus. Sed Batavi ludimagistri hoc sibi proprium habent, ut simul cum regno scholastico confidentiam & fastum arripiant, sibique idem in viros eruditos, quorum umbram etiam venerari deberent, quod in pueros suos, licere arbitrentur. Hæc mittimus. Unum addere debemus. Gloriatur in Præfatione Schrœderus, sese notas etiam variorum emendasse, & vitia priorum editionum sustulisse. Sed tu, Lector, si vacat, inspice notas ad Herc. Fur. v. 45 & ad Medeam v. 387 & 723, & senties, quam vere hoc dixerit. Ne ex Gronovii quidem notis vitia typorum sublata sunt. Sic ad Herc. Fur. v. 624 etiam hac editione laudatur Ovidius XV Metam. 299, cum indicari deberet v. 229. Ista tamen, qualiacunque sint, libenter condonassemus homini; at enormis illa inhumanitas, qua Celeb. Duckerum tractat, & temerarius ausus contra Gronovium insurgendi & manes tanti Viri sollicitandi ferenda haud fuerunt.

PHILOSOPHIA RATIONALIS, SIVE LOGICA, methodo scientifica pertractata & ad usum scientiarum atque vitæ aptata. Præmittitur Discursus præliminaris de Philosophia in genere; Autore CHRISTIANO WOLFIO, Consiliario aulico Hassiaco, Mathematum ac Philosophiæ in Academia Marburgensi Professore primario,

rio, Professore Petropolitano honorario, Societatum Regiarum Britannicæ atque Borussicæ Sodali.

Francofurti & Lipsiæ, in officina libraria Rengeriana, 1728, 4. Alph. 4 pl. 20½ Tab. æn. 1.

POstquam Autor Opera philosophica Germanica ad finem perduxit; nunc promissi memor ad Latina, multo majora magisque exasciata, edenda progreditur & eorum Tomum primum in lucem profert, quo præter *Logicam* discursus præliminaris de Philosophia in genere continetur, institutum Autoris exponens, utut perinde ac opus logicum scientifica methodo conscriptus dogmaticus haberi debeat. Monet in præfatione, eam in Philosophia desiderari evidentiam, quæ sola assensum gignit certum atque immotum, nec quæ in ea traduntur usui vitæ respondere, propterea quod exulent notiones ac propositiones determinatæ, sine quibus, quæ afferantur, nec satis intelligi, nec sufficienter probari, nec ad casus vitæ obvios dextre applicari possint. Generi igitur humano Philosophiam utilem effecturus, nihil admittendum esse duxit, nisi quod satis fuerit explicatum ac sufficienter probatum, & voces a notionibus confusis ad distinctas & a significatu vago ad fixum reducere ac propositiones imprimis determinatas condere studuit. Propositiones singulas alio charactere imprimi curavit, quam earum demonstrationes, & singulis illustrandis ampla subjunxit scholia minuto charactere expressa, ut lectio operis facilitetur & absque labore pateat, quænam in futurum usum memoriæ demandanda, nec ab invidis, malevolis ac imperitis ipsi imputari queant dogmatis suis contraria, quemadmodum nuper factum ab *Anti-Wolfianis*.

Exposita in *Discursu præliminari* differentia cognitionis historicæ, philosophicæ & mathematicæ, hactenus non satis expensa, id imprimis agit, ut ostendat, philosophiam, qualem ipse definit, in qua ratio redditur, quomodo possibilia actum consequi possint, esse ex numero eorum, quæ impossibilia non sunt, fierique posse, ut ejus compotes reddamur. Evincit etiam possibilem esse philosophiam Juris, Medicinæ, artium quarumcunque, im-

mo

mo ipsa artis opera philosophicam admittere cognitionem. Utilitatem philosophiæ & ejus præ cognitione historica præstantiam commonstrat, nec judicem in controversiis philosophicis agnoscit, qui sola cognitione historica instructus aut nonnisi historicam cognitionis philosophicæ alterius cognitionem habet. Inter partes philosophiæ præter vulgo notas refert *Philosophiam practicam universalem*, cujus olim pro cathedra in Academia nostra specimen dedit, *Technologiam*, seu scientiam artium & operum artis, *Grammaticam*, *Rhetoricam* & *Poeticam philosophicam*, *Artem inveniendi*, Logicæ contradistinctam, *Cosmologiam generalem*, quam primus Metaphysicæ partem condidit, *Teleologiam*, quæ fines ac usus rerum naturalium explicat, nec non *Logicam probabilium*. Demonstrat ordinem, quo disciplinæ philosophicæ pertractandæ, hoc potissimum usus principio, ut illæ præcedant, unde ceteræ principia demonstrandi & notiones simpliciores in definiendo mutuantur. Exponit *methodum philosophicam*, hoc est, ordinem, quo in tradendis dogmatis uti debet philosophus. Potissimæ regulæ huc redeunt, in Philosophia non utendum esse nisi terminis accurata definitione explicatis, nec principiis nisi sufficienter probatis; nullam esse admittendam propositionem, nisi quæ ex principiis positis legitime deducitur; in propositionibus conditionem accurate esse determinandam, sub qua prædicatum subjecto convenit; in demonstrationibus non plura contineri debere, quam quæ lectori antecedentium gnaro sufficiunt ad revocandum cetera in memoriam ad ratiocinia complenda requisita, & propositiones singulas eo ordine collocandas esse, quo subeunt animum demonstrationem concipientis; hypothesibus philosophicis non esse concedendum locum, nisi quatenus ad veritatem liquidam inveniendam viam sternunt, atque adeo eas arcendas esse tanquam principia ex dogmatum demonstratione aut probatione, hoc est, earum propositionum, quæ ad usum quendam practicum conduntur, veluti ad actionum liberarum directionem; eum in omnibus tenendum esse ordinem, ut præmittantur ea per quæ sequentia intelliguntur & demonstrantur, vel minimum probabiliter adstruuntur. Ad has & alias geminas regulas demonstrandas hoc potissimum

utitur principio, quod in Philoſophia omnimodæ ſtudendum ſit certitudini, methodique philoſophicæ cum mathematica identitatem oſtendit, quæ perinde ac philoſophica ex notione certitudinis derivatur. Tradit præterea regulas de ſtylo philoſophico, cujus hanc ſupremam legem ſtatuit, quod in eo non habenda ſit ratio rei alterius, quam ut alteri animi noſtri ſenſa aperiamus. Inter regulas iſtas reperies, quod a recepto verborum ſignificatu non ſit recedendum, quod ejusdem vocis idem conſtanter eſſe debeat ſignificatus, quod voces a ſignificatu vago ad determinatum ſint reducendæ, quod,quæ intrinſece differunt, diverſis nominibus inſignienda, quod termini philoſophici ſemel recepti non immutandi, non tamen ſatis accurate definiti accuratius definiendi, quod terminis utendum ſit propriis, nec pluribus,quam quot ad veritatem nude proponendam ſufficiunt. Has methodi ſtylique leges ſancte cuſtodivit in opere ſuo Logico,& ſe cuſtoditurum promiſit in ceteris philoſophiæ partibus. Logicam enim ſuam ita conſcripſit, ut, dum quis ejus regulas ſibi cognitas atque perſpectas reddit, eo ipſo habitum iisdem utendi acquirat: neque enim in Logicæ tractatione deſiderari paſſus eſt regulas, quas ipſa ceteris præſcribit diſciplinis. Ultimo tandem loco de libertate philoſophandi agit,eique oppoſita philoſophandi ſervitute. Oſtendit, ſervitutem philoſophandi cum methodo philoſophica conſiſtere non poſſe; eum, qui methodo philoſophica philoſophiam tradit, in eligendis ſententiis ſolius veritatis rationem habere, rationibus omnibus extrinſecis exulantibus; eundem ſuo, non aliorum ſtare debere judicio, nec ab aliis tradita admittere poſſe, niſi quatenus ea ex principiis ſuis demonſtrari & intelligi poſſunt; eum non habere opus, ut oppoſitas ſententias refellat, nec fieri poſſe, ut vel veritati revelatæ, vel virtuti, vel ſtatui publico contraria doceat. Atque ideo probat, methodo philoſophica philoſophanti libertatem philoſophandi integram eſſe concedendam, nec ullum hinc religioni, virtuti ac Reip. periculum metuendum: ſine illa autem libertate nullum eſſe ſcientiæ progreſſum, quæ tum demum incrementa captura ſit, quando methodo philoſophica philoſophari cœperint homines. Ceterum ne philoſopho contradictiones Philoſophiæ & Theo-

Theologiæ in detrimentum scientiæ obtrudantur, easdem demonstrandas esse evincit, atque exemplo hypotheseos terræ motæ probat, curiam Romanam regulæ istius rationem habuisse, quæ probe perpenderit, non Scripturæ sacræ aut veritati revelatæ repugnare, quod receptæ alicui interpretationi Scripturæ sacræ aut thesi theologicæ inter ipsos Christianos adhuc controversæ contradicit. Logicam Germanicam, cujus quinquies recusæ ultra octo millia exemplaria partim in eruditorum, partim in juventutis studiosæ manibus versantur, in Actis A. 1713, cum primum prodiret, recensuimus: sed ea præsentis operis nonnisi prima rudimenta continet. Dividitur hoc in duas partes, theoreticam atque practicam, quarum hæc ad istam in sesqui altera fere est ratione. Theoriæ Logicæ in Prolegomenis triplicem lapidem Lydium offert, quod nempe ea sit praxi veterum Geometrarum conformis, quod per ejus regulas rationem reddere liceat cogitationum, quæ sese invicem naturaliter consequuntur, & quod ejus regulæ ex ipsa mentis humanæ natura & notione entium in genere demonstrari possint. Postquam igitur distincte explicavit, quæ de operationibus mentis observantur, indeque notionis, termini, judicii, propositionis, individui, speciei ac generis, nec non ratiocinationis notiones aliasque agnatas deduxit, notitias quasdam generales entis tradit, quæ fœcunda in Logica principia præbent. Ea quæ enti insunt, vel constantia sunt, vel mutabilia. Illa tam diu insunt, quam diu ens speciem ac genus non mutat; hæc de eodem nonnisi sub certa conditione enunciari possunt. Quæ constanter insunt, eorum alia determinantur per alia, ita ut, si hæc insint, non possint non ipsa quoque inesse; alia vero tantummodo sibi mutuo non repugnant, ita ut una inesse possint & per ipsa cetera, quæ constanter insunt, determinentur, ipsa vero non determinentur per alia, quæ insunt. Posteriora *essentialia* vocat Autor; priora *attributa;* mutabilia vero, quorum tantum possibilitas, non vero actus per constantia determinatur, *modos* appellat. Per essentialia genera & species determinantur: identitas enim determinationum quoad essentialia similitudinem entium parit, in qua genera & species consistunt. Essentialia & attributa, nec non modorum possibilitates de ente absoluto

enunciantur; modi vero nonnisi sub certa conditione & contra. Hæc & in definitionibus, & in judiciis, & in ratiocinationibus præclarum habent usum. Definitiones enim generis conduntur atque speciei, si vel essentialia, vel attributa, vel modorum atque relationum possibilitates sufficienter enumerantur, per quæ genus vel species determinatur. Attributa prædicantur de subjecto sub conditione essentialium, sub eadem quoque de eodem prædicantur possibilitates modorum; modi autem sub conditione extrinseca. Atque his observatis propositiones conduntur determinatæ ad ratiocinandum utiles. Omnia enim ratiocinia deducuntur ex dicto de omni & nullo, quod legitime extensum ad has propositiones redit: 1) quod de genere vel specie sive absolute, sive sub expressa conditione affirmari vel negari potest, id etiam de quibusdam speciebus sub isto genere vel individuis sub genere isto istaque specie contentis sive absolute, sive sub eadem conditione affirmandum vel negandum: 2) cui definitum competit, eidem etiam definitio competit & de eodem singula in definitione contenta sigillatim enunciari possunt: 3) cui conveniunt notæ in definitione enumeratæ simul, eidem quoque convenit definitum: 4) cui eædem non conveniunt, eidem quoque non convenit definitum: 5) cui definitum non convenit, eidem nec definitio convenit. Idem dictum extenditur ad prædicationes proprias in usum syllogismorum propriorum. Præcipua theoria Logicæ ab his principiis pendet, si differentiam notionum formalem addideris, qua in claras & obscuras, ac claræ porro in distinctas & confusas, distinctæ in completas & incompletas, adæquatas & inadæquatas abeunt, & de qua diximus, Logicam Germanicam recensentes. Retinuit Autor terminos in scholis usitatos, nec significatum immutavit, notiones tamen iisdem sociavit distinctas atque determinatas, quibus iidem destituebantur, & sic Logicæ theoriam demonstrativam reddidit, ut ipsa Logicæ forma, quam eidem induit Autor, regularum suarum exemplar sit. Exempla plerumque ex Geometria elementari petit, sed ita comparata, ut vel a Geometriæ ignaris intelligi possint, tum ut appareat theoriam Logicæ esse praxi Mathematicorum conformem, tum ne exempla aliunde petita difficultates

facef-

faceſſant a minus exercitatis in regulas Logicæ conjiciendas. Demonſtrat Noſter, primam figuram ſyllogismorum non eſſe niſi immediatam dicti de omni & nullo applicationem; ſyllogismos vero ſecundæ ac tertiæ figuræ eſſe ſyllogismos crypticos in prima. Cum autem plures inſuper alias ſyllogismorum crypſes recenſeat, rationem reddit, cur eædem non perinde ac iſtæ peculiares figurarum modos conſtituant. In ſingulis mentis operationibus diſcrimen inter cognitionem intuitivam & ſymbolicam ſanctiſſime obſervat, ac imprimis docet, quomodo ex altera notiones deceptrices deriventur, unde judicia erronea & ratiocinia a vero abhorrentia ortum trahunt.

Praxis prolixa quinque ſectionibus uſum Logicæ in vero a falſo certoque ab incerto dijudicando, in veritate inveſtiganda, in libris conſcribendis, dijudicandis & legendis, in veritate cum aliis communicanda, in æſtimandis denique viribus ad rerum cognitionem requiſitis per definitiones accuratas & theoremata demonſtrativa exponit; ſectione autem ſexta uſum Logicæ in praxi vitæ & methodum eam ſtudendi ſuperaddit. Singulæ ſectiones in ſua capita ſubdividuntur, de quibus ſingulis dicere prolixum nimis foret. Unum igitur alterumque ſaltem delibabimus. Veritatem logicam eſſe demonſtrat determinabilitatem prædicati per notionem ſubjecti; veram vero eſſe propoſitionem negativam, ſi prædicatum notioni ſubjecti repugnat. Hinc ulterius colligit, propoſitioni affirmativæ veræ reſpondere notionem poſſibilem, in qua nempe conjunguntur, quæ ſibi mutuo non repugnant, ſed quorum unum per alterum determinatur; falſæ autem notionem impoſſibilem, in qua conjunguntur, quæ ſibi mutuo repugnant. Veritatis adeo criterium conſtituit in determinabilitate prædicati per notionem ſubjecti, cum ea definitionem veritatis realem obſervat, præter definitionem autem veritatis alio criterio non eſſe opus. Formam demonſtrationis cum oſtenſivæ ſive directæ, tum apogogicæ ſive indirectæ adeo diſtincte deſcribit Autor, quemadmodum nullibi adhuc factum reperies, & exemplis non minus mathematicis, quam logicis, adeoque domeſticis, oſtenditur, quomodo demonſtrationes in ſua ratiocinia, quorum concatenatione prodeunt, ſint reſolvendæ, ut

 genui-

genuina demonſtrationum forma in oculos incurrat. Nec negligit iſtud demonſtrationum apogogicarum genus, quo ex propoſitione aliqua falſa aſſumta directe colligitur ejus contradictoria vera. Demonſtrationem completam appellat, in qua omnia principia demonſtrandi vel diſertis verbis enunciantur, vel per ea, quæ adſunt, aut per citationes in memoriam revocantur: ordinatam vocat, in qua propoſitiones eo ordine ſe invicem excipiunt, quo in ratiociniorum ſerie, in quam demonſtratio reſoluta abit, continentur; conſummatam denique dicit, ordinatam completam. Principia quoque probabilitatis intrinſeca explicat. Eam nimirum propoſitionem probabilem appellat, in qua prædicatum ſubjecto tribuitur ob quædam requiſita ad veritatem: requiſita autem ad veritatem eidem ſunt ea, per quæ prædicatum ſubjecto tribuendum determinatur. Hanc vero de probabilitate doctrinam ex inſtituto olim traditurus eſt in Logica probabilium. Errorum fontes detegit tum circa principia, tum circa concluſiones ex principiis deductas. Docet modum notiones univerſales, definitiones atque propoſitiones cum categoricas, tum hypotheticas, a poſteriori formandi: ubi ſimul oſtenditur, quomodo modi, attributa & eſſentialia vi obſervationis a ſe invicem diſcernantur, pluribus ea fini theorematis demonſtratis. Etſi autem Artem inveniendi peculiari opere olim tradere decrevit, diſciplinis philoſophicis omnibus abſolutis, in qua omnia præſertim Mathematicorum inventa ad artificia heuriſtica reducet; hic tamen uſum Logicæ explicat, quam in formandis judiciis diſcurſivis & definitionibus a priori habet. Monſtrat igitur, quomodo datis notionibus ſpecierum formetur notio generis atque ex notionibus generum inferiorum notiones ſuperiorum deriventur, nec non e contrario data notione generis formentur notiones ſpecierum, vel data notione ſpeciei unius notiones ſpecierum aliarum; quomodo notionum per arbitrariam determinationem formatarum detegatur poſſibilitas; quomodo ex definitionibus, itemque ex hypotheſi data deducantur propoſitiones; quomodo dati effectus inveſtigetur cauſa & datis cauſis atque effectu determinetur, quid unaquæque illarum ad hunc contulerit; quomodo definitiones nominales & reales condantur; quo-

quomodo veritates philoſophicæ methodo mathematica demonſtrentur. Poſtquam in genere expoſuit, quænam in condendo ſcripto hiſtorico ſint obſervanda; mox in ſpecie tradit regulas in condenda hiſtoria naturali: 1) ut rerum naturalium ideæ animo alterius ingenerentur, ubi varia afferuntur ſingularia, veluti quomodo colores diſtincte deſcribi poſſint, in uſum converſis experimentis *Newtoni* atque pictorum: quomodo ſolis verbis notio confuſa alteri communicetur, quatenus ſimilitudinem cum re alia alteri nota involvit; quomodo ea fini inſerviant experimenta &c. 2) ut animus lectoris imbuatur principiis, quibus in ratiociniis de rebus naturalibus habemus opus, ubi & modus deſcribendi experimenta una exponitur. Idem inſtitutum circa hiſtoriam artium exequitur. In hiſtoria civili hos potiſſimum fines diſtinguit, 1) ut inde dogmata politica confirmentur ac prudentiæ civilis principia hinc deriventur, 2) ut jura ſummorum imperantium decidantur, 3) ut leges providentiæ divinæ inde agnoſcantur. Hiſtoriam eccleſiaſticam duplici potiſſimum fini accommodare docet, ſcilicet 1) ut dogmata de regimine eccleſiaſtico inde confirmari & prudentiæ eccleſiaſticæ præcepta hinc derivari queant, 2) ut leges providentiæ divinæ circa eccleſiam inde agnoſcantur. Similiter privatam hiſtoriam ea lege condendam ſiſtit, ut 1) dogmata moralia inde confirmentur ac prudentiæ privatæ principia hinc deriventur, 2) ut leges providentiæ divinæ circa ſingulos homines innoteſcant. Hiſtoriam denique litterariam condendi modum duplicem exponit; prior ſatisfacit, ubi conſtare debet, unde petenda ſit veritatum jam inventarum cognitio; poſteriori opus eſt, ubi ea principia ſuppeditare debet ad locupletandam artem inveniendi proficua; ubi ſpecimen breve exhibet ex hiſtoria Geometriæ, nempe hiſtoriolam conſtructionis æquationum algebraicarum determinatarum per combinationem duorum locorum. Scripta dogmatica diſtinguit in hiſtorica & ſcientifica, quorum illa dogmata tantum recenſent & ad ſummum argumenta indicant, quibus probantur; hæc vero eadem demonſtrant aut probant. Scripta dogmatica hiſtorica vel conduntur in uſum inventorum, quorum nonniſi leve quoddam ſpecimen dederit *Merſennus* in Synopſi univerſæ

Geo-

Geometriæ mixtæque Mathematicæ, vel ea fini, ut ad lectionem
scientificorum præparetur lector, vel denique in usum vitæ, sub-
inde etiam a nonnullis solius cognitionis gratia: ipsa autem sci-
entifica vel usum vitæ solum respiciunt, vel veritatum ulterius
inveniendarum investigationem. Casus istos singulos distingue-
re debuit Autor, cum theoremata tradat determinata & more
Geometriarum ex hypothesi seu determinatione subjecti cum
intrinseca, quæ per definitiones datur, tum extrinseca demon-
stret, ei competere prædicatum, quod eidem tribuitur. Solidam
vero pertractionem a superficiaria ex iis, quæ operose demon-
strata sunt, tandem ita distinguit, quod in illa non utamur ter-
minis nisi accurata definitione explicatis, nec principiis nisi suf-
ficienter probatis, propositiones singulæ ex principiis suis de-
monstrentur, vel, ubi principia certa deficiunt, probabiliter ad-
struantur ac singula ita ordinentur, ut continuo præmittantur,
per quæ sequentia intelliguntur & probantur; in hac vero ter-
mini occurrant non sufficienter explicati atque principia preca-
ria, nec forma legitima attendatur, immo priori loco proferan-
tur ea, quorum cognitio ab iis pendet, quæ posteriori collocan-
tur. Hinc si solide singula pertractentur, librum esse perspicu-
um, ac ordine naturali conscriptum, demonstrationes consum-
matas, resolutiones problematum completas & veritates omnes
inter se connexas: quodsi vero superficiariæ pertractationi lo-
cus sit, librum esse obscurum ordineque scholæ conscriptum,
verba cum rebus confundi, in definitionibus nunc superflua cu-
mulari, nunc mutilas afferri, principia admitti precaria, propo-
sitiones non satis intelligi, multo minus earum veritatem per-
spici posse, certa cum incertis confundi, demonstrationes, si quæ
afferuntur, haud esse consummatas, problematum resolutiones
nunc incompletas esse, nunc superflua continere, nunc falsas,
nunc prorsus impossibiles, vel minimum a praxi alienas esse, ve-
ritates nullas inter se connecti, nec certam ex istiusmodi libro
rerum hauriri posse cognitionem. Nihil vero præcipit Autor,
quod non præceptis comprehenderit, quæ perinde praxi satisfa-
ciunt ac resolutiones problematum geometricorum: neque so-
lum præceptis, verum etiam exemplo docet, ut præceptorum
utili-

utilitas ipſo opere confirmetur. Per Syſtema intelligit veritatum inter ſe & cum principiis ſuis connexarum congeriem: unde compilatorem a ſyſtematis conditore ita diſtinguit, quod illè in unum cogat, quæ ea de re, quam ſibi pertractandam ſumſit, per alios libros ſparſa reperit, inſuper habita veritatum connexione, vel in ſcripto dogmatico-hiſtorico finis ac ordinis nulla habita ratione; hic vero veritates apud alios autores obvias ſuoque fini accommodas eligit & inter ſe connectit. Dum de librorum lectione agit, plura theoremata demonſtrat, quorum in ſenſu verborum autoris determinando utilitas elucet, & imprimis æquitatem in interpretando ſtabilit, qua ſalva autoris verbis alius ſenſus tribui nequit, quam quem iisdem convenire, demonſtrare, aut, ubi minime erroneus fuerit, probabiliter adſtruere valet. Iniquitatis autem in interpretando, quæ iſti opponitur, varios agnoſcit gradus, quorum notiones propria experientia acquiſivit, cum adverſarii ipſius in pervertendo ſenſu verborum ipſius omnes ingenii nervos contenderent, veluti ſi quis verbis autoris in ſcripto præſertim ſcientifico affingit ſenſum definitionibus ejus contrarium & ne monitus quidem ſemel vel aliquoties ab illa interpretatione deſiſtit. Ubi ad lectionem hiſtoriæ litterariæ in uſum artis inveniendi conditæ digreditur, & præceptis, & exemplis docet, quomodo inde regulæ heuriſticæ eruantur. Ex. gr. ex eo, quod theorema de compoſitione numeri quadrati poſt communem numerorum algorithmum fuerit inventum, nec inventor aliis luminibus uſus, quam quæ ab illo mutuari poſſunt, hanc deducit regulam: exemplum eo modo ſcribendum eſſe, quo diſtincte repræſententur notionem formandam ingredientia & ſingularia, quæ inſunt, generaliter denominanda. Tradit etiam regulas ſenſum Scripturæ ſacræ inveſtigandi cum ex theoria, tum praxi logica anteriore deductas; linguarum vero authenticarum hunc ſolummodo uſum eſſe demonſtrat, ut judicium fieri poſſit, num verſio rite facta, ſeu an voces linguæ authenticæ & in verſione iisdem reſpondentes eandem rem deſignent. Unde monet, ipſum *Neumannum*, quem Theologum eminentem vocat, nuper Eccleſiarum & Scholarum Auguſtanæ Confeſſioni addictarum apud Vratislavienſes Inſpectorem, cum

vocum Hebraicarum significatum quendam essentialem scrutaretur, non aliam dedisse hypothesin, quam cujus beneficio significatus obtineatur generalis emphasi vocum explicandæ inserviens, ubi res iis denotatæ aliunde cognitæ fuerint atque perspectæ. Ubi modum stabilit, quo quis a priori veritatis convincatur, & inter alia docet, quanto adjumento sint citationes in scriptis scientificis ab eodem requisitæ, notatu admodum digna sunt, quæ de successiva assensus propositioni demonstratæ vel probabiliter evictæ dandi generatione demonstrantur, & exemplo logico ex hoc ipso opere desumto illustrantur. Etsi autem successiva ista assensus generatio sit maximi momenti, hactenus tamen eam non attentam esse constat: unde lernæ malorum in orbe erudito propullularunt. Ceterum hic rationes assensus intrinsecæ ab extrinsecis discernuntur, quarum illæ ex notione subjecti desumuntur, eædem cum iis, ob quas prædicatum subjecto convenit, & quarum vi assensus per demonstrationes extorquetur; hæ autem aliunde petuntur atque adeo locum habent, *ubi quis notionem subjecti nonnisi confusam habet, vel principia ac formam demonstrationis ignorat.* Cum præcipitantiam in judicando evitaturus tamdiu assensum suspendere debeat, donec vel a posteriori, vel a priori veritatis, aut falsitatis, aut probabilitatis fuerit convictus, haud difficile Autori fuit determinare discussionem, vel a posteriori, vel a priori instituendam, ut præcipitantia in judicando evitetur. Nimirum in casu priori res ipsas præsentes intueri & rerum practicarum veritatem a posteriori in seipso experiri & in dato casu regulas ad notiones, definitiones ac propositiones determinatas eruendas præscriptas applicare, aut, ubi res præsentes coram intueri non datur, autoritatem observatoris juxta regulas fidei examinandam stabilire; in casu autem posteriori & demonstrationes ac probationes probabiles ad prima sua principia revocare, & habitu demonstrationem ac probationem probabilem in dato casu agnoscendi pollere debemus: quibus verbis cum multa eaque ardua comprehendantur, non adeo facile præcipitantiam in judicando evitari, quemadmodum vulgo sibi persuadent, qui nulla discussione facta nescio quo ficto ingenii acumine sese veritatem perspicere posse somniant. Refuta-

tationem ab impugnatione distinguit. Alterum impugnat, qui insufficienter probat falsitatem propositionis, quam is pro vera habet; refutat autem, qui falsitatem demonstrat: unde consequens est, propositionem veram impugnari, non refutari; falsam & impugnari, & refutari posse. Directa seu ostensiva refutatio est, quæ nititur demonstratione directa; indirecta vero seu apogogica, quæ nititur demonstratione indirecta. A refutatione indirecta distinguit praxin consequentiariorum, hoc est, eorum, qui consequentiis alio fine utuntur, quam animo refutandi. Rationes istius praxeos non logicæ sunt, sed morales: unde deducit, experientia domestica non invita, consequentiarios sibi religioni minime ducere, ut primam consequentiam precario sumant, ne alias alteri molestas porro inde deducendi desit occasio, immo eosdem verba alterius in sensum perversum detorquere, ut consequentia prima aliqua veri specie sumi imperitis videatur. Eosdem consequentias quærere vel ridiculas, vel periculosas, minimum plerorumque opinione tales, & ubi tales non primæ se offerunt, consequentias consequentiarum eo usque continuare, donec ad tales pervenerint, nec in iis cumulandis subsistere, quamdiu tales offeruntur, tandem denique molestas istas consequentias alteri imputare. Uti etiam eosdem verbis contumeliosis & in alterum injuriis. Alterum directe refutaturus, per demonstrationes autoris directe demonstrare tenetur vel propositionem veram false oppositam, vel modum, quo is in errorem incidit. Indirecte autem refutaturus alterum, sumit propositionem, quam is pro vera habet, tanquam falsam & continua syllogismorum demonstrativorum concatenatione, qualem demonstrationibus in universum omnibus convenire ostendit Autor, infert propositionem, quam alter falsam agnoscit & in unica ista propositione acquiescit, nec superfluo conatu ad alias ulterius digreditur. Adversus impugnationem sese defendit, qui sive directe, sive indirecte demonstrat, aut a posteriori probat, propositionem non esse refutatam. Varii autem sunt veritatem defendendi modi, quos singulos demonstrativa ratione, qua in ceteris usus est, expendit Autor. Methodus disputandi in scholis usitata peculiaribus regulis continetur, utut ex iis eadem deducantur, quæ

de refutatione ac defensione dicta sunt. In methodo docendi demonstratur, quomodo notiones cum confusæ, tum distinctæ, cum discentibus communicentur, definitiones resolvantur, explicentur, & illustrentur; propositiones pariter resolvantur, explicentur & illustrentur; earumque demonstrationes resolvantur. Demonstratur præterea docenti tenendas esse regulas omnes, quæ de legendis libris tum dogmaticis, tum historicis, de modo alios convincendi, refutandi & defendendi traditæ sunt, consequenter eum omnem Logicæ theoriam & praxin perspectam habere debere. Theoremata amplissimi usus sunt ex praxi anteriori deducta, quæ requisita eorum determinant, qui veritatem vel investigare, vel inventam dijudicare, libros conscribere, dijudicare & utiliter legere, alios convincere, refutare, docere ac cum iisdem disputare, vel etiam veritatem impugnatam defendere debent. Quoniam omnis cognitionis acquisitæ usus in negotiis vitæ ad applicationem definitionum & propositionum redit; omnes regulæ, quæ de usu Logicæ in praxi vitæ præcipiunt, ad definitionum ac propositionum determinatarum dextram applicationem redeunt, si exceperis ea, quæ de notitia rerum ad praxin vitæ utilium propria experientia comparanda adduntur. In Logicæ studio cognitio ejus historica a scientifica & Logicæ theoria a praxi sollicite distinguitur, ne quis habitu utendi regulis logicis pollere sibi videatur, qui eodem destituitur, nec ab eo perficiendo desistat, ubi adhuc ulterius eundem perficere valet.

D. MICHAELIS GOTTLIEB. HANSCHII, Consil. Cæsarei, Meditatio de Usu genuino omnium Modorum utilium in quatuor Figuris Syllogismorum regularium simplicium in invenienda veritate, qua simul Monita quædam, Opus Logicum incomparabile WOLFIANUM, quod nuperrime Francofurti & Lipsiæ in 4. prodiit, concernentia, continentur.

1) CUm ex duobus Judiciis cognitis tertium elicimus, nobis antea incognitum: dicimur formare *Syllogismum.* 2) Ut autem Syllogismus *genuinum* fiat *inveniendi veritatem incognitam*

tam ex veritatibus jam cognitis Medium, opus est, ut *ordinem in cogitando naturalem* in omni Syllogismo stricte observemus: inquirendo scilicet, quidnam cum assumta pro lubitu vel data aliqua voce, cujus distinctam habemus notionem, vel conveniat vel non conveniat, &, invento hoc, ulterius inquirendo, quidnam cum invento illo vel consentiat, vel non consentiat, ut hoc posterius, mediante priori, de ipsa voce data vel affirmare vel negare possimus. 3) Vox illa, quæ rem significat, cui quidnam vel competat, vel non competat, inquirimus, in Syllogismo dicitur *Terminus minor:* id omne, quo mediante, intelligimus, quidnam cum voce illa vel consentiat, vel non consentiat, dicitur *Terminus medius:* id autem, quod voci vel competit, vel non competit, & in priori illo medio, cur voci vel competat, vel non competat, rationem sufficientem agnoscit, dicitur *Terminus Major.* Terminus Minor & Terminus Major etiam vocantur *Extrema.* Hinc fit, ut in omni Syllogismo ex *Termino Minore*, per *Terminum Medium*, inveniatur *Terminus Major.* 4) Ex tribus terminis Syllogismi, inter se combinatis, oriuntur in Syllogismo tres *Propositiones. Propositio minor* in Syllogismo dicitur Propositio illa, quæ ex termino minore & ex termino medio constat. *Propositio major* in Syllogismo dicitur illa Propositio, quæ constat ex termino majore & ex termino medio. *Conclusio* autem in Syllogismo vocatur Propositio illa, quæ ex termino minore, tanquam subjecto, & ex termino majore, tanquam prædicato suo, constat. Propositiones major atque minor etiam appellantur *Præmissæ;* & Syllogismus in ordine ad Præmissas, numerum binarium nec excedentes, nec ab eodem deficientes, vulgo *Syllogismus perfectus*, sed rectius *regularis* nominatur. In specie autem *Syllogismus regularis simplex* tum dicitur, cum Præmissæ & Conclusio sunt Propositiones absolutæ. Utut enim nulla cogitari possit Propositio, quæ non in hypothesin suam & thesin resolubilis, h. e. virtualiter conditionalis sit: illa tamen vulgo *Propositio absoluta* dicitur, in qua prædicatum, *sine conditione expressa*, de subjecto vel affirmatur, vel negatur. In Syllogismos regulares simplices resolvi possunt omnes Syllogismi irregulares, & Syllogismi regulares compositi. 5) Patet autem ex §. 3 in omni

Syllogismo regulari simplici, per ordinem cogitandi naturalem, Propositionem minorem præcedere debere Propositionem majorem: & hunc ordinem analyticum inservire inventioni; vulgarem autem syntheticum inservire doctrinæ. 6) *Figura Syllogismi* in genere non est, nisi termini medii dispositio in præmissis cum termino minore & termino majore. 7) *Finis* autem *Figuræ* est infallibilis illatio veræ alicujus conclusionis & veris præmissis, per termini medii dispositionem cum extremis, in præmissis rite factam. 8) Si vera conclusio infallibiliter inferatur ex veris præmissis, per dispositionem aliquam termini medii in præmissis cum termino minore & termino majore: hic Figuræ cum fine suo, cujus gratia est, consensus est *Perfectio Figuræ.* 9) *Figura* adeo *perfecta* est Figura, quæ consentit cum fine Figuræ, propter quem est: & *Syllogismus* omnis *perfectus* est, cujus Figura perfecta est; sive sit Syllogismus regularis, sive irregularis, sive simplex sit, sive compositus. 10) Ex definitione *Perfectionis,* quam in Metaphysicis dedit Cl. *Christianus Wolfius*, patet, *Perfectionem Figuræ aliter definiri non posse.* 11) Sunt autem dispositiones termini medii in præmissis Syllogismi regularis simplicis cum termino minore & termino majore nonnisi quatuor possibiles: hinc nec plures Figuræ, quam quatuor, Syllogismorum regularium simplicium possibiles sunt. 12) Si terminus medius sit =•, terminus minor = m, terminus major = M: erunt dispositiones termini medii cum extremis possibiles sequentes:

I.	II.	III.	IV.
•-M	M-•	•-M	M-•
m-•	m-•	•-M	•-m
m-M	m-M	m-M	m-M.

Dispositio prima, in qua terminus medius est subjectum Propositionis majoris & prædicatum Propos. minoris; dicitur *Figura prima*: Secunda dispositio, in qua terminus medius in præmissis locum occupat prædicati; dicitur *Figura secunda*: Dispositio tertia, in qua terminus medius in præmissis occupat locum subjecti; dicitur *Figura tertia*: quarta dispositio possibilis, in qua terminus medius est prædicatum Propositionis majoris, & subjectum Propositionis minoris; dicitur *Figura quarta*. Patet autem attendenti Figuram primam & tertiam convenire in Propositio-

ſitione majore, & differre inter ſe in Propoſitione minore; eodemque modo ſe rem habere cum Figura ſecunda & quarta: Contra Figuram primam & ſecundam, item tertiam & quartam convenire in Propoſitione minore, & differre inter ſe in Propoſitione majore; Figuram autem primam & quartam, item ſecundam & tertiam in nulla Præmiſſarum inter ſe convenire. 13) *Modus Syllogismi regularis ſimplicis* eſt diſpoſitio Propoſitionum abſolutarum ſecundum affirmationem & negationem, univerſalitatem & particularitatem earundem, in qualibet Figura Syllogismi regularis ſimplicis. 14) Variationes propoſitionum abſolutarum ſecundum affirmationem & negationem, univerſalitatem & particularitatem, *per leges combinatorias* ſexaginta quatuor ſunt poſſibiles; ex quibus tamen, *vi Regularum Syllogismi generalium*, quinquaginta tres *inutiles*; & undecim tantum *utiles* ſunt. 15) Sit A, *ſignum univerſale affirmans*, E, *ſignum univerſale negans*, I, *ſignum particulare affirmans*, O, *ſignum particulare negans:* erunt *modi utiles* ſequentes:

A Claſſis I.	1 AAA.	2 AAI.	3 AEE.	4 AEO.	5 AII.	6 AOO.	6
E Claſſis II.			7 EAE.	8 EAO.	9 EIO.		3
I Claſſis III.				10 IAI.			1
O Claſſis IV.				11 OAO.			1
							11.

16) Ex hiſce undecim modis utilibus Syllogismorum regularium ſimplicium ſex obtinent in Figuris prima, ſecunda & tertia, quinque autem in Figura quarta. In Figura prima modi utiles ſunt: ex Claſſe prima, 1, 2, 5, ex claſſe IIda, 7, 8, 9, qui vocantur: BArbArA, BArbArI, DArII, CElArEnt, CElArOnt, FErIO. In Figura ſecunda ſunt modi utiles, ex Claſſe prima, 3, 4, 6, ex Claſſe ſecunda, 7, 8, 9, qui vocantur: CAmEſtrEs, CAmEſtrOs, CEſArE, CEſArO, FEſtInO, BArOcO. In Figura tertia ſunt modi utiles, ex Claſſe prima, 2, 5, ex Claſſe ſecunda, 8, 9, ex Claſſe tertia, 10, & ex Claſſe quarta, 11. In Figura quarta, ex Claſſe prima, 3, 4, ex Claſſe ſecunda, 8, 9, ex Claſſe tertia, 10. 17) Sunt igitur in omnibus quatuor Figuris Syllogismorum regularium ſimplicium, *viginti tres modi utiles:*

Modus

Modus 1 *in sola Figura prima,*	1
2 in Figura prima & tertia,	2
3 in Figura secunda & quarta,	2
4 in Figura secunda & quarta,	2
5 in Figura prima & tertia,	2
6 *in sola Figura secunda,*	1
7 in Figura prima & secunda,	2
8 in omnibus quatuor Figuris,	4
9 in omnibus quatuor Figuris,	4
10 in Figura tertia & quarta,	2
11 *in sola Figura tertia.*	1
11	23.

18) Hinc patet, Figuras tres, primam, secundam & tertiam agnoscere modum sibi proprium, Figuram quartam nullum: item in sola prima Figura omnis generis conclusiones inferri posse, & proinde illam solam esse *Figuram universalem*, reliquas autem tantum esse *Figuras particulares*, quæ tamen, si eandem illationis infallibilitatem agnoscant cum prima, erunt Figuræ perfectæ, *per* §. 9. 19) Cum *finis Figuræ primæ* sit, non tantum infallibiliter, sed simul evidentissime omnis generis conclusiones veras ex veris præmissis inferre: *Perfectio Figuræ primæ* in specie est consensus dispositionis termini medii cum extremis, cum evidentia infallibilitatis maxima, respectu illationis & cum indifferentia conclusionum, respectu quantitatis & qualitatis, *per* §. 9. 20) *Regressus* fieri dicitur, si ex contradictorio consequentis inferatur contradictorium antecedentis. Ex. gr. *Si Deus est substantia necessaria, & omnis substantia necessaria est Ens a se: Deus est Ens a se.* Ergo etiam per *Regressum: Si Deus non est Ens a se:* vel *Deus non est substantia necessaria;* vel *non omnis substantia necessaria est Ens a se:* illud; *si omnis substantia necessaria est Ens a se:* hoc; *si Deus est substantia necessaria.* 21) Sit terminus major = D, terminus minor = B, terminus medius = C: erit Propositio major = D C, vel C D, Propositio minor = B C, vel C B, Conclusio = B D *per* §. 4. 22) Fiat Syllogismus in FErIO: *ECD*, IBC, OBD, erit per Regressum in CEsArE: *ECD*, ABD, EBC. 23) Fiat Syllogismus in CElArOnt: *ECD*, ABC, OBD, ergo est per Regressum

greſſum in CEsArO: *ECD*,ABD,OBC. 24) Fiat Syllogismus in DArII: *ACD*,IBC, IBD,ergo etiam per Regreſſum in CAmEſtrEs: *ACD*,EBD,EBC. 25) Fiat Syllogismus in BArbArI: *ACD*, ABC, IBD,ergo etiam per Regreſſum in CAmEſtrOs: *ACD*, EBD,OBC. 26) Fiat Syllogismus in CElArEnt: *ECD*, ABC, EBD, ergo etiam per Regreſſum in FEſtInO: *ECD*,IBD,OBC. 27) Fiat Syllogismus in BArbArA: *ACD*,ABC,ABD, ergo erit per Regreſſum in BArOcO: *ACD*,OBD,OBC. 28) Fiat Syllogismus in CElArOnt: ECD, *ABC*,OBD,ergo erit per Regreſſum in DArAptI: ABD,*ABC*, ICD. 29) Fiat Syllogismus in BArbArI: ACD,*ABC*,IBD,ergo etiam erit per Regreſſum in FElAptOn: EBD,*ABC*,OCD. 30) Fiat Syllogismus in CElArEnt: ECD, *ABC*, EBD, ergo etiam erit per Regreſſum in DIsAmIs: IBD,*ABC*,ICD. 31) Fiat Syllogismus in FErIO: ECD, *IBC*, OBD, ergo eſt per Regreſſum in DAtIsI: ABD,*IBC*, ICD. 32) Fiat Syllogismus in BArbArA: ACD, *ABC*, ABD, ergo per Regreſſum in BOcArdO: OBD,*ABC*,OCD. 33) Fiat Syllogismus in DArII: ACD, *IBC*, IBD, ergo per Regreſſum in FErIsOn: EBD,*IBC*,OCD. 34) Fiat Syllogismus in DArII: *ACD*, IBC, IBD, ergo in CAmEſtrEs: *ACD*, EBD, EBC, *per §. 24*. Ergo in CAdEmEs: *ACD*,EDB,EBC. 35) Converſio autem hæc concluſionis demonſtratur per Figuram ſecundam in CEsArE: EBD,ADD,EDB. 36) Fiat Syllogismus in BArbArI: *ACD*,ABC,IBD,ergo in CAmEſtrOs: *ACD*, EBD, OBC, *per §. 25*. Ergo in CAdEmOs: *ACD*, EDB,OBC. 37) Fiat Syllogismus in DArII: ACD,*IBC*,IBD, ergo in FErIsOn: EBD, *IBC*,OCD, *per §. 33*. Ergo etiam in FEsIsO: EDB, *IBC*, OCD. 38) Fiat Syllogismus in BArbArI: ACD, *ABC*, IBD,ergo in FElAptOn: EBD,*ABC*,OCD,*per §. 29*. Ergo etiam in FEsApO: EDB, *ABC*, OCD. 39) Fiat Syllogismus in CElArEnt: ECD,*ABC*,EBD,ergo in DIsAmIs: IBD,*ABC*,ICD,*per §. 30*. Ergo etiam in DIgAmIs: IDB, *ABC*, ICD. 40) Converſio autem Concluſionis demonſtratur per Figuram tertiam in DAtIsI: ABB,IBD, IDB. 41) Quandoquidem ſex modi Syllogismorum regularium ſimplicium Figuræ ſecundæ, *per §§. 22-27 incluſ.* & ſex modi Syllogismorum regularium ſimplicium Figuræ tertiæ, *per §§. 28-33 incl.* demonſtrari poſſunt immediate: quinque autem modi Syllogismorum regularium ſimplicium Figuræ quartæ, *per §§. 34-40*

Ooo demon-

demonstrari possunt, mediante Figura secunda & tertia, ex sex modis possibilibus Figuræ primæ; & in sex modis figuræ primæ, nunquam ex veris præmissis falsa aliqua infertur conclusio, *per hypothesin*: nec in modis Figurarum reliquarum ex veris præmissis falsa aliqua infertur conclusio, *per naturam demonstrationis*. Quamobrem omnes quatuor dispositiones possibiles medii cum extremis consentiunt cum fine Figuræ, *per §. 7.* consequenter & ipsæ quatuor Figuræ consentiunt cum fine, cujus gratia sunt Figuræ *per §. 6.* Ergo omnes quatuor Figuræ Syllogismorum regularium simplicium sunt Figuræ perfectæ, *per §. 9.* 42) Sunt, qui modum sextum BAlAmIs in Figura quarta admittunt, & per DArAptI ex CElArOnt demonstrant. Verum apparet ex conversione, modum hunc non esse universalem, sed requirere Propositionem majorem universalem affirmantem simul & reciprocam, adeoque *Figuram quartam non agnoscere, nisi quinque modos.* 43) Cum consequentiæ hæ: ADB, ergo ABD, item ODB, ergo OBD, ex nulla Figura demonstrari possint: hinc Modi EAE, AAI, AII, AOO & OAO in quarta Figura sunt inutiles. 44) Cum demonstrari possit infallibilitas illationis omnium modorum utilium Figuræ secundæ tertiæ & quartæ ex figura prima, *per demonstrata*: nec reductione ad Figuram primam vulgari, nec substitutione etiam Propositionum æquipollentium opus est. 45) Ceterum negari nec potest, nec debet, dari casus, in quibus *magis naturaliter* in reliquis Figuris concludamus, quam in prima: ex. gr. in Figura tertia, si incidamus in medium singulare, quod tantum termino minori subjici possit. 46) Agnovit hoc *Joachimus Jungius* in Logica Hamburgensi *Lib. III cap. X §. 18*, apud Cl. *Christianum Wolfium* in *Philosophia rationali Part. I Sect. IV cap. II §. 399 p. 325*, & idem agnovisset etiam acutissimus *Wolfius*, si abstractam illam de Figuris & modis Syllogismorum regularium simplicium possibilibus doctrinam profundius fuisset meditatus, nec præjudicio locum aliquem dedisset, talia in spem futuræ oblivionis addisci. Nullum enim est dubium, quin pro ingenii & judicii sui felicitate idem expertus fuisset, quod asseveravit mihi Per-illustris & immortalium meritorum Philosophus *G. G. Leibnitius*, cum quatuordecim abhinc annis una Viennæ essemus; se in Demonstrationibus Euclideis observasse, *quod*

Geo-

Geometra omnibus quatuor Figuris & omnibus modis etiam utilibus in singulis Figuris pro re nata usus sit. 47) Ex §. etiam 45 simul manifestum est, 1) *omnem Propositionem singularem virtualiter esse universalem*, 2) *Præmissas esse posse universales, existente conclusione particulari*, non contra, *Præmissarum una existente particulari, conclusionem posse esse universalem.* 48) Consequentia hæc: EDB, ergo EBD demonstrata est §. 35 in CEsArE, & altera: IDB ergo IBD §. 40 in DAtisI. Similiter consequentia hæc: ADB, ergo IBD demonstratur in DArAptI: ADD, ADB ergo IBD. Consequentia hæc: EDB, ergo OBD demonstratur in FEstInO: EDB, IBB, OBD. Dantur igitur casus naturalissime inferendi in Figuris secunda & tertia. 49) Modus IEO in nulla Figura per Regressum ad primam demonstrari potest, & in prima etiam inutilis est, utut in Regularum Syllogismi generalium nullam peccet. 50) Ut fiat manifestum, ordinem in cogitando naturalem ad Figuras Syllogismorum regularium simplicium se indifferenter habere: esto Propositio hæc particularis affirmans: *quoddam corpus durum est lapis:* invenienda ex assumto, vel ex dato termino minore, qui est *Corpus durum.* Si occasione termini minoris, sive assumti, sive dati, *per §. 3*, cujus in hoc casu etiam clara tantum ad inveniendum sufficit notio, recorder certæ cujusdam speciei corporum, quæ sunt dura, ex. gr. Adamantis, vel terminum minorem datum de specie *universaliter*, vel speciem de termino minore dato *particulariter* affirmare possum, *per §. 48.* Si jam, hujus medii interventu, recorder generis: vel genus de specie *universaliter*, vel speciem de genere *particulariter* affirmare possum, *per §. 48.* Omnibus autem in casibus etiam genus inventum de termino minore dato *particulariter* affirmo. Quod si speciem de termino minore dato *particulariter*, genus autem de specie *universaliter* affirmem, indeque deducam conclusionem, in qua terminus major de termino minore *particulariter* affirmatur: incognitum ex cognitis invenio per modum DArII, in Figura prima. Unde simul patet, *cur Figura prima sit evidentissima:* quoniam in illa ordo inventionis termini medii ex termino minore, & termini majoris ex termino medio quam maxime est conspicuus, *per §. 3. Quoddam corpus durum est Adamas, Omnis Adamas est lapis, E. quoddam corpus durum est lapis,*

 pis,

pis, h. e. ordine Præmissarum synthetico, *per §. 5, Omnis Adamas est lapis, quoddam corpus durum est Adamas*, E. *quoddam corpus durum est lapis.* Si autem terminum minorem de specie *universaliter*, & genus de specie etiam *universaliter* affirmo: eandem invenio conclusionem per modum DArAptI in Figura tertia: *Omnis Adamas est corpus durum, Omnis Adamas est lapis*, E. *quoddam corpus durum est lapis*, h.e. ordine Præmissarum synthetico, *per §. 5, Omnis Adamas est lapis, Omnis Adamas est corpus durum*, E. *quoddam corpus durum est lapis.* Si denique terminum minorem datum de specie *universaliter*; speciem autem de genere *particulariter* affirmo: eandem conclusionem incognitam infero per modum DIgAmIs in Figura quarta: *Omnis Adamas est corpus durum, Quidam lapis est Adamas*, E. *quoddam corpus durum est lapis*, h.e. ordine Præmissarum synthetico, *per §. 5, Quidam lapis est Adamas, Omnis Adamas est corpus durum*, E. *quoddam corpus durum est lapis.* 51) Quoties, occasione termini minoris dati, vel pro lubitu assumti, recordamur vel definitionis ejusdem, vel attributi alicujus necessarii: toties illud de termino minore, sive dato, sive assumto, *universaliter* affirmamus. Si porro, intuitu definitionis vel attributi necessarii termini minoris recordamur alterius rei, quæ vel definitio vel attributum necessarium est definitionis vel attributi prioris: toties etiam attributum posterius de attributo priore *universaliter* affirmamus, consequenter attributum etiam posterius, mediante attributo priori, de termino minore, vel *universaliter* vel *particulariter* affirmare possumus. In priori casu utimur modo inferendi, qui vocatur BArbArA, & omnium est evidentissimus atque perfectissimus: in posteriori autem illatio fit in modo BArbArI, qui in priori modo continetur. 52) Quoties, occasione termini minoris, sive assumti, sive dati, recordamur, vel definitionis ejusdem, vel attributi alicujus necessarii, &, intuitu, vel definitionis, vel attributi hujus necessarii termini minoris incidamus in attributum aliud, quod in priori, vel definitione, vel attributo necessario non continetur: toties attributum prius de termino minore *universaliter* affirmamus, & attributum posterius de attributo priori *universaliter* negamus, consequenter etiam attributum posterius de termino minore, mediante attributo priore, vel *universaliter* vel *par-*

particulariter negamus. Quæ illatio in casu priori fieri dicitur in CElArEnt; in posteriori casu in CElArOnt, tanquam in modo, qui in priori continetur. 53) Quoties, occasione termini minoris, sive dati, sive pro lubitu assumti, incidimus in attributum, eidem contingenter competens: toties attributum illud de termino minore *particulariter* tantum affirmamus. Si jam, occasione hujus attributi, incidamus in aliud attributum, quod in attributo priori necessario continetur, illud de attributo priori *universaliter* affirmamus, & idem etiam, mediante attributo priori, de termino medio, sed *particulariter* tantum, affirmare possumus. Quæ illatio fieri dicitur in DArII. 54) Quoties, occasione termini minoris, sive dati, sive pro lubitu etiam assumti, incidimus in attributum aliquod, eidem contingenter competens: toties attributum illud de termino minore *particulariter* tantum affirmamus. Quodsi, occasione hujus attributi, memoria nobis suggerat aliud attributum, quod in priori attributo necessario non continetur, illud de attributo priori *universaliter* negamus, & idem etiam attributum posterius, mediante priori, de termino minore, sed *particulariter* tantum negamus. Quæ illatio fieri dicitur in FErIO. 55) Quoties, vel dato, vel pro lubitu assumto, termino aliquo minore, recordamur alicujus attributi, rei alicui necessario convenientis: toties illud de signo rei, sive de termino minore, *universaliter* affermamus. Quodsi, occasione hujus attributi, incidamus in vocem aliquam, cujus significatus attributo absolute repugnet, & attributum illud de voce illa *universaliter negemus*: eandem etiam vocem, vel *universaliter*, vel *particulariter* de re ipsa, sive ejusdem signo, quod est terminus minor, negamus, consequenter in priori casu in CEsArE; in casu autem posteriori in CEsArO concludimus. 56) Ponamus, nos, dato vel assumto termino aliquo minore, recordari alicujus attributi, necessario a re ipsa removendi. Quare illud de signo rei *universaliter* negamus. Jam, occasione illius attributi, incidere possumus in vocem, cujus significatus cum attributo illo absolute consentit. Affirmabimus igitur idem attributum *universaliter* de eadem voce, & consequenter vocem eandem etiam vel *universaliter*, vel minimum *particulariter* negabimus de termino minore. Qui modus inferendi dicitur CAmEstrEs in priori; CAmEstrOs autem in posteriori casu. 57) Quodsi, vel dato, vel etiam pro lubitu assum-

 to

to termino aliquo minore, recordemur attributi alicujus, sed contingenter saltem rei, cujus terminus datus signum est, convenientis: illud *particulariter* tantum de re affirmare possumus. Quodsi, hac occasione, incidamus in vocem aliquam, cujus significatus attributo absolute repugnat: attributum illud de voce hac *universaliter* negamus, adeoque eandem vocem etiam de re ipsa negamus, sed *particulariter* tantum, quæ illatio fieri dicitur in FEstInO. 58) Quod si, vel dato, vel assumto termino aliquo minore, recordemur attributi, contingenter rei non competentis, illud de re ipsa *particulariter* tantum negamus. Quod si, occasione hujus attributi, incidamus in vocem, cujus significatus *universaliter* consentit cum hoc attributo: attributum hoc de voce illa *universaliter* affirmamus, & vocem eandem postea, de re ipsa *particulariter* negamus. Quæ illatio fieri dicitur in BArOcO. 59) Quoties, occasione termini alicujus minoris, sive dati, sive assumti, incidimus in subjectum aliquod, de quo terminus minor *universaliter* prædicari potest, &, occasione hujus subjecti inventi, in attributum aliud, quod de eodem subjecto prædicari potest *universaliter*: toties etiam attributum illud *particulariter* affirmare licet de termino minore; qui modus inferendi dicitur DArAptI. 60) Quoties, occasione termini alicujus minoris, sive dati, sive pro lubitu assumti, memoria nobis suggerit subjectum aliquod, quo de terminus minor *universaliter* est affirmandus, &, hujus iterum occasione, recordamur attributi, quod eidem subjecto necessario non competit: idem attributum de termino etiam minore *particulariter* negamus. Qui modus inferendi incognitum ex cognitis dicitur FElAptOn. 61) Quoties, occasione termini minoris, vel dati, vel assumti, incidimus in subjectum aliquod, cui res, minore termino denotata, necessario competit, &, hujus iterum occasione, in attributum, quod de eodem subjecto contingenter saltem prædicari potest: toties de subjecto illo terminum minorem *universaliter* & attributum *particulariter* affirmamus, consequenter idem attributum etiam de termino minore *particulariter* tantum affirmamus. Qui modus inferendi unum ex alio dicitur DIsAmIs. 62) Quoties, occasione termini minoris, sive dati, sive assumti, incidimus in subjectum aliquod, quo de terminus ille minor contingenter saltem affirmari potest, &, hujus postea occasione, in attributum, quod eidem subjecto necessa-

fario competit : toties de ſubjecto invento terminum minorem *particulariter*, & attributum de eodem ſubjecto *univerſaliter*, conſequenter idem etiam attributum de termino minore *particulariter* affirmamus. Qui modus inferendi unum ex alio dicitur DAtIsI. 63) Quoties, occaſione termini minoris, vel dati, vel aſſumti, incidimus in ſubjectum aliquod, cui terminus minor neceſſario competit, & hujus poſtea occaſione, in attributum, quod eidem ſubjecto ſaltem contingenter non competit: toties de ſubjecto illo invento terminum minorem *univerſaliter* affirmamus, & attributum de eodem ſubjecto, a nobis invento, *particulariter* negamus, conſequenter idem attributum etiam de termino minore *particulariter* negamus; quæ illatio fieri dicitur in BOcArdO. 64) Quoties, occaſione termini minoris, vel dati, vel aſſumti, memoria nobis ſuggerit, ſubjectum aliquod, cui terminus ille minor contingenter competit, &, occaſione hujus ſubjecti, attributum aliud, de eodem ſubjecto neceſſario removendum: toties terminum minorem de ſubjecto invento *particulariter* affirmamus, & de eodem attributum *univerſaliter* negamus, & proinde idem attributum etiam *particulariter* de termino minore negamus. Quæ illario fieri dicitur in FErIsOn. 65) Si, occaſione termini minoris, vel doti, vel aſſumti, incidamus in ſubjectum aliquod (definitionem, proprietatem rei) cui terminus minor neceſſario non competit, &, occaſione hujus ſubjecti, in vocem, cujus definitio eſt ipſum ſubjectum termini minoris: terminum minorem de ſubjecto illo *univerſaliter* negamus; de voce autem, cujus definitio ipſum eſt ſubjectum, idem ſubjectum *univerſaliter* affirmamus, adeoque vocem eandem etiam de termino minore, vel *univerſaliter* vel *particulariter* negamus. Quæ illatio fieri dicitur in caſu quidem priori in CAdEmEs; in caſu autem poſteriori in CAdEmOs. Fit hoc, cum a *definito* regredimur ad *definitionem*, & a *definitione* ad *attributum*, quod neceſſerio in definitione non continetur, atque hinc de eodem *attributo* negamus *definitum*. 66) Si, occaſione termini minoris, ſive datus ſit, ſive pro lubitu aſſumtus, incidamus in ſubjectum aliquod, cui terminus minor contingenter competit, &, occaſione hujus ſubjecti, a nobis inventi, in vocem aliquam, ſub qua ſubjectum prius neceſſario non continetur: terminum minorem de ſubjecto illo *particulariter* affirmamus, de voce autem altera idem ſubjectum *univerſaliter* negamus, adeoque vocem hanc de termino minore etiam *particulariter* negamus.

gamus. Quæ illatio fieri dicitur in FEsIsO; & obtinet, cum per Regressum a *definito* ad *proprietatem*, necessario definito repugnantem, ab hac autem ad *modum angustiorem*, qui *sub definito latiori* continetur, procedimus, atque hinc de *modo angustiori particulariter* negamus ipsum *definitum*. 67) Quoties terminus minor, sive datus sive assumtus, nobis in memoriam revocat subjectum aliquod, cui terminus minor *universaliter* competit, atque hoc subjectum iterum aliquid, quod in subjecto illo necessario non continetur: toties etiam id ipsum, quod in subjecto illo necessario non continebatur, *particulariter* de termino minore negamus. Quæ illatio unius ex alio fieri dicitur in FEsApO. 68) Cum occasione termini minoris, sive sit datus, sive assumtus, memoria nobis suggerit subjectum aliquod, cui terminus ille minor *universaliter* competit, & intuitu hujus subjecti incidimus in vocem, de qua, tanquam latiori, subjectum, tanquam angustius, *particulariter* affirmari potest: etiam vocem hanc latiorem de termino minore *particulariter* affirmamus. Quæ illatio incogniti ex cognitis fieri dicitur in DIgAmIs; atq; obtinet per Regressum, in casu, in quo *a genere* procedimus ad *speciem*, & a specie ad *attributum* speciei *universale*, atque hinc de *attributo* illo *particulariter* affirmamus *genus*. 69) Qui hac via analytica procedet, in illius potestate erit, ex assumtis pro lubitu terminis minoribus, invenire omnis generis Conclusiones in omnibus modis quatuor Figurarum Syllogismorum regularium simplicium utilibus. 70) Illud interim satis liquet ex antecedentibus, in singulis modis utilibus *servari ordinem cogitandi naturalem*, dum ex dato vel assumto *termino minore* deducitur *medius* & *per medium* invenitur *terminus major* de *minore* vel affirmandus vel negandus, per §. 3. 71) Cum in Scientiis frequentiores sint Propositiones universales particularibus, & Propositiones universales affirmantes frequentiores Propositionibus universalibus negantibus: Figuræ primæ in Scientiis amplissimus est usus, secundæ & quartæ rarior, tertiæ rarissimus, per §. §. 11. 17. Tantum.

Prodiit nuper Supplem. Tomi IX Sect. IX, qua exhibentur 1) *Petri Coustant* Epistolæ Rom. Pontificum, Tom. I, Paris. 1721, fol. 2) *Hartvvici Bambami* Apparatus Enthymematico-exegeticus, Hamb. 8. 3) *G. F. R.* Schediasma de errore in æstimando motu composito. 4) *Jo. Dominici Putignani* de redivivo sanguine D. Januarii opus, Neap. 1723, 4. 5) *Jo. Ant. Vulpii* Carminum Libri III &c. Patavii 1725, 8. 6) *Nic. Hier. Gundlingii* Logica & Ethica, Halæ 1726, 8. 7) *Jo. Joach. Langius* de immortalitate animæ humanæ ex ipso naturæ lumine demonstrata, Hamb. 1725, 4. 8) *Roberti Gloceſtriensis* Chronicon Angliæ metricum, ex ed. *Th. Hearne*, Oxon. 1724, 8. 9) *Petri Langtofti* Chronicon rhythmicum, ex ejusd. ed. Ox. 1725, 8. 10) *Radulphi Thoresby* Vicaria Leodiensis, Lond. 1728, 8. 11) *Jo. Conr. Schvvartz* monumenta ingeniorum hujus & superioris memoriæ, Coburgi 1719 sq. 8. 12) *Sam. Pye* Observ. circa methodos Lithotomiæ, Lond. 1724, 4. 13) Elogium *Jo. Andreæ Danzii*. 14) Elogium *Dav. Nerreteri*.

❀ ❀ ❀

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXXVIII.

DIOECESIS FULDENSIS, CUM ANNEXA sua Hierarchia, qua continentur præter parochiales Ecclesias LX, cum filiabus XCIV, nec non Oratoriis quamplurimis, Collegiatæ Ecclesiæ VI, Monasteria Virorum XV, Monasteria Virginum XVI, Ecclesiæ Fuldensi tum olim, tum etiam nunc immediate ac pleno Jure subjecta. Accedunt varii religiosorum ordinum cœtus, in eandem Diœcesin liberaliter admissi. Omnia ex monumentis authenticis Historice dilucidata, addita mappa Geographica aliisque figuris æri incisis, profert JO. FRIDER. SCHANNAT.

Francofurti ad Mœnum, apud Jo. Benj. Andreæ & Henr. Hort, 1727, fol.

Alph. 4 pl. 14 Tabb. æn. maj. 2.

PL. Reverend. *Schannatus*, editis jam in usus Historiæ Fuldensis Traditionibus & Clientela Fuldensi, ad spiritualia progreditur, atque Fuldensem Diœcesin nobis exhibet. Ne vero Diœcesis titulus cuiquam mirus videatur, in præfatione ostendit, Abbatibus immediatis, Fuldæ præcipue, nunquam negatam fuisse Diœcesin, & sub finem contra Cl. Struvium disputat, in Traditionibus chartarum nihil a se omissum asserens, quod non compareat alibi in operibus suis. Subjecta est tabula Geographica, magno studio a Viro erudito confecta Caput I de Diœcesis Fuldensis origine, incrementis, fatis & denique statu moderno inscribitur, ubi Fuldensis Monasterii, sine exemplo ab origine p. 1 sqq.

 imme-

immediati, Natales, Privilegia Regum & Pontificum, a Lullo Moguntino & Herbipolensibus impugnata atque omni ævo studiose defensa ac conservata, Jura Diœcesana, Decimæ, aliaque, imprimis contra Fridericum ac Sigfridum Moguntinum, nec non Adalberonem Herbipolensem a Pontifice obtenta præsidia, ut & uberiores pro omnigena exemtione probationes occurrunt. Succedunt Herbipolensia attentata, Jurium præcipue per Bullas Apostolicas vindiciæ, ulterior exemtionis ex divisione Maximiliani in circulos probatio, Historia injustæ destitutionis restitutionisve Balthasaris a Dermbach, Fuldensis seculi XVI Abbatis, atque inde deducta pro exemtione Fuldensi argumenta, unde conficiatur, eam in libertate, quam & sequioribus temporibus obtinuerit, magis firmatam in dies esse, quod ad usque annum CIↃIↃCLXXXIV probatur. Inde rectus gradus ad lites novissimas, quarum Historia, nec non desuper inita concordia

p. 7 sqq.

14 sq. MDCCXXII recensetur, atque ordo in Diœcesi Fuldensi servan-
16 ad 36. dus adumbratur. Sequuntur Ecclesiæ Parochiales ordine Alphabetico, ubi ad earum Historiam aliaque eas attinentia pluri-
37 sq. ma notatu dignissima comparent. Caput II de Abbatum Fuldensium exemtione omnimoda, nec non Jurisdictione quasi Episcopali in clerum ac populum tradit, ubi eam inde a temporibus Zachariæ Pontificis & Pipini Regis variis modis exercitam, Rabano, Huoggi, Richardo, Egberto, Ruthardo, Henrico I, Marquardo I, Conrado II, Berthoisque tribus continuatam, copiosius Sec. XIV, sub Henrico VI & VII illustratam, & tandem
41 sqq. seculis XV, XVI, XVII, XVIII inter varios casus assertam atque integram illibatamve conservatam, Pl. Rever. Autor ostendit pluribus. De Hierarchia inde Fuldensi, sive de Monasteriis, Præpositturis ac collegiatis Ecclesiis, tam intra quam extra Diœcesin Fuldensem sitis, Abbatibus Fuldensibus immediate ac pleno Jure subjectis, tractatio exordium capit, ubi vetus Fuldæ splendor, quibusve occasionibus is imminutus, refertur, singulæve Ecclesiæ & Monasteria summatim exhibentur, plenius copiosiusque si-
81 sqq. gillatim lustranda. Hunc in finem templum Fuldense aggreditur primarium, ubi illud a S. Bonifacio constructum, a Sturmio, Bengulfo, Ratgario, Eigilique magis auctum, atque sub hoc a Mo-

Moguntino invitato denuo dedicatum, ex variis monumentis perhibet, atque loci figura antiqua ex Browero exhibita, varia in eum postmodum ab Abbatibus collata ornamenta ordine temporis pervagatur, satisque reliquis perstrictis, ad Adalbertum, nuperum Abbatem delatus, figuraque loci hodierna æri incisa, ad sacrarium delabitur. Construxerat illud Rabanus Abbas, variisque reliquiis ornatum dederat, cujus exemplum secuti posteri, plurimis Fuldam ditarunt, quæ cum supervenientibus calamitatibus quamplurimis magnam partem perierint, paucas earum superesse conqueritur, e quibus cum pedum pastorale & pugionem affabre incisa exhibuisset, Codices, quos S. Bonifacius manibus suis tractasse fertur, uberius pertractat, atque imprimis laudat. In primo Codice 1) exstat Harmonia Evangelistarum, 2) Tabula lectionum Ecclesiæ, 3) Epistolæ B. Pauli Apostoli, 4) quibus locis Apostoli jaceant, 5) Actus Apostolorum, 6) Epistola S. Jacobi ad dispersos, 7) Apocalypsis, circa quam paulisper hæret, atque de scriptura, æri incisa, in omnibus his scriptis ferme pari, mille fere ac ducentorum annorum, seculo nempe VI scripta, plurima notatu dignissima erudite edisserit. Mox secundus Codex producitur, in quo scripta plura exstant quorum recensionem hæc charta non capit, ubi itidem more suo eruditum & copiosum Autor de ætate Codicum, de scripturæ genere, deque aliis, quæ huc spectant, commentarium præbet. Codex Evangeliorum denique foliorum ex pergameno LXIII prioribus additur, haud dispar illi, quem olim ex ejusdem monasterii penu manibus suis tractaverat eruditissimus Bœclerus, circa quem & eodem modo certatur, atque simul S. Bonifacii ipsius manibus eum scriptum non esse, in luce ponitur. Ad monasteria Virorum Ecclesiæ Fuldensi pleno Jure subjecta gressum promovet, quorum simul Præpositos, ubi liquet, memorat. Sunt vero: I Monasterium S. Andreæ in monte novo prope ipsam Fuldam situm, quod seculo XI liberalitate Hartmanni Comitis, a Richardo Fuldensi Abbate constructum dotatumque, ab Aribone Moguntino consecratum, Conrado II & Johanni XIX Pontifici adamatum, variis casibus afflictum, sub plurimis Præpositis inde ab A. MXXXV duravit. II Monasterium S. Andreæ Romanum. III

p. 64. 71. 74. 81. 91.

S.Vincentii in Aptersrode. IV S. Dionysii in Bantz. V Baucholfsmunsterense, & VI Brachowense. Succedunt VII S.Sixti in Holtzkirchen, a Troando, Viro magnæ dignitatis, cujus filii jactitatam imaginem tabella tradit, A. DCCLXXVII fundatum, varie auctum, S. Januarii & Magni miraculis conspicuum, etiam reliquiis illustre, VIII utriusque Johannis prope Fuldam conspicuum, a Ratgarii tempore celebre, Ludovici Pii liberalitate, aliisque donis magis evectum, atque usque huc salvum. IX S. Johannis Baptistæ in Rhingavia seculo omnino IX fundatum. X S. Mariæ in monte Episcopi, Bonifacio S.Martyri debitum, postmodum vero studio Abbatum certatim auctum, donec 1525 in cineres converteretur. XI Mattencellense. XII S. Michaelis in Cœmiterio, Eigilis Abbatis opus, a Moguntino consecratum, & in hunc usque diem continuatum. XIII S. Petri in Ugesberg, consecratum A. DCCCXXXVIII, & variorum pietatem expertum, qua ad insignem magnificentiam evectum, ut proprio *sigillo*, hic conspicuo, a multis annis uteretur, tandem in *rusticorum prædam* cessit, desolatumque, post seculum demum revixit. *XIV* Salanum. XV. S. Solæ, quod Caroli M. ævo origines suas cepit, sancti Solæ multis miraculis meritisve illustre, crevit postea sub Advocatis Præpositisve ad Seculum usque XVI, quo eandem cum pluribus fortunam subiit, ab Advocatis Marchionibus Brandeburgicis Seculo addictum. Hinc Monasteria Virginum persequitur, quorum I Monasterium S. Mariæ in Aldendorff, II Bischoffsheimense, III S. Mariæ in Blanckenau, quod 1265 ex prædonum castro destructo exsurgens, multam piorum liberalitatem provocavit, atque ad nostrum usque ævum pervenit, IV S. Mariæ in Capellendorff Thuringiacum, post varias vicissitudines a monialibus post Reformationem Sec. XVI desertum, V S. Mariæ & S. Johannis Baptistæ in Cella, Rabano Abbati Seculi IX originem suam debens, quod varia liberalitate crevit, nunc ruinæ vicinum restauratorem exspectat, VI S. Mariæ Fuldæ MXI conditum, MDCXXVI renovatum, VII S. Mariæ in Hœfle, cujus utut antiquissimi fundator ignoratur, tandem seculo cessit desolationique, VIII Karspach, IX Milzense, X S. Magdalenæ in Mulhusen, XI Rodebacense, XII S. Michaelis in Rore antiquissimum, nunc

p. 95 seqq. 108 sqq. 115 sqq. 125 sqq. 132 sqq. 142 sqq. 155 sqq. 169. 170 sqq. 176 sqq. 184 sqq.

nunc ad ſeculum reverſum, Præpoſito & Abbatiſſa a ruſticis exactis, XIII Teutlæbenſe, XIV S. Lamberti in Tulba, MCXXVII liberalitate quorundam Miniſterialium erectum, hodie inter ſitum & ſqualorem extremum ferme ducens ſpiritum, XV Wangheimenſe & XVI Zellingenſe. Eccleſiæ Collegiatæ, immediate ac pleno Jure Eccleſiæ Fuldenſi ſubjectæ, ſuccedunt, quarum I S. Jacobi in Borsla, quæ Seculo X ad finem vergente ædificata, varia fortuna circumacta, tandem 1648 Pace Monaſterienſi Lantgravium Haſſiæ Dominum agnovit, Fuldenſi Diœceſi ſola Præpoſitorum ſerie relicta. II S. Bonifacii in Fulda, ex loco majore Borsla 1650 Fuldam translatis Canonicis, cujus actus Hiſtoria & charta comparent. III S. Bonifacii in Hamelen, quam ab origine DCCLXXV ad A. usque MCCLIX rexit Fuldenſis Eccleſia, hinc Mindenſi Epiſcopo vendita, tandem cum urbe in Ducum Brunſuicenſium poteſtatem devenit MCCLXI. IV S. Crucis in Hunefelt, inde a Seculo IX minimum florens, ſed multorum ab hoc tempore gravem paſſa jacturam. V S. Johannis Baptiſtæ & S. Ceciliæ in Rasdorff Collegiatarum cenſetur, Seculi VIII Eccleſia, a Rabano Abbate reſtaurata, inter varias viciſſitudines decore ac reverenter ad noſtra usque tempora habita. VI S. Petri Apoſtoli in Salmunſter, dedicata A. DCCCLXXXV, tandem vero ſuperiori Seculo S. Franciſci familiæ donata, cum diu admodum cum ruinis conflictata eſſet. Religioſi Ordines in Diœceſin Fuldenſem liberaliter admiſſi agmen claudunt. Scilicet I Collegium Societatis Jeſu, II Conventus Ordinis Heremitarum S. Auguſtini Hamalæ, III Conventus F. F. Servorum B. Mariæ Virg. Auguſtini juxta Vache, illuc beneficio Henrici Abbatis MCCCLXVIII concedens, cujus ædes nunc triſtes manent ruinæ, IV Fratrum Minorum conventualium Ordinis S. Franciſci Fuldæ, V Fratrum Minorum Recollectorum Ordinis S. Franciſci in Monte Mariano prope Fuldam, VI eorundem prope Hamelburg, VII eorundem in monte Volckersberg, VIII eorundem in Salmunſter, IX Ædes ſororum tertii ordinis S. Franciſci Fuldæ. In his ordinum receptio, receptorum Hiſtoria, fata, & alia, ex monumentis fide dignis, quæ interdum integra inſeruntur, deſcribuntur, pluraque alia pro Hiſtoria Fuldenſi viciniſque adducun-

p. 201 ſqq.

206 ſqq.

208 ſqq.

211 ſqq.

221 ſqq.

224 ſqq.

ducuntur. Reliquam Operis partem Bullæ, Diplomata, chartæ, notitiæve implent, numero prope CC, in quibus non deerit Antiquitatis omnis Germanicæ studioso, quo animum pascat uberrime. Et hæc de libro erudito strictim dixisse sufficiat, cum plura, ejus occasione vulgata, mox nobis memoranda supersint.

ANIMADVERSIONES HISTORICÆ ET *Criticæ in* JO. FRIDERICI SCHANNATI *Diœcesin & Hierarchiam Fuldensem, omnium antiquitatis Ecclesiasticæ, Historiæ, Reique Diplomaticæ peritorum examini oblatæ a* JO. GEORGIO AB ECKHART, *Reverendiss. atque Celsiss. Princip. & Episc. Wurceburg. Fr. Or. Ducis Consiliar. Intimo.*

Wirceburgi, sumtibus Philippi Wilhelmi Fuggart, 1727, fol.
Alph. 1 pl. 6.

MUlta insigniaque incrementa hactenus rei Diplomaticæ studium ex scriptis eristicis cepit; suggerunt Documenta, suggerunt genuinos ea impugnandi propugnandique fontes, non parum lucis dicta illustrando in Historiam inferunt, antiquitates ruspantur, denique omnem movent lapidem, quo a tergo incumbenti adversario nulla cavillandi ansa relinquatur, unde non potest non docte, curate & eleganter scribi. Tacemus jam, plura adhuc rei Diplomaticæ capita procul dubio in obscuro fore, ni eruditæ lites ea scripta extorsissent, quæ alias minime expectare licuisset a non lacessitis. Nota sunt scripta in causa Lindaviensi, *Heideri*, *Conringii*, *Tentzelii*, *Wegelini*, pro religiosis *Anonymi*, *Rasleri* aliorumque. Non ignoratur contra Magdeburgicos emissa *Leuberi* nostratis Scriptorum biga, nec, quæ multos Viros doctissimos exercuit, controversia Osnabrugensis, aliaque, absque quibus si esset, in non paucis laboraremus. Ipsum nobile & ad omnem memoriam insigne *Mabillonii* Opus de Re Diplomatica vix ac ne vix quidem in lucem prodiisset, nisi *Papebrochii* Acta Sanctorum classicum cecinissent, Diplomatibus chartisque Benedictinis acerrimo bello indicto. In præsens haud absi-

milo

mile aliquid ferme patitur S. Bonifacius, dum Vir Illustris *ab Eckhart* suarum partium esse ratus est Fuldensis Archivi documenta, a Pl. Rever. *Schannato* in Diœcesi prolata, in dubium vocare, plurimis sententiæ suæ stabiliendæ congestis, non invitis iis, qui Rei Diplomaticæ Germanicæ studium industriamque suam addixerunt, utpote qui sibi largum optima quæque addiscendi campum propositum vident. Scilicet Doctiss. *Schannat* in Diœcesi & Hierarchia Fuldensi, modo a nobis paucis recensita, tam veteres quam novas Fuldensis Monasterii possessiones, tam illud adhuc recognoscentes quam dudum amissas, stilo Historico illustrare aggressus, facile bilem movit Herbipolensibus, ut primus calamum adversus illud stringeret, nescio quis, *Kilianus Meinbergius*, postmodum vero autoritate Reverendiss. Principis huic labori humeros supponeret Illustris *Eckardus*. Is vero hoc in opere omnes numeros industrii jurium Herbipolensium hyperaspistæ implevit, nil quod causæ faveret, intentatum reliquit; scripsit comte, ex annorum plurimorum experientia erudite, non sine pipere tamen omni & aceto, quamvis in præfatione, in qua causam scriptionis, & quantum sæpe hæ concertationes erudito orbi profuerint, exponit, se ab hoc scribendi genere maxime alienum profiteatur.
In ipso opere, Schannatiana in litteras merita deprædicans, demon- §. 1.
strare satagit, privilegio Bonifacio Germanorum Apostolo per 2.
Zachariam P. M. concesso, exemtionem Fuldensis Monasterii a ditione, jurisdictione & autoritate Episcopi cujuscunque male asseri, cum exemtio Monasteriorum ab omni autoritate Episcopi eo ævo Canonibus & observantiæ seu disciplinæ Ecclesiæ Francicæ fuerit adversa, ipseque S. Bonifacius id agnoverit. Pergit, exemtiones ejus aut anterioris ævi, quæ ferantur, aut spurias esse, aut saltem nil præter secularia & regimen loci interius concernere, in spiritualibus Monachos Episcopo suo omnino subfuisse, eaque jura, licet varias libertates ac privilegia Monasteriis concesserint, ad finem tamen usque Seculi X Episcopis salva fuisse.
Unde elicit, fuisse quidem aliquod Privilegium Zachariæ Pontif. 3.
pro Fuldensibus datum, sed Canonibus & praxi illius temporis conforme, quippe quo Episcopi Wirceburgensis autoritas in Fuldam & ejus bona illibata manserit, longe vero diversum ab eo quod

quod nunc producatur, quippe in quo satis absona tradi, Vir Il-
§. 4. lustris existimat. Ejusdem falsitatis reum agit Diploma Pipini Regis, utpote cujus datum erroneum, cum Cl. *Schannatus* annos Regni Pipinum ab unctione Stephani Pontificis numerasse credat, quæ Epocha privilegio huic non congruat, quippe qua data necessum sit, incidere tempus dati privilegii in A. 755 mensem Junium, quo ipso S. Bonifacius aut in Frisia moratus aut plane occisus fuerit, S. Burchardus autem & ipse vivorum in numero esse jam desierit, quorum tamen utrumque ut viventem vigentemque sistat Diploma. Potius dicendum, Epocham Pipini, ab unctione Stephani desumtam, nunquam in usu fuisse, ipsis etiam
5. Fuldensibus Traditionibus reclamantibus. Epocham vero a Pipini elevatione in Regem cum Fuldensi privilegio plane conciliari non posse, multa etiam esse alia, quæ privilegium suspectum reddant. Imprimis inter ea attendendum, quod Baddilo, qui Diploma subscripserit, neque A. 752, neque 755 Pipini fuerit Cancellarius, insolita etiam aut superflua formula, *in Dei nomine*, ejus subscriptioni præfigatur, nec Sigillum suspicione careat. Sup-
7. 8. posititiam etiam Stephani III Bullam credit, tum ob plurima stilo ejus ævi & disciplinæ etiam Ecclesiæ Francicæ in eo occurrentia contraria, tum ob annos etiam Pipini, quos Pontifex numeraverit, cum tamen nec numerare tum receptum fuerit, nec id fieri potuerit, cum Pipinus 768 VIII Kl. Oct. jam animam exhalasset.
9. Probat, Sturmium Abbatem nunquam pro Episcopo se gessisse,
10. potius Lullo Moguntino Præsuli paruisse, nec obstare subjectos ei vocatos Clericos, cum eo ævo Monachis hoc nomen cum reli-
11. quo clero fuerit commune. Diploma Pipini nullam exemtionem dare, sed temporalia defensioni regiæ subjicere, spiritualibus Episcopis salvis. Post hæc docetur, exemtionem Fuldensibus sub Carolo M. non contigisse, decimas non inferre dignitatem Episcopalem, a S. Burchardo quippe concessas, chartas autem Fuldensibus eas adscribentes esse fictitias, stilo & Lotharii mentione id prodentibus, qui tamen Fuldensi territorio dominatus non fuerit, cujusque ob favorem Rabanus Ludovico Germ. pœ-
12.-14. nas dederit. Pejus etiam decimas Fuldensi Monasterio per Thuringiam vindicari Dipl. Ludovici Germanici, plane conficto, at-
que

que non unis falsitatis notis laborante. Johannis VIII P. M. Privilegium quoque incessit, atque haud disparem ei labem inurit, potissimum ob *Nomencimissi* nomen incognitum, nec non formulam *regnante Christo* adhibitam, cum tamen adhuc in vivis esset Ludov. Imp. cujus anni addendi erant. Diploma Ottonis I, ut suppositium, Fuldensibus extorquere allaborat. Fuldenses Abbates Episcopis pares non fuisse commonstrat, titulo licet fratrum insignes, quo & alii usi. Conventio Wolfgarii Episcopi Wirtzburg. cum Ratgario Abb. Fuld. vapulat, ut in Diœcesi conficta. De Ratgario aliisque Abbatibus Fuldensibus observatur, eos in temporalibus Regi, in sacris Archi-Episc. Moguntino & Episc. Herbipolensi subjectos fuisse. Ecclesiæ Wurciburg. per exemtionem Fuldensis Monast. Sec. X nil decessisse, cujus quippe posthac semper tam parochiales quam filiales Ecclesiæ subfuerint Wurciburgensibus. Caput II Diœceseos examinaturus, exemtionis Fuldensis fundamina omnino ruinosa censet. Non probari eam Marini II Papæ privilegio, ab Agapeto II confirmato. Idque clarius apparere, si privilegium Gandersheimense ejusdem Agapeti cum Fuldensi contendatur, quo Hildesheimensi Episcopatui nil decesserit. Sequentia Zachariæ privilegium ex Mariniano confictum adstruunt. His exantlatis Vir Illustris contra Cl. *Schannatum*, Sturmium Saxonum Apostolum, non vero quasi Episcopum, Ecclesiarum autem dedicationes & constructiones non sine autoritate Episcopali susceptas, probat. Bullam Johannis XIII Pontificis de Primatu Fuldensi ad fabulas ablegare nititur, atque Ottonum I & II coronationis annos, atque Indictiones a Kal. Septembr. inchoatas Pontificibus, in aprico ponit, quo id pateat magis. Eodem modo suspectam reddit Sylvestri II Bullam pro Monasterio Fuldensi, ex cujus contentis varias falsitatis notas exsculpit, simulque Fuldensium Abbatum prærogativas in dubium vocat. Clementis II familiam vitæque compendium sistit, bullam autem pro Fuldensibus impugnat, imprimis Monasterium S. Andreæ Romanum iis eripere satagit. Idem plane fatum manet secundam pro Fuldensibus Clementis Bullam, sequiturque ulterior vitæ Clementis recensio. Paulisper hinc in diverticulum digreditur,

§. 15. 16. 16. 17. 18. 19. 20. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32.

ditur, atque ut exemplo declaret, in Autographis vel minima non ferenda, in Apographis tolerari utcunque posse, Diplomatis Henrici III exemplum pro Ecclesia Herbip. quondam productum examinat, atque licet nævis quibusdam laboret, nihilominus falvam rem, atque injuria rejectum esse, existimat. Lustrata Diœ-
§. 33. cesi Hierarchiam expendit, atque de dedicatione primarii templi Fuldensis, & festo omnium sanctorum agit, hacque occasione Archi-Episcopi Moguntini in Fuldam juribus favet. Chartam
34. Richardi Abbatis de fundatione & dotatione Monasterii S. An-
35. dreæ in monte novo hypobolimæam declarat, cum Conradus II 1030 Romæ non degerit, nec Principes, qui nominentur, fuerint
36. in vivis. Monasterium S. Andreæ Romanum Fuldæ eripit. Mo-
37. nasterium Banziense fuisse ab antiquo Diœceseos Herbipol. probat,
38. eique Monasterium Brachovense & Holtzkirchense adscribit,
39. ubi simul nonnulla monumenta scrutatur, imprimis illud quod Cl. *Schannatus* æri incisum dederat ac hic repetitur, Albuwino Comiti, qui Caroli Calvi filium graviter vulneraverat, vindicatum. Refert eodem loco Diploma Wirziburgense Ottonis III, quo pagus Waldsatiæ, in quo Holtzkircha, Ecclesiæ donatur, atque in sequentibus probare nititur, Holtzkircham Diœcesi Herbipolensi fuisse subjectam. Monasterio SS. Johannis Baptistæ &
40. Evangelistæ prope Fuldam omnia a Moguntinis obtigisse, Ludovici vero Pii donationem ei factam spuriam, multis argumentis
41. perhibet. Circa Monasterium porro S. Mariæ in monte Episcopi occupatur, atque Fuldense Jus Diœcesanum in illud oppugnat.
42, 43, 44. Monasteria, Mattencellense S. Michaelis in cœmiterio, & S. Petri in Ugesberg, autoritate aut Episcoporum aut Archi-Episcopi Moguntini Fuldensibus curata perhibet, qui adeo tum non fuerint immediati, ut Rabanus, Lothario favens, a Ludovico Germanico, inconsulto Papa, gradu fuerit dejectus, quod immediato contingere minime potuerit. Monasterium Salanum
45. quale & ubi situm fuerit, disquirit, Diœcesi Herbipolensi illud
46. accensens. Monasterium S. Solæ in spiritualibus Episcopo Eistetensi paruisse, licet ad Fuldenses pertinuerit, propugnat. Mona-
47. steria Aldendorfense & Bischofsheimense Diœcesi Moguntinæ vindicans, in hoc plane omne jus Fuldensibus denegat. Mo-
48. nasle-

nasterium S. Mariæ in Capellendorff Moguntinæ, Monasterium §. 49.
S. Mariæ & S. Johannis Baptistæ in Cella in pago Tullifeld Herbipolensi Ecclesiæ addictum rationibus firmat, in Historia hujus plurima ex Archivis Wurceburgensibus illustrans, quasque vicissitudines passum fuerit, simul exponens. Inspergitur disquisitio de situ hujus Cellæ, ubi duas fuisse Cellas Vir doctus suspicatur, insimul vero fines pagi Grabfeld & Tullifeld regit. Monasteri- 50.
um Carspach sive Caragoltesbach, Fuldensibus ereptum, Herbipolensibus restituit. Milizensis cœnobii eadem conditio, 51.
eique fini donatio Ermhiltæ pro Fuldensibus suspecta statuitur.
Monasterium Rodebacense Moguntinis, Monasterium Rora Her- 52.
bipolensibus, Monasterium Teutlebiense iterum Moguntinis 53.
vindicat. Monasterium Tulbense Diœceseos Wurtziburgensis esse, 54, 55.
itidem Vir doctus credit, obiter Rupertum Præpositum, qui 1299
vixerit, in Diœcesi omissum commemorans. Itidem Monasterium 56.
Wangheimense & Monasterium Zellingense in pari causa consti- 57.
tuit. De Ecclesiis Collegiatis immediate ac pleno jure Ecclesiæ 58.
Fuldensi subjectis universim monetur, plerasque aut Moguntinæ, aut Herbipolensis fuisse Diœceseos. Inde primo Carolum M. non vastam planitiem ad dextram Hunæ, sed spatium modicum, (quæ campi significatio) Fuldensibus donasse, Hunofeldum Diœcesis Wurceburgensis fuisse, ut & Rasdorffense Monasterium, 59.
contra Salmunsterensis Ecclesia Diœceseos Moguntinæ, perhibe- 60.
tur. Seriem Chronologicam rerum præcipuarum hactenus pro- 61.
latarum affert. Demum concludit, Fuldense Monasterium us- 62.
que ad A. ᴐᴐCCCCXLII nihil præ aliis singulare habuisse, quo demum Reformationem alias fieri solitam defugerit, atque Hada- p.103.
mari Abbatis astu Privilegium Zacharianum, antea inauditum, effictum sit, quæ vera Epocha libertatis Fuldensium. Ab eo enim tempore Ecclesias Monasterii Fuldensis non amplius ab Archi-Episcopo Moguntino dedicatas, & Abbates ab eodem non amplius benedictionem recepisse. Id cum odio Friderici Moguntini contigisse Vir Illustris existimet, operosam ejus defensionem suscipit, simul nonnullas ad Historiam ejus conferens symbolas. Licet vero hæc Jura Moguntinis perierint, Regibus tamen & Herbipolensibus autoritatem suam in Monasterio & territorio Fuldensi

 man-

mansisse illibatam edicit, & curatius secundum temporum seriem
§. 63, 64. demonstrare nititur. Subsequuntur Epilogus & Addenda Emendandave, ubi ad p. 32 notitia de conventione Retbacensi sublestæ fidei crimen & ipsa incurrit: ad p. 62 ex alio Apographo variæ Lectiones Diplomatis producti exhibentur, ejusque αὐϑεντία magis firmatur. Additur operi Index.

VINDICIÆ QUORUNDAM ARCHIVI FULdensis Diplomatum, a Nobiliss. & Clariss. Viro, JOH. GEORGIO AB ECKHART, perperam impugnatorum, cujus insuper in Diœcesin & Hierarchiam Fuldensem Criticæ Animadversiones expunguntur: ulteriores vero etiam in universam Historiam Fuldensem conatus prævie eluduntur; tum simul nova ad rem Germaniæ Diplomaticam subsidia, additis veterum scripturarum speciminibus, nec non sigillorum ectypis, in æs incisis, subministrantur a JO. FRID. SCHANNAT.

Francof. ad Mœn. apud Jo. Benj. Andreæ & Henr. Hort, 1728, fol.
Alph. 1 pl. 7 Fig. æn. Tabb 12.

ALterum, quod nobis controversia Fuldensis peperit, scriptum vides, in cujus præfatione doctissimus *Schannatus* historiam scripti sui texit. Primum nimirum se lacessitum ait a quodam *Ostrofranco*, quem ipse rectius *Oestro* percitum *Francum* compellandum esse existimat, cum parum ad rem, nil nisi conviciorum plaustra attulerit. Inde se oppugnandi onus devolutum in Illustr. *Eckhartum*, amicum olim sibi conjunctissimum, cujus solius rationes in speciem firmas, priorem aspernatus, nunc sibi trutinandas existimet. Opinatur Cl. *Schannat*, *Eckartino* more incedendo, non difficile sibi futurum, cuncta Archivi Herbipolensis Diplomata in dubium vocare, idque ut declaret exemplo, Ottonis III Imp. Præcepta bina ab Illustri *Eckharto* prolata examinat, utrumque in mendo cubare pluribus demonstrans. Scilicet deesse formulam *in Nomine sanctæ & individuæ Trinitatis*, contra stilum alias consuetum Ottonem dici *Servum Jesu Christi*, Hen-

Henricum Episcopum *Dominum*, donari pagum Saltzgowe, Comitatus Waltsazin & Rangowe, ex quibus tamen Henricus III & IV adhuc Fuldensibus & Frisingensibus bene fecerint, quorumque hunc ex Henrici II donatione integrum sibi vindicet Bambergensis Ecclesia, in illo vero quovis tempore Fuldensis Ecclesia opimas possessiones constanter tenuerit. Cum vero utriusque Diplomatis subscriptio & ipsa suis prematur nævis, concludit, utrumque suppositititium esse. Succedit examen Bullæ Ottonis plumbeæ Diplomatis appensæ, quæ cum Mabilloniana comparata multum erubescat. Henrici III Diploma, sæpius jam productum, sæpius rejectum, eandem heic patitur fortunam, utpote datum MXLVIII III Non. Febr. Indict. II, in Moguntina Synodo, assidentibus Pontifice & Imperatore; cum tamen hæc 1052 demum habita, & ille A. 1048 nondum fuisset in Pontificem consecratus. Sub finem præfaminis Cl. Autor Ecclesiæ Herbipolensi se devotissimum, & hactenus dicta eo tantum pertinere ait, ut quam non sufficiant, quamque parum Ecclesiæ prosint *Eckhartina*, liquido ostenderet, ceterum se posthac hanc serram non amplius reciprocaturum, testatur. Post præfationem se sistunt æri incisæ Bullæ *Clementis II*, *Benedicti VIII*, *Leonis IX*, *Alexandri II*; Diplomata *Pipini Regis*, *Caroli M. Regis*, *Ludovici Pii Imp. Lotharii Imp. Ludovici Germ. Reg. Ludovici III Germ. R. Caroli Crassi Imp. Arnolfi Regis*, *Ludovici Infantis*, *Conradi I Regis*, *Henrici I Regis*, *Ottonis I Regis*, *Ottonis II Imp. Ottonis III Regis*, *Henrici II Imp. Conradi II Regis*, *Henrici III Imp.* Chartæ *Hattonis Abbatis*, *Ricardi* & *Ruthardi* Fuldensium. In ipsius operis Propylæo varia Archivorum fata deflet, p. 1 sqq. in Fuldensis Archivi historia definens, quod licet multa pertulerit incommoda, Bullarum, Chartarum, Diplomatum, Notitiarum egregiam etiamnum segetem ostentare refert, ejusque particulas nonnullas in præsens se aut vindicaturum, aut uberius illustraturum, pollicetur. Conquestus inde de difficultatibus circa 5 sqq. Diplomata & Bullas occurrentibus, *Bullam Zachariæ* Pontificis a suppositionis nota ei inusta liberat, imprimis Illustri Adversario opponens, Privilegia a vulgo receptis & jam competentibus abire, adeoque de Fuldensi id non mirum. Accedere

verba Bullæ non absona, nec a stilo reliquarum Bullarum abhorrentia, a quibus nec diversum sit datum, ut adeo omnes νοθείας notæ evanescant. Minime gentium vero Ottonis I demum ævo hanc Bullam a falsario conceptam, cum eo ævo tot tantaque extra teli jactum constituta privilegia Fuldæ jura satis munive-rint, ut ad falsa confugere necessum non fuerit. Atque has libertates postmodum ad nostrum ævum usque ab omnibus Pontificibus cum Jure Diœcesano Fuldensi conservatas, atque contra Moguntinas ac Herbipolenses prætensiones in tuto collocatas.

p. 10 sqq. Succedit *Stephani III* Bulla, quam Vir doctus A. DCCLIV datam, adeoque Illustris *Eckharti* objectiones, ab A. DCCLXIX desumtas, se non tangere demonstrat, verba etiam vitii nil alere statuit, cum de Regibus sæpius verbum *Imperare* prædicetur, imo hi quandoque Imperatores dicantur. Clar. *Eckhartum* in eo quoque fallere, quod a Zacharia nondum in protectionem susceptum Fuldense Monasterium doceat, sed demum a Stephano; cum contrarium expressis verbis commonstrent *Epistolæ Bonifacianæ*, a quarum ævo haud abludat, Ecclesiæ Romanæ tuitionem implorare in eamque recipi, id quod exemplis plurimis probatum it, nec Legibus Francicis adversum fuisse sustinet.

14 sqq. *Gregorii IV* Bullam Protectoriam, a Gretsero quondam editam, male sibi obtrudi, aliam vero in Cod. Probat. Hist. Fuldensis a se relatam genuinam adstruit, qua occasione, quando verba *Bene Valete* in Pontificiis Bullis primum occurrant, disputat, atque ad Hadrianum I usque adscendi posse dicit. Post hæc *Johannis VIII* Bullam vindicat, imprimis datum, in quo pro verbo *Nomencimissi*, quod tantopere vellicabat Illustr. Adversarius, sublato mendo scriptoris, *Nomencl. missi* restituit, & ad rem, hunc Stephanum Nomenclatorem fuisse, imo Nomenclatoris, Missi & Apocrisiarii muneribus ex antiqua Ecclesiæ consuetudine simul præesse potuisse, testimoniis firmat, varias Diplomatum emendationes, ubi similia errata calami commissa, suggerens. Pari eruditione alterum argumentum diluit, Romæ etiam durante Imperatoris regimine nonnunquam annos Pontificum numeratos, aut *regnante Domino nostro Jesu Christo* additum contendens, nec ultimo loco obstare vocem Papæ, hanc enim sæpius Episco-

pis

pis attributam. *Marini II* Bullam, ex qua confictam Zacharianam Vir Illustris existimaverat, tangit, atque falli eundem, pluribus demonstrare nititur. *Agapeti II* Privilegium itidem defendit, argumentis ad Ecclesiasticam quoque Jurisdictionem extensis, dato, ubi dies binis vicibus positus occurrebat, per exempla plurima adstructo, indeque digressione ad Gandersheimensia duce *Eckharto* instituta, ut quam recte & illic Vir Illustris versatus sit, cognoscatur. Succedit *Johannis XIII* Bulla, cujus datum vitiosum concedit, nec id novum esse Cancellariæ Pontificiæ in Imperatoriis annis, exemplis & doctorum querelis plurimis illustrat. Contra in indictionis aliunde quam a Kal. Septemb. computatione vitii nil latere monet, cum inde deducendam esse eam, multis, imo hujus Pontif. pro Trevirensibus Bulla, obstantibus, nondum sit in expedito. Circa *Johannem XV* ejusque Bullam occupatus, Hattonem ejus ævi Abbatem Fuldensem, nulli antehac memoratum, detegit, tum Indictionem a Kal. Januar. inchoatam signat, Ottonem III quoque Imperialem coronam cogitasse, probat. Ad *Sylvestrum II* delatus, diem emortualem prædecessoris ejus *Gregorii V* 2 Id. Febr. fuisse, contra communem sententiam, eique 2 Apr. *Sylvestrum* successorem datum, explicat, & *Eckharto* suspectas locutiones Bullæ pluribus ejusmodi aliunde allatis tuetur. Primatum vero & Proedriam Historiæ Fuldensi, quam parat, reservat. *Benedictus VIII* ὡς ἐν παρόδῳ obiisse monetur 1024 VII Id. Apr. ubi & de more exaltandi privilegia differitur. Circa ipsius Diplomatis αὐτενθίαν adstruendam laborans, duplices notas Chronologicas, alteram scripti, dati alteram, non semper necessario adesse, indictionem heic loci a Kal. Januarii auspicari Cancellarium, imprimis vero Archi-Cancellariatum Romanæ Ecclesiæ Coloniensem ab his temporibus & a Benedicto VIII repetendum esse, edisserit. Hic licet in desuetudinem abierit, inde tamen originem Vice-Cancellarii Rom. Ecclesiæ deducendam, pergit, multas eruditas observationes addens de origine & nomine Archi-Cancellarii, quem eundem cum Primicerio Notariorum esse, adeoque antiquissimam dignitatem tenuisse, suspicatur. *Clementis II* Bullarum bigam simul vindicat, alteram more scribentium, & Exajulonem, ignotum Sanctum, pluribus nunc

p. 18 sq.

25 sqq.

31.

35 sqq.

nunc ignotorum exemplis tuendo; alteram docendo, sæpius numerum rotundum, ex. gr. CC, in medio ævo adhibitum, eo, quod numerum rotundum excurrebat, reciso; annos Christi etiam ante Leonem ex Bullis Pontificiis nonnunquam additos, verbis quoque, *scriptum hoc Privilegium per manus*, pluribus exemplis defensis. Obiter, an *Clemens II*, ut Pontifex, Episcopatum Bambergensem retinuerit, disquiritur, & ab Illustri Adversario id quidem
p. 38. parum firmis argumentis probari, ostenditur. *Leonis IX* Bullam adducit, qua Fuldensibus concessa firmat, notatque in transitu, hunc Pontificem primum verba *Bene Valete* in Monogramma redegisse, ejusque Bullam, in Probat. H.F. edendam, non amplius Longobardico, sed Romano charactere minuto, si pauca demas, scriptam esse, observat. *Victoris II* Bullæ recensum, & æri incisam ipsam Bullam plumbeam nitidam admodum, *Alexandri II* Bulla Protectoria, *Calixti II* itidem amplissima, *Innocentii II* tria insignia Rescripta Protectoria, *Eugenii III* Privilegium de A. 1151, tandemque insigne ac præstantissimum *Anastasii IV* 1154 beneficium, summatim relata, sequuntur, proxime in Probat. Hist. Fuld. edenda.

Pontificias Bullas excipiunt Regia Diplomata, ubi Autor paucis de exordio anni in Germania media præfatus, cum nonnunquam a Kal. Jan. nonnunquam a natali Domini, & demum a
41 sqq. Paschate computatum eum retulisset, *Pipinum Regem* in arenam producit, cujus Cancellarium fuisse Baddilonem, fortassis etiam Franconem, indicat, vitamque Regis breviter perstringit: inde primo loco sigillum, ab Illustri Censore oppugnatum, tuetur, atque omnino dari sigilla Pipini cum inscriptione asserit, qualia genuina non oculis suis usurpaverit Mabillonius. Annos regni Pipini ab A. DCCLIV utplurimum, nonnunquam autem diversimode numeratos, evincit, idque turbis adscribit. Beatæ Memoriæ Carolomannum ut Diplomati suo non officere ostendat, eum
45. intra A. DCCLIV & LV exordium animum exhalasse, Bonifacii autem subscriptionem nec ipsam sine exemplo esse, probat. S. Burchardum Herbipolitanum DCCXCI demum fatis concessisse, latius deducit, aut si alius mortis annus retinendus, hunc Burchardum in Diplomate diversum a Sancto illo esse posse putat, ubi etiam obiter *Willibaldus* Eichstetensis Episcopus contra opinio-

nem

nem communem adhuc DCCLXXXVI in vivis fuisse, & quæ Egilwardi, scriptoris vitæ S. Burchardi, in rebus Herbipolensibus fides & autoritas, uberius demonstratur. His exantlatis, ex Jure Publico ævi medii Præfecti dignitas & honos illustratur, Cancellarii subscriptio, nec non præposita ei invocatio *in Dei nomine* exemplis muniuntur, Chrisma vero Notarii rem esse ignotam probat, cui explicandæ tempus perdere necesse sit. Succedit *Carolus M.* cujus vita, gesta, conjuges, notæ Chronicæ, altera ab A. 768 regni Francorum, altera ab A. 774 regni Longobardorum, tertia ab A. 800 Imperii, quarta & quinta privata, illa ab A. 877, hæc ab A 802, Archi-Cancellarii porro, Cancellarii seu Notarii liberi, &c. recensentur. Dubium *Eckharti* de titulo Caroli M. solvitur, Holtzkircha Monasterio Fuldensi vindicatur, Episcopum vero Herbipolensem tantum honoris causa ad eum locum fuisse invitatum, conjicitur, imo ex ejus Epistola commonstratur, nil sibi cum Juris in Fuldam arrogasse, nec posteris ejus Holtzkircham cessisse unquam, probatur. Binis absolutis, tertium Diploma Caroli pro Fulda dilucidat, ejusque ductu de Ecclesia S. Joannis in Hamelburg nonnihil disputat. Sextum Diploma iisdem implicitum dubiis eximit, atque non parvum territorium, sed amplissimum inde eruit. Septimum Diploma *Eckharto* ereptum it, ostendens, Patricii Romanorum titulum nonnunquam in Diplomatis Caroli M. post indeptum Imperium occurrere, decimasque ab omni ævo Ecclesiæ Fuldensi competiisse, docet, nullam fassus Burchardi Wurtzib. liberalitatem. *Ludovici Pii* chartis præmittuntur vita, conjuges, liberi, Cancellarii, Notarii, quorum plures numerantur, quam vel Mabillonius vel reliqui docti unquam observarunt. Diducit postea Vir doctus latius, nihil in Diœcesi a se commissum, quod cum Buchonia vetere pugnet, chartas adductas diversas a se invicem, imo Instrumentum Legatorum Ludovici Pii, a se in Probat. Hist. Fuld. producendum, probaturum latius, eo imperante Herbipolenses Fuldensibus decimas restituere coactos, idque Ludovicum Imperatorem insigni Diplomate protectorio confirmasse. Reversus ex hoc non ingrato Lectori diverticulo, foresta Bramvorst & Saltzvorst Fuldensibus asserit, Monasteriorum Regalium conditionem illustrat, atque alterum Ludo-

p. 52 sqq.

55.

56 sqq.

Ludovici Diploma, immunitatem a teloniis indulgens, recenset. Apographum suum Diplomatis cujusdam Ludoviciani corroborat, *gratia Dei* se dixisse Ludovicum subinde, probat, verum significatum vocis Secretarii, nec non Ludovici A. DCCCXL Fuldæ præsentiam eruit, reliqua paucis refellit. *Lotharii Imp.* vitam, conjuges, liberos, computationes annorum regiminis diversas, in Bajoaria præsertim, quæ ab omnibus aliis discrepant, mortem, Cancellarios & Notarios, excipiunt Diplomata, ubi velut singulare notatur, vigentibus inter Ludovici Pii filios litibus nonnullos Notarios a morte Ludovici Pii computatione in suis scriptis usos. Diplomatum comparet trias, unum in Traditionibus relatum, bina in Cod. Probat. H. F. comparitura, dat. 841 & 850, quæ non nullius momenti fuisse in Germania ipse contendit, quandoquidem non plane nulla in fratrum regnis fuerit Lothario, sicut nec sequioribus Imperatoribus in reliquis Francicis regnis autoritas, unde ad *Chartam Hattonis*, nec non autoritatem Pontificum & Imperatorum in rebus Ecclesiarum spiritualibus & temporalibus transitus fit, & utraque latius declaratur. Diplomatibus *Ludovici Germaniæ Regis* vita, conjuges, liberi, Archi-Cancellarii, Notarii &c. præfiguntur, Epochis, altera regni Bajoariorum DCCCXXVI, altera Francorum DCCCXXXIV, tertia revindicatæ Franciæ orientalis DCCCXXXIX, quarta ab obitu Patris DCCCXL, ab obtrectationibus defensis. Primum Diploma Protectorium est, secundum decimas nonnullas per Thuringiam S. Bonifacio addicit, in quo insoliti nihil, nec aut formulam Ludovici Imperatoris filii, aut binos ternosve Archi-Cancellarios vel Archi-Capellanos eodem tempore a receptis moribus abhorrere, nomen Heburhardi diverse scriptum esse, datum nil monstri alere, utpote ab Illustri Viro adducto ubique simile; fortassis etiam distinguendum inter datum & actum, cum alibi datum, alibi actum passim invenire sit, adstruitur. *Ludovici III* tempora attingens Noster, inter fratres summam celebrans concordiam, hujus vitam, acta, conjugem, liberos, Archi-Capellanum & Notarios, per transennam refert, binaque ejus Diplomata, propediem edenda summatim perstringit, eum non primum Regum Francorum annos Christi Dipl. subjunxisse, sigillum vero caput galeatum

tum ostendere, edisserens. *Caroli Crassi* vita, conjux, Archi-Cancellarii, Notarii &c. comparent, mors in A. DCCCCXXX VIII Id. Jan. rejicitur, cujus primum pro Fuldensibus Diploma, dato, ut plura, destitutum, proxime promittitur, interim ex specimine ejus, tremulam scripturam jam Sec. IX in majoribus minimum literis apud Germanos cepisse, contra Mabillonium adstruitur. Occasione secundi hujus Imp. Diplomatis inquirit erudite in Canones Chronicos regiminis Carolini, quorum primum depromit a regimine Alemanniæ, vivente patre, alterum a Patris obitu DCCCLXXVI, tertium ab Italico regno DCCCLXXXI, quartum ab indepto Burgundico regno DCCCLXXX, quintum a Ludovici fratris obitu DCCCLXXXII, sextum ab obitu Carolomanni Gallorum Regis DCCCLXXXV; cum Mabillonius tantum III Epochas commemorarit. *Arnolphi Imp.* vitam more suo Pl. Rev. Autor erudite percenset, tres ejus Archi-Cancellarios primus eruit, Notarios non paucos, Diplomata ejus edita pariter ac propediem edenda bina affert, circa titulos ejus versatur, datæ examinat atque exordium regni Arnolphum A.DCCCLXXXVII statuisse, dubio carere putat, Italici vero Imperii Epocham ad A. DCCCXCVI pertinere concedit. Observat præterea alium ab hoc calculum in Romanis ei usu tritum, ab anno nimirum DCCCXCIV, quo primam expeditionem in Italiam susceperit, ad varias postmodum observationes circa Monogramma, sigilla & Diploma Hervordiense progressus. *Ludovici Pueri* vita, Archi-Cancellarii, Cancellarii &c. Diplomata præcedunt, in quibus hunc diversis & titulorum & invocationum formulis usum commemorat, variaque circa Diploma Fuldense, ejus scripturam ac sigillum observat. *Conradi I Regis* vitam dum Vir doctissimus cum uxore, Archi-Cancellario Cancellariisque propinat, circa mortem ejus observat, obiisse Regem DCCCCXVIII X Kl. Januarii, Fuldæque sepulturam invenisse, reliquos vero, qui diversum ab hoc tradant, Patrem cum filio confundere. Ante Regnum Hassiæ & Angariæ Pro-Rex, Fuldæ vicinus, inde Rex tria ei elargitus est Diplomata, quorum primo quædam tradit, secundo vetera firmat, tertio Triburiam Monasterio ad dies vitæ matris suæ in concambium cedit. Ad *Henricum I* conversus Noster, de conjuge,

p. 77 sqq.

82.

juge, vita, Archi-Cancellariis & Cancellariis, liberis denique & Epocha agit, quam ad A. DCCCCXIX referendam, ex binis Fuldensibus ejus Diplomatis demonstrat, unde subjectis quibusdam circa sigillum observatis, ad *Ottonem I* se transfert. Heic vita, obitu, conjugibus, liberis, Archi-Cancellariis & Cancellariis tam Germanicis quam Italis memoratis, Epocham duplicem, alteram Regni DCCCCXXXVI, Imperii alterum DCCCCLXII, ei adscribit, duoque Præcepta autographa ex Archivo profert; unde de titulis & invocationum formulis constet expeditius. In secundo diutius subsistens, diluit inde Zachariani, quibus falsi poscitur, notas aut simplici negatione, aut uberiori demonstratione, quæ cuncta variis observationibus Historico-Diplomaticis respersa sunt. Ordine ad *Ottonem II* deductus, de vita, obitu, conjuge, liberis, Archi-Cancellariis & Cancellariis quædam delibat, hinc ejus in Fuldenses beneficentia deprædicata, titulum & invocationes sub
p. 93. examen vocat. Amplissimum Ottonis hujus Diploma, propediem comparaturum, recenset, contenta ac sigillum illustrans; mox pari diligentia circa secundum versatur, unde etiam Hursillam, parvum Thuringiæ rivum, quondam navigabilem, constat. Paucis inde de Diplomate quodam jam publicato adjectis, *Ottonis III Regis* fata & obitum in luce ponit, eum X Kal. Febr. contigisse probans, quo facto Archi-Cancellarios & Cancellarios Germanicos & Italos percenset. Hujus unicum Diploma memoratur; quod Branthoo Abbati, Browero ignoto, is elargitus, in Cod. Probat. Fuld. publicandum. *Henrici II* natales, facta, obitum, conjugem, regni Epocham ab A. MII deductam, Archi-Cancellarios Germanicos & Italos propinans, ab hoc varia in Fuldenses dimanasse gloriatur. Primo MXIX monetam, mercatum & telogium, qua occasione de titulo & invocationis formula; deinde confirmationem Jurium; tertio præceptum de navigatione in Hursilla; cuncta magni momenti. *Conradi II* & conjugis gesta fataque, nec non illius Archi-Cancellarios & Cancellarios Italiæ
98. & Germaniæ describit. Quibus absolutis, unica ejus anecdota adhuc Fuldensis charta examini subjicitur, atque observatis circa titulum & inscriptionem, nec non locum dati necessariis, Epocha regni a VI Id. Sept. MXXIV derivatur, de Imperiali vero accurata

accurata disquisitione habita, tandem concluditur, licet contra sententiam communem, non MXXVII sed MXXVIII demum Romæ coronatum Conradum fere constet, ab utroque tamen anno Epochas hic illic decurrere. Sequuntur *Henrici III Imp.* acta illustria, conjuges, liberi, Archi-Cancellarii, Cancellarii Germanici & Italici regni, nec non designatio duorum Præceptorum pro Fuldensibus, ejusdem ferme tenoris, sed diversorum annorum. Hic Noster ternas Epochas Henrici designat, unam ordinationis MXXVIII, alteram regni MXXXIX, tertiam Imperii MXLVI, quibus nonnunquam accesserit quarta regni Burgundici MXLIII. Sic vero hac etiam parte absoluta ad notitias chartasque privatas festinat; ibique discrimine inter chartas ac notitias privatas curate enodato, simul de αὐτενθὶα paucis adjectis, I notitiam pro *Monasterio S. Andreæ prope Fuldam Eckbarto* purgat, testes ut præsentes tum commemoratos scriptorum ætate supparium fide extra teli jactum collocat, multis de eorum vita, nec non de Ducis & Comitis in medio ævo nomine erudite inspersis; occasione alterius Diplomatis, sigilli, tam Monasterialis quam Abbatialis, usum Fuldæ jam ab antiquo fuisse observat. *II Monasterium Dionysii in Banz* reliquave cuncta *tam virginum quam virorum,* his vel illis, ut visum, attributa, Fuldensibus iterum vindicat, de Mundiburdio, Nobilibus &c. eruditis ubique observationibus insertis. Opus ipsum excipit Index, cum erratis nonnullis, circa quæ hic monendum, cum Autori non semper præsenti esse licuerit, Bibliopolarum incuria quædam alia irrepsisse, quæ lectoris dexteritati corrigenda permittit. Ceterum cum P. R. Autor in hoc opere sæpius Historiæ Fuldensis suæ mentionem injiciat, eamque intra X plus minus menses integram III Volum. prodituram, aliunde cognoverimus, id Lectores nostros ignorare nolumus. p. 103.

JOH. CASPARI SVICERI, SS. LINGUARUM in schola Tigurina Professoris publici, Thesaurus Ecclesiasticus, ex Patribus Græcis ordine alphabetico concinnatus. Editio secunda, priori emendatior, elegantior & longe auctior.

Amstelodami, apud R. & J. Wetstenios & Guil. Smith, 1728, fol. Alph. 18.

QUi A. MDCLXXXII primum Amstelodami apud Henr. Wetstenium in lucem publicam exiit, & ab eruditis Viris nocturna diurnaque manu adhuc versatus est, is jam iterum emendatior, elegantior & auctior exhibetur, Thesaurus Suicerianus. Nos quidem in præsenti hujus ad Cleanthis lucernam elucubrati operis recensione, utpote jam olim a nobis primo horum Actorum Tomo, nempe A. 1682 p. 171 sq. adornata, ne actum agamus, jure ac merito supersedemus, ea tantummodo, quæ hanc alteram editionem imprimis commendant, breviter enarraturi. Præterquam igitur, quod charta paullo melior & augustior est, hanc quoque editionem a mendis, quæ in priorem irrepserant, typographicis, omni navata opera repurgandam curarunt editores. Cum vero etiam Doctissimus Autor, tanquam bonus Homerus, in tam præstanti monumento nonnunquam dormitaverit, voces ac phrases rectiores interdum substitutæ, & allegatorum Græcorum versiones vitiosæ, quas *Suicerus* inconsulto secutus est, emendatæ nunc inveniuntur. Præcipuum denique, & quod utramque hic paginam facit, illud est, quod in fine subjectæ sunt non contemnendæ Additiones *Joh. Henr. Suiceri*, Linguar. Hebr. & Græcæ in Gymnasio Tigurino quondam Professoris & Canonici Tigur. Autoris Filii, opera *Joh. Jac. Breitingeri*, verbi divini ministri Tigurini, ex Thesauro *Suiceri* Patris, quem Filius quondam possedit, & manuscriptis observationibus adauxit, diligenter excerptæ. Hunc nimirum Codicem ex Bibliotheca sua cum ipso communicavit *D. Joh. Casp. Escherus*, Proconsul Tigurinus, qui nonnullas etiam notulas sua manu adjecit, in hisce supplementis asterisco a Suicerianis distinctas. Magno itaque suo commodo iterum nunc opus hactenus desideratum nanciscuntur studii Ecclesiastici cultores.

FRANCISCI WOKENII, S. THEOL. LIC. ET Lingg. Orient. Prof. Witteberg. Selecta sacra.

Lipsiæ

Lipsiæ & Witteberga, apud Gerdesiam, 1728, 4.
Pl. 18.

DUas in Partes distribuere Cl. Autori placuit hoc suum opusculum. Et priore quidem Parte tres exhibet Dissertationes, quarum *prima, Compendium Theologiæ Epistolæ ad Titum* inscripta, sub titulos Systematis Theologici recepto ordine redigit doctrinas Apostoli in illa epistola prolatas. Nec ullus est titulus, excepto illo de S. Cœna, ad quem non aliquid retulerit ex illa epistola. Hujus igitur tractationis lectio cum non inutilis futura sit Theologiæ Studiosis, etiam eruditiores hic jucunde legent, quæ Cl. Autor profert de varia interpretatione particulæ *κατὰ Tit. I, 1,* p. 2 sq. quæque alia interserit subinde ad verum Pauli sensum a falso discernendum. Dissertatio *secunda* est *delineatio Theologiæ moralis ex eadem Pauli epistola*, & quidem perbrevis. *Tertia* illustrando tertio versui *Psalmi CX* destinata est. Hic initio aliorum expositiones Cl. Autor profert in medium, & ad accentuationis leges examinat, observans, non solum Chaldæum Paraphrasten, LXXviralem, vulgatam Latinam, & Syriacam versiones contra accentuationem peccare, verum etiam recentiores interpretes, Wilcokium, Grotium, Calovium, Bootium, Schudtium, Cappellum, & Seb. Schmidium. Hinc suam exhibet & illustrat interpretationem, quæ hæc est: *Populus tuus* (ô Messia) *sunt oblationes spontaneæ in die roboris tui: populus tuus est in decoribus sanctitatis e misericordia auroræ: populus tuus est tibi ros juventæ tuæ.*

Posterioris Partis *prima* Dissertatione Cl. Autor differit *de albis Judæorum vestibus*, speciatim e sacro Codice & e Rabbinorum (quorum in lectione ipsum esse versatissimum, hoc opus satis manifestum facit) testimoniis probans, virgines & sponsas Judæorum albis ornari consuevisse vestibus. *Altera* Dissertatio *excelsa Israelitarum* considerat, & quidem ita, ut primo de ipso nomine במה diversæ Rabbinorum & etymologiæ & interpretationes recenseantur; deinde sententiæ illæ quatuor Talmudis, 1) quod Excelsa concessa fuerint ante erectum tabernaculum, 2) quod primogeniti tunc temporis officium sacerdotale administrarint, 3) quod post erectum tabernaculum non licuerit sacra facere

in

in excelsis, & 4) quod tum publica sacra fuerint per sacerdotes administrata, examinentur & comprobentur; denique celebriora fidelium Veteris Testamenti Excelsa enumerentur. *Tertia* Dissert. Cl. Autor exhibet *Observationes* breviores in aliquot Geneseos loca, e quibus sequentes excerpere libuit. *Genes. IV, 22*, dictum Lamechi ad uxores ita exponit, ut is dicat, duplicem se commisisse cædem, & ob id anxias uxores solaturus, e speciali Caini casu consequentiam ad se deducat. Verba *Gen. V, 29*, utpote ὁμοιοτέλευτα ex antiquo quopiam carmine depromta esse, infirme admodum probasse docet Witterum: cujus & interpretationem τῦ בשגם *Gen. VI, 3* rejicit, & istam vocem habet pro infinitivo *Piel* radicis שגה *erravit*, ut sensus sit, *in errare eos. Gen. XV, 2*, ita vertit: *& filius derelictionis domus meæ* (hoc est, cui relinquam totam domum,) *est Damesek, Elieseris filius. Genes. XVI, 4*, quod vulgo sic vertitur: *Injuria mea sit super te*, ita reddi jubet: *Injuria mea est propter te*, hoc est, ex amore in te hanc mihi attraxi injuriam. *Gen. XX, 16*, ita interpretatur: *En ipse est velamen oculorum*, id est, si modo illum pro marito tuo publice declaras, sique ejus te uxorem profiteris, nemo nostra in regione adeo est impius, ut te cupiat: sed maritus quasi teget pulchram tuam faciem, ne illa alios incitet ad stuprum. Ultima ejusdem versus verba: ואת כל נוכחת ita vertit: *& quod omne attinet, etiam sit rectum. Genes. XXXVI, 24*, suspicatur, Anam invenisse non *mulos*, nec *herbas magicas*, nec *thermas*, nec *populos Emim*, (quæ aliorum sunt hariolationes) sed ingentem multitudinem *turturum*, quibus ipse vesci potuerit. Novas has esse interpretationes, vix quisquam negaverit. Quod si quis, falsas esse aliquas, sibi persuaserit, illud certe concedet, fundamentis fidei haudquaquam eas repugnare.

DISCOURS SUR LES LOIS DE LA COMMUNICATION du mouvement &c.

hoc est,

DISCURSUS DE LEGIBUS COMMUNICATIONIS motus, qui elogia Academiæ Regiæ Scientiarum A. 1724

1724 & 1726 meruit & exhibitus fuit occasione præmiorum istis annis distributorum; Autore JOANNE BERNOULLI, Professore Matheseos Basileensi & Membro Academiarum Regiarum Scientiarum Galliæ, Angliæ & Borussiæ.


Parisiis, apud Claudium Jombertum, 1727, 4 ch. aug.
Plag. 14 Tabb. æn. 5.

CUm Academia Regia Scientiarum Parisina A. 1723 proposuisset quæstionem Geometris: *Quænam sint leges communicationis motus corporum absolute durorum?* Vir celeberrimus, *Joannes Bernoulli*, eidem satisfacturus, discursum hunc conscripsit & censuræ illius subjecit. Quoniam ipsius judicio notio duritiei absolutæ communis legibus naturæ contraria, aliam iisdem consentaneam ei substituebat, adeoque leges communicationis motus corporum perfectæ elasticitatis exhibebat, qua partes omnes a facta compressione ita restituuntur, ut perinde sit, ac si nulla facta fuisset. Neque enim sibi, quemadmodum in Additione candide fatetur, persuadere poterat, Academiam Regiam velle, ut problema in hypothesi a natura rerum aliena solvatur. Hanc tamen rationem allegavit Academia Scientiarum, cum A. 1724 Cl. *Mac-Laurino* præmium conferret, utut publice fateri cogeretur, Virum in hoc studiorum genere eminentem se virum in discursu suo præstitisse, reconditæ scientiæ ac sagacitatis in solvendis problematis difficillimis haud vulgaris documentis editis. Postquam pro A. 1726 propositum fuerat problema *de legibus motus corporum perfecte elasticorum*; discursus *Bernoullianus* altera vice subiit judicum censuram, sed eodem quo ante, eventu, ut scilicet Cel. *Bernoullius* laudem, Cl. *Mazierius* præmium obtineret: etenim cum dissertatio *Maziериana* luci publicæ exponeretur, Academia Scientiarum publice confitebatur, discursum *Bernoullianum* pulcherrimum esse ac disquisitionibus excellentibus refertum, nec *Mazierianam* dissertationem eidem æquiparare ausa, pronuntiabat, eam inter ceteras de eodem argumento oblatas ad istum proxime accedere. Mireris forsan, qui factum fuerit, ut elogia *Bernoullio*, præmia aliis tributa fuerint: antequam

igitur Viri ingeniosissimi discursum recenseamus, pauca adhuc commemoranda nobis sunt. Constat ex Actis A. 1725 p. 111, esse inter Mathematicos Academiæ Regiæ Scientiarum, qui abjecte de mensura virium vivarum a *Leibnitio* reperta sentientes easdem modo impugnaverant, cum problemata ista de communicatione motus proponerentur, easque tanquam ex præjudicio autoritatis a nonnullis adoptatas rejecerant. *Bernoullius* vero in discursu suo totus in eo est, ut virium vivarum theoriam firmet, ac inde leges communicationis motus deduxit. *Crosa*, qui primo præmio condecoratus fuit, quemadmodum in Actis anni hujus p. 293 commemoravimus, vires vivas exagitavit. Cl. *Mac-Laurin*, cui præmium secundum tributum, easdem vires optime refutasse Academiæ Scientiarum visus est. Cl. *Mazierius*, qui præmium tertium obtinuit, in easdem calamum stringit. Equidem *Bernoullius* non ignorabat, eos, quos judices experturus erat, a viribus vivis esse alieniores; sed argumentorum suorum robore confisus & memor moniti Academiæ Scientiarum, quod Autorum hypotheses suas non faciat, luculento exemplo *Crosæ* (quod superius loco citato adduximus) confirmati, discursum suum *illorum* censuræ submittere nullus dubitabat. Et quoniam Academia Scientiarum provide adjecerat altera vice hanc conditionem, se desiderare solutionem ex probabili notione elasticitatis deductam; ideo in Additione eidem quoque satisfacere studebat, ne hoc prætextu præmio denuo excideret. Hisce præmissis progredimur ad discursum ipsum, ea in medium prolaturi, quæ ad pulchritudinem ejus ab Academia Scientiarum tantopere deprædicatam agnoscendam sufficere existimamus.


Monuimus jam ante, Virum perspicacissimum communem duritiei notionem deprehendisse legibus naturæ adversam. Corpus vulgo creditur durum, quod ejus partes ob quietem a se invicem separari nequeant, & quidem nulla vi finita separari possint, si corpus fuerit absolute durum. Eam legi continuitatis, quam vocat, adversam judicat notionem, quæ velit, ut omnia per gradus infinite parvos succedant, ne ab uno extremo ad alterum perveniatur nisi per gradus omnes intermedios, cum alias status primus annihilaretur, antequam natura ad novum sese determi-

nare


TAB.
Fig 1.
N D d B
M G E e A
a A
C C
A B a b
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12
A E C
Fig. 3.
Fig. 6.
E M
1 2 3
B D
P S
P R
D F L N S
Fig. 4.
O K
N T
Fig. 7.
A
B D H P
A F
A
B E
C
D
Fig. 8.

igitur Viri ingeniosissimi discursum recenseamus, pauca adhuc commemoranda nobis sunt. Constat ex Actis A. 1725 p. 111, esse inter Mathematicos Academiæ Regiæ Scientiarum, qui abjecte de mensura virium vivarum a *Leibnitio* reperta sentientes easdem modo impugnaverant, cum problemata ista de communicatione motus proponerentur, easque tanquam ex præjudicio autoritatis a nonnullis adoptatas rejecerant. *Bernoullius* vero in discursu suo totus in eo est, ut virium vivarum theoriam firmet, ac inde leges communicationis motus deduxit. *Crosa*, qui primo præmio condecoratus fuit, quemadmodum in Actis anni hujus p. 293 commemoravimus, vires vivas exagitavit. Cl. *Mac-Laurin*, cui præmium secundum tributum, easdem vires optime refutasse Academiæ Scientiarum visus est. Cl. *Mazierius*, qui præmium tertium obtinuit, in easdem calamum stringit. Equidem *Bernoullius* non ignorabat, eos, quos judices experturus erat, a viribus vivis esse alieniores; sed argumentorum suorum robore confisus & memor moniti Academiæ Scientiarum, quod Autorum hypotheses suas non faciat, luculento exemplo *Crosa* (quod superius loco citato adduximus) confirmati, discursum suum illorum censuræ submittere nullus dubitabat. Et quoniam Academia Scientiarum provide adjecerat altera vice hanc conditionem, se desiderare solutionem ex probabili notione elasticitatis deductam; ideo in Additione eidem quoque satisfacere studebat, ne hoc prætextu præmio denuo excideret. Hisce præmissis progredimur ad discursum ipsum, ea in medium prolaturi, quæ ad pulchritudinem ejus ab Academia Scientiarum tantopere deprædicatam agnoscendam sufficere existimamus.

Monuimus jam ante, Virum perspicacissimum communem duritiei notionem deprehendisse legibus naturæ adversam. Corpus vulgo creditur durum, quod ejus partes ob quietem a se invicem separari nequeant, & quidem nulla vi finita separari possint, si corpus fuerit absolute durum. Eam legi continuitatis, quam vocat, adversam judicat notionem, quæ velit, ut omnia per gradus infinite parvos succedant, ne ab uno extremo ad alterum perveniatur nisi per gradus omnes intermedios, cum alias status primus annihilaretur, antequam natura ad novum sese determinare


TAB.
Fig 1.
N
D
d
B
M
G
E
e
A
a
A
C
A
B
C
a
b
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12
A
E
C
Fig. 3.
Fig. 6.
E
M
1 2 3
P
R
S
B
D
P
S
D
F
L
N
Fig. 4.
O
K
N
T
Fig. 7.
A
B
D
H P
A
F
A
B
E
Fig. 8.
C
D

nare posset. Huic igitur convenientem duritiei notionem formaturus, supponit materiam perfecte fluidam, ut minimæ particulæ non cohæreant, sint tamen istiusmodi, quæ in corpuscula seu moleculas elementares redigi potuerint. Ex his corpusculis per fluida ambientia compressis & per interlabentia hinc inde a contactu prohibitis, formata fuisse corpora sensibilia, quæ vulgus secundum sensus judicans dura appellet pro ratione resistentiæ, quam opponunt vi ad eorum separationem tendenti. Quodsi concipiamus in pila aere plena densitatem aeris augeri, donec vis ingens ad compressionem requiratur; corpus habebimus, quod a duro non differt. Quodsi jam porro concipiamus infinita corpuscula isti similia communi involucro conclusa; corpus habebimus durum. Pilæ exiguæ repræsentant moleculas elementares; involucrum vero commune fluidum ambiens eas in unum cogens. Hinc corpus durum, si partes sensibiles difficulter situm mutant: rigidum vero dicitur, quod perfecte elasticum, ut omnes partes a compressione restituantur, atque hoc ipsum illud est, quod in præsenti considerat. Notione duritiei perfectæ explicata, ad principia digreditur, quibus utitur & quæ non differunt a receptis, nisi quod eadem clarius explicentur. Supponit igitur primum, corpus motum in vacuo eadem celeritate & directione motum suum continuare, donec obstaculum quoddam occurrat. Deinde probat, corpus durum directe impingens celeritate determinata in elaterem perfectum, cujus alterum extremum plano immoto fulcitur, secundum eandem directionem & eadem celeritate repelli. Etenim vi legis continuitatis successive transfert celeritatem omnem in corpus elasticum & hujus restitutione eandem ordine inverso recipit, ita ut primo momento recuperetur, quod ultimo fuerat deperditum. Et in hoc ipso consistere arbitratur actionis & reactionis æqualitatem: omnem enim actionem successive fieri per elementa. Ut hæc rectius intelligantur, cylindrum concipi jubet cavum A B N M in A B clausum, in M N vero apertum. Pars A B D E sit aere condensato repleta, cujus dilatationem impedit diaphragma D E, dum quodam obstaculo retinetur, ne versus M N protrudi possit. Globus G incurrat in diaphragma D E celeritate ut E G idemque trudat in d e; evidens est, TAB. V. Fig. 1.

est, celeritatem continuo minui, dum densitas aeris augetur, donec tota fuerit destructa. Nec minus patet, aerem sese restituentem diaphragma una cum globo versus MN repellere acceleratione retardationi anteriori prorsus æquali, donec diaphragma in DE retractum quiescat celeritate omni in globum translata, qui adeo celeritate ut EG versus MN regreditur. Determinat deinde sagacissimus Autor per calculum legem retardationis globi G & accelerationis repulsi, huncque calculum ad usum transfert in determinanda longitudine tormentorum bellicorum ope methodi de maximis & minimis, nec non sclopetorum, etiam pnevmaticorum. Explicata notione actionis & reactionis, ulterius docet, quomodo motus producatur. Vocat hic *celeritatem virtualem* elementum celeritatis, quod corpus acquirit vel perdit de celeritate data in tempore infinite parvo secundum directionem suam. *Vim vivam* cum *Leibnitio* appellat, quæ corpori in motu uniformi cohæret; *vim mortuam* vero, quam recipit corpus sine motu, dum premitur & ad motum sollicitatur, aut, si jam in motu constitutum sit, ad movendum se celerius, vel tardius. Virium illarum mensuram determinaturus, sumit commune principium staticum, scilicet quod duo corpora sint in æquilibrio, seu momenta æqualia habeant, si vires absolutæ sint in ratione reciproca celeritatum virtualium.

TAB. V. Fig. 2.

Ponamus jam duo corpora A & B perfecte rigida in quiete, inter quæ interjacet lamina elastica, quæ dum restituitur, globos A & B propellit. Quoniam unusquisque in ratione massæ resistit, cum vires contra eos agentes utrinque æquales sint; celeritates virtuales erunt vi principii statici communis in ratione reciproca massarum & consequenter earum summæ seu celeritates acquisitæ in eadem ratione existunt, ut adeo, si elater dividatur in C in ratione massarum reciproca, in C sit centrum gravitatis commune, quod in tota actione & in motu globorum celeritate jam acquisita quiescit. Sit porro globi A celeritas acquisita *a*, globi vero B celeritas *b*; erit $A : B = b : a$ & hinc $Bb = aA$, h. e. quantitates motuum æquales sunt. Enimvero cum vis elateris viva AC translata fuerit in globum A & vis elateris CB in globum B; erunt vires vivæ *f* & F corporum A & *B* ut *a* & *b*, nempe ut celeritates acquisitæ, consequenter ob $Bb = aA$, erit f:

F =

$F = a^2 A : b^2 B$. Atque hæc eſt prima demonſtratio menſuræ vivarum virium *Leibnitianæ*, quam Noſter tradit. Sequentur deinceps adhuc aliæ. Ex iisdem vero principiis deducuntur præterea alia. Cum centrum gravitatis ſit inſtar plani immobilis, quod elateribus A C & C B reſiſtit; Noſter inde infert, quod globi propulſi elateres ſucceſſive denuo tendere debeant, ut ante erant tenſi, ſi eadem celeritate in ipſos incurrant, quæ in eos ab elateribus ſeſe reſtituentibus fuerat translata. Quoniam longitudo elateris arbitraria eſt, eam tamen exiguam aſſumi poſſe monet, ut corpora in C ſe mutuo tangere videantur: id quod perinde eſſe exiſtimat ac vim elaſticam corporibus intrinſecam aſſumere. Inde concludit, ſi duo corpora elaſtica rigiditatis ſive finitæ, ſive infinitæ directe concurrant celeritatibus maſſis reciproce proportionalibus, fore 1) poſt conflictum celeritates, quibus in ſe mutuo incurrerant, æquales & quantitates motuum easdem, 2) celeritates reſpectivas ante & poſt conflictum easdem, 3) centrum gravitatis commune poſt conflictum immobile, ut ante eundem. Ex his principiis motuum regulas deducit, in ſubſidium vocata hypotheſi inter Mathematicos recepta, motus corporum ex percuſſione eosdem eſſe, ſive in plano quieſcente, ſive in moto uniformiter & ſecundum eandem directionem fiant. Unde infert corollarium, ſi planum iſtud initio quieſcat perinde ac centrum gravitatis corporum commune in motu conſtitutorum, poſtea vero moveatur motu uniformi ſecundum directionem datam; centrum iſtud gravitatis motum iri eadem cum plano celeritate & ſecundum eandem directionem. Quodſi jam ſupponas duo corpora A & B perfecte rigida, quæ moventur ſecundum eandem directionem in eadem recta, præcedens quidem B celeritate *b*, ſequens vero A celeritate majore *a*; celeritatem poſt conflictum ita determinat. Supponit motum fieri in plano, quod in contrariam partem motu uniformi movetur, celeritate eadem, quæ eſt communis centri gravitatis corporum A & B. Ita nimirum centrum gravitatis reſpectu corporum extra planum conſtitutorum quieſcet & celeritates corporum A & B erunt in ratione reciproca maſſarum & unumquodque eorum repelletur poſt conflictum eadem celeritate, quam ante eundem habuerat. Erit igitur celeritas centri gravita-

tis per principium staticum $= \frac{aA + bB}{A + B}$. Supponatur jam planum moveri retro eadem celeritate; erit respectu objectorum extra idem quiescentium celeritas corporis $A = a \frac{aA - bB}{A + B} = \frac{aB - bB}{A + B}$ antrorsum, & celeritas ipsius $B = \frac{aA + bB}{A + B} - b = \frac{aA - bA}{A + B}$ retrorsum. Sed $\frac{aB - bB}{A + B} : \frac{aA - bA}{A + B} = B : A$, hoc est, celeritates, quibus directe impingunt in se invicem, sunt ut massæ reciproce. Ergo post conflictum corporis A retro repulsi celeritas $\frac{aB - bB}{A - B}$ & B antrorsum progredientis $\frac{aA - bB}{A + B}$. Restituatur planum quieti, hoc est, addatur celeritati uniuscujusque corporis communis celeritas in anteriora $\frac{aA + bB}{A + B}$, quæ per suppositionem fuerat ablata; erit celeritas corporis $A = \frac{aA + bB}{A + B} - \frac{aB + bB}{A + B} = \frac{aA - aB + 2bB}{A + B}$ & ipsius $B = \frac{aA + bB}{A + B} + \frac{aA - bA}{A + B} = \frac{2aA - bA + bB}{A + B}$. Si celeritas *b* supponatur negativo, ipsius *b* valore negativo substituto, prodeunt aliæ pro corporibus sibi mutuo secundum contrarias directiones occurrentibus, nempe pro A celeritas $= \frac{aA - aB - 2bB}{A + B}$ & pro B celeritas $= \frac{2aA + bA - bB}{A + B}$. Determinat quoque *quantitatem directionis*, quæ est factum ex celeritate centri gravitatis communis in summam massarum & quæ eadem semper manet ante & post conflictum. Est enim semper $\frac{aA \pm bB}{A + B}(A + B) = aA \pm bB$, ubi signum superius + denotat motum secundum eandem directionem, inferius

rius – motum secundum contrariam. Regulis motuum generalibus hoc pacto elicitis, differentiam inter vires vivas & mortuas uberius exponit. Nimirum vim mortuam imprimere effectum momentaneum, qui continuo perit dum nascitur & dum perit renascitur. In continua illa reciprocatione effectum gravitatis consistere, dum grave retinetur ab obstaculo invincibili. Effectum vis mortuæ cessare cessante actione, nec unquam ab actione superesse. Contra vim vivam successive nasci & destrui, non in instanti. Motum localem successive imprimi corpori quiescenti & per gradus infinite parvos acquiri, sicque ad celeritatem finitam ascendere ac determinatam, quæ uniformis subsistat, cessante actione corporis moventis. Vim vivam esse aliquid reale & parti causæ æquivalere, quæ consumitur, dum eam producit, cum causa efficiens sit æqualis effectui pleno. Corpora vim vivam recipientia, si nullo obstaculo retinentur, non resistere nisi inertia naturali massæ proportionali, ita ut gradus infinite parvi pressionis successive corpori impressi conserventur & accumulentur, donec motum localem producant. Vim vivam respondere superficiei motu lineæ, vel solido motu superficiei descripto, adeoque vi mortuæ incomparabilem esse. Elaterem in corpore, in quod agit, vim vivam producentem tantundem virium per gradus amittere, quantum producit, donec vis elateris omnis fuerit exhausta & in corpus motum translata. Vim sic productam exhausta pressione elateris esse eam, quæ viva proprie dicatur. Vim mortuam sola pressione consistentem non diminuere vim elateris, multo minus exhaurire. Exemplo esse aerem condensatum in recipiente exhausto. E contrario vim vivam tanquam effectum non produci, nisi quatenus in elatere perit. Vim adeo vivam ab elatere productam elaterem denuo ad eundem gradum tendere posse, quo tendebatur, dum illam producebat. Et in hac æqualitate virium consistere conservationem, nulla causa positiva pereunte, quin producat effectum, quo damnum reparatur. Per errorem virium mortuarum principium staticum ad vires vivas fuisse applicatum, quem *Leibnitius* primus animadverterit & correxerit sumens pro mensura effectus altitudinem projectorum. Adversarios, dum contendebant temporis haben-

habendam esse rationem, non attendisse, quod in cycloide inversa
eodem tempore ad altitudines inæquales mobilia ascendant. In-
quirit deinde in mensuram virium vivarum. Utitur ea fini elate-
ribus, quos ad explicandam productionem motus ac vis vivæ ma-
TAB. V. xime commodos esse putat. Sit elater A C B figuræ determinatæ,
Fig. 3. angulo C 30 graduum existente, sed qui sese dilatans vim omnem
amisit, ubi angulus *acb* factus fuerit 90 graduum. Si vis quæ-
dam in A & B impedit, quo minus elater dilatetur; ea remota,
extemplo dilatabitur, donec angulus *acb* fuerit 90 graduum. Si
Fig. 4. duo fuerint istiusmodi elateres D E F & L M N, sed prioris crus
unum E D nitatur adversus planum immobile, alterum vero E F
adversus resistentiam activam P, posterioris vero crus utrumque
L M & M N adversus resistentias activas R & S; resistentia P tan-
Fig. 6. tundem premetur, quantum premuntur resistentiæ R & S. Unde si
plures fuerint elateres A C B, B E d, D G F & F I H, resistentia acti-
va tantundem ab iisdem premetur, quantum premitur resistentia
Fig. 5. activa P ab uno B C A istis simili. Quodsi ergo duæ fuerint se-
ries elaterum similium, quarum una A C constet duodecim, altera
B d nonnisi tribus; evidens est ex dictis globos L & P æquales ea-
dem vi premi, atque adeo eorundem vim mortuam esse æqua-
lem. Enimvero dum sublatis resistentiis activis R & S globi L &
P propelluntur, omnis vis elaterum A C transfertur in globum L,
vis vero omnis elaterum B d in globum P: unde patet, vires vivas
esse inæquales, nempe ut 4 ad 1. Celeritates vero eorundem glo-
borum sunt ut $\sqrt{4}$ ad $\sqrt{1}$ seu ut 2 ad 1: quod ita ostenditur. Sint
Fig. 7. duæ lineæ B D & A C ut duæ series elaterum similium & æquali-
um, & D ac C puncta, unde incipiunt moveri globi versus I &
F, dum elateres dilatantur. Sint D N K & C M L duæ lineæ cur-
væ, quarum semiordinatæ H N & G M exprimunt celeritates in
H & G acquisitas. Sit denique O P ipsi N H & D E ipsi G M infi-
nite propinqua. Dicatur B D = a, A C = n a, D H = x, H N = v;
erit H P = N T = dx & O T = dv. Fiat B D : A C = D H:
C G = D P : C E, erit C G = n x, G E = n dx. Sit vero G M = z.
Ubi globi ad puncta H & G pervenerint, elateres singuli cum in
intervallo A C, tum in altero B D æqualiter erunt dilatati, pro-
pterea quod sit A C : C G = B D : D H, ut adeo singuli æqualem
elasti-

elasticitatis suæ partem perdiderint & æqualem retinuerint, consequenter vires mortuæ æquales sunt per superiora. Dicatur pressio seu vis mortua p, cum celeritas elementaris in H dv sit in ratione composita pressionis & tempusculi, quo percurritur HP sive dx, tempusculum vero sit $= HP : HN = \frac{dx}{v}$; erit $dv = p\,dx : v$ & hinc $v\,dv = p\,dx$, consequenter $\frac{1}{2}v^2 = \int p\,dx$. Ex eadem ratione $dz = p.GE : GM = pn\,dx : z$, consequenter $z\,dz = np\,dx$ & hinc $\frac{1}{2}z^2 = n\int p\,dx$. Hinc consequitur esse $v^2 : z^2 = \int p\,dx : n\int p\,dx = 1 : n = a : na = BD : AC$. Sed BD ad AC ut vis viva in H acquisita ad vim vivam in G acquisitam, vi anteriorum. Vires igitur vivæ corporum æqualis massæ sunt ut quadrata celeritatum & celeritates ipsæ sunt in ratione subduplicata virium vivarum. Si p fuerit constans, curvæ celeritatum CML & CNK erunt parabolæ ejusdem parametri $2p$. In hoc casu motus globorum eodem modo acceleratur, quo gravium cadentium motum accelerari constat. Atque ideo ulterius hinc justam esse probat mensuram virium *Leibnitianam* per altitudinem, ad quam gravia projecta ascendunt. Laudat Noster ac probat experimenta Cel. *Poleni* atque *Gravesandii*, quibus mensura virium *Leibnitiana* confirmatur, & duas alias adhuc subnectit demonstrationes a motu obliquo derivatas, ubi in casu priore globus A celeritate ut AB incurrens in globum C juxta directionem AB, quæ cum AF constituit angulum semirectum, per conflictum vis dirimitur in duas partes, altera in globum C translata, altera vero sibi retenta; in casu vero posteriori vires globorum D & E incurrentium in eundem B vim omnem transferunt in unum. Supponitur nimirum globos esse perfecte elasticos: & in eo casu illi translationi locum esse notissimum. Constat in casu primo globum A, ubi in B pervenit, motum omnem perdere secundum directionem FB, sed eum retinere, qui est secundum directionem AF. Globus igitur A, ubi in B pervenit, motum continuat secundum directionem BE ipsi AF parallelam celeritate ut BE = AF, dum globus C progreditur celeritate ut CD = FB = AF in conflictu accepta secundum directionem TAB. VI. Fig. 8.

CD ipsi BF in directum sitam. Globi æquales æquali celeritate latæ eandem vim habere debent, singuli dimidiam ejus, quæ initio inerat globo A. Est igitur vis globi A ante conflictum ad vim globi æqualis C post conflictum ut 2 ad 1, consequenter ut AB^2 ad BF^2 seu in ratione duplicata celeritatis globi A ante conflictum ad celeritatem globi C post conflictum: quæ demonstratio mira facilitate ac evidentia sese commendat, ut miretur *Bernoullius*, eam nulli adhuc in mentem venisse. Facile hinc discent intelligentes, quomodo demonstratio in altero casu adornari debeat, ubi globus E motum omnem transfert in globum B & globus D suum itidem motum in eundem globum B. Pluribus hisce demonstrationibus præterea non modo eam jungit, quam ante plurimos annos cum Cl. *Wolfio* communicavit & quæ in hujus elementis Mechanicæ legitur; verum etiam plurimum tribuit indivulso nexui veræ mensuræ virium vivarum cum ceteris legibus motus. Constat nimirum 1) corpora conservare celeritatem respectivam ante & post conflictum: 2) quantitatem directionis semper æqualem esse facto ex summa massarum per celeritatem centri gravitatis communis: 3) duobus corporibus sibi mutuo occurrentibus, id quod efficitur ducendo singulorum magnitudines in velocitatum suarum quadrata simul additum ante & post occursum corporum æquale inveniri, quemadmodum *Hugenius* in Tractatu de motu corporum ex percussione demonstravit. Etenim trium harum legum sumtis duabus constanter tertia per demonstrationem prodit. Jam vero per se patere ait, eandem virium quantitatem conservari debere, ut, si quis demonstrationem moliretur, veritatem nonnisi obscuraret, cum nemo non admittat, vires causæ efficientis nullas perire, nisi effectu eidem, quod amittitur, æquali producto. Hæc vero virium conservatio obtinet, ubi per massas in quadrata celeritatum ductas easdem metiris. Enimvero cum formulæ generales communicationis motus duorum corporum perfecte elasticorum novæ non sint; Geometræ summo non suffecit eas nova quadam ratione via analytica deduxisse, tantoque apparatu virium vivarum theoriam firmasse, sed ulterius progressus nova superaddit, dum conflictum trium corporum

rum durorum ſecundum diverſas directiones & conflictum ejusdem corporis adverſus plura alia determinat: quæ inventa tanto Geometra digna huc transferri nimia prohibet prolixitas, cum in virium theoria repræſentanda diu verſati fuerimus. Quamobrem quoque de theoria reſiſtentiæ medii, quam ex iisdem principiis, quibus in theoria communicationis motuum uſus eſt, derivat, id unice annotaſſe ſuffecerit, quod notione reſiſtentiæ explicata in hypotheſi, quæ eam facit ut quadratum celeritatis, curvam reſiſtentiæ determinet, demonſtrans eandem eſſe logarithmicam ordinariam. Non poſſumus tamen non repræſentare novam Autoris methodum determinandi centrum oſcillationis in pendulis compoſitis per theoriam virium vivarum; tum quod id paucis verbis fieri poſſit, tum quod ea præſtantiſſimum theoriæ iſtius uſum loquatur. Sit pendulum compoſitum trium ponderum C, B, A lineæ inflexili H A alligatorum & circa punctum H oſcillantium, erunt celeritates per arcus A a, B b, C c, acquiſitæ in ratione horum arcuum. Ponamus eadem formare totidem pendula ſimplicia, erunt celeritates cadendo acquiſitæ in ratione ſubduplicata altitudinum H a, B b, H c. Jam Noſter ſumit, virium vivarum ſummam eandem eſſe in linea verticali H a, ſive pondera ſingula ſigillatim, ſive omnia ſimul conjunctim deſcendant. Quare ſi $Ha = a$, $Hb = b$, $Hc = c$, HG celeritas centri gravitatis communis in G, ubi in g pervenit $= x$; erit ſumma virium vivarum conjunctim deſcendentium $= aA + bbB + ccC$, ſigillatim deſcendentium $= axA + bxB + cxc$. Quamobrem $aaA + bbB + ccC = axA + bxB + cxC$, conſequenter $x = (aaB + bbB + ccC):(aA + bB + cC)$, quemadmodum *Hugenius* reperit. TAB. VI. Fig. 9.

In Additione, quod ſupra jam monuimus, rationem elaſticitatis phyſicam reddit ingenioſiſſimus Autor, hactenus inſufficienter a Phyſicis aſſignatam. Principium elateris ſumit vim centrifugam, ſed in ſenſu intelligibili acceptam & per theorema 2 ac 3 *Hugenianum* de vi centrifuga explicatam. Nimirum particulæ craſſiores, quæ per poros ſubtiles corporum libere vagari nequeunt, materiæ ſubtili innatantes, dum ab ea motu rapido abripiuntur, in orbem aguntur & vim centrifugam acquirunt, qua vio-

lenter agentes contra superficiem interiorem involucri, quo conclusæ comprehenduntur, illud ampliari continuo cogunt, indeque vis elastica dependet. Scilicet materia subtilis libere fluit per poros corporis, particulæ crassiores non item, magno numero intra porum contentæ. Hinc eædem confuse quaquaversum agitantur, unde motum circularem acquirunt, ita ut quælibet particula circulum suum describat alia majore, alia minore celeritate, unde earundem vis centrifuga resultat.

PIECE, QUI A REMPORTE' LE PRIX DE l'Academie Royale des Sciences pour l'Année mil sept cens vingt-quatre,

hoc est,

DISSERTATIO, QUÆ PRÆMIO CONDEcorata fuit ab Academia Regia Scientiarum A. 1724, ex legato Rouillé de Messay, Consiliarii quondam in suprema curia Parisiensi.


Parisiis, apud Claudium Jombertum, 1724, 4.

Plag. 3 Tab. æn. 1.

PRima hæc est dissertatio, quæ palmam Cel. *Joanni Bernoulli* præripuit. Autor ejus est *Colinus Mac-Laurin*, Matheseos in Collegio novo Abredonensi Professor, cujus Geometriam organicam sive Descriptionem Linearum curvarum universalem commendavimus in Actis A. 1722 p. 323. Continet demonstrationem legum conflictus corporum, qui elasticitate perfecta destituuntur. Dividitur in quatuor sectiones. *Sect. I* continentur principia in motuum doctrina hodie recepta. Nimirum primo loco comparent tres leges motus, quas vocat *Newtonus* in Principiis philosophiæ naturalis mathematicis; deinde additur, spatia mobilium esse in ratione composita temporum ac celeritatum; vires corporum, quorum æquales sunt celeritates, esse massis proportionales; vim in corpore productam nunquam posse esse majorem vi agentis; motus, vires & conflictus corporum in spatio, quod celeritate uniformi progreditur, eodem modo sese habere ac

ac in ſpatio abſolute quieſcente. Terminos tamen non explicat, quibus in iisdem utitur, ita ut ne virium quidem notionem explanet, quarum tamen menſuram a *Leibnitio* conſtitutam impugnandam ſibi ſumit. *Sectione* enim *ſecunda*, quæ maximam diſſertationis partem abſolvit, demonſtrare conatur, vires corporum eſſe in ratione compoſita maſſarum & celeritatum, non vero, quod viſum fuit *Leibnitio* &, qui noviſſime ad caſtra ejus tranſiit, *Graveſandio*, in ratione compoſita ex ſimplici maſſarum & duplicata celeritatum. Principium ultimum de identitate virium in ſpatio abſolute quieſcente & in ſpatio uniformi celeritate progrediente, quod intelligendum eſt de viribus mortuis ſeu preſſionibus, a celeritate relativa dependentibus & in conflictu corporum attendendis, applicat ad vires vivas, quas ab iis non diſtinguit. Unde eſt, quod de viribus vivis contradictiones inde inferat, quas *Bernoullius*, eodem principio uſus, menſuræ *Leibnitianæ* conformes probat. En unum argumentum *Mac-Laurianum* contra vires vivas, ex quo de ceteris judicare poſſis, quæ eodem nituntur fundamento. Sint duo corpora A & B, quæ a duobus perſonis æquali vi ſecundum directionem navis projiciantur, B nempe extra navim, A vero intra eandem. Sit celeritas corporis B 8, erit celeritas relativa ipſius A in navi itidem 8. Sed cum A participet motum navis, ejus celeritas jam ante erat ut 2, conſequenter abſoluta poſt projectionem erit ut 10. Infert hinc Noſter, juxta *Leibnitium* fore vim ipſius A ut 100; ſed eandem fuiſſe antequam projiceretur ob motum navis ut 4, & a projiciente accepiſſe vim ut 64, conſequenter juxta menſuram *Leibnitianam* vim poſt projectionem eſſe debere ut 68. Evidens adeo eſſe exiſtimat, menſuram *Leibnitianam* parere contradictiones, adeoque abſurdam eſſe. Diſputat imprimis contra *Graveſandium*, qui in Tentamine de conflictu corporum vires vivas defendit non modo rationibus, verum etiam experimentis, quæ ante dederat *Polenus*, ſed quæ ab ipſo cum ſucceſſu repetita fuere, ut adeo *Graveſandii* ſit ſua adverſus *Mac-Laurinum* defendere. *Sect. III* de regulis motus ex percuſſione directa ea tradit, quæ conformia ſunt a *Walliſio* in Mechanica propoſitis & ab aliis deinde compluribus demonſtratis. *Sect. IV* denique ſolvitur problema de percuſſione

obliqua duorum corporum. Supponit nempe dari directiones, celeritates & diametros duorum corporum una cum eorum situ ante conflictum, determinari vero jubet locum, in quo sibi mutuo occurrent. Moveatur nimirum A secundum directionem



A C celeritate ut C A, moveatur B secundum directionem B C celeritate ut B D. Jungantur A & B recta A B & compleatur parallelogrammum A B H C. Jungantur puncta D & H & recta D H ex centro C intersecetur arcu L l, qui describitur radio C L summæ semidiametrorum globorum A & B æquali. Agatur ex L recta L N ipsi C A & ex N recta N R ipsi C L parallela: erunt N & R loca, in quibus corporum centra constituentur, ubi concurrent. Demonstratio admodum facilis. Quoniam enim L N parallela ipsi B *per constr.* D N : D B = N L : B H = R C : C A, ob R C = N L & C A = B H. Ergo dividendo B N : B B = A R : A C & hinc alternando B N : A R = D B : C A. Cum adeo sit B N ad A R ut celeritas ipsius B ad celeritatem ipsius A, corpus A in R & B in N eodem tempore pervenient, cumque sit N R = C L in recta R N se mutuo contingent. Q. e. d.

AD PETRI ANT. MICHELOTTI APOLOgiam (de qua vide supra Act. Mense Junio p. 276 sq.) Appendix.

In 4, plag. 2.

Recen-

Recensuimus jam supra hanc *Apologiam:* ad quam cum novam deinceps addere *Appendicem* Doctiss. Autori placuerit, ad librum ipsum seponendam, de ea quoque hoc loco pauca verba adjicienda duximus. Occasionem dederunt Regiæ Scient. Academiæ Parif. Commentaria A. 1724, quibus eruditum schediasma inseruit Vir Cl. Abbas Priv. *de Molieres:* in quo schediasmate objectionibus sive difficultatibus experientissimi Anatomici B. *Winslow*, a Michelotto in Apologia commemoratis & magna ex parte dilutis, respondere satagens Nob. Abbas, fluidorum sive a nervis, sive ab arteriis, in motricis fibræ caveas supportatorum, hasque sive motus quantitate, sive effervescentia, sive elastica vi, sive quacunque demum alia ratione inflantium distendentiumve, præsentiam, ad superadditam musculorum contractionem excitandam haud quaquam necessariam existere, probare conatur. Quæ sententia cum non bene convenire cum Bernoulliana hypothesi Nobiliss. Michelotto videretur, id sibi is datum negotii judicavit, ut in *Appendice*, qua de nunc agimus, & quæ *duabus* saltim *plagulis* constat, novam istam sententiam libere & modeste examinaret, suamque & Bernoullianam muscularis motus explicandi rationem etiamnum firmam subsistere doceret.

JO. FRIDERICI WEIDLERI TRACTATUS de machinis hydraulicis toto terrarum orbe maximis, Marlyensi & Londinensi, & aliis rarioribus similibus, in quo mensuræ prope ipsas machinas notatæ describuntur, & de viribus earum luculenter disseritur. Cum figuris æri incisis.

Vitembergæ, sumtibus viduæ Gerdesiæ, 1728, 4.
Plag. 14 Tabb. æn. 5.

Cl. Autor hujus libri, Collega noster maxime industrius, nonnihil de utilitate ex machinarum felici successu absolutarum consideratione capienda præfatus, partitur tractationem suam in quatuor capita. Primum agit de machina Marliensi haud procul Lutetia Parisiorum, jussu atque auspiciis Ludovici XIV Regis Galliarum, ab inventore & fabricatore Rannequinio fabro ligna-

lignario Leodiensi erecta. Augusti hujus operis describuntur hoc tractatu tum ichnographia tum orthographia, deinde antliarum, quæ ibidem aquas trudunt hauriuntve, conditio & compositio, nec non aquarum in altum provectarum copia, & vires, quibus rotæ motrices gaudent, sigillatim commemorantur, eaque occasione totum argumentum de ruentium aquarum impetu variis observationibus, quæ magnam partem ex laudatæ machinæ effectibus petitæ sunt, illustratur. Excerpemus ex copiosa tractatione saltem numeros sequentes. Rotæ quatuordecim, diametro 36 pedum, super flumine Sequanæ firmatæ sunt, hæ manubriis suis agitant antlias aspirantes & prementes sexaginta quatuor, quæ aquas ex flumine haustas per fistulas in monte vicino jacentes in tria castella sive receptacula egerunt, & ex castellis hisce, ope antliarum prementium inversarum 161, quæ catenis prælongis a manubriis rotarum continuatis animantur, aquæ tandem in aquæductum, qui in summo montis exstructus est, ad altitudinem perpendicularem 500 pedum Parisinorum ascendunt. Intra horas 24 in aquæductum effunduntur 18102 cadi, sive modii aquæ, qui singuli 280 cantharos Parisinos capiunt. Pondus a rotis Marliensibus superandum est 325710 librarum, impetus autem, quo flumen rotas movet, valet 1000594 libras.

Caput secundum dicatum est duabus machinis hydraulicis Parisiensibus, quæ super ponte B. Virginis, & novo, collocatæ sunt, explicandis. In priore memorabilis admodum est constructio antliarum. Siquidem una eademque pertica ferrea gestat tum embolum inversum, tum aspirantem; atque ita eodem motu & hauriuntur aquæ Sequanæ in receptaculum inferius, & inde in castellum summum, quod 95 pedum perpendiculo a priore abest, extolluntur. Fit autem motus aquarum embolis inversis duodecim, & intra 24 horas 2286720 canthari in summum receptaculum perveniunt. Vis rotas & antlias movens æquipollet 37551 libris. Altera machina super ponte novo, quæ etiam Samaritana nominatur, vel ob simplicitatem commendabilis est. Nam unius rotæ amplioris, diam. 20 pedum, circumactione emboli quinque inversi intra diem naturalem 1078320 cantharos in receptaculum, quod flumine 71 pedibus altius est, evehunt, & vires fluminis 54573 libris æstimantur.

Capite

Capite tertio de usu ventorum, pro machinis hydraulicis motu instruendis, agitur. Præmissaque descriptione molarum hydraulicarum Belgicarum, de duabus aliis, quæ in Gallia prope arcem regiam Meldonum insigni artificio erectæ sunt, differitur. In altera moletrina truncus ferreus ex axe recurvo alis instructo pendens quatuor ligna librantia (*Balanciers*) cum annexis embolis prementibus in motum ciet, quibus intra diurnum temporis spatium 1851 modii aquarum ex subjecto puteo elevantur. Et hujus machinæ ea virtus est, ut possit etiam spirantibus ventis vehementioribus officium suum continuare. Interim tamen huic præfertur mola altera, prope idem stagnum posita, in qua axis perpendicularis, rota dentata & tympano in orbem actus, manubrio ferreo, quod infimo extremo adhæret, quatuor normas ligneas, quæ extremis suis totidem embolos inversos gestant, motu quodam oscillationis instruit, atque ita magnam aquarum copiam in altum tollit. Hæc moletrina quolibet vento facile movetur, & motus embolorum non tantum, quantum in priore acceleratur, quod ad conservandam machinæ integritatem conducit.

Capite quarto late describitur machina hydraulica Londinensis, in qua vis ignis aquas in vapores resolventis conspicua est. Primus ignem machinis hydraulicis animandis adhibere docuit *Thomas Saverius*, Anglus, edito A. 1699 libro sub tit. Fossoris metallorum amicus. Ut igitur Cl. Autor initia & progressum hujus inventi traderet, veterem illam machinæ Saverianæ formam exhibet p. 80 sq. eidemque subjungit, quæ a Dionysio Papino & Amontonio pro simili opere construendo vulgata sunt. De nova autem machina Londinensi, quæ ante paucos annos eo usque perfecta fuit, ut igni agitata se ipsam nunc admirandum in modum moderari, & sine ullo periculo noctu diuque aquas ex Tamesi haurire & elevare possit, profertur in lucem descriptio Anglico sermone Londini ante biennium edita, & in Latinum translata, atque adjiciuntur eidem observationes uberiores, quæ tum ad machinæ illius virtutes rectius noscendas, tum ad ejus vires æstimandas spectant. Desumemus ex tractatione uberiore orthographiam stupendi operis, & repetemus potiora momenta, ex quibus fa-


TAB. VI. Fig. 1.

brica illius intelligi clarius queat. Scilicet machinæ Londinensis facultas proficiscitur ab aquis in aheno amplissimo B ebullientibus, & in vaporem resolutis, quo vapore in cylindrum impositum C C exeunte, embolus in eodem mobilis L attollitur, & cum hic ex robusto librili ligneo h 1, h 2 pendeat, cujus alteri extremo antliæ aspirantes K K applicitæ sunt, evenit, ut orificio D, unde vapor proruperat, occluso & alio M statim aperto, per quod aqua frigida in cylindrum C C vapore calido repletum prosiliat, hæc simul ac in eandem diffusa est, vaporem refrigeratum confestim in angustius spatium redigat, & embolo imminenti, atque aeris externi pondere ingenti prægravato, libertatem descendendi, & antlias aspirantes connexas secum in altum adducendi, largiatur. Et cum interim ligni Q ex librili antea commemorato pendentis beneficio ostia D & M, per quæ vapor & aqua frigida in cylindrum super aheno firmatum perveniunt, alternis vicibus reserentur & claudantur, (quod artificium plenius hic exponitur) ita tandem motus & librilis & embolorum ipsi copulatorum præstatur. Cl. Interpres censet satius fore, si in locum embolorum aspirantium sufficerentur inversi, qui antliam in siphonem mutant, & aquas multo altius propellunt, uti in Marliensibus hic effectus cernitur. Vis autem qua hæc machina aquas elevat, a pondere columnæ aeris, quæ in embolum circularem L L diametri 24 pedum, incumbit, derivatur, & 9599 libris æstimatur. Intra 24 horas ex Tamesi hauriuntur 14400 modii sive dolia aquarum Parisiensia.

Differitur etiam de alia machina hydraulica prope Londinum fabricata, quæ aquis Tamesis maris æstu in acclivem alveum propulsis, & mox cessante æstu in mare refluis rotatur; nec non de imitatione machinæ Londinensis, quam Architectus quidam Gallus Lutetiis Parisiorum suscepit. Et sub finem additamentum occurrit observationis auroræ borealis, quæ A. 1727 d. 19 & 20 Octobris noctem illuminavit. Ceterum non dubitamus, hanc tantorum operum luculentam & solidam descriptionem gratam acceptamque fore iis, qui intelligunt, quantum referat in doctrina machinali experientiæ testimoniis & documentis indubiis profecisse.

PRO

TAB. VI ad A. 1728 M. Nov. pag. 522.



PROBLEMA GEOMETRIS PROPOSITUM.

CUm in vacuo corpus ex quacunque altitudine delapsum & in quacunque curva incedens semper ad pristinam redeat altitudinem, ita ut descensus & ascensus verticales sint inter se æquales; peto jam *constructionem geometricam* curvarum plurium, aut etiam unius *curvæ, ut corpus fluido immersum super ea motum semper arcus descensus æquales describat arcubus ascensus, ex quocunque loco corpus descensum incipiat.* Ne vero huic quæstioni aliquid æquivoci subsit, dicam me ponere fluidum perfectum legemque resistentiarum veram, non fictitiam, proportionalium scilicet quadratis velocitatum, atque pro tali medio me petere curvam A B C talem, ut, si corpus descensum suum incipiat in quocunque puncto D, ut semper arcus descensu descriptus, & interceptus intra punctum D & punctum infimum B, nimirum arcus D B, sit æqualis arcui B E. TAB. VI. Fig. 2.

MEDITATIONES MORALES DE ACTIOnibus humanis ad promovendam felicitatem generis humani editæ a CHRISTIANO WOLFIO, Consiliario aulico Hassiaco, Mathematum, nec non Philosophiæ Professore primario in Academia Marburgensi, Professore Petropolitano honorario, Societatum Regiarum Britannicæ ac Borussicæ Sodali. Editio tertia.

Francofurti & Lipsiæ, sumtibus Rengerianis, 1728, 8.
Alph. 2 pl. 3.

CUm harum meditationum, quibus universa theoria & praxis Philosophiæ moralis demonstrativa methodo pertractata continetur, A. 1720 primum prodiisset; eam prolixe recensuimus in Actis A. 1721 p. 36 & sqq. Quoniam vero doctrinam solidam appetentes scripta *Wolfiana* avide expetunt; nova jam editione opus erat A. 1722, quæ tamen nihil mutationis subiit, nisi quod nova eidem præfigeretur præfatio. Tertiæ autem, quæ hoc ipso anno prodiit, editioni accessit discursus præliminaris, in quo Autor ea imprimis exponit, quæ ipsius opera ad Philosophiam mo-

ralem accessere & frustra alibi quæruntur. Quamvis enim desiderio nonnullorum satisfacturus, A. 1726 idiomate Germanico Commentarios edidit de scriptis propriis, quæ de singulis Philosophiæ partibus idiomate Germanico prostant, cumque hi Commentarii introductionis loco sint ad scripta Autoris, utpote philosophandi methodum, principia, usum & fata Philosophiæ *Wolfianæ* atque methodum eam discendi tradentes, in iisdem quoque principia Philosophiæ suæ moralis delineavit; non tamen id obstare putavit, quo minus in discursu præliminari novæ editioni præmisso lectorem moneret, quæ ante operis lectionem proficua esse poterant. Quoniam ex iis clarissime perspicere licet, quid ab Autore sperandum sit in opere morali, quod sermone Latino eodem habitu indutum, quo nuperrime Philosophia rationalis comparuit, suo ordine comparebit; non ingratum fore præsertim exteris existimavimus, si discursum istum præliminarem in his Actis recenseremus. Primus itaque honestatem intrinsecam actionum distincte explicavit per earum cum naturalibus, quæ per essentiam animæ & corporis a sapientissimo conditore determinatæ sunt, & hinc constantem quoque inter se consensum, contraria directione continuo interrumpendum. Hoc ipso consensu hominem fieri creaturam perfectam sive bonam, quales necessitate naturali sint creaturæ ceteræ, homo autem recto arbitrii liberi usu evadat. Unde alias jam observavimus, principium Juris naturalis Nostro tandem redire ad determinationem actionum liberarum per easdem rationes finales, per quas a Deo naturales vi essentiæ fuerunt determinatæ. Deinde obligationem naturalem, quam a naturis rerum derivandam esse agnoverunt & Theologi, & Philosophi, distincta notione explicavit ostendendo, quomodo motiva actionum, per quæ mens voluntatem determinare valet, ex ipsa honestate ac turpitudine illarum intrinseca deriventur, ut hac ratione in ruborem det atheos, atheismum ob vivendi licentiam affectantes, quos practicos proprie dixeris. Eadem etiam utitur ad evellendam nocuam ex animis hominum opinionem, quasi durum servitutis jugum sit vivere sub Deo. Altius tamen mox originem obligationis naturalis repetiit, dum Deum essentiæ ac naturæ rerum auto-

rem

rem ejusdem quoque autorem esse, ex principiis theologiæ naturalis demonstravit, & præterea arbitrariam obligationem divinam ex tali fatorum humanorum cum actionibus connexione derivavit, ut illa harum motiva singulari quadam & individuis oppropriata ratione esse possint, summæ bonitatis divinæ argumento. Neque in his substitit, sed ulterius progressus docuit, quomodo attributa divina fiant actionum singularum motiva, ut omnibus in universum actionibus gloria Numinis continuo illustretur, sicque homo non sibi vivat, sed Deo. Etsi autem philosophus ad ea digredi non potuit, quæ divinis oraculis continentur; monuit tamen non absimili ratione Christianum ab opere redemtionis singularum actionum liberarum motiva & desumere posse, & debere, ut sic Deum in Christo singulis actionibus veneremur: quo ipso non modo Theologiæ moralis ideam distinctam effecit, cujus a Philosophia morali differentia clarissime nunc patet, sed & oratoribus sacris opus suum utilissimum præstitit, quos docuit, quomodo agenda auditoribus inculcantes motiva ab intrinseca eorum bonitate, Dei jubentis autoritate, ab attributis divinis, a dogmatis revelatis seu œconomia salutis & statu denique conscientiæ desumere debeant. Præterea accuratius quam alibi Autor pertractat doctrinam de conscientia, de arte conjectandi hominum mores, de usu præclaro & inexpectato syllogismorum in praxi morali, de officiis hominis erga Deum, de forma & usu formularum precum, de limitibus virtutum & vitiorum, de officiis erga inimicos. Decori quoque certa tradidit principia, dum actiones illuc spectantes per easdem determinari docuit, per quas determinantur quæ sunt virtutis. Id imprimis egit, ut ostenderet, quomodo homo recto voluntatis liberæ usu nonnisi prælucente ratione actiones suas determinare debeat, quæ per essentiam ac naturam determinatæ non sunt, sed ipsius arbitrio relinquuntur, omni vi extrinseca procul seposita, cum omnis praxis ex notione libertatis fuerit deducta. Quemadmodum vero Nostro propositum est solidam tradere doctrinam, ingenia autem solida effici nequeant nisi fiant systematica, ideo singula ita inter se connectit, ut ratio posteriorum pateat per priora & notiones compositæ continuo resolvantur in alias simpliciores, moralibus

ex metaphysicis ultimo derivatis: id quod unicum medium esse censet sensim sensimque perveniendi ad notiones adæquatas, quibus & claritas, & evidentia in omni cognitione conservatur, quantum per naturam hominis conservari datur. Rationem ex iis, quæ recensuimus, reddit judicii Theologi cujusdam pii & eruditi, quod in Commentariis de scriptis propriis adduxit, præclare de Metaphysica & Philosophia morali Cl. Autoris sentientis, cum integrum annum libris istis legendis singulisque, quæ in iis continentur, expendendis impendisset, ne temerario judicio conscientiæ maculam inureret. Voto denique finit discursum, ut novæ hujus editionis lectores instar apum mel prægustatum inde exsugant, adversarii vero tales evadant, quales desiderat opus hoc morale.

Nachricht von der erneuerten Deutschen Gesellschafft in Leipzig und ihre jezige Verfassung.

h. e.

RELATIO DE SOCIETATE GERMANICA *Lipsiensi renovata ejusque ratione, a Sociis publicæ luci exposita.*

Lipsiæ, sumtibus Societatis, typis Breitkopfianis, 1727, 8 maj.

Plag. 4½.

JAm triginta anni abierunt, ex quo (anno scilicet 1697) Juvenes quidam Poeseos vernaculæ studiosissimi, e Gorlicensi Gymnasio prodeuntes, sub ductu *Jo. Burchardi Menckenii* nostri in eadem exerceri cœperunt, qui deinde, succedentibus paulatim aliis, institutum hoc, nullo quidem duce, usque ad A. 1717 continuarunt sub nomine Societatis Gorlicensis. Tum vero majus quippiam moliri, Bibliothecam Poetarum Germanicorum colligere, quæ dudum ultra millenarium numerum excrevit, pristinum ductorem suum iterum adire, eique præsidium

dium Societatis deferre, præter Gorlicenses etiam alios quoscunque in Poesi probe exercitatos adsciscere, & Societatis Poesin Germanicam excolentis, Deutsch-übende Poetische Gesellschafft, nomen sibi sumere. Cumque viginti quinque annis præterlapsis, A. 1722 Jubilæum quoddam celebraret Societas, edidit ipsa, interprete M. *Christiano Clodio*, Latinum Schediasma de Instituto Societatis Philo-Teutonico-Poeticæ &c. quod biennio post secutus est Catalogus Bibliothecæ, quam tum collegerat, Poeticæ; jamque spem faciebat, primo de edendis Poematibus suis, quibus jam aliquot Volumina oppleverant, 2) de Neumeisteriana collectione de Poetis & Poetastris Germanicis multum augenda, 3) de doctorum Virorum, Leibnitii, Claubergii, Heræi aliorumque consiliis de evehenda lingua ac Poesi Germanica, cum notis criticis edendis, & 4) de Lexico Poetico novo concinnando. Nuper vero præter Poesin etiam prosam orationem sibi vindicans, de legibus reconcinnandis ac meliori ordine disponendis serio cogitavit, tandemque eas publici juris fecit hoc ipso, quem exhibemus, libello; unde patet, quæ in receptione cujusque membri observanda, quæ sint sociorum in genere & speciatim Senioris ac Secretarii sive officia, sive commoda, quæque jura Præsidis. Hinc exemplo Societatis Francicæ, *Societas Germanica* posthac, procul ambitione, dici maluit, & quo magis præmiolo aliquo proposito excitarentur Socii, ii qui proposita singulis annis a Præside themata sive prosa sive versa ita elaboraverint, ut ceteros Sociorum calculo vicisse judicentur, moneta argentea, & Poetæ quidem ab una parte laurea, Oratores caduceo, utrique ab altera parte voce, dem Würdigsten, *dignissimo*, decorata, donantur, quod præmium augendum posthac sperant, ubi Mœcenatis cujusdam liberalitatem industria sua provocaverint. Annectuntur huic libello brevia quædam specimina utriusque orationis, in quibus exstat etiam erudita Cl. M. *Jo. Christoph. Gottsched*, Societatis Senioris, disquisitio, qua vocem Germanicam Deutsch, non per T sed D scribendam contendit. Ceterum edidit nuperrime Societas Odarum Germanicarum fasciculum non inelegantem, de quo brevibus dicemus Mense proximo.

NOVA

NOVA LITTERARIA.

HAgæ Comitum Typographus maxime industrius, Petrus de Hondt, opus admodum elegans ac fere regium, Historiam nempe Vet. & Novi Testamenti per Tabulas æneas splendidissimas CCXIV, quibus brevis exegesis historica subjungetur, tribus in folio Voluminibus, sub titulo: *Taferelen der voornaamste Geschiedenissen van het Oude en Nieuwe Testament*, subscriptionis lege edere parat. Id vero habet commodi hoc institutum, quod, cum jam triginta fere annis in colligendo hoc opere laboratum fuerit, Tabulæ omnes a præstantissimis Artificibus Hoet, Houbraken & Picarto inventæ & ab optimis Cælatoribus æri incisæ jam sunt paratæ, nec quicquam præter exegeses, quæ & ipsæ novo ac majori typo imprimendæ, nitidis picturis sub initium & finem cujusque exornabuntur, desideratur. Itaque qui Calendis Augusti hujus anni primo numeraverit, primum statim Volumen, qui d. 2 Januarii 1729 secundo, secundum, & qui Cal. Maji 1729, tertium Volumen nanciscatur; neque adeo metuendum cuiquam sit, ne editio per annos aliquot protrahatur. Fidem enim facit Typographus, se, nisi Cal. Maji anni sequentis opus absolutum fuerit, quadruplum numeratæ pecuniæ subscribentibus multæ loco soluturum. Cum vero chartæ quadruplici imprimere opus constituerit, solvent subscriptores pro exemplo in *media* charta, quæ tamen satis splendida, 54, in *Regia* 66, in alia quæ dicitur *supra regiam* 78, & in *Imperiali* 90 florenos Belgicos; quæ summæ non una sed partitim, ut jam ex superioribus intelligitur, tribus illis terminis, assignata cuique triente, penduntur. Si quis neglexerit primam solutionem nuperis Calendis Augusti faciendam (quanquam autumamus, prorogatum adhuc esse hunc terminum) ei pro exemplari primæ chartæ 65, secundæ 76, tertiæ 90 & quartæ 100 floreni numerandi erunt. Memorantur in programmate edito 94 utriusque Belgii typographi, qui pecuniam ad se recipient, quos hic enarrare omnes non licet: miramur tamen nullam hic Hagiensium, Lugdunensium, Amstelodamensium & Roterodamensium mentionem factam, ut itaque nostri optime facturi sint, si vel apud Ultrajectinos, qui omnes, ni fallimur, hic nominati sunt, vel apud ipsum editorem nomina sua profiteantur.

)(o)(

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anno MDCCXXVIII.

JO. GOTTLOB CARPZOVII, S. THEOL. D. Prof. Publ. & Archidiaconi Lipſ. Critica ſacra Veteris Teſtamenti.

Lipſiæ, apud Jo. Chriſt. Martini, 1728, 4. Alph. 5 pl. 12½.

UTiliſſimam Theologiæ cultoribus navavit operam Summe Reverendus Autor, in medium proferens *Criticam* hanc *ſacram V. T.* & accuratiſſimo ſtudio perſequens, quæcunque ad hanc diſciplinam pertinent. In *Proœmio* diſſerit de natura Criticæ, ac ſpeciatim de natura & indole Criticæ Biblicæ, ejus non ſolum hiſtoriam paucis exponens, verum etiam ſcriptores ejus, addito de ſingulis judicio ſuo, recenſens. Ac inter hos quidem principem locum tribuit Celeb. Wolfio, conditori *Bibliothecæ Hebrææ*, ac Aug. Pfeifferi *Criticam ſacram* præ ceteris commendat Theologiæ conſecraneis. Ipſum Opus tribus abſolvitur Partibus, quarum prima *de Critica textus originalis* inſcripta eſt, & novem Capita exhibet. Horum *primo* de codicis Hebræi origine divina agitur, præmiſſisque variis divinæ revelationis modis, neceſſitas oſtenditur revelationis per Scripturam factæ, hujusque indoles ita deſcribitur, ut ſcriptores ſacri præter externæ ſcriptionis miniſterium nihil præſtiterint, resque non ſolum, ſed etiam verba Spiritum S. habeant autorem. Docetur etiam, quem in modum poſt Moſem Prophetæ ſuos libros addiderint, (exploſa ſimul Rich. Simonii opinione de ſcribis publicis,) & tandem Esdras cum aſſeſſoribus Synagogæ magnæ corpus librorum ſacrorum in ordinem redegerit. *Cap. II* de

αὐθεντίᾳ & autoritate codicis Hebræi agit Autor doctissimus. Ad eam evincendam duplicis generis argumenta expromit, alia *inductiva ad credendum*, quæ fidem generant tantum humanam, alia *convictiva*, quæ divinam fidem gignunt. Prioris generis argumenta dividit in interna & externa. Et *interna* quidem hocce complectitur syllogismo: Quicunque Codex, religionis normalis & originarius, 1) intemeratæ veritatis est, qua divinitatis suæ testimonium sibi perhibet, 2) sanctissimas complectitur doctrinas, & tales, quæ non nisi ex sanctissima Dei mente promanare potuerunt, 3) sublimissima tradit mysteria, omnem humanæ rationis captum longe excedentia, 4) tam efficaces & solidas præbet consolationes, quales nulla mortalium suada ægris mentibus adhibere queat, 5) incredibilis prorsus est efficaciæ & virtutis in movendis non modo & flectendis, sed novis plane ingenerandis quoque animis, 6) vaticinia complura prodit, perspicua, definita, & nulla hominum sagacitate investiganda, eventu tamen comprobata, 7) stilo ipso plusquam humanam δεινότητα spirat, 8) diversissima tam volumina, quam argumenta, perpetuo harmoniæ per omnia sibi constantis nexu scite connectit; ille humanæ esse nequit fœturæ, sed divinæ prorsus originis est & autoritatis. *Externa* huic inclusit syllogismo: Quicunque Codex, religionis normalis & originarius, 1) & consignationis & argumenti antiquitate, non alios modo Codices omnes, verum etiam omnem hominum memoriam superat, 2) ab ἀξιοπίστοις divinæ inspirationis testibus est consignatus, 3) perpetuum & non interruptum omnium seculorum fert testimonium divinitatis, 4) martyrum sanguine & morte ceu divinus obsignatus fuit, 5) contra omnes totius mundi & diabolorum cum insidias, tum persecutiones, non sine miraculo tot seculis fuit servatus integer; is originis est & autoritatis divinæ. *Convictivum* argumentum unum statuit, nempe operationem Spiritus S. per verbum corda rapientem in assensum & confirmantem. *Cap. III* puritatem & integritatem sacri Codicis propugnat 1) ex canonis Scripturæ indole ac dignitate, 2) ex evidentissimis Scripturæ oraculis, *Matth. V, 18. Joan. V, 39, & Rom. III, 2,* (quæ dicta clarissime tueri Hebræi Codicis integritatem, contendit contra Celeb. Pfaffium,) 3) ex divinæ

p. 83 sq.

pro-

providentiæ cura, 4) ex humana circa ſacrum codicem ſolertia, 5) ab impoſſibili. Hinc, quæ Critici in medium proferunt ad evincendum, ſacrum codicem non carere mendis, diligenter diluit, non tamen diſſimulans, etiam inter noſtros Theologos fuiſſe, qui nonnullis locis emendandum ſtatuerent ſacrum codicem. *Cap. IV* partitiones Hebræi codicis doctiſſime perſequitur. Dividitur enim is in legem, Prophetas, & hagiographa: ſinguli libri rurſus dividuntur in *Paraſchas* & *Haphtaras*, itemque in capita & verſus. *Caput V* octo Sectiones habet, quarum *prima* eſt *de linguæ Hebrææ appellationibus*. Hic initio ſtatim pugnat, linguam Hebræam nomen traxiſſe ab Hebero Patriarcha, ſecusque ſentientibus Criticis diligenter & copioſe reſpondet. *Sect. II* contendit, linguam iſtam eſſe primam omnium & antiquiſſimam. *Tertia* Neumanni, Lœſcheri, & Zieroldi ſingularem opinionem de radicibus Hebræarum vocum biliteris, deque literarum Hebraicarum valore intrinſeco, proponit dilucide, adjectis cauſis, cur huic ſententiæ non poſſit ſubſcribere. *Quarta* linguæ Hebraicæ dignitatem deſcribit & excellentiam, puritatem, opulentiam, ſanctitatem, elegantiam: hasque ejus virtutes defendit contra Celeb. Clericum, admodum tenuiter de hac lingua ſentientem. *Quinta* quatuor ætates & viciſſitudines hujus linguæ perſequitur. *Sexta* contendit, literas Hebraicas, ut hodie pinguntur, eſſe primævas, &, quæ a Criticis quibusdam huic ſententiæ opponuntur, refellit. *Septima* contra eos diſputat, qui negant, puncta vocalia & accentus literis ætate pares eſſe, & ab ipſis ſacris ſcriptoribus fuiſſe adhibitos. *Octava* denique *Sectione* agit de Chaldaismo Biblico. *Cap. VI* Maſoræ, hoc eſt, Criticæ Judæorum Biblicæ, hiſtoriam exponit, & inſignem utilitatem deſcribit, cumque Maſoræ contemptoribus fortiter congreditur. *Cap. VII* *Keri* & *Chetibh* arceſſendum exiſtimat a variante diverſorum Codicum ſcriptura. Acceſſiſſe deinceps judicat honeſtiorum pro obſcenis vocabulis lectionem, unamque vel alteram magiſtrorum interpretationem. Quod ſi quæris, utrum *Keri* an *Chetibh* ſit ſcriptura authentica, Noſter ab eorum ſtat partibus, qui *Chetibh* tamdiu habent pro vera ſcriptura, donec evidentibus indiciis evicta fuerit αὐθεντίας τȣ̃ *Keri*. *Cap. VIII* præfatus, autogra-

 pha

pha sacrorum scriptorum non superesse, imo & percelebres illos Codices, Hillelianum, Ægyptiacum, Babylonium, & Hierichuntinum, periisse; de superstitibus codicibus Hebræis Sacræ Scripturæ MSS. tum Synagogarum, tum aliis, verba facit. Antiquitatis etiam & bonitatis eorum criteria exponit, & speciatim
p. 382 sqq. Dresdensem regium codicem describit copiosius. *Cap. IX* de variis Bibliorum Hebraicorum editionibus agit, tum de Polyglottis, tum de Rabbinicis, tum de Hebræo-Latinis, tum denique de simplicibus. *Pars secunda* hujus operis dicata est versionibus Hebræi sacri codicis. Ac primo quidem loco de *Targumim* sive versionibus vel potius paraphrasibus Chaldaicis differit. Hic de earum ætate disputat contra Celeb. Wolfium: Autores earum recenset: de singulorum laboribus suum exponit judicium: denique usum earum laudat exegeticum, polemicum, & historicum. Considerat etiam hac occasione vocem מימרא דיי, quæ a multis pro appellatione Messiæ habetur, ac τῷ λόγῳ Joannis Evangelistæ respondere creditur. At Noster hanc sententiam non putat inniti firmo fundamento, neque adeo vult, hoc argumentum urgeri in disputatione cum Judæis suscepta. *Cap. II* versionem Græcam LXXviralem ob oculos ponit. Ptolemæum Philadelphum eam adornandam curasse, cum Criticis negat, & pro autoribus habet Alexandrinos quosdam Judæos. Nec universam Scripturam simul conversam esse credit, sed alium librum alio tempore. Observat hinc, istos interpretes usos esse codice non punctato. Recenset etiam vitia & nævos hujus versionis, eosque redigit certa sub capita. Tum contemplatus editiones hujus versionis tum veteres, tum recentiores, ultimo loco utilitates edisserit ex hac interpretatione capiendas. *Cap. III* de Græcis V. T. versionibus Aquilæ, Theodotionis, Symmachi scitu digna doctissime tradit, annexa luculenta tractatione de opere Origeniano. *Cap. IV* de Pentateucho Samaritano acturus, præmittit narrationem de gente & religione Samaritana, contra Basnagium probans, Samaritanos solum Pentateuchum e libris sacris recepisse, ejusque rei causas adducens admodum probabiles. De ætate & origine Samaritani hujus Pentateuchi sex producit sententias, &, quinque refutatis, in communiore acquiescit, qua

statui-

ſtatuitur, ſacerdotem illum, a Rege Aſſyrio in terram ſanctam miſſum, (*2 Reg. XVI, 24*) Hebræum Codicem deſcripſiſſe elementis Samaritanis ſive Cuthæis: idque a Basnagio ad oculum demonſtratum eſſe, pronuntiat. Hinc nævos hujus Samaritani codicis & ab Hebræo diverſitates ſub certos titulos ſolerter digerit. Tum eos confutat, qui codicem Samaritanum Hebræo anteponunt, allatisque lucidis argumentis contendit, primas deberi Hebræo Codici, ex eoque corrigendum eſſe Samaritanum. Nihilominus concedit, & pluribus oſtendit, inſignes fructus capi poſſe e Samaritano illo Pentateucho. *Cap. V* verſiones V. T. Syriacam, Arabicam, & Æthiopicam ſub examen vocat. Et Syriacam quidem ultimæ antiquitatis eſſe concedens, parum tamen accuratam eſſe docet, ſæpeque ab Hebræo Codice diverſam, adeoque gravibus ſcatere nævis. Pari diligentia ubi ceteras duas verſiones pertractavit, *Cap. VI* confert ſe ad verſionem Latinam vulgatam. Errare hic docet Pontificios, eam autori tribuentes Hieronymo, ſtatuitque, eam eſſe mixtam ex vetere Itala & ex Hieronymiana verſione. Hinc ejus nævos haud ſane leves ſub certas revocat claſſes, agens etiam de ejus emendationibus & caſtigationibus ſubinde ſuſceptis. *Cap. VII* de Latinis recentioribus verſionibus agit, Lutheri, Seb. Schmidii, Xantis Pagnini, Seb. Munſteri, Leonis Judæ, Sebaſt. Caſtalionis, Tremellii & Junii, debitis quamque laudibus pariter ac vituperationibus ingenue perſequens. *Cap. VIII* de duabus diſſerit Judæorum verſionibus Hebræo-Germanicis: e quarum poſteriore longum exhibet exemplum Judaicæ adverſus Chriſtianos diſputationis, ea proferens ſedecim paginis, quibus Judæus ille autor eripere Chriſtianis conatur Jeſaiæ oraculum de nativitate Meſſiæ e virgine. Si quis forte miratur, omiſſam eſſe tractationem de Germanica Lutheri, de Belgica, ceterisque recentioribus exoticis verſionibus V. T. is ex Prooemio diſcat, Autorem alio tempore & hoc argumentum eſſe perſecuturum. p. 761 ſqq. 19.

Progrediamur ad *Partem tertiam*, quæ diſputationem continet Anti-Whiſtonianam. Edidit videlicet Guil. Whiſtonus A. 1722 lingua patria *Tentamen, tradens modum reſtituendi genuinum V. T. textum, & vindicandi citationes inde in N. T. factas.*

P. 782. *ctas.* Quo viro cum *nocentiorem & ab amplissimo ingenii & eruditionis apparatu instructiorem hostem Scripturæ S. non obtigisse* S. R. Autor censeat, nec tamen quisquam singula ejus argumenta discutienda susceperit ac profliganda, ipse defungi hoc
784. labore non est gravatus. In principio Whistoni integrum Systema exhibet tribus veluti verbis. Hinc refutationem ejus decem concludit Capitibus, quorum *primo* singula refellit argumenta, quibus usus fuerat Whistonus ad probandum, nostra V. T. exemplaria multis in locis differre ab iis, quæ tempore Christi & Apostolorum legebantur. Hac occasione non solum multa loca V. T. illustrat accurateque interpretatur, e. g. *Genes. IV, 8: dixit Cain ad Abel ; Psal. XXII, 17*, כארי, sed etiam observat, Whistonum multa tela sumsisse ex armamentariis Cappelli, Morini, aliorumque. *Cap. II* refutat argumentum Whistoni, ab allegationibus V. T. in N. factis petitum & ab earum discrepantia. Hic primo Autor sub certos titulos redigit, idque singulari diligentia, loca V. T. in N. T. repetita, ac viam sibi hoc pacto munit ad diluendas Whistoni cavillationes. Tum singula loca expendens, ita respondet adversario, ut simul fontes indicet, e quibus ille objectiones suas hausit. *Cap. III* aggreditur Whistoni sententiam de corrupta inde a Christi & Apostolorum ætate versione LXXvirali, & argumentorum ejus imbecillitatem omnium conspectui exponit. *Cap. IV* contra eum asserit divinam originem & autoritatem canonicam Cantici Canticorum, quod is nec in canone sacro haberi oportere censet, nec unquam vel a Judaica vel a vetere Christiana Ecclesia habitum fuisse contendit. *Cap. V* absurditatis convincit sententiam Whistoni, statuentis, illam veteris Samaritani cum recentiore Chaldæo charactere permutationem in Bibliis Hebræis factam a Judæis esse proximo a nativitate Christi seculo. *Cap. VI* labefactat argumenta illa, quibus Whistonus efficere studuerat, Pentateuchum Samaritanum esse sincerum exemplar quinque librorum Mosis. *Cap. VII* errorem ejus coarguit, docentis, scriptores N. T. ac Philonem & Patres apostolicos, itemque scriptores quatuor priorum seculorum, non produxisse dicta V. T. ex Codice Hebræo, sed e versione LXXvirali. *Cap. VIII* contra Whistonum, ideo contenden-

tendentem, Josephum exacte secutum fuisse sui Codicis Hebræi lectionem, ut inde probet, nostrum Codicem Hebræum esse depravatissimum, præclare docet, Josephum haud incorrupta fide referre V. T. historias, eundemque Hebræi sermonis non admodum peritum fuisse, nec accuratum in rationibus Chronologicis. *Cap. IX* ostendit, quam inepte Whistonus demonstret, Judæos seculo secundo exemplaria V. T. corrupisse, idque ne potuisse quidem fieri, satis manifestum facit. Denique *Cap. X* Whistonianum consilium, secundum quod genuinus V. T. textus sit restituendus, breviter exhibet, ac breviter (nec enim opus hic erat longa disputatione,) exagitat & refutat.

Ceterum cum S. R. Autor in *Proœmio* velit, etiam *Introductionem* suam *ad libros V. T.* haberi pro parte *Criticæ* hujus *sacræ*, nobis liceat hoc voto concludere nostram recensionem præstantissimi operis, ut Theologiæ cultoribus etiam exhibeat *Introductionem in libros N. T. & Criticam sacram N. T.* p. 18.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB A. D ad A. MD. LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS collegit, ordinavit & Præfationibus auxit.

Tomus X.

Mediolani, ex typogr. Societ. Palatinæ, 1727, fol.

Alph. 8 pl. 8 cum Tabb. æn. 2 & una Tabula majori Geogr. Italiæ medii ævi.

ETsi Tomus IX nondum ad nos pervenerit, Supplementis reservandus, attamen cum & decimus & duo sequentes Tomi jam prodierint, lubet interea decimum producere. Enimvero Tomus hic, quem Mediolanenses Palatini Socii LEOPOLDO I, Lotharingiæ Duci, consecrarunt, præ ceteris commendari meretur, quod præmissam habet *Tabulam Italiæ medii ævi Græco-Longobardico-Francici*, in quam commentatus est *Anonymus Mediolanensis*, ut dicitur in Elencho præmisso, *Regius Ticini Lector; Vir*, judice Muratorio, *non minus antiqua eruditione*, quam

quam judicio Critico summe commendandus, summe accuratus, & cui bene sanguis calet in venis. Nominatur vero Autor, ut ab aliis accepimus, *Caspar Berettus*, Monachus Benedictinus e Congregatione Casinensi, Lector publicus in Universitate Ticinensi & Patricius Mediolanensis, qui cum latere voluerit in ipso opere, nomen suum a nobis hic prodi, indigne haud feret. Equidem ipse Cl. Autor in subjuncta Protestatione, quam vocat, nimis parum otii ad hanc operam sibi relictum fuisse queritur a Sociis Palatinis, qui quam primum promissa olim data solvere cupiebant, speratque, se olim castigatiora hæc editurum, informem quippe hunc fœtum modeste appellans; nec diffitetur, se contra receptas non raro sententias severum judicem insurrexisse, nullius quippe autoritati addictum. Quod vero præterea parum expoliti & nonnunquam etiam involuti styli invenustatem agnoscit, non est quod multum excuset, cum vix fieri possit, ut, qui tantopere in scriptoribus medii ævi versati sunt, styli venustatem servent, maxime cum rebus magis, ut Noster, quam verbis intenti sint. Præmisit Autor Prolegomena satis *prolixa*, per 96 scilicet paginas excurrentia, quæ si vel sola recensere pro dignitate velimus, operosus admodum labor nobis suscipiendus esset. Ut præcipua attingamus, Autor Sect. I fines utriusque Imperii describit, quales fuere Seculo IV. Sect. II Anonymum Ravennatem, quem *Guidonem* nominat, minime integrum a Porgeronio editum probat, sed ejus tantum compendium, ad Ant. Galateum maxime in libro de situ Japygiæ provocans. Sect. III Paulum Warnefridi Diaconum, etsi Longobardum, nec Longobardorum tamen aut Græcorum in Chorographia Italiæ rationem sequi docet, sed cum libello *Provinciarum Romanarum*, sæpe olim edito, in plerisque consentire. Sect. IV de Cellarii nostri Geographia medii ævi, etsi nunquam edita vel edenda, ex tabula ejus Italiæ prodroma sequius judicat, eam medio ævo non satis accommodatam, asserens, cum tantum ad Seculum IV & V respexerit, ubi omnia satis liquida; at turbatam demum fuisse Italiæ topographiam Seculo VI vergente, atque hic desiderari testes fide dignos contendit. Sect. V Hieroclis Grammatici *notitiam*, cui titulus: Συνέκδημος sive *Comes peregrinationis*, pro-

vin-

vincias & urbes Imperatori CP. subjectas continentem, mutilam esse demonstrat; simul & sequi eruditos omnium provinciarum jubet exemplum Chr. Junckeri, qui Geographiam medii ævi patriæ, h. e. Germaniæ, vernacula dedit, a Nostro per errorem Bibliothecarius Regis Prussiæ dictus, cum potius dici deberet Bibliothec. Isenacensis & Societatis Prussicæ Socius. Dum Sect. VI fontes indicat Chorographiæ Italiæ, diplomata maxime Longobardorum & Carolingorum; Desiderii Regis Edictum, quanquam ab Holstenio pro genuino habitum, adhuc tamen suspectum habet, cum Autor, quisquis sit, Viterbii antiquitati eo consulere præcipue voluisse videatur, & quæ sunt alia a Nostro indicata. Inter falsarios vero codicum Alf. Ciccarellum, ideo ultimo supplicio addictum, & nostro tempore Carolum Gallutium nominat. Ludovici Pii tabulam, qua donationes Pipini & Caroli M. confirmat, genuinam asserit; contra Constitutionem Ottonis III adversus Ecclesiam in suspicionem vocat. In reliquis de aliis quibusdam argumentis agit, de quibus commode agi in Chorographia ipsa non poterat, ut de jurisdictione Longobardorum ævo Sect. VII; de partibus Regni Longob. cis Tiberim Sect. VIII; de divisione Italiæ ævo Francico in Ducatus, Comitatus & Marchas Sect. X; de testamento Attonis falso, e quo quidem Cl. Imhofius stemma Desiderianum conflasse Nostro creditur, Sect. XI. Ipsam Chorographiam non est ut latius recenseamus, cum seorsim etiam cum Tabula, Prolegomenis & duplici Indice, Choro-topographico altero, altero nominum & materiarum, excusa prostet, sufficietque adeo, nos de opere profunde erudito salivam movisse. Sequitur II *Albertini Mussati*, Historici Patavini, *de gestis Henrici VII Cæs. Historia Augusta*, & III ejusdem *de gestis Italorum post mortem Henrici VII Cæs. Historia*, ad A. 1429 producta, quibus etiam accedunt ejusdem *Ludovicus Bavarus* & Tragœdia *Eccerinis* dicta & vario Carminis genere composita. Quantæ sint raritatis, quantoque pretio hactenus venerint hæc Mussati Opera, quæ cum Laur. Pignorii, Felicis Osii & Nic. Villani notis, aliisque veterum monumentis & Chronicis, quæ vel inserta jam sunt huic collectioni commodis locis, vel posthac inserentur, Venetiis prostant 1636 in fol. maxime

xime si exemplum lituris haud deformatum, ut sunt pleraque, haberi posset, nemo ignorat. Quare laudandum est consilium Celeb. *Muratorii*, qui non modo Historiam Henrici VII cum reliquis iterum typis subjecit, verum & doctorum Triumvirorum notas, in priori editione ad calcem rejectas, suis locis subjecit, quanquam plerasque tam prolixas, ut per aliquot folia excurrant. Observat vero idem, in Codice MS. antiquo prope coævo Bibliothecæ Estensis autorem perpetuo *Muxatum* dici, adeo ut vix Scardeonio, de claris Patavinis agenti, subscribere possit, qui eum e familia Mussa primo procreatum, postea ex Poetices laude *Musati* (quasi Musis grati) cognomen accepisse putat. Natus is Patavii circa A. 1260, A. 1329 vel 1330 exul obiit; de quo Scardeonius de Antiqu. Patav. L. II Classe X & Vossius de Hist. Lat. L. III C. 7 latius commentati. Sed Lectore ad hos remisso, Noster ex opere magno inedito, quod *Xicco* seu *Sicco Polentonus* altero post mortem Mussati seculo *de Scriptoribus Latinis* seu iis, qui vel ipsi linguam Latinam suis libris illustrarunt, vel Commentariis juverunt, summo labore & multa eloquentia conscripsit, vitam Mussati dedit lectu dignam. Ceterum idem, præter editionem Venetam, consuluit Codicem illum Estensem, e quo Prologos duos, in editis non exstantes, addidit & lacunas in Ludovico Bavaro deprehensas supplevit, impetravitque a Cl. Phil. Argelato, ut Ambrosianum Codicem membraneum diligenter conferret, nihil adeo, quod ad exornandum opus faceret, omittens. Succedit IV Anonymi *Chronicon Siciliæ ab anno circiter 820 ad A. 1328*, antea a Monachis Benedictinis, Martene & Durando, Thesauri novi Tomo III p. 5 sq. vulgatum; etsi enim docti isti Viri, Chronicon hoc ad mortem Friderici II Regis Sic. quæ in A. 1340 incidit, pertingere diserte scribant, ipsa tamen inspectio docet, illud haud ultra A. 1328 excurrere. Plura de eo non memoramus, nisi quod multa Autor hic congesserit monumenta, quæ alibi frustra quæras. Denique V clauditur hic Tomus *Nicolai Specialis Historia Sicula ab A. 1282 ad A. 1337*, quam Petri de Marca operi posthumo de Marca Hispanica in Appendice adjecerat Steph. Baluzius, ideo quod Regum Aragonensium res ultra seculum in Sicilia gestas contineret. Quem autorem

non

non infimæ dignationis fuiſſe, patet ex eo, quod ad A. 1334 de ſe ipſo teſtatur, ſe una cum aliis a Friderico Rege ad novum Pontificem Benedictum XII legatum fuiſſe. Quod vero idem fuerit Prorex Siciliæ, demumque 1444 diem obierit, ut Rocchus Pirrus in Notitia ſecunda Eccleſiæ Syracuſanæ prodidit, in eo Pirrum magnopere falli, Noſter diſerte docet.

JOH. SCHILTERI INSTITUTIONES JUris Feudalis Germanici & Longobardici, notis illuſtratæ; accedunt Conſtitutio de Expeditione Romana, cum M. FREHERI & aliorum notis; LUD. CANT. FABRI de eadem Commentatio; CONR. SAM. SCHURTZFLEISCHII de Conrado Imp. & de eadem Conſtitutione Diſſertatio, opera & cura D. GEORGII CHRISTIANI GEBAUERI, Jur. Feud. in Academ. Lipſ. P. P.

Lipſ. apud Joh. Frid. Gleditſchii B. Fil. 1728, 8.

Alph. 1.

DEnuo in lucem prodierunt B. Schilteri Inſtitutiones Juris Feudalis, quæ cum abunde præſtantes ſint atque utiles, laudis noſtræ haud videntur indigæ. Operæ autem pretium eſſe exiſtimamus, quid præcipuum ſit quod in nupera hac Editione acceſſerit, paucis exponere. Prima Conſultiſſimi Editoris cura fuit, Autoris textum in antea vulgatis libelli exemplis ſphalmatibus inquinatiſſimum reſtituere, proxima, Schilterianæ brevitati obſervationibus & annotationibus quibusdam ſuccurrere, tertia nonnulla adjicere, & ea quoque præfando, recenſendo & annotando ornare, quo libello aliquid magnitudinis forte & pretii accederet. Ipſæ autem illæ annotationes ſatis loquuntur, qua diligentia V. Cl. Clientelaris Juris ſcientiam perluſtraverit planeque excuſſerit, tantoque majorem ex merentur attentionem, quanto magis in illis vel varia Juris Feudalis capita accuratius expoſita ſunt, vel ad optimos Longobardici æque ac patrii Juris textus, aut ad præſtantiſſimos autores remiſſum eſt. Certo igitur augu-

 ramur

ramur, novam isthanc editionem omnibus Juris Feudalis studiosis gratissimam fore pariter ac utilissimam.

Accessionum autem vel potius ornamenti loco Vir Cl. celebrem illam de Expeditione Romana Constitutionem huic libello adjecit, eique Præfationem lectu dignissimam præmisit. In illa enim a p. 196 usque ad p. 203 hujus Constitutionis Editiones, si ab una discesseris, omnes oculis usurpatas, accurate recenset, deinde a p. 203 usque ad p. 227 de Autore illius Constitutionis, & quam diversa Viri docti de ea teneant, agit, eorum rationes & dubia solide examinat, atque hac occasione varias observationes ex ultima Germaniæ antiquitate petitas inspergit. Speciminis loco conferant modo, qui volent, quæ p. 216 de Roncaliarum situ, p. 217 de nominis hujus origine erudite commentatur, nec non quæ p. 229 de Conrado III habet, quem post susceptum Germaniæ regnum Italiam A. 1143 omnino attigisse, ex Diplomate apud Campum Histor. Eccles. Placent. T. I n. 134 extante demonstrat, quod egregium historiæ Germanicæ momentum peritissimos etiam hactenus latuisse videtur. Tandem Vir Cl. p. 227 sententiam suam de modo laudata Constitutione proponit, eamque Conrado II tribuendam esse existimat, illiusque firmandæ gratia a p. 232 usque ad 234 egregia plane in medium profert. Præfationem excipit ipse Constitutionis textus, qui editionis omnium primæ Rittershusianæ est, cum qua alterum avthenticum, editionem Freherianam, tum etiam reliquas editiones, quæ ad manus fuerunt, contulit. Inde illæ variæ lectiones ad marginem notatæ. Commentarius quoque Freherianus ex editione prima descriptus est, ita tamen ut eum Fabri & Brusselii notis locupletaverit, præterea etiam cum Clutenii editione contulerit, ejus glossemata uncinulis incluserit, mantissam quoque, ne quid desit, in fine addiderit. Calcem vero ornant L. Cant. Fabri Commentatio ex Lib. I c. 6 p. 33 Tr. de Feudis deprompta, & Schurtzfleischiana de Constitutione illa Dissertatio, pereximia equidem, hactenus autem raro obvia. Quod reliquum est V. Cl. publico nomine rogamus, ut quam primum paginæ 235 fidem liberet, quippe quæ plura exornando Juri Feudali idonea harum literarum cupidis amice spondet.

HUGONIS

HUGONIS GROTII FLORUM SPARSIO ad Jus Justinianeum; cum Præfatione D. GEORGII CHRISTIANI GEBAUERI, Jur. Feud. in Acad. Lipſ. P. P. cum Indicibus tribus.

Halæ, impensis E. G. Crugii, 1729, 8.

Alph. 1 pl. 11.

QUa diligentia Vir Cl. Jurisprudentiam Feudalem exornet, modo intelleximus, quam sollicite vero curam suam elegantiori quoque Jurisprudentiæ civili admoveat, præter alia quæ jamjam extant, Præfatio huic libello præmissa documento esse potest. Ipso equidem libello recensendo supersedere possumus, quippe qui sat celebritatis habet, illud tamen de hac nova editione monendum esse duximus, quod ea juxta editiones Belgicas nonnullis erroribus inquinatas expressa sit. Annotavit illud jamjam V. Cl. in præfatione, atque nævos quosdam, & nonnulla, quæ ipsi Grotio, ut homini, exciderunt, eleganter emendavit, ut omnino harum literarum studiosi libellum isthunc rarum æque ac pro mole alias nimis carum, non modo pro justiori pretio, sed etiam novis observationibus atque emendationibus locupletiorem habituri sint. Ceterum in Præfatione eadem ut vera ita eleganti prædicatione divina ingenii Grotiani monumenta in majus extollit, variaque de eo singularia annotat, quæ legisse nominis Grotiani amatores forte non pœnitebit.

CONR. SAM. SCHURTZFLEISCHII FUNdamenta historiæ Germanicæ mediæ; ex MS. eruit & Dissertationem de pietate CAROLI M. qua in conversione Saxonum ad Christianorum sacra usus est, præmisit M. CAROLUS GOTTLOB HOFMANNUS.

Sneebergæ, apud Car. Wilh. Fulda, 1728, 8.

Alph. 1 pl. 5.

QUam magna sit *Schurtzfleischiorum* in orbe literato dignitas, luculenta horum monumenta æque ac summorum vi-

rorum testimonia dudum confirmarunt. Beato defunctus *Conradus Samuel* historiam ornavit imprimis, gestaque antiquissimi pariter & medii ævi adeo tenuit, ut pauci ipsi æquiparari possint, nemo pene anteferri. Qua re factum est, ut Cl. *Hofmannus*, Lipsiæ degens atque docens, historiam Carolingorum & sequentium temporum ab isto contextam, & ab *Henr. Leonhardo*, fratre, olim promissam, in vulgus ederet: ac præfaminis loco de pietate *Caroli M.* in convertenda Saxonum gente dissereret. Nimirum, quum pietatem Caroli ubivis terrarum decantatam æstimaret, ac sollicite ponderaret, multa ipsi occurrebant, quæ Lydium lapidem vix ferre videbantur. Quare pleraque hic scripta, quæ ad eum pertinent, ceu partium studio, vel rerum ignorantia, vel opinionum amore contaminata, a Cl. *Hofmanno* notantur, ne Eginhardo quidem excepto. Tria vero potissimum sunt, quibus
p. 13. horum autorum fidem solicitavit: I) testes esse monachos, qui vel summa ignorantia rerum oppressi, vel perverso studio capti,
18. veritatem ubique haud sequebantur; II) Carolum immodica regnandi cupiditate flagrasse, & amplissimis regionibus Saxonicis, ut & maxima gentis gloria allectum, feroces Saxones inva-
23. sisse, verasque causas pallio religionis & pietatis texisse; III) ipsum modum conversionis fuisse justo negligentiorem, ac luculentissime docere, religionem Carolo haud fuisse cordi, cum satis habuerit, victos succubuisse, debitamque obedientiam victori præstitisse. Hæc singula pluribus autorum testimoniis confirmavit, deque Alcuino p. 14, Eginhardo p. 21, carminibus Bardorum p. 8, deque aliis scriptoribus vitæ Caroli M. p. 11, & passim varia notatu digna in animadversionibus subjunctis adjecit. Quod ipsum *Schurtzfleischii* opus attinet, genus scripturæ elegans est, fluitque pure ad exemplar veterum historicorum. Annales composuit Autor, annorum seriem magis, quam ordinem rerum secutus. Principium ducit a *Carolo M.* cujus vitam prolixe a p. 1 ad p. 75 commemorans, plurimum laborem in
17. enarranda Saxonum conversione consumit. Rolandi habitum corporis maximum negat, existimans statuas Rolandinas fuisse
19. signa fori tantum. Cum mentio injiceretur clientum regiorum, seu vassorum, in sanctionibus Caroli M. ostendit, horum potissimum

sumtum munus fuisse, valvas, id est, fines, regni Francorum defendere. De ortu scholarum Francicarum & Saxonicarum egregie p. 36.
disserit, harumque divisionem in episcopales & monasticas solicite exponit. Celebrem Hamburgi urbem, nullius Principis aut 66.
Comitis, sed providentia & sumtu Caroli M. conditam, refert, studiose monens, Hammaburgum a silva propinqua, non ab Hammonis simulacro, neque a Gambriviis, multo minus ab Hama quodam pugile, nomen duxisse. Tandem Carolus, postquam 73.
fatis A. C. 814 concesserat, anno ætatis sexagesimo septimo, Aquisgrani solemni ritu cærimoniisque sepultus est. Successit *Ludovicus* cognomine *pius*, quem a patris prudentia & fortitudine nimium quantum deflexisse, præsulumque consiliis, ut & filiorum ingeniis nimis indulsisse, Noster perhibet. Vitam ejus a p. 75 ad 76.
p. 106 enarrat, deque ritu se purgandi per duellum p. 55, de titulo, *Gratia Dei*, p. 89, de innocentia Judithæ p. 99, aliisque memoratu dignis tradit. Ita in reliquorum quoque Regum & Imperatorum vitis versatus est, ad A. 1200 in vita Philippi tandem filum abrumpens. Ceterum accessere & passim notulæ, quæ ipsæ uni *Schurtzfleischio* debentur: nec dissimulandum, errata typographica aliquando non minimi momenti irrepsisse, quæ tamen Cl. Editori, qui per absentiam aliis impressionis curam relinquere debuit, minime imputaveris.

AMOENITATES LITERARIÆ.

Tomus VII & VIII.

Francof. & Lipsiæ, apud Dan. Bartholomæi, T. VII 1727, T. VIII 1728, 8.

Alph. 1 pl. 21.

R. Ecensitis superiori tempore *Cl. Schelhornii Amœnitatibus literariis* nunc merito adjungimus Tomum earum septimum & octavum, utriusque Capita, quam fieri potest, brevissime exponentes. *Tomus* igitur *septimus* primo loco exhibet acceptam ex Uffenbachiana bibliotheca *Commentationem in antiqua monumen-*

numenta, in agro Tigurino nuper eruta. Repertæ scilicet sunt in pago *Kloten* aliquot egregiæ antiquitatis reliquiæ, pavimentum marmore cæsim diminuto stratum, varii generis instrumenta sacra, nummi, inscriptionesque, quæ nunc universa in Cimeliarchio publico civitatis Tigurinæ asservantur. Hæc singula eruditissimis oculis contemplatur Autor noster ἀνώνυμος, copiose disserens de origine pavimentorum, de variis eorum generibus, de opere musivo, de lithostrotis. Hæret etiam circa Romanas legiones, easque enumerat, quarum sub Imperio Romano statio fuit in Helvetia. Ad ultimum ex hisce monumentis concludit, castra Romana quondam juxta pagum illum *Kloten* fuisse posita: eaque occasione de castris Romanis agit diligentissime. *Dissertationi II*, quæ Cl. *Schelhornium* habet autorem, commemorantur Bibliothecæ incendio absumtæ; libri jussu publico Vulcano traditi, maxime hæretici; libri denique ab ipsis autoribus suis vel sponte vel coactis in ignem conjecti. *Diss. III*, Cl. Jac. Brukerum habens autorem, persequitur convenientiam numerorum Pythagoræ cum ideis Platonis, harumque originem ex *illis deducit.* Hic multum illustratur historia Pythagoræ & Platonis, eorumque philosophia, simulque ostenditur pluribus exemplis, Platonem frequenter secutum esse dogmata Pythagorica. Hanc Dissertationem Cl. Autor haberi vult pro Supplemento suæ *Historiæ idearum*, quam & ipsi recensuimus *A. 1723 p. 392.* *Diss. IV* Cl. *Schelhornius* exhibet Papæ Pauli III Bullam prorogationis Concilii, Mantuam antea indicti: subjunctis nonnullis, Tridentini Concilii historiam illustrantibus. *Diss. V* idem varias profert observationes minutiores, e. g. de Trithemio & ejus *Sermonibus ad monachos* A. 1516 excusis.

Tomi octavi prima Dissertatio continet modo laudati Brukeri secundum Supplementum historiæ de ideis philosophicis constans varii generis accessionibus, libro isti inserendis. *Diss.* Cl. *Schelhornius* varias pœnas recenset in libros statutas. Re[illegible] hic ex literaria historia, multos libros proscriptos & stigm[illegible] notatos, non paucos ad æternam captivitatem damnatos, mutilatos, vel patibulo affixos, vel discerptos, vel aquis cloa[illegible] injectos, vel ignis supplicium passos fuisse. *Diss. III* Anon[illegible]

qu[illegible]

quidam librum *de imitatione Christi* Thomæ Kempensi vindicat pereruditе, primo novissima argumenta exhibens eorum, qui hoc opus Thomæ isti abjudicant; deinde ea diluens; tandem duobus argumentis demonstrari confidens, Thomam Kempensem recte haberi pro ejus autore. Ac primum quidem argumentum hic exponit, quod scilicet Codices MSS. & autores Thomæ illi coævi plus quam sexaginta ei librum hunc tribuant. Secundum argumentum, quod nimirum collectio propemodum infinita proprietatum & accidentium in autore libri *de imitatione Christi* & in Thoma Kempensi sit eadem, alio tempore se debita diligentia persecuturum promittit: ac facile credimus, & hanc Dissertationem maximo applausu acceptum iri, ubi Autor ad eam elaborandam se accinxerit. *Diss. IV* Cl. Brukerus docet, & ex loco quodam M. Antonini Imp. probare conatur pluribus, Stoicos necessitati cuidam absolutæ, id est, fato cœco tribuisse omnia, & per *providentiam Dei* nihil aliud intellexisse, quam obsequium Dei isti necessitati præstitum, vel potius constantem universi hujus tenorem, & imperturbatam omnium rerum, & materiæ tum crassioris, tum subtilioris, id est, Dei, seriem & concatenata vincula. *Diss. V* continet Dan. Everhardi Dolpii Observationes de Joanno Aventino & ejus *Annalibus Bojorum*. *Differt. VI* Cl. *Schelbornius* de libris publica autoritate combustis differit, inter hæc *p. 475—489*, multa exempla afferens combustorum a Pontificiis Bibliorum in vernaculum sermonem conversorum. *Diss. VII* memoratur quidam testis veritatis, *Joannes Munsingerus*, Seculo XIV Rector Scholæ Ulmensis, adversus quem lata a Pragensi Academia sententia hic primum profertur in publicum. *Octavum caput* exhibet aliquot Julii Cæsaris Scaligeri epistolas, a MS. Uffenbachiano nunc primum editas. In his Scaliger, quicquid iræ contra Erasmum collegerat, evomit, & vel invitus suæ impotentiæ superbiæque scholasticæ monumentum relinquit posteritati. Lectu quoque dignæ sunt, quæ *nono loco* proferuntur epistolæ Baluzii, Schilteri, Mabillonii, & Ruinarti, e latebris suis nunc productæ. *Decima Differt.* continet Cl. Brukeri Additamenta ad suam *de vita & scriptis Eliæ Ebingeri* Commentationem.

 C. W.

C. W. MONITUM DE SUA PHILOSOPHANdi ratione, inserviens loco responsionis ad ea, quæ occasione operis sui Logici Nonnemo monuit in Actis Eruditorum anni præsentis p. 474.

CL. *Hanschius*, a quo *Hipparchum Kepleri*, in Actis Eruditorum A. 1709 p. 142 Astronomis promissum, & omnia *Kepleriana* opera ex MSC. edenda per ea, quæ in Actis A. 1714 p. 242 significantur, expectamus, Logicæ quoddam ac Hygienes compendium sub titulo Medicinæ Mentis & Corporis hoc ipso anno edidit. Titulum a *Tschirnhusio* mutuatus est, in Logicæ autem compendio conscribendo ducem sibi elegit Logicam meam Germanicam, quinquies recusam, fatetur enim me primum praxin regularum artis inveniendi distinctius ostendisse. Etsi autem sæpissime verba Germanica nonnisi in Latina vertat; sunt tamen etiam nonnulla, quæ probare non possum, v. gr. dum omnem demonstrationem resolubilem esse ait in Soritem, ex meris propositionibus conditionalibus constantem, quarum primæ consequens est antecedens secundæ &c. quod non semper succedere, cum ex opere meo Logico manifestum est, ob allegatam ibidem rationem, tum re ipsa experimur, cum frequentiores sint casus, ubi resolutio ista non succedit, quam ubi eidem locus est. Ego in Logica Germanica tyronibus figuram primam sufficere judicaveram: in eo autem in diversa abit Cl. *Hanschius*, qui abstractam de figuris & modis possibilibus syllogismorum contemplationem compendio suo inseruit, propterea quod *Leibnitius* ipsi asseverasset, se in demonstrationibus *Euclideis* observasse, quod Geometra omnibus figuris quatuor & omnibus sex modis in singulis figuris usus sit. Vid. Medic. Ment. p. 62 & Acta Erudit. hujus anni loc. cit. Eandem doctrinam denuo proposuit in Actis Eruditorum hujus anni p. 468 & sqq. novis accessionibus auctam, ad quas ipsi profuere lumina, quæ ex opere Latino Logico hausit. Dedit autem eam ex *Leibnitii* Arte combinatoria probl. 2 num. VI p. m. 13 & seqq. quam is valde juvenis composuerat, ægerrime ferens in Actis Eruditorum A. 1691 p. 63, 64, quod se inscio fuisset recusa, cum eam nec maturioribus suis cogitatis, nec

nec personæ suæ respondere judicaret. Neque etiam *Leibnitius* singularia ista de modis figurarum utilibus primus repererat; sed ea jam integro seculo ante docuerat *Joannes Hospinianus Steinanus*, Professor Organi Basileensis, in peculiari libello Basileæ A. 1560 edito, & in controversiis dialecticis A. 1576 post mortem ejus publicatis defensa. Ipse *Leibnitius* eum inventorem laudat modorum novorum *Barbari, Celaront, Cesaro, Camestros*, ab *Aristotele*, meo quidem judicio, recte neglectorum, cum sint compendia ratiocinandi, duobus syllogismis v. gr. in *Barbara* & *Darii* in unum contractis, quando quis in *Barbari* argumentatur, sponte sese offerentia in praxi, etsi non doceantur, nec inter syllogismorum simplicium modos referenda, si quidem ii ex genuino fonte, non vero ex combinatoria arte eruantur, quemadmodum fecit *Aristoteles*. Dum vero *Hanschius Leibnitii* de figuris & modis syllogismorum meditationem juvenilem Actis Eruditor. insertam reperit, p. 474 ægerrime fert, quod non eandem quoque operi meo Logico inseruerim & neglectæ abstractæ illius de figuris & modis syllogismorum possibilibus doctrinæ meditationi profundiori tribuit, quod non agnoverim cum *Jungio*, dari casus in quibus magis naturaliter concludatur in ceteris figuris, quam in prima, nec cum *Leibnitio* observaverim, *Euclidem* in demonstrationibus omnibus quatuor figuris & omnibus modis etiam utilibus in singulis figuris pro re nata usum. Ego mihi proposui exemplo *Euclidis* in Mathesi philosophiam omnem reducere ad notiones communes & claritatem conservare maximam, quantum fieri potest. Quid sibi velit ista ad notiones communes reductio, in philosophia prima proxime clarius docebo. Non igitur meum fuit in constituendis syllogismorum modis ad artem combinatoriam confugere; sed ad notionem communem, vi cujus in Logica naturali ratiocinamur & unde jam olim *Aristoteles* in Analyticorum libro primo modos syllogismorum atque figuras deduxit. Soli illi syllogismi, qui immediata dicti de omni & nullo applicatione constant, per se sunt evidentes, ceteri ab iisdem suam mutuantur evidentiam, nec admittuntur, nisi quatenus iisdem æquipollent. Illi autem sunt syllogismi primæ figuræ; ceteri sunt ceterarum. Atque eo sensu syllogismos in qua-

 tuor

tuor modis *Aristotelicis* primæ figuræ *maxime naturales* voco, quod §.380 Logicæ per id explico, quod proxime accedant ad dictum de omni & nullo. Syllogismos secundæ & tertiæ figuræ in numero crypticorum esse ostendi, & in Psychologia rationem ostensurus sum a priori, cur in hos syllogismos crypticos nonnunquam incidamus juxta dictum de omni & nullo ratiocinaturi, tanquam unicam ratiocinandi legem. *Jungius* nullibi dicit, nos magis naturaliter aliquid concludere in ceteris figuris, quam in prima; sed in secunda & tertia figura sæpe *naturali prædicatione* concludi ait, quod *præternaturali* in prima colligatur. Ostendi autem in illis ipsis exemplis, quæ dedit, id posse evitari, & monstravi, unde fit, quod syllogismum ad primam figuram reducenti nascantur propositiones formam contortam habentes, quæ tandem huc redeunt, quod minus naturaliter argumentemur, hoc est, a lege illa ratiocinationis universali, cujus ex natura hominis rationem redditurus sum a priori in Psychologia, recedamus. Ego nullibi negavi, Logica naturali utentes subinde incidere in syllogismos secundæ & tertiæ figuræ; sed rationem prorsus reddidi a priori ex ipsa hominis natura §.399 sub finem, cur id fieri debeat. Quod tamen hoc non obstante iis carere possimus evidentiæ amantes, docui §.401. Si aliqua conclusio in secunda & tertia figura inferri posset, quam in prima inferri absolute impossibile fuerat; eam ego absolute necessariam pronunciarem: sed cum talis nulla detur, sola omnino figura prima contentos esse posse etiamnum affirmo, qui unius rationis ope ejusque communis maximam in ratiocinando evidentiam conservare velint. In scientiis imprimis non multum esse posse usum figuræ secundæ & tertiæ, rationibus stabilivi (§.40), quod etiam concedere tenetur ipse *Hanschius* num. 71. Dum vero asserit, autoritate *Leibnitii* fretus, *Euclidem* omnibus quatuor figuris & omnibus modis etiam utilibus in singulis usum esse; vellem ut exemplis idem docuisset: valde enim vereor, ne *Leibnitius*, idearum juvenilium non satis tenax, Cl. *Hanschio* dixerit ea, in quibus memoria eum fefellit. Ego non modo Geometriæ, sed alias quoque Matheseos demonstrationes, singulas vel centies ea ratione resolvi, quam docueram in ratione prælectionum, & in opere Logico

gico Latino exemplis illustravi §. 551 & seqq. cum in docenda Mathesi analysin juxta naturalem cogitandi modum ita observem, ut ex conditione theorematis auditores veluti ipsimet prædicatum eruere sibi videantur; nunquam tamen mihi recurrendum fuit ad syllogismos secundæ vel tertiæ figuræ, nec syllogismis primæ contentus ad incitas redactus fui, ut admittere cogerer propositiones formam contortam habentes, quales præternaturales vocat *Jungius*. Ego de rebus practicis ex notionibus statuo, quas propria mihi praxis suggessit, & quas autoritati cuicunque præfero. Ego in philosophia, quam paro, non admitto propositiones nisi determinatas, in quibus prædicatum determinatur per notionem subjecti, atque istiusmodi inferendis destinari primam figuram, jam agnovit *Aristoteles* sub finem c. 4 lib. 4 Analyt. Immo plerumque sufficiunt modi universales Barbara & Celarent. Ego non ad ostentationem philosophor, sed ad utilitatem vitæ. Propositiones autem determinatæ in vita applicantur per modum Darii & Ferio, sumtis propositionibus singularibus, in quibus de subjecto prædicatur prædicatum commune pro particularibus, quemadmodum vulgo receptum & notioni dicti de omni & nullo, genuino doctrinæ de ratiocinatione lapidi Lydio, conforme est. Etsi autem Cl. *Hanschius*, secutus *Leibnitium* juvenem in Arte combinatoria, propositiones singulares promiscue omnes pro universalibus habeat; ego tamen nonnisi eo in casu propositiones proprias, in quibus prædicatum proprium est, pro universalibus agnosco, quo definitiones locum tuentur: cum in hoc casu resolutio propositionis propriæ in universalem dicto de omni & nullo conformiter fiat; §. 350 in ceteris, eodem invito, immo reclamante; in singularibus, quæ prædicatum commune habent, prorsus nugatoria evadet & id incommodi habet, quod propositio particularis ex duabus vel pluribus universalibus componatur, universalis autem ex universalibus infinitis, id quod ex mea propositionum analysi, quam in Philosophia prima exposui, ipsis oculis manifestum est. Ceterum ego parum moveor, sive *Leibnitiana* cogitata meis consentanea, sive difformia fuerint. Neque enim mihi propositum est *Leibnitianæ* philosophiæ Systema condere, cum ea, quæ dedit *Leibnitius*, tanto, quod molior,

lior, operi de philosophia universa in Systema ordinatum & ad notiones communes reducenda, ut evidens & ad vitam utilis evadat, minime sufficiant: de Logica enim dedit perpauca in schediasmate Actorum Eruditorum; in Metaphysicis ea, quæ nondum mea facio omnia, & quorum nonnulla ex iis, quæ notionibus meis consona deprehendo, nonnisi ultra hypotheseos limites colloco penes me admodum arctos (v. §.127, 128 *Discursus præliminaris*); in Physicis vel nulla, quæ alicujus momenti sunt, vel quæ tanquam juveniles ausus ad maturiorem ætatem provectus ipse rejecit; in Philosophia denique practica vix quicquam, quod usui esse possit, nisi forsan una vel altera notio in præfatione ad Jus Gentium Diplomaticum occurrat. Ego magna *Leibnitii* in scientiam merita veneror, non tamen instar idoli colo, cum nulla penes me sit dicentis autoritas, qui nihil admitto, nisi quod notionibus meis conforme deprehendo, ita ut nec verbis *Leibnitianis* alium sensum tribuam, nisi quem notionibus meis congruum observo, de mente ejus genuina parum sollicitus, modo sim certus de veritate. Cumque non ad ostentationem, sed utilitatem philosophari me jam monuerim; non invideo aliis, quod perspicillis meis usi in iis, quæ obscurius dicuntur a *Leibnitio*, videant, quæ absque iis videre nequeunt, utut non agnoscentes, mihi magis profuisse mea ad mentem *Leibnitii*, cum quo de philosophicis rebus me nunquam contulisse sub finem vitæ in epistola aliqua ad *Reimondum* ipse fatetur, perspiciendam, quam dicta a *Leibnitio* ad mea invenienda. Quamobrem me parum moveat, quod Vir quidam doctus in his Actis asseruerit, *Leibnitium* fuisse confessum, quemadmodum ipsi videtur, serio, omnia, quæ de rebus Metaphysicis in Theodicæa tradidit, esse lusum ingenii. Sint enim *Leibnitio* lusus ingenii verba, quæ ab eodem adopto: aut igitur alium eisdem tribuit, quam ego, sensum, aut, si eundem tribuit, ludendo dicit verum. Cum ego rationibus meis stare soleam, id me parum anxium tenet, num alter iisdem verbis sensum tribuerit a veritate abhorrentem, aut num ludendo dixerit verum, quod ego rationibus meis convictus tanquam verum admitto. Nec invideo aliis, quod alta videant, adeoque in superficie hæreant; sufficit mihi, si profunda

videam

videam atque adeo ad intimas rerum rationes penetrem. Quem argumentis extrinsecis tribuam locum, in opere logico demonstravi §. 1007: mihi in intrinsecis acquiescere placet. Neque ego litem alii unquam intendam, quod diversa a meis defendat, ita ut nec Cl. *Hanschio* respondissem, nisi judicis autoritatem sibi sumsisset in mea, & Collectoribus Actorum Eruditorum visum fuisset ejus monita recensioni operis mei subjungere. Quod denique attinet ad perfectionem figurarum; neminem latet, *Aristotelem* non contemnendis rationibus usum, solam figuram primam perfectam statuisse, ceteras imperfectas lib. I Analyt. c. 4 & 5. Ego non invita notione perfectionis generali, quam in Metaphysicis dedi, definitione nominali *figuram perfectam* dico §. 400 *Log.* in qua omnes propositiones inferri possunt; *imperfectam* vero, in qua non omnes inferuntur, neque enim eodem modo illam applico, quo *Hanschius* in suo schediasmate, ubi de plurium entium inter se collatorum perfectione contenditur. Naturalem cogitandi modum, cujus ego primus notionem distinctam dedi, æque in figuris ceteris, ac in prima non observari, in Psychologia ostendam, ubi omnium ratiocinandi modorum rationem a priori ex facultatibus mentis daturus sum, rigide observato discrimine, quod inter cognitionem intuitivam & symbolicam intercedit. Nolo igitur proferre, quæ nimis concise dicta sufficienter intelligi nequeunt, cum non minus claritatem, quam ordinem & evidentiam conservare soleam in philosophando. Id unice addo, me non capere, quod asserat Cl. *Hanschius*, quomodo prodesse debeat ad agnoscendum factum *Euclidis* abstracta de figuris syllogismorum eorumque modis doctrina, per quam modorum vi artis combinatoriæ factam determinationem intelligit, cum sufficiat nosse syllogismorum modos, sive eos quis mecum ex notione communi dicti de omni & nullo, sive cum *Hospiniano, Leibnitio* juvene & Autore Artis cogitandi vi artis combinatoriæ eruat, sive eos saltem ex libello aliquo logico non attenta eorum ratione nude sibi cognitos reddat. Sed meum non est litigare de lana caprina, nec conveniens hic litigiis istiusmodi locus est.

CHRIST.

CHRIST. GOTTL. SCHWARZII, IN ACADEmia Altorfina Prof. Publ. Carmina, collecta & edita studio M. SIGISM. JACOBI APINI, P. P. N. & Acad. Nat. Cur. Socii.

Francofurti & Lipsiæ, impensis Jul. Arn. Engelbrechti & W. M. Endteri filiarum, 1728, 8 maj.

Alph. 1 pl. 3 fig. æn. Tabb. 2, præter plures passim ornatus gratia insertas.

DIgna erant, quæ in unum fasciculum solicite collecta & nitidissime impressa, in lucem prodirent Celeb. *Schwarzii*, ut Oratoris hodie inter Germanos facile summi, ita & Poetæ felicissimi, Carmina. Vere enim Cl. Editor, cui singulares hoc nomine gratias agimus, in Præfatione, qua Poesin a nonnullorum censuris liberat, *cum nulli Poetarum cedere*, judicavit, *sive nitorem eloquii, verborumque vim cum mira perspicuitate junctam, sive acumen inventionis & sententiarum gravitatem spectes;* & Cel. Jac. Facciolatus, arbiter omni exceptione major, cum unum ejus carmen honori S. R. Jo. Fabricii scriptum, quod exstat p. 169, vidisset, literis ad hunc testatus est, *id sibi mirum in modum placuisse, ita latine*, pergens, *ita graviter, ita eleganter scriptum est, ut nihil in hoc quidem genere in hanc diem Germania dederit, quod comparari cum eo possit.* Applausit etiam optimo Viro sub initium Poematum Cel. Godefridus Thomasius bellissima elegia, unde, qui nescit (quis vero nesciat?) intelliget, non modo prosa & vorsa Nostrum excellere, verum & in eruendis Historiis ac Antiquitatibus, & Naturæ legibus explicandis totum esse. Ubique vero sibi constantem in his Carminibus deprehendas, sive Lyrica, in quibus sunt longe suavissima in Christum, mundi Servatorem, in victorias Cæsaris, &c. sive Elegias in obitus aut nuptias Virorum præstantissimorum, sive carmen epicum Religionis divinitus vindicatæ memoriam secularem A. 1717 celebrans, sive Eclogas & Miscellanea legas, inter quæ passim exstant, quæ Lipsiam & Lipsienses nostros, in quibus diu versatus est, spectant. Accessere postremo etiam Græca, Anacreontica maxime, & vernacula, pauciora quidem, sed tam eleganter composita, ut cum

Latinis

Latinis certare ſuavitate videantur. Ceterum cum Cl. Editor ſpem etiam fecerit Orationum & Programmatum *Schwarzianorum*, quæ avide haud dubie excipiet orbis eruditus, optamus etiam reliquas Viri tanti Diſſertationes, Antiquarias præſertim & in his elegantiſſimas illas, quas de ornamentis librorum & Codicum apud Veteres non uno tempore compoſuit, ſingulari faſciculo in lucem proferri.

Oden der Deutſchen Geſellſchafft in Leipzig.

hoc eſt,

ODÆ SOCIETATIS GERMANICÆ LIPSIenſis, IV Libris diſtributæ. Acceſſit Introductionis loco DE LA MOTTE de Poeſi in genere & ſpeciatim de Oda.

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſchii B. Fil. 1728, 8 maj. Alph. 1 plag. 6.

UT ſtaret promiſſis Societas, jam Carmina producit Lyrico tantum genere, & quidem intra unius fere anni ſpatium, conſcripta, ac IV Libris diſpoſita, quorum primus eas Odas, quæ in honorem ſummorum Principum, ſecundus Nobilium, tertius aliorum compoſitæ ſunt, quartus denique miſcellaneas, morales, amatorias, ſatyricas complectitur. Quæ ut omnes ſua venuſtate coruſcant, acri quippe Societatis cenſura limatæ, ita non poſſumus, quin Cl. *Sam. Seidelii*, qui ad lyram plane natus videtur, Odas paſſim interſperſas, & imprimis eam, quæ prima comparet, Academiæ noſtræ nomine in adventum Regis noſtri potentiſſimi Lipſiæ menſe Majo anni ſuperioris compoſita, præ aliis Lectori commendemus. Ceterum Cl. *Gottſched* in præfatione ſpem facit, quovis ſemeſtri Miſcellaneorum utriusque orationis Partem aliquam prodituram. Nec illud tacere poſſumus, ſocietatem hanc velut in tutelam ſummi Status in Aula noſtra Miniſtri, Illuſtriſſimi *Erneſti Chriſtophori* Com. Imp. de *Manteufel* conceſſiſſe, cui non modo Relationem ſuperiori Menſe memoratam, ſed & has ipſas Odas humillime ſacravit.

CHRISTIANI SCHOETTGENII, RECTORIS & Prof. P. in Collegio Grœningiano Stargardiensi, Antiquitates trituræ & fulloniæ.

Trajecti ad Rhenum, apud Guil. Kroon, 1727, 8.
Pl. 12 fig. æn. 4.

CL. Autor, cujus jam alibi *Historiam Wurcenæ*, & *de secta flagellantium* libellum recensuimus, antiquitatum studium non sapientius tractari ratus, quam si ad illustrandum sacrum Codicem adhibeatur, hoc ipso consilio trituræ & fulloniæ antiquitates hic solertissime eruit e quovis scriptorum genere. De *tritura* quidem, primo locum trituræ, *aream*, describit accurate; deinde de more veterum Romanorum disserit, aristas a stramine resectas in aream congerendi, cum Judæi, ut ex *Matth. III*, 12 colligit, integra stramina, hoc est, culmos una cum spicis in aream injicerent; tum de tribus trituræ generibus fide digna profert veterum testimonia, de jumentis inactis scilicet, de tribulo sive tribula, (quod vehiculi genus erat,) & de baculo aristas excutienti; hinc de more veterum agit excussum frumentum separandi a paleis & gluma; denique de trituræ tempore. Hæc singula illustrat nonsolum ex Græcis, Romanis & Hebræis scriptoribus, verum etiam ex Itinerariis similes hodiernarum gentium ritus exponentibus. Hac occasione explicat illud *Deut. XXV*, 4: *Non obturabis os bovi trituranti*, & ejus legis applicationem ad ecclesiæ doctores factam a Paulo *1 Corinth. IX*, 9; item verba Joannis Baptistæ *Matth. III*, 12, ubi per ἄχυρον intelligi docet non *stramen*, quæ Keuchenii & Raphelii sententia est, sed *paleam*. Pari modo illustrat locum *Jesa. XXI*, 10, ubi populum Israeliticum Deus vocat *triturationem suam & filium areæ suæ*; & *Jesaiæ XXVIII*, 23–29, itemque *Hoseæ X*, 11. Ultimo loco ex *2 Sam. XII*, 31, probare studet, Davidem omnino Ammonitas areæ imposuisse, & tribulis crudelissime dilacerasse, diversamque Celeb. Danzii sententiam, singulari Dissertatione defensam, copiose refellit.

Accedimus ad *Antiquitates fullonias*, quarum initio Cl. Autor vocabulum *fullo* criticis considerat oculis, aliasque fullonum

num appellationes profert Latinas, Græcas, Hebraicas, Chaldaicas, Arabicas. Hinc fullonis munus in eo constitisse docet, ut vestes sordidas purgaret, poliret, & candidas faceret. Qua occasione ostendit, olim tam Judæos, quam ethnicos, lautiores scilicet ac ditiores, semper usos esse albis vestibus. Fullones deinceps dividit in liberos (qui in collegium quoddam coierant,) & servos: simul demonstrans, eos opificium suum extra mœnia exercuisse ob ingratum odorem. Tum debita cura persequitur singulas actiones, quibus functi sunt fullones in reparandis ac dealbendis pannis: describens etiam usum urinæ, cretæ, nitri & sulphuris in officinis fulloniis. Cumque prophetæ de fullonibus loquentes etiam *borith* commemorent, de quo singulari Disputatione disseruit S. R. Jo. Mich. Langius, *herbam* quandam *saponariam* significari censens; Noster *cardui* quoddam genus, cujus imaginem æri incisam exhibet, describi arbitratur, hujusque sententiæ suæ socium laudat Alphonsum Tostatum. Inter hæc multa sacrarum tabularum loca interpretatur, quibus fulloniæ artis sive diserta sive obscurior fit mentio. Unum seorsim considerat & ad fullonum lotionem refert, cum scilicet *Psal. LI, 9* David exclamat: *Lava me, & plus, quam nix, albus ero.*

INDEX AUTORUM,

quorum Libri aut Inventa hoc Volumine recensentur.

I *Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam Spectantes.*

Wal-

II Libri Juridici.

III Libri Medici & Physici.

IV Libri Mathematici.

Motte

V Libri Historici, Geographici &c.

Madox

VI Libri Miscellanei.

De Aqui-

INDEX RERUM NOTABILIORUM.

A 10…

Byzan-

Chal-

Hebraicæ

De Hy-

Le

Ulyſ-

INDEX RERUM NOTABILIORUM.

ERRATA.

Pag. 169 lin. 31 lege *Lavaur*; p. 186 lin. 5 in *Gallo - Belgium* dele in medio signum connexionis. p. 189 lin. 9 l. *Shakespear*; p. 191 lin. 1 l. *antiquissimo*; lin. 2 pro *genus esse* lege *genere*; p. 254 lin. 5 pro *cum c & v* lege *cum v & vice versa*; p. 256 lin. 11 pro *notas* l. *natas*; p. 260 lin. 14 l. *Academiæ*; p. 264 lin. 18 l. *eodem*; p. 268 lin. 2 pro *Comanos* l. *Romanos*; p. 334 lin. 2 l. *nominibus*; p. 349 lin. 34 pro *Sanctorium* l. *Sartorium*; p. 513 & 515 in margine pro *TAB. VI* lege TAB. V.